BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XV
H
24
NAPOLI

JURISPRUDENTIA
CANONICO-
CIVILIS,
SEU
JUS CANONICUM
UNIVERSUM.

M. DCC. XXXVIII.

JURISPRUDENTIA
CANONICO-
CIVILIS,

SEU

JUS CANONICUM
UNIVERSUM,

JUXTA

V. LIBROS DECRETALIUM,

Novâ & facili Methodo explanatum,

S. CONGREGATIONUM DECRETIS, S. ROTÆ ROMANÆ Decisionibus, Summorumque Pontificum Constitutionibus roboratum, nec non amplissimâ totius Juris Civilis peritiâ, pro Theoria & Praxi locupletatum, in gratiam eorum, qui in Scholis & Tribunalibus, tum Ecclesiasticis tum Sæcularibus, versantur, aut studiô Juris utriusque delectantur, Juris publici factum;

IN TRES TOMOS DISTINCTUM
ET QUATUOR VOLUMINIBUS DISTRIBUTUM.

NOVA, EAQUE TERTIA, EDITIO, IN TRES TOMOS DIVISA, insertis suo loco Supplementis quæ in anteriori Editione Tomum Quartum constituebant.

Unà cum triplici Indice; quorum prior, singulis Tomis præfixus, Seriem & Repertorium Titulorum Juris Canonici ibidem explicatorum exhibet; Alter, versùs finem Tertii Tomi occurrens, Ordinem & Sedem omnium Titulorum ex quibus Digesta constant, enarrat; Postremus denique, Rerum & Verborum in Universo Opere comprehensorum periochen sistit.

AUTHORE

P. FRANCISCO SCHMIER,

ORD. S. BENEDICTI, EX LIBERO-IMPERIALI-EXEMPTO Monasterio Ottoburano, Juris Utriusque Doctore, Almæ & Archi-Episcopalis Universitatis Salisburgensis Rectore Magnifico, & Facultatis Juridicæ, nec non SS. Canonum Professore Emerito, Celsissimi ac Reverendissimi Archi-Episcopi & S.R.I. Principis Salisburgensis &c. &c. Consiliario Intimo, ad S. Joannem in Veldkirch Priore, Notario Publico Apostolico, in Archivio Curiæ Romanæ Immatriculato.

TOMUS PRIMUS,

Complectens Librum Primum Decretalium.

AVENIONE,

Sumptibus PETRI LOMBARD.

M. DCC. XXXVIII.

BIBLIOPOLÆ
LECTORI
in hanc Novam Editionem.

OPUS iſtud neque prolixâ neque operoſâ eget commendatione. Satis probant ej.s præſtantiam geminæ intrà paucos annos Editiones, atque avida Virorum Doctorum tertiam hanc efflagitantium expectatio. Opportunum magis erit ut moneamus nos nihil eorum prætermiſiſſe quibus benevolentiam tuam captare anniteremur. Anteà quidem in quatuor Tomos diviſa erat hæc univerſi Juris Canonici Expoſitio; ſed quartus unicè conſtabat ex ſupplementis non ſine defatigatione legentium ad ſua loca adaptandis: Nos verò ea ſingulis Capitibus ad quæ pertinent inſeri curavimus, atque ita jam unâ continuâque ſerie ſinguli Tractatus poterunt pervolvi. Cùm autem ſic nimiam in molem excreviſſet Tomus Secundus, binis Titulis illum decoravimus, quorum prior Secundo, poſterior Tertio Decretalium Libro præfixus eſt; quo fiet ut in duo Volumina compingi queat à Bibliopegis, ad eorum commoditatem quos ponderoſiora laſſant Volumina. Denique diſperſos hactenùs quatuor Rerum & Verborum Indices in unum conflavimus, non ſine Lectoris commodo, qui ſic breviori viâ quod quæret inveſtigabit. Vale, Benigne Lector, & noſtris conatibus fave.

AD LECTOREM.

QUOD olim Magnus Hypponensium Præsul, Charitatis in DEUM & proximum studiosissimus, ad comprimendam obtrectatorum audaciam seu dixisse seu scripsisse fertur:

Quis quis amat dictis alienam rodere famam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi:

Hoc ipsum ego, ut Jurisprudentiam meam à licentiosa eorum, in quorum manus inciderit, crisi liberarem, consimili ferè metrô statim in limine seu dictum seu scriptum percuperem:

Quisquis amat dictis alienos carpere libros,
Hunc librum vetitum noverit esse sibi.

At quia jam publici juris est facta, omniumque judicio exposita; adversùs Zoilos & Aristarchos possum equidem protestari; sed prohibere cum effectu non possum, ne Theoninô dente radant & rodant; Catonianâ virgâ censeant & censurent.

Ne tamen aut sinistra quorundam sensa non prævidisse; aut sinè consilio meæ Jurisprudentiæ de ea, quâ comparet in publico, forma & figura providisse videar, Lectorem quemlibet, cujuscunque sit mentis, nonnulla præmonere, consultum judicavi. Præprimis verò, si cuipiam titulus in fronte displiceat, quòd Jurisprudentia mea *Canonico-Civilis* appelletur, quasi nempe haud deceat, SS. Canonibus confusa legum placita admisceri; vel tanta sit unius Juris ab altero discrepantia, ut utrumque nequeat in unam redigi harmoniam: meminisse juvabit, ad solidam Canonicæ Disciplinæ petitiam vix unum eluctari, qui Disciplinæ Civilis auxiliari manu destituitur; uti nec ille perfectâ Legum scientiâ potietur, qui SS. Canonum instituta neglexit. Ea siquidem est gemini Juris connexio & vicinitas, ut, ubi deficit unum, per alterum suppleatur: &, si caligent Leges, Canones facem præferant; sin decreta Pontificum sileant, Principum constitutionibus adjuventur, ex decantato *cap. 1. & 2. de N. O. N.* Num verò reipsâ præstiterim, ac juxta propositum Jus unum cum altero, quantum licebat, concordaverim? Totus Jurisprudentiæ, tres in tomos distributæ, contextus veritatem edocebit: ingenti quippe conatu non tantùm universalia Jurisprudentiæ, quà sacræ quà profanæ, fundamenta statim in *tom. 1. tract. præamb.* & *tract. de Jure Legali*, jacere, sed etiam totius operis structuram illis inædificare, sententias sententiis velut lateres conglutinare, & Civilistas Canonistis velut parietes conjungere studui; subjunctâ in calce tomi tertii synoptica serie & repertorio, ex quo titulos omnes, quotquot in succinctis Justiniani Institutis, & in latissimis Pande-

Pandectarum libris inveniuntur, duobus saltem verbis relatos aut explicatos fuisse, curiosus investigator experietur.

Ad hæc non paucis stomachum movebit, quòd paululum à via regia declinaverim, nec, ut alii SS. Canonum Interpretes assolent, ordinem titulorum, quem Libri Decretalium observant, fuerim secutus. Sed medicina non deest. Prætерquàm enim, quòd non solùm celebres Juris Pontificii expositores id ipsum absque reprehensione fecerint, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat; sed etiam in principio cujuslibet tomi series & repertorium titulorum, prout in Decretalibus extant, pro memoria & systemate formando præfixum habeatur: ejus semper animi fui, Juris prudentiam nostram, cùm adeò diffusa sit, nonnihil constringendam; cúmque difficultatem maximam facessat memoriæ, rerumque multitudine vix non eandem opprimat, accuratiori methodô levandam & tradendam esse. Jam verò methodum, quam assumpsi, faciliorem & accuratiorem esse, quàm illa quæ tenetur in Corpore Juris, nescio, an aliquis negare possit: quandoquidem materiæ, alioquin dispersæ, nunc congregatæ; genera cum speciebus, & species cum generibus ita conjuncta sunt, ut unâ nunc die quis addiscere valeat, quod antehàc intra septimanam fortè non didicisset. Proindeque, sicuti viator quisque non vituperiô, sed laude dignus est, quòd semitam elegerit breviorem, ut citiùs attingat terminum; ita vituperium haud extimescam, quòd, dum Ars Juris longa & vita brevis est, Juris amatores non per anfractus & ambages, sed compendiosum & ordinatum iter ad Veritatis & Justitiæ metam deduxerim.

Prætereà ridebit fortassis & subsannabit nonnemo, dum Jurisprudentiam meam & theoriæ & praxi accommodam pronuntio. Verùm & ego rideo, vel potiùs succenseo, tot hodie numerari practicos, qui libros & elucubrationes Professorum non foro, sed scholæ duntaxat appositos; neque ad panem lucrandum, sed famam aut fumum tantummodò captandum natos esse, dicere non erubescant; contra quos paucis abhinc annis in oratione quadam inaugurali peroravi, illud problema discutiendô: plúsne credendum sit Authori legenti seu docenti, quàm consulenti? Ego certè, cùm Jurisprudentiam nostram opiner esse practicam, qualemcunque doctrinam meam tum in Cathedra publica, tum in exercitationibus privatis, Jurium Auditoribus semper ita proponere & communicare fui conatus, ut non præcisè doceant in abstracto, sed obveniente occasione thesin ad hypothesin redigere; generalia Principia ad casus particulares applicare; &, pro varietate circumstantiarum, ampliare vel restringere sciant. Quemve tunc modum habui, eundem tum in meis tractatibus, luci & disputationi publicæ commissis, tum in universo nunc Opere Canonico-Civili prosequor; admiscens persæpe locorum consuetudines & statuta; adjungens nonnunquam responsa & consilia practica, quæ ad requisitionem partium aut ipsorummet Dicasteriorum, vel à me, vel à Facultate nostra Juridica, vel ab aliis concinnata, atque sententiâ, conformiter iisdem latâ, non rarò fuêre confirmata.

Demum (ut plura, quæ liberioris sæculi genius castigare novit, omittam) Authores, quorum vel doctrinâ meum opus instruxi; vel authoritate meas assertiones firmavi, non omnibus placere, audio: sunt enim persæpè recentiores & novi, quos antiquis postponendos esse, tam ipsamet antiquitatis majestas, quàm Protoparentum Juris veneratio persuadere videtur. Sed, quid respondeam, in promptu habeo. Stabilio quidem Authorum recensitione mea scripta, sed paginas non impleo, nisi fortassis in uno vel altero casu plurium nomina citâsse, sic idem, ac oracula fudisse. Refero simul & sequor Authores novos; sed antiquis quoque reverentiam & venerationem tribuo. Profero cum scriba Evangelico

nova & *vetera*; cùm, ut Oratorum aliquis ediſſeruit, creverint ſæcula, cum ſæculis ingenia, cum ingeniis mores, cum moribus Leges, cum Legibus Doctores; &, ut alicubi ſcriptum reliquit ingenioſus Caramuel, in Neotericis & ea, quæ veteres elucubrârunt; &, quæ veterum monumentis erant incognita, cum fœnore dilucidata reperiantur.

Cæterùm per cauſas ſeu methodum ſcientificam ita progredior, ut neque ſuperflua congeram; neque neceſſaria prætercam. Sententias eligo tales, quales principiis, à me propoſitis, propinquiores inveni; libertatem ſentiendi cuilibet meliùs ſentienti relinquens. Scribo in nullius odium aut favorem, nec pretiô conductus, nec precibus commotus; ſed unicè Veritatem & Juſtitiam pro cynoſura pono, non immemor illius, quod P. Balde cecinit in ſuis *Lyricis*:

Quò pondus urget, nudaque veritas;
Examinatis cauſa bilancibus
Pendens feratur. Tum quieſcat
Triſte forum, pelaguſque raucum.

Non in crumena Cæſaris latent
Arcana Juris; dignius utili
Præſens honeſtum; mentis arcem
Non loculos habitant rapaces.

Minùs adversùs S. Matrem Eccleſiam, Supremum Chriſti in terris Vicarium, dogmata fidei, vel morum honeſtatem ſtringo calamum; quin potiùs Eccleſiæ & Sacræ Sedis Pontificiæ judicio omnes apices humillimè ſubmitto. Lege, benigne Lector, eâ intentione, quâ ſcripſi; favebis, valebis.

Appro-

Approbatio Sac. Facult. Theologicæ Salisburgensis.

Egimus præsens Opus, omniáque in eo invenimus Fidei orthodoxæ principiis, & morum regulis adeò consentanea, ut rectè vivendi scita, Christianámque Ethicam insigniter etiam illustrent : tantum abest, ut ab eisdem exorbitent. Et quamvis non instituerimus, verbîs ampullatîs panegyricum dicere (cùm secunda fama de exquisitissima Clarissimi & Magnifici Authoris Jurium scientia undequaque didita omnem prædicationem nostram pridem antevolaverit) illud tamen verè & citra palpum judicamus, totam hanc Lucubrationem Reipublicæ litterariæ esse maximè decoram; nostræ Universitati honorificentissimam ; Lectoribus universis utilissimam.

Ita censent, simúlque Magnifico ac Clarissimo Auctori devotissimè gratulantur.

P. Alanus Pfeiffer, *Benedictinus Admontensis, SS. Theolog. Doctor, Theol. Scholasticæ Professor Ordinarius, Celsiss. ac Reverendiss. S. R. I. Principis, & Archi-Episc. Salisburgensis Consiliarius Ecclesiasticus, & p. t. Sacræ Facultatis Theologicæ Decanus.*

P. Ludovicus Babenstuber, *Benedictinus Ettalensis, SS. Theol. Doctor, Sacræ Scripturæ Professor Ordinarius, Celsissimor. ac Reverendissimor. S. R. I. Principum, Archi-Episc. Salisburg. & Episc. Frisingensis Consil. Ecclesiasticus, Universitatis Pro-Cancellarius, Vice-Rector.*

P. Cœlestinus Mayr, *Ordinis S. Benedicti, ex Libero & Imperiali Monast. SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vindelicorum, SS. Theologiæ Doctor, Theol. Scholasticæ Professor Ordinarius, Celsissimi ac Reverendissimi S. R. I. Principis, & Archi-Episcopi Salisb. Consiliarius Ecclesiasticus.*

P. Ambrosius Ziegler, *Benedictinus Cremisanensis, SS. Theologiæ Doctor, Theolog. Moralis Professor Ordinarius.*

P. Godefridus Kröll, *Benedictinus in Monasterio S. Petri Salisburgi Professus, & p. t. Prior, SS. Theol. Doctor, Celsiss. ac Reverendiss. S. R. I. Principis, & Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliarius Ecclesiasticus, Controversiarum Fidei Professor Ordinarius.*

Appro-

Approbatio Facultatis Juridicæ Salisburgensis.

Uæcunque artefacta non tantùm ex eo æstimantur, quòd à præstanti artifice sint elaborata; sed etiam, quòd mirâ quadam pulchritudine, & rarâ in omnibus cohærentiâ hominum oculos, animósque ad se trahant. Præsens Jurisprudentia Canonico-Civilis, nobis oblata, & ab omnibus perlecta, oculos animósque nostros ad se traxit: opus enim Magnificum est; sive ipsum Auctorem quis respiciat, sive operis ipsius concinnam structuram. Auctor est Magnificus Universitatis nostræ Rector, cujus fama non tantùm Urbi nota, sed per plurimas theses publicas per Orbem litterarium jam antè divulgata. Structuram videre licet concinnam; utpote quæ mira, & innata Magnifico D. Auctori claritate, argumentorum, & rationum soliditate, & pulcherrima methodo elaborata firmissima compage cohæret. Dignissimam ergo esse, uno ore, & calamo judicamus, quæ in lucem publicam prodeat, Magnifici D. Auctoris perpetuo honori, Universitatis, & Facultatis nostræ ornamento, omniúmque, ad quos devenerit, utilitati deservitura. Ita censent Salisburgi 9. Julii 1716.

Josephus Adamus Ayblinger, *Jurium Doctor, Celsiss. & Reverendiss. S. R. I. Principis, & Archi-Episcopi Salisb. Consiliarius, in Universitate ibidem Instit. Professor Ordinarius, & Facultatis Juridicæ p. t. Decanus.*

Franciscus Ignatius De Wolleren, *Nobilis in Wollersfeld, JCtus, & S. R. I. Eques, S. C. M. Excelsi Regiminis Superioris Austriæ, nec non Celss. & Reverendiss. S. R. I. Principis, & Archi-Episc. Salisburg. Aulicus, & intimus Consiliarius, Juris Publici, & Codicis Prof. Ordinar.*

P. Benedictus Schmier, *Ordinis S. Benedicti, ex Libero-Exempto-Imperiali Monasterio Ottoburano, SS. Theologiæ, & Juris Utriusque Doctor, Celsiss. & Reverendiss. S. R. I. Principis, & Archi-Episc. Salisburg. &c. &c. Consiliarius Ecclesiasticus, ac SS. Canonum Professor Ordinarius.*

Josephus Bonaventura Franz, *Jurium Doctor, Celsissimi ac Reverendissimi S. R. I. Principis & Archi-Episcopi Salisburg. &c. &c. Consiliarius, Pandectarum Professor Ordinarius.*

Appro-

Approbatio Sac. Facultatis Theologicæ.

PRæsens Opus, quod Clariſſimus ac verè Magnificus Author in Supplementum *Juriſprudentiæ Canonico - Civilis* conſcripſit, Eidem in omnibus conſonat, ut priora volumina, quæ jam anteà communi Eruditorum applauſu excepta ſunt, novum ſibi exinde ſplendorem concilient: Et meritò quidem; quia Magnificus Author tam caſtè materias Juriſprudentiæ diſcuſſit, ut non tantùm vel in fidem, aut bonos mores non impegerit, ſed potiùs ſuis fidem principiis, & mores exemplis ſtabilierit. Digniſſimus ergo hic ultimus partus eſt, ut poſt mortem ſui Authoris lucem publicam aſpiciat, Ejúſque nomen apud Litteratos æternitati tranſcribat.

Ita cenſet, & vovet Salisburgi 1. Nov. 1727.

P. Alanus Ritter, *Ord. S. Ben. ex Monaſt. Weſſofontano, SS. Theol. Doctor, & ejuſdem in Scholaſticis Profeſſor Ordin. Celſiſſimi ac Reverendiſſimi S. R. I. Principis & Archi-Epiſcopi Salisb. &c. &c. Conſiliarius Eccleſiaſticus, p. t. Sacræ Facultatis Theologicæ Decanus.*

Approbatio Inclytæ Facultatis Juridicæ.

JUriſprudentiam Canonico-Civilem, communi Eruditorum applauſu jam pridem exceptam, atque Orbi Literario invulgatam, novis quæſtionum additionibus, priorúmque illuſtrationibus locupletiorem reddere, variis quoque hinc inde Scriptorum Diſputationibus laceſſitam vindicare ſtabiliréve præſentis Operis inſtitutum eſt. Quod utrumque cùm ſolidiſſimè, ſuaviſſimáque animi ſtylíque modeſtiâ præſtiterit Auctor Magnificus, omnium emolumento, atque ad immortalem gloriam Viri nunquam ſatis celebrandi, in publicum prodeat.

Ita cenſet Salisburgi 1. Novembris 1727.

Franciſcus Joſephus Carolus Schloſgangl. J. U. D. *Celſiſſimi ac Reverendiſſimi S. R. I. Principis & Archi-Epiſcopi Salisburgenſis &c. &c. Conſiliarius, Inſtitutionum Imperialium Profeſſor Ordinarius, Facultatis Juridicæ p. t. Decanus.*

SERIES

SERIES

ET REPERTORIUM TITULORUM

LIBRI I. DECRETALIUM.

TRAC-

TRACTATUS PRÆAMBULUS DE JURISPRUDENTIA CANONICO-CIVILI.

NULLA in orbe literario Facultas est, quæ, priusquàm ad arcanos recessus & intima penetralia concedat accessum, in vestibulo suos aut cultores aut alumnos paulisper non detineat, ut, tanquàm hospites & peregrini, præambulô quôdam discursu de natura, indole, & prærogativis illius Facultatis edoceantur. Quem morem Jurisprudentia mea Canonico-Civilis ad modum & mentem JCti Caii in *l. facturus* 1. *ff. de O. J.* imitata, Lectores suos, antequàm ad intimiora penetrent adita, parumper in limine detinet, quatenùs illius habitum, genium, & dotes addiscant. Sit igitur

CAPUT I.

De Natura Jurisprudentiæ Canonico-Civilis.

Jurisprudentia neque tam singularis est, ut in quibusdam prædicatis cum aliis habitibus non communicet; neque tam vulgaris est, ut speciales sibi titulos non vendicet. Itaque naturam Jurisprudentiæ rimaturi, tam ea, quæ communia, quàm illa, quæ sibi propria facit, discutiemus.

SECTIO I.

De Jurisprudentia in genere.

SUMMARIA.

1. & 2. *Descriptio Jurisprudentiæ quoad vocem & rem.* 3. & *seqq. Docetur, & demonstratur, Jurisprudentiam esse scientiam.* 8. & 9. *Asseritur, & probatur, Jurisprudentiam rectè compellari artem.* 10. & *seqq. Concluditur, & ostenditur, Jurisprudentiam neque intelligentiam neque sapientiam esse.* 13. *Jurisprudentia est practica.* 14. *Est una & completa scientia.* 15. *Est nulli alteri subalternata.* 16. *Est naturalis habitus.* 17. *Describitur Jurisprudentia Naturalis.* 18. *Describitur Positiva.* 19. *Divina.* 20. *Et Humana.* 21. & *seqq. Doctrina de concursu Jurisprudentiæ Naturalis, & Positiva declaratur.* 24. & *seqq. Exponitur Jurisprudentia Theorica & Practica.* 28. & *seqq. Referuntur, & refutantur alia species.*

§. I.

Quid sit Jurisprudentia?

JUrisprudentiam esse vocabulum, compositum ex 1
Jure & prudentia, constat ex nomine. Et quia
Jus quoad præsentem acceptionem nihil aliud est,
quàm Lex aut regula justæ operationis; prudentia
verò est habitus cum recta ratione activus: conse- 2
quitur, Jurisprudentiam esse habitum, in id intentum, ut cum recta ratione juxta Leges & regulas justæ operationis actiones hominum dirigantur.

Ut tamen generica Jurisprudentiæ natura penitiùs 3
intelligatur, lubet inquirere I. utrùm sit Scientia? Ubi sinè scrupulo

℞. affirmativè. Ita cum nostris Clarissimis Salisburgensibus, D. Joanne Balthasaro Braun in *Jurisprud. in genere & in specie cap.* 1. §. 3. *n.* 10. D. Josepho Bernardo Gletle in *Jurisprud. fundament. lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. §. 10. *n.* 24. D. Ernesto Friderico à Someting ad *lib.* 1. *Instit. tit.* 1. *p.* 2. §. 3. *num.* 19. D. Josepho Bonaventura Franz ad *d. tit.* 1. *Inst. de J. & J. p.* 1. §. 2. *n.* 6. docuit P. Gibalinus *Scientia Canon. lib.* 1. *cap.* 2. *quæst.*
2. *n.* 4. Ratio est: quia Jurisprudentia, quoad om- 4
nes species considerata, format cognitionem rei certam & evidentem per causam, formandô demonstrationes de objecto suo undequaque perfectas. Sic enim Jurisprudentia Naturalis tam præcepta affirmativa v. g. DEUM esse colendum, parentes honorandos, fidem servandam &c. quàm negativa, v. g. furtum, adulterium, homicidium &c. non esse committendum, perfectè demonstrat ex illo principio immu-
tabili: *bonum faciendum, malum fugiendum est.* Sic 5
Jurisprudentia Canonica ex illo inconcusso principio, quòd Summus Pontifex habeat Jurisdictionem spiri-

tualem in omnes Christianos, evidenter demonstrat,
Imperatores quoque, Reges, & Principes Legibus
6 Pontificiis in materia spirituali subjectos esse. Sic
Jurisprudentia Civilis ex simili principio, non minùs
immoto, quòd actus, contra formam à Legibus
præscriptam potitus, non subsistat, luculenter de-
monstrat, testamentum solenne, coram 5. testibus
conlectum; donationem ultra 500. solidos, ad acta
non insinuatam; conventionem onerosam pupilli,
sinè tutoris authoritate celebratam &c. non valere.
7 Confirmatur. Si Jurisprudentiæ quidpiam deesset
ad dignitatem Scientiæ, id vel esset mutabilitas Le-
gum & Canonum; vel singularitas & varietas actio-
num humanarum. Atqui nec mutabilitas nec sin-
gularitas obest dignitati scientiæ. Non illa: præter-
quam enim, quòd Lex Naturalis sit immutabilis,
insuper Canones & Leges positivæ solùm mutantur
quoad existentiam, quoad essentiam verò conve-
niunt cum immoto dictamine sanæ rationis; non ista:
utpote cùm Jurisprudentia non tractet actiones hu-
manas quà singulares, sed quà oniversales. Nihil
itaque deest Jurisprudeotiæ, quò minùs elevetur
ad dignitatem Scientiæ.
8 Lubet inquirere II. utrùm Jurisprudentia rectè
dicatur Ars?

℞. affirmativè. Ita JCtus Ulpianus in *l. Juri ope-
ram 1. in pr. ff. de J. & J.* ibi: *ut eleganter Celsus de-
finit, Jus* (intellige Jurisprudentia) *est ars æqui &
boni.* Ita DD. Salisburgenses supra relati, D. Braun
9 *n. 9.* D. Gletle *n. 7.* D. Franz *n. 5.* Ratio est: quia
Jurisprudentia exercet officium, quod exercent artes
aliæ: efficit nimirum actiones humanas justas, & qui-
dem cum recta ratione, prout efficere solet Ars, seu
habitus, cum recta ratione factivus.
10 Lubet inquirere III. utrùm Jurisprudentia possit
aliis habitibus accenseri, v.g. Intelligentiæ vel Sa-
pientiæ?
11 ℞. negativè. Ratio est: quia inprimis Intelligen-
tia est habitus primorum principiorum, quæ demon-
stratione non egent. At Jurisprudentia (saltem si
Naturalem excipiamus, quæ propinquiùs ad prima
principia practica: *bonum est faciendum; & malum
fugiendum &c.* accedit) non est habitus primorum
principiorum, sed potiùs prima principia supponit,
atque ex illis remotè suas deducit conclusiones. Er-
12 go &c. Deinde Sapientia progreditur ad altiora;
nec tantùm scrutatur objecta sublimissima, sed etiam
aliarum Facultatum principia aggreditur. Quod sa-
nè Jurisprudentia non facit, sed actiones humanas at-
que negotia inferioris ordinis ita considerat, ut intra
proprios se contineat limites, & falcem in aliarum
Facultatum segetes aut principia non immittat. Er-
go &c. Conf. D. Brauo *cit. l. n. 6.* D. Gletle *n. 5.*

§. II.

Quales proprietates habeat Jurisprudentia?

13 EX proprietatibus, quibùs Jurisprudentia resplen-
det, prima est, quòd habitus sit practicus: nec
enim sectatur vulpanseres; nec vellit lanam capri-
nam; nec inania intellectûs phantasmata perquirit;
nec etiam subtilioribus speculationibûs delectatur;
sed regulas & gnomas in eum tradit & ordinat finem,
ut homo per actiones Legibus coosormes justitiam
assequatur. Gibalious *Scientiæ Canon. cit. lib. 1. cap.
3. q. 1. n. 15. & seqq.*
14 Secunda est, quòd unam, integram, & comple-
tam scientiam constituat: agnoscit siquidem objectum
unum, integrum, & distinctum ab objectis aliarum
scientiarum, actionem scilicèt justam, & quidem
sub medio & motivo prorsus æquali & uno: idcircò
unitate & integritate scientiæ completæ gaudet.
Gibalinus *d. l. q. 3. n. 20. & seqq.*

Tertia est, quòd emioeat tanquàm absoluta scien- 15
tia, nullique alteri propriè subalternata: quàm plu-
rimis namque principiis domesticis, ex quibus con-
clusiones suas deducit, abundat, nec alterius scien-
tiæ fores pulsare, aut illius opulentiâ vel nobilitate
ditari vel nobilitari cogitur. Gibalin. *d. l. 4. n. 7.*
Quarta est, quòd numerari debeat inter scientias 16
naturales etiam quoad Jurisprudeotiam Canonicam,
utpote quæ, licèt principiis, lumen naturæ super-
antibûs, noscatur instructa, modum tamen docendi
ducendique conclusiones ex principiis naturalem
adhibet. Gibalinus *d. l. q. 2. à n. 3.*

§. III.

Quotuplex sit Jurisprudentia?

CElebertima Jurisprudentiæ divisio est, quâ dis- 17
pescitur I. in Naturalem & Positivam. Juris-
prudentia *Naturalis* est habitus scientificus & practi-
cus, ab Authore Naturæ rationali creaturæ inditus,
vi cujus intelligit Leges Naturales, quæ scilicèt præ-
cipiunt objecta ab intrinseco bona, & prohibent ob-
jecta ab intrinseco mala; de quibus in *Lib. 1. Tract. I.
de Jure Legali tot. cap.* 2. agemus. Jurisprudentia 18
Positiva est habitus scientificus & practicus, humanô
studiô acquisitus, circa Leges, liberè promulgatas,
occupatus; abitque rursus in Jurisprudentiam Divi-
nam & Humanam. Jurisprudentia *Divina* scrutatur 19
Leges, à DEO, tanquam Authore supernaturali,
liberè sancitas: quæ professio, cùm Theologis sit
propria, à nobis impræsentiarum non suscipitur, sed,
quantùm Jurisprudentiæ necessaria est, in *cit. tract.
cap.* 3. paulisper delibatur. Jurisprudentia *Huma-* 20
na est, quæ Leges, aut Ecclesiasticas (uti Jurispru-
dentia Canonica) aut Sæculares, (veluti Jurispru-
dentia Civilis) explicat; de quibus in *eod. tract.
cap. 4. & seqq.* sermonem faciemus.
Solent hic JCti tradere varias regulas, qoomodò 21
Jurisprudentia Naturalis & Positiva simul conciliari
& combinari debeat: ajunt enim, quòd Jurispruden-
tia Naturalis, tanquam superior, primatum obtineat
præ Jurisprudentia positiva: unde consequitur, in-
feriorem cedere superiori, illámque, si penitus defi-
ciat, aut subobscura videatur, ab ista subsidium &
illustrationem petere debere. Sed quia Jurispru- 22
dentia Naturalis, quatenùs in explicatione memora-
ta sumitur, aliunde non potest à positiva superari:
hinc eô duntaxat sensu capienda erit antecedens do-
ctrina, ut Jurisprudentia Naturalis, impropriè talis,
intelligatur; illa nimirum, quæ versatur circa mate-
rias, de quibus à Lege Naturali nihil determinatè
fuit statutum, sed quasi conditionatè provisum, ut,
spectatâ naturâ, tamdiu pro Lege habeantur, quàm-
diu Potestas humana nihil aliud statuerit. Nihilo- 23
minùs, ut notat accuratissimus D. Braun in *Juris-
prud. in gen. & specie p. 2. cap. un. §. 1. nu. 2.* de illis,
quæ huc pertinent, non semper ex integro convenit
inter eruditos: pendent siquidem ab ingenii perspi-
cacitate, & judicii maturitate, quæ, quàm mirè va-
riet in hominibus, nemo non novit. Ut proinde tu-
tior longè sit recursus ad Leges positivas; in quibus
æquitas naturalis quàm maximè relucet, &, quia
scripta est, longîs parasangîs præferri debet æqui-
tati cerebrinæ, seu veriùs cerberinæ, quæ non so-
lùm Utriusque Juris constitutiones, tot curis & vi-
giliis elaboratas, dolosè subvertit, sed etiam ob na-
turalem dissentiendi facilitatem confusionem & con-
tradictionem maximam io Dicasteriis monstrosè pro-
generat. Conferatur Vinn. *select. quæst. lib. 1. cap. 2.*
Non ignobilis quoque Jurisprudentiæ divisio re- 24
potatur, quâ II. secatur in theoricam & practicam.
Theorica dicitur, quæ solam principiorum & præ-
ceptorum

ceptorum Juris notitiam exhibet. *Practica* nuncu-
patur, quæ principia & præcepta Juris, antehàc
jam cognita, deducit in usum, & applicat ad actua
& actiones humanas.
25 Utraque tam arctam inter se cognationem iniit,
ut neutra possit ab altera commodè separari. Quan-
tumvis enim studiosi Juris theoriæ vulgò dicantur
vacare; postmodùm, ubi manum ultimam imposue-
rint Legum & Canonum studio, primùm ad praxin
admittendi: vix tamen in theoria plenam Jurium no-
titiam haurire poterunt, nisi per varios casus & fa-
cti species, ut vocant, practica docendi methodus
26 adhibeatur. Hinc in oratione quadam perelegan-
ter peroravit noster D. Braun: theoria praxi, pra-
„xis theoriæ fideli connubiô socianda est, ut altera
„alterius spiritu vivat, alterius succô vigeat. Non
„bene videt praxin, qui caret conspicillis theoriæ;
„nec rectè audit theoriam, qui tantùm audit theo-
„riam. Theoria Leges in scholis deglutiet; praxis
„in foro digeret: illa explicabit Jura; hæc applica-
„bit: illa argumentis feriet, hæc securibus: illa
„præibit, hæc sequetur.
27 Quòd si existimes: eundem habitum non rectè
compellari practicum & speculativum. Scire neces-
sum habes, habitum, quatenùs est docens, theori-
cum; &, quatenùs est utens, practicum appellari
posse: id, quod absurdum non esse, patet ex aliis
Facultatibus.
28 Referunt alii divisionem aliam, & Jurisprudentiam
in *historicam*, empiricam, ac rabulariam dispescunt.
Sed degeneres has species legitima non agnoscit
Jurisprudentia. Nam Jurisprudentia *historica* constat
ex sola Legum & Canonum notitia; non intelligit
rationem & sensum, sed textus solummodò recitare
29 novit è memoria. Non itaque Jurisperitos, sed
Leguleios progenerat: quoniam attestante Celso in
L. scire 17. ff. de LL. scire Leges, non est, earum
30 verba tenere, sed vim ac potestatem. Jurispruden-
tia *empirica* non nititur Legibus & Canonibus, sed
praxi duntaxat, usu, experientiâ, observantiâ. Ergo
genuina deprædicari nequit: utpote cùm praxis abs-
que theoria sit cæca; &, ut monet Imperator in *l.
nemo Judex 13. Cod. de Sentent. & interlocut.* non
31 exemplis, sed Legibus judicari debeat. Jurispru-
dentia *rabularia* non est habitus prudentiæ, sed im-
prudentiæ: siquidem Leges, alioquin castissimas,
adulteratur, amicam Legibus simplicitatem perver-
tit, clarissimum veritatis lumen obfuscat, justitiam
efficit venalem, ex eo duntaxat fine & motivo, ut pri-
vatum commodum & proprium marsupium impin-
guescat. Videatur D. Braun *cit. cap. un. §. 2. per tot.*

SECTIO II.

De Jurisprudentia Canonica.

SUMMARIA.

32. & seq. Etymologia Jurisprudentiæ Canonicæ. 34. & seqq. Synonymia. 38. Definitio. 39. & seqq. Dirigit actiones hominum Christianorum. 42. Ad justitiam & felicitatem supernaturalem. 43. Hauritur ex Libris Canonicis. 44. Recensentur illi, qui continentur in Corpore Juris Canonici. 45. & seqq. Adstruitur, & commendatur Decretum Gratiani. 55. Immiscentur illius paleæ. 56. & seq. Explanantur Decretales. 58. & seq. Sextus. 60. & seq. Clementinæ. 62. Extravagantes. 63. & seq. Septimus Decretalium. 65. Proponitur quæstio de authoritate horum librorum. 66. & seqq. Decretales, Sextus, & Clementinæ sunt authentica. 73. & seq. Item Extravagantes. 75. & seq. Non autem Septimus Decretalium. 77. & seqq. Decretum Gratiani ex toto non est authenticum. 80. & seqq. Revocatur ad primævam authoritatem. 88. & seq. Rubricæ sunt authenticæ. 90. & seqq. Inscriptiones nihil probant. 94. Summaria Capitulorum, & 95. Glossæ habent authoritatem probabilem. 96. & seq. Agitur de correctione & derogatione. 101. & seqq. Modus citandi declaratur. 105. Extra Corpus Juris sunt Concilia. 106. Bullarium Magnum. 107. Regulæ Cancellariæ. 108. Decisiones Rotæ Romanæ. 109. & seqq. Canonum Apostolicorum authoritas examinatur.

§. I.

De Natura Jurisprudentiæ Canonicæ.

JUrisprudentia Canonica suum etymon à græco 32
verbo *canon* derivat, & latinè regulam, seu nor-
mam & modum rectè vivendi significat, notante D.
Isidorô in *cap. canon. 1. cap. regula 2. Dist. 3.* Et 33
licèt eôdem nomine salutari possit Jurisprudentia
Civilis, quòd formam in societate civili ritè con-
versandi præscribat; singulari tamen ratione & ex-
cellentiâ titulus iste debetur Jurisprudentiæ Cano-
nicæ: cùm & potestatem multò sanctiorem, & finem
longè Diviniorem, & regendi formam oppidò tu-
tiorem præsupponat.
Vocatur aliàs Jus Canonicum, Jus Sacrum, SS. 34
Canones *cap. Nicæna 12. Dist. 31. cap. nobis 25. de Jure
Patronat. cap. intelleximus 1. de N. O. N. l. omni 6. l.
privilegia 12. in pr. Cod. de SS. Eccles. auth. statui-
mus in pr. Cod. de Episc. & Cleric.* non solùm quia à
persona sacra Canones feruntur; sed etiam quia sa-
cras & sanctas personas efficere conatur. Vocatur 35
quoque *Jus Pontificium*, à suo videlicèt authore,
Summo Pontifice, cujus authoritate Jus Canonicum
ordinatur, disponitur, & promulgatur. Vocatur 36
etiam *Jus Ecclesiasticum*, quia versatur circa res &
personas Ecclesiasticas *cap. Ecclesia 10. de Constitut.*
Vocatur denique Jus Divinum *cap. inter corporalia* 37
*2. de Translat. Ep. cap. qualiter & quando 24. de Ac-
cusat. cap. cùm de diversis 2. de Privileg. in 6.* vel
quia ex SS. Literis, tanquàm Divinæ Veritatis &
Sanctitatis Oceano, SS. Canones, tanquàm flumina,
dimanârunt; vel quia potestate, Divinitùs Ecclesiæ
concessâ, à Christi in terris Vicario statuuntur.
Gonzalez in *apparatu de orig. & proc. Juris Can. n. 29.*
Describi potest, quòd sit habitus practicus & 38
scientificus, dirigens actiones hominum Christiano-
rum ad justitiam & felicitatem supernaturalem.
Dixi I. *dirigens actiones hominum Christianorum.*
Nam quia SS. Canones & Leges Ecclesiasticæ non 39
obligant alios, quàm homines Christianos, per bap-
tismi receptionem Ecclesiasticæ Jurisdictioni subje-
ctos: Jurisprudentia Canonica quoque non dirigit
actiones alias, quàm hominum Christianorum.
Equidèm & Acatholici Christianorum charactere 40
se insignitos esse non inficiantur; Jurisprudentiam
tamen Canonicam in suis terris pro regula directiva
nolunt agnoscere; timentes forsitan, ne laxior &
dissolutior vivendi ratio secundùm fallacia hujus
mundi principia per SS. Canones arctiùs constrin-
gatur. Verùm, sicut in arbitrio subditorum non 41
stat, Summo in terris Capiti & Christi Vicario con-
cessam à DEO potestatem eludere; ita conatu
prorsus irritò Jurisprudentiæ Canonicæ vim dire-
ctivam subterfugere student: quippe cùm SS. Cano-
nes, ab Apostolis per Summos Pontifices ad hæc
usque tempora propagari, nullam ab obligatione
sua patiantur immunitatem, à proprio cerebro vel
contumacia promanantem.

42 Dixi II. *ad justitiam & felicitatem supernaturalem.* Nam idem est finis, idem objectum Jurisprudentiæ Canonicæ, qualis finis & quale objectum est Legis Canonicæ & Potestatis Ecclesiasticæ. Sed finis & objectum tum Legis Canonicæ tum Potestatis Ecclesiasticæ est justitia & felicitas supernaturalis *cap. solitæ 6. de M. & O.* Ergo &c. Gibalinus *Scientia Canon. lib. 5. cap. 1. q. 2. & 3.*

§. II.

Ex quibus Libris intra Corpus Juris Canonici haurienda sit Jurisprudentia Canonica?

43 Jurisprudentia Canonica non ex aliis fontibus est haurienda, quàm ex Libris, in quibus SS. Canones & Leges Ecclesiasticæ continentur.

44 Hi Libri vel continentur in Corpore, ut vocamus, Juris Canonici, vel extra versantur. In Corpore Juris Canonici continentur sequentia volumina: Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX. Sextus Decretalium, Clementinæ, Extravagantes Joannis XXII. Extravagantes Communes, Liber VII. Decretalium.

45 *Decretum Gratiani* est volumen, in quo Gratianus Monachus, Ordinem Divi P. Benedicti in Monasterio S. Felicis Bononiæ Professus, antiquos Canones; decreta Conciliorum, generalium & particularium; constitutiones Summorum Pontificum; Sanctorum Patrum sententias; & Leges Civiles collegit, ac persæpe propriam & privatam opinionem ap-
46 posuit. Hæcque collectio, licèt in tempore postrema, primatum tamen præ aliis & antiquioribus, quas Authores varii, præsertim ex Ordine Benedictino, ut puta Martinus Bracharensis, Isidorus Hispalensis, Burchardus Wormatiensis, Anselmus Lucensis, Archi- & Episcopi congesserunt, merita, in orbe literario servata, in Corpus Juris recepta, in Athenæis exposita, ac præcipuè Bononiæ pro Jure
47 Canonico explicata fuit. Factum hinc, ut Professores Juris Canonici Magistri & Doctores Decretorum sint appellati. Franciscus de Roye *Instit. Jur. Canon. in proœm. pag. 5.*

48 Non equidem me latet, reperiri nonnullos, tum Catholicos, tum Acatholicos, qui cum Carolo Molinæo, quem citat, minimè tamen sectatur Gibalinus *Scientiæ d. Canon. lib. 5. cap. 10. q. un. n. 30.* Decretum Gratiani, ceu fœculentum, centonatum, inconditum, & confusum proscindant, ipsôque Juris Corpore velint expunctum. Nescio tamen, quô zelô, affe-
49 ctu, & meritô. Non damnandos, sed laudandos illorum conatus esse, sanior pars semper existimavit, qui, licèt ad omnium vota sua non confecerint opera, conficere tamen studuerunt. Cæteroquin potiori tituló non compilatores tantùm, sed Augustissimum quoque Pandectarum & Codicis Authorem, Justinianum, censoria Momorum virgula perstringere deberet, quòd multa in Digestis & Codice ratione ordinis, claritatis, & methodi desiderentur, quæ secundas & iteratas curas exigerent.

50 Non deessent frequentiorum perinde ac nobiliorum DD. encomia, quibus Gratiani Decretum extollunt. Sed aliorum cerussâ non indiget, quod seipsum commendat opus, materiæ, quam tractat, utilitate; ordinis, quem servat, concinnitate; Pontifi-
51 cum, quâ resplendet, authoritate. *Utilitas* materiæ tanta est, quanta in cæteris Juris Canonici partibus: utpote cùm tota ferè Juris hujusmodi scientia in De-
52 creto contineatur. *Ordinis* concinnitas ex materiæ partitione relucet: nam in I. Decreti parte per centum & unam Distinctiones de Jure Legali in genere & in specie; de origine, differentia, & requisitis Officiorum & Ministeriorum Ecclesiasticorum; de examine, moribus, ordine, qualitatibus, & impedimentis ordinandorum & promovendorum; de vita, honestate, & obligatione Episcoporum & Clericorum; de illorum ordinatione, promotione, electione &c. agitur: in II. parte per XXXVI. causas ea, quæ pertinent ad judicia, personas judiciales, & controversias, tum inter Ecclesiasticos tum inter Laicos moveri solitas, examinantur; subjunctô & immixtô Causæ XXXIII. tractatu *de Pœnitentia*: in III. parte per V. distinctiones de *Consecratione* personarum & rerum sacrarum, nec non Ecclesiæ Sacramentis operosè tractatur. Pontificum 53
Authoritatem partim Gregorii XIII. epistola, Decreto præfixa; partim aliorum Pontificum repetita Decreti citatio, uti videre licet in *cap. relatum 11. de Testament. cap. nobis 25. de Jure Patronat. cap. continebatur 6. de Desponsat. impub. Clem. un. ✗. consequenter de Jurejurand.* manifestam facit. Quin, 54
tacentibus etiam hominibus, saxum pervetustum, in sacrario Ecclesiæ Monasterii S. Felicis Bononiæ, perhibente sic Emmanuele Gonzalez in *apparatu de orig. & proc. Jur. Can. n. 48.* reconditum, sequentibus versibus elogium Decreti canit:

Hanc habe partem Lector, reverenter adito;
Namque loci Monachus Decretum hic condidit hujus,
Divinum Gratianus opus &c.

In recensito Gratiani Decreto reperiuntur quæ- 55
dam capitula, *palea* dicta, non quòd res leves sint, veluti non nemo putavit (res enim momentosas in paleis subinde tractari, constat vel ex solo *cap. Constantinus 13. Dist. 96.*) sed quòd additiones sint alicujus ex discipulis Gratiani, qui *Palea* nominabatur; aut nomen traxerint à Gratiano, qui Viri cujusdam Eminentissimi scholia, in suum Decretum conscripta, *paleas* esse dicebat, *sed non de suo grano.* Videantur Fagnanus in *cap. Canonum statuta 1. de Constitution. n. 44.* Engel in *proœm. Juris Canon. n. 6.* Wiestner *ibid. n. 92.* Reiffenstuel *ibid. n. 85. & seq.*

Decretales Gregorii IX. Pontificis Maximi sunt 56
volumen, ejusdem Pontificis jussu maximam partem ex Decretalibus epistolis & responsis Summorum Ecclesiæ Antistitum à D. Raymundo de Pennafort, Ord. Prædicatorum, illius Pœnitentiario, Capellano, & antehàc Bononiæ SS. Canonum Professore, confectum; atque in V. libros distributum, in quorum I. de Prælatorum & Ministrorum Ecclesiæ ordinatione, provisione, & potestete; in II. de Judiciis & Processu Judiciario; in III. de Personis, Obligationibus, Rebus, & Juribus Ecclesiasticis; in IV. de Sponsalibus, Matrimonio, & Impedimentis; in V. de Delictis eorumque pœnis agitur.

Dixi: *à D. Raymundo de Pennafort &c.* conformi- 57
ter Bullæ Gregorii IX. ante Decretales positæ; ad confundendum & confutandum heterodoxorum errorem, qui compilatorem alium, Doctorem nempe Parisiensem, inferorum rogo mancipatum, confingunt; de quo plura citatus P. Wiestner *n. 100.*

Sextus Decretalium, authoritate Bonifacii VIII. 58
Pontificis ad imitationem V. Decretalium, rursus in V. Libros, sed pauciores titulos, est divisus, & meris Summorum Pontificum, qui præfuerunt Ecclesiæ à Gregorio IX. usque ad memoratum Bonifacium VIII. nec non utriusque Concilii Lugdunensis constitutionibus instructus, operâ & studiô Guilielmi Archi-Episcopi Ebredunensis, Berengarii Episcopi Bitterrensis, & Richardi de Senis S.R.E. Vice-Cancellarii.

Possem hìc quorundam criminationes, in Boni- 59
facium VIII. calumniosè effusas, extenterare: sed, quia hoc munus egregiè præstitit Reverendiss. Petrus Guetraiher ad Librum VI. Decretalium in *proœmiali apparatu à num. 8.* abstineo; eô solùm elogiô con-

contentus, quòd idem Bonifacius Immunitatis Ecclesiasticæ Vindex acerrimus & intrepidus extiterit.

60 *Clementinæ* nomen à Clemente V. acceperunt, non quia Clementis authoritate sunt publicatæ (publicatæ siquidem sunt post illius obitum a Joanne XXII.) sed quia non alias, quàm illius Clementis, constitutiones, partim ante, partim in & post Concilium Viennense conditas, referunt, ut constat ex præfatione & Bulla ejusdem Joannis XXII. Clementinis præ-
61 missâ. De cætero servatur eadem partitio in Clementinis quoad libros & titulos, quæ in voluminibus antecedentibus, adeò tamen, ut pauciores adhuc tituli, quàm in Sexto reperiantur.

62 *Extravagantes* inde creduntur denominatæ, quòd olim extra Corpus Juris Communis incertô quasi lare vagatæ, successu temporis sedem ac domicilium in eodem Corpore sint adeptæ. Et quidem ab initio ponuntur *Extravagantes Joannis XXII.* Deinde subjunguntur *Extravagantes communes* diversorum Pontificum. Series librorum ac titulorum, esto minores sint numerô, in istis & illis æmulatur seriem Decretalium.

63 *Septimus Decretalium*, à Petro Mathæo JCto Logdunensi eâdem methodô concinnatus, non in antiquioribus, sed recentioribus tantùm exemplaribus, locum in Corpore Juris, non tam authoritate publi-
64 câ, quàm privatâ typographorum, occupat. Alterius septimi meminit Fagnanus in *cap. cum venissent de Judic. n. 61 & 63.* qui Summorum Pontificum decretô jam ultimam manum in compositione & impressione viderat, lucem publicam tamen non aspexit, ob periculum, ne Jurisperiti ad Decreta Concilii Tridentini, huic Septimo inserta, contra inhibitionem Pii IV. commentarios & glossas ederent. P. Plettenberg in *introduct. in Jus Can. cap. 25.*

65 Occurrunt hic dubia non pauca, strictim examinanda. Primum est: utrùm hactenùs enumerati Libri vim decisivam habeant? Seu, quod idem est, utrùm in schola & foro eâdem possint efficaciâ citari, ut & Professores in typis, dictis, ac scriptis, & Judices in causarum decisione morem illis gerere, & assurgere teneantur?

66 Ut certa separemus ab incertis, certum existimo I. Decretalibus Gregorii IX. Sexto Decretalium, & Clementinis vim decisivam quoad omnes constitutiones inesse. Ratio est: quia, ut alicui constitutioni vis insit decisiva, hoc solùm requiritur, ut lata fuerit à Legislatore, qui potest & vult obligationem absolutam tribuere. Sed constitutiones, in prænominatis Voluminibus comprehensæ, latæ sunt à Legislatoribus Apostolicis, qui haud dubiè potuerunt, &, sicuti constat ex Bullis procemialibus, voluerunt obligationem absolutam tribuere. Ergo &c.

67 Neque dicas I. de voluntate Summorum Pontificum quoad universalem obligationem sufficienter non constare: quandoquidem Decretales cum Sexto & Clementinis ad solos Doctores & Scholares, Bononiæ commorantes, ab initio transmissas esse, Bullæ procemiales luculenter perhibent.

68 ℞. enim, hæc authentica Juris volumina Bononiam ea de causa primitus fuisse directa: quia studium Utriusque Juris eâ tempestate nullibi florebat ampliùs, quàm Bononiæ: unde, sicuti Doctores ad alias postmodùm Universitates aliarum Nationum sunt digressi, sic eadem secum Volumina aliis Universitatibus communia fecerunt & publica. Servient huc dicenda in *Lib. I. Tract. I. de Jure Leg. cap. 5. num. 33.*

69 Neque dicas II. epistolas Decretales ab initio non habuisse vim Legis, sed rescripti particularis, quatenùs ad instantiam Judicum aut partium pro casibus particularibus à SS. Pontificibus emanârunt.

℞. siquidem, non attendendum esse tempus, quô Decretales ab initio conditæ, sed quô in unum volumen ea ordinatione Pontificiâ redactæ, pro casibus similibus vim decisivam & absolutam acquisiverunt. Accedit, quòd rescripta Pontificia, quan- 70
do petuntur aut redduntur ad Juris dubii declarationem, ad modum interpretationis authenticæ, Legis Declarativæ virtute polleant per *cap. in causis 19. de Sent. & re judic. cap. ex multa 9. de Voto & voti redempt.*

Neque dicas III. in Decretalibus extare multa 71
capitula, non ex decisione Pontificia, sed ex SS. Patribus aut Conciliis particularibus deprompta v. g. *cap. Canonum 1. cap. translato 3. cap. nam concupiscentiam 4. de Constitut. cap. Ossius 2. de Elect. cap. nullus 2. cap. sanè 3. de Foro compet. cap. ignarus 1. de Lib. oblat. cap. placuit 1. de Testib. cap. ex studiis 3. cap. scribam 9. de Præsumpt. cap. omnis anima 2. de Censib. cap. evidentia 9. de Accusat. cap. omnis 1. cap. estote 2. cum 2. seqq. de R. J.* Nam

℞. capitula post relationem in Corpus Juris non 72
ampliùs considerari juxta primævam authoritatem, sed authoritate Pontificiâ censeri donata. omnia siquidem nostra facimus, quibus nostram impertimur authoritatem *cap. si Apostolicæ 22. de Præbend. in 6. l. DEO authore 1. §. 6. Cod. de V. J. E.*

Certum existimo II. Extravagantibus quoque 73
plenam decidendi vim constare. Nam Extravagantes Joannis XXII. hujus Pontificis mandatô Corpori Juris incorporatas fuisse, cum Vallensi in *procem. Jur. Can. §. 8. n. 10.* testatur P. Wiestner in sua *dissertat. procem. n. 103.* De Extravagantibus com- 74
munibus quidem non habetur compertum, an & cujusnam Pontificis ordinatione Corpori Juris accesserint: quia tamen sunt constitutiones Summorum Pontificum, ac quietam semper in eodem Juris Corpore possessionem continuârunt, nec non in tribunalibus & athenæis pro authenticis fuerunt allegatæ, saltem ex prærogativa tam longævi temporis plenissimum robur acceperunt. P. Engel in *procem. Jur. Canon. n. 20. in f.*

Certum existimo III. Librum Septimum Decre- 75
talium authoritate decisivâ non gaudere. Nam licèt non alias, quàm Summorum Pontificum constitutiones, exhibeat: attamen, cùm à nullo Summorum Pontificum sit approbatus, vel promulgatus, neque, quòd illæ constitutiones pro suis authoribus agnoscant Supremos Ecclesiæ Principes, ex sola compilatoris assertione concludenter probetur: ideò nequit ex se solo velut authenticus æstimari.
Faciet huc itaque, quod Innocentius III. in *cap.* 76
pastoralis 8. de Fide Instrum. ad Heliensem Episcopum rescripsit: *ut, cùm aliqua decretalis, de qua Judex meritò dubitet, allegatur, si eadem Juri Communi sit consona, secundùm eam non metuat judicare: cùm non tam ipsius, quàm Juris Communis authoritate procedere videatur: verùm, si Juri Communi sit dissona, secundùm ipsam non judicet, sed Superiorem consulat super ea.*

Incertum è contrà, multùmque controversum est 77
inter Canonistas: habeátne Decretum Gratiani valorem authenticum? Ubi tamen, omissis aliorum sententiis, Recentiorum opinionem cum Gonzalez in *apparatu nu. 49. & seq.* amplector, & dico, Decretum Gratiani non esse authenticum ex toto: tum quia continet multa SS. PP. testimonia; non paucas Conciliorum particularium constitutiones; aliquot Juris Civilis Leges; non raras quoque & privatas Gratiani sententias; quibus omnibus Legalem spiritum tribuere, Gratianus, velut homo privatus, non potuit: tum quia à nullo Summorum Pontificum 78
Decretum reperitur approbatum, ne quidem à Gregorio XIII. per epistolam, Decreto præmissam, utpote quæ novam illi vim & virtutem non confert,

sed

sed emendationem illius duntaxat, dignitatem, ac
79 utilitatem deprædicat: tum denique quia Decre-
tum authoritate Pontificiâ non fuit inchoatum, aut
consummatum, sicuti Decretales Gregorii IX. pro-
indeque non eandem cum Decretalibus virtutem ha-
bere potest.
80 Decretum itaque revocandum est ad primævam
authoritatem, tantaque vis cuilibet constitutioni
tribuenda, quantam a suis authoribus emutuare po-
tuit. Nempe Conciliorum Generalium & SS. Pon-
tificum ordinationes authoritatem decisivam non
minùs habent, quando citantur ex Decreto, quàm
si ex Decretalibus aut aliis Codicibus allegentur
cap. si Romanorum 1. *Dist.* 19. quo in puncto nemi-
81 nem fortassis erit reperire, qui dissentiat. SS. Pa-
trum sententias æquè authenticas esse, non pauci
cum Panormitano in *cap. ex parte* 2. *de Rescript. n.
ult.* Felino *ibid. n.* 44. Fagnano in *cap. Canonum* 1.
*de Constit. n.*46. contendunt per textus in *cap. de li-
bellis* 1. *Dist.* 20. *cap. sunt quidam* 6. *cap. contra* 7.
82 *cap. omne quod* 8. *cap. prima salus* 9. *XXV. q.* 1. Sed
quia ex una parte SS. Patres Legislativâ potestate
pro universali Ecclesia non fuère prædìti; ex altera
verò parte non rarò in suis placitis extitère discor-
des, veluti constat ex *cap. unius* 1. *cap. acutiùs* 2.
Dist. 26. probabilem duntaxat authoritatem illis assi-
gnamus, & capitula contraria intelligimus de rebus
fidei, in quibus unanimis aut potior SS. PP. sensus
& consensus pro regula suscipitur. Pletenberg in
83 *Introduct. ad Jus Can. cap.* 20. *n.* 3. *&* 4. Concilia par-
ticularia eandem habent prærogativam in Decreto,
quam extra, nec alios obligant, nisi subditos in lo-
84 cis, pro quibus sunt condita. Leges Civiles ex eo,
quòd translatæ sint in decretum, non canonizatæ,
sed, nisi à Pontificibus specialem obtineant approba-
tionem, uti in *cap. inprimis* 7. §. *quod autem & seqq.
circa fin. II. q.* 1. in antiquo vigore sunt relictæ: ea-
que propter non aliter obligant Ecclesias aut per-
sonas Ecclesiasticas, quàm cæteræ Leges Sæcula-
res, de quibus in *tract.* 1. *de Jure Leg. cap.* 7. *à nu.* 47.
85 Privatæ Gratiani sententiæ æquivalent alterius pri-
vati Doctoris opinioni. Et, licèt aliquot ex illis tan-
quàm erroneæ rejiciantur à quibusdam: nescio ta-
men, an bene: siquidem errores tam enormes & pa-
tentes reperire vix licebit, quibus excusandis ratio
vel explicatio non suppetat. Videantur ex nostra
Facultate Juridica Clarissimi DD. Antecessores, &
respectivè Collegæ, Engel in *proœm. decretal. n.* 5.
König *ibid. n.* 4. Ebberth in *Bello Jurid. certam.* 1.
n. 16. *& seqq.* Franciscus Ignatius de Wolleren in
Quæst. Select. Oenipont. q. 1. *num.* 6. *& seqq.* Josephus
Bernardus Gletle *Jurispr. Fund. dissert. proœm. n.* 4.
86 Id porrò dissimulare nequeo, Authores non deess-
se, qui, si textus Decreti sibi contrarios solvere non
possint, respondere non erubescant, ejusmodi tex-
tus à Gratiano perperam in Decretum relatos, aut
87 suis Originalibus non esse consonos. Siquidem ex
Bulla Gregorii XIII. abundè liquet, vetustissimos
Codices undique conquisitos, authores ipsos (quo-
rum testimoniis usus erat Gratianus) perlectos, quæ-
que perperam posita erant, suis locis restituta fuis-
se. Quamobrem memoratus Pontifex jubet, ut,
*quæ emendata & reposita sunt, omnia quàm diligen-
tissimè retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur,
aut imminuatur.*
Alterum dubium est: utrùm rubricæ, inscriptio-
nes, & summaria capitulorum virtute decisivâ pol-
leant?
88 ℞. I. rubricas Decretalium, Sexti, Clementina-
rum, & Extravagantium virtute decisivâ pollere,
si completum & integrum sensum contineant, uti
v. g. est *rubr. Lib. III. Decretal. tit.* 9. *Ne sede va-
cante aliquid innovetur*; & *tit. XII. ut Ecclesiastica
beneficia sine diminutione conferantur*; non item ru-
bricas Decreti. Fagnanus ad *cit. cap. Canonum statu-
ta de Constitut. n.* 42. Ratio est: quia rubricæ prio- 89
res & posteriores eundem recognoscunt Authorem,
quem ipsimet libri. Ergò, sicuti Decretales, Sex-
tus, Clementinæ, & Extravagantes ab Authore Pon-
tifice virtutem decisivam imbiberunt; ita etiam ru-
bricæ: &, sicuti Decretum ab Authore suo vim au-
thenticam haurire non potuit; sic etiam rubricæ.
℞. II. inscriptiones capitulorum simpliciter qui- 90
dem ab aliquibus (quos inter est P. Reiffenstuel in
proœm. Jur. Can. n. 109.) authenticas dici; attamen
ex nostro judicio majorem vim probandi non habere,
quàm inscriptiones rescriptorum Apostolicorum,
de quibus in *tract.* 1. *de Jure Leg. cap.* 8. conclude-
mus, quòd neque probent aliquid, neque probari
debeant, nisi rescribens in illis suam fundaverit in-
tentionem per textum in *Clem. ult. de Sent. excom- 91
municat.* ubi, si Papa aliquem in literis suis cujus-
cunque dignitatis honoret titulô, dignitas tamen
approbata vel probata non creditur. Addatur tex-
tus in *cap. si Papa* 10. *de Privileg. in* 6.
Neque putes: majorem vim inesse rescriptis, in 92
Corpus Juris Communis transumptis, quàm separa-
tim consideratis. Contra siquidem est: quia ma- 93
jor vis non est in materia vel objecto, sed in perso-
nis, & effectu, ut nempe rescripta, quæ cætero-
quin jus tantùm facerent inter personas determina-
tas, amodò jus universale constituant.
℞. III. summaria capitulorum authoritate Legali 94
esse destituta: quandoquidem authoritate publica
nec confecta, nec recepta, sed à potiori Interpre-
tum & Expositorum industriâ sunt concinnata; veluti
conspicere licet apud Canonistarum Principem, Ab-
batem & Cardinalem Panormitanum, qui & suas &
aliorum periochas seu lecturas & summaria in prin-
cipio cujuslibet textûs adstruere consuevit. Idem 95
dicendum est de Glossis, quas neque Legislatores,
neque illorum mandatô alii, sed privati JCti pro
legentium utilitate elucubrârunt.
Tertium dubium est: utrùm & quisnam Liber 96
alteri deroget, quando contrarietas inter textus re-
peritur?
℞. I. unum Librum cum altero, quantum est pos-
sibile, concordandum, nec contrarietatem aut cor-
rectionem esse admittendam *cap. cùm expediat* 29.
de Elect. in 6. præsertim in eadem compilatione; nisi 97
contrarietas & correctio sit manifesta, nullòve distin-
ctionis aut concilationis mediô excusanda; cujus-
modi reputatur illa in *cap. exigit* 2. *& cap. felicis* 3. *de
Censib. in* 6. Quamquàm enim textus unus alterô 98
posterior sit, quando spectamus originem; omnes
nihilominùs coævi censentur & coætanei, quando
spectatur tempus compositionis & promulgationis:
ut adeò præsumi non debeat, Legislatorem unô
eôdemque tempore contraria vel contradictoria sibi
locutum fuisse, nisi contrarietas aut contradictio
manibus quasi palpetur.
℞. II. in diversis voluminibus pro regula servari, 99
quòd posterius & novius anteriori & antiquiori,
nempe Clementinæ Sexto, & Sextus Decretalibus de-
rogent *cap. licèt Romanus* 1. *de Constitut. in* 6. *l. ult. ff.
de Constitut. Princip.* Exceptionem tamen in Extrava- 100
gantibus communibus fieri, quæ, cùm nullius Pon-
tificis authoritate in unum volumen compilatæ sciun-
tur, non æstimantur ex loco, quem occupant in
Corpore Juris, sed ex tempore, quô datæ sunt, ve-
luti graviter expendit Jurisperitissimus P. Engel ad
tit. de Præbend. & dignitat. n. 52. & post ipsum adver-
tit Clariss. P. Wiestner in *dissertat. proœm. n.* 103.
Quartum dubium, imò certæ resolutionis quæ- 101
situm est, quomodò textus ex memoratis hucusque
Libris allegari possint, & debeant?

℞. I.

℟. I. in Decreto Gratiani capitula sic citari, In I. parte *cap. cùm ad verum* 6. *Dist.* 96. in II. parte *cap. si quis suadente* 29. *caus.* 17. *q.* 4. vel (quod mihi familiarius & gratius est) *cap. si quis suadente* 29. *XVII. q.* 4. in III. parte *cap. cogitationis* 14. *de Pœnit. dist.* 1. in IV. parte *cap. vasa* 44. *de Consecrat. dist.* 1.

102 Dixi: *capitula* sic citari. Alii namque Decreti textus appellant Canones, ex eo fortassis, quòd ipsemet Gratianus idem decretum *concordiam discordantium Canonum* appellaverit. Sed, quemadmodùm textus ex aliis Libris vocantur capitula, quia non referunt totam constitutionem sed partem duntaxat, quæ ad rem facere videbatur: ita textus Decreti, quia primordialem constitutionem non exhibent integram, capitula non immeritò vocantur.

103 ℟. II. in Decretalibus allegari capitulum & titulum, sub quo reperitur; additô subinde X. quod idem sonat, ac *extra*; ad denotandam scilicèt distinctionem à Sexto Decretalium, in quo solet allegari capitulum & titulus in 6. e. g. *cap. alma mater* 24. *de Sent. excommunicat. in* 6.

104 ℟. III. in Clementinis citari Clementinam cum titulo v. g. *Clement. Romani* 2. *de Elect.* in Extravag. Joannis XXII. Extravagantem cum titulo v. g. *Extravag. un Joannis XXII. de Voto & Voti redempt.* in Extravag. communib. superaddi: *inter communes*: v. g. *Extravag. ambitiosæ de rebus Ecclesiæ non alienand. inter commun.*

§. III.

Ex quibus Libris extra Corpus Juris Canonici hauriendâ sit Jurisprudentia Canonica?

105 Libri extra Corpus Juris Canonici sunt multiplices. I. enim sunt *Concilia Generalia*, & inter hæc maximè notum & novum Concilium Tridentinum, de cujus & aliorum authoritate sermo redi-
106 bit in sæpe *cit. tr. de Jure Legali cap.* 5. II. *Bullarium Magnum*, in quo extant diversæ Summorum Pontificum constitutiones, pro re nata editæ. Sed quia non constat, quòd liber hic authoritate Sedis Apostolicæ fuerit impressus; favorem & effectum Legis tunc solùm participabit, quando de constitutionum legitima ordinatione, promulgatione, aut usu constabit; prout supra in *num.* 75. *& seq.* de Septimo Decretalium est conclusum. Engel in *proœm. Jur. Can. n.* 8. Wiestner *n.* 114. Plettenberg in *Introduct. in Jus Can. cap.* 19. *n.* 2.

107 III. *Regulæ Cancellariæ Apostolicæ*, de beneficiis Ecclesiasticis, eorumque reservationibus, uti & dispensationibus ac indulgentiis tractantes; quæ, cùm ad vitam singulorum Pontificum restringantur, atque à successoribus rursus innoventur & augeantur, haud dubiè vim Legis obtinent, Sede Pontificiâ non vacante, veluti liqoet ex earum proœmio. Chokier ad idem *proœm. n.* 8. *&* 10. Engel *cit. l. n.* 24. Gonzalez in *apparatu n.* 57. Wiestner *ubi supra n.* 116. *& seq.*

108 IV. *Decisiones S. Rotæ Romanæ*, seu Summi & Apostolici Tribunalis, quarum uniformis & sæpe repetita sententia Romæ stylum curiæ, praxin, & jus format per *cap. in causis* 19. *de Sent. & re judic.* De cætero, si, ut frequenter accidit, in una eademque causa decisiones afferantur contrariæ, sua cuilibet probabilitas & authoritas rei judicatæ respectu personarum litigantium servabitur. Fagnanus ad *cap. cùm venissent* 12. *de Judic. nu.* 32. Engel *ubi supra n.* 12. Gonzalez *n.* 57. *in fin.*

109 Quæres: an Canones Apostolorum, qui extant in utroque Juris Corpore, Canonico & Civili, sint canonici & authentici?

℟. affirmativè. Ita Covarruv. *Var. Resolut. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 6. Barbosa ad *cap. canones* 1. *Dist.* 16. Gonzalez in *appar. num.* 41. Schambogen in *proœm. Jur. Can. num.* 15. Textus luculentus est in *cap. pla-* 110
cuit 4. *cit. Dist.* 16. ibi: *placuit huic Sanctæ Synodo, ut amodò confirmata & rata sint Canonum Apostolorum* 85. *capitula.* Textus similis in *cap. quoniam* 7.
eâd. Ratio est: quia præfati Canones nihil aliud 111
sunt, quam constitutiones, ab Apostolis post excessum Christi Domini rogatæ, atque à Clemente Papa græcô idiomate conscriptæ, quas postmodùm noster Dionysius, cognomentô Exiguus, tempore Justini Imperatoris in latinum transtulit; sicuti perhibent eum Baronio ad Annum Christi 102. §. *rursum verò* Gonzalez *cit. n.* 41. Wiestner in *cit. dissert. proœm. n.* 81. & Canonistæ communiter. Ergo vis
canonica & authentica desiderari nequit. Confir- 112
matur ex P. Gibalino *Scientiæ Canon. lib.* 5. *cap.* 10. *q. un. num.* 3. quia, ut ipse demonstrat, hi Canones jam ante Concilium Nicænum compositi, & in eodem Concilio relati & approbati fuerunt.

Nec obest I. quòd in *cap. sancta* 3. *Dist.* 15. Apo- 113
stolici Canones inter apocryphos numerentur.
Nam textus hic explicari debet ex *cap. canones* 1. 114
Dist. 16. de adulterino quodam Canonum Apostolicorum volumine, ab hæreticis Priscillianistis confictô.

Nec obest II. quòd incertum videatur, quot nu- 115
merò sint Canones Apostolorum, dum in *cap. sexaginta* 2. *eâd. Dist.* sexaginta; in *cap. Clementis* 3. *ibid.* quinquaginta; in *cap. placuit* 4. octoginta quinque; & in ipsis Canonibus tantùm octoginta quatuor enu-
meraatur. Enim verò diversitas in numero non 116
facit diversitatem in substantia: quandoquidem, referente Gonzalez *cit. l. num.* 43. primæ Canonum collectiones in ordine & numero non erant conformes, sed unus persæpe canon duas trésve sententias referebat; & sic quandoque 50. quandoque 60.
vel plures recensebantur. Quòd autem 84. dun- 117
taxat in Corpore Juris Canonici ponantur, nihil interest: ultimus enim in duos commodè secari potest; ut credibile videatur, jam olim hanc sectionem in usu fuisse.

Nec obest III. quòd aliqui Canones doctrinam 118
prorsus absonam & hæreticam fovere dicantur; in specie *Canon* 46. ubi baptismus, ab hæreticis collatus, supponitur esse irritus: *Canon* 65. ubi jejunium die Dominica & Sabbato prohibetur: *Canon* 67. ubi irritatur ordinatio, ab Episcopo hæretico facta: *Canon ult.* ubi inter libros Canonicos Apocalypsis sancti Joannis Apostoli non computatur; computantur è contrà duæ Clementis Pontificis Epistolæ, quæ
multis in locis proclamantur vitiatæ. Quantumvis 119
enim à quibusdam recitati Canones ad apocryphos rejiciantur; commodam tamen expositionem non refugiunt. Nam *Canon* 46. *&* 47. dum baptismum, vel ordinem, ab hæreticis collatum, irritum & reiterandum asserunt, supponunt, formam & institutionem Christi non fuisse fervatam; quem in modum etiam textus Decreti & Decretalium in *cap. Daibertum* 24. *cap. per illicitam* 25. *I. q.* 7. *cap. nos consecrationem cum seqq. IX. q.* 1. *cap. quod à prædecessore* 1. *de Schismatic.* exponi debent. *Canon* 120
65. prohibens jejunium in die Dominica & Sabbato conditus est tum propter Judæos, ne Sabbatum per jejunium contemni putent, & hôc modò à fide Christiana absterreantur; tum propter hæreticos, qui diem Dominicam in jejunio & planctu, ad invidiam Catholicorum, transigi volebant. Layman *Theol. Moral. lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 2. *&* 9. Nempe pro temporum & circumstantiarum mutatione; quæ in se bona & laudabilia sunt, vetari
possunt. *Canon ultimus* non excludit ex libris Ca- 121
nonicis Apocalypsin S. Joannis, sed tantùm dissimulat; Constitutiones quoque vel epistolæ Clemen-

 tis

tis potuerunt tunc temporis esse genuinæ & incorruptæ, quando Canones sunt confacti: ideóque non tantùm probari debet, quòd amodò vitiatæ reperiantur, sed etiam quòd ab initio vitiosæ fuerint.

SECTIO III.

De Jurisprudentia Civili.

SUMMARIA.

122 *Etymologia Jurisprudentiæ Civilis.* 123. *& seq. Synonymia.* 125. *Definitio.* 126. *Afficit quaslibet homines.* 127. *Intendit justitiam & beatitudinem civilem.* 128. *Describitur Jurisprudentia publica.* 129. *Describitur privata.* 130. *Illius præeminentia.* 131. *& seqq. Nec non publica expositio monstratur.* 135. *Jurisprudentia publica petenda ex libris.* 136. *& seqq. Refertur, & declaratur Aurea Bulla.* 140. *& seqq. Adducitur & dilucidatur Pax Imperii publica-profana.* 143. *Ordinatio Cameræ tangitur.* 144. *& seqq. Pax Religiosa proponitur.* 147. *Pax Westphalica adstruitur.* 148. *& seqq. Utriusque encomium.* 151. *& seqq. Capitulatio Cæsarea delibatur.* 156. *Recessus Imperii notantur.* 158. *Hi libri universim sunt authentici.* 158. *& seqq. Jus Naturale & Gentium confert ad scientiam Juris publici.* 161. *& seqq. Jurisprudentia Canonica servit ad publicam.* 165. *& seq. Jus privatum ancillatur publico.* 167. *& seqq. Jurisprudentia publica illustratur ab historia.* 170. *& seq. Cautela pro studiosis Juris publici.* 172. *Ex libris Juris privati sunt Institutiones.* 173. *Pandecta.* 174. *Codex.* 175. *Novella.* 176. *& seqq. Libri feudorum.* 179. *& seqq. Omnes hi libri decisivam habent authoritatem.* 182. *Etiam feudales, quoad capitula ordinaria.* 183. *Non autem quoad extraordinaria.* 184. *& seq. Authentica Friderici, non item Irnerii, sunt authentica.* 186. *& seq. Inscriptiones, rubrica, & summaria habent eam vim, quam alia in libris Canonicis.* 188. *Antinomia in Jure Civili non est admittenda.* 189. 50. *Decisiones Justinianea excipiuntur.* 190. *Illarum notitia subjicitur.* 191. *& seq. Codex derogat pandectis.* 143. *& seq. Instituta derogant pandectis, quatenùs sunt compendium pandectarum.* 195. *& seq. In materia spirituali Jus Canonicum præfertur Civili.* 197. *In materia adiaphora unum cum altero combinandum.* 198. *Aut quodlibet in suo foro servandum est.* 199. *& seq. Modus citandi in Jure Civili.*

§. I.

Quid & quotuplex sit Jurisprudentia Civilis?

122 Jurisprudentia Civilis ab Imperatore in §. *jus autem* 1. *Instit. de J. N. G. & C.* derivatur à Civitate: quasi nempe Jus Civile sit idem, ac Jus cuilibet civitati vel communitati humanæ proprium. Schambogen ad *cit. tit. Inst. q.* 8.

123 Appellatur interdum Jus Civile vel Jus Romanum, quatenùs à Romanorum Imperatoribus, aut à Populo Senatúque Romano constitutum, apud Romanos vel maximè servabatur, valuti patebit legenti historiam Juris Romani in *l. necessarium* 2. *ff. de O. J.*

124 Dicitur etiam Jurisprudentia Legalis, quia Legibus explicandis insudat; dicitur perinde Jurisprudentia profana: quia non cum sacris sed profanis negotiis agendum habet.

Definiri potest, quòd sit habitus scientificus & 125
practicus, dirigens actiones hominum ad Justitiam & beatitudinem civilem.

Dixi I. *actiones hominum.* Ubi cernitur una diffe- 126
rentia inter Jurisprudentiam Canonicam & Civilem, quòd illa dirigat actiones Christianorum & fidelium; hæc actiones quorumlibet hominum, etiam infidelium, in territorio Principis Sæcularis existentium, regulet & ordinet ad suum finem.

Dixi II. ad *justitiam & beatitudinem civilem* seu 127
temporalem. Ubi cernitur altera differentia Jurisprudantiæ Canonicæ & Civilis: ista siquidem attendit ad solam beatitudinem temporalem, quæ consistit in externa pace, concordia, & tranquillitate civium, divitiis, honoribus, muneribus &c.

Dividitur Jurisprudentia Civilis ad exemplum 128
Imperatoris in §. *ult. Instit. de J. & J.* in publicam & privatam. *Publica* est, *quæ ad statum rei Romanæ spectat*, ut loquitur citatus Imperator; seu, quæ versatur circa constitutiones, statum Reipublicæ concernentes, definitque, quid in ordine ad illum justum injustumque sit; quidve juris ipsi Reipublicæ quà tali vel ejus partibus quà talibus competat; uti differit Prænob. & Clariss. D. Collega de Wolleren in *Quæstionib. Oenipont. q.* 2. *n.* 5. & Vitriarius
Instit. Jur. Publ. lib. 1. *tit.* 1. *in pr. & num.* 1. *Pri-* 129
vata est, quæ spectat privatam singulorum utilitatem, seu quæ hominum privatorum commodum immediatè respicit. Itaque Jurisprudentia publica non differt à privata ex causa efficiente seu potestate Legislativa, quæ utrinque est Majestas Imperialis; sed à fine proximo, utilitate scilicèt & felicitate, quæ respectu Jurisprudentiæ publicæ est publica, respectu Jurisprudentiæ privatæ privata. Clariss. D. de Wolleren *cit. l. n.* 7.

Nihilominùs Jurisprudentia publica tantô super 130
privatam eminat gradu, quantò Imperialia palatia domos privatas excedunt, ut bellè scribit laudatus D. Collega *num.* 1. considerat enim Summa totius Orbis capita; examinat eorum jura & regalia; disquirit formam & normam regiminis; & cuncta, quæ conducunt ad Imperii salutem, ad justitiæ stateram appendit.

Disputator equidem, liceátne Jurisprudentiam 131
publicam in Academiis docere? Quasi scilicèt non expediat nos de potestate Supremi Principis altercari, aut, quæ in aulis secretò tractantur, in scholis curiosè inquirere, vel in controversiam vocare.
Verùm quis nescit, Imperatorum & aliorum Impe- 132
rii Procerum maturô consiliô Juris publici cathedras in Academiis erectas esse, hunc ipsum in finem, ut Jurisprudentia publica publicè doceatur?
Nec enim de statu publico multa cum fundamento 133
different, qui Magnatum agunt Consiliarios in aulis, nisi status publici rationem & principia cognoverint in athenæis. Oportet siquidem priùs nos agere discipulos, & ex ore Magistri percipere scientiam, quàm alios instruere vel illustrare velimus.
Qua in re nulla est curiositas, nullum imminet aulia 134
periculum: quippe cùm arcana Principum consilia non examinentur, aut, quæ certò noscuntur Jure statuta, vocentur in dubium, sed generalia potiùs Reipublicæ, Capitis, & membrorum jura ex Legibus communibus & publicis per interpretationem doctrinalem exponantur. Clariss. D. Hermes *p. m. in fascic. Jur. publ. cap.* 1. *à num.* 31. Clariss. D. de Wolleren *cit. l. num.* 13. *& seqq.* Hornius *Juris publici cap.* 1. §. 29. Henricus Coccejus *Juris publ. cap.* 1. §. 2.

§. II.

Quibusnam ex Libris petenda sit Jurisprudentia Civilis publica?

135 Jurisprudentia Civilis publica ex illis libris, in
quibus exhibentur constitutiones & Leges publicæ,
repetenda est.
136 Primus & princeps ejusmodi Librorum est *Aurea
Bulla*, ab aureo sigillo, quod appensum gerit, sic
appellata; quam Romanorum Imperator Carolus
IV. partim Norimbergæ usque ad caput 24. exclusi-
vè, partim Metis à capite 24. usque ad finem An-
no Christi 1356. promulgavit. D. Hermes *cit. cap.
1. nu.* 15. *& seqq.* D. Collega de Wolleren *cit. q.* 2.
num. 5. *&* 6. Vitriarius *Inst. Jur. publ. lib.* 1. *tit.* 2.
137 *num.* 12. Agitur in ea de electione & coronatione
Imperatoris; de Vicariis & Electoribus Imperii; de
pace publica & crimine læsæ Majestatis: hæc enim
capita sub illud tempus, cùm necdum ex toto fuis-
sent decisa, multorum dissidiorum causam dedè-
138 re. Hornius *Juris publ. cap.* 7. §. 5. Conscripta
fuit primitus idiomate latinô, pro more illius sæ-
culi, posteáque incertum quô authore, in germa-
nicum versa: ut proinde, si quædam emergat con-
troversia, non ad versionem germanicam, sed ori-
ginale latinum recurri debeat. Vitriarius *ubi supra*
139 *tit.* 2. *sub num.* 13. Pfeffinger *in not. ibid. lit. r.* Au-
tographum unum Moguntiæ in Electoris Cancel-
laria; alterum Francofurti ad Mœnum in curia,
quam vocant *den Römer*; tertium Romæ, seu, ut
alii volunt, Heidelbergæ servari, testes sunt Mayer
in *tract. de Jure stat. Imp. Legislat. cap.* 5. *num.* 64.
Vitriarius *cit. l. num.* 13. Sweder in *introduct. ad
Jus publ. part. general. cap.* 2. *n.* 7.
140 II. est *Pax Imperii Publica*-profana, contra vim
privatam vulgò *das Faust-und Kolben-Recht*, & im-
probos pacis turbatores, à Maximiliano I. in Co-
mitiis Wormatiensibus Anno 1495. stabilita, & pau-
lò pòst in Comitiis Augustanis Anno 1500. confir-
141 mata. Eò enim multorum insania tunc excreverat
in Germania, ut Authoritatem Imperatoris parum
reverentes, ortô inter se jurgiô, non judiciô con-
tendere, sed denuntiatione hostili, armatâ manu, ra-
pinis & ruinis litem dirimere maluerint; sicque tunc
idem jus & vis denotabant, ac robora qui prior, ju-
142 re potior erat. Huic igitur petulantiæ repagulum
obducturus Imperator, à sapientia & justitia non sa-
tis laudandus, constitutionem Pacis publicæ-pro-
fanæ condidit, ac sub pœna banni seu proscriptio-
nis Imperialis prohibuit, ne quis alteri bellum de-
nuntiet, eum spoliet, capiat, obsideat, aut posses-
sione suâ armatâ manu factôque violentô dejiciat;
ne unus alterius subditos abstrahat, vel contra Do-
minum concitet, vel profugos ob delicta foveat;
ne locus ulterior sit diffidationi; ne pacifragis ope
vel consiliô quis assistat &c. Hornius *Juris publ.
cap.* 8. §. 5. Clariss. D. de Wollerenio *Quæst. Oeni-
pont. q.* 6. *n.* 9. *& a. seqq.*
143 III. est *Ordinatio Cameræ & Judicii Imperialis
Aulici*, ubi, proscriptâ jam violentiâ & vindictâ pri-
vatâ, non tantùm Suprema Imperii Dicasteria, Ca-
mera scilicèt Spirensis (nunc Wezlariensis) & Judi-
cium Imperiale Aulicum Viennæ in Austria sunt or-
dinata, verùm etiam certæ Leges, secundùm quas
ordo judiciarius est conformandus, præscriptæ. D.
de Wolleren *cit. q.* 6. *n.* 12. Ernestus Gockelius de
Jurisdict. suprema §. 2. *&* 4.
144 IV. est *Pax Religiosa*. Impulsiva hujus causa est
ferale illud Religionis dissidium, quod Lutherus,
non Divinis auspiciis (uti quidam jactabundè cre-
pant) sed infelicissimis plane avibus in perniciem
Imperii Romani excitavit. Totis quippe provin- 145
ciis, à Catholica fide deficientibus, eas in angustias
compulsus erat gloriosissimus Imperator Carolus
V. ut, licèt omni annisu Novatoribus acerrimè se
opposuerit, Edictum Wormatiense (contra quod
Acatholici protestandô, nomen *Protestantium* tra-
xerunt) promulgaverit, bella in Smalkaldicos con-
fœderatos moverit; nihilominùs, cogente tempo- 146
rum acerbiorum fatô, primò transactionem Passa-
viensem, ac in ea securitatem Protestantium Anno
1552. usque ad Concilium Generale Tridentinum
admittere; dehinc in Comitiis Augustanis de Anno
1555. confirmare & ratihabere debuerit. Videatur
Perillustris D. B. ab Andleren *Jurisprudent. quà publ.
quà priv. lib.* 1. *tit.* 1. *part.* 2. ubi ex ipsis Imperii Re-
cessibus historiam mutatæ Religionis, sine figmen-
tis, succinctè adornat.
V. est *Pax Osnabruggo-Monasteriensis*, aliàs West- 147
phalica, quâ Pax Religiosa partim roborata, partim
in favorem Acatholicorum aucta, plurimas in Im-
perio novitates introduxit, velut Pacis Articulos in-
spicienti primâ fronte patebit. Historiam Pacis
hujus, eruditè scriptam, si legere placeat, illam
exhibet Adam Adami in *sua relatione historica Pa-
cificat.*
Utriusque Pacis conclusionem miris encomiis 148
Andreas Burgoldiensis. sive (ut verô eum nomine
compellat Clariss. D. Gierle *p. m. in Select. Juris publ.
cap.* 1. *num.* 22.) Andreas Oldenburger cum allectis
exornat. Sed unicô ferè verbulô, quasi nuce totam
laudum iliadem claudit *cit.* Gierle in *Jurisprud. fun-
dam. dissert præamb.* §. 3. n. 7. dicendô: fuisse illam,
ac hodiedum esse malum necessarium. Nimirum 149
animorum & regionum vinculum est una Religio:
hæc, si fatali discordiâ scindatur in partes, Regna
& Imperia protinus in rimas & ruinas facescunt.
Quod ipsum in Recessu Imp. de Anno 1548. §. 3. 150
luce clariùs edocetur; ibi: *in Ansehung, dass sol-
cher Zweyspalt der Religion ein gewisse Wurtzel
und Haupt-Ursach ist alles Ubels, Unfahls, und
Unglücks teutscher Nation &c. &c.* La. è D. ab
Andlern *cit. l.* 1. *tit.* 1. *p.* 2. *n.* 3. *&* 20.
VI. sunt *Capitulationes Cæsareæ*, seu conventio- 151
nes & pactiones solennes, quibus Neo-electi Reges
aut Imperatores Romano-Germanici caveot & pro-
mittont, se in gubernatione Imperii certum modum
& formam, in propositis articulis expressam, obser-
vaturos, ad Imperii & libertatis Germanicæ bo-
num. Clariss. D. de Wolleren in *Quæst. Salisburg.
quæst.* 2. *n.* 10. D. Gierle *in cit. Select. cap.* 2. *n.* a.
Initium Capitulationis quale fuerit & quando? 152
Non eadem Publicistis insedit opinio; potioribus
cum Limnæo in *prolegom. Capitulat. sect* 3. *n.* 15. Coc-
ceio *Jurisprud. publ. cap.* 8. §. 8. Brunnemano *Juris
publ. cap.* 2. §. 6. Hermes in *fascic. Jur. publ. cap.* 9.
n. 5. idem Capitulationi, quod Imperio Romano,
principium statuentibus. Verùm, licèt huic placi- 153
to libenter in eo sensu deferam, quòd Imperato-
res Germani nonquam liberam agendi regendique
facultatem, sed moderatis conditionibus limitatam,
habuerint, relictâ semper aliquâ libertate & potesta-
te penes Imperium: si tamen in alio sensu de Capi- 154
tulatione, quatenùs juxta modernum stylum à so-
lis Electoribus Imperatori præscribitur, differa-
mus, ante tempora Caroli V. nec monumenta nec
alia documenta quidpiam de simili Capitulatione
enuntiabunt. Quare prima hodiernæ Capitulatio- 155
nis origo revocatur ad annum 1520. quô, cùm
Electores timuissent, ne sub Carolo V. Principe in
veritate potentissimo vires amittat libertas Ger-
manica, de certis quibusdam limitibus, ad mode-
randam Imperii gubernationem, per speciale pa-
ctum præstituendis, animum adjecêre; quam in
rem

rem eò liberaliùs concessit Carolus, quò duriorem
ipsi conditionem, in casu recusationis, facere po-
tuisset ejus in Electione competitor Galliæ Rex Fran-
ciscus I. D. Gletle *cit. cap. 2. num. 5.* D. de Wolle-
ren *cit. q. 2. à num. 53.* Mayer de *statu Imperii Legis-
lat. cap. 5. num. 65.* Vitriar. *Inst. Jur. publ. lib. 1. tit.
7.* § 1. Hornius *Juris publ. cap. 11.* § 4.
156 VII. sunt *Recessus Imperii*, à recedendo sic dicti,
non ut ab illis recedatur per neglectum, sed quòd,
solutis jam Comitiis, quando Status ab invicem re-
cedunt, conscribantur. Sunt enim constitutiones
illæ, quas Imperator, cum Statibus Imperii con-
gregatis in Comitiis, ordinat, & ordinatas atque in
scripturam redactas in fine promulgat.
157 Ambiges adhuc I. num omnes hi libri, velut le-
gales & authentici, possint allegari?
℞. indubitanter affirmativè. Ratio est: quia pu-
blicati sunt illorum jussu & consensu, qui Majestate
& potestate Legislativâ fulgebant.
158 Ambiges II. num Juris Naturalis & Gentium no-
titia quidpiam conferat ad scientiam Juris publici?
℞. conferre plurimum. Ratio est: tum quia Jus
Gentium & Naturæ circa talia versatur objecta, quæ
non tantùm privatas & humiles afficiunt animas; sed
etiam Suprema, nulliusque potestati subjecta capita,
constringunt: tum quia, quæ Jure Naturali sunt
159 ordinata, manent immota & immutabilia; quæ verò
sancita reperiuntur communi Gentium arbitriô,
unius vel alterius Principis aut populi voluntati non
subjacent; proindeque Jus publicum à Jure Natu-
160 rali & Gentium deflectere nequit: tum quia, si Ju-
re publicô quædam non definita, vel inter Princi-
pes Summos aut Respublicas liberas sint controver-
sa, non aliô quàm Naturæ vel Gentium Jure dirimi
possunt. Ita novissimè monstravit Clariss. D. Ru-
dolphi in *Quæst. select. ex Jure publ. quæst. 3.*
161 Ambiges III. num Jurisprudentia Canonica ser-
viat ad publicam?
℞. cum D. Hermes in *fascic. Jur. publ. cap. 1. n. 9.*
D. Rudolphi *cit. l. q. 1. pag. 5.* & senioribus Publi-
162 cistis quòd sic. Ratio est: quia de personis, rebus,
& juribus Ecclesiasticis aut sacris tractare, in omni
Republica Christiana spectat ad solam Jurispruden-
163 tiam Canonicam. Adhæc Corpus Imperii Romani
mixtum est ex personis Ecclesiasticis & Sæculari-
bus; consequenter opus est notitiâ Juris Canonici,
164 si Corpus Imperii quis noscere velit. Accedit,
quòd Acatholici Publicistæ de Summo Pontifice,
Prælatis, & aliis Personis Ecclesiasticis multa com-
miniscantur, quæ non aliunde, quàm ex SS. Cano-
nibus deprehendi, vel enervari possunt.
165 Ambiges IV. num Jurisprudentia Civilis privata
publicam adjuvet?
℞. vel maximè. Ratio est: quia, tametsi moder-
no Romani Imperii statui non adeò quadrent, quæ
Jure Justinianeô dictantur; facem nihilominus præ-
ferunt, & regulam firmant in iis, quæ Jure publicô
166 necdum immutata vel declarata sunt. Quin etiam,
si Status Imperii litem inter se habeant, decisio
plerumque petitur aut roboratur ex Legibus Roma-
nis, non solùm quando privata, sed etiam quando
publica movetur causa, in qua modus procedendi,
media prosequendi vel agendi in judicio, nec non
prærogativæ possessionis &c. ex Jure Civili depen-
dent. Samuel Stryck in *discursu prælimin. ad usum
mod. pandect.* §. 39. & 2. *seqq.*
167 Ambiges V. num Historia Jurisprudentiam pû-
blicam illustret?
℞. Jurisprudentiam publicam ab historia seu re-
rum ante nos gestarum notitiâ mirum in modum il-
lustrari. Ex eo siquidem, quod antehàc factum aut
observatum erat, optima sumitur regula de iis,
168 quæ deinceps agenda vel observanda sunt. Pro
cujus ulteriori dilucidatione juverit, solam inspice-
re Bullam Auream, ceu Legem Imperii Romani
fundamentalem, quæ tota quanta se fundat in usu,
observantia, & consuetudine antiqua *in dem alten* 169
Herkommen, ut patet statim ex *cap. 1.* ibi: *juxta
antiquam laudabilem consuetudinem*; item ex *cap. 2.*
§. 8. ibi: *& quia de antiqua, approbata, & laudabili
consuetudine tam inconvulsè quam immutabiliter,
quod subscribitur, semper extitit hactenùs observa-
tum, ideóque & nos constituimus &c.* item in *cap. 4.*
§. 2. & 4. *cap. 5.* §. *ult.* Quæ sanè observantiæ vel
mores antiqui non aliunde quàm ex libris historicis
securiùs addiscuntur.
Cautos tamen Jurisprudentiæ publicæ studiosos 170
esse velim in legendis heterodoxorum libris Publi-
cis, Historiam Ecclesiasticam quomodòlibet tan-
gentibus: sunt enim illorum documenta plerumque
domestica vel depravata, præsertim contra Roma-
nos Pontifices, quos, cum nolint habere Judices &
Superiores in causis morum & fidei, quâvis occasio-
ne venenatis dentibus & calamis mordere & perstrin-
gere non erubescunt. Notavit hinc D. Gletle in 171
Select. Jur. publ. si Religio Catholica in terris Impe-
rii aliquando prædominari rursum incipiat, omnes
ferè libros, illustrando Juri publico ab Acatholicis
conscriptos, sub censuram vocandos, ac vel omni-
nò proscribendos, vel ita expurgandos esse, ut ve-
stigia veneni detegantur.

§. III.

*Quibusnam ex Libris addiscenda sit Jurisprudentia
Civilis privata?*

Jurisprudentia Civilis privata ex libris, in Corpo- 172
re Juris Civilis suô ordine positis, est addiscenda. Ex
his primum locum occupant *Instituta* seu Institutio-
nes, quæ quidem post Digesta & Codicem, velut
compendium & epitome totius legitimæ scientiæ,
sunt composita, sed paulò ante promulgata, nempe
mense Novembri Anno 533. Legatur *proœm. Instit.*
Secundum locum tenent *Pandectæ* seu *Digesta*, 173
quæ jussu Imperatoris Justiniani ex vastissimis vete-
rum JCtorum voluminibus in certum ordinem reda-
cta, & Anno 533. mense Decembri sunt publicata.
Videatur ejusdem Justiniani constitutio de *concept.
& confirmat. Digestor.*
Tertium locum possidet *Codex.* Hunc laudatus 174
Imperator jam Anno 527. ex præexistentibus Codi-
cibus Gregorii, Heromogenis, & Theodosii con-
cinnari, & à suo nomine Justinianeum appellari;
mox tamen Anno 534. rursus emendari, immutari,
ac sub nomine repetitæ prælectionis usui publico
evulgari voluit. Inspiciatur ejusdem constitutio de
novo Cod. faciendo & confirm.
Quartum locum vendicant sibi *Novellæ* seu no- 175
vissimæ constitutiones sæpe deprædicati Imperato-
ris Justiniani, quas, absolutis jam aliis Juris volu-
minibus, pro re nata potissimùm idiomate Græcô
(quod proinde majoris est roboris quàm latinum,
quô JCti quidam Novellas donârunt) edidit. Con-
feratur *constitut. de Emendat. Cod.* §. 2.
In quinto loco collocantur Libri *Feudorum*, aliàs 176
consuetudines feudales dicti. Hos Gerardus Niger
& Obertus de Orto Consules Mediolanenses, Viri
insignes & sapientes, ut constat ex *tit. 25. & 51. Feud.
2.* composuerunt. Referuntur in illis mores & ob- 177
servantiæ, quæ apud Longobardos circa prædia, à
militibus in præmium virtutis bellicæ sub certis con-
ditionibus accepta, invaluerunt. Adjunguntur quo- 178
que constitutiones aliquot Imperatorum, Lotharii,
Conradi, & Friderici, de feudis & eorum juribus
tractantes. De libris sic recensitis

Inquires

179 Inquires I. utrùm sint authentici?
℞. non esse dubitandum. Nam, quod attinet Li-
bros Justinianæos, illi prodierunt authoritate pu-
180 blicâ & legislativâ. Et licèt ab initio nec Italos ob-
ligaverint, cùm Barbarorum continuis incursibûs in-
festarentur; nec etiam Germanos, quibus libertas
patria pro tunc suffragabatur, constrinxerint: atta-
181 men ab eo tempore, quò Jus Justinianæum in athe-
næis Italiæ & Germaniæ traditum & expositum fuit,
plenissimam vim obtinent; quin & expressò Impera-
torum & Statuum consensu in variis Imperii sanctio-
nibus confirmationem acceperunt, veluti per exten-
sum ostendit Stryck in *dissertat. prælim. ad usum modernum Pandect.* à §. 16.
182 Libros feudorum quod concernit, robur sufficiens
ex inveterata consuetudine, sicut & expressis Impe-
ratorum ordinationibus, acquisiverunt; non tamen
quoad omnia capitula, sed ea, quæ vocantur ordi-
naria: nempe omnia in Libro I. & 58. in Libro II.
183 Cætera, quæ dicuntur extraordinaria, habent qui-
dem vim declarativam ordinariorum; vim autem de-
cisivam non habent, ut tradunt unanimiter Feudi-
stæ: quia, ut discurrit Hornius *Jurisprud. feudal. cap.* 1. §. 34. olim non erant adjecta Corpori Juris,
atque sic non omnibus cognita, nec usu compro-
bata.
184 Inquires II. an etiam authenticæ, Codici inser-
tæ, sint authenticæ?
℞. authenticas esse duplicis generis. Quædam
sunt authenticæ Imperatoris Friderici v. g. *auth. cassa Cod. de SS. Eccles. auth. statuimus Cod. de Episcop. & Cleric. auth. habita Cod. ne filius pro patre &c. auth. Sacramenta puberum Cod. si adversus vendit.*
Aliæ sunt authenticæ JCti Irnerii, ex Novellis per
185 modum extractûs decerptæ. Illæ igitur sunt authen-
ticæ, utpote authoritate publicâ confectæ, & per-
inde, ac cæteræ Leges Codicis, usu receptæ: istæ
non aliter, nisi quatenùs suo fonti seu Novellis, ex
quibus fuerunt extractæ, correspondent: nec enim
authoritate publicâ, nec usu & possessione tempo-
ris quietâ gaudent. Miller ad Struv. *exercitat. ad pand.* 1. *th.* 68. *lit. s.*
186 Inquires III. quid dicendum de rubricis vel in-
scriptionibus titulorum, aut summariis textuum?
℞. idem, quod suprà de libris Juris Canonici di-
187 ctum est à *num.* 88. Et quamvis Stryck in *not. ad compend. Lauterbachii pag. m.* 6. rubricas Novella-
rum excipiat, tanquàm authoritate privatâ Irnerii
vel alterius JCti Novellis essent præmissæ: nihilo-
minùs, cùm simul cum Novellis earum rubricæ, ci-
tra alicujus contradictionem, fuerint receptæ, paris
cum Novellis valoris esse censentur.
188 Inquires IV. detúrne in libris Juris Civilis anti-
nomia, contrarietas, vel correctio?
℞. I. in uno eodemque Libro antinomiam, con-
trarietatem, vel contradictionem nullatenùs admit-
tendam esse, ne Legislator unô quasi tempore sibi
contradixisse videatur, quemadmodùm indicavit
Justinianus in *l. Deo authore* 1. §. 8. *l. tanta* 2. §. 15.
189 *Cod. de V. J. E.* Si tamen correctio manifesta sit, qua-
lis repéritur in 50. decisionibus, Codici hinc inde
inspersis, ex mente & sententia ipsius Imperatoris
in sua constit. *de Emendando Cod.* §. 1. admittitur
correctio quoad Leges, in eodem volumine con-
tentas. Ita cum communissima sententia contra Gi-
phanium & Ludwell docet Clariss. D. Bassus *p. m.*
190 *in præfat. ad* 50. *decis. n.* 6. *& seq.* Sunt autem hæ
decisiones novissimæ Justiniani constitutiones, qui-
bus antiquorum JCtorum controversias decidit per
textum in §. *libertinorum* 3. *Instit. de Libert.* possunt-
que ex eo dignosci, quòd latæ sint sub Consulatu
Decii, Lampadii, & Orestis, vel duobus annis post
eorum Consulatum, videlicèt Anno 530. 531. 532.

cum inscriptione ad Joannem vel Julianum PP. quód-
ve de Veterum dubio mentionem apertam faciant.
Clariss. D. Bassus *cit. l.* n. 3. 4. & 5.
℞. II. non tantùm Novellas Codici & Pandectis, 191
sed etiam Codicem Pandectis derogare juxta textum
in *Constit. de Emendat. Cod.* §. 1. & *seqq.* Zoël. *in proœm. Digestor. n.* 8. Mathias Stephani *in proœm. ad Novell. num.* 20. Clariss. D. Bassus *cit. l. nu.* 8. Cla-
riss. D. Joannes Sigismundus Stapf *Quæst. ex univ. Jure* 1. n. 11. Quamquàm enim Codex Justinianeus 192
ante pandectas fuerit compactus; Codex tamen re-
petitæ prælectionis posteriori tempore concinnatus
est: unde, quod dicitur in *l. ult. ff. de Constitut. Princip.* posteriora derogare prioribus; etiam hîc
valorem sortitur.
℞. III. de Institutionibus esse litigium, utrùm 193
Pandectis derogent? Id tamen sub distinctione com
poni posse, quòd nempe non derogent, quatenùs
sunt compendium Juris & extractus Pandectarum
(nam planè absonum foret, ut rivus a fonte suo de-
generet, aut extractus protocollo contradicat) sed, 194
quatenùs sunt compendium & extractus Codicis: sic
enim eandem derogandi vim adipiscuntur, quæ ipsi
Codici inest. Confer. Clariss. D. Stapf. *cit. quæst.* 1. *à n.* 9.
Inquires V. num Libri Juris Civilis & Canonici 195
sibi invicem derogent?
℞. I. in materia spirituali, peccaminosa, & con-
scientiam tangente, Jus Canonicum derogare & præ-
valere Civili. Ratio concludens est, quia in ista 196
materia Jus Civile nequit imperare vel Legem sta-
tuere: nam & Suprema Potestas Civilis subest Spiri-
tuali *cap. cùm ad verum* 6. *Dist.* 96. *cap. solicitæ* 6. *de M. & O. Extravag. unam sanctam eôd. inter commun.* &, ut loquitur Pontifex in *cap. Ecclesia* 10. *de Constit.* laicæ Jurisdictioni non competit Potestas
imperandi, sed necessitas obsequendi: consequenter
Libri Civiles Canonicis cedere tenentur. Casus par-
ticulares, in quibus Civile Jus correctum est à Ca-
nonico, in decursu præsentis Operis notabuntur.
℞. II. In materia profana vel adiaphora unum 197
Jus cum altero combinandum, & Jus Civile dubium
à Canonico claro, & vicissim Jus Canonicum ob-
scurum à Civili luculento declarandum esse juxta
famosum *cap. intelleximus* 1. *de N. O. N.* Si tamen 198
Jus utrumque probabili quâdam ratione conciliari
nequeat, quodlibet in suo foro servatur, sicuti cu-
juslibet Jurisdictio in tali materia ad forum pro-
prium est restricta. Ita passim Canonistæ & Civili-
stæ Catholici.
Inquires VI. quis modus in citando Jure Civili 199
sit usitatus?
℞. in Institutionibus citari §^um & titulum, aut
principium *v. g. pr. Inst. de J. & J.* §. 9. *Inst. de J. N. G. & C.* in Pandectis & Codice citari legem & ti-
tulum *v. g. l.* 1. *ff. de LL. l.* 1. *Cod. de SS. Eccles.* in
Novellis citari Novellam & caput aut §^um *v. g. Nov.* 115. *cap.* 3. §. 1. in feudis à Recentioribus citari li-
brum & titulum cum §. v. *g. tit.* 58. §. 1. *feud.* 2.
Interim quoad citationes Institutionum, Pandecta- 200
rum & Codicis, uti & Juris Canonici, hucusque
non tantùm numerum legis, vel capituli, sed etiam
initialia verba citare consuevi v. g. *cap. antigonus* 1. *de Pact. l. non omnium* 20. *ff. de Legib.* ut nempe
tum memoria juvetur in retinendis textibus; tum
etiam errores, qui sæpenumerò fiunt in citationi-
bus, securiùs emendentur.

SUPPLE-

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Refertur definitio Jurisprudentia.* 2. *& seqq. Impugnatur.* 5. *& seq. Vindicatur; datô discrimine à Theologia Morali & Ethica.* 7. *Explicatur* l. non omnium ff. de LL. 8. *& seq. Resp. ad* §. 6. de J. N. G. & C. 10. *& seq. Exponitur* Barbarius ff. de Off. Prætor. 12. *& seq. Negatur Jurisprudentia Historica.* 14. *Commendatur tamen ipsa Historia.* 15. *& seqq. Commendatur etiam methodus Scholastica.* 20. *& seqq. Uti & viva vox, seu instructio Professorum.* 24. *& seqq. Jurisprudentia Canonica rectè vocatur Jus Pontificium.* 29. *& seqq. Vocatur quoque in suo sensu Jus Divinum.* 35. *& seqq. Recensentur variæ collectiones Canonum ante Decretum Gratiani.* 47. *& seqq. Quibus omnibus idem Decretum ex variis rationibus præfertur.* 55. *& seq. Defenditur à censuris.* 57. *Robur accepit ex emendatione Pontificum & Bulla Gregorii XIII.* 58. *& seqq. Enumerantur quinque Decretalium compilationes ante Gregorium IX.* 63. *& seqq. Ostenditur, ex quibus fontibus hic Pontifex suas Decretales hauserit.* 68. *& seq. Declarantur fontes sexti Libri Decretalium* 70. *& seqq. Datur Regula quoad alias Decretales ante Bonifacium VIII.* 74. *& seq. Resp. ad* cap. 1. de Præb. in 6. 76. *& seqq. Clementinæ Clementi V. adscribuntur.* 80. *& seqq. Joannes XXII. quoad suas Extravagantes & puritatem fidei defenditur.* 85. *& seqq. Agitur de aliis Bullis Apostolicis, & Bullario Magno.* 89. *& seqq. Agitur de Bullarum auctoritate.* 95. *& seqq. Discutitur, an constitutiones, ante Leonem Magnum conditæ habeant rationem legis obligativa?* 98. *In specie subjiciuntur epistolæ authenticæ Summorum Pontificum.* 99. *Authores indicantur, qui Canonibus Apostolorum vim legalem abdicant.* 100. *& seqq. Fundamenta contraria adducuntur.* 104. *& seq. Disceptatur de eorum numero.* 106. *& seqq. Juris Civilis Collectiones antiquæ indigitantur.* 119. *& seqq. Ejus partes & libri, sub Cæsaribus evulgati, subduntur.* 122. *Jus Justinianæum ab initio non obligavit Germanos.* 123. *& seqq. Ex Italia successivô usu in Germaniæ Scholas & dicasteria receptum est.* 126. *& seqq. Refellitur Struvius, Jus Canonicum vellicans.* 130. *Speculum Saxonicum describitur.* 131. *Et Suevicum.* 132. *& seqq. Abrogatur utrique generalitas legis.* 138. *& seqq. Examinatur existentia & natura Jurisprudentiæ Publicæ Ecclesiasticæ.* 143. *& seqq. Jurisprudentia Criminalis ex Nemesi Carolina adumbratur.* 146. *Librorum feudorum virtus authentica roboratur.* 147. *& seqq. Speculo Saxonico & Suevico nulla in feudis authoritas permittitur.*

QUÆSTIO I.

Quomodò definienda sit Jurisprudentia in genere?

1 IN mox *cit. Tract. num.* 2. Jurisprudentia in genere definita fuit, quòd sit habitus, in id intentus, ut cum recta ratione juxta leges & regulas justæ operationis actiones hominum dirigantur.
2 An bene? Ratio dubitandi est I. quia non solùm Ethica, sed etiam Theologia Moralis eò collimant, ut actiones nostræ legibus & regulis justæ operationis cum recta ratione commensurentur.
II. quia *non omnium, quæ à majoribus in Jure con- 3
stituta sunt, ratio reddi potest l. non omnium 20. ff.
de LL.* sed stat pro ratione voluntas, &, *quod Principi placuit, legis habet vigorem* §. *sed & 6. Instit.
de J. N. G. & Civ.* III. quia etiam, quæ ex er- 4
rore aguntur, Jure fiunt, ex quo communis error jus facit per *l. Barbarius 3. ff. de offic. Prætor.* &, *quod non ratione introductum, sed errore primùm, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet. l. quod non ratione 39. ff. de LL.*

Verùm leviores sunt istæ rationes, quàm ut de- 5
finitionem adstructam labefactare possint. Siquidem quoad I. remanet manifestum discrimen inter Jurisprudentiam ex una, nec non Theologiam Moralem & Ethicam ex altera parte: nam Moralis Theologia considerat actiones humanas, prout Christianæ, & conducibiles sunt ad salutem ani-
mæ; Ethica verò attingit easdem actiones, qua- 6
tenùs honestæ sunt, atque naturali beatitudini accommodatæ: è contrà Jurisprudentia tota quanta eò respicit, ut actiones hominum sint justæ, seu ut justitia, tanquam Regina Virtutum moralium in humana societate, in omnium dictis & fa-
ctis resplendeat. Quoad II. verum equidem est, 7
rationem positivam, intimam, individualem, aut ultimatam de omnibus, quæ Jure statuuntur, reddi non posse, præcipuè in materia, à mero statuentis arbitrio pendente, v. g. in præscriptione certarum solennitatum, certi numeri testium, annorum, mensium, dierum &c. rationem tamen negativam, generalem, probabilem, seu verosimilem nunquam non suppetere: sufficit enim, quòd Legislator, aliquid statuendô, non excedat limites
suæ potestatis, nec argui possit imprudentiæ. Quod 8
additur ex §. *sed & 6.* hunc sensum habet, nempe in statu Monarchico, in quo omnis potestas à Populo in Principem fuit translata, non ampliùs consensum Populi ad Legum sanctionem desiderari, sed, quod solâ suâ voluntate, nemine requisito, Prin-
ceps imperat, pro lege suscipiendum. Quamquàm 9
Princeps, ex jure Majestatis aliquid decreturus, motivum rationabile habere debeat, & in dubio præsumatur habere per ea, quæ prolixè discussimus in *Jurisprud. Universali Publica lib.* 2. *c.* 4. *à num.* 1.

Ad III. Resp. Clariss. D. Joannes Balthasarus 10
Braun *de Jurisprud. p.* 1. *cap.* 1. §. 3. *num.* 26. errorem communem jus non facere causaliter, sed occasionaliter, quatenùs præbet Legislatori ansam, ut id, quod probabili errore gestum est, perinde valere velit, ac sic absque errore gestum esset:
Sicut etiam consuetudo, errore inducta, non du- 11
rat, nec dat jus ad exercendos actus similes errore detectô; licèt actus, anteà gesti, solummodò dent jus putativum ex conscientia erronea, posteà resolvendum, ubi veritas erit manifesta; prout idem Author *num.* 25. docet.

QUÆSTIO II.

Detúrne Jurisprudentia Historica?

Negavi in *cit. tr. & cap.* 3. *num.* 28. quia, qui 12
solùm callet, quales Canones aut Leges hâc vel illâ ætate, ab hoc vel alio Doctore aut Legislatore prodierint, nec tamen novit causas, rationem, modum & morem interpretandi, atque regulas generales ad causas singulares applicandi; is certè inter

Jure-

Jureperitos haud referendus est. Clariss. D. Braun
in *d. Jurisprud. p.* 2. *cap. un.* §. 2. *n.* 4. Et quam-
13 vis non nesciam, nonnullos hodie reperiri, qui tam
in Jure Canonico quàm Civili, eôque publicô &
privatô, nonnisi Historiam crepent, Conciliorum
Decreta, Pontificum Constitutiones, Patrum dic-
ta, Principum placita, ICtorum sententias &c. cum
temporis computatione seu chronologia identidem
allegantes & commendantes; si tamen artem Juris,
veramque interpretandi indolem ignorent, neque
ipsi casum aliquem seu canonicum seu civilem re-
solvere, neque, ut alii discant, instruere poterunt.
Quin verò proficua, atque ad illustrandam Juris-
14 prudentiam apprimè conveniens sit accurata Juris
Historia, nemo prudentùm negabit: quandoqui-
dem ad intimè penetrandam Legislatoris mentem
plurimùm juvat, noscere, quâ occasione, quô tem-
pore, circa quas personas aut loca aliquid decre-
tum, ordinatum, vel statutum fuerit.

QUÆSTIO III.

Sitne Jurisprudentia methodô Scholasticâ exponenda?

Ita quidem omnibus persuasum existimo, qui Ju-
15 risprudentiam aut Scientiæ choro, aut artium clas-
si nobiscum in *cit. tract. cap.* 1. *num.* 3. & 8. adscri-
bunt: nam, ut aliæ scientiæ vel artes ritè & rectè
exponantur, methodô Scholasticâ opus est: tum
16 quia methodus nihil aliud est, quàm concinnus or-
do, quô sinè perfecta & accurata rerum cognitio
hauriri nequit: tum quia adminiculante methodô
17 proceditur à notioribus ad minùs nota; à generibus
ad species, à speciebus ad individua, à simplicibus
ad composita, à thesi ad hypothesin: tum quia soli-
18 da scientia cujuslibet objecti non acquiritur, nisi
ex cognitione causarum, per methodum Scholasti-
cam derivandâ. Quamobrem anteà laudatus D.
19 Braun *de Jurisprud. p.* 1. *cap.* 3. §. 1. *à num.* 29. ex
variis docendi modis singulariter illam extollit, &
suadet, quem & ipse & alii Universitatis nostræ Ju-
rium Professores tenuerunt, ut nempe à nomencla-
tura, definitione, & divisione rei, per reliqua cau-
sarum genera usque ad effectum lentô & ordinatô
gressu procedatur. Nempe, ut P. Crassus apud
20 Ciceronem *lib.* 1. *de Oratore* perorat: *sunt notan-
da genera, & ad certum numerum paucitatemque
revocanda. Genus autem idem est, quod sui similes
cum unione quadam, specie autem differentes, duas
aut plures complectitur partes. Partes autem sunt,
quæ generibus iis, ex quibus emanant, subjiciuntur.
Omniaque, quæ sunt vel generum vel partium nomina,
definitionibus, quam vim habeant, est exprimendum.
Est enim definitio earum rerum, quæ sunt ejus rei pro-
pria, quam definire volumus, brevis & circumscrip-
ta quædam explicatio. Jam si quispiam effecerit, ut
primùm omne jus in genera digereret, deinde eorum
generum quasi quædam membra dispertiret, tum pro-
priam cujusque vim definitione declararet, perfectam
artem juris habebitis.*

QUÆSTIO IV.

An Jurisprudentia à Magistris & Professoribus, vel ex solis Libris & Commentariis Juridicis addiscenda sit?

Affirmat prius membrum mox citatus Braun *d.*
21 *cap.* 3. §. 3. *n.* 12. cum Fachineo *lib.* 9. *controvers.*
cap. 103. Si enim satis esset, ex solo Commentario
sapere, haud quidquam necessum fuisset tot Philo-
sophis (addo & ego tot Jurisconsultis) ut per ex-
teras Nationes peregrinarentur, eos audituri, quo-
rum libros jam in cubiculo legissent. Viva vox 22
magis afficit, pleniùs pascit & alit; altiúsque des-
cendunt in animum, in eoque tenaciùs hærent, quæ
pronuntiatio, vultus, habitus, gestus docentis af-
fixerit. Non se liber explicat, ut Præceptores fa- 23
cere consueverunt, qui multis exemplis, sententiis,
argumentis utuntur; eaque omnia, quæ docent,
vocis moderamine illustrant.

QUÆSTIO V.

An Jurisprudentia Canonica justè vocetur Jus Pontificium?

In *cit. cap.* 1. *n.* 35. refertur hæc Synonymia; 24
sed impugnatur à Scriptoribus Acatholicis: partim
quia non tota Jurisprudentia Canonica, sed pars
duntaxat illius, puta Decretum & Decretales, ex
Constitutionibus Pontificiis componitur: tum quia 25
ipsa Pontificum authoritas priùs erit demonstranda,
quàm illorum sanctionibus authoritas adstruatur.
Ita ferè Struvius in *Historia Juris cap.* 7. §. 1. Ve- 26
rùm leviora hæc sunt, quàm ut attentionem me-
reantur. Quantumvis enim non omnes Constitutio-
nes, in Corpus Juris Canonici relatæ, habeant im-
mediatum & unicum Authorem Pontificem; sunt
tamen illius auspiciis illuc repositæ, vimque authen-
ticam ab ipsius voluntate & potestate assecutæ. Jo-
annes Doviat in *Prænotion. Canonic. lib.* 1. *cap.* 1.
n. 15. Neque opus est aliquâ hujus potestatis de- 27
monstratione: cùm veri Catholici aliunde sciant &
supponant, Juris Ecclesiastici fundamentum & ba-
sin supra Petram Apostolicam, ac visibile Ecclesiæ
Caput, positam; Acatholici è contra, tanquam ob-
cæcati & indurati in sua pertinacia, cervicem no-
lint inflectere, etiamsi solidissimis argumentis con-
vincantur. Si tamen alicui lubeat, aliqua de autho- 28
ritate & supremato Christi in terris Vicarii in com-
pendio lustrare, in *tract.* 5. *lib.* 1. *cap.* 2. locum
opportunum inveniet.

QUÆSTIO VI.

An Jurisprudentia Canonica æquali titulô Jus Divinum nuncupetur?

Assertum hoc in *cit. cap.* n. 37. ex variis textibus; 29
quibus accedit I. testimonium Nicolai Pontificis
in *cap. Lege Imperatorum* 1. *Dist.* 10. ibi: *Impera-
torum lex non est supra legem Dei, sed subtus: Im-
periali judiciô non possunt Ecclesiastica jura dissolvi.*
II. D. Gregorii Nazianzeni, qui in oratione ad ci- 30
ves Nazianzenos, relatâ in *cap. suscipitis igne* 6. *d.
Dist.* 10. *dedit*, ait, *nobis* (Missus) *potestatem, de-
dit & principatum multò perfectiorem principatibus
vestris. Aut nunquid justum vobis videtur, si cedat
spiritus carni, si terrenis cælestia superentur, si Di-
vinis præferantur humana?* III. D. Augustini *Epist.* 31
48. *ad Vincentium*, allegatâ in *cap. quicunque* 1.
XXIII. quæst. 7. ubi per *Jus humanum*, prout con-
traponitur *Divino*, intelliguntur Leges Princi-
pum Sæcularium. Doviat *Prænot. Canonic. d.* 32
lib. 1. *cap.* 5. *num.* 2. ubi duplicem rationem po-
nit: partim quòd Jus Canonicum afflante Spi-
ritu Sancto constitutum sit, deriveturque ex prin-
cipiis Evangelicis: partim quòd ipsius Christi ore
Matth. 10. & *Luca* 10. Sacrarum legum con-
dendarum potestatem Petrus ejusque successores

33 acceperint. Qua de causa Agatho Papa in *cap.*
2. Dist. 19. sic, inquit, *omnes Apostolicæ Sedis San-*
ctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius Divini Pe-
tri voce firmatæ sint; cui consonant alii Pontifi-
34 ces, *in ead. Dist.* relati. Interim in sensu stric-
tiori Jurisprudentia Canonica propiùs ad Jus Hu-
manum, quam Divinum, reducitur: utpote cùm
proximè deducatur & derivetur ex Legibus &
decretis Ecclesiasticis; modusque tum interpre-
tandi tum applicandi ex principiis & regulis hu-
mani Juris desumatur.

QUÆSTIO VII.

An Decretum Gratiani pro fonte Jurisprudentiæ Canonicæ statui possit?

35 Multæ Canonum collectiones jam ante Gratia-
ni decretum, Annô 1150. ex integro confectum,
unôque sequenti editum, quod *Concordiam dis-*
cordantium Canonum appellavit, compilatæ fue-
runt, videlicèt à Dionysio Exiguo Abbate &
36 Monacho circa Annum Christi 496. & seqq. Ful-
gentio Ferrando, Ecclesiæ Carthaginensis in Afri-
37 ca Diacono, qui cl. ruit circa Annum 547. Mar-
tino Bracarensis Ecclesiæ in Hispania Episcopo,
& anteà Dumiensis Monasterii Conditore & Ab-
38 bate circa Annum 572. Cresconio seu Crisco-
nio, Africano Episcopo, circa Annum 690. flo-
39 rente; Isidoro Hispalensi Archi-Episcopo, cui
ab Anno Christi 595. usqoe ad Annum 636. Ec-
clesiam suam regenti, collectionem aliquam Ca-
nonum deberi, cum aliis præclaris Viris adstruit
Doviat *Prænot. Canonic. lib. 3. cap. 19. num. 4. &*
40 5. Isidoro altero, qui mercator aut peccator
dicebatur, longéque alius ab Hispalensi erat circa
Annum 685. Hadriano I. Summo Pontifice cir-
41 ca Annum 785. Reginone Monacho Benedic-
tino in Monasterio Prumiensi ad finem sæculi
42 noni, vel initium sequentis. Burcardo, Mona-
cho primùm Benedictino in Cœnobio Loliensi
Diœcesis Leodiensis, deinde Episcopo Worma-
43 tiensi circa Annum 1008. Anselmo Episcopo Lu-
censi, patriâ Mantuanô circa Annum 1086. Car-
44 dinale Deus-dedit sub Annum 1087. Ivone
45 Carnotensi Episcopo circa Annum 1100. cui et-
iam altera collectio, sub titulo *Panormia*, à ple-
46 risque adscribitur. Gregorio Polycarpo Presby-
tero Hispano sub Annum 1120.; de quibus &
aliis ex professo tractat laudatus Doviat *d. lib. 3.*
47 à *cap. 14. usque ad fin.* Verùm nulla ex his col-
lectionibus eum meruit honorem, ut in Corpus,
quod vocamus, Juris Canonici redacta fuerit;
cùm tamen Decretum Gratiani primam in hoc
corpore sedem inter receptos Juris Canonici li-
48 bros fixerit, & hodiedum retineat. Unde, quòd
statui possit pro Jurisprudentiæ Canonicæ, quam
à multis jam sæculis in scholis profitemur, ori-
49 gine & fonte, nullatenùs dubito. Id quod con-
firmatur ex multifariis rationibus, à præcitato
Doviat *lib. 4. cap. 11.* adductis. I. quia Gratia-
nus optimarum sententiarum supellectilem nobis
comparavit, ex omnibus penè Scriptoribus Ec-
clesiasticis ingenti labore ac studiô collectam;
quorum etiam monumenta nonnulla temporum in-
50 juriâ postmodùm interierunt. II. quia sectatur
ordinem, non alienum ab eo, quem Justinianus
Imperator in Digestis & Codice sibi familiarem
reddidit: ut enim Justinianus utrobique tam ci-
vilium quàm criminalium judiciorum tractationi
partim præmisit, partim subjecit, quæ ad Jus pu-
blicum pertinebant, incipiens à Magistratibus, ac
tandem in fiscalibus desinens, aliisque similibus
rerum generibus, ad statum Reipublicæ pertinen-
tibus: pari ratione Gratianus ab Episcopis & Præ- 51
latis, qui sunt Ecclesiæ Magistratus, cœpit; fi-
nem autem operi imposuit in tractatu de Sacramen-
tis & Ecclesiis ac fidei Mysteriis, quibus velut fun-
damentis publicus Ecclesiæ status continetur. III. 52
quia Gratiani volumen tertiâ ferme parte auctius,
quàm Burchardi & Joannis (quorum collectio-
nes alioquin præ cæteris commendantur) rerum
Ecclesiasticarum instructiorem & locupletiorem pe-
num nobis suppeditat. IV. quia Gratianus præ 53
prioribus collectoribus gravissimas quæstiones non
Scholasticô solùm sed & Forensi more in utram-
que partem agitat: quæ disputandi ratio ad res
arduas apprimè cognoscendas utilissima censetur.
V. quia diversos canones, ad eandem materiam 54
seu classes rerum pertinentes, Gratianus pro &
contra sic ventilat, ut in concordiam adducan-
tur: hâc autem velut maximè idoneâ tractanda-
rum accuratè disciplinarum ratione, Aristoteles
imprimis, tum alii quoque Veterum usi sunt, qui
præsertim Dialogos conscripserunt; itemque ex
posterioribus ambo Theologiæ Scholasticæ Prin-
cipes, Petrus Lombardus ac Div. Thomas, veræ
in his tractandis methodi & peritissimus & servan-
tissimus. Ita ferè allegatus Doviat.

Non me fugit, nævos & menda sat multa Gra- 55
tiano imputari, prout videre licet apud *cit.* Do-
viat *d. lib. 4. cap. 12.* Sed quid tum? Etiam alii,
tum Canonici tum Civilis Juris compilatores,
aliarumque disciplinarum fautores & promotores
sæpe lapsi sunt, aut rerum multitudine obruti,
aut librorum & librariorum erroribus inducti: nec
tamen, quòd aliquoties offenderint, laudem &
commendationem suam perdiderunt. Nisi fortè, 56
sicuti ad elogium Gratiani observat Doviat *cap.*
13. num. 4. quis contenderit, nullam à nobis gra-
tiam initurum, qui lapillorum gemmarumque pre-
tiosarum immensum acervum, magnâ curâ undi-
que conquisitum, rudibus nonnullis informibus-
que admixtis, nobis offerret.

Sanè, cùm errores, qui in Decretum Gratia- 57
ni irrepserunt, jussu ac studiô trium Romanorum
Pontificum, Pii IV. Pii V. & Gregorii XIII.
qui ante Pontificatum Bononiæ Jus Canonicum
publicè docuit, adhibitis Sanctæ Romanæ Ec-
clesiæ Cardinalibus, aliisque eruditissimis viris,
quorum nomina recenset Doviat *cit. lib. 4. cap.*
13. diligenter indagati, vetustissimi Codices un-
dique conquisiti, auctores ipsi, quorum testimo-
niis usus erat Gratianus, perlecti, quæque per-
peram erant posita, suis locis restituta fuerint, mag-
nâ ratione habita operis ipsius dignitatis, & pu-
blicæ, eorum præsertim, qui in hoc studio ver-
santur, utilitatis, prout edisserit altefatus Grego-
rius XIII. in suô brevi sub Annulo Piscatoris An-
nô 1582. die 2. Junii ante idem Decretum præ-
fixô: nemini post hanc emendationem licitum erit,
dentes in Gratianum acuere, ejusque compila-
tionem vel proscindere vel proscribere; cùm et-
iam mox dictus Gregorius XIII. jusserit, *ut quæ*
emendata & reposita sunt, omnia quàm diligentis-
simè retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur,
aut imminuatur.

QUÆSTIO VIII.

An & quales Decretalium Compilationes post Gratianum ante Decretales Gregorii IX. prodierint?

58 Sæpe *cit.* Doviat *d. lib. 4. cap. 16.* quinque ejus-
modi compilationes enumerat. Prima est Bernardi
Circæ Præpositi Papiensis, & postea Faventini Epis-
copi, qui epistolas decretales Summorum Pontifi-
cum, post Decretum Gratiani, suâ præsatim ætate
conscriptas, in quinque libros sub certis titulis, or-
dinem ferè Codicis secutus, congessit, ac *Brevia-
rium Extravagantium* inscripsit circa Annum 1190.
59 Secunda ex Gilberti Abbatis & Aluni Episcopi An-
tissiodorensis, restaurata à Joanne Galensi seu Vallensi
Anno 1202. continens in se Constitutiones, à Ber-
60 nardo Circa omissas. Tertia est Bernardi majoris,
Archi-Diaconi Compostellani, ex Constitutionibus
Innocentii III. Summi Pontificis, intra & extra Con-
cilium Lateranense IV. conditis, in lucem emissa;
quam tamen, cùm aliqua inserta essent, usui judicio-
rum minùs consentanea, operâ Petri Beneventani
Diaconi & Notarii ejusdem Pontificis emendata, si-
mulque Pontificiâ authoritate roborata nomen tertii
Libri Decretalium memorati Innocentii III. acce-
61 pit. Quarta est incerti Authoris, complectens sæ-
pe nominati Innocentii III. Constitutiones, post
annum Pontificatûs duodecimum, seu ab Anno
62 Christi 1210. evulgatas. Quinta est Honorii III.
proximi Innocentii III. in Pontificatu successo-
ris, ab eo ex propriis suis Decretalibus composita.
Sicque intra 70. annos ab edito Gratiani Decreto
quinque Decretalium compilationes, usu receptæ,
emanârunt, quasi supplementa aut continuationes
Gratiani, ut loquitur Doviat *d. cap. 16. n. 4. & 10.*

QUÆSTIO IX.

Quibusnam ex fontibus Libri V. Decretalium à Gregorio IX. fuerint derivati?

63 Resolutionem dat ipsemet Gregorius IX. Honorii
III. in Sede Apostolica immediatus successor, ac
Decretalium, Anno 1230. compaginatarum, Condi-
tor in sua præfatione, ubi, *diversas,* inquit, *Constitu-
tiones & Decretales Epistolas Prædecessorum nostro-
rum, in diversa dispersas volumina, quarum aliquæ
propter nimiam similitudinem, & quædam propter con-
trarietatem, nonnulla etiam propter sui prolixitatem,
confusionem inducere videbantur, aliquæ verò vaga-
bantur extra volumina supra dicta, quæ tanquam in-
certa frequenter in judiciis vacillabant: ad communẽ
& maximè studentium utilitatem, per dil. fil. fratrem
Raymundum, Capellanum & Pœnitentiarium nostrum,
in unum volumen, resecatis superfluis, providimus re-
digendas; adjicientes constitutiones nostras & Decre-
tales Epistolas, per quas nonnulla, quæ in prioribus
64 erant dubia, declarantur.* Sunt autem Pontifices,
quorum Epistolæ Decretales (nomen à decernendo
sortitæ, quòd Pontifex rescribendô ad consultatio-
nem Episcoporum, aliorumque, etiam privatorum,
aliquid generaliter valiturum, re diligenter enuncia-
tâ, decernat) allegantur, à potiori Gratianô posterio-
res, puta Alexander III. Lucius III. Urbanus III.
Gregorius VIII. Clemens III. Cœlestinus III. Inno-
centius III. Honorius III. indeque Gregorius IX.
65 Neque obest, quòd in præfatis Decretalium Li-
bris extent etiam Decreta duorum Conciliorum
Generalium Lateranensium, tertii nimirum & quar-
ti sub Alexandro III. & Innocentio III. nec non
Conciliorum aliquot particularium, uti & quorun-
dam SS. Patrum sententiæ; adeóque instar Decre-
ti Gratiani nomen Decretalium simpliciter non me-
reantur.
Enimverò supra dictorum Pontificum, & non- 66
nullorum Antecessorum Decretales Epistolæ plus
duplo superant Decreta Conciliaria Patrumve di-
cta, ibidem relata: eáque propter, cùm denomi-
natio sumatur à potiori, nomen Decretalium his-
ce Libris antunomasticè adscribitur: secus atque
Decreto Gratiani, in quo longè minor Decreta- 67
lium Epistolarum, quàm Canonum Conciliorum
aliarumve authoritatum, numerus conspicitur. Do-
viat *d. lib. 4. cap. 18. n. 2.* Eminentiss. Card. Vin-
centius Petra in *Comment. ad Constitut. Apostol.
tom. 1. pag. m. 28. n. 45.*

QUÆSTIO X.

Ex quo fonte Liber VI. Decretalium Bonifacii VIII. dimanaverit?

Respondet ipsemet Bonifacius VIII. in Bulla, 68
ante VI. Decretalium, circa Annum 1300. absolu-
tum, præfixâ, quòd, *cùm post volumen Decretalium à
felicis recordationis Gregorio Papa nono tam providè
quàm utiliter compilatum, nonnulla ab eo & aliis Ro-
manis Pontificibus successivè super diversis dicerentur
articulis edita Decretales, de quarum aliquibus, an
Decretales existerent, earumque auctoritate dubitaba-
tur sollicitè in judiciis & in scholis &c.* ipse *Decreta-
les hujusmodi diligenter fecerit recenseri; & tandem,
pluribus ex ipsis (cùm vel temporales, aut sibi ipsis, vel
aliis Juribus contraria, seu omninò superfluæ videren-
tur) penitus resecatis, reliquas, quibusdam ex eis ab-
breviatis, & aliquibus in toto vel in parte mutatis,
multisque correctionibus, detractionibus, & additioni-
bus factis in ipsis, in unum librum cum nonnullis suis
Constitutionibus redigi* mandaverit &c. Estque adeò 69
Liber VI. Decretalium compilatus potissimùm ex
Constitutionibus Gregorii IX. Innocentii IV. Ale-
xandri IV. Clementis IV. Gregorii X. Nicolai III.
Bonifacii VIII. in quibus admodùm multa reperiun-
tur decreta duorum Conciliorum Lugdunensium,
quorum alterum sub eodem Innocentio IV. Anno
1245. alterum sub memorato Gregorio X. Anno
1274. celebratum est.
Quòd si alicubi citetur aut referantur aliæ *Decre- 70
tales aut Constitutiones, à quibuscunque prædecessori-
bus Romanis Pontificibus* ante Bonifacium VIII. *post
editionem dicti voluminis,* id est Decretalium Gre-
gorii IX. *promulgatæ*, atque in Libro VI. Decreta-
lium insertæ, aut specialiter reservatæ non legantur,
eas recipi, aut pro Decretalibus haberi prohibet
idem Bonifacius in supra *cit.* Bulla, Libro VI. De-
cretalium præmissâ. Hinc patet, ut scribit prælau- 71
datus Eminentiss. Petra *d. tom. 1. pag. 31. n. 64.* quoad
præfatas Extravagantes Constitutiones non habere
ampliùs hodie locum dispositionem *cap. Pastoralis
8. de Fide Instrument.* ubi Innocentius III. sancivit,
quòd Judex meritò judicare possit secundùm teno-
rem illarum Extravagantium, de quibus, an essent
authenticæ, dubitatur, si Juri sint consonæ: quia
Bonifacius omnes Extravagantes, quæ extra com- 72
pilationem Gregorianam & Bonifacianam remanse-
runt, tanquam superfluas resecuit & rejecit. Limi- 73
tat tamen *cit.* Petra in n. 65. hanc illationem quoad
illas Extravagantes, quæ contra hæreticam pravita-
tem fuerunt editæ, quamvis in Corpore Juris Com-
munis haud reperiantur, ob textum in *cap. ult. § ult.
de Hæret. in 6.* & *Clem. multorum 1. §. ult. d. tit.*
Equidem, ut notat Doviat *d. lib. 4. cap. 21.* inscrip- 74
tiones nonnullarum Constitutionum in *d. Lib. VI.
Decretal.* referunt Pontifices, Gregoriò IX. anti-
quiores, signanter in *cap. suscepti 1. de Præbend.*
ubi

ubi ponitur Clemens III. qui annis 39. ante com-
75 pilationem Gregorii è vivis excessit. Verùm errore Scriptorum aut Typographorum accidisse, ut locô Clementis IV. poneretur III. non solùm vetustiores Codices, sed etiam Recentiores editiones palàm demonstrant: quibus idcircò tantò major adhibenda fides, quantò propiùs ad mentem Bonifacii VIII. accedunt.

QUÆSTIO XI.

An Clementinæ voluntate & authoritate Clementis V. Summi Pontificis fuerint promulgatæ?

76 Aventinus *Annal. Boicor. lib. 7. cap. 15. n. 18.* à Wilhelmo Occamo se accepisse scribit, quæ ibidem commemorat, nempe quòd Joannes XXII. *Septimum Juris Pontificii librum, quem Clemens V. decessor ejus composuerat, sed quòd multa, quæ simplicitati Christianæ & libertati Religionis imponerent, ibi continerentur, publicare supersederat, atque animam agens aboleri jusserat, ediderit, omnia, quæ ibidem scripta erant, rata fore constituerit: quæ à Benedi-*
77 *cto, qui Joanni successit, rursus antiquata sunt.* At, quàm longè à vero aberret Aventinus, constat ex pluribus vitæ Clementis V. Scriptoribus apud Struvium in *Historia Juris cap. 7. §. 27.* attestantibus, Clementem V. Anno 1313. suas Constitutiones in Consistorio publicâsse, morte tamen præventum ad studia generalia, sicuti tunc moris erat, mittere non
78 potuisse. Constat insuper ex Bulla Joannis XXII. ad Doctores & Scholares studii generalis Bononiæ directâ, atque Clementinis præmissâ, quòd Clemens V. ejus prædecessor, *nedum in Concilio Viennensi*, (cui præsedit Anno 1311.) *quin etiam ante & post ipsum Concilium Constitutiones plurimas ediderit, in quibus multa utilia statuit atque salubria, & nonnulla dubia in judiciis & extra frequentata decidit, &, licèt eas collectas in unum volumen, & sub congruis titulis collocatas mittere decrevisset, & dare in cõmune subjectis, assidua tamen occupatio circa magna, ac fortis humanæ conditio, quæ ipsum de medio sustulit, in causa fuerunt, quare suum in hac parte propositum non im-*
79 *plevit.* Unde luculenter concluditur, Clementinas, veluti salubres & utiles Constitutiones, voluntate & authoritate Clementis V. sub nomine septimi Decretalium compilatas, sed, interveniente ejus obitu, primùm à successore Joanne XXII. Pontificatûs sui Annô secundô, qui est Annus Christi 1317. cum transmissione ad Universitatem Bononiensem sub titulo *Clementinarum* toti Orbi fuisse publicatas.

QUÆSTIO XII.

Qualem authoritatem habeant Extravagantes, in Corpore Juris Canonici extantes?

80 Authoritas decisiva tam Extravagantibus Joannis XXII. quàm communibus in *tract. praamb. cap. 1. n. 73. & seq.* jam fuit adjudicata. Hinc solummodò referre juvat, quæ dixisse fertur Gulielmus Occamus, nempe *à multis Extravagantes* Joânis XXII.
81 *reprehendi, tanquam hæreticas & omninò falsas.* Hoc quippe dictum, nonnisi inter calumnias & palmares injurias recensendum, eò minorem promeretur fidem, quò minori dignus est illius Author Occamus, qui, cùm Joanni XXII. contra quem calamum in favorem Ludovici Bavari strinxerat, infensissimus, atque ab eo excommunicatus esset, de partium studio nimiùm suspectus & gravatus erat. Eminentiss. Vincentius Petra in *Comment. ad Constitut. Apostol.*
82 *tom. 4. pag. 27. n. 59. & seqq.* & *pag. 144. n. 12.* Et, quamvis alii quoque prædictum Joannem Pontificē hæresis insimulare ausi fuerint, quasi nempe docuisset, aut saltem credidisset, animas fidelium, qui in gratia decesserunt, ante diem universalis Judicii DEUM clarâ & intuitivâ visione non videre: at- 83
tamen allegatus Petra *d. pag. 144. n. 12. & seqq.* efficaciter ostendit, hunc errorem Joanni XXII. falsò affingi, utpote qui in Bulla Canonizationis S. Thomæ Aquinatis quæ incipit: *redemptionem misit &c.* Anno 1323. apertè profitetur: *Cœli credentibus & humilibus patere; à Christo, in cœlos ascendente, reseratam dudum clausam in se credentibus januam paradisi; S. Thomam devictô triumphatôque mundô in perpetuas æternitates receptum in patria; ejus animam Cœlum possidere, & in cœlestibus agminibus positum glorificare:* quive, cùm sup tempore necdum arti- 84
culus iste definitus esset, volebat eum, indictô jam publicô Consistoriô, accersitisque S. R. E. Cardinalibus, aliisque in Theologia eximiis Magistris & Doctoribus, definire, sed, morte intercedente, non potuit, uti Benedictus XI. ejus Successor in Bulla *Benedictus DEUS*, quâ veritatem Catholicam docuit, & credendam proposuit, Anno 1336. palàm confitetur.

QUÆSTIO XIII.

Denturne adhuc aliæ Extravagantes, & quam authoritatem habeant?

Dari adhuc alias Extravagantes, & quidem pro- 85
priè tales, utpote extra modernum Canonici Juris Corpus vagantes, in vulgus notum est: quia post Extravagantes Joannis XXII. & *Communes*, quas in eodem Juris Corpore videmus, à subsequentibus Pontificibus quàmplurimæ Constitutiones emanârunt, dictæ Bullæ Apostolicæ, & collectæ in *Magno Bullario*; cui initium fecit Laërtius Cherubinus 86
JCtus Romanus, congessitque Bullas à Leone Magno usque ad Sixtum V. juxta ordinem temporum; quemve secutus ejus Filius Angelus Maria Cherubinus Monachus Cassinensis plures Constitutiones addidit, ac Bullarium Magnum, Anno 1634. Romæ impressum, divisit in quatuor Tomos, è quibus primus Constitutiones à præfato Leone usque ad Paulum IV. Secundus à Pio IV. usque ad Innocentium IX. tertius à Clemente VIII. usque ad Gregorium XV. quartus Constitutiones Urbani VIII.
completitur; additô postmodùm à PP. Angelo à 87
Lautusa & Joanne Paulo à Roma Ordinis Minor. S. Francisci strictioris observantiæ tomô quintô, ubi Constitutiones Pontificum post Urbanum VIII. nempe Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX.
& Clementis X. referuntur. Accessit Anno 1697. 88
collectio Bullarum Innocentii XII. operâ D. Georgii de Firmanis; & Anno 1723. Bullarium Clementis XI. curâ & auspiciis Eminentissimi Nepotis, D. Annibalis Albani S. R. E. Cardinalis & Camerarii.
De istarum Extravagantium seu Bullarum authori- 89
tate Eminentiss. D. Vincentius Petra in *Commentar. ad Constit. Apostol. tom. 1. pag. 31. n. 61. & seqq.* ponit sequentes resolutiones. I. Extravagantes, ante Bonifacium VIII. juxta *n. 70.* non esse legales, neque
vim legis habere; II. Extravagantes, in Corpus 90
Juris relatas, facere Jus Commune, neque ad illos, tanquam subsequentes, derogationem Bonifacianam extendi, nisi ex fine proprio temporales fuerint;
III. Extravagantes alias, in Corpus Juris non re- 91
latas, Jurique communi haud consonas, non habere aliam auctoritatem, nisi illam, quam ex se vindicare possunt, ubi constat de earum legalitate per *cap. pastoralis 8. de Fide Instrument.* id est, si Bulla originalis sit expedita in pergameno juxta formam solitam à consuetis officialibus cum cordulis & sigillo SS. Apostolorum Petri & Pauli in plumbo penden-

pendentibus, aliisque requisitis, arguentibus, Bullam esse originalem: quia non continentur in aliquo Volumine, cui Papa legis robur, suâ approba-
92 tione, dederit; IV. Copiam simplicem non probare in Judicio; copiam tamen, in Bullario Romano positam, facere plenam fidem: quia Bullæ in eo recollectæ fuerunt permissione Summi Pontificis, illisque Judex omnimodam fidem tribuere tenetur, ut dixit Rota coram Millino *decis.* 277. *n.* 5. imò supponitur publicata constitutio eô ipsô, quòd sit in dicto Bullario. Buratt. *decis.* 795. *n.* 5. Vid. *cit.* Petra *d. tom.* 1. *pag.* 34. *n.* 94. *& seqq.*

QUÆSTIO XIV.

Cùm in Bullario Magno solummodò Constitutiones initium sumant à Leone I. quid sentiendum sit de Constitutionibus anteriorum Pontificum?

93 Fuerunt aliqui, qui asserere non erubuerunt, Decretales Epistolas Summorum Pontificum in eo corpore Canonum, quod sub Isidori Mercatoris sive peccatoris nomine auctius prodiit, à Clemente I. usque ad Damasum, Anno 366. electum, non authenticas sed apocryphas esse, utpote recepto Codi-
94 ci Canonum Ecclesiæ Romanæ non insertas; indeque à Leone IV. in *cap. de Libellis* 1. *Dist.* 20. pro regulis Ecclesiasticis solùmodò agnosci Epistolas Sylvestri, Syricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Hormisdæ, Simplicii, &
95 Gregorii junioris. Verùm, quidquid sit de canonibus Isidori, quos defenderunt non pauci, uti videre est apud Joannem Doviat *Prænot. Canon lib.* 2. *c.* 2 a. *n.* 8. eosque, licèt forsitan pro legitimis Pontificum Constitutionibus haud agnoscantur, nihilominùs veneratione dignos censet R. P. Franciscus Pagi in *Breviar. Pontif. Roman. tom.* 1. *pag.* 17. §. 6. cùm è sententiis & verbis Legum, Canonum antiquorum, & SS. Patrum, qui quartô sæculô floruerunt, si pauca de-
96 mas, concinnati sint; notari omninò meretur Epistola Nicolai Papæ, ad Archi Episcopos & Episcopos Galliæ, prout refertur in *cap. si Romanorum* 1. *Dist.* 19. ita scribentis: *si ideò non esse Decretales Epistolas priscorum Romanorum Pontificũ admittendas dicunt, quia in Codice Canonum non habeatur adscriptum: ergo nec Sancti Gregorii, nec ullius alterius, qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum vel scriptum recipiendum, eò quòd in Codice Canonum non habeatur adscriptum: ergo doctrinam eorum & sanctiones, quæ ab omni lingua venerantur, quia in Codice Canonũ non habentur scriptæ, de Codicibus suis eradant &c.* & in-
97 fra: *Inter ipsos Canones unum B. Leonis capitulũ constat esse permissum, quô ita omnia Decretalia constituta Sedis Apostolicæ custodiri mandantur, ut, si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam denegari: ait enim decima suarum Decretalium: ne quid verò sit, quòd prætermissum à nobis fortè credatur, omnia Decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocẽtii quàm omnium Decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis Ordinibus & Canonum sunt promulgata disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri mandamus, ut si quis &c.*
98 In specie verò pro genuinis Decretalibus agnoscuntur duæ Epistolæ Clementis I. ad Corinthios scriptæ; Epistolæ S. Cornelii, quæ extant inter opera S. Cypriani; Epistolæ Julii I. quæ referuntur à S. Athanasio *Apologia* 2. Epistolæ Liberii, quæ à S. Hilario in fragmentis recensentur; Epistola Damasi ad Illyrici Episcopos, quam Theodoretus *lib.* 2. *Hist. Eccles. cap.* 22. exscripsit, aliæque ejusdem Pontificis Epistolæ, apud S. Hieronymum extantes; omnes denique Veterum Pontificum Epistolæ, quæ à Sanctis Patribus aut priscis Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus referuntur, sinceri ipsorum fœtus sunt. Pagi *d. l.* apud quem in *pag. seqq. usque ad* 112. & apud Joannem Doviat *d. lib.* 2. *à cap.* 23. *usque ad cap.* 28 de cujuslibet Pontificis priorum quatuor Sæculorum Epistolis strictior inquisitio formatur.

QUÆSTIO XV.

An Canones Apostolorum à Clemente I. Pontifice collecti fuerint; & an canonicâ authoritate polleant?

Affirmativa in hoc *tractat. Præamb. cap.* 1. *pag.* 99
9. *à n.* 109. defensa fuit. Huic tamen quoad collectionem Clementis opponunt se non pauci, signanter Petrus de Marca de *Concord. Sacerdot. & Imp. lib.* 3. *cap.* 2. §. 2. Doviat *Prænot. Canonic. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 3. Franciscus Pagi *d. l. pag.* 11. *n.* 5. eò quòd ab Eusebio *lib.* 3. *cap.* 25. & D. Hieronymo *de Scriptorib. Ecclesiast.* inter opera Clementis haud nume-
retur. At, quia facile accidere potuit, ut in iis 100
exemplaribus Apostolicorum Canonum, quæ Eusebio & D. Hieronymo in conspectum venerunt, nomen Clementis non fuerit adscriptum, præsertim cùm ipse non author ipsorum canonum, sed tantùm collector extiterit; antiqua traditio, quæ Clementem asseverat eorum compilatorem, necdum penitus
eversa videtur: præsertim dum *cit.* Pagi *pag.* 13. 101
sub n. 7. refert, Stephanum Papam IV. seu potius III. in Synodo Lateranensi Annô 769. statuisse *actione* 4. *non ampliùs suscipiantur Apostolorum canonũ prolata per Clementem, nisi quinquaginta capita, quæ*
suscepit Sancta DEI Catholica Romana Ecclesia. Pro- 102
fectò antiquam hanc collectionem, & sæculô tertiô non posteriorem esse, hi ipsi Authores consentiunt, probantque: quippe cùm in Nicæna prima Synodo frequenter allegentur, fuerint que cogniti antiquissimis, tum Græcis, tum Latinis Patribus, longè ante Concilium Iconiense, Anno 258. celebratum, puta Clementi Alexandrino ac Tertulliano circa Annum Christi 195. nec multò pòst Origeni, uti &
Cypriano, qui Anno 255. passus legitur. Unde et- 103
iam de illorum authoritate vix dubium esse poterit: quia præfatus Tertullianus (ut commemorat Doviat *d. cap.* 2. *n.* 9) *libr. adversùs Praxeam Canones Apostolorum*, scilicet, *esse nobis per manus traditos*; S. Athanasius in Synopsi eos numerat inter hagiographa; Synodus sexta in Trullo *Can.* 2. jubet eos posthac firmos, & stabiles permanere. S. Joannes Damascenus *lib.* 4. *de Fide orthod. cap.* 14. eos inter Scripturas Sacras recensere videtur; Dionysius Exiguus inseruit initio Codici Canonum Ecclesiæ Romanæ; Isidorus in sua Epistola *in capite Canonum*, relata post *cap. placuit* 4. *Dist.* 16. eos propter *authoritatem cæteris Conciliis* proponit: *quoniam, licet à quibusdam apocryphi dicantur, plures eos recipiunt, & Sancti Patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverant, atque inter canonicas posuerunt consti-*
tutiones. Interim quoad numerum Canonum, licèt 104
magna etiamnum sit dissensio inter hos & alios Doctores; attamen *cit.* Pagi *d. pag.* 13. *n.* 9. advertit, Joannem Antiochenæ Ecclesiæ Presbyterum ex ordine Scholasticorum dixisse: *Sancti Domini Discipuli & Apostoli octoginta quinque Canones Clementis operâ ediderunt*; huncque numerum probatum à Synodo Trullana *d. can.* 2. & à generali Synodo 7. *act.* 1. admissum à Rhetio in *Nomocanone*; agnitum passim à Græcis, & de facto post Decretum Gratiani, jussu Gregorii XIII. editum, uti & passim in Concilio-
rum editionibus servatum. Quamquàm à Latinis 105
nonnisi quinquaginta, aut sexaginta admitti, notat Doviat *d. cap.* 2. *n.* 8.

QUÆSTIO XVI.

Num ante Libros Juris Civilis, qui extant in ejusdem Corpore, præcesserit alia collectio?

106 Quemadmodùm ab ipsis Romani Imperii Auspi-
ciis sub Regibus Leges sat multæ in lucem vene-
runt; ita etiam non defuit earum collectio, dum,
ut meminit Pomponius in *l. necessarium* 2. §. 2. *ff.
de Orig.Jur.* omnes conscriptæ extant in Libro Sexti
Papirii, unius ex principalibus viris; qui liber *Jus Ci-
vile Papirianum* appellabatur, *non quia Papirius de
suo quidquam ibi adjecit, sed quòd Leges sinè ordine
107 latas in unum composuit.* Vid. Struvius in *Historia
Juris cap.* 1. *§.* 5. Sub libera deinde Republica via
alia Legum collectio tam nota & certa est, quàm
Legum XII. Tabularum, tum ex Græcorum, præ-
ciquè Lacedæmoniorum & Atheniensium, Jure, tum
ex Legibus Regiis & patriis consuetudinibus ex-
cerptarum, de quibus Pomponius in *d. l.* 2. §. 4.
108 *ff. de Orig. Jur.* Harum Fragmenta in Corpore Juris
post Codicem reposita cernuntur à Gothofredo,
qui tamen initiô statim *lit. a.* fatetur, Leges, priore
libro contentas, ex Ciceronis libris *de Legibus* de-
cerptas, verè duodecim tabularum non esse, sed à
Cicerone partim inventas, partim ex ipsis Legibus
duodecim tabularum interpolatas ex testimonio ip-
109 sius Ciceronis *lib.* 3. *de Legib.* Hasque Juris Civi-
lis, publici & privati, fontes extitisse, passim asseve-
rant DD. cum Struvio *d. cap.* 1. § 8. laudatque eas
non semel Justinianus, speciatim in § *caterùm* 3. *Inst.
de Legit. agnat. success. l. Lege duodecim* 14. *Cod. de
Legit. hæredib. Nov.* 22. *cap.*2.

110 Successit disputatio fori seu interpretatio Pru-
dentûm, de qua Pomponius in *cit.l.*2.§.5.*ff. de O.J.
his*, inquit, *Legibus latis, cæpit, ut naturaliter eve-
nire solet, ut interpretatio desideraret prudentium au-
ctoritate necessariâ esse disputationem fori. Hæc dispu-
tatio & hoc jus, quod sinè scripto venit, compositum à
Prudentibus propria parte aliqua non appellatur, ut
cætera partes Juris suis nominibus designantur, sed
111 communi nomine appellatur Jus Civile.* Natæ hinc
Legis actiones, seu legitimæ actiones, certæque for-
mulæ, juxta quas inter se homines disceptarent, nec,
prout vellent, in jure vel judicio agerent; & post-
quàm ab Appio Claudio congestæ, &, ad formam
essent redactæ, ab ejus autem scriba, Cneo Flavio,
liber surreptus, ac populo communicatus, liber hic
in ejus gratiam appellatus est *Jus Civile Flavianum.*
112 Pomponius in *d. l.*2. §.6. *&* 7. Augescente postmo-
dùm civitate, quia deerant quædam genera agendi,
Sextus Ælius alias actiones composuit, & librum
populo dedit, qui appellatur *Jus Ælianum.* Idem *d.*
113 §. 7. Dehinc supervenerunt *Plebiscita*, quæ plebs
plebejo Magistratu seu Tribuno plebis interrogante
114 constituebat; *Senatusconsulta*, quæ Senatus, ad
quem propter difficilem exundantis Populi convo-
cationem cura Reipublicæ spectabat, decreverat;
115 *Edicta Prætorum*, seu Magistratuum Romanorum,
ab iis quot annis eum in finem proposita, *ut scirent
cives, quod jus de qua re quisque dicturus esset*, dicta
alioquin *Jus Honorarium*, *quòd ab honore Prætoris
116 venerat*; & demum, summâ rei ad unum devolutâ,
Constitutiones Principum, quibus si quid placuit, Le-
117 gis habebat vigorem. Pompon.*d.l.*2.§.8.9.10.11. Ut
adeò Papinianus in *l.* 7. *ff. de J. & J.* haud immeritò
dixerit, *Jus Civile* esse, *quod ex Legibus, Plebiscì-
tis, Senatus consultis, decretis Principum, auctori-
118 tate prudentum venit*; qui etiam in §. 1. illud secre-
vit à Prætorio, *quod Prætores introduxerunt adju-
vandi, vel supplendi, vel corrigendi Juris Civilis
gratiâ propter utilitatem publicam.*

Ex Cæsaribus, ut refert Struvius in *Histor. Jur.* 119
cap. 2.§.6.*& seq.* Flavius Vespasianus Imperator om-
nia SCta & Plebiscita ab Urbis exordio in unum col-
legit. Hadrianus Edicta Prætorum, singulis annis
proposita, non tantùm ex annalibus fecit perpetua,
sed etiam in compendium redegit, quibusdam detra-
ctis, quibusdam ex suo adjectis. Titus Cajus JCtus
sub eodem Hadriano & Antonino Pio Institutio-
num quatuor libros composuit; Ælius Marcianus
sub Severo Imperatore scripsit sedecim libros Insti-
tutionum; Callistrato libri tres, Julio Paulo præter
duos libros Institutionum quinque libri *sententiarum
receptarum*, Domitio Ulpiano *regularum liber sin-
gularis*, & duo Institutionum libri tribuuntur; ta-
cendô Papinianum, Ulpianum, Pomponium, Cel- 120
sum, Proculum, Modestinum, Venulejum, Alfe-
num, Scevolam & alios, qui partim quæstionum &
responsionum libros, partim libros pandectarum con-
cinnârunt, de quorum vita & scriptis eruditè agunt
Bernardinus Rutilius, Joannes Bernardus, & Gut-
lielmus Grotius; tacendô etiam Codices JCtorum
Gregorii & Hermogeniani, in quibus constitutio-
nes Imperatorum usque ad Diocletianum erant
collectæ. Certè, narrante Struviô *d. cap.* 2. §.11. 121
Constantinus M. ejusque liberi novam Juris ratio-
nem introduxerunt, ac eliminatis Ethnicorum Le-
gibus, sanctiones Christianas substituerunt, mul-
ta in favorem Religionis, Ecclesiarum, & Eccle-
siasticorum statuendô; quæ & aliæ, à Constan-
tino usque ad Theodosium juniorem latæ, eis au-
thoritate in suum Codicem Theodosianum ann.
438. relatæ fuerunt.

QUÆSTIO XVII.

A quo tempore Jus Justinianeum in Germania authoritatem acceperit?

Jus Justinianeum à prima sui origine Germanos 122
non obligasse, in hoc *cap.* 1. *n.* 180. animadversum
est. Germani siquidem ab initio magis non-scriptô
jure quàm scriptô regebantur; &, sicuti à nulla
Gente vel Natione externa unquam (saltem ex ma-
jori parte) devicti fuere; ita nullius juris vel Legi-
bus se unquam subdiderunt; &, si quas subinde Le-
ges ex provinciis Romani Imperii, quas peragrave-
rant, aut occupaverant, assumpserint, non ex ne-
cessitate, sed spontaneâ receptione accidit. Post- 123
quam verò Jus Justinianeum sæculô 12mô in Italia
doceri cœptum, & præprimùs in Academia Bono-
niensi à JCto Irnerio ann. 1128. ex probatorum
scriptorum attestatione explicandis Legibus princi-
pium est factum, per confluentes illuc ex variis Na-
tionibus Scholares postea in alias provincias, Gal-
liam, Hispaniam, Lusitaniam, Angliam, Hungariam
&c. invectum, atque sæculô 13tiô in Germaniam
pedetentim introductum, magis tamen sæculô 14tô,
erectis tum Academiis, excultum & promotum
fuit. Struvius in *Histor. Jur. cap.* 6. *per tot.* signan-
ter §. 39. Ex Scholis deinde manavit ad forum & 124
Dicasteria, suamque vim successivô & tacitô Ger-
manorum consensu in plerisque Germaniæ regioni-
bus accepit, usquedum apertâ Imperatorum tum
provocatione ad Leges Civiles scriptas *gemeine ge-
schribene Rechte*, vel *die Kayserliche Rechte*, vel *die
welsliche Rechte*; tum expressâ sanctione agnitum,
& stabilitum est; quò pertinent multifariæ Imperii 125
constitutiones Maximiliani I. & Caroli V. in Ord.
Cam. Wormatiæ ann. 1495. §. *Item als* 20. Ord. de
Notar. de ano. 1512. *tit.* 1. *§.* 1. *& tit.* 2. §. 12. Ord.
Cam. Wormatiæ ann. 1521. *tit.* 32. §. 2. Rec. Imp.
Spiræ ann. 1529. §. 39. & passim.

Quòd verò Struvius *d. l.* §. 4. commemoret, 126
non

non minùs promotum fuisse Jus Cæsareum per Lu-
therum & Reformationis Authores, qui, ut Cano-
nicum Jus supprimerent, Justinianeum magis ma-
gisque evehere fuerunt conati, verum equidem di-
127 cit. Sed ad magnam Lutheri, & ejus sequacium
confusionem: quid enim novum hunc Evangelii
præconem (si Diis placet) magis dehonestat, nisi
quòd lucem suffocaverit, & Corpus Juris Canonici
in flammas conjecerit, ut neque ipse, ceu filius te-
nebrarum, videret Evangelicam veritatem, in SS.
Canonibus hinc inde relucentem, neque alii, quos
128 obcæcare voluit, conspicerent? Imò, dum Justi-
nianeum Jus promovere voluit, debuisset ex ipsis-
met Legibus Codicis & Novellis constitutionibus
agnoscere, veræ & antiquæ Ecclesiæ dogmatibus
è diametro repugnare, quæ illæ pro veris articulis
129 mundo obtrudere præsumpsit. Enim verò Justi-
nianus apertè agnoscit, & suscipit cœlibatum cle-
ricalem in *Nov. 6. cap. 1. §. 2. & seqq. Nov. 22. cap.
42. Nov. 123. cap. 29. Nov. 137. cap. 1.* Statum Mo-
nachalem *l. si quis 5. l. monasteria 40. Cod. de Epis-
cop. & Cleric. Nov. 5. Nov. 133. per tot.* distinctionem
& diversitatem graduom in Sacramento Ordinis *l.
Presbyteros 6. Cod. de Episcop. & Cleric.* psalmodiam
& Horas Canonicas *l. omnem 42. §. 10. Cod. d. tit.*
venerationem salutiferæ Crucis, Virginis Deipa-
ræ, & aliorum Sanctorum *l. quos gratia 1. in pr. Cod.
de Off. Præf. Prat. Afr. d. Nov. 5. cap. 2. d. Novell. 123.
cap. 32. Nov. 131. cap. 9.* Sacramentum Pœnitentiæ,
& Sacrosanctum Missæ Sacrificium. *Nov. 59. cap. 7.
Nov. 109. cap. 2. Novell. 133. cap. 2. Nov. 137. cap. 1.*
Primatum S. Pontificis, & quidquid quatuor Oe-
cumenica Concilia, Nicenum, Constantinopolita-
num, Ephesinum, & Chalcedonense statuerunt, ac
sancta Mater Ecclesia docet, & tenet *l. cognoscere
7. l. inter claras 8. Cod. de Summa Trinit.*

QUÆSTIO XVIII.

*An & qualem in Germania authoritatem habeant Spe-
culum Saxonicum, & Speculum Suevicum?*

130 Speculum Saxonicum esse nihil aliud quàm Jus
Provinciale Saxonicum, ex moribus & Legibus an-
tiquis Saxonum circa initia sæculi XIII. a quodam
Repkovio primitus conscriptum, sed, qui opus in-
ceptum haud absolverit, ab Hoyero Comite Falc-
kensteinio consummatum, author est Struvius in
131 *Histor. Jur. cap. 6. §. 22.* Speculum Suevicum esse
Jus Provinciale Suevicum seu Franconicum, diu
post Saxonicum, incertum quo authore, composi-
tum, in quod multa ex Decretalibus ac Jure Justi-
nianeo, quin & Speculo Saxonico, cumulata sunt,
132 docet idem Struv. §. 25. De utroque hoc Speculo
existimat hic Author *dd. ll.* intelligi, quod statuit
Carolus IV. in A. B. *cap. 5.* de Jure Franconico &
Saxonico, quòd nempe Elector Saxonicus sit Impe-
rii Vicarius in terris Juris Saxonici, & Comes Pala-
133 tinus Rheni in terris Juris Franconici. Verum, ta-
metsi Juri seu Speculo Saxonico sat longo tempore
magnam authoritatem constitisse, idque non solum
in Saxonia, sed etiam Marchionatu Brandenburgi-
co, Principatu Anthaltino, Holsatia, utraque Lusa-
tia, Silesia, Bohemia, Polonia, Borussia, Transylva-
nia & Dania viguisse, fidem demus *cit.* Struvio §.
134 23. Attamen successu temporis extra Saxoniam pla-
nè abolitum fuisse, fatlantur Stryck. in *proœm. usus
mod. Digest.* & Ludwig. ad A. B. *tit. 5. §. 2. pag. 573.
135 & seqq. sub lit. z.* Imò in ipsa Saxonia non aliam vim
& virtutem authenticam, nisi quatenùs usu, consue-
tudine, & observantia est receptum, illi tribuit Cla-
riss. D. Stephanus Christophorus Harpprecht in
Speculi Suevici non usu moderno p. 1. cap. 4. §. 4. & 5.
Quod ipsum longè majori titulo iste celeberrimus 136
Professor asserit, & egregiè demunstrat de Speculo
Suevico *d. cap. §. 7. & seqq.* utpote cujus origo in-
certa; auctoritas publica valdè dubia; observantia
saltem à tempore immemoriali nulla: adeoque, nisi
in uno aut altero particulari casu usus ipsius lucu-
lenter ostendatur, neutiquam attendenda. Indeque 137
interpretationem A. B. quam in *n. 132.* Struvius ad-
struit, laudatus Harpprecht *cap. 5. §. 9.* planè reji-
cit, ac per Jus Franconicum & Saxonicum non Le-
ges harum provinciarum, sed ipsas terras & regio-
nes, quæ olim ad Ducatum Franconiæ seu Sueviæ
& Saxoniæ pertinebant, intelligendas indicat.

QUÆSTIO XIX.

Detúrne Jus Publicum Ecclesiasticum?

De Jure Publico Civili pro instituti nostri ratio- 138
ne satis egimus in *d. tract. praamb. cap. 1. à n. 135.*
pluraque ex professo dicemus in Jurisprudentia Pu-
blica Imperii Romano-Germanici, DEO dante,
brevi tempore in lucem proferendâ. An verò etiam 139
detur Jus Publicum Ecclesiasticum? In similibus
terminis, quantum meminimus, nunquam à nobis
disceptatum est. Quamquàm de affirmativa haud
ambigendum videatur. Si enim Jus Civile Publicum
definiatur ex *cit. cap. n. 128.* quod ad statum rei Ro-
manæ spectat, seu quod versatur circa constitutio-
nes, statum Reipublicæ concernentes, ut innote-
scat, quid in ordine ad illum justum injustumve sit:
pari jure Jus Publicum Ecclesiasticum definiri po- 140
terit, quod ad statum totius & universalis Ecclesiæ
spectat, seu quod versatur circa constitutiones,
statum publicum Hierarchiæ Ecclesiasticæ concer-
nentes, ut sciatur, quid in illius consideratione con-
veniat aut disconveniat. Et, sicut in Jure Publico 141
Civili potissimùm agitur de Imperio Romano-Ger-
manico, ejus Augustissimo Capite, & membris,
Circulis, Comitiis, Judiciis &c. ita in Jure Publi-
co Ecclesiastico præcipuè disquirendum erit de
Ecclesia Romano-Catholica, illius Summo & visibili
in terris Capite Romano Pontifice, nec non variis
ejusdem membris, Archi-Episcopis, Episcopis &c.
item Conciliis universalibus, & particularibus; va-
riis provinciis, inter se coadunatis; uti & supremis
Romanæ Curiæ Tribunalibus.

Quæ quidem materiæ etiam in nostra Jurispru- 142
dentia Canonico-Civili in suas divisæ sedes, oppor-
tunè discutiuntur; fortè tamen, si benigni Superi
longiorem sanitatem & vitam indulgeant, speciali
quadam elucubratione sub titulo: *Jurisprudentia
Publica Romano-Catholica* ad Typum ordinabuntur.

QUÆSTIO XX.

Quid sentiendum de Jurisprudentia Criminali?

Jurisprudentiam Criminalem, qualiter apud Ro- 143
manos & Germanos antiquiori ævô in more fuerit,
historicè exponit D. Struvius in *Hist. Jur. cap. 9. §.
2. & mult. seqq.* Hodie in Imperio Romano-Ger- 144
manico ea regulatur ad amussim Nemesis Carolinæ,
seu Ordinationis criminalis, à Carolo V. in diversis
Comitiis, puta Wormatiensibus ann. 1521. Spiren-
sibus anno 1529. Augustanis anno 1530. Statibus
propositæ, & demum anno 1532. cum eorum con-
sensu in Comitiis Ratisbonensibus promulgatæ; ad-
eò ut Judices & Assessores juxta eam procedere te- 145
neantur, præterquàm ubi in uno aut altero loco in
aliquibus articulis contraria consuetudo inoleverit,
ut patet ex *præfat.* d. Ordinationis ibi: *Haben Wir
sambt Chur-Fürsten, Fürsten, und Ständen, auff gnä-*

digen geneigtem Willen etlichen gelehrten, trefflichen, erfahrnen Personen befohlen, ein Begriff, wie, und welcher Gestalten in peynlichen Sachen und Rechtfertigungen dem Rechten und Billigkeit am gemässisten gehandelt werden mag, zu machen, in ein Form zusammen zu ziehen, welches Wir also in Druck zu bringen verschafft haben, dass alle und jede unsere und dess Reichs Unterthanen sich hinfüro in peynlichen Sachen, in Bedenckung der Gröss- und Fährlichkeit, denselben jetzt angezeigten Begriff, den gemeinen Sachen, Billigkeit, und löblichen hergebrachten Gebräuchen gemäss halten mögen, wie ein jeglicher ohne Zweiffel für sich selbst zu thun geneigt, und desshalben von dem Allmächtigen Belohnung zu empfangen verhofft. Doch wollen Wir durch dise gnädige Erinnerung Chur-Fürsten, Fürsten, und Ständen an ihren alten wohl-hergebrachten rechtmässig- und billichen Gebräuchen nicht benommen haben.

QUÆSTIO XXI.

Qualem authoritatem obtineant libri Feudorum?

146 In *cit. hoc tract. cap. 1. n. 182.* illis authoritatem de-
cisivam adstruaimus: quia, licèt ab hominibus pri-
vatis, Consulibus Mediolanensibus, partim ea con-
stitutionibus Imperatorum Conradi II. Henrici III.
Lotharii III. Friderici I. partim ea rerum in Lom-
bardia judicatarum præjudiciis prudentumque re-
sponsis primitus collecti noscantur: nihilominùs eô-
dem quasi tempore, quô Jus Civile ex Academiis
Italiæ in Scholas & fora Germaniæ tacitô usu &
praxi subintravit, Jus Feudale Longobardicum,
in duobus libris Feudorum, qui extant in Corpore
Juris Civilis ad finem, contentum, eâdem ratione
in Germaniæ Academiis & judiciis explicari, & re-
147 cipi cœpit. Struv. in *Hist. Jur. cap.* 8. §. 28. Et
quamvis juxta hunc Auctorem §. 29. alicubi vigeat
Jus aliud Feudale, in specie apud Saxones *das Säch-
sische Lehen-Recht*, & apud Alemannos *das Schwä-
bische Lehen-Recht*: attamen, sicut *in quæst. 19. à n.
133. & seqq.* de Jure seu Speculo Saxonico, mul-
toque magis de Suevico seu Alemannico animad-
vertimus, utriusque vim & valorem valde dubium
esse: pariter de isthoc Jure Feudali adnotare debe-
mus, illius decisivam virtutem planè imbecillem,
&, ubi in singulis casibus singularis praxis demon-
strari nequit, illegalem censeri; veluti Inclyta nostra
148 Facultas Juridica, desuper requisita, anno 1717.
die 31. Martii respondit, ac decidit, saltem in Parti-
bus Rheni, Sueviæ, Franconiæ seu Vicariatu Pala-
tino de nullo alio Feudali Jure, quam Longobardi-
co, à tempore immemoriali per continuum usum &
praxim recepto, constare; Jusque Feudale, quod vo-
catur Alemannicum, à Schiltero, Meischnero, vel
alio privato Doctore concinnatum, vim decisivam
non habere; &, si aliquando fuerit usitatum, post in-
troductum Jus Feudale Longobardicum, exolevis-
149 se. Itaque etiam responderunt Facultates Juridicæ
aliarum Universitatum, Altorfensis, Coloniensis,
Dilingana, Duisburgensis, Erfortensis, Friburgen-
sis, Hallensis, Ingolstadiensis &c. quarum & aliarum
responsa per extensum exhibet Clariss. D. Stepha-
nus Christophorus Harpprecht *de Spec. Suevici &
præsertim Juris Feudal. Alemann. non-usu mod. part.*
150 2. *à pag.* 49. Quin & plurimi S. R. I. Electores,
Principes, & Status, ab eodem Clariss. JCto *pag. 1.
& seqq.* recensiti, ad præviam consultationem uni-
formiter pronuntiârunt, suis in provinciis, territo-
riis, & Dicasteriis, illud Jus Feudale tantùm agnos-
ci, & recipi, quod continetur in Corpore Juris Ci-
vilis; nisi in quibusdam casibus per specialia statuta
eidem certò derogatum fuisse dignoscatur.

CAPUT II.

De Objecto Jurisprudentiæ Canonico-Civilis.

Commune Philosophorum effatum est, habitus ab objecto, circa quod occupantur, speciem & naturam emutuare. Unde, ut Jurisprudentiæ nostræ species & natura ad vivum, ut ajunt, depingatur, oculos in illius objectum in præsenti capite figemus; justitiam tamen, tanquàm objectum formale, penitiùs contemplaturi.

SECTIO I.

De Justitia in genere.

SUMMARIA.

1. *Justitiæ etymon.* 2. & 3. *Homonymia.* 4. *Est virtus.* 5. *Moralis.* 6. *Ad alterum directa.* 7. *Ad jus suum cuique tribuendum.* 8. *Est voluntas causaliter.* 9. *Constans & perpetua.* 10. & *seqq. Jus suum.* 15. *Cuique tribuendi.* 16. *Justitia communiter est quadruplex.* 17. & *seqq. Argumenta proferuntur contra definitionem justitiæ, tanquàm non univocam.* 23. & *seqq. Alia definitio suggeritur, & impugnatur.* 26. & *seqq. Nova definitio profertur, & sub incudem vocatur.* 31. *Justitia requirit alteritatem personarum.* 32. & *seqq. Ostenditur, quâ ratione non detur justitia inter patrem & filium, dominum & servum &c.* 37. *An detur justitia inter DEUM & hominem? Remissivè.* 38. & *seqq. Recensentur effectus justitiæ.* 41. & *seqq. Sola justitia commutativa fundat obligationem restitutionis.*

§. I.

Quid sit Justitia?

JUstitia, vel ab eo, qoòd vim sistat, dicta, vel 1
potiùs ab eo, quòd jus alteri sistat, appellata,
subinde capitur genericè; nonnunquam specificè.
Genericè capitur, quando virtutes cæteras comple- 2
ctitur, ac ille, qui suas actiones cum præceptis Di-
vinis & humanis conformat, *justus* nuncupatur: quæ
significatio SS. paginis est usitatissima. *Specificè* ca- 3
pitur, quando virtutem specialem, quâ inclinamur
ad jus suum cuique tribuendum, denotat: quæ sig-
nificatio nobis est accommoda.
Itaque justitia, specificè sumpta, est I. virtus 4
specialis: cùm enim virtus sit habitus, inclinans
ad rectitudinem seu conformitatem cum natura in-
tellectuali, justitia, quæ inclinat ad rectitudinem
& conformitatem juris cuique tribuendi, naturæ
intellectuali & sociali maximè conformem, justis-
simè choro virtutum adscribitur. Illustriss. D. Au-
gustinux Reding *Theolog. Scholast. tom. 1a. q. 1. art.
1. contr. 1. n. 3.*
II. Justitia est virtus *moralis*. Nam justitia mo- 5
vet voluntatem ad operationes juxta debitum &
jus alterius ritè exercendas. Atqui virtus ejusmo-
di dicitur esse moralis. Ergo &c. D. Reding *cit.
l. n. 3. & 5.*
III. Justitia est virtus *ad alterum*. Siquidem non 6
sistit

non sistit in sola operantis perfectione, sicuti v. g.
temperantia vel fortitudo; sed eundem in ordine
ad alios, in humana societate conviventes, perfice-
re satagit, sicuti v. g. pietas, & obedientia. D.
Gletle *Jurisprudent. fundam. lib. 1. tit. 1. cap. 5.*
§. 1. *n.* 3.
7 Definitionem justitiæ Justinianus Imperator in
pr. Inst. de J. & J. & Ulpianus JCtus in *l. justitia*
10. *in pr. ff. eòd.* sic efformant, quòd sit constans
& perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.
Consentit Aristoteles cum Philosophis, & D. Tho-
mas cum Theologis, ut meminit Illustriss. Reding
cit. l. n. 1.
8 Dixi I. *constans & perpetua voluntas.* Ubi præ-
primis notandum, voluntatem hic non accipi for-
maliter, quasi scilicèt ipsamet justitia esset volun-
tas identicè; sed causaliter, quatenùs actus justitiæ
imperantur à voluntate; vel quatenùs justitia vo-
luntatem inclinat ad tribuendum cuique, quod
suum est. Reding *cit. l. n.* 2. Clariss. P. Mezger
9 *Theolog. Scholast. tom.* 11. *disp.* 23. *art.* 1. *n.* 2. De-
inde observandum, voluntatem hanc firmam & per-
petuam esse debere, non subjectivè & effectivè,
sed affectivè & objectivè, conjunctam nempe cum
efficaci proposito, cuilibet semper præstandi, quod
debitum est. P. Mezger *cit. num.*
10 Dixi II. *jus suum.* Quæ verba tanquàm diffe-
rentialia, & objecti formalis justitiæ expressiva, di-
stinguunt justitiam tum ab aliis virtutibus, quæ non
tendunt ad alterum, aut jus alienum adæquare vel
compensare satagunt; tum à virtutibus, ad alium
ordinatis, quæ quidem respiciunt jus alienum,
sed non tanquàm suum, ac pro libitu creditoris ab-
11 dicabile. Sic enim Religio cultum, Supremo Nu-
mini debitum, exhibere cupit; ita tamen, ut Divi-
num Numen, aliàs omnipotens, nequeat cultum
12 hunc creaturæ condonare. Sic pietas filii respectu
patris exigit obsequia quæcunque, absque eo quòd
pater illa remittere, vel, si remiserit, filius intermit-
13 tere queat. Sic obedientia Superioribus dictat pari-
tionem & reverentiam; nec tamen Superior cum
inferiore dispensare valet, ut à vinculo paritionis &
14 reverentiæ sit immunis. At justitia respicit tale jus,
quod creditor in gratiam debitoris cedere, eumque
ab obligatione sua potest absolvere. Consulantur
P. Lessius *de J. & J. lib. 2. cap. 1. n. 5.* P. Gibali-
nus *Scientiæ Canon. lib. 3. cap. 2. n.* 16. Gletle *Ju-
risprud. fundam. cit. l. n.* 4.
15 Dixi III. *cuique tribuendi.* Cùm enim, ut aliquo-
ties dictum, justitia præcipuè laboret, hominem in
ordine ad proximum instruere & dirigere, eò de-
bet conniti, ut non tantùm uni vel alteri, sed om-
nibus omninò, sive Superiores, sive inferiores, sive
æquales fuerint, reddatur, quod debitum & justum
16 est. Quæ ratio fuit, ut vulgò quatuor justitiæ
species (de quibus in *Sect.* 2.) statuerentur: nimi-
rum justitia *legalis*, quâ communitati; distributi-
va & vindicativa, quâ à communitate membris par-
ticularibus; commutativa, quâ parti à parte reddi-
tur, vel exhibetur, quod debetur.

§. II.

Deturne conceptus univocus justitiæ quoad omnes species?

17 Justitia, paucis abhinc lineis definita, multis tam
singularis apparet, ut species, sub illa contentæ,
non possint univocè prælibatam definitionem parti-
18 cipare. Vel enim, ajunt, *jus*, velut objectum ju-
stitiæ, sumimus propriè & æqualiter, quatenùs ex
dicendis in *to. 5. tract. de Jure propriet.* est facultas,
habendi alios obligatos in suum commodum & ar-
bitrium; vel impropriè & inæqualiter? Si prius:
sola justitia, quam nominamus commutativam, hoc
nomen sibi propriè vindicabit. Nam jus proprie- 19
tatis (quod alii rigorosum aut activum nuncupant)
supponit ex parte creditoris facultatem liberam &
absolutè cedibilem; ex parte debitoris è contrà
necessitatem absolutam, ut, si ille urgeat, iste per
remedia judicialia compelli possit ad faciendum aut
omittendum, ad quod tenetur. Atqui talis facul-
tas datur ex parte solius creditoris, qui debito-
rem ex justitia commutativa tenet obstrictum, uti
posteà videbimus. Ergo &c. Si posterius; conse- 20
quitur, justitiam à reliquis virtutibus, ad alterum
ordinatis, specificè non differre: nam & ipsæ sup-
ponunt aliquod jus impropriè tale, quod utique
discrimen essentiale inter virtutem unam aut alteram
ponere non potest. Præterea jus, quod tribuitur 21
v. g. in justitia legali vel distributiva, non tam al-
teri, quàm sibi ipsi tribuitur: cùm enim justitia le-
galis & distributiva fundentur in nexu politico par-
tis ad totum, & inferioris ad Superiorem; utique
non supponunt distinctionem adæquatam inter par-
tes & totum, sed inadæquatam, quatenùs ex pluri-
bus personis, inter se politicè coadunatis, resultat
communitas. Sanè qui debitum suum Reipublicæ 22
vel parti quà tali præstat, & actiones suas in illius
emolumentum dirigit, per consequentiam & indis-
pensabilem quasi connexionem in utilitatem & com-
modum proprium operatur. Ergo justitia legalis
& distributiva de substantia memoratæ definitionis
ex æquo non communicant.
Alii definitionem aliam & omnibus justitiæ spe- 23
ciebus univocè communem adornant, quòd sit vir-
tus, ad id ordinata, ut debitum cum jure alterius
adæquetur. Verùm & ista definitio multùm impug-
natur à citato D. Gletle *n.* 8. præsertim autem ex 24
eo fundamento, quòd ipsa quoque justitia commu-
tativa (ne dicam legalis) adæquationem debiti cum
jure alterius non semper intendat, uti contingit,
tum quando debitor solvit creditori partem debiti;
quo in casu justitiam exercet, tametsi jus credito-
ris non adæquet, tum etiam quando quis alterum
non impedit in exercitio dominii vel alterius juris,
quâ in hypothesi exercetur actus justitiæ, nec ta-
men jus unius adæquatur, utpote cùm obligatio
per hoc non absumatur. Plura videre licet apud 25
cit. D. Gletle; quibus tamen non immoror, sed
breviter dicendum opinor, quòd, sicuti *jus* in pri-
ma definitione non convenit univocè singulis justi-
tiæ speciebus, sic etiam *debitum*: jus enim propriè
& activè sumptum per modum correlativi necessa-
riò petit jus passivum seu debitum, dum hôc ipsô,
quòd unus habeat jus agendi & exigendi, alter ha-
bet obligationem patiendi & reddendi: adeòque
quod prædicatur aut dicitur de uno ex correlativis,
prædicatur & dicitur etiam de altero.
P. Haunoldus *de J. & J. tom. 1. tr. 2. n. 7.* ut inclu- 26
deret omnes species justitiæ, excogitavit definitio-
nem novam, quòd justitia sit virtus ad alterum,
cujus actiones, ex obligatione factæ, nunquam ge-
nerant in altero obligationem gratiarum actionis
vel gratitudinis. Sed, si rectè sentiam, hæc defini- 27
tio nequidem ipsam justitiæ quidditatem exprimit.
Sunt enim virtutes aliæ, ad alterum relatæ, qua-
rum actiones, ex obligatione positæ, nunquam ge-
nerant in altero obligationem gratitudinis. Enimve- 28
rò si quis ex virtute religionis eximium DEO ter
Opt. Max. cultum & honorem exhibeat, non exer-
cet actum justitiæ, & tamen in DEO nulla gratitu-
dinis obligatio nascitur, quia nunquam exhauritur
vel adæquatur debitum infinitum, quod habeat cre-
atura erga Creatorem. Similiter si filius ex virtute 29
pietatis patri deferat omnia, quæ potest, obsequia,
pater

pater non contrahit obligationem gratitudinis: quia titulus generationis, & fundatum in eo jus obsequiorum, ad amussim adæquari nequit, juxta commune proverbium: parentibus & Magistris nunquam satis.

30 Fatebimur itaque cum Magnifico D. P. Pettschacher locô inferiùs citandô, definitionem justitiæ, generatim acceptæ, tam exactam pro singulis ejus speciebus efformari non posse, ut argumentis contrariis fortiter non impugnetur. Superior autem & legalis definitio in *n. 7.* videtur soli justitiæ commutativæ propria, in *seq. sect.* rursus ad incudem revocanda.

§. III.

Quas inter personas detur Justitia?

31 Veram & strictè dictam Justitiam inter personas non tantùm physicè, sed moraliter quoque distinctas intercedere, pervium ex antecedentibus evadit. Siquidem, cùm virtus dicatur ad alterum, oportet adesse duas personas, tam quoad naturam, quàm quoad censuram Juris, inter se distinctas, quarum una sustineat vicem creditoris, altera vicē debitoris.

32 Inferunt ex hoc DD. agminatim, non dari justitiam propriè dictam filium inter & patrem; inter dominum & servum; inter maritum & uxorem. Nam filius est pars & portio patris, nec minùs patri, quam res alia suo domino fructificat. Servus est instrumentum domini, & pariter eidem quoad personam & jure subjectus, quàm res aliæ, ratione carentes. Uxor & maritus quoad officium conjugale sunt una caro; quoad officia verò domestica & regimen œconomicum uxor à marito, tanquàm capite, dependet.

33 At ego cum grano salis positam illationem accipi debere, existimo. Nam, ut incipiam à patre &
filio, manifestè constat, patrem respectu filii, &
filium respectu patris injustitiam committere posse,
si nempe filius patri ex illius substantia vel pater filio ex peculio castrensi vel quasi aliquid auferat, aut
peculii adventitii proprietatem reddat deteriorem:
cur non ergo justitia possit inter filium & patrem
34 intercedere? Servus utique rem domini vel omninò surripere, vel corrumpere, aut destruere potest,
cum injuria & injustitia; dominus quoque servum
injustè potest lædere tum in vita aut membris, tum
in honore & fama, tum in fortunis, si peculium ali-
35 quod eidem plenô jure conferat. Conjuges non tantùm habere jus ad petendum debitum, sed etiam
distincta bona, in propatulo est: quamobrem, si
durante Matrimonio unus alteri quidpiam intervertat, non quidem actionem furti (ut salvetur honor conjugii) sed actionem rerum amotarum Jus Civile concessit.

36 Sensus igitur præcedentis illationis non est alius, quàm justitiam non consurgere inter personas enumeratas, quando ponuntur actiones, quæ debentur v. g. patri ex titulo nativitatis; domino ex titulo servitutis; marito ex titulo gubernationis & potestatis œconomicæ: non enim ex jure stricto & rigoroso, quale genuina desiderat justitia, ejusmodi actiones imperantur aut exercentur. Conferantur Illustrissi. D. Reding *Theol. Scholast. cit. tom. 12. q. 1. exntr. 2. per tot.* Clariss. P. Mezger *Theol. Scholast. cit. tr. 11. disp. 25. art. 4. per tot.* Haunold. *cit. tr. 2. à n. 75.*

37 Deturne justitia DEUM inter & hominem? Libentiùs disputant Theologi, quàm Juristæ. Sufficit tamen, obligationem nostram, quam erga DEUM profitemur, majorem & strictiorem esse, quàm obligationem justitiæ vel alterius virtutis; quemadmodùm & promissio, quam ex mera clementia in SS. paginis Divina Bonitas sæpiùs interposuit, tam firma & efficax est, ut neque fallere possit, neque falli. Unde D. Anselmus noster in *suo prosologio cap. 10.* sapientissimè proloquitur: *Justus es Domine, non quia nobis reddis debitum, sed quia facis, quod decet te Summum Bonum.* Conferatur Magnif. D. P. Pettschacher in *Opusc. de Jure in Communi & in specie append. 2. q. un. art. 3. per tot.*

§. IV.

Quisnam effectus sit Justitiæ?

Effectus Justitiæ considerari potest vel in obli- 38
gatione, vel in petitione, vel in redditione. Obligatio respicit debitorem, qui debitum suum legitimô tempore, locô, & modô, juxta præscriptos li-
mites, explere tenetur. Petitio respicit creditorem, 39
qui petere valet à debitore, ut, quod suum sibique
debitum est, præfixô tempore, locô, & modô con-
sequatur. Redditio seu executio debiti, quæ est ac- 40
tus & exercitium justitiæ, respicit tam creditorem, quàm debitorem, quatenùs illius petitionem sufflaminat, & hujus obligationem extinguit.

Quòd si debitor obligationi suæ non satisfaciat, 41
committit injustitiam, quam vulgò dicimus injuriam; peccat enim in jus alterius, dum jus creditoris violat. Less. *de J. & J. lib. 2. cap. 7. n. 4* Haunold.
cit. tr. 2. cap. 2. n. 112. Quin etiam ad restitutionem 42
tenetur, qui damnum alteri per violationem juris intulit; non quidem in omni justitia, sed, ut verissima tenet opinio, in justitia commutativa. Less. *cit. l. cap. 8. n. ult.* Gibalin. *Scient. Can. lib. 3. cap. 1. n.*
24. & 2. seqq. Nam quia per solam justitiæ commu- 43
tativæ læsionem læditur jus alterius strictum & rigorosum, ex sola justitiæ commutativæ læsione consurgit obligatio reparandi, quod læsum est.

SECTIO II.

De speciebus Justitiæ.

SUMMARIA.

44. *Describitur Justitia legalis.* 45. *& seqq. Est Virtus specialis.* 48. *Non tamen perfecta Justitiæ species.* 49. *& seqq. Ponitur, & prosternitur instantia de domino particulari.* 52. *Justitia legalis cernitur in superioribus & inferioribus.* 53. *Dirigit actiones in bonum publicum.* 54. *Describitur Justitia Distributiva.* 55. *Est specialis Virtus.* 56. *Residens penes Communitatem.* 57. *& seq. Habet pro objecto bona, non autem onera, communia.* 59. *Exercetur in membris Reipublicæ.* 60. *Non in extraneis.* 61. *Fundatur in debito.* 62. *& seqq. Quod tamen non est rigorosum.* 65. *& seqq. Discriminant alii justitiam distributivam & commutativam per diversam proportionem.* 68. *& seqq. Rejicitur ab aliis discrimen hoc.* 71. *Panditur nostra mens.* 72. *& seq. Ex violatione hujus justitiæ per se non oritur obligatio restitutionis.* 74. *Sed per accidens.* 75. *Describitur Justitia vindicativa.* 76. *& seq. Est Virtus distincta.* 78. *& seq. Sed imperfecta justitia.* 80. *Reperitur in Superioribus.* 81. *Intendit æqualitatem inter pœnam & culpam.* 82. *Attendit proportionem arithmeticam.* 83. *Describitur justitia commutativa.* 84. *Est singularis Virtus.* 85. *& seq. Communis omnibus partibus.* 87. *Supponit jus rigorosum.* 88. *Idque tribuit cuique.* 89. *& seqq. Obligat ad restitutionem.*

§. I.

§. I.

De Justitia Legali.

44 INter species justitiæ numeratur I. *Legalis*;
quam omnium virtutum præstantissimam esse,
pronuntiat Aristoteles; cuique, teste Eminentissimo
nostro Cardinale Aguirre *Philos. moral. p. 1. l. 5. cap.*
1. n. 19. multi Ethnicorum, tanquam Numini, aras
erigere, & sub Astreæ seu Themidis nomine sacri-
ficia offerre non dubitaverunt. Est autem hæc ju-
stitia virtus, inclinans partes communitatis ad actio-
nes, in bonum communitatis dirigendas.

45 Dixi I. *virtus:* Sed qualis? An specialis? An me-
ra virtutum aliarum complexio? Ajo, specialem es-
se, cum *cit.* Lessio n. 11. Aguirre *d. l. n. 24.* Reding
de J. & J. to. 12. q. 1. art. 1. contr. 2. n. 4. Gibalino *cit. l.*
n. 20. Magnif. P. Pettschacher in *cit. Opusculo de Ju-*
re Communi, & in specie append. 2. q. un. art. 2. §. 1.
concl. 1. Clariss. P. Mezger *Theol. Scholast. tr. 11. disp.*
46 *25. art. 1. n. 4.* Ratio est: quia non parva sed magna
pluribus est difficultas, neglectò privatô, quod tam
impensè quæritur, commodo, per actiones suas pu-
blicum & commune bonum intendere. Cùm ergo
habitus virtuosi, tam intellectuales quàm morales,
toties, quoties emergit nova difficultas, multipli-
47 centur; justitia legalis erit specialis virtus. Confir-
matur: quia novum objectum formale, quod ab alia
virtute primariò non intenditur, novam haud dubiè
virtutem constituit. Atqui bonum commune, quod
intendit primariò justitia legalis, est novum objec-
tum formale, à nulla virtute alia quæsitum. Ergo
novam virtutem constituit. Adeóque, si quis om-
nibus effulgeat virtutibus, illas tamen in felicitatem
communem non referat, est quidem virtuosus, sed
non justus legaliter.

48 An justitia legalis sit perfecta justitia? Non am-
pliùs quærere, sed resolutionem negativam ex n. 21.
& seq. colligere licebit: quia scilicèt justitia legalis
neque supponit perfectam jurium aut personarum
alteritatem; neque jus, quod habet ad actiones ci-
vium, est in arbitrio & libera voluntate communi-
tatis. P. Pettschacher *cit. l. concl. 2.*

49 Neque dicas: qui obligatus est alteri propter do-
minium particulare ex justitia commutativa, justi-
tiam perfectam exercet, quando id facit, ad quod
dominium alterius se extendit. Ergo etiam, qui
obligatus est communitati propter dominium altum
& universale ex justitia legali, perfectam justitiam
exercet, quando in bonum commune id agit, ad
quod dominium communitatis se extendit.

50 ℞. negandô consequentiam & paritatem. Dispa-
ritas est: quia in casu priori est perfecta jurium &
personarum alteritas unà cum libera voluntate cre-
ditoris; non item in posteriori, ut dictum in *n. 48.*
51 Adde, quòd dominium altum & universale non sit
ejusdem rationis & generis cum dominio particu-
lari: siquidem illud reipsâ nihil est aliud, quàm
Jurisdictio gubernativa, quæ principaliter atten-
dit bonum publicum; hoc autem ast verum jus
proprietatis, quod principaliter bonum privatum
considerat.

52 Dixi II. *inclinans partes communitatis.* Ubi per
partes non tantùm intelligo subditos, ceu membra
Reipublicæ minùs principalia, sed etiam Superio-
res & Gubernatores, tanquàm capita & membra
principalia: nemo siquidem magis curare debet bo-
num commune, ac qui curam ipsius communitatis
habet. P. Rosmer *de J. & J. in comm. n. 4.*

53 Dixi III. *ad actiones in bonum communitatis diri-*
gendas. Quæ verba nativam justitiæ legalis faciem
describunt, eamque discernunt à cæteris justitiæ
speciebus, quæ ex fine primariò actiones in bonum
communitatis dirigere non allaborant. Videantur
celebratissimi Sant-Gallenses *Cursûs Theol. to. 5. tr.*
4. concl. 1.

§. II.

De Justitia Distributiva.

Inter species Justitiæ II. recensetur *Distributi-* 54
va, nomen à *distribuendo* sortita. Huic Chrysippus
apud Eminentiss. Card. Aguirre *Phil. mor. cit. l.*
cap. 2. n. 11. oculos rectos, acies, immotos, & in
judicando non flexibiles tribuit. Hesiodus autem
eandem appellat Virginem, quæ corrumpi se vio-
larique non patiatur. Nobis & potioribus est virtus,
inclinans eum, qui communitati præest, ad bona
communia partibus ex debito distribuenda.

Dixi I. *virtus*; & quidem, ut omnes facilè con- 55
cedent, specialis: ut enim affectus privatus, qui
frequenter in promotionibus & distributionibus bo-
norum communium irrepere solet, excludatur, &
unicus respectus ad merita & qualitates subdito-
rum habeatur, specialis est difficultas, pariens ha-
bitum novum & novam virtutem.

Dixi II. *inclinans eum, qui communitati præest.* 56
Adeóque justitia distributiva non reperitur in quo-
libet Reipublicæ membro, sicuti Legalis, sed in
Principe tantùm, communitate, vel eo, qui com-
munitatem regit, residet: quemadmodùm enim is
solus est, qui communia dispertitur bona; ita so-
lus est, qui justitiam distributivam exercet. P.
Pettschacher de *Jure in communi cit. append. 2. q.*
un. art. 2. §. 2. conclus. 1.

Dixi III. *bona communia.* Per bona communia 57
intelliguntur illa, quæ quidem in bonum commu-
nitatis sunt destinata, uni tamen vel alteri de com-
munitate assignari debent; cujusmodi sunt officia
publica, honores, dignitates, beneficia tam Eccle-
siastica quàm sæcularia &c. Onera verò publica,
membris Reipublicæ, nolentibus etiam & invitis 58
imponi solita, propiùs ad justitiam legalem quàm
distributivam pertinere videntur. Quamquam in eo
sensu, ut servetur justa proportio, nullusve subdi-
torum ultra fas & æquum oneribus & contributio-
nibus gravetur, ad justitiam commutativam ejus-
modi onera revocet Haunold. *cit. tr. 2. n. 109.*

Dixi IV. *partibus.* Ad hoc enim, ut officium v. 59
g. alicui ex justitia distributiva conferri dicatur,
requiritur ex parte recipientis jus aliquod ad tale
officium, cujusmodi jus non competit alteri, quàm
parti communitatis. Unde si quispiam extraneus li- 60
cèt cæteroquin dignissimus, ad simile officium pro-
moveretur, ista promotio non actus justitiæ, sed li-
beralitatis dicenda foret. Haunold. *cit. l. n. 108.*

Dixi V. *ex debito distribuenda.* Itaque justitia 61
distributiva fundatur in debito, quod afficit com-
munitatem, ut bona communia membris idoneis &
commeritis distribuat. Quod ipsum tamen debitum 62
non est rigorosum aut strictum, hôc ipsô, quod
partes à communitate non sint adæquatè discretæ,
& dignitas v. g. quæ confertur, non habeatur jure
propriô, nec possit in utilitatem propriam admini-
strari. Est igitur jus improprium & de congruo, 63
quod fundatur in majori vel minori dignitate unius
membri communitatis præ altero, quatenùs com-
munitas vel illius præses non pro libitu, sed neces-
sariò tenetur in promotionibus ad qualitates sub-
ditorum respicere, &, quos ampliora conspicit ha-
bere merita, cæteris præferre, vel ad ampliora
dignitatum culmina evehere. Ex quo relucet inti- 64
mum & essentiale discrimen inter justitiam di-
stributivam & commutativam, dum hæc non illa
fundatur in debito rigoroso & stricto, supponitque
perfectam

perfectam alteritatem inter creditorem & debitorem.
Pettschacher *cit. append. art.* 2. §. 2. *coll.* 2.
65 Complures, quibus adstipulantur Illustriss. Re-
ding. *de J. & J. cit. q.* 1. *opt.* 1, *contr.* 3. *n.*4. & Sant-
Gallenses *cit. l. q.* 5. *concl.* 3. distinguunt justitiam di-
stributivam à commutativa in eo, quòd ista propor-
tionem arithmeticam, illa proportionem geometri-
66 cam observet. Est autem proportio arithmetica ni-
hil aliud quàm æqualitas quantitatum, seu commen-
suratio rei ad rem, qualis est in duobus numeris bi-
nariis, veluti si creditori debeas duos florenos, &
67 totidem solvas. E contrà proportio geometrica est
æqualitas proportionum, requirens quatuor termi-
nos, seu comparatio quatuor terminorum ad invi-
cem, veluti si comparetur numerus novenarius ad
senarium, & senarius ad quaternarium, dicendô: si-
cuti comparantur novem ad ses, ita ses comparantur
ad quatuor: ut proinde, si in communitate Petri
merita comparativè ad merita Pauli habeant se tan-
quàm novem ad sex, debeant in distributione offi-
ciorum cum simili excessu coronari.
68 Sed Haunoldus *cit. tr.* 2. *n.* 94. unà cum aliis non
vult agnoscere mox declaratum discrimen: quia nec
justitia distributiva semper observat proportionem
geometricam, nec commutativa arithmeticam:
nam, si vel unum duntaxat officium vacet in Re-
publica, vel unus tantùm, qui dignus sit, inve-
niatur, ob defectum quatuor terminorum in colla-
69 tione nequit haberi proportio geometrica. Similiter
si Titius plures habeat creditores, nec omnibus sa-
tisfacere valear, ex justitia commutativa debet om-
nibus solvere, non secundùm proportionem arith-
meticam (quia non redditur tantum, quantum
debetur) sed secundùm proportionem geometri-
cam, reddendô v. g. ei, cui 100. debentur, quin-
quaginta; & ei, cui 50. debentur, viginti quinque
solvendô.
70 Quòd si respondeas, in allatis exemplis per acci-
dens esse, quòd debita proportio servari non pos-
sit. Regerit Haunoldus *cit. l. n.* 96. rationem spe-
cificativam unius virtutis ne quidem per accidens
alteri virtuti convenire posse.
71 Itaque cum P. Rosmer *cit. l. n.* 3. & D. Gle-
tle *Jurisprud. fundamem. d. lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 5. §.
6. *n.* 11. dicendum arbitror, esse quidem ordina-
rium & naturale, ut justitia distributiva propor-
tionem geometricam, & commutativa arithmeti-
cam attendat, prout ex Aristotele eruditè demon-
strat Eminentiss. Aguirre *Phil. mor. d. l.* 5. *cap.* 3.
n. 12. *& seqq.* & *cap.* 4. *nu.* 3. *& seqq.* non autem
essentiale.
72 Utrùm ex violatione justitiæ distributivæ con-
surgat obligatio restitutionis? Deducendum est ex
num. 42. ubi statuimus, ex sola justitiæ commu-
tativæ violatione restitutionis obligationem pro-
73 fluere. Ratio vel confirmatio hujus deductionis
est: quia, tametsi quis dignior sit alterô, qui su-
blimatur ad spartam vacantem; attamen, cùm jus
proprietatis & strictè dictum ad ejusmodi spartam
non habeat, potest quidem conqueri, prælatio-
nem personæ minùs dignæ fuisse injustam, læsio-
nem tamen & violationem juris læsi prætendere
nequit.
74 Planè si ex iniqua munerum aut bonorum com-
munium distributiona Respublica detrimentum pa-
tiatur, distribuens est obligatus ad satisfactionem,
non ex justitia distributiva, sed commutativa, prop-
ter expressam aut tacitam conventionem, cum Re-
publica initam, vi cujus tenetur officia vel bona
publica dignioribus & habilioribus tribuere.

§. III.

De Justitia Vindicativa.

Inter species Justitiæ III. numeratur *Vindicati-* 75
va, quæ nomenclaturam sumit à dictione seu dic-
tatione & impositione vindictæ; dicitúrque virtus,
inclinans eum, qui communitati præest, ad pœ-
nam condignam delictis imponendam.
Disi I. *est virtus.* At quæritur, an specialis sit 76
virtus? Ubi contra non paucos resp. quòd sit. Sant-
Gallenses *Curs. Theol. cit. to.* 5. *tr.* 4. *q.* 5. *sub Quæres*
II. Magnif. P. Pettschacher *cit. l. art.* 2. §. 3. *concl.* 1. 77
Ratio est: quia justitia vindicativa, præterquàm
quòd annexam habeat singularem difficultatem, ag-
noscit aliud objectum formale proximum, quàm re-
liquæ species, honestatem nempe, quæ cernitur in
noxis & noxiis puniendis. A vera tamen justitia lon- 78
giori distat intervallô, quàm justitia legalis & distri-
butiva: siquidem ex parte delinquentis, cui admi-
nistratur, non exigit jus activum ad pœnam (hic
enim magis abhorret, quàm expetit supplicium) sed
obligationem, pœnam legitimè dictatam sustinendi,
præsupponit. Ex parte punientis equidem prære- 79
quirit jus puniendi; sed illud nec ordinatur in uti-
litatem punientis, nec, si pœna sit vindicativa, in
commodum puniti, sed principaliter in salutem Rei-
publicæ dirigitur.
Diai II. *inclinans eum, qui communitati præest.* Ad- 80
eóque subjectum justitiæ vindicativæ non est quod-
libet Reipublicæ membrum, sed membrum imperans
& præsidens: nec enim condecet, ut privatorum
quispiam in alterum vindice gladiô vel manu de-
sæviat, sed, ut authoritate publicâ de scelere vin-
dicta sumatur, boni publici necessitas exposcit.
Disi III. *ad pœnam condignam delictis imponen-* 81
dam. Censetur autem condigna delicto pœna, quan-
do est culpæ proportionata, seu quando in eo gra-
du punitur delinquens, in quo gradu versatur illius
malitia. Nam æquitas aut æqualitas haud sinit, ut
vel major vel minor sit vindicta, quàm antecedens
vindictæ causa. Unde probabilior nobis est senten- 82
tia, in *tom.* 3. *lib.* 5. *tr.* 1. *de Delictis in genere* reassu-
menda, quòd justitia vindicativa non geometricam
sed arithmeticam proportionem attendat, tantum-
que cruciatum infligere maleficis laboret, quantum
in se vel circumstantiis maleficium erat. Gletle *Ju-*
risprud. fund. cit. l. §. 7. *n.* 10. *& seq.*

§. IV.

De Justitia Commutativa.

Inter species Justitiæ IV. statuitur *Commutati-* 83
va, ab eo, quòd locum & regimen teneat in com-
mutationibus, contractibus, & commerciis huma-
nis, sic nominata; quæ est virtus, inclinans partes
communitatis ad jus suum cuique tribuendum.
Consequenter definitio justitiæ, superiùs in *n.* 7.
& seqq. allata & explicata, propriè convenit justi-
tiæ commutativæ.
Dixi igitur I. *virtus*, utique specialis & adeò no- 84
bilis, ut sola rationem perfectæ justitiæ, juxta prin-
cipia, à nobis à *n.* 17. adstructa, ex æquo sibi vendicet.
Dixi II. *inclinans partes communitatis.* Nec di- 85
stinxi, quales sint partes, imperantes an obtemperan-
tes, consules aut cives, Reges & Principes, vel rusti-
ci & subditi: omnes namque, non habitâ conditio-
nis aut statûs consideratione, reddere tenentur al-
teri, quod suum est. Ut proinde, si communitas 86
ipsamet aut Magnatum aliquis quidpiam homini
privato promittat, aut aliô modô se obliget, ex
justitia

Justitia commutativa promissioni vel obligationi satisfacere obstringatur.

87 Dixi III. *Ad jus suum.* Atque hoc est illud jus, quod constituit objectum formale justitiæ, tenens se ex parte creditoris activè, tribuensque facultatem efficacem exigendi, quod sibi debetur; at ex parte debitoris se tenens passivè, & obligationem eidem imponens, præstandi, quod debet.

88 Dixi IV. *cuique tribuendum.* Ubi denuò nulla fit distinctio inter personas, sive sint partes communitatis, sive extraneæ: nam, licèt in extraneis justitia legalis, distributiva, vel vindicativa locum non inveniat, invenit tamen justitia commutativa, ceu regula societatis & commercii humani, quod non minùs in civitate propria quàm extra civitatem exerceri consuevit.

89 Casu quò verò jus cuique suum non tribuitur, non solvitur obligatio, sed virtute justitiæ commutativæ præcipitur restitutio, seu satisfactio, vel redintegratio juris læsi. Hæcque restitutio Theologis multum facessit negotii; eamque, brevitatis studiò, triplici ex radice vulgò descendere volunt, nimirum ex injusta acceptione, ex re acce-
90 pta, & ex contractu. *Sub injusta acceptione* comprehenditur omnis damnificatio, quâ quis alterum in quacunque re per culpam (saltem Theologicam) lædit. *Sub re accepta* venit res aliena, ab aliquo formaliter aut æquivalenter, sed injustè, detenta. *Sub contractu* intelligitur obligatio, in gratiam alterius ex conventione contracta. Vid. Magnif. Pettschacher in *Opusc. de Jure in commun. & in specie Append.* 1. *q. un. art. un. per tot.*
91 Jurisperiti reipsà quidem à Theologis non dissentiunt; alium tamen loquendi modum usurpant. Vel enim, inquiunt, læditur jus alterius reale, vel personale. Si reale, vel res ipsa, vel in ejus defectum æstimatio est præstanda. Si personale; tunc læsio contingit vel in contractu aut quasi; vel ex delicto aut quasi. Utrovis tamen contingat modô, pro restitutione dandum, aut supplendum est, quod debetur.

SECTIO III.

De Objecto Jurisprudentiæ Canonico-Civilis.

SUMMARIA.

92. *Attingitur objectum Jurisprudentiæ.* 93. & *seq. Objectum materiale sunt actiones hominum,* 95. & *seq. Formale est justitia universalis.* 99. & *seq. Adæquatum est actio humana justa.* 101. & *seqq. Jurisprudentia Canonica pro objecto materiali desiderat actiones quodammodò spirituales.* 105. & *seq. Pro formali justitiam Christianam.* 107. *Pro adæquato actionem Christianam justam.* 108. & *seq. Illius differentia à Theologia Morali notatur.* 110. *Jurisprudentia Civilis pro objecto agnoscit actionem politicam.* 111. & *seqq. Adducuntur & refelluntur objecta.* 116. *Pro objecto formali requirit justitiam politicam.* 117. *Pro adæquato habet actionem politicè justam.*

§. I.

De Objecto Jurisprudentiæ in genere.

92 Justitiâ bilanci Juria tantisper impositâ, perspicimus nunc objectum Jurisprudentiæ. Hoc aliud est materiale, aliud formale. De utroque varia DD. placita citat & refutat D. Braun *de Jurisprud. in gen. & in spec. cap.* 1. §. 4. & 5. Ego mox sententiam meam aperio, &

Dico I. Objectum materiale Jurisprudentiæ sunt 93
actiones & negotia humana. D. Braun *d.* §. 4. *n.* 5.
D. Gletle *Jurisprud. fund. tit.* 1. *cap.* 2. §. 3. *n.* 1. Ratio
est: quia Jurisprudentia, tanquam habitus practicus,
id unicè curat, ut actiones hominum juxta Leges &
regulas honestæ operationis dirigantur, ut liquet
ex *cap.* 1. *numer.* 2. Ergo actiones hominum,
prout dirigibiles ad justitiam, sunt materia seu objectum
materiale, circa quod Jurisprudentia proximè
versatur.

Dices: actiones humanæ vel sunt justæ, vel in- 94
justæ: Si justæ sint, non egent ulteriori justitiâ. Si
injustæ supponantur, justæ fieri non possunt, ex
notissimo veriverbio, quòd factum infectum fieri
nequeat.

℞. Actiones tum justas, tum injustas à Jurisprudentia considerari: illas quidem, ut conserventur; has autem, ut puniantur, & in melius reformentur.

Dico II. objectum formale Jurisprudentiæ est 95
justitia, quoad omnes species considerata. Braun
cit. l. §. 5. *n.* 2. Gletle *cit. l.* §. 2. *n.* 2. & §. 3. *n.* 3.
Ratio prioris partis est: quia finis & objectum forma- 96
le dicitur in scientiis practicis coincidere. Sed finis
Jurisprudentiæ non est alius, quàm ut homines
efficiantur justi, & quilibet alteri, quod suum est,
reddat. Ergo justitia est objectum formale Juris-
prudentiæ. Ratio posterioris partis est: quia Juris- 97
prudentia non tantùm connititur, ut actiones hominum
sint justæ per justitiam commutativam inter
privatos quà tales, sed conatum suum exserit, ut
per justitiam legalem partes communitatis actiones
suas referant in bonum commune; & per justitiam
distributivam præmia secundùm merita, per justitiam
autem vindicativam juxta demerita pœnæ decernantur.
Alioquin enim nec ipsa justitia commutati- 98
va inter privatos salva consisteret, nisi cæteræ species,
tanquàm vinculum & nexus communitatis, in
auxilium venirent.

Dico III. Objectum adæquatum & totale Juris- 99
prudentiæ est actio humana justa. Gletle *cit.* §. 3.
num. 4. Ratio est: quia, si actionem humanam cum 100
justitia conjungas, habet objectum materiale simul
& formale. Atqui objectum materiale conjunctum
formali nuncupatur objectum adæquatum & totale,
Ergo &c.

§. II.

De Objecto Jurisprudentiæ Canonicæ.

Dico I. Jurisprudentiæ Canonicæ objectum 101
materiale sunt actiones humanæ aliquatenùs
spirituales. Gibalinus *Scientiæ Canon. lib.* 1. *cap.* 2. *q.* 1.
per tot. & *lib.* 5. *q.* 2. *n.* 1. Ratio est: quia in Jure Ca- 102
nonico nihil aliud præcipitur aut prohibetur, nisi
quod deservit ad finem supernaturalem, ut nempe vel
eundem actibus imperatis assequamur, vel impedimenta,
quò minùs assequi possimus, removeamus:
consequenter actus sic imperati vel prohibiti, ut pro-
portionem habeant cum fine, debēt aliquâ ratione spi- 103
rituales & supernaturales esse. Confirmatur. Justitia
Christiana & supernaturalis non potest introduci
in actiones alias quam Christianas, & suô modô supernaturales.
Ergo actiones humanæ, prout dirigibiles
ad eandem justitiam, supernaturalitatem quandam habeant
necessum est.

Neque dicas: in Jure Canonico permulta trac- 104
tari, quæ spiritualia non sunt, v. g. testamenta, contractus,
judicia &c. Nam etiam, quæ profana videntur,
non tractantur aliter à Jure sacro, quàm
sub respectu & relatione ad finem spiritualem, quatenùs
temporalia debemus ita curare, ut æterna
non amittamus.

105 Dico II. Jurisprudentiæ Canonicæ objectum formale est justitia Christiana universalis, seu conformitas actionum humanarum cum Legibus & re-
106 gulis Ecclesiasticis. Ratio est: quia Jurisprudentia Canonica per SS. Canones, Leges & regulas Ecclesiasticas hoc unicè quærit, ut actiones hominum Christianorum illis conformentur, & præmii supernaturalis reddantur capaces. Quare justitia Christiana universalis rectè vocatur objectum formale Jurisprudentiæ Canonicæ.

107 Dico III. Jurisprudentiæ Canonicæ objectum adæquatum & totale est actio justa Christiana seu spiritualis. Ratio est: quia in hoc, ut actio fiat justa, non quomodocunque, sed modô Christianô & spirituali, tota Jurisprudentiæ Canonicæ sollicitudo desudat.

108 Si opineris: hoc ipsum objectum totaliter attingi à Theologia Morali. Non erras. Notare tamen oportet, illud objectum attingi sub alia ratione à Theo-
109 logia Morali; sub alia à Jurisprudentia Canonica. Illa siquidem actionem humanam contemplatur, quatenus præcisè conducit ad salutem hominis Christiani. Hæc eandem actionem dirigit, prout ordinatur ad salutem totius Ecclesiæ, quatenùs est corpus quoddam mysticum, in unitate Sacramentorum & fidei sub uno Capite, Summo Pontifice, congregatum.

§. III.

De objecto Jurisprudentiæ Civilis.

110 DIco I. Objectum Jurisprudentiæ Civilis sunt actiones hominum, ad felicitatem politicam accommodatæ. Ratio est: quia similes actiones sunt media ad consequendum objectum formale & finem Jurisprudentiæ Civilis.

111 Dices I. objectum materiale esse res Divinas & humanas juxta *l. justitia* 10. §. 1. *ff. de J. & J.* ubi Jurisprudentia Civilis describitur, quòd sit *rerum divinarum atque humanarum notitia.*

112 ℞. Res Divinas & humanas esse objectum Jurisprudentiæ remotum, non proximum; proximum verò censeri actiones, quæ plerumque circa res humanas & subinde Divinas versantur.

113 Dices II. objectum materiale proximum non tantùm esse actiones, sed etiam personas & res juxta *§. ult. Inst. de J. N. G. & C.* & *l. omne Jus* 1. *ff. de Stat. hom.* ibi: *omne Jus, quô utimur, vel ad personas, pertinet, vel ad res, vel ad actiones.*

114 ℞. in citatis locis non agi de actionibus, rebus, & personis, quatenùs sunt objectum Jurisprudentiæ Civilis, sed quatenùs reputantur summa illius capita vel partes, ad quæ omnia cætera, de quibus agi-
115 tur in Jure Civili, possunt reduci. Nempe, ut scribit D. Braun *de Jurisprud. in gen. & spec. cap.* 1. §. 4. *n. ult. Personæ* sunt, quæ exercent actiones humanas; *Res*, circa quas exercentur; *Actiones*, per quas exercitas justitia obtinetur, & conservatur.

116 Dico II. Objectum formale Jurisprudentiæ Civilis est justitia politica, seu conformitas actionum politicarum cum LL. Civilibus. Ratio est: quia per Jurisprudentiam Civilem intenditur conformitas actionum politicarum cum LL. Civilibus: sicque talis conformitas seu justitia politica est finis & objectum Jurisprudentiæ Civilis.

117 Dico III. Objectum adæquatum & totale Jurisprudentiæ Civilis est actio politicè justa seu actio politica, Legibus Civilibus commensurata. Ratio est: quia, quidquid in Jure Civili traditur, in actione, Legibus Civilibus commensuratâ, adæquatur, & concluditur.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1 *Affertur regula 27. Jur. in 6. 2. Datur ratio. 3. Subjicitur exceptio. 4. Allegantur exempla. 5. & seqq. Radices seu causæ restitutionis juxta Theologos & Juristas indicantur. 8. Ex culpa Theologica oritur obligatio restituendi in conscientia. 9. Non item ex culpa Juridica extra contractus. 10. & seqq. Imò secundùm Theologos etiam in contractibus. 13. & 14. Nostra reflexio, cum distinctione inter praxim & theoriam.*

QUÆSTIO I.

An volenti & consentienti fiat injuria seu injustitia?

ITa quidem dicendum apparet ex *Juris regula* 27. 1
in 6. ibi: *scienti & consentienti non fit injuria neque dolus*; cui non dissonat altera in *ff. n.* 145. ibi: *nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt.*

Ratio est: quia, ubi nulla concurrit juris viola- 2
tio, nulla committitur injuria, utpote quæ dicitur ab eo, quod non jure fit, aut quô jus alterius læditur: at, si quis sciat & consentiat, aliquid dici aut fieri, quod alioquin in illius damnum aut præjudicium redundaret, nullam patitur juris sibi competentis violationem: cùm jus suum pro illa circumstantia remisisse, aut dissimulâsse censeatur.

Supponendum tamen, eum, qui scit & consen- 3
tit, habere plenam facultatem, de jure suo disponendi: qui enim non potest liberè de suo jure disponere, nequit etiam illud efficaciter & cum effectu
credere; & sic, cùm violatio juris occurrat, injuria
abesse non potest. Quamobrem, si Clericus in sui 4
percussionem aut condemnationem, à potestate sæculari faciendam; vel maritus in adulterium, à tertio quodam cum sua uxore perpetrandum; vel pupillus in contrectationem rei suæ, à fure ablatæ vel auferendæ, consentiant, nihilominùs injuria locum habet: quia enumeratæ personæ liberâ facultate de jure, quod in allatis casibus læditur, disponendi carent. Ita passim Theologi & Jurisperiti.

QUÆSTIO II.

Ex quibus causis oriatur obligatio restitutionis?

DIxi in hoc *cap.* 2. *n.* 89. *& seq.* à Theologis 5
poni tres restitutionis causas, seu, ut illi vocant, radices, nempe injustam acceptionem, rem
acceptam, & contractum; quamquam alii, omissô
contractu, tantùm priores duos recenseant. Addi- 6
di in *n.* 91. à Jurisperitis obligationem restitutionis
fundari vel in læsione juris realis, vel juris personalis; & quoad hoc aut propter contractum vel quasi
aut propter delictum vel quasi. An verò hæc obli- 7
gatio semper stringat in conscientia, & ante omnem Judicis sententiam? Magnum inter utriusque Facultatis Doctores certamen est. Ego, ut breviter me expediam,

Adverto I. Obligationem restitutionis stringere 8
in foro conscientiæ & ante omnem sententiam, quando alterius jus culpâ verè Theologicâ læsum est. In hoc enim omnes conveniunt, Jure Naturali & Divino præceptum esse, ne quis alterum quomodolibet damnificet, &, quando per reatum conscientiæ damnum intulit, illud motu proprio, antequàm à Judice urgeatur, redintegret: non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, aut resarcitur,

tur, quod injostè diminutum, destructum, vel deterius factum est.

9 Adverto II. In eo Theologos haud convenire,
an extra materiam contractûs culpa Theologica debeat esse gravis; an levis sufficiat? Plurimos nihilominùs obligationem, saltem gravem, restituendi non agnoscere, nisi culpa Theologica gravis intervenerit: ut enim proportio sit inter culpam & obligationem restituendi, inde resultantem, obligatio gravis prærequirit culpam gravem. Ita ex nostris Magnif. P. Pettschacher de *Restit. pag.* 165. Clarissimi DD. P. Paulus Mezger *Theol. Scholast. tom.* 3. *tr.* 12. *disp.* 32. *art.* 2. *n.* 2. P. Ludovic. Babenstuber in *Ethica supernat. tr.* 7. *disp.*4. *art.* 3. §. 2. *n.* 10. P. Alanus Pfeiffer in *tract. de Restit. p.* 1. *disp.* 2. *art.* 2. §. 1.

Adverto III. Multos etiam ex Theologis existi-
10 mare, ne qoidem in materia contractûs ex sola culpa juridica subnasci obligationem restitutionis, nisi interveniat culpa gravis Theologica, nominatim citatos P. Babenstuber §. 4. *n.* 33. *& seq.* & P. Pfeiffer *art.* 5. §. 2. aliosque, ab his citatos. Rationem dant: quia obligatio hujusmodi non oritur ex Jure Naturali, utpote ex cujus positivo dictamine determinatio & præscriptio culpæ juridicæ
11 non emanavit; neque ex Jure positivo, cujus Leges, etiam ex culpa levi aut levissima damni resarcitionem præcipientes, sunt quasi-pœnales, aut saltem non aliter, quàm natura Legum pœnalium secum fert, receptæ, & sic ante Judicis sententiam
12 non obligant; neque ex intentione contrahentium, quibus & ipsi Reipublicæ satis prospectum est, quòd, si privatim ad satisfactionem præstandam admoniti sponte satisfacere recusaverint, Judex adiri, atque ab eo ad satisfactionem inviti possint compelli.
13 Quam sententiam equidem non improbo, nec pro praxi dissuadeo; attamen, an nostris principiis vetè cohæreat, plurimùm ambigo: Leges siquidem positivæ, quæ pœnam non irrogant, sed unicè reparationem damni damnificantibus imponunt, non sunt pœnales; &, si præter resarcitionem damni aliquid aliud præstandum velint, id peculariter per modum pœnæ adjiciunt, ac pœnales mixtæ appellantur; sicque obligationem restituendi ante sententiam Judicis imponunt. Accedit, quòd contrahentibus, & in contracto læsis, neutiquam suffi-
14 ciat facoltas adeundi Judicem: nam plerique lites & judicia abhorrent, aut quia probatio à potiori est difficilis, præsertim quoad culpas juridicas; aut qoia ob incertum litis eventum certas expensas facere non imprudenter detrectant. Idcircò, nisi statuatur obligatio conscientiæ, sat ipsis non est prospectum.

❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁

CAPUT III.

De Interpretatione & Regulis Jurisprudentiæ.

Jurisprudentiam aut mortuam, aut emarcidam esse, nisi prudentùm interpretatione juvetur & animetur, luculenter expressit JCtus Popomnius in *l. necessarium* 2. §. 13. *ff. de J. O.* Jura siquidem non solâ tenentur memoriâ, sed ratione potiùs, tanquàm animâ, per interpretationem comprehendi debent per *l. scire* 17. *ff. de LL.* ibi: *scire Leges, non est verba earum tenere, sed vim & potestatem.* Eapropter necessarium duximus, ut tractatum nostrum præambulum, in gratiam Juris studiosorum, interpretatione Jurisprudentiæ claudamus; *Regulas Juris*, quæ cum titulo de *Verborum significatione* in fine Corporis Juris ponuntur, tanquàm præcognita multùm utilia, connectentes.

SECTIO I.

De Interpretatione Jurisprudentiæ.

SUMMARIA.

1 *Describitur interpretatio.* 2. *& seq. Authentica declaratur.* 4. *& seqq. Exponitur simplex.* 7. *Comprehensiva.* 8. *Extensiva.* 9. *Restrictiva.* 10. *& seq. Interpretatio pro objecto habet verba.* 12. *Explicatur verbum.*13.*& seqq. Illius varietas adstruitur.* 19. *Sensus affirmativus & negativus apponitur.* 20. *& seq. Verba subinde dispositivè, subindè enuntiativè ponuntur.* 22. *Significatio propria est multiplex.* 23. *Naturalis.* 24.*& seq. Civilis.* 26. *Usualis.* 27. *Impropria depalliatur.*

§. I.

De Interpretatione Juris in genere.

INterpretatio, quatenùs Jureperitis & Jurispru- 1
dentiæ deservit, est genuina Legis alicujus explicatio vel declaratio, juxta eam significationem, quam intendit & proposuit Legislator.

Dividitur in Authenticam & Doctrinalem. *Au-* 2
thentica vel est Legalis vel Usualis. *Legalis* dicitur, quâ per expressam Legem Legis anterioris sensus à Legislatore, Superiore, vel Successore explanatur.
Usualis appellatur, quâ ex usu & consuetudine seu 3
observantia Legis sententia colligitur.

Doctrinalis subdividitur in simplicem & modifica- 4
tam. *Simplex* vocatur, quâ simpliciter & de plano,
ut ajunt, verba, prout jacent, & in vera significatione exponuntur. Hanc alii *literalem* aut *verbalem* ap- 5
pellant, ac, cùm Legi nihil de novo superaddat, à
natura genuinæ interpretationis paululùm declinare
volunt cum Fagnano in *cap. quoniam de Constitut.*
n. 19. At eam solam de legitima & stricta interpre- 6
tatione participare, cum Bartolo adstruit Suarez de
LL. lib. 6. *cap.* 2. *n.* 1. *Modificata* vel est compre-
hensiva, vel extensiva, vel restrictiva. *Comprehensi-* 7
va est, quâ id omne, quod vocabuli proprietate
comprehenditur, intelligitur, licèt explicitè non fue-
rit positum. *Extensiva* est, quâ dispositio, quoad 8
terminos angulla, ad objecta vel subjecta nova, per-
sonas, aut res, extenditur. *Restrictiva* est, quâ lo- 9
cutio, cæteroquin generalis, ad objecta vel subjecta pauctora, personas, aut res coarctatur. Videatur citatus Suarez *cap.* 2. *& seqq.*

§. II.

De Verbis.

In terpretatio non habet objectum immediatius, 10
quàm verba. Cùm enim intentio, mens, & cogitatio hominis, velut intra latebras & penetralia cordis inclusa, non aliâ clave, quàm verbô, securè reseretur: utique non aliud objectum habebit interpretatio Legis, quàm verba, à Legislatore in promulgatione Legis adhibita. Et licèt interdum non spectentur
verba, sed mens & intentio Legis: attamen ipsa mens 11

& intentio non potest considerari nisi ex verbis Le-
gislatoris, juxta illud D. Hilarii in *cap. intelligentia*
6. de Verb. signif. intelligentia dictorum ex causis est
assumenda: quia non sermoni res, sed rei est sermo sub-
jectus. Suarez de *LL. cit. lib. 6. cap. 1. n. 14.*

12 Per verbum autem non intelligimus cum Gram-
maticis aut Dialecticis id, quod per modos, personas,
& tempora distinguimus, vel quod est pars orationis,
sed quamlibet dictionem significativam, nempe pro-
nomen, nomen, adverbiū &c. Vallens. ad *tit. de V. S. n. 1.*

Verbum sic intellectum aliud dicitur singulare,
13 aliud particulare, aliud indefinitum, aliud generale,
aliud universale. *Singulare* est, quod denotat per-
sonam individualem, vel rem aliam certam & deter-
minatam, quam Juristæ speciem nominant, cujusmodi
sunt, Titius, Sempronius, fundus Cornelianus, hic
14 equus &c. *Particulare* est, quod indicat unam vel
plures personas aut res alias indeterminatas, ac Juris-
peritis subinde pro genere deservit, v. g. quidam,
aliquis, aut aliqui, annulus, homo, fundus &c.
15 *Indefinitum* est idem ac verbum commune vel e-
tiam particulare, alii nimirum nec particulare nec
16 universale signum est appositum, ut homo, equus,
fundus, ager &c. *Generale* est nomen commune,
continens sub se personas aut res plures, ac signō
quōdam universale affectum v. g. omnes studio-
17 si, omnes cives, omnes Clerici, omnes Eccle-
siæ &c. Quòd si genus subalternum sit, ac genus
aut genera plura contineat, verbum generale potest
18 appellari universale v. g. omnia bona, omnia anima-
lia &c. Quamquàm ab Authoribus verbum univer-
sale & generale ut plurimùm promiscuè capiantur.
Vid. Clariss. P. Wiestner ad *tit. de Verbor. significat. n. 4.*

19 Porrò cum verba plura conjunguntur, faciunt
orationem, & subinde completum sensum, vel
affirmativum, quò aliquid de altero affirmatur,
& prædicatum subjecto conjungitur; vel *negativum*,
quō aliquid de altero negatur, & prædicatum à
subjecto removetur.

20 Rursus verba quædam in oratione vel propositio-
ne ponuntur dispositivè; quædam enuntiativè. *Dispo-*
sitivè ponuntur, quæ referunt actum aut rē principa-
liter gestam, circa quem vel quam scilicèt dispositio
21 in Lege vel constitutione est facta. *Enuntiativè* seu
narrativè ponuntur, quæ ad rem aut actum principa-
liter gestum de necessitate non spectant, sed tantùm
incidenter ac quasi per accidens referuntur. Qua de
re sermo redibit in *tr. 1. cap. penult. de Rescript.*

§. III.

De Verborum Significatione.

22 Verba sunt interpretanda secundùm significatio-
nem, quam continent. Significatio vel est propria vel
impropria. *Propria* est multiplex, naturalis, civilis,
usualis. *Naturalis* est, quam habet verbum ex natura
23 sua, non quòd ipsa natura verbum invenerit, sed quòd
primæva hominum impositio vel institutio verbum
ad significandam rem, prout naturaliter est in se, as-
sumpserit. Suarez de *LL. d. l. 6. cap. 1. n. 9.* Hanc
ex definitione vel etymologia dignosci, docent Bar-
tolus & Alciatus apud P. Wiestner ad *tit. de V. S. n. 6.*
24 *Civilis* seu *juridica* est, quam habet verbum in fi-
ctione vel acceptione Juris. Sic enim mors ex pri-
mæva significatione denotat mortem naturalem; at
in significatione juridica denotat tam mortem mora-
lem, quæ repræsentatur in possessione religiosa *cap.*
placuit 8. XVI. q. 1. quàm mortem civilem, quæ in-
ducitur per amissionem status libertatis aut civitatis
25 *arg. l. capitalium 28. in pr. ff. de Pœnis.* Similiter ly
perpetuum ex natura sua durationem sinè fine & ter-
mino denotat; at in consideratione Juris Civilis per-
petua dicitur actio, quæ 30. duntaxat annis perdurat
pr. Instit. de perpet. & temporal. action.

Usualis est, quam verbum ex usu & longæva con- 26
suetudine recepit; prout apparet in verbo *tyrannus*,
quod ex se Principem & Monarcham absolutum si-
gnificat, hodie tamen non alium Principem, ac qui
suô dominatu & despoti in depressionem subditorum
abutitur, designat.

Impropria seu *abusiva* significatio dicitur, quâ ver- 27
bum in alium planè sensum, quàm nativum & genui-
num, aut civilem, detorquetur, veluti dum homines
liberi, in nostro famulitio existentes, vocantur servi;
nati ex fratre vel sorore appellantur nepotes.

S E C T I O II.

De Interpretatione in specie.

S U M M A R I A.

28. *Interpretatio authentica fit à solo Legislatore.* 29. *& seqq. Successore, vel Superiore &c.* 33. *& seqq. Usualis duplici modô instituitur.* 36. *Interpretatio doctrinalis quandoque æquivalet authenticæ.* 37. *Aliàs habet suos gradus.* 38. *& seqq. In hac, si simplex sit, mens & ratio Legis præprimis est inspicienda.* 43. *& seqq. Verba sunt accipienda cum effectu.* 47. *& seqq. Regulariter intelligi debent in propria significatione* 50. *& seqq. Significatio naturalis est potior civili.* 53. *Nisi materia non sit odiosa.* 54. *Verba sunt explicanda secundùm communem loquendi modum.* 55. *& seqq. Superfluitas verborum cavenda.* 58. *Antecedentia cum consequentibus comparanda.* 59. *& seqq. Interpretatio comprehensiva usurpatur, quando termini sunt generales, aut universales.* 62. *& seq. Aut indefinitè positi.* 64. *& seqq. Afferuntur limitationes.* 67. *& seqq. Ex identitate rationis licet extendere Legem, non autem ex paritate.* 78. *Regula de interpretatione restrictiva.* 79. *& seqq. Illius declaratio & ampliatio.* 81. *& seqq. Explicatur* cap. odia 15. de R. J. in 6. 87. *& seq. Agitur de epikia.*

§. I.

4. *De Interpretatione Authentica.*

VEniamus nunc ad species Interpretationis. Ha- 28
rum primaria seu *authentica Legalis*, de qua in
n. 2. non pertinet ad Jurisprudentes, sed Juris paren-
tes seu Legislatores: nam, ut loquitur Justinianus in
l. ult. §. 1. Cod. de LL. si Leges condere soli Impera-
tori concessum est, etiam Leges interpretari solô di-
gnum Imperiô esse oportet; nempe ut juxta monitum
Innoc. III. in *cap. inter alia 31. de Sent. excommu-*
nic. unde Jus prodiit, interpretatio quoque procedat.

Non tamen Legislatori soli, qui Legem tulit, po- 29
testas competit, authenticè Legem interpretandi, sed
etiā Successori in officio vel Superiori, vel cui Legisla-
tor specialiter indulsit facultatem interpretandi, ve-
luti Cardinalibus data est licentia Concilium Trident.
interpretandi. Textus in *d. cap. inter alia 31.* Quan- 30
tumvis enim Successor vel Superior omnimodâ sem-
per certitudine nequeat attingere mentem & scopum
Legislatoris, antecessoris aut inferioris, sed tantùm
per conjecturas illam debeat assequi: potest nihilomi-
nùs ex eadem vel majori potestate Legislativâ de-
terminare, in quo sensu Lex deinceps capienda, vel
observanda sit. Suarez *de LL. cit. lib. 6. cap. 1. n. 3.*

Hinc, ut notat idem Suarez *n. 3.* frequenter acci- 31
dit, ut authentica & legalis interpretatio non sit nu-
da declaratio Legis præexistentis, sed conjuncta cum
aliqua mutatione, diminutione, vel additione: quia
scilicèt ex arbitrio Legislatoris interpretis pendet,
quâ verborum amplitudine vel angustiâ priorem Le-
gem declarare velit. Quamquàm interdum ejusmo- 32
di

di mutatio in reverentiam anterioris Legislatoris dis-
simuletur, & sub nomine interpretationis simplicis
divulgetur, ut videre licet in *cap. inhærentes* 1. *de*
Juram. Calumn.

33 Quoad interpretationem *authenticam usualem*
distinguit prælaudatus Suarez *de LL. lib. 7. cap. 17.*
n. 2. inter usum seu consuetudinem, utrùm allegetur
tanquàm indicium aut testis de mente & inten-
tione Legislatoris; vel utrùm consideretur tanquàm
causa concurrens, &, suppositis requisitis, sufficiens
non tantùm ad declarationem, sed etiam introductio-
34 nem novæ Legis. Priore casu non facit interpreta-
tionem authenticam & infallibilem, sed conjecturam
duntaxat & præsumptionem, pro ratione & diutur-
nitate temporis majorem vel minorem, operatur, Le-
gem in eo sensu à Legislatore fuisse sancitam, in quo
hactenùs observata fuit *arg. cap. omnes* 1. *Dist.* 1. ibi: *Le-*
ges humanæ moribus constant; & *arg. cap. erit* 2. *Dist.* 4.
ibi: *erit autē Lex secundùm patriā consuetudinē*; & *arg.*
l. si de interpretatione 37. *ff. de LL.* ibi: *si de interpreta-*
tione Legis quæritur, in primis inspiciendum est, quô
jure Civitas retrò in ejusmodi casibus usa fuisset: optima
35 *enim Legum interpres est consuetudo.* Posteriore casu
consuetudo non minùs vim authenticam habet inter-
pretandi quàm introducendi novam Legem per tex-
tum in *cap. cùm dilectus* 8. *de Consuet.* & *l. nam Im-*
perator 38. *ff. de LL.* ibi: in *ambiguitatibus, quæ ex*
Legibus proficiscuntur, consuetudinem aut rerum per-
petuò similiter judicatarum auctoritatem vim Legis
obtinere.

§. II.

De Interpretatione Doctrinali Simplici.

36 Interpretatio *doctrinalis* interdum æquivalet aut-
henticæ, quando nimirum constans & concors est
DD. sententia, Legem hôc vel illô modô intelligen-
dam, & observandam esse. Suarez de *LL. lib. 6. cap.*
1. *n.* 6. tanta enimverò sententiarum constantia &
concordia facit moralem certitudinem, contra quam
in aliud placitum inclinare velle, nota temeritatis est.
37 At, ubi non omnes Authores in unam conspirant
sententiam, sed unus hôc, alius aliô modô Legem in-
terpretatur, interpretatio doctrinalis suos complecti-
tur gradus, tantòque potior & probabilior est, quan-
tò potioribus rationibus & adminiculis roboratur.
Suarez *cit. l.*

38 In hac porro interpretatione, si *literalis* & *sim-*
plex sit, advertendum I. mentem & finem Legis-
latoris præcipuè spectandum esse. Textus in *cap.*
intelligentia 6. & *cap. in his* 15. *de V. S. l. nomi-*
nis 6. §. 1. *ff.* eôd. *l. non aliter* 69. *in pr. ff. de Le-*
39 *gat.* 3. *l. non dubium* 5. *in pr. Cod. de LL.* Et ratio
est: quia mens & voluntas Legislatoris est sub-
stantia & vita Legis; nec aliter spectari debent
verba, nisi quatenùs sunt indicium & index men-
tis & voluntatis: consequenter, ut verba Legis
exactè calleamus, mentem Legislatoris inspiciamus,
40 oportet. Deprehenditur autem mens Legisla-
toris vel ex ipso verborum tenore, vel ex conse-
quentibus, vel circumstantiis temporum, persona-
41 rum, & loci &c. Suarez *d. l. n.* 16. Et ab hac men-
te nec latum unguem discedere concessum est, ta-
metsi Lex nonnihil difficilis aut dura videatur *arg. l.*
prospexit 12. §. 1. *ff. Qui & à quib. manumiss. &c.*
ibi: *quod quidem perquàm durum est, sed ita Lex*
42 *scripta est.* Eôque sensu verificatur tum *l. non omnium*
20. *ff. de LL.* ubi dicitur, *non omnium, quæ à Majori-*
bus nostris constituta sunt, rationem reddi posse; tum *l.*
& *ideò* 21. *ff. eod.* ubi asseritur, *rationes eorum, quæ*
constituta sunt, inquiri non oportere; alioquin multa ex
his, quæ certa sunt, subvertenda. Intelliguntur enim
hujusmodi dicta & asserta de casu, quô versamur in
materia, Legislatoris arbitrio subjectâ, ubi, si certi si-
mus de voluntate, subintrat illud vulgatum: stat pro
ratione voluntas. Clariss. D. de Wolleren in *Quæst.*
Oenipont. q. 12. *à numero* 14.

Advertendum II. Verba simpliciter prolata in ma- 43
teria tam favorabili quàm odiosa simpliciter, & cum
effectu intelligi debere. Colligitur ex *cit. cap. in his*
15. *de V. S. l. hoc legatum* 45. *ff. de Legat.* 3. *l. stipulatio*
1. §. 3. *ff. de V. O.* Ratio est: quia Legislator cætero- 44
quin imperfectam dispositionem fecisse dicendus fo-
ret, si verba tantùm in sensu imperfecto seu secundùm
quid acciperentur. Ideòque, dum Jura Canonica in 45
t. t. de Clericis non resident. in Eccles. Clericis benefi-
ciatis præcipiunt, ut resideant in loco beneficii, non
intelligitur residentia tantùm materialis, sed magis re-
sidentia formalis seu ministerium & exercitium illa-
rum functionum, quæ Clericis beneficiatis incumbunt
cap. quia nonnulli 3. *cap. relatum* 4. *d. t.*

Advertendum III. Verba in significatione propria 46
esse sumenda per *l. non aliter* 69. *in pr. ff. de Legat.* 3.
cap. inter corporalia 2. *de Translat. Ep. cap. ad audientiā*
12. *de Decim.* Siquidem de Legislatore meritò præ- 47
sumendum est, quòd, ut ritè à nobis intelligatur, in-
terna animi sensa per verba propriè significantia ma-
nifestare voluerit. Excipitur tamen unus aut alter ca- 48
sus, veluti quando propria verborum significatio
quidpiam absurdum infert, correctionem Jurium in-
ducit, iniquitatem continet, aut tertio præjudicium
causat: tunc enim satiùs est, impropriare verba, quàm
correctionem, absurdum, iniquitatem, aut tertii præ-
judicium adstruere. Textus in *cap. denique* 10. *XIV. q.* 49
5. *cap. super eo* 15. *de Offic. Jud. deleg. cap. inter dilectos*
6. *v. cæterùm de Fide instrum. cap. in Genesi* 55. *de Elect.*
cap. cùm expediat 29. *eôd. in* 6. *cap. cùm inter* 5. *de Ex-*
cept. cap. majoribus 8. *de Præbend. & Dignitat. cap. in-*
justum 4. *de Rer. permutat. l. nec avus* 4. *Cod. de*
Emancipat. lib.

Advertendum IV. Significationem naturalem es- 50
se potiorem civili, nisi ex subjecta materia civilis na-
turali præponenda videatur per textum in *l. fideicom-*
missum 76. *ff. de Condit. & demonstrat.* ubi dispositio,
de liberis facta, solos liberos, per naturam tales, in-
cludit, exclusis adoptivis; *l. statius* 48. §. 1. *ff. de J. F.* 51
ubi locutio de morte non aliam quàm naturalem indi-
cat; *l. ult. Cod. de his, qui ven. ætat.* ubi perfecta ætas 52
dicitur, quæ computatur ex naturali annorum 25.
consistentia, non ex venia ætatis, à Principe conces-
sâ. Natura siquidem & veritas est potentior quàm
ars & fictio. P. Wiestner ad *tit. de V. S.* n. 14. In ma- 53
teria tamen non odiosa significationem tam natu-
ralem quàm civilem simul intelligi posse, præcipuè si
civilis cum naturali de Jure sit exæquata, in *l. si is* 15.
in pr. ff. de Usurpat. & Usucap. innuitur, & traditur
à P. Suarez de *LL. lib. 6. cap.* 2. *num.* 5. & 6.

Advertendum V. Significationis usualis usum non 54
rarò esse: nam in eo sensu, quô communiter loqui sole-
mus in aliqua provincia, regione, vel regno, verba præ-
sumuntur fuisse prolata per textus in *cap. ex parte* 18.
de Censib. cap. ex literis 7. *Sponsal. cap. si quem* 59. *de Sen-*
tent. excommunicat. l. librorum 52. §. 4. *ff. de Legat.* 3. *l.*
cùm de lanionis 18. §. 3. *in f. ff. de Fundo instructo leg.*

Advertendum VI. Superfluitatem in verbis esse fu- 55
giendam, adeò ut otiosè non ponantur, sed aliquid o-
perentur *arg. cap. hac autem verba* 17. *de Pœnit. Dist.* 1.
cap. si papa 10. *de Privileg. in* 6. *l. cùm filiosfamilias* 50.
ff. de Legat. 3. Superfluitatē enim abhorret ars & natu-
ra. Subinde tamen solius declarationis aut majoris e- 56
nergiæ gratiâ geminantur aut multiplicantur verba
arg. cap. si adversus 11. *de Hæret.* Leges quoque de ea- 57
dem materia quandoque repetuntur, non ut novi quid
statuatur, sed, quòd anteà statutum erat, confirme-
tur, aut declaretur.

Advertendum VII. In explicatione verborum 58
ambiguorum ad antecedentia & consequentia reflec-
tendum, & unum ex altero declarandum esse *arg. l.*
si servus 50. §. *ult. in f. ff. de Legat.* 1. Quamobrem
Celsus JCtus in *l. in civile* 24. *ff. de LL. in civile*
est, inquit, *nisi tota Lege perspectâ, una aliquâ particula*

ejusdem propositâ, judicare vel respondere. P. Wiestner ad *tit. de V. S. n.* 43.

§ III.

De Interpretatione comprehensiva & extensiva.

59 Interpretatio *comprehensiva* (quam alii vocant *ex-*
tensivam, impropriè talem) locum præcipuè tenet,
quando reperiuntur verba universalia, generalia, vel
60 indefinita. Nam, si verba generalia, & multò magis
si universalia sint, applicatur regula, quòd universa-
liter & generaliter sint accipienda per textus in *cap.*
sunt nonnulli 114. *l. q.* 1. *cap. ex parte* 27. *de Deci-*
mis. Clem. quamvis 1. *de Foro compet. l. omnia* 1. *in*
pr. ff. de Off. præf. urbi. l. ea vero 3. §. 1. *ff. pro Socio*
l. quod autem 6. §. 10. *ff. Quæ in fraudem creditor.*
61 *l. omnimodò* 30. *in pr. Cod. de Inoff. testam.* Etenim
qui omne dicit, nihil excipere censetur *cap. si Roma-*
norum 1. ℣. *dicendo verò &c. Dist.* 19. *l. Juliano* 68.
in pr. ff. de Legat. 3. *l. hic titulus* 1. §. 1. *ff. de Le-*
gat. præstand. contra tab. l. à procuratore 13. *Cod.*
Mandati. Vid. Barbosa in *tract. de Diction. usufre-*
quent. dict. 238. *& seqq.* & Christophor. Phil. Ri-
chter in *tract. de Adverb. significat. verb. generali-*
62 *ter, & verb. omnimodò.* Similiter quandò verba sunt
indefinita, dicuntur æquipollere generalibus, & vim
locutionis generalis obtinere *cap. quia circa* 22. *de*
Privileg. l. servitus 23. *ff. de S. P. U. l. quoties* 2.
63 *Cod. si plures unâ sent.* Nam, qui nihil excipit, cùm
excipere potuisset, omne videtur includere *l. omnia*
1. §. 4. *ff. de Offic. præf. urbi*; &, ubi Lex non di-
stinguit, neque nos distinguere debemus *l. præses* 3.
ff. de Offic. Præsid. l. de pretio ff. de Publ. in rem act.
64 Limitatur autem hæc generalis assertio I. quando
vel in ipsa Lege, vel in alia continetur exceptio, for-
tè quòd in una Lege de re vel persona speciali nege-
tur, quod in alia generaliter erat positum *arg. l. non est*
novum 26. *& 2. seqq. ff. de LL.* tunc enim exceptio
subtrahitur generi per *cap. statutum* 22. *de Elect. in*
6. eidemque per speciem derogatur *cap. generi* 34. *de*
R. J. eòd. in 6. Latè Barbosa *de axiomat. usufrequent.*
65 *axiom.* 107. II. quando generalis aut universalis dis-
positio fundatur in tali ratione, quæ non omnibus, sed
aliquibus tantùm speciebus, sub genere comprehen-
sis, applicari potest, quemadmodùm edictû Prætoris,
Ne quid in loco sacro ædificetur, fundatur in favore &
reverentia, locis sacris debitâ, sicque tantùm perti-
net ad ædificia profana & nociva, non autem alia,
quæ fiunt ornatûs aut commoditatis causâ *l. ait*
66 *Prætor.* 1. §. 2. *ff. Ne quid in loco sacro &c.* III.
quando sub genere quædam omninò insolita conti-
nentur, vel etiam specialia, de quibus præsumere li-
cet, quòd, cùm à Legislatore specialiter non fuerint
expressa, in mentem illius non venerint *cap. ult. de*
Offic. Vic. in 6. *cap. qui ad agendum* 4. *cap. qui generali-*
ter 5. *de Procurat. eòd. in* 6. *cap. in generali* 81. *de R. J.*
eod. in 6. Suarez de *LL. lib.* 6. *cap.* 5. *à n.* 3. Barbosa *axiō.*
106. *n.* 4. *& seq.* P. Wiestner ad *tit. de V. S. n.* 3. 4. *&* 38.
67 Jam ad interpretationem *extensivam* (quam alii
vocant *purè extensivam*) descendendô, mirè variant
Authores in illius explicatione, reprobatione, vel ad-
missione. Mihi tamen quàm maximè probatur doc-
68 trina Suarezii *cit. lib. cap.* 3. *à n.* 4. Nempe, si de
Legis extensione loquamur ad casum, sub verborum
significatione neutiquàm comprehensum, videndum
erit, num adsit par vel eadem ratio casûs expressi
cum non expresso. Par ratio censebitur, quando ra-
tiones quidem sunt diversæ, similitudinem tamen &
æqualitatem inter se continent, prout v. g. est ratio
amicitiæ, vel pietatis ex una parte; ex altera ve-
rò motivum misericordiæ, vel gratitudinis &c. Ea-
dem ratio judicabitur, quando non tantùm est si- 69
militudo, sed omnimoda convenientia & identitas
rationis in pluribus materiis, subjectis, vel casi-
bus, adeò ut motivum v. g. pietatis utrobique
æqualiter reluceat. Ubi itaque paritas duntaxat ra- 70
tionis occurrit, interpretatio extensiva locum non
invenit: siquidem ratio Legis non est ipsa *Lex*; &,
ubi suffragatur rationis paritas, solùm convincitur,
quòd Legislator, si voluisset, casum omissum ex-
primere potuisset, non autem, quòd de facto vo-
luerit. Imò, cùm quælibet vel minima dissimilitu- 71
do sufficiat, ad reddendam disparitatem inter ca-
sum unum aut alterum, eaque sit facilè reperibi-
lis, periculosum erit, ex hac sola ratione Legem
ab uno casu ad alterum, sub verbis nullatenùs
comprehensum, ampliare. Atque hinc *cap. sæpe* 2. 72
de Temporib. ordinat. in 6. quod prohibet Episco-
pis Italiæ, ne aliquem ultramontanum absque Sum-
mi Pontificis licentia, vel proprii Episcopi literis di-
missoriis, causam rationabilem, cur ordinare non
velit aut non valeat, expressam habentibus, ordina-
re præsumat, non extenditur cum suis pœnis ad
alios Episcopos extra Italiam: quia, licèt par sit
ratio prohibitionis quoad omnes Episcopos, non
tamen est eadem. Passerin. in *comment. ad cit.*
cap. num. 20. *& seqq.* Hinc etiam *cap. quia* 73
in insulis 6. *de Regularib.* ubi statuitur, quòd
in insulis; *quia est dura Monachorum Congre-*
gatio, nullus in Monasterio ante annum 18. suscipi
possit, non extenditur ad alia Monasteria, in quibus
est stricta & dura congregatio: quia non quælibet
durities, sed specialiter illa, quæ provenit ex si-
tu loci, adæquata fuit ratio memoratæ constitutio-
nis. At ubi rationis identitas deprehenditur, quæ 74
non solùm est adæquata quoad omnes casus, sed e-
tiam quasi intrinseca, seu cum necessaria omnium ca-
suum connexione, ot contra justitiam, prudentiam,
vel rationem pugnaret, unum casum sine altero præ-
cipere vel prohibere, tunc sanè procedit illud trivia-
le: ubi est eadem ratio, est eadem Legis dispositio
per textus in *l. non possunt* 12. *& seq. ff. de LL.* Cùm e- 75
nim credere non liceat, Legislatorem voluisse Legem
injustam, imprudentem, aut irrationabilem condere;
jure quàmoptimo præsumitur, voluisse potiùs sub
casu expresso casum alium, identitate rationis con-
nexum, comprehendere. Id quod maximè proce- 76
dit in correlativis, uti sunt pater & filius, maritus &
uxor; item in subordinatis, uti sunt pars & totum;
nec non æquiparatis, uti sunt Religiosus & Monia-
lis, Abbas & Abbatissa &c. veluti deducit laudatus
Suarez *d. l. cap.* 4. *per tot.* &, ni fallor, in effectu
cum ipso sentiunt cæteri DD. Engel ad *tit. de Con-*
stitut. n. 82. Pirhing. ad *eund. tit. à n.* 111. König
ibid. sub n. 27. Wiestnar *ibid. n.* 135. *& seq.* Reif-
fenstuel *d. t. n.* 410. *& seqq.* Clarissimus P. Schmalz-
grueber *d. t. n.* 48. Ex quibus tamen plerique faciunt
exceptionem in decisione causarum judicialium, quæ, 77
si Lex alia deficiat, ex paritate, à Lege alia desump-
tâ, rectè terminantur per *cit. l. non possunt* 12. *& seq.*
quia non omnes casus Legibus comprehendi possunt,
& ideò, dum expressa Lex deficit, ad aliam similem
tutò confugimus.

§. IV.

De Interpretatione restrictiva.

Interpretatio *restrictiva* sequitur à contrario re- 78
gulam interpretationis extensivæ: nam, ubi locum oc-
cupat interpretatio extensiva, debet cessare restric-
tiva; &, ubi repulsam patitur illa, hæc admittitur.
Suarez *cit. cap.* 5. *n.* 1. *&* 2.

Ma-

79 Majoris tamen claritatis ergo superaddendum est
I. restrictivam interpretationem assumi in casibus,
à *num.* 64. expressis, tametsi verbum aliquod sit uni-
80 versale, generale, vel indefinitum. II. strictam
aut restrictivam interpretationem adhiberi in ma-
teria exorbitanti juxta *cap. quæ à Jure* 28. *de R. J.*
in 6. ibi: *quæ à Jure communi exorbitant, nequa-*
81 *quam ad consequentiam sunt trahenda.* Præterquam
si necessaria connexio inter duo exorbitantia interve-
niat. *arg. cap. præterea* 5. *de Offic. Jud. deleg.* Pa-
82 normit. in *cap. nonnulli* 28. *de Rescript. n.* 11. III.
regulam illam ex *cap. odia* 15. *de R. J. in* 6. quòd
odia sint restringenda, favores autem ampliandi, po-
tissimùm applicari, quando verbum aliquod plura
habet significata: solemus enim tunc in odiosa ma-
teria restringere significationem, & illam duntaxat,
quâ vocabuli proprietas salvatur, assumere per text.
in *cap. si sententia* 16. *de Sent. excomm. in* 6. ubi, si po-
pulus interdicto subjiciatur, Clerus non comprehen-
ditur; & *cap. quia periculosum* 4. *d. t.* ubi ab omni
censura, quantumlibet verbis generalibus intermina-
tâ, Episcopi eximuntur. P. Wiestner ad *cit. cap.*
odia 15. *à n.* 1. P. Reiffenstuel ad *tit. de Constitution.*
à n. 435.

83 Quòd si Lex aliqua partim sit favorabilis, partim
odiosa, ac favor ab odio separari possit, quoad favo-
rem extenditur, & quoad odium restringitur *arg.*
cap. utile 37. *de R. J. in* 6. Covarruv. *Var. Resol. lib.*
84 1. *cap.* 11. *n.* 5. Reiffenstuel *cit. l. n.* 438. Si tamen
in materia, etiam odiosa, rationis identitas juxta con-
ditiones in *n.* 74. adesset, interpretatio lata restrictæ
præferenda foret, veluti cum Panormit. in *cap. ult.*
de Rescript. n. 10. & 11. Covarruv. in *cap. alma ma-*
ter. p. 1. §. 4. *n.* 7. docet in terminis Suárez de *LL.*
85 *sæpe cit. lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 2. & *seqq.* Stante siquidem
omnimodâ rationis identitate, prudenter inferre pos-
sumus, quòd Legislator, Legem pœnalem non im-
prudenter ordinaturus, à sua dispositione non vo-
luerit excipere personam aut causam, sub ratione
Legis necessariò quasi contentam.

86 Cæterùm interpretatio restrictiva quandoque fit
per epikiam, sive benignam explicationem, quòd
iste vel ille casus sub generali Legis dispositione non
contineatur, quando scilicèt prudenter conjicere
valemus, quòd Legislator, si de casu illo in particu-
87 lari fuisset quæsitus, illum excepisset; quemadmo-
dùm accidit in hypothesi, quâ Lex alioquin nimium
dura vel iniqua censeri posset. Magnif. P. König
ad *tit. de Constit. n.* 27. Clariss. P. Schmalzgrueber
88 *ibid. n.* 49. Qui tamen Authores excipiunt Leges
irritantes, in quibus, cùm ad casus & rationes parti-
culares non attendant, sed præcisè rationem commu-
nem & uniformitatem actuum respiciant, epikiam
procedere negant.

SECTIO III.

De Regulis Jurisprudentiæ.

SUMMARIA.

89 & *seq. Ratio tractationis regularum Juris.* 91. & *seqq. Explicatur & exemplificatur, quid sit regula Juris.* 95. & *seq. Exponuntur brocardica seu axiomata.* 97. & *seqq. Explanantur proverbia.* 102. & *seqq. Regula non minus, quam Lex, ad decisionem causarum allegari potest.* 106. & *seq. Opponitur, & removetur objectis.* 108. *Regula transfert onus probandi in adversarium.* 109. *Liberat ab expensis.* 110. & *seqq. Omnis regula suam exceptionem habet.* 113. *Exceptio regulam infirmat.* 114. & *seq. Debet esse de regula.* 116. & *seqq. Et à regula* 121. *Exceptio declarat regulā.* 122. & *seq. Firmat regulam in casibus non exceptis.* 124. *Non ampliat regulam.* 125. & *seqq. Nisi, exclusa ampliatione, sub regula non continerentur.*

§. I.

Quid sit Regula?

REgulas Jurisprudentiæ, quas in Corpore Juris 89
tum Canonici tum Civilis ad calcem rejectas
conspicimus, in nostra Jurisprudentia Canonico-Ci-
vili reponimus in capite. Nec sine ratione. Nam quia
per decursum Jurisprudentiæ sæpiùs allegari solent
regulæ Juris, utique non solùm utile, sed etiam ne-
cessarium est, statim in principio scire, quid sit regu-
la? Accedit, quòd Magni Nominis JCtus, noster 90
Clariss. D. Joannes Balthas. Braun in sua Nobilissima
Jurisprud. cap. 3. §. 3. *sub n.* 7. Jurisprudentiæ ty-
ronibus pro regula præscripserit, ut duos elementa-
res titulos ex Digestis, penultimum de *Verb. signif.*
& ultimum de *Reg. Jur.* legant, &, si non ambos, sal-
tem postremum omninò memoriæ mandent: quia, ut
ille proloquitur, continet criteria & theoremata Ju-
ris generalia, demonstrativa innumeratum conclusio-
num particularium.

Est autem regula, si fides habeatur Paulo JCto in 91
l. regula 1. *ff. de R. J. quæ rem, quæ est, breviter enar-*
rat, non ut ex regula jus fiat, sed ex jure, quod est, re-
gula sumatur. Seu, quod in idem recidit, regula
est brevis & generalis sententia, ex specialibus Legi-
bus aut Canonibus, jam antecedenter latis, desumpta. 92
Ex eo siquidem, quòd per Leges & Canones in diver-
sis locis varii casus particulares, sibi invicem consi-
miles, decidantur, regula conficitur, & generalis
quædam sententia pro communiter contingentibus
breviter efformatur.

In Exemplo. SS. Canones multis in textibus prohi- 93
bent, ne quis illicitô ingressu v. g. simoniacâ procura-
tione, violentô modô, propriâ authoritate, ambitu,
vel aliâ viâ beneficium aliquod occupare præsumat.
Hinc nata est regula & effatum generale in *cap. bene-*
ficium 1. *de R. J. in* 6. *beneficium Ecclesiasticum non* 94
potest licitè sinè Canonica institutione obtineri. Rur-
sus tam in SS. Canonibus quàm LL. Civilibus licet
alteri per alterum contrahere, judicium subire, jura-
mentum præstare, jus dicere, eligere &c. Prodiit in-
de regula sequens: *potest quis per alium, quod potest*
facere per se ipsum cap. potest 68. *de R. J. in* 6.

A Regulis Juris differunt brocardica, vel axioma- 95
ta JCtorum: quia nempe expressô Jure non recipiun-
tur, sed tantùm authoritate privatâ vel ex locis juri-
dicis, vel ex dictis & principiis aliarum scientiarum,
præsertim Philosophiæ, depromuntur. Proindeque
ex sententia P. Wiestner ad *tit. de V. S. n.* 6. & 7. & 96
P. Reiffenstuel *ibid. n.* 3. vim regulæ non aliter sor-
tiuntur, quàm si Juris authoritate corroborari, vel
longâ Curiarum & Dicasteriorū praxi confortari, vel
naturali lumine demōstrari possint; cujusmodi sunt: pri-
vatio supponit habitū; non entis nullæ sunt qualitates;
qui vult antecedens, vult etiam consequens &c. plu-
raque alia, quæ adducuntur etiam in decisionibus
Rotæ Romanæ, in specie *decis.* 582. *n.* 9. *decis.* 1028.
n. 2. *decis.* 1137. *n.* 2. coram Emerix; quæve colle-
ctim exhibet Barbosa in *tract. de Axiomat. usu frequent.*

Differunt etiam à regulis Juris proverbia, utpote 97
quæ non ex Jure, sed ex consuetudine, communique
hominum opinione fidem & assensum meruerunt;
& ideò vim regulæ Juridicæ non obtinent, licèt ad
causarum decisionem juxta Hostiensem, Joannem
Andream, & Felinum ad *cap.* mox citandum allega-
ri non prohibeantur; quemadmodùm ipsimet Jurium
conditores allegare consueverunt, veluti constat l.
ex *cap. etsi Judæos* 13. *de Judæis*, ubi Innocent. 98
III. de Judæis, ad hospitium nostrum receptis,

98 asserit, *eam ab illis retributionem impendi, quam (jux-*
ta vulgare proverbium) mus in pera, serpens in gre-
mio, & ignis in sinu suis consueverunt hospitibus exhibe-
99 *re.* II. patet *cap. venerabilem* 34. *de Elect.* ubi idem
Pontifex proverbium illud: *falcem in alienam messem*
100 *mittere*, refert & applicat. III. ex *l. apud Julianum*
20. *ff. de Fideicommiss. libertat.* ubi Pomponius,
ego, inquit, *discendi cupiditate, quam solam vivendi*
rationem optimam in octavum & septuagesimum an-
num ætatis duxi, memor sum ejus sententiæ, qui dixisse
fertur: etiamsi alterum pedem in tumulo haberem, ad-
101 *huc aliquid addiscere vellem.* IV. ex *l. facturus* 1.
ff. de O. J. ubi JCtus Cajus: *si in foro*, proloquitur,
causas dicentibus nefas, ut ita dixerim, videtur esse,
nulla præfatione factâ, Judici rem exponere: quantò
magis interpretationem promittentibus inconveniens
erit, omissis initiis, atque origine non repetitâ, atque illo-
tis, ut ita dixerim, manibus protinus materiam inter-
pretationis tractare?

§. II.

Quænam sit virtus & effectus Regulæ?

102 Regulæ virtus & efficacia non modica relucet ex
eo I. quòd non minùs ad causarum decisionem assu-
mi valeat, quàm alia Lex: eò quòd regula ex *n.* 91.
sit compendiosa decisio plurium casuum, in variis
103 Legibus particulariter decisorum; & ideò quàm ma-
ximè procedat textus in *l. non possunt* 12. *ff. de LL.*
ibi: *non possunt omnes articuli sigillatim, aut Legibus*
aut Senatus consultis comprehendi, sed, cùm in aliqua
causa sententia eorum manifesta est, is, qui Jurisdi-
ctioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dice-
104 *re debet.* Itàque sæpiùs fecit S. Rota Romana,
ac Juris regulas ad decisionem causarum adhibuit,
veluti liquidum erit, si quis vel solas decisiones
novissimas coram Emerix inspiciat, nominatim *decis.*
1062. *num.* 3. *decis.* 1083. *num.* 5. *decis.* 1153. *n.* 14.
decis. 1204. n. 22. *decis.* 1222. n. 8. *decis.* 1272. *n.*
105 11. Ut adeò sententia, contra regulam Juris, excep-
tione non elisam, pronuntiata, perinde reputetur nul-
la, ac si contra Leges aut Canones pronuntiata fuis-
set. Petrus Peck ad *rubr. tit. de R. J. n.* 6. Magni-
fic. P. König ad *eund. tit. n.* 11.
106 Neque opponas, ipsummet JCtum in *l. regula* 1. *ff.*
d. t. negare, quòd ex regula jus fiat; consequenter
regulam Juris nec Legis effectum habere, nec ap-
plicari posse ad causarum judicialium terminationem.
107 Nam JCti mens non est alia, nisi quòd regula jus
novum non faciat, sed jus antiquum, variis in Ca-
nonibus & Legibus dispersum, unâ quasi periodô
colligat: quô suppositô, firma consistit resolutio in
n. 102. data, quòd regula perinde ac alia Lex pos-
sit ad processus judiciarii definitionem accommodari.
108 II. quòd, qui regulam habet pro se, habeat in-
tentionem, in Jure fundatam, liberetur ab onere
probandi, nec illud in se recipere debeat, donec ab
altera parte possit exceptio liquidè probari per *l.*
ab ea parte 5. *in pr. ff. de Probat. l. prævaricationis*
3. *§. ult. ff. de Prævaric.* Rota Rom. *p.* 18. *tt.* 1.
decis. 32. *n.* 4. *in Recent.* Barbosa in *tract. de Axio-*
mat. ax. 189. n. 1. & 2.
109 III. quòd temerarius litigator dici nequeat, qui re-
gulâ quàdam instructus ad judicium provocavit,
vel convolavit, ideòque in expensas condemnari non
valeat, uti videbimus in *to.* 2. *lib.* 2. *tr.* 3. *cap.* 12.

§. III.

Quomodò Regula per exceptionem infirmetur?

110 Vulgare assertum est, non dari regulam sinè exce-
ptione. Quantumvis enim regulæ concipiantur ge-
neraliter & universaliter, non tamen accipiuntur sem-
per in sensu generali, universali, vel absoluto, sed
accommodô; id, quod indicari puto in *l. omnis* 202.
ff. de R. J. ubi JCtus omnem definitionem in Jure
Civili periculosam esse, pronuntiat, subjunctâ ratio-
ne: quia *parum est, ut non subverti possit.* Intelligit 111
nempe per definitionem ipsam regulam, seu senten-
tiam generalem, cui vel ideò non licet universaliter
aut generaliter inniti, quòd per exceptionem genera-
litatem suam amittat.
Sed (quod mirêris) hoc idem assertum suam pa- 112
titur exceptionem: quandoquidem una aut altera re-
gula non suffert ullam exceptionem, qualis est illa in
l. nihil 116. *ff. de R. J.* ibi: *nihil consensui tam con-*
trarium est, qui bona fidei judicia sustinet, quàm vis at-
que metus. Rota Rom. *in recent. p.* 15. *decis.* 226. *n.* 9.
Virtus autem regulæ per exceptionem non qui- 113
dem omninò tollitur, sed restringitur, minuitur, &
infirmatur quoad personas vel res exceptas *arg.*
l. regula 1. *ff. de R. J.* Ut tamen exceptio firmita- 114
tem habeat, debet esse de regula, & simul à regula.
Nam casus exceptus debet imprimis sub regula com-
prehendi, adeò ut, si nulla poneretur exceptio, regu-
la de ipso perinde ac aliis casibus intelligeretur *arg.*
l. nam quod liquide 4. *§. ult. ff. de Penu Leg.* Rota
Rom. in *Recent. p.* 18. *tt.* 1. *decis.* 342. *n.* 3. Barbo-
sa de *Axiom. jur. axiom.* 85. *n.* 6. Sabellus in *Summa*
§. exceptio 17. *sub* n. 15. Quamobrem, ut scribit 115
Covarruv. *var. resolut. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 4. perperam
quis orationem ita conciperet: *lego servos meos, ex-*
ceptô equô albo; aut *omnes homines cuerunt, exceptô*
equô &c. utpote cùm equus, in utroque exemplo à
locutione generali exceptus, sub regula seu nomine
generali servorum aut hominum non comprehenda-
tur. Deinde casus excipi debet à regula: quia ex 116
n. 108. quod apertè non reperitur exceptum, sub re-
gula præsumitur esse contentum. Ex quo manifestè 117
colligitur, omnem exceptionem sic comparatam esse
debere, ut ex parte subjecti sit de regula, & sub ea,
tanquàm species sub genere, contineatur; ex parte
prædicati verò sit à regula, quia, quod prædicatur
de subjecto in regula, de exceptione prædicari nequit.
P. König ad *tit. de R. J.* n. 13. Wiestner *ibid. n.* 13.
Non autem necessum est, ut exceptio subsit re- 118
gulæ juxta omnem significationem, sed satis est, si
juxta sensum naturalem & literalem sub regula con-
cludatur, sicuti pulchrè demonstrat *cit.* Covarruv.
num. 9. Sic enim si quis generale mandatum acci- 119
piat ad omnia negotia, in sensu naturali non intelli-
gitur ullum negotium fuisse exceptum, licèt in sen-
su civili negotia, mandatum speciale requirentia, non
intelligantur mandata *cap. qui ad agendum* 4. *cap.*
qui generaliter 5. *de Procurator.* in 6. Unde si quis, 120
datô mandato generali, exciperet negotia, speciale
mandatum exigentia, exceptio adhuc diceretur de
regula, spectatâ nimirum significatione naturali. Co-
varruv. *d. n.* 4.
Dixi suprà in *n.* 113. regulam per exceptionem 121
non omninò tolli. Nam I. exceptio declarat regulam,
genuinum illius intellectum aperit, &, de quo gene-
re concepta sit regula, manifestat per *l. ex eo* 18. *ff.*
de Testib. Rota Rom. in *Recent. p.* 19. *dec.* 410. *n.*
9. & coram Emerix *decis.* 1341. n. 7. Covarruv. *cit.*
l. n. 9. Barbosa *cit. l. n.* 7. Sabellus in *Summa cit.*
§. exceptio 17. *n.* 15. *in f.*
II. exceptio firmat regulam in casibus non excep- 122
tis, & hôc ipsô, quòd unum solummodò vel alterum
casum generi subtrahat, reliquos omnes sub disposi-
tione generica relinquere censetur *l. cùm prætor*
12. *in pr. ff. de Judic. d. l. ex eo* 18. *l. generali* 32. §.
2. *ff. de Usu & Usufr. l. quæsitum* 12. §. 3. *vers. deni-*
que ff. de Instruct. vel instrum. leg. Rota Rom. in *recent.*
p. 13.

p. 13. *decif.* 134. *n.* 6. Covatruv. *cit. l. n.* 6. Barbo-
123 sa *cit. l. num.* 4. & 5. Sabell. *d. num.* 15. *in pr.* Si
tamen inter casum, nominatim exceptum, & ca-
sum nominatim non exceptum, non tantùm ratio-
nis paritas, sed omnimoda identitas intercederet, tunc
argumentô eorum, quæ dicta sunt in *n.* 74. extensio
de casu excepto ad casum non exceptum vix negari
posset. Everard. in *loc. Legal. in loc. ab except. ad reg.*
n. 5. Jacobus Pignatelli *to.* 9. *consult.* 19. *n.* 55. Sa-
bell. *cit. n.* 15.

124 III. est quidem ordinarium & regulare, quòd ex-
ceptio, dum ex natura sua regulam limitat, illam non
ampliet & dilatet, adeòque non faciat, ut regula com-
prehendat aliqua, quæ, exceptione non factâ, ex pro-
prietate verborum non comprehendisset. Rota Rom.
coram Emerix in *to. post decif.* 61. *n.* 4. & 5. Covar-
125 ruv. *ubi supra n.* 7. Nihilominùs, ut idem illumina-
tissimus Vir insigniter ostendit, hoc solùm admitti-
tur, quando exceptio, apposita regulæ, sub
ipsa regula comprehenderetur, nisi fuisset ex-
pressa. At quando exceptio, regulæ apposita, ex
Juris dispositione non comprehenderetur sub regula,
nisi fuisset expressa, tunc regula juxta qualitatem ex-
126 ceptionis extenditur. Cujus rei exemplum datur in
legato: nam, si alicui legarentur res omnes, domi exi-
stentes, tunc ex præsumptione Juris lanæ & cæteræ
res venales, quæ propriè non videntur esse in domo
l. suas autem 73. §. *pen. ff. de Leg.* 3. non censentur
esse legatæ *l. generali* 32. §. 2. *ff. de Usu & Usufr.* At,
127 si quis diceret: res omnes, domi existentes, exceptâ la-
nâ venali, lego, non tantùm res non-venales, sed etiam
venales, exceptâ lanâ, legare voluisse creditur: nam ex-
ceptio de lana venali declarat regulam seu generalita-
tem legati, quòd nempe testator res omnes, sive per-
manenter sive transeunter domi existentes, intellexe-
rit: quippe cùm aliàs, si res venales non intellexitiet,
lanæ venalis exceptione non fuisset opus.

128 His tamen, de virtute exceptionis ita positis, gra-
viter obluctari videtur textus in *l. nam quod* 4. §.
ult. ff. de Penu Leg. ubi JCtus Paulus, *si cui penus*,
ait, *legata sit præter vinum, omnis penus legata vide-*
tur, exceptô vinô. Sed si ita scriptum sit, omnem penum
præter vinum, quod Romæ erit, sola penus, quæ Romæ
129 *est, legata videtur.* In hoc textu prioris quidem ca-
sûs resolutio est plana, confirmatque doctrinam, mox
stabilitam, quòd exceptio de vino tam explicet, quàm
etiam dilatet & ampliet penum, indefinitè legatam.
130 Sed resolutio casûs posterioris è diametro apparet
opposita, dum exceptio de *vino, quod Romæ erit*, ge-
neralitatem penûs non tantùm non dilatat & ampliat,
sed ex integro pene consumit; nec regulam ponit in
casibus non-exceptis, sed potiùs exceptionem, cum
destructione regulæ, citra rationis identitatem, ex-
tendit.

131 Advertit hanc difficultatem subtilis Covarruvias
sæpe *cit. l. n.* 5. multaque contra JCti Pauli defini-
tionem, unà cum refutatione diversarum interpreta-
tionum, in medium attulit. Tandem expositionem
Oldradi & Decii responso JCti judicavit aptiorem,
quòd, cùm exceptio de vino sit concepta cum adje-
ctione certi loci, præcedentem dispositionem gene-
ralem, ultra communem exceptionis naturam, restrin-
gat *arg. cit. supra l. generali* 32. §. 2. *ff.* 2. *de Usu &*
Usufr. Quia tamen in interpretatione ultimarum vo-
132 luntatum permulta JCti statuerunt, de quibus testa-
tores, nisi Juriumperiti, sibique eò tempore, quô vo-
luntatem ultimam condunt, omnimodò præsentes sint,
cogitare non solent; memoratæ resolutioni nec Co-
varruvias *cit. l.* nec Brunnem. ad *cit. l.* 4. n. 3. tam
strictè inhærendum esse, sed ex quavis conjectura
facilè ab ea recedi posse, opinantur.

133 Et illa de regulis Juris in genere sic animadversa
proposito nostro sufficiant. Singulas autem regulas,
quæ in Decretalibus sunt 11. in Sexto 88. in Diges-
tis 211. modò sigillatim exenterare, vel ideò nobis
haud necessarium apparet: quia Jus ipsum, ex quo
regulas Juris decerptas esse, liquescit ex *n.* 91. & *seqq.*
interpretatione doctrinali taliter exponere parati su-
mus, ut sedulo Lectori grave non accidat, propriô
Marte complures exinde regulas formare. De reli-
quô, si quis explanationem harum regularum deside-
ret, adeat Commentatores, & ex Recentioribus ad
Regulas in Sexto legat Clariss. P. Wiestner. Nos ad
rem ipsam & Librum I. explicandum accingimur.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1 *Statuta ex Jure Communi sunt interpretanda.* 2. &
seq. Quidquid alii dicant. 4. & *seq. Itáque facien-*
da interpretatio, ut Jus Commune quàm minimè læ-
datur. 6. & *seq. Dispellitur objectio.* 8. *An statu-*
tum, prohibens alienationem certô modô, compre-
hendat etiam oppignorationem? 9. *Refertur opinio*
negativa. 10. & *seqq. Refertur & probatur opinio*
affirmativa.

QUÆSTIO I.

An eôdem modô interpretari oporteat statuta, si-
cuti Leges communes solemus interpretari?

Cnm statuta vim Legis obtineant, utpote ab iis 1
condita, quibus potestas legislativa suffragatur; nul-
lum apud me dubium videtur, quin etiam eôdem
modô suam interpretationem recipiant, sicuti Leges
Communes, juxta quas illas interpretari oportet per
cap. cùm dilectus 8. §. *quia nobis de Consuetud.* &
ibi Panormitan. n. 2. *l. si servi* 2. *Cod. de Noxal. Ac-*
tion. Gail. *lib.* 2. *obs.* 33. *n.* 3. Mevius *p.* 7. *decis.* 255.
n. 1. & 3.

Et quamvis nonnulli, quos allegat Clariss. D. Fran- 2
ciscus Josephus Michaël Einhorn, olim meus in Ju-
re Canonico Auditor & Defensor, posteà in Univer-
sitate Friburgensi insignis Jurium Professor, *obser-*
vat. pract. 1. *part.* 3. *n.* 47. Jus Romanum ad inter-
pretationem statutorum in Germania tam parum
conferre, quàm libros metaphysicos Aristotelis ad in-
terpretationem S. Scripturæ; attamen egregiè à lau- 3
dato Clariss. Doctore (qui sanè pro incremento rei
literariæ longiorem vitam promeruisset) perstringun-
tur: ex quo enim tempore Jus Romanum in Acade-
mias & Dicasteria Germaniæ propagatum est, vero-
simillimum apparet, Germaniæ statuta tum in docen-
do, tum in consulendo, tum in judicando suam nor-
man accepisse à Jure Romano; neque aliam in eorum
declaratione methodum fuisse observatam, ac quæ
in Juris Romani declaratione observari consuevit.

QUÆSTIO II.

Quô sensu verum sit, statutorum interpre-
tationem ita faciendam, ut quàm mi-
nimè à Jure Communi recedat?

QUando statutum in quacunque materia condi- 4
tur, illius interpretatio ita est facienda, ut quàm
minimè à Jure Communi recedat: nec enim præsu-
mendum est, quòd inferior aliquis Legislator ve-
lit à Juris Communis tramite declinare, nisi hoc
evidenter exprimat. Gail. *d. obs.* 33. *n.* 4. D. Einhorn
cit. l. p. 2. n. 33. Hinc, si alicubi statutum exta-
ret, victum victori ad expensas refundendas obliga- 5
ri, illud solummodò de casu, quô victus sinè pro-
babili causa judicium subiit, intelligendum foret:
cùm enim de Jure Communi non omnis litiga-
tor succumbens, sed is tantùm, qui temerè litiga-
vit, in expensas condemnari jubeatur, etiam statu-
tum in eo sensu exaudiendum videtur.

Quòd si opineris: statutum hâc interpretatione 6
reddi frustatorium & inutile, dum nil aliud, quàm,
quod Jure Communi jam anteà ordinatum erat, ope-
ratur.

Contra est: quia, ut loquitur Mevius *p.* 1. *decis.* 7
29. *n.* 5. quoties Juti Communi superadditur statu-
tum,

tuitum, argumento est, quòd statuentes nolint ab isto aliqua ratione discedi, sed firmiua id, quod providet, consistere.

8 Sed quid de illo statuto, cujus meminit Mevius ad Jus Lubecense tit. 10. art. 6. n. 80. dicendum, quò provisum est, *quod bona hæreditaria alienari sinè proximorum futurorum hæredum consensu nequeant*, anne ita exponendum erit, ut etiam ad oppignorationem, quæ juxta Commune Jus in *l. ult. Cod. de Reb. alienis non alienand.* species alienationis censetur, extendatur? Negat id Mevius *d. l.* & cum

9 eo celebris quidam Doctor, ex ea consideratione: quia, quod anteà dictum, in statutorum interpretatione quàm minimè à Jure Communi recedendum, accipi debet juxta sensum, qui esset conveniens Juri Communi pro tempore, ubi statutum necdum supponimus confectum, non verò pro tempore consequenti: at, si statutum, anteà memoratum, suponimus needum confectum, de Jure Communi hæres, tanquam plenissimus rerum hæreditariarum Dominus, potest easdem quocunque titulô alienare, atque adeò etiam oppignorare: ergo, ut quàm minimè recedatur à Jure Communi, oportet statutum ita interpretari, quòd, cùm oppignorationem in specie non interdixerit, ea, antehàc à Jure Communi indulta, etiamnū permissa sit.

10 Non diffiteor, subtiliter hanc sententiam propeni, sed à me cum dictis in *n.* 4. componi non posse. Cùm enim in statutorum interpretatione non tantùm recessus à Jure Communi caveri, sed etiam in sensu Juris Communis ea fieri debeat; non capio, quomodò per prohibitam in genere alienationem rerum hæreditariarum sinè consensu proximorum hæredum non comprehendatur oppignoratio, quæ in sensu Juris Communis est species alienationis, &, prohibità simpliciter alienatione, simul prohibita censetur juxta expressam sanctionem in *d. l. ult. Cod. de Reb. alien. non alienand.* ibi: *sancimus, sive lex alienationem inhibuerit, sive testator hoc fecerit, sive pactio contrahentium hoc admiserit, non solùm dominii alienationem, vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam, sed etiam ususfructûs dationem, vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi.* Jam verò alienatio, per statum inhibita, est inhibita per Legem: ergo &c. Quamvis igitur admittamus, sta- 11
tuta interpretanda secundùm illum sensum, quem Jus Commune habuit eô tempore, quô statutum non extitit: quia tamen Jus Commune non tantùm pleno rerum domino dat facultatem alienandi, sed etiam admittit, quôd hæc facultas possit inhiberi Lege, testamento, vel pactione, &, casu quo fuerit simpliciter inhibita, oppignorationem quoque inhibitam esse disertè pronuntiat; non aliter salvari, aut recessus ab eo evitari poterit, nisi in sensu Juris Communis explicetur, & alienationis nomine oppignoratio contineatur. Nempe in statutorum interpretatio- 12
ne opus est, ut Jus Commune non solùm expnedamus in una Lege, sed etiam in altera; ne, dum unô pede videmur accedere ad Juris observantiam, alterô quàm longissimè ab illo nos secessisse convincamur.

LIBER I.

DECRETALIUM GREGORII PAPÆ, HUJUS NOMINIS IX.

PRÆLOQUIUM.

A Jove principium duci, obcæcata cæteroquin gentilitas perspicuè cognovit. Ad idem principium non tantùm respexere Romani Pontifices, sed etiam Christiani Imperatores, dum isti suum Codicem, illi suos Canones ab immortali Jove, Sanctissima & Individua Trinitate, sunt auspicati. Respicimus & nos ad istud principium, & Jurisprudentiam Canonico-Civilem sub Invocatione & Auspiciis Sanctissimæ Triadis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti impræsentiarum ita ordimur, ut illius honori & gloriæ characteres & apices omnes unicè consecremus.

Et quia præcipuum Fidei Catholicæ mysterium est eadem Divinissima Trias, Una in Essentia, & Trina in Personis cap. firmiter 1. cap. damnamus 2. de Summa Trinit. *tam Pontifices Maximi, quàm Augustissimi Imperatores Fidem Catholicam DEO Tri-Uno connectunt. Ut proinde nos quoque pronô sequamur vestigiô, Fidemque Orthodoxam juxta eum sensum, quem tenet & tenuit S. Mater Ecclesia, corde & ore profiteamur. Longiorem tamen illius explicationem vel ideò non suscipimus, ne falcem in alienam messem immisisse, & tractationem, quæ Theologis est propria, nobis vindicâsse judicemur. Id unum contenti, pro foro Canonico subnotâsse, quòd externa Fidei professio per Leges Ecclesiasticas subinde præcipiatur.*

Nempe ex Trid. Concil. Sess. 24. de Refor. cap. 12. *provisi de beneficiis, curam animarum habentibus, de Canonicatibus, & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, in manus Episcopi vel Generalis Vicarii professionem Fidei emittere tenentur. Ad eandem Fidei professionem ex Bulla Pii IV. quæ incipit:* injunctum nobis, *quorumcunque Regularium Ordinum Superiores obstringuntur. Similiter ex constitutione Pii V. quæ incipit:* in Sacrosancta &c. *Fidem exteriùs profiteri jubentur omnes Doctores, Magistri, Regentes, & alii cujuscunque Facultatis & Artis Professores, sive Clerici sive Laici fuerint.*

Porrò cùm Liber I. *Decretalium in* V. *partes commodè possit dividi, ita ut in* I. *de Generalibus quibusdam Jurisprudentiæ principiis; in* II. *de Modis, quibus ad dignitates & honores Ecclesiasticos ascenditur; in* III. *de Ordinibus seu Potestate Ordinis; in* IV. *de Potestate Jurisdictionis; in* V. *de Miscellaneis quibusdam materiis agatur: Nos eundem Librum modò non absimili dividentes, statim ab initio* Jus Legale, *tanquam fontale principium; moxque propter materiæ connexitatem, titulum* Præscriptionis; *dehinc* Modos acquirendi Prælaturas Ecclesiasticas; *posteà tam* Potestatem Ordinis *quàm* Jurisdictionis, *distinctis tractatibus, explicare constituimus;* materias miscellaneas, *à tit. XXXII. tractari solitas, ad Libros alios majori cum utilitate reservaturi.*

SUP-

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1 *Diversa fidei acceptio.* 2. & 3. *Ejus definitio, prout accipitur pro credulitate.* 4. *Alia definitio, prout accipitur pro summa eredendorum.* 5. & *seqq. Largior explicatio.* 19. *Subjiciuntur credenda de Mysterio SS. Trinitatis.* 17. & *seq. Datur regula de externa fidei professione.* 9. *Subjiciuntur credenda de Mysterio SS. Trinitatis.* 17. & *seq. Datur regula de externa fidei professione.* 19. *Præstanda est à neoelectis.* 20. *A provisis de beneficiis curatis.* 21. *Aut Canonicatibus.* 22. & *seqq. Sub obligatione restitutionis fructuum.* 25. *A promotis ad regimina Monasteriorum.* 26. *A Rectoribus & Professoribus.* 27. *Ab Hæreticis reversis.* 28. & *seqq. Potest fieri per procuratorem, speciali mandatô a suo principali instructum.*

QUÆSTIO I.

Quid sit Fides Catholica?

1 FIdes, quæ teste Cicerone *lib.* 1. *de Offic.* est
fundamentum justitiæ, veluti *dictorum conventorumque constantia, & veritas*, accipi potest in præsenti dupliciter. I. pro fiducia seu credulitate dicti vel facti, ab alio manifestati; II. pro summa & compendio eorum, quæ nobis credenda
2 incumbunt. In priori acceptione fides definitur ab Apostolo ad *Hebræos* 11. quòd sit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: quam definitionem, licèt aliqui dicant impropriam, seu descriptivam & notificativam fidei, quos inter collocandus Fagnanus ad *cap. firmiter de Summa*
3 *Trinitat. n.* 13. eam tamen ex professo defendit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 4. *art.* 1. ac, si in formam Aristotelicæ definitionis illam redigere placeat, ita efferri posse, dicit, quòd fides (quatenùs sumitur habitualiter) sit *habitus mentis, quô inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus. Unde alia litera* (verba sunt ejusdem Doctoris Angelici) *habet convictio: quia scilicèt per auctoritatem Divinam intellectus credentis convincitur ad assentiendum his, quæ non videt.* In posteriori ac-
4 ceptione definitur fides, quòd sit collectio articulorum, quos prima & Summa Veritas revelavit, nobisque per Ecclesiam credendos proposuit. Ita ad mentem D. Athanasii in suo Symbolo re ipsâ sentit
5 P. Engel ad *cit. tit. de Summa Trinit. n.* 6. Potest siquidem, ut discurrit S. Thomas *cit. l. art.* 2. *objectum fidei dupliciter considerari, unô modô ex parte ipsius rei creditæ, & sic objectum fidei est aliquid incomplexum, scilicèt res ipsa, de qua fides habetur: aliô modô ex parte credentis; & secundùm hoc objectum fidei est aliquod complexum per modum enuntiabilis: est enim modus proprius humani intellectus, ut componendô & dividendô veritatem cognoscat; & ideò ea, quæ secundùm se simplicia, intellectus humanus cognoscit secundùm quandam complexionem.*
6 Quamobrem hic Doctorum Angelus *cit. l. art.* 6. ulteriùs docet, *credibilia per certos articulos distingui*: nam, ut dicit Isidorus, *articulus est perceptio Divinæ Veritatis, tendens in ipsam: sed perceptio Divinæ veritatis competit nobis secundùm distinctionem quandam: quæ enim in DEO unum sunt, in nostro intellectu multiplicantur: ergo credibilia debent per ar-
7 ticulos distingui. Nomen articuli* siquidem *ex Græco videtur esse derivatum: arthron enim in Græco, quod in Latino articulus dicitur, significat quandam coaptationem aliquarum partium distinctarum: & ideò particulæ corporis sibi invicem coaptatæ dicuntur membrorum articuli. Unde & credibilia fidei Christianæ dicuntur per articulos distingui, in quantum in quasdam partes dividuntur, habentes aliquam coaptationem ad invicem. Est autem objectum fidei aliquid non visum circa Divina: & ideò, ubi occurrit aliquid speciali ratione non visum, ibi est specialis articulus. Ubi autem multa secundùm eandem rationem sunt cognita, vel non cognita, ibi non sunt articuli distinguendi.* Porrò hi articuli continentur in Symbolo fi- 8
dei, authoritate Ecclesiæ confectô: quia enim, ut arguit D. Thomas *cit. l. art.* 9. *Veritas fidei in Sacra Scriptura diffusè continetur, & variis modis, & in quibusdam obscurè, ita quòd ad eliciendum fidei veritatem ex Sacra Scriptura requiritur longum studium & exercitium, ad quod non possunt pervenire omnes illi, quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem, quorum plerique aliis negotiis occupati studio vacare non possunt: ideò fuit necessarium, ut ex sententiis Sacræ Scripturæ aliquid manifestum summariè colligeretur, quod proponeretur omnibus ad credendum: quod quidem non est additum Sacræ Scripturæ, sed potiùs ex sacra Scriptura sumptum.* Idque factum authoritate Ecclesiæ, *quæ non potest errare, quia Spiritu Sanctô gubernatur, qui est Spiritus Veritatis.*

QUÆSTIO II.

Quid in specie de Mysterio SS. Trinitatis in SS. Canonibus proponatur cred.ndum?

NOn est mihi animus, in ea falcem immittere, 9
quæ Theologi solent tractare de DEO Uno & Trino; sed tantùm aliqua delibare, quæ in nostris
SS. Canonibus de Mysterio SS. Trinitatis creden- 10
da proponuntur. Nempe in famoso illo Concilio Lateranensi IV. cui præsedit Maximus ille, nec Virtute tantùm, sed & Sapientiâ plenus Pontifex Innocentius III. cui etiam, teste Eminentiss. Cardinali Vincentio Petra in *Comment. ad Constit. Apostol. tom.* 2. *pag. n.* 341. interfuerunt Archi-Episcopi Septuaginta, Episcopi quadringinti & duodecim, ac octingenti & ampliùs ex Abbatibus aliisque Prælatis Regularibus; in hoc, inquam, Concilio *cap. firmiter* 1. declaratum legitur, quòd sit unus DEUS in essentia & trinus in personis, seu quòd una natura & substantia sit in Divinis, quam æqualiter & identicè participent tres personæ, ob relationis oppositio-
nē realiter distinctæ; Simul in *cap. damnamus* 2. dam- 11
natur error Joachimi Abbatis, Viri cæteroquin pientissimi, & Papebrochii in *actis SS.* ad diem 20. Maii testimoniô miraculorum & prophetiæ gloriâ illustris, qui non aliam in Divinis unitatem concesserat, quàm in humania, perperam existimans, eôdem modô, quô Ecclesia vel populus dicitur unus collectivè & similitudinariè, tres personas in una natura convenire; absque eo, quòd damnetur ipse Joachimus, utpote qui scripta & dicta sua judicio Se-
dis Apostolicæ subjecit: Damnatur etiam in *fin. d.* 12
cap. perversissimum dogma impii Almerici, de quo in compendio plura tradit laud. Card. Petra *pag.*
342. & Faganus ad *d. cap. damnamus n.* 28. Dem- 13
de *in eod. cap. damnamus* de persona Patris dicitur, quòd *ab æterno filium generando suam substantiam ei dedit*; de Filio item dicitur, quòd *sine ulla diminutione nascendô substantiam patris accepit; & ita Pater & Filius habent eandem substantiam; & sic eadem res est Pater & Filius, nec non & Spiritus Sanctus, ab utroque procedens.* Præterea in *d. cap. fir-* 14
miter, cum quo concordat *Clem. un. de Summa Trinit. & Fide Cath.* de unigenito DEI Filio JESU Christo dicitur, quòd à *tota Trinitate communi-*
ter,

ter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitæ manifestiùs demonstravit: Qui cùm secundùm Divinitatem sit immortalis & impassibilis, idem ipse secundùm humanitatem factus est mortalis & passibilis: qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus & mortuus, descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum: sed descendit in anima & resurrexit in carne: ascenditque pariter in utraque: venturus in fine sæculi, judicaturus vivos & mortuos, & redditurus singulis secundùm opera sua tam reprobis quàm electis: qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundùm opera sua, sive bona fuerint, sive mala, illi cum diabolo pœnam perpetuam, isti cum Christo Gloriam sempiternam.

15 Insuper in *cap. un. d. t. in* 6. de Spiritu Sancto fatetur Gregorius X. in Concilio Lugdunensi, quòd *æternaliter ex Patre & Filio non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio; non duabus spirationibus, sed unica spiratione, procedit.*

16 Reliqua de his & aliis Orthodoxæ fidei articulis partim tanguntur in *cit. cap. firmiter* §. *una verò est fidelium &c.* item in *d. cap. un.* §. *porrò & seqq. de Summa Trinitat. & Fide Cathol. in* 6. partim à Theologis ex officio traduntur.

QUÆSTIO III.

Quandònam ex Jure Divino Fidem exteriùs profiteri teneamur?

Respondet D. Thomas *d. 2. 2. quæst. 3. art. 1.*
17 *quòd finis fidei sicut & aliarum virtutum referri debet ad finem charitatis, qui est amor DEI & proximi: & ideò, quando honor DEI vel utilitas proximi hoc exposcit, non debet esse contentus homo, ut per fidem suam ipsi veritati Divinæ conjungatur, sed debet*
18 *fidem exteriùs confiteri.* Nempe confessio fidei est præceptum affirmativum, obligans semper, sed non ad semper, nec in omni tempore & loco, sed in aliquo, quando, ut dictum, exigit honor DEI & salus proximi; puta *si aliquis interrogatus de Fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide;* sicuti exemplificat *cit.* S. Doctor.

QUÆSTIO IV.

Quandònam ex Jure Ecclesiastico fidei professio sit emittenda?

19 Ex Jure Ecclesiastico externa fidei professio emittenda est I. à Neo-Electis seu assumptis Episcopis juxta *cap. qui Episcopus* 2. *Dist.* 23. *cap. optatum* 4. *Dist.* 100. Concil. Tridant. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 1. ubi quoque statuitur, ut eadem professio, ab Episcopis emissa, ad Sedem Apostolicam in publica & authentica forma transmittatur; quinetiam ut juxta *sess.* 25. *de Ref. cap.* 2. §. *idémque imposterum* in prima Synodo provinciali, in qua ipsi interfuerint, id ipsum faciant.
20 II. Ab omnibus provisis de beneficiis curatis, qui intra duos menses in manibus Episcopi, vel, eô impeditô, coram Vicario Generali fidem profiteri tenentur per *cit.* Concil. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 12. tametsi ab uno beneficio curato, cujus intuitu jam semel fidei professionem deposuerunt, ad aliud promoveantur. Barbosa de *Off. & pot. Ep. p.* 3. *alleg.* 61. *n.* 9. Tamburin. de *Jure Abb. tom.* 1. *disp.* 8. *q.* 3. *n.* 8.
21 III. Ab omnibus provisis de Canonicatibus & Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, qui non solùm coram Episcopo seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere tenentur: alioquin tam isti quàm *prædicti omnes fructus non faciunt suos, nec illis possessio suffragatur*, uti loquitur idem Concil. *d. sess.* 24. *cap.* 12. 22
Cùmque hæc constitutio non pœnalis, sed conditionata sit, quòd nempe hujusmodi provisi non aliter fructus lucrentur, quàm si professionem fidei emiserint, communior sententia omittentes professionem ad restitutionem fructuum, nullô titulô perceptorum (quorum tamen nomine haud intelliguntur distributiones quotidianæ) obligat ante omnem Judicis sententiam. Barbosa de *Off. & pot. Ep. alleg.* 61. *n.* 28. P. Konig ad *tit. de Summa Trinit. numero* 10. Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid. n.* 10. Clariss. P. Benedictus Schmier ad *eund. tit. num.* 19. Clariss. P. Placidus Bockn *ibid. n.* 7. & 2. *seqq.* Dissentiunt P. Wiestner ad *d. tit. n.* 48. Reiffenstuel *ibid. n.* 196. alii-
que apud Barbosam *d. num.* 28. Neque excusat in 23
foro externo ignorantia Juris hujus, utpote quæ non proficit, compendium aliquod quærentibus juxta *l.* 7. 8. & 9. *ff. de Jur. & facti ignorant.* D. Philippus Braun ad *d. t. pag. m.* 11. quamvis pro
foro interno aliud statuat Barbosa *d. l. n.* 29. Ne- 24
que etiam quoad fructuum perceptionem, saltem post duos primos menses, excusat possessio triennalis, aut præscriptio, inde deducta: cùm ipsa possessio apertè improbetur. Barbosa *d. l. n.* 26. licèt suffragetur quoad alia jura parochialia vel capitularia. Barbosa *n.* 27. pro utroque casu afferens Declarationem Cardinalium.

IV. A promotis ad Monasteria, Conventus, Do- 25
mos, & alia quæcunque loca Regularium quorumcunque Ordinum, etiam Militarium juxta constitutionem Pii IV. quæ incipit *injunctum nobis*, editam Idibus Novembr. 1564.

V. A Rectoribus, Cancellariis, Professoribus & 26
Magistris quarumcunque Facultatum, etiam Artium liberalium in Universitatibus & Gymnasiis publicis, sive Clerici, Sæculares aut Regulares, sive Laici fuerint; uti & à promovendis cujuslibet status & conditionis ad Gradus quoslibet literarios, per constitutionem ejusdem Pii IV. quæ incipit: *in sacrosancta &c.* d. die & anno promulgatam.

VI. Ab hæreticis, ad sinum S. Matris Ecclesiæ 27
Catholicæ reversis, prout jam dudum insinuavit Lucius III. in *cap. ad abolendam* 9. *de Hæreticis.* De aliis videri potest novissimum Concilium Romanum, sub moderno Pontifice SS. D. N. Benedicto XIII. anno 1725. congregatum, *tit.* 1. *cap.* 1.

Possitne hæc fidei professio deponi per procurato- 28
rem? Controvertitur; affirmativa tamen contra Ugolinum, Garciam, Stephanum Gratianum, & alios docetur à Barbosa *d. allegat.* 61. *n.* 20. Tamburino de *Jure Abbat. disp.* 3. *quæst.* 3. *n.* 11. Wiestner ad *tit. de Summa Trinit. num.* 55. Reiffenstuel *ibid. n.*
182. Siquidem fidei professio non est actus adeò per- 29
sonalis, ut ministerium procuratoris, alioquin in omnibus negotiis per *cap. quod quis* 68. *de R. J. in* 6. regulariter concessum, respuat: cùm etiam juramenti præstatio, uti & celebratio matrimonii, per procuratorem, speciali mandatô instructum, legitimè possit fieri per *cap. tibi Domino* 33. *Dist.* 63. *cap. ult. de Juram. Calumn. cap. ult. de Procurat. in* 6. ipsaque fidei professio hôc modô permitti videatur in *cap. optatum* 4. *Distinct.* 100. Non attentô, quòd
formula juramenti, à Neo-electis Episcopis in ma- 30
nus S. Pontificis præstandi, sub terminis, personalem præsentiam & locutionem importantibus, efferatur in *cap. ego* 4. *de Jurejur.* quippe cùm procurator, qui personam sui principalis repræsentat, hanc ipsam formulam citra absurdum pronuntiare valeat;

quid-

quid in contrarium afferatur de S. Congregationis Cardinalium declaratione, aut Rotæ decisione, cui aliam & oppositam adducit Barbosa *d. nu.* 20.

TRACTATUS I.

DE JURE LEGALI.

GENERALIA Jurisprudentiæ nostræ principia sunt Leges, quarum cognitioni & interpretationi totam se mancipat. De his agitur in tit. II. III. & IV. Libri I. Decretalium; agitur in Institut. Lib. I. tit. II. agitur in Digestis Lib. I. tit. III. & IV. agitur in Codice Lib. I. tit. V. & seqq. Unde & nostri muneris erit, primam earundem Legum habere curam, non in genere tantùm aliqua sub titulo & rubrica de *Jure Legali* subjiciendô, sed etiam ad species seorsim descendendô

CAPUT I.

De Jure Legali in genere.

Juris Legalis existentiam inquirere, non vacat. Inter plurima indubitatæ veritatis argumenta, ipsa humanæ infelicitatis origo, ex Adami lapsu contracta, luculenter eam demonstrat. Nec enim peccâsset, aut peccare potuisset noster Protoparens, nisi Lex præcesisset; arguente sic & indicante Gentium Legatô ad *Rom.* 4. *v.* 15. *ubi non est Lex, nec prævaricatio.* Et ad *Rom.* 5. *v.* 13. *peccatum autem non imputabatur, cùm Lex non esset.* Nihil itaque soliciti de Juris Legalis existentia, quantociùs illius naturam genericam per definitionem & divisionem investigamus.

SECTIO I.

De Definitione & Divisione Juris Legalis.

SUMMARIA.

1. *Etymologia Juris Legalis.* 2. *& seqq. Homonymia.* 10. *Synonymia.* 11. *Nonnulla quæsita præliminaria de Jure Legali.* 12. *& seq. Ostenditur, quòd authoritate publicâ constitui debeat.* 14. *Requirit ex parte Legislatoris Jurisdictionem gubernativam.* 15. *Ex parte subditorum communitatem perfectam.* 16. *& seqq. Demonstratur, quòd respicere debeat bonum publicum.* 20. *& seq. Reprehenduntur Legislatores, qui finem alium intendunt.* 22. *Laudantur cæteri.* 23. *& seqq. Opposita referuntur, & refelluntur.* 33. *& seqq. Concluditur, & probatur, quòd Jus Legale non debet esse necessariò perpetuum.* 37. *& seqq. Præcluditur via subterfugiis Adversariorum.* 44. *& seqq. Adducuntur, & repelluntur obstacula.* 51. *& seqq. Asseritur, & evincitur, quòd Jus Legale debeat promulgari.* 54. *& seqq. Proferuntur, & retunduntur contraria.* 60. *& seqq. Assertur, & exponitur definitio Juris Legalis.* 65. *Proponitur discrimen inter Legem & præceptum.* 66. *Item inter Legem & consilium.* 67. *Dividitur Jus Legale in Naturale & Positivum.* 68. *Positivum variè subdividitur.* 69. *& seqq. Dividitur etiam in imperativum, prohibitivum, & permissivum.* 74. *& seqq. Dividitur quoque in favorabile & odiosum.* 77. *Dividitur denique in præceptivum & pœnale.*

§. I.

Quid Nominis sit Jus Legale?

SIne Jus primitivum nomen, à nullo alio deriva- 1
tum; an a justitia appellatum? Quæstio est de
nomine; non ideò tamen contemnenda: quia, ut
alicubi monet Epictetus, *initium doctrinæ considera-
tio nominum.* Prima opinio Gregorio Lopez *Ani-
madvers. cap.* 1. *num.* 5. placuit; nec displicere vi-
detur Clarissimo P. Jacobo Wiestner in *Dissert. pro-
œm. ad Jus Can. n.* 1. Altera arrisit Celeberrimo JCto
nostro D. Joanni Balthasaro Braun in sua *Jurisprud.
p.* 1. *cap.* 1. *§.* 1. *n.* 2. & mihi probatur: cùm Authores
& Patronos habeat Isidorum *in cap. Jus generale* 2.
Dist. 1. ubi Jus *ipse dictum* asserit, quòd *justum sit*,
nec non Ulpianum *in l.* 1. *in princ. ff. de J. & J.* ubi
disertis verbis *Jus à Justitiæ fuisse appellatum*, pro-
nuntiat. Ratio hujus Etymologiæ non incongrua
datur ab Eruditissimo Commentatore Emanuele
Gonzalez in *Apparatu de Orig. & progr. Juris Can.
n.* 1. quia Jus est medium, per quod intendimus ju-
stitiam.

Jus, ita derivatum, accipitur à Theologis & Ju- 2
repertis diversimodè. I. enim significat idem, quod
justum seu æquale: vel quia illa, quæ ad æqualita-
tem reducuntur, vulgò justari dicuntur, veluti no-
tat Doctor Angelicus apod Authorem, mox citan-
dum; vel quia Jus est medium inter duo, quæ plus
vel minus recipiunt, eâque ratione æquum voca-
tur, uti voluit Princeps Philosophorum apud Jo-
sephum Gibalinum *Scientiæ Canonicæ lib.* 3. *cap.* 1.
quæst. 1. *num* 2. II. denotat legitimam facultatem 3
aliquid agendi, obtinendi, impediendi; eóque per-
tinet celeberrima divisio Juris in Jus proprietatis &
Jurisdictionis: de qua posteriori Juris specie, DEO
auxiliante, in *tr.* 5. & de priori *in tom.* 2. *lib.* 3. spe-
cialis discussio reperitur. III. sumitur pro statu & 4

condi-

conditione, quam persona aut res habet ex deter-
minatione Legis: quò sensu titulus tertius *lib.* 1.
5 *Inst. de Jure Personarum* inscribitur. IV. titulum,
seu causam habendi, aut agendi commonstrat juxta
l. si quis 10. *in princ. ff. Si servit. vindic. l. si cui* 1. §.
ult. v. vel ex jure impositam servitutem ff. de Aqua
6 *& aquæ pluv. arc.* V. usurpari solet pro loco, in
quo jus & justitia administratur *tot. tit. ff. & Cod. de*
in Jus voc. l. un. Cod. de Confess. VI. pro habitu &
7 notitia Juris sæpissimè venit §. *Jurisprudentia* 1, *In-*
stit. l. Juri operam 1. *in princ.* §. 1. *& passim ff. de J.*
8 *& J.* Videatur *tract. præamb. cap.* 1. VII. & ulti-
mò (ut alias acceptiones minùs solennes prætermit-
tam) Jus pro constitutione & Lege, seu regula ju-
stæ operationis, receptissimâ phrasi accipitur §. *ult.*
Inst. d. l. 1. §. 2. 3. *& 4. de J. & J tot. tit. Instit. de J.N.*
9 *G. & C.* Quemadmodùm enim Medicinæ nomen
initiò impositum est ad significandum medicamen-
tum, quod ad sanandum prodest; inde verò trans-
latum ad significandam artem ipsam, quâ id cognos-
citur, & applicatur: ita pariter vocabulum Juris
impositum est ad significandum justum; inde verò
traductum ad significandas Leges, quibus continne-
tur, artemque ipsam, quâ cognoscitur, quid in
actionibus hominum justum injustúmve sit, veluti
discurrit Ludovicus Molina *de J. & J. tr.* 1. *disp.* 2.
n. 1. Et hæc acceptio nostræ intentioni & dispe-
ctioni imposterum serviet; in qua
10 Jus variis nominibus effertur. In *l. Lex est* 1. *ff.*
de LL. commune præceptum; in *eâd. l. in fine*, *& l.*
seq. communis Reipublicæ sponsio; in §. *sed & 6.*
Inst. de J. N. G. & C. placitum; in *l. leges* 7. *Cod. de*
LL. tot. tit. X. de Constitutionibus, *& tot. tit. ff. de*
Constitut. Princ. constitutio; in *cap.* 1. 2. *& 3. Dist.*
2. & in *tit. ff. & Cod. de LL.* ac alibi frequentissimè
Lex appellatur. Quæ ratio fuit, quòd de Jure,
quatenùs est norma Legalis humanarum actionum,
tractaturus, illud in tractatus inscriptione *Jus Legale*
nominaverim.

§. II.

Quid Rei sit Jus Legale?

11 Ut Jus Legale secundùm rem genuinâ & legitimâ
definitione adumbretur, nonnulla dubia priùs exa-
minanda, & decidenda sunt. Primum est, debeát-
ne Jus Legale authoritate publicâ constitui? Se-
cundum, an bonum publicum respicere debeat?
Tertium, an stabilitatem exigat? Quartum, an de-
sideret promulgationem? Quoad primum dubium
12 Dico I. Omne Jus Legale publicâ authoritate
constitui debet. Ita cum Magnif. nostro P. Pettscha-
cher *tract. de Legibus quæst.* 1. *art.* 3. omnes. Ratio
est partim: quia Jus Legale ex *conclus. seq.* debet
respicere bonum publicum: ergo etiam constitui de-
bet authoritate publicâ: nam, ut loquitur citatus
Author, qualis est ordo finium, talis est ordo causa-
13 rum efficientium: partim, quia Jus Legale duplicem
vim & virtutem exercet, directivam & coactivam:
ergo authoritatem publicam supponat, necessum est,
cùm directio & coactio nequeat provenire ab alio,
ac qui authoritate & potestate publicâ instructus
est. Unde
14 Infertur I. ex parte cujuscunque Legislatoris re-
quiri potestatem gubernativam sive Jurisdictionis;
nec sufficere œconomicam, sive Dominationis: prior
enim in bonum commune; posterior in privatum
ordinatur.
15 Infertur II. ex parte illorum, pro quibus Jus
Legale constituitur, requiri non tantùm subjectio-
nem, sed etiam communitatem perfectam; colle-
ctionem scilicèt plurium hominum, qui mutui sub-
sidii & solatii causâ societatem inter se contraxêre;
neque enim bonum commune vel intendi, vel pro-
curari potest, nisi præexistat communitas, cui bo-
num illud in effectu eveniat. Quoad alterum du-
bium
Dico II. Omne Jus Legale debet respicere bo- 16
num publicum & commune. Ita cum eodem Ma-
gnifico P. Pettschacher *d. quæst.* 1. *art.* 2. rursum om-
nes. Ratio est I. quia Jus Legale est commune
præceptum *l. Lex est* 1. *ff. de LL.* neque in singulas
personas, sed generaliter constituitur, uti dicitur in
l. jura 8. *ff. eôd.* Ergo etiam finem generalem, seu
communem respiciat, oportet. II. quia, ut ex Di- 17
vo Thoma demonstrant Sapientissimi nostri Sant-
Gallenses de *LL. quæst* 2. *sect.* 1. Jus Legale est prin-
cipium ex rinsecum, & regula actuum humanorum.
Ergo idem est finis Legis & actuum humanorum.
Atqui actuum humanorum finis est naturalis & su-
pernaturalis felicitas, quæ est commune, seu uni-
ve sale bonum. Ergo idem universale bonum finis
est Legis. III. quia Potestas Legislativa ad bonum 18
commune Principibus concessa legitur *Sap.* 6. *v.* 4.
Rom. 13. *v.* 5. in quibus locis Principes Ministri DEI
& communitatis appellantur. Ergo & ipsa Lex, à
tali potestate condita, ad similem finem ordinanda
est. IV. quia, ut ex Cicerone refert Vasquius *Il-* 19
lustr. controv. l. 1. *c.* 1. *n.* 10. procuratio Reipublicæ
non aliter quàm tutela ad utilitatem eorum, qui
commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est,
geri debet. Hæcque est certissima & characteristi-
ca nota, discernendi legitimum Principem à Tyran-
no, quòd ille ad publicam, iste ad suammet utilita-
tem Leges inflectere studeat, ait *cit.* Vasquius *cit.*
lib. cap. 30. *num.* 2.
Errant igitur, & totô aberrant cœlô, qui falsam 20
rationem statûs, illam videlicèt, quæ asseritur esse
Jus Principum utilitati deserviens, in suis constitu-
tionibus & ordinationibus pro fine ponunt: qui, ut
disserit Clariss. & Colendiss. D. Collega D. Josephus
Bonaventura Franz *in Quæst. select. quæst.* 12. *n.* 6. li-
bidine imperandi in transversum acti, omnia consilia
& actiones suas ad sequentes dirigunt regulas: *Regi*
Imperium habenti nihil injustum, *quod utile*: *Sinè*
injuria gubernari non potest Respublica: *Si jus vio-*
landum regni causâ violandum est: *Sua retinere*, *pri-*
vatæ domus; *de alienis certare*, *regia laus est.*
Meminisse debent, teste Aristotele 3. *Politic.* non 21
Regna propter Reges, sed Reges propter Regna
constitutos esse: eamque sanam & sanctam status
rationem censeri, quæ, definiente Clariss. D. Gletle
Jurisprud. fundam. lib. 1. *tit.* 1. *cap.* 4. §. 5. *n.* 8. est norma
politica, ad quam omnia consilia omnesque actio-
nes in Republica dirigendæ, ut salus & incremen-
tum communitatis procuretur.
Proderit itaque, si, ut piè æquè ac politicè præ- 22
stantissimus ille Regni Poloniæ Marescallus Lucas
Opalenus *lib.* 2. *Officiorum cap.* 2. *f:m.* 158. mono-
„mentis consignavit, si inquam, Imperii instituti
„finis, qui est bonum & commodum subditorum,
„rectè expendatur, & ad eum cuncta referantur:
„sciantque, qui eô potiuntur, se non suam rem age-
„re, sed populi. Atque ita Rempublicam admini-
„strent, ut agnoscant omnes, suam omninò salu-
„tem curari. Ita, quæ onerosa erunt, levia, si pro-
„ficua, videbuntur. Et ut æger Medico, sic po-
pulus parebit imperanti: utrôque salutem, etsi per
dura quandoque & aspera, procurante.
Contra hanc conclusionem militare videtur I. 23
quòd Leges de tuenda vita propria, de servando je-
junio, de correctione fraterna, & aliæ ejus generis
quàmplures, in singulorum gratiam & favorem con-
scriptæ sint. II. quòd privilegia Pupillis, Mino- 24
rennibus, Mulieribus, Clericis, Religiosis &c. con-
cessa,

ceſſa, ſolum favorem perſonarum privilegiatarum
25 pro ſcopo ſuo agnoſcant. III. quòd Leges vecti-
galium & tributorum unius Principis ærario con-
ducant. IV. denique, quòd, ſi unus mercator
in civitate exiſteret, atque in illius duntaxat odium
Legiſlator ſtatutum promulgaret, ut nullus mer-
cator in Ordinem Senatorium deinceps admittatur;
tale ſtatutum emolumentum communitatis non at-
tenderet.
26 Sed facili operâ illhæc objecta diluuntur. Ad
primum negatur, in gratiam ſingulorum allegatas
Leges emanâſſe. Quantumvis enim bonum, ex illis
LL. reſultans, ſinguli & ſoli ſentiant, attamen in
bonum univerſorum ex primario fine tendunt. Agit
nempe Legiſlator cum partibus communitatis ſicut
Medicus cum membris corporis: uti namque hic
primariò & immediatè totius individui commo-
dum ſpectat, & nonniſi ſecundariò membri ægro-
tantis conſervationem: ſic ille principaliter intendit
utilitatem communitatis, & nonniſi ſecundariò uti-
litatem partium, quatenùs à communitate formali-
ter diſtinctæ ſunt. Vide Sant-Gallenſes *locô mox
citandô.*
27 Ad ſecundum Reſp. ſi privilegia pro certo per-
ſonarum genere ſint indulta, ea Legibus propriè
dictis rectiſſimè accenſeri: neque enim opus eſt, ut
Lex totius communitatis bonum ex æquo inten-
dat, ſed ſufficit, ſi bonum perſonarum plurium, ad
certum genus, ordinem, aut conditionem pertinen-
tium, cùm & iſtæ particularem communitatem con-
ficiant, reſpiciant. Caſtropalao *Operum Moral.*
28 *part.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 1. *n.* 7. Ut adeò, dum
Leges in bonum communitatis ferendas eſſe dici-
mus, id oppoſitivè ad bonum perſonarum privata-
rum, non relativè ad totam communitatem, quate-
nùs ex variis hominum cœtibus coaleſcit, intelligere
debeamus, P. Ferdinandus Krimer ad *tit. Juris Ca-*
29 *non. de Conſtit. num.* 91. Sin privilegia pro una tan-
tummodò vel altera perſona ſint data, degenerant
à propria Legis natura, & induunt nomen Legis
impropriæ per *cap. privilegia* 3. *Diſt.* 3. ibi: *privi-
legia ſunt Leges privatorum, quaſi privatæ Leges:
nam privilegiũ inde dictũ eſt, quòd in privato feratur.*
30 Ad tertium cum diſtinctione Reſp. videndum
nempe, an Leges vectigalium & tributorum uni &
ſoli Principi ærario proficiant; an autem exinde
collecta pedagia aut quidagia (ſic vocantur in *cap.
ſuper quibuſdam* 26. *de V. S.*) aut acceptæ pecuniæ
in communem felicitatem & ſublevationem effluant?
Priore caſu aut injuſtitiæ laborant maculâ; aut, ſi
juſtæ ſint, qualitatem hanc ex Jure Regalium emu-
tuant. Poſteriore caſu uti pro termino habent præ-
fixam boni publici ſalutem, ita in cenſum Legum
propriè talium referuntur: intereſt enim Reipubli-
cæ, Leges pro ærario condere poſſe.
31 Ad ultimum Reſp. ſtatutum de non admittendis
mercatoribus ad Dignitatem Senatoriam Legis titu-
lô ſalutandum eſſe, dummodò plures vel modò exi-
ſtant, vel aliquando extituri credantur. Neque
enim ad Univerſitatem ſeu communitatem exigitur,
ut de facto ex pluribus individuis conſtet, cùm ex
l. ſicut 7. §. *ult. ff. Quod cujuſcunque Univerſit. nom.*
nemini non perſpectum ſit, Univerſitatem etiam in
32 uno conſervari, & ſuperſtitare poſſe. Quòd verò
Legiſlator in caſu propoſito ex odio illud ſtatu-
tum ſanciverit, tam parum deſtruit valorem Le-
gis, ſi ex ſe communem tranquillitatem promo-
veat, quàm parum ſiniſtra Judicis intentio deſtruit
valorem ſententiæ, ſi aliunde æquitati conformis
eſſe deprehendatur. Magis ſiquidem in promotione
boni communis ſpectatur intentio ipſius operis, quàm
operantis, uti *loc. anteà alleg.* ſolertiſſimè adnotavit
P. Pettſchacher. Venio ad dubium tertium, &

Dico III. Jus Legale non debet eſſe neceſſariò 33
perpetuum. Ita cum Gloſſa in *cap.* 1. *de Conſtit.* ſen-
tire videtur Pettſchacher *cit. quæſt.* 1. *art.* 3. *v. infero*
18. Ratio eſt I. quia Jus Legale, ut immediatè con-
cluſum eſt, debet ex primario fine in bonum com-
munitatis tendere. At in bonum communitatis
non ſemper tenderet, ſi deberet eſſe perpetuum.
Sunt enimverò non pauca objecta, quæ ad tem-
pus certum & determinatum commodè permit-
tuntur, præcipiuntur, puniuntur, vetantur; perpe-
tuò tamen ob varias circumſtantias permitti, præci-
pi, puniri, vetari, nequeunt; ſatis hoc inſinuante D.
Gregorio & Hieronymo in *cap.* 1. 2. *&* 3. *Diſt.* 29.
Quid enim, ſi Summus Pontifex per Legem com- 34
munem imperaret Principibus & perſonis Eccleſia-
ſticis, ut pro bono publico Imperatori quot annis
certam pecuniæ ſummam ex reditibus Eccleſiarum
tam diu contribuant, quàm diu bellum geſſerit con-
tra juratos Chriſtiadûm hoſtes, Tu cas? Certè tale
imperium veram Legis rationem participaret, quam-
quàm perpetuum nec eſſet, nec forſitan eſſe poſſet.
Quid, ſi authoritate publicâ ſtatuatur, ut, duran- 35
te obſidione, quivis ex civibus frumentum, quod
habet, venale exponat; ut, ingraveſcente annonâ,
nullus extra provinciam frumentum evehat; ut,
continuante bellô, nullus è patria ad terras alienô
ſole calentes egrediatur? Nunquid ſimilia ſtatuta
Legis nomine honoranda forent, non attentô, quòd
perpetuitate ac ſtabilitate, quæ potiùs obeſſet,
quam prodeſſet, carerent?
Ratio eſt II. quòd Leges veteris Teſtamenti ne- 36
mo hactenùs à dignitate Legum propriè talium ex-
cluſerit, cùm tamen dogma ſit noſtræ fidei, pleraſ-
que ex illis Legibus per adventum Incarnati Verbi
exſpirâſſe, atque ex primaria Divini Legiſlatoris in-
tentione virtutem obligandi non niſi ad uſque tem-
pus Teſtamenti Veteris habuiſſe. Similiter (ut à
ſacris ad profana declinemus) Edicta Prætoria *in* §.
Prætorum 7. *Inſtit. de J. N. G. & C.* & *in l. Jus autem*
7. §. *un. ff. de J. & J.* tanquàm ſpecies Juris Legalis
Civilis referuntur; neque tamen perpetuò vige-
bant, aut valebant, ſed ad tempus annuum erant
reſtricta *pr. Inſt. de Perpet. & temporal. act.*
Ad has & alias rationes cum impugnatoribus meæ 37
ſententiæ Reſpondebis I. Leges debere perpetuas
eſſe non poſitivè, ſeu abſolutè & ſinè fine, ſed ne-
gativè, id eſt, ſinè determinatione certi temporis.
Sed, amabo! cur determinatio certi temporis offi- 38
ciat Legi, cùm ex dictis omnibus ſit conditioni-
bus inſtructa, tametſi certo tempori reperiatur al-
ligata? Quomodò negare potes, Legi Veteri 39
certum tempus fuiſſe præfinitum, cùm dubiô pro-
cul ad Vitam & Mortem Chriſti Domini reſtricta
credatur? Quomodò inficias ibis, Edicta Præto- 40
ria, quæ in citatis anteà textibus annumerantur Le-
gibus, antequam perennitatem acceperint, non ha-
buiſſe terminum?
Reſpondebis II. ad Legem requiri perpetuita- 41
tem *phyſico-moralem*, quâ per commenſurationem
ad certum ſtatum tamdiu durat, donec unà cum ſta-
tu aut circumſtantiis exſpiret.
At non bene, ut video, concluſionem noſtram 42
ponderas, ſi tuâ hanc reſponſione impugnari putes.
Nam & nobis ea inſedit opinio, Legem, cui tempus
aliquod præſtitutum non legitur, perſiſtere, uſque
dum mutatis circumſtantiis aut contrariâ Legiſlato-
ris voluntate ceſſet. Aſſerimus tamen, Legem
non exſpoliari naturâ ſuâ, tametſi certum inter-
vallum pro ſua duratione ſtatutum habeat. Neque 43
enim, ut nonnemo exiſtimat, hujuſmodi Lex tem-
poralis in præceptum migrat, & cum Legiſlato-
ris morte deſinit obligare: quia perinde præceptum
ac Lex non reſpuit determinationem temporis, eò

quòd paterfamilias, qui potestate Legislativâ ca-
ret, suis domesticis præceptum negativè vel mora-
liter perpetuum imponere valeat, absque eo, quòd
Legis naturam induat.
Audiamus nunc, quæ ratio vel textus permultos
44 in adversum dogma pertraxerit. Ratio hæc affer-
tur: quia Lex, cùm authoritate publica, quæ sta-
bilis est, feratur communitati, quæ itidem duratio-
nem æviternam habet, similem longævitatem desi-
45 derare videtur. Textus est tum in *cap. ult. de Offi-
cio Leg.* ubi de statutis Legatorum Sedis Apostoli-
cæ dicitur, ea perpetuò durare: tum in *l. falsò 2.
Cod. de div. Rescript.* ibi: *enim ea, quæ ad Jus scri-
buntur, perennia esse debeant*: tum in *l. edita 3. Cod.
de Edendo*: ibi: *prout edicti perpetui monet authoritas.*
46 Verùm hæc contra nos haud pugnant. Ratio
enim opposita, si quid probaret, probaret nimiùm,
nempe quòd Lex omnis non tantùm ex intentione
Legislatoris, sed etiam in opere ipso perennitatem
exposcat contra DD. omnium unanimem sensum &
sententiam, asserentium, Legem positivam à Le-
gislatore ipso, ejus Successore, vel Superiore mu-
tari, & abrogari posse, veluti suô locô docebitur.
47 Sanè nec expedit, nec conducit, Legibus omnibus
immortalitatem adstruere velle, dum in rebus mor-
talibus nil immortale reperimus, ac, quam pro uno
aut altero anno Legem proficuam fore reputavimus,
pro annis sequentibus nocivam aut incommodam
evasuram prævidemus. Quem in finem optimè Bo-
nifacius VIII. in *cap. 24. de Sent. Excommunicat.
in 6. in princ. alma mater Ecclesia*, inquit, *ple-
rumque nonnulla rationabiliter ordinat & consultè,
quæ suadente subjectorum utilitate postmodùm consul-
tiùs ac rationabiliùs revocat, in meliúsve commutat.*
Consonant Bonifacio, Gregorius, & Hieronymus
48 in *dd. c. 1. 2. & 3. Dist. 29.* Textus contrarii suppo-
nunt, Legem ordinariè perpetuam esse, si Legisla-
tor ad tempus determinatum illius valorem non co-
arctaverit; at Legem debere esse perpetuam, ne
49 verbulô quidem edicunt. Imò textus in memora-
ta *l. falsò 2. Cod. de Div. Rescript.* satis apertè no-
stræ sententiæ suffragatur, tantum abest, ut illi refra-
getur, cùm rescripta secundùm Jus velit quidem esse
perennia, sed sub conditione, *si tempus, in quo al-
legari vel audiri debent, non sit comprehensum*: op-
timô argumentô, valori Rescriptorum justitiæ de-
50 terminatum temporis spatium præfigi posse. Quin
& ultimus textus in *l. edita 3. Cod. de Edendo*, dum
edicti perpetui mentionem facit, tacitè innuit, edi-
cta Prætorum (quæ in censum Juris Legalis perti-
nere, multis licèt reclamantibus, constat ex *nu. 17.*)
olim temporalia fuisse, antequàm per edictum, à
Salvio Juliano temporibus Hadriani Imperatoris
confectum, perpetuitatem acceperunt. Videatur
textus in *cit. princ. Inst. de Perpet. & tempor. act.* &
Henricus Zoësius ad *tit. ff. de J. & J. n. ult.* Hæc
de tertio dubio. Ad quartum
51 Dico IV. Omne Jus Legale requirit promulga-
tionem. Illustrissimus Reding de *LL. quæst. 16. art.
2. Controv. 3. n. 6.* Magnif. Pettschacher, *cit. loc. art.
4.* Sapientissimus Suarez de *LL. l. 1. cap. 11.* Giba-
linus *Scientiæ Canon. tom. 2. l. 7. cap. 1.* Hancque
communiter esse receptam sententiam, unicô ferè
dissentiente Dominicô Sotô, perhibet Vasquius *Il-
52 lustr. Controv. l. 1. cap. 44. num. 1.* Facit textus in
cap. 3. Dist. 4. ibi: *Leges instituuntur, cùm pro-
mulgantur.* Facit quoque textus in *l. 9. Cod. de
LL.* ubi Imperatores Valentinianus & Martianus,
Leges Sacratissimæ, inquiunt, *quæ constringunt ho-
minum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut uni-
versi, præscriptô earum manifestiùs cognitô, vel inhi-
53 bita declinent, vel permissa sectentur.* Facit ratio con-
vincens: quia Jus Legale est allocutio publica, ad
populum directa, quæ sine manifestatione nequit
intelligi: est regula directiva actuum humanorum,
quæ, non cognita, non potest dirigere: est impe-
rium practicum, obligans ad sui observantiam, quod,
in mente imperatoris retentum, subditos constringe-
re non valet.
Obstare videtur I. *cap. ad hæc 1. de Postulat. Præ-* 54
lat. ubi decernitur, ad hoc, ut constitutio obliget,
sufficere, *si quis noverit, eam solemniter editam, aut
publicè promulgatam.* II. quòd Lex Naturalis ab 55
æterno extiterit, quæ tamen ob defectum subdito-
rum non poterat promulgari. III. quòd promul- 56
gatio Juris Legalis præsupponat Jus Legale jam con-
stitutum: quod enim non est, nequit promulgari.
Sed nihil horum obstat. Ad I. Resp. cum Gon- 57
zalez in *cap. cognoscentes 2. de Constit. num. 10.* tex-
tum in *d. cap. adhæc* non *disjunctivè* sed *copulativè*,
aut *expositivè* accipiendum esse, ut sensus sit: *Le-
gem obligare, si solemniter fuerit edita, & (vel id
est) publicè promulgata.* Huncque sensum evinco
ex contextu ipsissimi capituli, ubi in verbis imme-
diatè præcedentibus dicitur: non esse necessarium
ad Legis obligationem, *ipsius notitiam singulorum au-
ribus per speciale mandatum vel literas inculcare.*
Quæ verba abundè declarant, S. Pontificem non
promulgationem generalem, sed specialem dunta-
xat, quæ singulis subditis sigillatim fiat, excludere
voluisse. Conferatur etiam Barbosa *de Dictionibus
usufreq. dict. 46. n. 5. & 8.* Ad II. Resp. cum Sant- 58
Gallensibus *d. sect. 1. quæst. 3.* Legem Naturalem, an-
tequàm creaturis rationalibus manifestata fuit, non
fuisse Legem completam & perfectam, sed incomple-
tam, imperfectam, & initiativam. Ad III. eôdem 59
ferè modô Resp. quòd promulgatio præsupponat
Legem incompletè & in actu primo constitutam, in
quantùm nempe voluntas Legislatoris jam est deter-
minata ad Legem, proximè subditis intimandam;
compleatur verò, & in actu secundo ponatur per
ipsam promulgationem, quatenùs Lex subditorum
mentes vinculô obligationis constringere non po-
test, nisi fuerit sensibilis & intimata. His itaque du-
biis præliminariè discussis & decisis, nullô jam ne-
gotiô definitionem Juris Legalis efformo, &
Dico V. Jus Legale in genere sumptum est ordi- 60
natio rationis in bonum commune, publicâ autho-
ritate promulgata.
Dixi I. *ordinatio rationis*; id est, jussio & dispo- 61
sitio rationabilis. Ut indicarem, ad Jus Legale duos
actus concurrere, intellectûs, & voluntatis. Actus
intellectus intercedit, dum Legislator judicat, id,
quod jubet, sanæ & rectæ rationi, ac Reipublicæ
commodo consentaneum esse. Actus voluntatis ac-
cedit, dum Legislator vult, à subditis observari,
quod Reipublicæ bono & rectæ rationi consenta-
neum esse, judicavit.
Dixi II. *in bonum commune*: quæ particulæ suam 62
explicationem recipiunt ex *n. 16. & seqq.* Cui hoc
unum superaddere volo: Legem, sicut in dubio
censetur esse rationabilis, sic etiam censeri Reipu-
blicæ utilitati proficuam: cùm enim in dubio ne
quidem privatæ sortis homines iniquitatis aut ma-
litiæ reos proclamare, aut præsumere liceat, per
ea, quæ vulgò à DD. notantur ad *cap. ult. de Præ-
sumpt.* & *l. meritò 51. ff. Pro socio.* multò minùs Prin-
cipem ex causa incerta & dubia certæ injustitiæ ar-
guere, fas erit: cùm in *l. disputare 3. Cod. de Crim.
Sacrileg.* sacrilegii ad instar esse dicatur, de Princi-
pali judicio disputare, vel dubitare velle.
Dixi III. *publicâ authoritate*, conformiter iis, 63
quæ à *num. 12.* scripta sunt.
Dixi IV. *promulgata.* Adeòque Lex non promul- 64
gata non obligat, uti continuò inclamant, & inculcant
omnium Scholarum Professores; & constat ex dictis à
num. 51.

num. 51. Abstrahendò interim, an promulgatio sit de ratione seu essentia Legis; an solùm applicatio illius in esse proximè obligativo jam completè constitutæ atque præsuppositæ? Quam quæstionem ex instituto ventilant Theologi; prætereunt verò Juristæ, contenti docuisse, & demonstrasse, quòd in actu secundo nulla Lex obliget, nisi promulgata.

65 Colliges ex dictis I. Jus Legale multùm differre à præcepto. I. enim differt ex causa efficiente: dum Jus Legale proficiscitur ab anthoritate publicâ, gubernativâ, & Jurisdictionali; præceptum è contrà etiam à potestate privatâ, œconomicâ, & dominativâ procedere potest. II. differt ex subjecto: nam Juris Legalis nexu innodatur ipsa communitas; præcepti verò ligamine personæ singulares obstringuntur. III. differt ex causa finali: Jus Legale siquidem emolumentum & incrementum Reipublicæ; præceptum è diverso compendium & commodum personæ privatæ spectat.

66 Colliges II. inter Jus Legale & consilium plurimas itidem differentias intercedere. Prima est: quòd Legale vinculum ab homine publico; consilium à quovis alio inducatur. Secunda: quòd consilium, secùs ac Lex, in gratiam solius consulentis, seu consilium expetentis, dirigatur. Tertia: quia consilium non parit sequendi obligationem, quemadmodùm Lex: cùm in arbitrio stet consultantium, an suadenti morem gerere, an obniti velint. Gletle *Jurisprud. fund. l.* 1. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 7. *n.* 1.

§. III.

Quotuplex sit Jus Legale?

67 Prima & princeps Juris Legalis est divisio, quâ dispescitur in Jus Naturale & Positivum. *Naturale* dicitur, quod, ex necessitate naturæ introductum, ab aliis *Necessarium* appellatur. *Positivum* describitur, quod ex libera voluntate positum est; indeque etiam *Voluntarium*, seu *Arbitrarium* à multis vocitatur.

68 Jus Positivum subdividitur in Divinum & Humanum. *Humanum* in scriptum, & non scriptum; sacrum & profanum; generale & speciale divellitur. *Profanum* rursus in universale seu Gentium, & particulare, seu Civile, idque Publicum, & Privatum dismembratur. De quibus omnibus & singulis mambris per singula capita largiore dexterâ in subsequentibus agam.

69 Altera divisio est, quâ Jus Legale dividitur in imperativum & permissivum. *Imperativum* est vel affirmativum, vel negativum. *Affirmativum* est, quod pro objecto habet positionem actûs; seu, quò aliquid agendum præcipitur. *Negativum* est, quod pro objecto habet omissionem actûs; seu, quò aliquid agendum prohibetur. Differentia inter Jus

70 utrumque summè notanda est, quòd affirmativum in actu secundo non semper obstringat: cùm virium humanarum infirmitas hominem in continuo motu & actu Legalis observantiæ versari, haud patiatur. At verò negativum in actu secundo semper & pro semper obligat: quia huic solâ actûs prohibiti omissione, quæ utique non excedit mensuram humanæ potentiæ, satisfit. Jus *Permissi-*

71 *vum* est, quod nec præcipit, nec prohibet actum, sed negativè se habet, vel tolerandò actum, si malus non sit; vel, si malus, impunitatem extrinsecam concedendò.

72 Erunt fortassis, quibus stomachum hæc divisio moveat, existimantibus, Jus seu Legem permittentem, cùm obligationem importet nullam, tanquàm à genuina Legis indole degenerem, respuen-

73 dam esse. Verùm, quia & Lex permittens potest

esse ordinatio rationis ad bonum commune: quia insuper potest obligare tum subditos, ne quempiam, actum Lege permissum exercere volentem, impediant; tum Judices, ne in similem dictatione pœnæ animadvertant: quia denique authoritate Legali nititur præfacta divisio in *l. Legis virtus 7. ff. de LL.* ibi: *Legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire*: hinc eam optimò Jure permitti posse, censeo cum pluribus aliis, quibus accedit Magnif. Pettschacher *de LL. quæst.* 2. *art.* 1. *in fine.* P. Ferdinandus Krimer ad *tit. de Constitut. n.* 308. Gletle *p.* 1. *Quæst. select. q.* 3. *n.* 4. *circa fin.*

Tertia divisio est, quâ Jus Legale scinditur in favorabile & odiosum. *Favorabile* nuncupamus, quod 74
ex fine suo primario favorem aut gratiam impertiri desiderat. *Odiosum* nominamus, quod ex fine suo primario plectere, punire, aut aliò nocere modò intendit. Cujus divisionis discrepantia in eo cernitur, quòd Jus favorabile amplam & laxam; Jus odiosum strictam & arctam recipiat interpretationem, ut dictum supra in *tr. præamb. cap.* 3. *n.* 82. *& seqq.*

Dixi notanter: ex *fine primario* discernendum 75
esse, sitne Jus Legale favorabile, an odiosum? Cæteroquin enim Jus omne favorabile dicendum foret, & simul odiosum: favorabile quidem, quatenùs fertur in bonum communitatis; odiosum verò, quatenùs obligationem, seu onus, imponit. Itaque 76
si Jus aut Lex primariò & specialiter intendat favere vel Religioni, vel Ecclesiis, vel Reipublicæ, vel Causis Piis &c. favorabile censetur; sin autem primariò & principaliter velit pœnam aut supplicium in transgressores fulminare, censetur odiosum. Conf. P. Wiestner ad *regulam Juris* 15. *in* 6. *à num.* 2.

Quarta divisio est, quâ Jus Legale dissecatur in 77
præceptivum & pœnale. *Præceptivum* definiunt, quod simpliciter aliquid præcipit, aut vetat. *Pœnale* vocant, quod transgressoribus pœnam comminatur. Quæ & prior divisio propriè quidem ad solum Jus positivum pertinet; hic tamen vel ideò non prætermittenda videbatur, quia per decursum sæpiùs poni, & supponi debebit.

SECTIO II.

De Objecto Juris Legalis.

SUMMARIA.

78. *Indicatur objectum Juris Legalis.* 79. *& seqq. Quædam difficultates de actibus impossibilibus moventur.* 83. *& seqq. Prænotantur aliqua, ad solvendas difficultates.* 88. *& seq. Toti communitati non possunt impossibilia præcipi.* 90. *& seqq. Impossibilia de Jure nequidem privatis imponi possunt.* 95. *& seq. Idem est de impossibilibus, naturaliter talibus.* 97. *& seqq. Impossibilia moraliter talia uni vel alteri in particulari possunt injungi.* 103. *& seq. Explicatur diversitas actuum internorum.* 106. *& seq. Indirectè præcipi valent tam à Jure Civili.* 108. *& seq. Quàm à Jure Canonico.* 110. *à Jure Divino possunt etiam directè præcipi.* 111. *& seq. Non autem à Jure Civili.* 113. *Jure Canonico directa præceptio defenditur.* 114. *& seqq. Prima probatio, cum refutatione responsionum contrariarum.* 123. *& seqq. Altera probatio cum simili refutatione.* 130. *& seqq. Tertia probatio & elisio intentionis adversæ.* 135. *& seqq. Quarta probatio cum pari elisione.* 140. *& seqq. Prima objectio cum sua solutione.* 148. *& seqq. Secunda objectio cum sua exterminatione.* 161. *& seq. Delineantur*

varia virtutes. 164. *& seqq. Omnes actus omnium virtutum non cadunt sub praeceptum.* 168. *& seqq. Quidam actus omnium virtutum sunt praeceptibiles.* 171. *Actus tamen virtutum supernaturalium sunt extra sphaeram Jurisdictionis Civilis.* 172. *Non autem Juris Canonici.* 173. *Leges non feruntur de actibus praeteritis.* 174. *& seqq. Si Leges illa sint praeceptivae.* 178. *& seqq. Aut propriè poenales & vindicativa.* 182. *& seqq. Secus si sint impropriè poenales.* 185. *& seqq. Censura praerequirunt notitiam Legis censurantis.* 189. *& seq. Leges irritantes tunc possunt attingere actus praeteritos, quando jam antecedenter erant prohibiti.* 191. *& seqq. Lex declarativa respicit actus, jam positos.* 194. *Proponitur quaestio de Principe, utrùm possit per Legem auferre jus, subditis quaesitum?* 195 *& seqq. Concluditur, & demonstratur, id sine causa necessitatis vel utilitatis publicae non licere.* 203. *& seqq. Rationes oppositae diluuntur.* 209. *& seqq. Concluditur, & demonstratur, id licere ex causa necessitatis vel utilitatis publicae.* 217. *& seq. Quod tamen uni sic ablatum est, ab aliis eum proportione resarciri debet.*

§. I.

Possintne actus impossibiles praecipi, vel prohiberi?

78 OBjectum Juris Legalis est vastissimum & latissi-
mum. Quidquid enim praecipi, prohiberi, aut
permitti potest, ad objectum Juris Legalis reduci-
tur. Potest verò in genere prohiberi non tantùm
quod malum, sed &, in certis circumstantiis, quod
bonum est. Permitti potest, quod bonum, indiffe-
rens, aut malum est, si evitatio majoris mali tole-
rantiam minoris efflagitet. Praecipi posse honesta &
possibilia, tam certum & indubium est apud DD. ut
in regulam Juris transierit, *ad impossibilia neminem
obligari per cap. 6. de R. I. in 6. & l. 185. ff. eôd.*

79 Nescio tamen, an adeò plana & trita haec sit re-
gula, ut majorem explanationem aut explicationem
non mereatur, si ad considerationis stateram appen-
datur I. textus in *cap. in memoriam 3. Dist. 19.* in
quo pientissimus Romanorum Imperator Carolus
pro reverentia & honore ad Sedem Apostolicam,
feramus, inquit, *& pia devotione toleremus jugum*
80 *vix ferendum, quod ab illa S. Sede imponitur.* II. tex-
tus in *cap. contra morem 8. Dist. 100.* ubi Gregorius
Magnus *contra morem Ecclesiasticum esse*, asserit, *si
non patientissimè toleretur etiam injusta correctio*; quae
tamen injusta correctio vix non intolerabilis & im-
81 possibilis non paucis apparet. III. textus in *cap. 23.
Matthaei*, ubi Divina & Incarnata Veritas perstrin-
git equidem illos, qui sedentes supra Cathedram
Moysis imponebant onera gravia & importabilia, di-
sertè tamen in *v. 3.* praecipit: *quaecunque dixerint
vobis, facite*: quasi videlicet nullâ excusatione quis
à jugo Legis latae se se eximere debeat, quamvis
consideratis omnibus impossibilitatem continere vi-
82 deatur. VI. textus in Sacra Beatissimi Patris Bene-
dicti Regula *cap. 68.* cujus haec est sententia: *Si cui
fratri aliqua fortè gravia aut impossibilia injunguntur,
suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansue-
tudine & obedientia. Quòd si omninò virium suarum
mensuram viderit pondus excedere, impossibilitatis
suae causas ei, qui sibi praeest, patienter & opportunè
suggerat, non superbiendô, aut resistendô vel contra-
dicendô. Quòd si post suggestionem suam in sua sen-
tentia Prioris imperium perduraverit, sciat junior,
ita sibi expedire, & ex charitate confidens de adjuto-
rio DEI obediat.* Quibus verbis prudentissimus iste
Legislator aequè potestatem praecipiendi, ac obliga-
tionem faciendi impossibilia satis luculenter expressit.

Ut igitur haec difficultas, quae major forsitan est, 83
quàm primâ facie appareat, solidè discutiatur: prae-
notandum duxi I. impossibilitatem juxta Augusti-
num Barbosam in *cap. 6. de R.J. in 6. n. 2.* generatim
esse duplicem, de Jure, & de facto. Impossibilitas
de Jure dicitur, quando Jus ipsum, Naturale vel
Positivum, impedimento est, quò minùs aliquid fa-
cere possimus. Nam, ut Christianè & religiosè edis-
seruit Ethnicus alioquin JCtus Papinianus in *l. filius
15. ff. de Condit. Instiut. quae facta laedunt pietatem,
existimationem, verecundiam nostram, & (ut gene-
raliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec fa-
cere nos posse, credendum est*, Impossibilitas *de facto* 84
vel est naturalis, vel moralis, sive politica. Im-
possibilitas *naturalis* compellatur, quando natura
resistit, quò minùs aliquid efficere queat humana
potentia; sive, quod in idem redit, quando res prae-
cepta, spectatis humanae constitutionis viribus,
citra miraculum fieri nequit, veluti si quis fontem
excitare, montes transferre, mortuos suscitare,
compelleretur. Impossibilitas *moralis* seu *politica* 85
nuncupatur, cùm res praecepta non quidem hu-
manam potentiam transcendit, attamen ardua &
valde difficilis est. Talis impossibilitas erat, quan-
do *Genes. 22. v. 2.* Abrahamus unicum suum fi-
lium paternâ dexterâ jugulare; & Princeps Apo-
stolorum *Actor. 10. v. 2. & seq.* reptilia, serpentes,
& bestias terrae mactare, ac comedere Divinô Im-
periò jussi fuêre.

Praenotandum II. non obligari Superiorem, quis- 86
cunque ille sit, ut praecepta impossibilia imponat.
Si enim textus à *num. 79.* recitatos pensiculatiùs
trutinare velimus, deprehendemus, non fuisse da-
tum praeceptum Superioribus, ut praecipiant im-
possibilia; sed doctrinam fuisse traditam inferiori-
bus, ut sciant, quid agere oporteat in casu & datâ
hypothesi, si similia injungantur, uti hoc ipsum *ad
cit.* Regulae Benedictinae *caput 68.* perspicaciter ad-
vertit Reverendissimus Antonius Perez in *Commen-
tar. ibid. n. 3.*

Praenotandum III. impossibilia dupliciter injungi 87
posse. I. ut totam communitatem afficiat onus,
exequendi impossibilia. II. ut jugum hoc subeant
unus aut alter de communitate. Quibus praeno-
tatis;

Dico I. Nequit Superior quiscunque aliqua 88
impossibilia toti communitati praecipere. Ita lau-
datus Reverendiss. Perez *cit. num. 2. &* Illustriss. Ca-
ramuel in *Theol. fundament. Edit. Francofurt. 1652.
n. 741.* Ratio est: quia Lex communis debet esse
accommodata fragilitati subditorum, nec plus in-
commodi, quàm commodi afferre communitati. Er-
go nequit Superior toti communitati per Legem
praecipere impossibilia: quia tale praeceptum fragi-
litati subditorum repugnaret. Confirmatur. Ne- 89
quit Superior suâ constitutione ansam & fibulam la-
xare peccatis; hôc ipsô, quòd potestatem consti-
tuendi non in destructionem, sed aedificationem sub-
ditorum adeptus sit. Ergo nequit Legem, quomo-
docunque impossibilem, imponere communitati.
Sunt enim in plerisque communitatibus plures im-
beciles, quàm fortes; imperfecti, quàm perfecti; qui
utique Legis tramites facilè transcenderent, si quô-
vis tandem modô impossibilem judicarent.

Dico II. Impossibilia de Jure ne quidem privatis 90
personis imponi possunt. Ita praecitatus Caramuel
num 739. Reverendiss. Ascanius Tamburinus de *Ju-
re Abbat. tom. 2. disp. 20. quaest. 9.* &, ni fallor om-
nes sani scriptores. Ratio est: partim, quia ex *n. 83.* 91
non datur possibilitas Juridica ad actum inhonestum.
Ergo etiam non datur praeceptum ad actum similem:
frustra enim praecipitur, quod à subdito sperari non
potest: partim quia, ut statim advertimus, potestas 92
imperandi

imperandi non in destructionem, sed ædificationem Superioribus indulta cognoscitur; adeoque ad illicita, quæ non ædificant, sed destruunt spiritualem animarum salutem, se extendere nequit: partim,
93 quia præceptum nec universis nec singulis in bonum cedit, cujus observantia summum in orbe malum, peccatum, operatur.

94 Hinc D. Benedictus *cap. 2. Reg.* pro incomparabili sua Sapientia disposuit, quòd *Abbas nihil extra præceptum Domini* (hoc est, interprete Perezio *ad d. cap.* n. 6. contra Divinam Legem) *docere, constituere, aut jubere debeat. Valde enim perversum est*, scribit Doctor Mellifluus *Epist. 6. profiteri te obedientiam, in quo nosceris Superiorem propter inferiorem, id est, Divinam propter humanam solvere obedientiam. Quid enim? Quod jubet homo, prohibet DEUS. & ego audiam hominem, surdus DEO?* Succinit D. Augustinus relatus in *cap. 93. XI. q. 3. si Dominus*, inquiens, *ea jubet, qua non sunt adversa Scripturis Sanctis, subjiciatur servus Domino. Si verò contraria præcipit, magis obediat Spiritûs, quàm corporis Domino.* Cujusmodi textus plures videre est in *cap. 94. & seqq. eâd. XI. q. 3.*

95 Dico III. Neque impossibilia de facto naturaliter talia quôvis modô præcipi possunt. Ita Joannes Bertels in *cap. 68. Reg. Dial. 16.* apud & cum Caramuele ubi *supra num. 212. & seq.* Ratio est I. quia facere quis non potest, quæ non possunt fieri. Ergo etiam præcipi non potest, ut quis faciat, quæ fieri
96 non possunt. II. quia, quæ DEUS non vult, ut faciamus, non debet aut potest velle homo, ut fiant. DEUS autem, teste Hypponensi Præsule, *impossibilia non jubet*; sed, ut loquitur Concil. Trident. *Sess. 6. de Justificat. cap. 11. jubendô monet, & facere, quod possis; & petere, quod non possis; & adjuvat, ut possis*: quive dixerit, *DEI præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia*, anathema proclamatur ab eodem Concil. *d. Sess. can. 18.*

97 Dico IV. Impossibilia moraliter seu politicè talia uni vel alteri in particulari injungi possunt, Ita Caramuel in *cit. Theol. fundam. à n. 706.* Perez in *cit. cap. Reg. 68. num. 5. & 6.* Constat hæc conclusio ex textibus, à *num. 79.* adductis, qui, cùm de impossibilibus, de Jure aut Naturâ implicantibus, exponi non possint, per ea, quæ hactenùs operosè deducta sunt; exponi debent de impossibilibus moraliter & politicè talibus, quæ videlicet ardua, diffi-
98 cilia, & factu gravia sunt. Singulariter id de Benedictinis ex *cit. cap. Reg.* probat Joannes Bertels „ apud memoratum Caramuelem *Dial. 26.* ubi, non dubito, subinfert, quin multi, dum hæc (quæ S. Benedictus *cap. 68.* scribit) audiunt, turbentur; argutantes, quòd insanum & stultum sit, homines ad impossibilia cogere. Ad quod ego: cui Domini jugum suave & onus leve, illi nihil arduum, & asperum nihil; &, ubi nulla supra nos sunt mandata, ibi nulla impossibilia. Dicam clariùs, & exempli locô. Logici sæpissimè utuntur illô terminô *Impossibilia*, non quidem quòd superari nullô modô possint, sed cum grandi difficultate. Impossibile ergo hîc sumitur pro eo, quod difficile est factu, aut
99 videtur. Quæ doctrina confirmari potest ex hoc: quia S. Pater non absolutè de impossibilibus loquitur, sed de *gravibus aut impossibilibus*; quibus vocabulis non diversificativè, sed conjunctivè; non pro distin[illegible], sed synonymis usus fuisse, ac nomine impossibilium non naturalia, sed moralia, hoc est, gravissima vel difficillima significâsse, videtur.

100 Ratio autem positæ conclusionis est: quòd non tantùm Religiosi, verùm & alii cujuscunque status aut ordinis homines obedientiam Superioribus suis præstare teneantur; & quidem juxta monitum & mentem D. Petri *Epist. 1. c. 2. v. 18.* non tantùm *bonis & modestis, sed etiam dyscolis*; quod ipsum satis difficile & multis impossibile moraliter accidit, illi parere, quem ob vitæ & morum decoctam honestatem non tantùm veneratione, sed etiam imperiô judicant indignum. Interim, quia Religiosi peculiari 101 votô spondent obedientiam Prælato, faciliùs illis, quàm Sæcularibus, difficilia imponi possunt. Quamvis cum magna circumspectione & consideratione id fieri debere, censeam, ne contra Apostolum, jam sæpiùs auditum, potestas præceptiva magis in destructionem quàm ædificationem usurpetur. Qua 102 in re ante oculos habendum, quod saluberrimè monet D. Benedictus *cap. 2. Reg. ut Abbas secundùm uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam, ita se omnibus conformet & aptet, ut non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.* Nec minùs attendendum illud Regulæ D. Augustini *cap. 11. qui præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem.*

§. II.

Possintne actus interni præcipi, vel prohiberi?

Ut in hac solenni & quotidiana quæstione securô vestigiô procedamus, certa ab incertis secernimus, ac 103

Supponimus I. actum internum dici, qui intra mentis latebras consistit; eumque nonnonquam cum actu externo conjunctum, nonnunquàm ab eo penitus esse separatum. *Conjunctus est*, quando vel 104 ad esse physicum, vel ad esse morale actus externi requiritur. Sic ad contrahendum, solvendum, contribuendum necessarius est actus internus voluntatis, sine quo nec contractus, nec solutio, nec contributio fiet in esse physico. Sic in Baptismo intentio conficiendi Sacramentum; in Confessione Sacramentali internus animi dolor; in Confessario attentio ad peccata exposita, quoad esse morale actus requiritur: his enim actibus, intentione, contritione, attentione, prætermissis, Baptismus, Confessio, & Absolutio in esse moris neutiquàm ponuntur. *Separatus est*, quando sinè adminiculo 105 actus interni externus in esse tam physico quàm morali constitui potest. Sic determinata intentio offerendi eleemosynam vel orationem pro animabus in purgatorio cum actu externo eleemosynæ nec in esse physico, nec in esse morali conjunctionem habet.

Supponimus II. actum internum cum externo 106 conjunctum saltem indirectè, ab humana etiam potestate, præcipi vel prohiberi posse. Ita cum pluribus à se allegatis tenet Vir insignis & solidæ literaturæ P. Alphonsus Wenzl in *Vindem. Theolog. Quæst. 13. Resolut. 1.* Hæcque opinio ex luculentissimis Utriusque Juris testimoniis evidenter eruitur. In Jure Civili extat textus in *l. bonam fidem 4.* 107 *Cod. de O. & A.* ubi bona fides, hoc est, sinceritas animi in contrahendo requiritur. Item in *l. non multùm 14. ff. de Author. & Conf. tut.* ubi in tutore pro authoritate præstanda requiritur attentio ad negotium, quod geritur cum pupillo. Item in *l. possessio 1. §. 3. & seq. l. possideri 3. in princ. & passim ff. de Acquir. vel amit. Possess.* ubi ad possessionem animus possideredi unà cum apprehensione externa requiritur. Item in *l. si ego 18. in pr. & §. 1. ff. de R. C. l. cùm in corpus 36. ff. de A. R. D. l. in omnibus rebus 55. l. in omnibus negotiis 57. ff. de O. & A.* ubi circa animum transferendi dominium variè disponunt Jura Civilia.

In Jure Canonico in *cap. dolentes 9. de Celebrat. Missar.* 108

Missar. in recitando Breviario præcipitur devotio. In *cap. commissa* 35. *de Elect. in* 6. provisis & promotis ad beneficia Parochialia sub privatione & restitutione fructuum injungitur, ut habeant animum recipiendi Presbyteratum intra annum. In *cap. omnis utriusque sexûs* 12. *de Pænit. & Remiss.* annua Confessio, quæ præter manifestationem secretorum cordis internum quoque dolorem includit, sub præcepto proponitur. In *Clem.* 1. §. *verùm de Hæretic.* sub excommunicatione prohibetur, ne inquisitio in hæreticos odii, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu intermittatur. In *Clem.* 1. §. *quia verò de Statu Monach.* itidem sub excommunicatione, ipsô factô incurrendâ, vetatur Monachis & Canonicis Regularibus, ne ad Curias Principum eô accedant animô, ut suis Prælatis vel Monasteriis
109 damnum aliquod inferant. Ut nihil intereà commemorem de propositionibus damnatis, circa actus internos versantibus, quarum consideratione mori celeberrimi DD. P. Joannes Cardenas in *Crisi Theol. dissertat.* 34. *cap.* 2. *art.* 1. *num* 10. & noster P. Petrus de Marga *Oper. Canonico. Moral. tit.* 1. *quæst.* 7. *n.* 14. oppositam opinionem antiquatam & improbabilem pronuntiarunt.

110 Supponimus III. actum merè internum, atque ab omni externo separatum, Jure Naturali & Divinô præcipi, aut prohiberi posse. Cùm enim æquè potentiæ internæ, intellectus, voluntas, & memoria, quàm externæ, Divino Numini, quod renes & corda scrutatur, pateant, nulla est dubitatio, quin Divino & Naturali Juri actus internus subesse valeat. Castropalao *cit. disp. de LL. punct.* 6. *num.* 1. Ut adeò tota lis & altercatio de Jure & Legislatore humano moveatur. In qua ut mentem meam distinctè pandam,

111 Dico I. Legislator humanus politicus nequit præcipere, vel prohibere actus merè internos. Castropal. *cit. punct.* 6. *n.* 2. Gletle *Jurispr. fund. cap.* 4. §. 4. *n.* 5. & alii turmatim. Ratio est: quia actus merè internus nil confert ad finem, à Legislatore politico intentum. Hic enim intendit salvam & sartam conservare Reipublicæ quietem & tranquillitatem; ad quam per se loquendò nil facit, utrùm actus merè
112 internus ponatur, au omittatur. Certè, cùm finis proximus Reipublicæ politicæ, uti & potestatis Legislativæ, eidem ab Authore Naturæ, DEO Opt. Max. collatæ, naturalis sit; naturalia quoque media, qualia sunt actus visibiles & sensibiles, ad eundem finem conducere videntur.

113 Dico II. Legislator Ecclesiasticus potest præcipere, vel prohibere actum merè internum. Est sententia paucorum, magni tamen nominis Doctorum, Glossæ in *Clem.* 1. §. *verùm, verb. eo ipso.* Rosellæ *verb. absolutio* 1. *n.* 28. & 29. Joannis Cardenas in *Crisi Theol. d. dissert.* 34. *art.* 2. 3. & 4. Petri de Murga *cit. quæst.* 7. *num.* 14. & 28. Eximii P. Alphonsi Wenzl *cit. Vind. quæst.* 13. *resolut.* 2. Josephi Bernardi Gletle *cit.* §. 3. *num.* 6. ac novissimè Reverendissimi atque Amplissimi D. D. Petri Guetrather *Institut. Canon. lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 49.

114 Probatur I. potuit DEUS suo in terris Vicario, Legislatori Ecclesiastico, dare potestatem, actus merè internos præcipiendi, vel prohibendi. Ergo de facto dedit. Antec. vix aliquis ea Adversariis negabit; idque nominatim admittunt Suarez *l.* 4. *de LL. cap.* 12. *num.* 6. Palao *cit. num.* 2. Magnificus P. Pettschacher *quæst.* 4. *art.* 8. §. 2. quia videlicèt neque ex parte dantis, neque ex parte recipientis ulla se prodit implicantia. Conseq. prob. Potestatem, quam de facto sortitus est Legislator Ecclesiasticus, colligimus tum ex illo Matth. 16. *v.* 19. *quodcumque ligaveris super terram, &, quodcumque solveris, erit ligatum & solutum in cœlis &c.* tum ex illo Joan. ult. *v.* 17. *pasce oves meas, pasce agnos meos.* Atqui hæc verba sunt generalia, ac sinè restrictione ad actus externos concepta. Ergo etiam generaliter exaudiri debent per *c. solicitæ* 6. *de M. & O.*

Neque dicas I. verba recitatæ sententiæ tum D. 115
Matthæi, tum Joannis intelligenda esse de potestate, pro convenienti Ecclesiæ gubernatione necessariâ; nullam verò necessitatem apparere de potestate præcipiendi interna.

Contra enim est I. quia potestas præcipiendi in- 116
terna longè maximè est necessaria pro recta Ecclesiæ gubernatione, dum & animarum perfectio in cultu & candore internô consistit, & omnium nostrum finalis beatitudo non actu & apparatu externô, sed internâ sanctitate acquiritur. II. quia jus & obliga- 117
tio pascendi oves non tam circa corpora, quàm animas occupatur: quippe quæ à temporalibus abstrahi ad æterna, à sensibilibus trahi ad spiritualia & insensibilia debent. Ergo jus & obligatio pascendi, Summo in Orbe Christiano Capiti commissa, magis actus internos quam externos respicit. III. 118
quia ex unanimi & perpetua Catholicorum interpretatione in præcitatis S. Scripturæ locis æquè interni ac externi fori potestas D. Petro ejusque Successoribus collata dignoscitur. Nulla igitur ratio permittit, ut ad solos actus externos restringatur.

Neque dicas II. apud D. Joannem insinuari, 119
quòd potestas oves pascendi non sit intelligenda quoad modum & medium internum, sed quoad modum & medium externum: nam in *cap.* 10. *v.* 14. dicitur: *ego cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ &c.*

Contra siquidem argumentor I. modus pascendi 120
non sequitur necessariò modum cognoscendi: cognitio enim incipit ab actibus externis, juxta illud, *nihil in intellectu, quod priùs non est in sensu*; at pastura quoad oves non tam incipit ab actibus externis quàm internis, quatenùs non tam externa corporis figura quàm animus & spiritus ad perfectionem Christianam enutritur. II. etiam cognitio, quâ pastor 121
bonus tenetur noscere, & discernere suas oves, magis terminatur ad statum internum, quàm externum, prout Pastorum Optimus, Christus Dominus, exemplô docuit & verbô, *attendite*, inquiens, *à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matth. 7. ℣. 15.
Et quamvis de statu interno nequeat ab homine 122
certa haberi notitia per certitudinem physicam, poterit tamen haberi notitia sat certa per certitudinem moralem, dum ex habitu & conversatione externa præsumimus internam, juxta prudens effatum Philosophi dicentis: *talis quisque est, qualia dicit & agit.*

Probatur II. Ecclesiastica & Civilis potestas, 123
cùm sint diversi ordinis, differunt essentialiter; non quidem ratione causæ efficientis: cùm utraque à DEO proveniat, atque in persona S. Pontificis, qui simul Supremus Pastor & Princeps est, coadunetur; sed ratione causæ finalis, dum Potestas Regalis ad externam & politicam Reipublicæ incolumitatem; Sacerdotalis ad internam, spiritualem, & æternam beatitudinem ordinatur. Id, quod apertè demonstravit Innocent. III. *cit. cap.* 6. *de Major. & Obed.* ibi: *ad firmamentum Cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit DEUS duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis Auctoritas & Regalis Potestas. Sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor &c.* Consonat Nicolaus Papa in *cap. cùm ad verum* 6. *Dist.* 96. Hôc jam suppositô, sic 124
discurro. Cui est concessus finis, etiam concessa sunt media, ad finem consequendum necessaria per *cap. præterea* 5. *de Off. & pot. Jud. deleg. l. cui Jurisdictio* 2. *ff. de*

ff. de Jurisdict. & ibi Interpretes communiter. Sed potestas Ecclesiastica habet pro fine beatitudinem internam & supernaturalem. Ergo etiam ad obtinendam hanc beatitudinem habet opportuna media. Hæc autem alia non sunt, quàm actus interni, à quibus externi totam merendi aut demerendi vim accipiunt. Ergo actus interni cadunt sub dispositionem Ecclesiasticæ Potestatis.

125 Si dicas: Potestati Ecclesiasticæ, ad assequendum finem supernaturalem, sufficere facultatem, præcipiendi actus internos indirectè, & modò sensibili, quatenùs cum externis conjuncti sunt; quemadmodùm per Sacramenta abundè promovetur finis supernaturalis, tametsi signa sint sensibilia, cum

126 actibus externis conjuncta. Contra est, & impugnatur responsio I. quod directè & immediatè ordinatur ad finem Legislatoris, illud directè & immediatè præcipitur: neque enim alia est ratio, cur Legislator Civilis directè præcipiat actum externum, nisi quòd directè serviat ad finem, a se intentum. Sed actus internus directè & immediatè ordinatur ad finem Legislatoris Ecclesiastici; actus verò externus solùm indirectè & mediatè, in quantùm ab interno radicalem & essentialem meriti virtutem emutuat. Ergo actus internus directè & immediatè ab Ecclesia præcipitur.

127 Impugnatur II. etiam Civilis Potestas remotè ordinatur ad finem supernaturalem. Ergo etiam Civilis Potestas habebit indirectam facultatem præcipiendi actus internos & supernaturales: sicque, nisi Potestati Ecclesiasticæ tribuatur facultas directa in actus internos, non erit distinctio inter hanc & illam. Antec. si negare audeas, adduco Eminentissimum Cœlestinum Sfondrati, qui in verè *Regali Sacerdotio lib.* 1. §. 17. *n.* 3. sequentem in modum regiè profectò disserit. „Finis (intellige immediatus & „directus) regni & temporalis gubernationis est fe„licitas temporalis, quæ in pace, divitiis, mutuis „commerciis, quietâ rerum suarum possessione, alus„que, quæ civem reddere possunt felicem, consistit; „ita tamen, ut hæc ipsa felicitas temporalis ad fi„nem altiorem & supernaturalem reducatur, veram „videlicèt fidem, Religionem, cultum DEI, „exercitium omnium virtutum, quæ hominem de„cent, & quibus ad æternam felicitatem perveni„tur. Cùm enim Regna sint à DEO constituta, „idem finis regnantium esse debet, qui fuit DEI; „hic autem propter seipsum suamque gloriam Re„gna constituit. Et ideò Principes sæculi priùs „oportet, ut quærant regnum DEI & justitiam „ejus, quàm bona temporalia *Matth.* 6. *v.* 33. cùm „ista sint media tantùm, & illud finis *Deuteron.* 17. „*v.* 18. Hæc Cardinalis.

128 Impugnatur III. Authoritas Ecclesiastica potest præcipere actum internum cum externo conjunctum. Ergo etiam actum internum merum & separatum. Antec. constat ex *num.* 106. Conseq. prob. 1. ideò actum internum cum externo colligatum præcipit Authoritas Ecclesiastica, quia ad finem & scopum suum ejuscemodi actum videt esse appositum. Sed etiam actus internus merus & separatus est appositus ad illum finem ex dictis. Ergo &c.

129 II. non est ulla repugnantia, quin S. Pontifex actum ex interno & externo compositum dividere, ac modò solam v. g. recitationem vocalem Breviarii; successu verò temporis insuper attentionem & devotionem internam præcipere valeat. Hôc autem casu actus internus directè terminaret Legem Pontificiam. Ergo &c.

130. Impugnatur IV. Quamvis Sacramenta, tanquàm visibilia signa, noscantur à DEO instituta, id tamen ex alia ratione factum non creditur, nisi quòd homo sit corporeus & visibilis, nec possit Ecclesia de susceptione vel collatione Sacramentorum suum acquirere experimentum, nisi per actus externos peragatur. Ut autem Sacramenta nobis salutaria reddantur, & gratiam conferant, signa vel actus externi non sufficiunt, sed præcipuè spectantur actus interni, videlicèt intentio ministri, nec non animus & dispositio suscipientis. Ideóque Sacramenta, tanquàm mirifica salutis media, potiùs internis quàm externis actibus perficiuntur.

Probatur conclusio III. Prælati Regulares potestate præcipiendi interna, v. g. orationem purè mentalem, instructi sunt. Ergo etiam S. Pontifices eâdem potestate gaudent. Antecedens quidem non ita certum esse, Neotericus quidam asseverat, velut in meis thesibus existimaveram. Sed ego de illius veritate non dubito, si in dubium non vocentur regulæ & statuta SS. Ordinum, in quibus meditatio seu oratio purè mentalis præcipitur. Itaque prob. conseq. tum quia Prælati Regulares omnem præcipiendi virtutem ex voluntate & Authoritate Pontificia, à qua Regulæ & ordines Regularium pendent, adepti sunt: tum quia non minùs Christiani in susceptione Baptismi quam Religiosi in emissione Professionis, juratâ sponsione foro & fini Summæ & Sanctæ Sedis se se subjecerunt. Ideóque discrimen, ab Authoribus adversæ sententiæ in eo assignatum, quòd Religiosi per votum obedientiæ Prælatis Regularibus jus ad actus internos ultrò cesserint, non videtur esse sufficiens: præcipuè, cùm voluntates omnium, Christianô nomine insignium, quibus utique nil magis internum & insitum habemus, per characterem & subjectionem Baptismalem Principi Ecclesiæ Christianæ Rectori subditæ & subordinatæ sint. 131 132

Quòd si discrimen ulterius ex eo desumas, quia per baptismum voluntates nostræ non absolutè subjiciuntur Pontifici, sed relativè ad actus externos, quibuscum aliquam connexionem habent. Rursus non satisfacis. Enimverò potest S. Pontifex voluntatem nostram inhabilitare ad concipiendum vôtum v. g. castitatis non solùm quoad externam professionem, sed etiam quoad internam promissionem: quod evidens est argumentum, voluntates nostras etiam quoad actus internos Pontifici subjectas esse. 133 134

Probatur IV. S. Pontifex de facto varias Leges de actibus purè internis edidit. Sic in Concil. Trid. *Sess.* 13. *in Decreto de Sac. Eucharistiæ omnibus Christi fidelibus interdicit, ne posthac de Sanctissima Eucharistia aliter credere, docere, aut prædicare audeant, quàm ut ex hoc præsenti decreto explicatum, atque definitum.* Sic ab Alexandro VII. damnatur propositio: *qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Ideóque re ipsâ præcipitur contritio vel attritio. Sic ab eodem proscribitur sententia, docens, hominem nullô unquàm vitæ suæ tempore teneri elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium. Sic ab Innocentio XI. variæ opiniones circa actus internos, ad dilectionem DEI & proximi spectantes, reperiuntur proscriptæ, & quidem *in virtute S. obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibitum omnibus fidelibus, ne prædictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxin deducant.* 135

Nec juvat dicere, propositiones memoratas jam aliò Jure, Divinô scilicèt, exauthoratas fuisse. Siquidem nil obstat, quò minùs unus idemque actus à diversis Juribus attingatur, &, si quis actum illum, à diversis Juribus prohibitum, faciat, contra singula Jura peccare, simulque pœnas, à Jure Ecclesiastico statutas, incurrere videatur. Qua de causa, cùm Trid. Concil. aliter credentibus, quàm ibi decretum fuit, anathema interminet, & illos 136 137

tanquàm

tanquam hæreticos condemnet, obnoxii erunt pœnis, in hæreticos constitutis, quas etiam ob hæresin internam incurri, Authores planè insignes tra-
138 dunt, sicuti jam suo locò videbimus. Accedit, quòd ultimata ratio, cur ejus generis sententias non amplius tutâ conscientiâ vel docere vel tenere liceat, pendeat ex Authoritate Ecclesiasticâ, quâ sepositâ, propter extrinsecam probabilitatem in
139 praxin ab aliquibus deducerentur. Quin & unica ratio, cur Sanctos, Cœlestium Evergetum albo noviter adscriptos, ut tales credamus, refunditur in authoritatem Ecclesiæ, hunc vel illum per Canonizationem pro Sancto haberi mandantis.

140 Objicies I. Potestas Legislativa eatenùs Ecclesiæ à Christo communicata fuit, quatenus ad rectam fidelium gubernationem erat necessaria. Sed potestas præcipiendi vel prohibendi actus purè internos non erat necessaria ad rectam Ecclesiæ gubernationem. Ergo &c. min. probat. Status Ecclesiæ non est Angelicus, sed humanus, visibilis, & sensibilis. Ergo etiam recta Ecclesiæ gubernatio debet esse humana, visibilis, & sensibilis: ergo potestas præcipiendi actus internos, qui invisibiles & insensibiles sunt, non est necessaria ad rectam Ecclesiæ gubernationem.

141 Resp. I. ex hoc argumento probari, ne quidem actus internos, cum externis conjunctos, rectè ab Ecclesia præcipi. Nam, sicut actus internus, ab externo disjunctus, non cadit sub sensum; ita & actus internus, cum externo conjunctus. Nunquid enim baptizare, confecrare, absolvere, orare possum, absque eo, quòd ullam intentionem vel attentionem habeam, eaque ulli hominum innotescat?

142 Nec facit aliquid, quòd actus internus, externo conjunctus, per hunc reddatur sensibilis: quoniam hæc sensibilitas non cadit sub cognitionem ex positione actus externi, nisi per novum & distinctum actum ejusmodi intentio vel attentio interna ab operante suâ sponte manifestetur.

143 Resp. II. negandò min. ex rationibus ante productis. Ad probationem dico, Ecclesiæ gubernationem visibilem & sensibilem esse debere, si fiat relatio & appellatio ad ipsam Ecclesiam gubernatricem; secus, si relatio aut appellatio fiat ad fideles, ab Ecclesia gubernandos. Quia enim fideles non tantùm corpore, sed & animâ constant; neque corpore, sed animâ pasci & dirigi, à DEO, præsertim in statu naturæ elevatæ, jubentur: sanè ab omnibus concedendum opinor, directionem & gubernationem ex parte subditorum fidelium potiùs insensibili, quàm sensibili modò exerceri; licèt quoad causam efficientem, seu Ecclesiam directricem, non diffitear, ejus directionem sensibili modò, atque adeò Legibus Ecclesiasticis, non in mente retentis, sed publi-
144 cè promulgatis, instituendam esse. Profectò, si, quid sentiam, liberè velim pandere: arbitror, Ecclesiam in suis constitutionibus principaliter actus internos, minùs verò principaliter actus externos attendere, quatenùs hi vel medium constituunt manifestandi actus internos, vel necessarii sunt ad externam disciplinam, conversationem, & gubernationem. Idque colligo ex sæpe memorato creaturæ rationalis fina, qui, cùm in statu elevato sit supernaturalis, modò quoque & mediò supernaturali obtineri debet.

145 Instabis: per actus internos non dari communicationem inter fideles; consequenter actus internos non cadere sub Legem Ecclesiæ, quæ, cùm visibilis sit & sensibilis, tales actus, per quos membra visibilia inter se communicare solent, præcipere debet.

146 R. negandô, non dari communicationem per actus internos inter fideles. Quid enim? An non fideles Ecclesiæ militantis communicant cum Ecclesia triumphante & purgante? Et tamen hæc communicatio neutiquam est sensibilis: utpote cùm neque Sancti in Cœlo, neque animæ in purgatorio videant vel audiant nostras actiones in terris, neque, quid illi agant, nos sensibus externis percipiamus. Quin 147
& ipsi fideles, sive præsentes, sive absentes reperiantur, per actus internos, bonas nimirum intentiones & cogitationes, inter se communicare, suaque merita sibi invicem conferre possunt; quemadmodùm inter Religiosos ejusdem & diversi Ordinis pertrequenter generalis communicatio bonorum operum intercedit, Summò Pontifice tales communicationes largiente & approbante.

Objicies II. de quo humana Potestas nequit co- 148
gnoscere, de eo nequit Legem condere. Sed humana Potestas, etiam Ecclesiastica, nequit de actibus internis cognoscere. Ergo &c. Major prob. Potestas Legislativa requirit simul Potestatem coactivam seu punitivam, quâ si destituatur, vana ac sine viribus est: dum Legem facilè spernunt, qui nullam transgressoribus pœnam esse præstitutam, non ignorant. Sed Potestas coactiva nequit exseri, aut exerceri sinè prævia cognitione & inquisitione super delictum & delinquentem: eaque de causa cogitationes à pœna liberas Ulpianus *in l. cogitationis 18. ff. de Pœn.* pronuntiavit. Ergo &c. Prob. etiam prima 149
min. I. ex 1. *Reg. 16. v. 7.* ibi: *homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* II. *ex 1. ad Cor. 4. v. 5.* ibi: *nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* III. ex *cap. sicut tuis 33. & cap. tua nos 34. de Simonia*, ubi ipsimet Pontifices fatentur, sibi facultatem de manifestis duntaxat judicandi concessam esse.

Resp. I. hunc oppositæ opinionis Achillem ttinâ 150
retorsione sterni posse. Prima est de actibus mixtis, quos à Legislatore tum Civili, tum Canonico imperari valere, non obstante, quòd actus internus, etiam cum externo maritatus, humanam cognitionem effugiat, probatum est in *nu. 107. & seq.* Altera est de actibus occultis, qui ex omnium consensu æquè 151
præcipi ac puniri possunt, quàm manifesti; & tamen, cùm remotis arbitris committantur, humano judicio non subsunt. Neque facit in contrarium, quòd per accidens solummodò de actibus occultis non detur cognitio. Nam, ut bene arguit Caramuel 152
in *Theol. Morali Fundam. num. 476. & seq.* quod per accidens non est cognoscibile, per accidens non est præceptibile & punibile; sicut, quod per se est incognoscibile, per se est impræceptibile & impunibile. Ergo quia actus occulti per accidens sunt incognoscibiles, secundùm Aaos etiam per accidens impunibiles, & impræceptibiles manebunt. Quod cùm admitti nequeat, nisi mille absurda simul admittantur: admittatur necesse est, quòd ex actus incognoscibilitate præcepti impossibilitas non rectè deducatur. Idque non sinè energia ex Concil. 153
Trid. *sess. 24. de Ref. Matrimon. cap. 1.* roborari potest, ubi S. Synodus, tametsi fateatur, Ecclesiam de occultis (intellige per accidens, quia sermo ibidem est de Matrimonio clam contracto) non judicare, nihilominùs circa actum occultum, Matrimonium nempe clandestinum, Legem prohibentem, simulque irritantem cum summo totius Ecclesiæ emolumento sancivit. Tertia est de Legibus pœnali- 154
bus, quarum plurimæ in transgressores ipsò Jure sinè ulteriori sententia constitutæ, nullam antecedenter cognitionem præsupponunt. Ex quo satis arguitur, dari punitionem sinè cognitione de delicto, etiam sensibiliter commisso.

Resp. II. negandò maj. ad probationem Resp. 155
maj. & min. propositionem itidem cum fundamento negari.

negari posse. Ad maj. quod attinet, non unâ instantiâ demonstrari potest, vim directivam & coactivam sinè absurdo separari. Patet ex Lege Naturali, quæ, licèt principium & fundamentum sit omnium Legum, solas tamen conscientias sinè vi punitiva constringit. Patet in Summo Principe, qui, ex dicendis infra, Lege propriâ quoad vim directivam tenetur, estu pœnam ex transgressione non reformidet. Patet in personis Ecclesiasticis, quæ Legibus Civilibus, in bonum communitatis citra præjudicium Statûs Ecclesiastici promulgatis, obtemperare debent, absque eô, quòd pœnam, Legibus Civilibus impositam, incurrant. Propositionem minorem quod
156 concernit, paulò ante memoratum est, sexcentas Leges pœnales inveniri, quæ actibus, quantumvis nemine consciô admissis, excommunicationem, suspensionem, irregularitatem, infamiam, impedimenta &c. ipsô factò, sinè ulla cognitione Judiciali, incurrenda, statuunt.

157 Resp. III. distinguendò minorem: humana Potestas nequit de actibus internis cognoscere in forma judicii & sententiæ, conced. min. in forma Legis & constitutionis neg. min. quæ ipsa responsio ad probationem minoris applicanda venit. Quantumvis enim humana & Ecclesiastica Potestas tantâ potentiâ non fulgeat, ut secreta humanorum cordium penetret, & peccata, in abscondito perpetrata, in forma & figura judicii, quod testibus & instrumentis eget, discutiat, potest nihilominùs per Legem generalem ordinare, ut, quicunque in mente hæresin fovere, ac propositioni contra fidem pertinaciter inhærere ausus fuerit, excommunicationi latæ sententiæ obnoxium se sciat. Neque tunc opus est strepitu forensi, ut pœna mandetur executioni: quandoquidem ipsa conscientia, sinè facto hominis,
158 sceleris commissi vindicem sustinet. Planè cùm Ecclesia eam Potestatem nacta sit, ut internos quoque actus præmiare, ac pro mentali oratione, per mensem vel octiduum certis horis continuatâ, Indulgentias impertiri valeat, veluti de facto similes indultas fuisse, monstrant Religiosorum Privilegia apud nostrum Reverendissimum Geisser de *Privileg. quæst.* a. *n.* 90. 93. 108. 111. quæ vetat ratio, cur actus internus, v. g. hæresis aut odium DEI ab Ecclesia puniri non possit?

159 Obstat, ais, quia præmium ex Jurisdictione voluntaria; supplicium ex Jurisdictione contentiosa decernitur.

Minimè, replico ego, hæc ratio obstat. Nam æquè Jurisdictio voluntaria, ac contentiosa, supponit actus sensibiles & cognoscibiles, aut neutra supponit. Tam parum enim laudabilis & meritorius potest censeri actus, qui non cognoscitur; quàm parum videri potest actus vituperiô & suppliciô di-
160 gnus, qui latens in occulto non scitur. Et, demus, actus voluntariæ Jurisdictionis simplicis non requirere causæ cognitionem: saltem actus voluntariæ Jurisdictionis mixtæ, sive, ut alii dicunt, qualificatæ, causæ cognitionem desiderant. Ergo quia S. Pontifex, dum in votis, solò animò nuncupatis, dispensat, exercet actum Jurisdictionis voluntariæ mixtæ circa actum merè internum; potest quoque exercere actum Jurisdictionis contentiosæ circa eundem actum. Et hæc de hac quæstione celebratissima; quam ideò operosiùs examinare volui, quia sententiam oppositam à pluribus teneri, nostram è contrà à multis indefensam relinqui, compertum habui.

§. III.

Possintne actus, omnium Virtutum præcipi?

Virtutes in ordine ad propositum vel naturales 161
sunt, seu, ut alii loquuntur, morales; vel supernaturales, seu, ut alii volunt, Theologicæ. Virtutes primi generis voco, quæ mores hominum secundùm regulas sanæ rationis componunt. Virtutes secundi generis appello, quæ immediatè circa DEUM versantur. Videantur Sant-Gallenses *tom.* 5.
quæst. proœm. Virtutes naturales ulteriùs abeunt 162
in Cardinales, & non-Cardinales. Cardinales sunt Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Justitia; ideò sic appellatæ, quia in illis, tanquam cardinibus, totius humanæ vitæ honesta institutio vertitur, ac universa boni operis structura nititur. Laymann. *Theol. Moral. lib.* 3. *Sect.* a. *num.* 1. Sant-Gallenses *cit.*
loc. Non-Cardinales habent plurimas species, 163
quas enumerare, præsentis instituti ratio non sinit, Eruditissimum de his libellum non ita pridem publici juris fecit Vir laudatissimus P. Anselms Schramb in sua *Ethica part.* 3. De actibus dictarum Virtutum est quæstio, an sub Legem præceptivam veniant?

Dico I. Nulla Lege omnes actus omnium Virtu- 164
tum præcipi possunt. Ita concludit re ipsâ Suarez, de *LL. lib.* a *cap.* 7. *nu.* 11. Consentit quoad Legem Naturalem Gibalinus *Scientiæ Can. l.* 3. *c.* 3. *num.* 7. & *seqq.* Concordant Authores, postea citandi, qui, licèt nominatim de humana Lege discurrant, idem tamen ex mente & modô loquendi de aliis Legibus sentire videntur.

Ratio est I. quia ex decisis & dictis à *num.* 8. Lex 165
omnis respicere debet bonum publicum, atque adeò ex *num.* 36. & *seqq.* non tantùm esse possibilis naturaliter, sed etiam moraliter. Id verò non fieret, si omnes omnium Virtutum actus præciperentur: eò quòd pars communitatis non parva plerumque jugum tot Legum non tantùm grave, sed & intolerabile judicaret. Ergo &c.

Confirmatur, & promovetur ratio ex Illustrissimo 166
Reding locô mox referendô. Eò ipsô, quòd Lex sit actus prudentiæ, cujus est, ordinem inferioribus, sub omnimoda circumstantiarum congerie consideratis, imponere, oportet, Legem ita esse proportionatam capacitati subditorum, ut, istâ non observatâ ob quandam moralem impossibilitatem, Lex non bene procedat. Ejusmodi verò impossibilitas moralis resultaret, si vel nimis perfecta rudibus imponerentur præcepta, vel multitudo præceptorum in vitiis cohibendis nimiùm incresceret.

Ratio est II. quia complures Virtutum actus de 167
consilio, non de præcepto sunt. Sic enim Paupertas, sic Castitas, sic Obedientia Evangelica, secundùm omnes Catholicos, non sub præcepto injunguntur, sed sub consilio suadentur. Ergo Lex extat, aut extare potest nulla, quæ omnes actus Virtutum omnium cum obligatione præcipiat.

Dico II. Omni Lege, Naturali & Positivâ, om- 168
nium Virtutum Naturalium, tam Cardinalium quàm non-Cardinalium, actus quidam præcipi possunt. Ita Augustinus Reding de *LL. quæst.* 16. *art.* a. *n.* 12. P. Pettschacher de *LL. quæst.* 4. *art.* 8. P. Suarez de *LL. lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 7. P. Laymann *Theol. Moral. tr.* 4. *cap.* 4. *n.* 1. Ratio est: quia omnes Virtutes naturales conducunt ad bonum commune, faciliùs obtinendum. Et quidem, si de bono spirituali & supernaturali disserere velimus, utique nil adeò internam & externam hominum sanctitatem promovet: nil adeò pro cœlo promerendo servit, quàm actio
Virtuosa. Quòd si de bono temporali ac quieto 169
Reipublicæ statu loquamur, quâ ratione expeditiùs &

& certiùs eundem nos assequi speramus, ac si ad tramites & limites Virtutum civium actiones infiectantur? Confirmari hoc potest ab inductione diversarum Virtutum, quarum diversos actus à Juris Romani conditoribus fuisse præceptos, ostendit Clariss. D. Collega D. Franz ad *tit. de Jure Nat. Gent. & Civ. p.* 2. n. 6.

170 Equidem videri posset, actus Virtutum non-Cardinalium v. g. Liberalitatis & Munificentiæ, consilii magis quam præcepti esse, neque tam bono publico quàm privato favere. Optimè tamen huic scrupulo occurrit laudatus Suarez *d. cap.* 12. *nu.* 10. dicendô; neque impossibilem esse casum, quô actus ejusmodi Virtutum aut omninò necessarii, aut valde convenientes existent succollandæ Reipublicæ; neque, si casus fingeretur impossibilis, omnem planè potestatem circa eosdem actus Legislatori humano ademptam fore, cùm modum iis & mensuram saltem præscribere valeret.

171 Dico III. Actus Virtutum supernaturalium per se non cadunt sub Legem Humanam Civilem. Videtur esse certa conclusio. Tota quippe Civilis Potestas est ordinis naturalis: ergo ad actus ordinis supernaturalis sese extendere, aut erigere nequit.

172 Dixi: *sub Legem Humanam Civilem.* Quòd enim Ecclesiastica Potestas, uti ordinis est supernaturalis, ita & de supernaturalibus disponere valeat, dubitare non sinunt textus in *cap. firmiter* 1. *& cap. damnamus* 2. *de Summa Trin. cap. si quis puerum* 1. *cap. de quibus* 2. *cap. non ut* 5. *de Baptismo cap. cùm Martha* 6. *de Celebrat. Miss. cap. omnis utriusque* 12. *de Pœnit. & remiss. Extrav. unigenitus* 2. *eôd. tit.* Concil. Trid. *Sess.* 24. *de Refor. c.* 1. *&* 12. item *Sess.* 21. *de Refor. c.* 2. & vix non in singulis capitibus & canonibus.

§. IV.

Utrùm actus præteriti constituant objectum Legis?

173 *In cap. cognoscentes* 2. *cap. quoniam ult. de Constitution.* & *l.* 7. *Cod. de LL.* pro regula traditum habemus, Leges & Constitutiones futuris tantummodò negotiis formam dare, ad facta autem præterita non revocari, *nisi nominatim, & de præterita tempore, & adhuc pendentibus negotiis cautum sit.* Cujus regulæ sensus, ut magis innotescat, oportet distinguere inter Legem imperativam & declarativam; præcipientem, punientem, ac irritantem. Quâ distinctione præmissâ, regulam distinguo, &

174 Dico I. Lex imperativa non habet pro objecto actum præteritum. Abbas Panormitanus in *d. cap. cognoscentes num.* 1. *&* 2. Gonzalez ad *idem cap. nu.* 15. Fagnanus ad *d. cap. ult. num.* 4. Suarez de *LL. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 8. & omnes Interpretes ad *cit.* Juris textus. Ratio est I. quia Lex imperativa est regula actuum humanorum, indicans & indicens, quid agendum vel omittendum sit. Sed actus præteriti, cùm jam facti & positi supponantur, non cadunt sub regulam de agendo vel omittendo. Ergo etiam non cadunt sub objectum Legis imperativæ.
175 II. quia præcipi vel prohiberi nequeunt actus impossibiles ex n 88. *& seqq.* Atqui actus præteriti respectu novæ Legia, præcipientis vel prohibentis, sunt impossibiles: cùm ex tritissimo adagio, in Jure quoque in *cap. si Paulus* 11. *XXXII. q.* 5. receptô,
176 facta nequeant infecta fieri. Ergo &c. III. quia ex *num* 51. Lex non promulgata non obligat. Ergo actus præteriti non cadunt sub obligationem Legis: horum quippe respectu Lex subsequena ita se habet, ac si promulgata fuisset nunquam.

177 Neque refert, quòd sententiæ judiciales quæ in *cap. ult. de Constitut. in* 6. Legibus æquiparari videntur, negotia præterita respiciant. Præterquàm enim quòd sententia, cùm jus inter litigantes tantummodò faciat *cap. cùm inter* 13. *de Sent. & re judic.* planè impropriè Legis nomine compelletur; insuper magis rationem Legis declarativæ, quàm imperativæ habet: quid autem obtineat in Legibus declarativis, dicam in *Conclus.* 3.

Dico II. Lex propriè pœnalis & vindicativa non extenditur ad actus præteritos, si antecedenter à nulla Lege fuerint prohibiti. Ita Authores anterioris assertionis. Ratio primi membri est: quia Lex propriè pœnalis fertur ob præcedentem culpam. Ergo, cùm actus præteriti, antecedenter à nulla Lege prohibiti, culpâ sint immunes, juxta primùm decisa; erunt quoque immunes pœnâ. 178

Scio equidem in *cap. quoniam* 40. *de Simonia* decretum esse, ut Moniales, quæ pretiô simoniacô ingressum sibi ad Monasteria parârunt, unà cum aliis, quæ pretii simoniaci se fecerunt participes, ex isto Monasterio expellantur, atque in aliud, & arctius, pœnitentiæ peragendæ causâ, detrudantur. Quæ ipsa pœna etiam ad illas Moniales, quæ ante hoc decretum simoniacè erant receptæ, & professæ, eô effectu extenditur, ut è loco Professionis in aliud ejusdem Ordinis Monasterium admittantur. 179

Verùm hoc decretum neutiquàm impugnat assertum conclusionis membrum. Non enim Lex imperativa & novi Juris constitutiva, sed veteris Juris declarativa est, veluti ex *cap. non satis* 8. & *cap de Regularibus* 25. *eôd. tit.* patefit, ubi referuntur anteriores constitutiones, quibus simoniaci ad Monasteria ingressus ab aliis Pontificibus sub ejusdem pœnæ comminatione erant interdicti. Gonzalez ad *cit. cap. cognoscentes de Constit. n.* 19. 180

Ratio alterius membri est: quia actus, contra Legem prohibentem exercitus, cùm bonos mores, privatam & publicam salutem, offendat, Legis indignationem provocat. Ergo fieri potest Lex pœnalis, quæ actus, antecedenter contra Legem prohibentem exercitos, castiget. 181

Dixi tamen in conclusione notanter I. *Lex propriè pœnalis.* Enim verò pœnæ impropriè dictæ, seu potiùs inhabilitates, quæ non tam ex culpa, quàm ex causa induci solent, quales sunt irregularitates, impedimenta Matrimonii &c. rectè ad actus præteritos extenduntur per *cap. deinde opponitur* 3. *Dist.* 26. ubi ex bigamia irregulares esse dicuntur etiam infideles, ad fidem nostram conversi, qui in infidelitate duo contraxerunt matrimonia. Tunc temporis verò infideles necdum suberant Legibus Ecclesiasticis. Ergo irregularitas illa ad actum præteritum, nullâ prorsus Lege comprehensum, retrotrahitur. Simile quid extat in Trident. Concil. 182
Sess. 23. *de Reformat. cap.* 6. ubi Clerici, in minoribus pro tunc constituti, ante decimum quartum ætatis annum inhabiles ad beneficia Ecclesiastica pronuntiantur. Suarez *cit. cap.* 14. *n.* 9. Ratio est: quia 183
Legislator habet jus distribuendi bona & jura communia. Ergo ex causa potest quasdam conditiones & qualitates in iis, qui ad bona & jura communia aspirant, exigere; & alios, qui ejusmodi dotibus non fulgent, excludere. Hæcque exclusio nullatenùs habet rationem pœnæ, uti in simili advertimus in *tract. de Præscript. cap.* 2. *n.* 82. 184

Dixi II. *& vendicativa.* Quòd si enim pœna medicinalis, seu censura Ecclesiastica imponenda sit, non sufficit, actum contra Legem simpliciter prohibentem præcessisse; sed ipsius censuræ comminationem jam antehàc factam fuisse, requiritur: quia enim censura ex parte censurandi desiderat tum contumaciam per *cap. ex parte* 23. *de V. S.* tum scientiam latæ censuræ per *cap. ult. de Constitut. in* 6. effectum exserere nequit respectu illorum, qui contra Legem simpliciter prohibentem peccârunt, 185

utpote

utpote qui justissimam & necessariam censuræ igno-
186 rantium obtendere possunt. Unde in *cap. proposuisti* 2. *in fin. Dist.* 82. sancitum reperimus, Clericos, incontinenter viventes, non incurrere censuram, antequàm notitiam Legis Ecclesiasticæ, censuram ferentis, acceperunt; non attentò, quòd incontinentia Jure Divinò & Naturali sit illicita. Videantur Sylvester in *summa Verb. ignorantia num.* 14. & P. Engel ad *tit. de Sent. Excommunicat. n.* 10.

187 Neque posteriorem hanc limitationem infringit *cap. cùm tu* 5. *de Usuris*, ubi Alexander III. pœnam privationis & exclusionis tam à communione, quàm sepultura Ecclesiastica, in Concilio Lateranensi contra manifestos usurarios interminatam, ad retentionem illarum quoque usurarum, quas impii fœneratores ante decretum prænominati Concilii ex-
188 torserant, ampliari, & applicari jubet. Nam ipsa usurarum, omni Jure prohibitarum, retentio graviter erat peccaminosa: cùm juxta *cap. sæpe contingit* 18. *de Restitut. spoliat. non multùm intersit quoad periculum animæ, injustè detinere, ac invadere alienum*; nec, ut habet Augustiniana parœmia in *eod. cap. cùm tu secrata*, ante *dimittatur peccatum, quàm restituatur ablatum*. Ideòque eâdem pœnâ tam exactores quàm detentores usurarum coërcendos in *alleg. loco*. S. Pontifex jure merito judicavit. Gonzalez *d. l. num.* 17.

189 Dico III. Neque Lex irritans ordinariè potest attingere actus præteritos, nisi contra Legem prohibentem processerint, Panormit. in *cap. ult. de Constitut. n.* 11. Suarez *d. cap.* 14. *n.* 11. Ratio prioris partis est: quia actus, legitimè & validè celebratus, contrahentibus novum jus parturit. Jus verò, privatis legitimè & validè acquisitum, nequit Legislator ordinariè tollere, prout in §. *seq.* ex professo concludemus. Ergo nequit ordinariè actus, contra nullam Legem prohibentem initos, per Legem subsequentem irritare. Ratio posterioris partis est: quia actus,
190 Legi prohibenti adversus, pœnam promeretur ex *n.* 181. Ergo etiam in pœnam irritari potest, præsertim cùm ex dicendis suô tempore omnis Lex prohibens regulariter loquendô simul irritans esse censeatur. Pro hac parte selegi, & expendi debent textus in *l. ult. Cod. de Pact. l. ult. Cod. de Pact. pignor.* 2. *Feud. tit.* 55.

191 Dico IV. Actus præteriti ad materiam Legis declarativæ pertinent. Fagnanus in *cit. cap. ult. de Constitut. n.* 45. & *seqq.* Felinus *ibid. n.* 4. Vasquius *Illustr. Controv. cap.* 44. *n.* 2. Suarez *d. l. n.* 3. & communissimè DD. Deducitur ex *cap. ut Lex* 40. *XXVII. q.* 1. *cap. ult. de Sponsa duorum cap. gaudemus* 8. *de Divortiis*, & innumeris propemodùm Juris utriusque, præcipuè Decretalium & Codicis, constitutionibus, quæ ut plurimùm ad declarationem Juris dubii præ-
192 existentis emanârunt. Ratio est: quia Lex declarativa non est regula actionis, in futurum ponendæ, sed explicatio & interpretatio actionis, de præterito jam positæ. Ergo actus præteritus ad materiam Le-
193 gis declarativæ pertinet. Confirmatur ex citato Vasquio: quia Lex declarativa nihil denuò agit, sed, quod actum jam erat, detegit *arg. l. hæredes* 21. §. 1. *ff. Qui testam. fac.* non aliter atque si spicas excussens frumenti, granaque anteà occulta exinde prosilierint; quô casu nihil granorum te fecisse, verum est, sed ea tantùm, quæ ibi inerant, detexisse *l. adeò quidem* 7. §. 7. *ff. de A. R. D.* Ergo, licèt regulariter futura negotia Leges intueantur, non etiam præterita, tamen, cùm sint non tam novi Juris inductoriæ, quàm declaratoriæ, etiam præterita comprehendere possunt.

§. V.

Possitne jus subdito quæsitum per Legem auferri?

Fuere, scribit Clariss. P. Wiestner ad *tit. de Consti- 194
tut. n.* 47. suntque hodie, qui Summo Principi id pro suæ voluntatis arbitriô faciendi, potestatem omninò absolutam adstruere conentur; eamque in dubium & quæstionem vocare, sacrilegio proximum arbitrentur *arg. l. disputare* 3. *Cod. de Crim. Sacrileg.* Horum Antesignanus dicitur esse Angelus in *l. item si verberatum* 15. §. 1. *ff. de R. V.* & alibi; ejusque vexilla nonnullos ex antiquioribus tenere, si *Princeps hoc faciat de plenitudine potestatis, & ex certa scientia, & cum clausula derogatoria vel motu proprio*, refert Antonius Gabrielius *de Jure quæsito non toll. conclus.* 1. *n.* 1. Quid huic sententiæ, inspectis justitiæ & veritatis principiis, tribuendum sit, sequentibus conclusionibus explico, &

Dico I. Princeps Supremus neque vi ordinariæ, 195
neque vi potestatis absolutæ, potest sine causa jus subdito quæsitum auferre per Legem. Andreas Gail. *lib.* 2. *observat.* 56. *n.* 2. Joachimus Mynsinger *Singular. observat. centur.* 5. *observ.* 97. Covarruv. *lib.* 3. *Var. Resolut. cap.* 6. *num.* 8. Vasquius *Illustr. controv. cap.* 5. *num.* 16. Hugo Grotius *de Jure Belli & Pacis lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 7. & 8. & *lib.* 3. *c.* 20. *num.* 10. Jacobus Bernardus Mulz. *Repræsent. Majest. in Prolegom. cap.* 2. *num.* 157. Clariss. D. Hermannus Hermes *Juris publ. cap.* 11. *n.* 87. Clariss. D. Antonius Guilielmus Ertl *de Juribus Principum Exercitat.* 3. Clariss. P. Wiestner *cit. loc. n.* 49. Eximius D. P. Anselmus Schram b i *ibica p.* 1. *a.* 8. § 3 *q.* 8.

Probatur I. ex Sacris Literis, ubi Ezechielis 46. 196
℣. 18. legitur: non *accipiet Princeps de hæreditate populi per violentiam, & de possessione eorum, sed de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis, ut non dispergatur populus meus unusquisque à possessione sua.* Deinde 3. *Reg. c.* 21. refertur historia Nabaoth, cujus vineam dum Rex Achab jure Regiô occupaverat, mox per Eliam, Divinô oraculô, audire debuit: *occidisti, & possedisti.* Quin & vindictam Numinis illicò sensit, dum, ut narratur 4. *Reg. c.* 10. ℣. 9. & *seqq.* Achab unà cum tota familia deletus est. Nempe *propter injustitias Regnum de Gente in Gentem transfertur. Eccl.* 10. ℣. 8.

Probatur II. ex Jure Naturali, cujus præcepta 197
cùm sint, neminem lædere, jus suum cuique tribuere, bona semel acquisita invitis non auferre, cum damno alterius locupletiorem non fieri §. *Juris* 3. *Instit. l. justitia* 10. §. 1. *ff. de J. & J. l. nam hoc* 14. *ff. de Condict. indeb.* æquè à Principe quàm privato custodienda sunt: neque enim plenitudo Summæ potestatis eâ authoritate splendet, ut Jus illud, in recta ratione fundatum, atque barbaris quoque Gentibus impressum, infringere, aut evertere pro libitu possit.

Probatur III. ex Jure positivo humano in *cap. ult.* 198
I. q. 1. *cap. ad aures* 8. *cap. ad audientiam* 31. *cap. mandatum* 38. *de Rescript. cap. ult. eod. in* 6. *Extravag. Joannis XXII. sedes* 1. & *ad Apostolatus.* x. *de Concess. præb.* §. *sed hoc* 2. *Inst. de his, qui sui vel alieni juris & ead. prætor ait* 2. § 16. *ff. Ne quid in loc. publ. l. quoties* 2. *l. rescripta* 7. *Cod. de Precib. Imperat. offer. l. de contractu* 3. *Cod. de Rescind. Vendit. l. authoritatem* 3. *Cod. Unde vi. l. nec avus* 4. *Cod. de Emancipat. lib.* 1. *Feud. tit.* 7. in quibus locis habetur partim, Princeps non velle; partim, nō posse jus tertio adimere, minuere, aut violare. His autem Legibus obstringi Principes, eò minùs dubitandum, quò communiùs in eam itum est sententiam, Legislatorem indirectè saltem propriis teneri Legibus, maximè si ex transgressione scandalum aut injustitia suboriatur per §. *ult. Instit. Quib. mod. test. infirm.*

& l. *ex imperfecta* 23. *ff. de Legat.* 3. ne contra intentionem Imperatorum in *l. meminerint* 6. *Cod. Unde vi. inde injuriarum nascatur occasio, unde Jura nascuntur.*

199 Probatur IV. Subditi in rebus acquisitis jus proprietatis obtinent, possuntque in usus proprios & alienos res suas convertere *l. in re mandata* 21. *Cod. Mandati.* Ergo Principes proprietate illarum rerum carent: ergo nequeunt de illis pro libitu disponere.
200 Confirmatur: tum quia dominia vel Jure Gentium vel Naturali, vel utroque introducta, non possunt ab eo, qui Juribus hisce reverentiam debet, seu auferri, seu confundi: tum quia Principes ipsimet fatentur, se bonorum sibi subjectorum non dominos sed patres esse, nec tam prodigere, quàm protegere velle *l. si quis filium* 34. *Cod. de Inoff. testam. Nov.* 8. *cap.* 8. Unde Hadrianus Imperator dixisse fertur: *ita se gesturum Rempublicam, ut sciret, populi rem esse, non suam.*

201 Probatur V. Leges, ut legitimæ sint & justæ, publicam utilitatem provehere, & promovere ex fine primario debent. Sed Leges, quibus sinè causa subditis bona & jura quæsita tolluntur, ex fine primario publicam utilitatem non provehunt, aut promovent, sed submovent, & suffocant. Ergo legitimæ non sunt
202 & justæ. Certè boni Principes magis amant Reipublicæ, quàm fisci compendium, ad exemplum Tiberii, qui suadentibus Præsidibus augeri tributa, rescripsit: *boni pastoris esse, tondere pecus, non deglubere.* Qui etiam, Authore Suetonio, affirmare solebat, *bonum & salutarem Principem debere servire Senatui, & sæpe universis civibus, & plerumque etiam singulis.*

203 Qui Principibus assentantur, opponunt primò ex Sacro Codice illud 1. *Reg. cap.* 8. ℣. 11. *hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis: agros vestros, vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis &c. Servos quoque vestros & ancillas auferet, vosque eri-*
204 *tis servi ejus.* Sed nihil ad propositum. Non ponuntur adducta verba assertivè, sed narrativè; non approbatur, sed narratur tantùm despoticus gubernandi modus, quem per os Prophetæ Samuelis Genti Hebrææ Divina Nemesis est comminata.

205 Opponunt II. dari in Summo Principe potestatem quandam extraordinariam, quam alii dominium eminens; alii jus absolutum; plerique plenitudinem potestatis appellant. Hujus virtute posse Principem vincula Legum dissolvere, circa subditorum bona ordinare, ac facere ea, quæ potestatem ordinariam
206 alioquin excedunt. Verùm, ut taceam, prætactam distinctionem potestatis Principalis à *cit.* Covarruvia *d. cap.* 6. *num.* 8. & D. Ertl *cit. loc. Exercitat.* 6. tanquàm commentitiam, Juriumque candori inimicam, gravissimè reprehendi: non satis capio, vel DEI, vel Naturæ beneficiô cuipiam hominum indultam fuisse potestatem, Divina & Naturalia Jura pessumdandi. Nam, ut pulchrè scribit Vasquius *d. loc. n.* 17. tanta potestatis amplitudo, non potestatis, sed tempestatis plenitudo nuncupanda foret. Quin & impossibilem moraliter ejuscemodi potestatem fore, discimus ex jam suprà commendata *l. filius* 15. *ff. de Condit. Institut.* Idque Augustissimus Imperator Ferdinandus II. documentô immortalitati transcribendô significavit, quando in maximis quoque periculis constitutus constanter affirmabat: *malle se Imperiô fortunisque omnibus exui, & cum universa sua familia stipem ostiatim colligere, quàm, Majestatis tuendæ causâ, contra Jus fasque admittere aliquid.* Eximius P. Anselmus Schramb *cit.* §. 3. *p. m.* 100.

207 Opponunt III. Summo Pontifici, tanquàm Supremo in Spiritualibus Principi, plenissimam facultatem circa res & bona Ecclesiarum disponendi competere *cap. licet* 2. *de Præbend. in* 6. *Clem. si duobus* 1. *Ut lite pend.* Adeóque & aliis Principibus, in ordine politico Supremis, liberam disponendi facultatem circa res & jura subditorum cognatam esse.
Sed, quàm lubrica & elumbis hæc sit illatio, liquet 208
ex eo, quòd ipsum antecedens firmô non incedat vestigiô. S. Pontifex est absolutus rerum Ecclesiasticarum non tam dominus, quàm supernâ ordinatione constitutus administrator, cujus quidem est, liberè circa res & jura Ecclesiastica disponere, sed tum, quando à nullo sunt legitimè possessa & occupata. Quando autem alicui in beneficio vel alio jure spirituali jus stabile quæsitum est, S. Pontifex nec vult, nec valet sinè urgenti causa jus illud auferre, utpote qui hoc ipsum sufficienter expressit in Regula Cancellariæ 16. (aliis 17.) *de non tollendo jus quæsitum.* Videantur Panormitanus noster ad *cap. constitutus* 6. *de Religios. Dom.* à *n.* 12. Gibalinus *Scientiæ Canonicæ lib.* 8. *princ.* 2. *q.* 2. *&c.* Christophorus Doring de *Jure Rescript. cap.* 2. *th.* 6. Joannes à Chokier in *cit. Reg. Cancellariæ n.* 24. ubi ex Seraphino refert, fuisse decisum coram R. P. D. Blanchetto *in una Mediolanensi fructuum* 24. Aprilis 1592. quòd Papa ne quidem ex plenitudine potestatis jus quæsitum tollat. Card. de Luca *de Præeminent. disc.* 40. *n.* 4. *& de Regal. disc.* 4. *n.* 10.

Dico II. Potest Princeps ex causa necessitatis vel 209
utilitatis publicæ jus quæsitum subditis adimere. Ita Authores, pro prima conclusione laudati; quibus adstipulantur Panormitanus *alleg. loc. & ad cap. cognoscentes de Constitut. n.* 3. Felinus in *cap. quæ in Ecclesiarum eôd. tit. n.* 26. & alii, quos longô syllabô recenset allegatus Gabrielius. Ratio est I. quia in 210
Principe talis est agnoscenda potestas, quæ moraliter est necessaria ad congruam & convenientem commissæ Reipublicæ gubernationem. Sed potestas adimendi subditis jus anteà quæsitum, in casu necessitatis vel utilitatis publicæ, est moraliter necessaria ad congruam & convenientem Reipublicæ gubernationem: si enim hanc potestatem Principi deesse supponas, non poterit ille vel conservare Rempublicam, in necessitate constitutam, vel ad meliorem statum evehere aliquô infortuniô graviter afflictam. Ergo
&c. Atque hæc est illa plenitudo potestatis; hoc 211
illud eminens dominium; hic absolutus ille dominatus, quem melioris notæ Interpretes Principi adstruunt, quòd nempe de bonis civium in casu necessitatis vel utilitatis publicæ disponere valeat, prout salus & necessitas flagitat.

Ratio est II. quia, si càsus necessitatis eveniat, a- 212
liunde primæva rerum redit communio *cap. sicut ii.* 8. *Dist.* 47. &, si casus utilitatis publicæ contingat, dictat justitia legalis, bonum publicum esse præferendum privato *l. ita vulneratus* 51. §. 2. *ff. ad Leg. Aquil. l. lex* 5. §. *ult. ff. de injur. l. jubemus nullam* 10. *Cod. de SS. Eccles. l. multi* 1. *Cod. de Navib. non excus.* Ergo in casu necessitatis & utilitatis publicæ potest Princeps subditorum jura invertere, & pro Reipublicæ totius commodo applicare. Confirma-
tur. Melius est, perire unum, quàm unitatem, me- 213
lius, omnes esse felices, quàm aliquos. Ergo etiam melius est, ut in casu necessitatis vel utilitatis publicæ unus aut alter jure suô cadat, quàm ut omnium salus, jura, & bona negligantur, aut periclitentur. Hinc bellissimè Oratorum Rex 2. *de Leg. Respublica*, inquit, *nomen universæ civitatis est, pro qua mori, & cui nos totos dare, & omnia nostra ponere, & quasi consecrare debemus.* Promovetur argu- 214
mentum. Casus necessitatis nullô vinculô cohiberi, nullâ Lege contineri potest per *cap. discipulos* 26. *& c. seq. de Cons. Dist.* 5. *c. quod non est* 4. *de R. J.* Redoanus *de Rebus Eccles. non alienand. q.* 29. ubi à *n.* 28. per varia exempla probat, in casu necessitatis extremæ, quando periculum est in mora, res Ecclesiasti-

ſiaſticas ſinè ſolemnitate alienari poſſe; quam ſententiam Inclyta Facultas noſtra Juridica non ita pridem, in gravi quadam controverſia conſulta, veriorem judicavit. Caſu verò publicæ utilitatis ideò privatam antecedit: quia pars eſt propter totum, ac utilitas, quam tota ſentit communitas, per conſequentiam etiam in partes dimanat. Ergo in utroque caſu licitum eſt Principi, cum detrimento ſubditorum, labantem Rempublicam ſervare incolumem.

215 Ratio eſt III. à poſteriori: quia Principes hâc poteſtate de facto utuntur, non invitis ſed annuentibus Legibus. Sic enim in caſu neceſſitatis publicæ permittit Pontifex, bona Eccleſiaſtica tributis & collectis à Magiſtratibus Sæcularibus onerari *cap. non minus 4. cap. adverſus 7. de Immunit. Eccleſ.* Sic in caſu irruptionis aut obſidionis hoſtilis ſuburbia, hortos, ædes, muris & munimentis damnoſas, dirui & deſtrui poſſe, antiquiſſima conſuetudo *in l. ſi quando 9. Cod. de Operibus public.* non obſcurè probata, docet. Sic in caſu Præſcriptionis ex motivo boni publici jus ab uno ad alium transfertur *l. bono publico 1. ff. de Uſurpat. & de Uſucap.*

216 Neque putandum eſt, Principem in tali circumſtantia quidpiam contra Juris Naturalis præcepta in *n.* 197. agere. Siquidem Naturalia præcepta triplicis ſunt ordinis: alia quæ DEUM, alia quæ Rempublicam, alia quæ privatos reſpiciunt. Hæc ſi caſu quôdam collidantur, neceſſe eſt, inferiora ſuperioribus, eâque, quæ privatos concernunt, reliquis, quæ ad Rempublicam pertinent, cedere, veluti conſtat *ex l. veluti 2. ff. de I. & I. l. poſtliminium 19. §. 7. ff. de Captiv. & poſtlim.* ubi pietas in patriam, tanquam Jure Naturali præcepta, ſingulariter commendatur. Unde eleganter Cicero, *omnia*, inquit, *quæ à nobis geruntur, non ad noſtram utilitatem & commodum, ſed ad patriæ ſalutem conferre debemus.*

217 Dico III. Quando ex cauſa neceſſitatis vel utilitis publicæ uni vel alteri de communitate jus ademptum eſt, illud proportionatâ contributione ab omnibus de communitate reſarciri debet. Ita ex citatis ſuprà Authoribus Fachinæus *d. lib. 8. cap. 63. quæſt.* 5. Vasquius *d. cap. 5. n.* 16. Erll *d. Exercitat.* 3. Colligitur ex *l. mulier in opus 6. ff. de Captiv. & poſt-*
218 *lim.* & *l. multi 1. Cod. de Nav. non excuſ.* Ratio eſt: tum quia æquitas poſtulat, ut communitas, quæ ex bonis ſubditorum utilitatem experta eſt, onus quoque proportionatum ſentiat, *l. ſecundùm naturam 10. ff. de R. I.* tum quia onera communitatis per ſe communia & non ſingularia ſunt *l. prætor ait 2. §. 22. ff. Ne quid in loco publ.* tum quia, ſicut in Lege Rhodia, quando *levandæ navis gratiâ jactus mercium factus eſt, omnium contributione ſarcitur, quod pro omnibus datum eſt l. 1. ff. de Lege Rhodia*, ita & in aliis communis neceſſitatis caſibus communis compenſatio facienda; quòdve deeſt perſonis ſingularibus, à communitate redhibendum eſt.

SECTIO III.

De Effectu Juris Legalis.

SUMMARIA.

219. *Adſtruuntur effectus Legis.* 220. *Lex Naturalis & Divina poteſt obligare in conſcientia.* 221. *& ſeqq. Etiam Eccleſiaſtica.* 227. *& ſeqq. Etiam Civilis.* 231. *& ſeq. Inducitur Vasquius.* 233. *Inſinuatur varietas obligationis conſcientiæ.* 234. *ſeqq. Concluditur, & probatur, de facto omnem Legem propriè dictam in conſcientia ſtringere.* 238. *& ſeq. Leges pœnales diverſô conduntur modô.* 240. *Idem eſt de Legibus præceptivis.* 241. *& ſeqq. Pœnæ quoque non unius ſunt generis.* 244. *& ſeqq. Lex purè pœnalis temporalis obligat ad ſolam pœnam.* 248. *& ſeqq. Duæ objectiones enervantur.* 253. *& ſeq. Lex pœnalis temporalis, disjunctivè mixta, obligationem disjunctivam parit.* 255. *Aliud obtinet, ſi Lex illa ſit ſpiritualiter pœnalis.* 256. *& ſeq. Lex conjunctive mixta ſimul ad actum & pœnam obligat.* 258. *& ſeqq. Motiva adverſantia proferuntur.* 262. *& ſeqq. Infirmantur.* 266. *Limitatio quadam apponitur.* 267. *Additur & amplior explicatio.* 268. *Pœna ferendæ ſententiæ non obligat ante ſententiam.* 269. *& ſeqq. Pœna temporalis latæ ſententiæ non obligat ante ſententiam declaratoriam.* 272. *& ſeqq. Etiamſi clauſulam habeat;* aliâ declaratione non ſecutâ. 275. *& ſeqq. Diverſum ſtatuitur in Lege pœnali ſpirituali.* 278. *& ſeqq. Et negativa.* 282. *& ſeq. Diſcrimen inter ſententiam condemnatoriam & declaratoriam indicatur.* 284. *Duplicitas Legis in præſumptione fundata.* 285. *& ſeqq. Regula diſcretiva præſumptionis generalis & ſpecialis.* 289. *Nulla eſt Legis obligatio, quando, ceſſante præſumptione, nequit obſervari ſine peccato.* 290. *& ſeqq. Lex, in præſumptione facti fundata, ceſſante præſumptione, non obligat.* 293. *& ſeqq. Oſtenditur hæc aſſertio per exempla.* 301. *& ſeqq. Obligat tamen Lex, in præſumptione generali fundata, licèt præſumptio ceſſet.* 304. *& ſeqq. Oſtenditur hæc concluſio ab inductione.* 311. *& ſeqq. Quidam Legem prohibentem ab irritante diſtinguunt.* 314. *& ſeqq. Alii confundunt.* 317. *Quibuſcum ſentiendum ſub aliqua limitatione.* 318. *Priorum rationibus ſatisfit.* 319. *Leges irritantes ſubinde decernuntur in pœnam.* 320. *Ita ſequuntur naturam aliarum Legum pœnalium.* 321. *Lex purè irritans ſub tempore futuro non obligat ante ſententiam.* 322. *& ſeq. Lex purè irritans de præſenti dupliciter concipitur.* 324. *& ſeqq. Obligat in conſcientia ante ſententiam ad omiſſionem actûs, quando prohibitionem habet annexam.* 329. *& ſeqq. Obligat quoque univerſaliter, ne quis ex actu irritato commodum aliquod quærat.* 334. *& ſeqq. Demonſtratur hæc doctrina per caſus particulares In teſtamentis.* 337. *& ſeq. In alienationibus.* 339. *& ſeqq. In electionibus.* 341. *& ſeqq. Adducuntur Regulæ diverſorum Ordinum.* 344. *Diſquiritur illarum obligatio.* 345. *De regula S. Baſilii remiſſivè.* 346. *& ſeqq. Regula S. Auguſtini non obligat ſub peccato.* 349. *Bene tamen Regula S. Franciſci.* 350. *Conſtitutiones Societatis etiam non obligant ſub culpa.* 351. *& ſeqq. Variæ opiniones de Regula S. Benedicti.* 354. *& ſeqq. Defenditur ſententia, negans obligationem conſcientiæ.* 366. *& ſeqq. Argumenta nobis adverſa referuntur.* 372. *& ſeq. Reſolvuntur.* 381. *& ſeq. Declaratur noſtra ſententia.* 383. *Nova quæſtio de gravitate Legalis obligationis.* 384. *Definitur ex materia.* 385. *& ſeq. Materia debet ſpectari, prout ſubſtat intentioni Legiſlatoris.* 387. *Intentio colligitur ex verbis.* 388. *Vel ex pœna.* 389. *Vel ex conſuetudine.* 390. *Materia levis non recipit gravem obligationem.* 391. *& ſeqq. Neque materia formaliter gravis obligationem levem.* 394. *Lex Naturalis, continens abſolutam turpitudinem vel honeſtatem, obligat cum periculo vitæ.* 395. *Non item, quando non eſt abſoluta.* 396. *Lex Divina non ſemper tam graviter obligat.* 397. *Neque humana.* 398. *Quando magis conducit ad bonum commune, Legem obſervari, quàm vitam conſervari, Lex obligat cum periculo vitæ,* 399. *& ſeqq. Explanatur exemplis.*

§. I.

Obligétne Lex omnis in Conscientia?

219 INter varios Juris Legalis effectus, actus, &,
ut alii loquuntur, officia, cujusmodi sunt, præ-
cipere, prohibere, permittere, punire; primus,
proprius, & principalis est obligatio passiva in sub-
dito, quatenùs mandato Superioris, per Legalem
promulgationem expresso, obedire tenetur. Ma-
gnif. Pettschacher de *LL. quæst.* 2. *art.* 1. Num
verò omnis Lex obliget in conscientia sub reatu
culpæ mortalis aut venialis? Hic discutiendum, &
ante resolutionem

220 Præmittendum I. in omnium sententia Legem Di-
vinam & Naturalem posse obligare in conscientia.
Habet namque Lex Divina & Naturalis pro Cau-
sa Efficiente DEUM, cui non tantùm conscien-
tiæ nostræ sunt apertæ & subjectæ, sed etiam po-
testas competit, reatum æternæ pœnæ inducendi,
& exequendi.

221 Præmittendum II. inter Doctores Catholicos,
attestante Suareziô *de LL. lib.* 4. *cap.* 17. & suf-
fragante Theologorum & Juristarum, posteà ci-
tandorum, calculô, certum esse, quòd etiam Lex
Ecclesiastica vim obligandi in conscientia habeat.
Ita enim verò luculenta Divinarum paginarum
testimonia *Matth.* 16. & 18. *Joannis* 21. *Actor.*
15. *Rom.* 13. 1. *Petri* 2. nec non aperta ratio ma-
222 nifestè convincunt. Dum enim Ecclesiæ potestas
regendi fidelium conscientias, utendi gladiô spiri-
tualis vindictæ, claudendi & reserandi cœlum, est
concessa: pariter concessa erit facultas ligandi
223 conscientias. Et licèt ab hac sententia discessisse
videatur Vir suô ævô famigeratissimus Joannes
Gerson *Part.* 3. *tract. de Vita Spirituali lect.* 4.
alphabeta 62. duabus potissimùm rationibus per-
motus; primâ: quia nemo potest obligare in fo-
ro superiori, & ad pœnam, quam infligere nequit;
alterâ: quia ex definitione D. Augustini omne
peccatum est dictum, factum, vel concupitum con-
224 tra Legem DEI. Nihilominùs standum est com-
muni Catholicorum sententiæ, atque ad oppositas
rationes dicendum: homines, oti delinquendô con-
tra Leges Ecclesiasticas indirectè delinquunt con-
tra Legem Divinam, utpote cùm ex quarto De-
calogi præcepto jubeantur Superioribus justa &
justè præcipientibus obedire: ita & pœnam æter-
næ mortis, ex transgressione Legis Ecclesiasticæ
promeritam, indirectè ab hominibus, directè à
225 DEO statui & infligi. Exemplum dari potest tum
in Lege Principum inferiorum, qui ex potestate
concessa quandoque Leges ferunt sub pœna mor-
tis temporalis, ita tamen, ut potestas ultimata
puniendi Supremo Principi reservetur: tum in vo-
to, cujus emissio voventem obligat obedire Præ-
lato, qui alioquin potestatem præcipiendi non ha-
226 beret. Atque in hoc sensu ipsummet Gersonem
locutum fuisse, patet ex eo: quia non absolutè
asserit, Leges, quæ ab hominibus feruntur, non
obligare in conscientia, sed non obligare, quà
ab hominibus latas. Quod idem est, ac vires suas
accipere à DEO, qui Superioribus & Præpositis
nostris reverentiam & obedientiam exhibere nos
voluit; adeò ut, hôc mandatô præcisô, nulla es-
set obligatio in conscientia, Legibus Ecclesiasticis
obtemperandi. Caramuel *Theologia Regularis Dis-
put.* 3. *art.* 2. *n.* 35.

227 Præmittendum III. pro certo etiam teneri à
modernis Doctoribus, quòd & Civilis Legislator
possit reatum in conscientia inducere. Ita post Sua-
rezium, qui *lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 5. hanc senten-
tiam, vel de fide vel fidei proximam esse, asse-
verat, ex nostris Illustrissimus Reding *de LL. quæst.*
16. *art.* 3. *Contr.* 1. *num.* 6. Doctissimi Sant Gal-
lenses *sect.* 3. *q.* 1. *concl.* 3. Magnif. P. Pettf-
chacher *d. quæst.* 4. *art.* 4. *concl.* 1. Magnif.
P. König *ad tit. de Constitut. num.* 23. Clariss. P.
Engel *ad eund. tit. num.* 36. Clariss. P. Mezger
Theol. Schol. tract. 8. *disp.* 35. *art.* 1. *num.* 1.
D. Gletle *Part.* 1. *Pandect. q.* 3. *num.* 3. Ratio 228
est: tum quia Lex Divina præcipit, ut Sæculari-
bus quoque Magistratibus in conscientia obsecun-
demus, velut apud Matthæum *cap.* 18. Lucam *cap.*
10. *Prov.* 8. 1. *Petri* 2. *ad Rom.* 13. ℣. 5. ibi: *pro-
pter conscientiam &c.* legere est. Ut proinde Lex
Civilis, etsi ex voluntate Legislatoris humani non
obligaret, obligaret tamen ex voluntate Divina:
tum quia Potestas Civilis, virtute stringendi cons- 229
cientiam destituta, planè infirma, vacua, & inef-
ficax foret, Legesque, in foro solùm externo
vim obtinentes, plerique subditorum vel elude-
rent, vel occultâ transgressione circumvenirent:
tum quia Legislator Civilis etiam virtutis hones- 230
tatem respicit, atque externam Reipublicæ quietem
ita præ oculis habet, ut tamen honestatem, cum ho-
nestate conscientiam, cum hac obligationem intendat.

Quare non attendendum censeo, quod æstima- 231
tissimus alioquin Vasquius, vix non apertus adver-
si dogmatis assertor, *Illustr. quæst. cap.* 29. *num.*
1. objicit: totam Legum Civilium Potestatem à
populo in Principes, non ad regentium, sed sub-
ditorum utilitatem esse translatam; quibus perni-
ciosissimum esset, si ad mortem æternam Leges il-
læ, aut præcepta Principis, cui ipsimet Jurisdi-
ctionem dederunt, converterentur. Supponit si- 232
quidem Vir Eruditissimus, populo seu communita-
ti perfectæ vim obligandi in conscientia deesse;
quod tamen suppositum ex dictis nullô negotiô
refellitur, atque ex eo, quòd Potestas Civilis in
genere facultatem obligandi conscientiam accepe-
rit, legitimè infertur, quamlibet Rempublicam, si-
ve ad Monarchiam, sive ad Democratiam, sive
ad Aristocratiam, sive ad formam & politiam aliam
deflectat, simili Potestate condecoratam esse, ean-
demque vim non tam ad regentium, quàm sub-
ditorum utilitatem spectare, utpote quorum inte-
rest, Leges, ad communem felicitatem rogatas,
non tam facilè sperni, aut fraudari posse.

Præmittendum IV. obligationem in conscientia da- 233
ri, vel ad solum actum ponendum, aut omittendum;
vel ad solam pœnam; vel ad actum simul & pœnam.
Undénam id colligi debeat? In §. seq declarabitur. Hîc
verò solummodò quæritur: an Lex propriè dicta obliget
in conscientia ad actum vel ad pœnam? Pro res-
ponsione

Dico: De facto omnis Lex propriè dicta obligat in 234
conscientia vel ad actum, vel ad pœnam, vel ad utrum-
que. Sic ex Authoribus in n. 227. adductis, concludunt
Suarez *cap.* 22. *n.* 9. Pettschacher *concl.* 3. Mezger *n.* 3.
Gletle *n.* 4. & Castropalao *punct.* 14. *n.* 4. Ratio princi-
palis est: quia Lex distinguitur essentialiter à consilio
in hoc, quòd Lex parendi necessitatem inducat; con-
silium libertatem sequendi relinquat. Ergo, ut Lex
propriè talis sit, debet obligare in conscientia. Confir- 235
matur I. Omnis Legislator, Divinus & humanus, Sæ-
cularis & Ecclesiasticus, habet potestatem obligandi
in conscientia, ex dictis anteà; cui si insuper ac-
cedat obligandi voluntas, implicat, obligationem
non induci. At, ubi Lex publicè promulgatur, sa-
tis ostenditur obligandi voluntas. Ergo &c. Con- 236
firm. II. Lex omnis vel est justa, vel injusta. Si jus-
ta; mox Divina Lex exsurgit, ac justa statuenti-
bus obtemperare mandat: indeque profluxit de-
cantatum illud brocardicon: *Lex justa in foro exter-
no,*

no, est justa in foro interno. Si injusta; aliunde nulla est. Confer Palaum *cit. l. n.* 8. *& seqq.*

237 Quæ huic asserto repugnare possent, sunt variæ instantiæ de Legibus pœnalibus, in præsumptione fundatis, irritantibus, Regularibus &c. de quibus in §. §. seqq. sigillatim agam.

§. II.

Quomodò & quando Leges pœnales obligent in Conscientia?

Sciendum I. Leges pœnales diversimodè concipi.
238 Quandoque sola pœna transgressoribus imponitur, absque eo, quòd actus vel præcipiatur tanquàm ponendus, vel prohibeatur tanquàm omittendus. E. G. Princeps, venationem prohibiturus, statuit in hæc verba: *qui deinceps venatus fuerit*, 10. *aureis mulctabitur.* Et tale statutum *Lex purè pœna-*
239 *lis* vocatur. Nonnunquàm præter impositionem pœnæ aliquid præcipitur, aut vetatur; Idque vel conjungendô pœnam cum actu, v.g. *nullus frumentum evehat ex provincia; qui frumentum evexerit, mulctâ pecuniariâ castigabitur*: vel distinguendô pœnam ab actu v.g. *nullus frumentum evehat ex provincia; aut qui evehere tentaverit, pro arbitrio Judicis pœnas dabit.* Cui præcipiendi modo Magnif. & Reverendiss. D. Alphonsus Stadlmayr *dd. LL. c* 4. *ib.* 4. putat, non improbabiliter accenseri eam præcipiendi formulam, quâ verba præceptiva potiùs pœnam determinant, quàm præceptum important, v. g. *mandamus sub pœna* 10. *aureorum &c.*

240 Sciendum II. unâ & generali regulâ definiri non posse, quandònam Lex censeatur esse præceptiva. Quædam enim verba certò præceptum important; quædam solummodò consilium inducunt; quædam ambigua sunt. Verba certò præceptum affirmativum significantia ea communiori DD. reputantur *præcipio, jubeo, impero, mando*; negativum: *prohibeo, inhibeo, veto, interdico.* Verba consilium denotantia æstimantur sequentia: *hortamur, monemus, suademus &c.* Verba ambigua creduntur: *debet, oportet, intendimus, ordinamus, statuimus, constituimus, innovamus, volumus, decernimus sancimus*; & denique verba imperativi modi: *facite, cavete, solvite, abstineant omnes, nemo præsumat &c.* De quibus videri possunt prolixiùs agentes P. Ferdinandus de Castropalao *disp.* 1. *punct.* 90. & P. Ferdinandus Krimer ad *tit. de Constit.* à *n.* 263.

241 Sciendum III. in Legibus pœnalibus non unum discrimen occurrere. I. enim pœnæ, quæ Lege statuuntur, sunt vel spirituales, vel temporales. *Spirituales* sunt, quæ bonis & juribus spiritualibus; *Temporales*, quæ bonis & juribus temporalibus aliquem privant.
242 II. aliæ pœnæ sunt positivæ, aliæ negativæ. *Positivæ* dicuntur, quæ actionem aliquam, vel à delinquente vel persona tertia ponendam, ad sui executionem postulant, quales sunt confiscatio bonorum, restitutio fructuum, mutilatio membri, ademptio vitæ &c. Negativæ *vocantur*, quæ nullam actionem ad sui executionem desiderant, sed meram inhabilitatē ad acquirenda bona vel jura de novo important Gibalinus *Scientia Can. l.* 4. *c.* 8. *q.* 7. *n.* 2. III. pœnæ quandoque sunt
243 latæ; nonnunquàm ferendæ sententiæ. *Latæ sententiæ* nuncupantur illæ pœnæ, in quibus ipsa Lex executorem quasi agit, statuendô & inferendô supplicium ab ipso punctô transgressionis; quod tunc facere dignoscitur, quando utitur verbis præsentis temporis indicativi modi; e. g. *excommunicamus, privamus, inhabilitamus*; vel *ipsô Jure & facto excommunicatus, privatus, inhabilitatus est &c.* Suarez de *LL. lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 26. *Ferendæ sententiæ* nominantur illæ pœnæ, in quibus non ipsa Lex pœnam exequitur, sed alteri executionem demandat; ut si Legislator vel tantùm comminetur pœnam v. g. *sub pœna suspensionis, infamiæ, confiscationis &c. interdico*; vel assumat verba futuri temporis, v.g. *excommunicetur, suspendatur, puniatur*; vel *excōmunicabitur, suspendetur, punietur &c.* Cujusmodi formolas accuratissimè explorat, & enucleat citatus Suarez *tot. cap.* 6. *cit.* quē pari operâ secutus est Palao *disp.* 3. *punct.* 16. His, ad sciendum præmissis,

Dico I. Lex purè pœnalis temporalis non obligat 244
in conscientia ad actum, sed ad solam pœnam. Ita cum Suareziô de *LL. lib.* 5. *cap.* 4 n. 9. Reding *cit. q.* 16. *art.* 3. *Controv.* 1. *n* 14. Caramuel *Theol. Regular. Disp.* 3. *art.* 1. *n.* 30. *& seqq.* Pettschacher *d. disp.* 35. *art.* 1. n. 3. Sancti-Gallenses *d. q.* 3. *concl.* 4. Palao *d. tr.* 3. *disp.* 1. *punct.* C. 15. *n.* 8. contra Sylvestrum, Armillam, Medinam, Rodriquez & alios, a Palao enumeratos. Ratio est I. 245
Quando Legislator non vult obligare in conscientia ad actum, sed ad solam pœnam, non consurgit obligatio, nisi ad pœnam, post violationem Legis subeundam. Uti enim ex voluntate Legislatoris pendet, velitne Legem ipsam condere; sic quoque pendet ab ejus voluntate, quousque Legis obligationem protendere velit. Sed quando Legislator non utitur verbis præceptivis, sed Legem merè pœnalem constituit, sufficienter declarat, quòd ad solam pœnam obligare velit. Ergo &c. Confirmatur. Quando versamur 246
in dubio, fueritne obligatio inducta, nec ne? Multò proniores ad minuendam, quàm augendam obligationem, ipsamet Jura suos cupiunt esse Interpretes *cap.* 57. *de R. I. in* 6. *l. semper in dubiis* 56. *l. ea quæ* 192. §. *un. ff. eōd.* Ergo, tametsi dubium esset, obligetne Lex purè pœnalis ad solam pœnam, vel ad actum simul, attamen pro sola obligatione ad pœnam Lex interpretanda foret.

Ratio est II. DEUS non tenetur obligare in cons- 247
cientia ad actū, sed potest ad solam pœnam Legis obligationem restringere. Ergo etiam Legislator humanus: cùm hujus judicio tribuendum sit, præstétne obligare ad solam pœnam, vel pœnæ actum connectere. Atqui Legislator humanus nequit mentem suam de sola obligatione pœnali meliùs aperire, ac si actum determinatè nec præcipiat, nec prohibeat, sed supplicium duntaxat transgressoribus minitetur: tum quòd sciat, sententiam hanc passim doceri & practicari: tum quòd ipsa Legum interpres consuetudo quasdam Leges esse purè pœnales attestetur. Ergo Lex purè pœnalis ad pœnam tantummodò subditos directè habet obligatos.

Dices I. pœna supponit culpam: *quoniam rem*, 248
quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit, uti reverà Magnus noster Gregorius, in *cap. cognoscentes* 2. *de Constitut.* relatus, edisserit. Ergo Lex, obligans ad pœnam, obligat pariter ad culpam: ergo ad actum.

Resp. cum communi, duplicem esse culpam, Theo- 249
logicam & Juridicam. Juridica est deviatio à regulis bonæ politiæ; Theologica est deviatio à regulis morum. Illa Rempublicam; hæc DEUM offendit. Sufficere autem culpam Juridicam ad incurrendam pœnam temporalem, inde elucescit: quia, qui Rempublicam turbat, & Legibus, pro bono publico politico latis, se se non conformat, Reipublicæ odium in se concitat. Eâque de causa in *cap.* 23. *de R. I. in* 6. dicitur: *sinè culpa, nisi subsit causa, nemo puniendus est.*

Dices II. quando Legislator vult actum Lex obli-
gat ad actum. Sed, tametsi ferat Legem purè pœna- 250
lem, vult actum: quippe qui pœnam hunc in finem interminat, ut actus eò certiùs vel fiat, vel non fiat. Ergo Lex purè pœnalis obligat ad actum.

Resp. distinguendô maj. quando Legislator vult 251
actum, obligat ad actum, vel sub culpa Theologica, vel sub culpa Juridica, concedo maj. sub sola culpa Theologica, nego maj. Vel distinguo aliter. Vult actum absolutè & determinatè, nego maj.; conditionatè & indeterminatè, hoc est, vel actum, vel pœnam, concedo maj. & sub eadem distinctione nego & concedo conseq. Neque necessum est, neque expe- 252

dit, multiplicare peccata & culpas Theologicas, ne
Leges non tam alas quàm compedes injiciant pro
adipiscenda æterna felicitate. Ergo, tametsi Lex pu-
rè pœnalis intendat actum, satis tamen est, si obliget
ad actum sub culpa Juridica, cui non infinita, sed fi-
nita pœna correspondet.

253 Dico II. Neque Lex pœnalis temporalis, disjun-
ctivè mixta, obligat in conscientia determinatè ad ac-
tum, sed indeterminatè vel ad actum vel ad pœnam.
Authores suprà relati. Ratio est: quia Legislator
Legem disjunctivè concipiendô manifestè indicat,
se nolle determinatè ad actum obligare, sed inde-
terminatè; cùm ea particulæ alternativæ & disjun-
ctivæ natura sit, ut unius tantùm adimpletione con-
tenta maneat *cap. in alternativis 70. de R. J. in*
254 6. Quin & si dubium foret, utrùm Legislator
per similem Legem ad actum determinatè velit ob-
ligare; nihilominùs ex præfatis Juris aphorismis de-
nuò in benigniorem partem interpretatio formari
deberet. Ergo Lex pœnalis, disjunctivè mixta,
non obligat determinatè ad actum.

255 Dixi tamen in utraque conclusione: *Lex pœnalis
temporalis.* Enim verò si Lex pœnam spiritualem
in transgressores fulminet, per necessariam connexio-
nem ad actum obligare censetur. Ratio est: quia
pœnæ spirituales, ut justè & jure dictentur, culpam
non qualemcunque, sed Theologicam prærequirunt
per *cap. nemo Episcoporum* 41. *& seqq. XI. q.* 3. Er-
go hôc ipsô, quòd pœna spiritualis in Lege præfiga-
tur, colligitur, quòd Legislator etiam ad actum obli-
gare voluerit. Suarez *cit. cap.* 4. *n.* 10. Palao *d.
punct.* 15. *n.* 2. Pettschacher *d. art.* 4. *post conclus.* 4. *V.
Resp.* 2. Gleile *Jurisprud. fund. lib.* 1. *tit.* 2. *cap.* 3.
§. 8. *n.* 8.

256. Dico III. Lex pœnalis, conjunctivè mixta, si
verba certò præceptiva contineat, probabiliùs ad ac-
tum & pœnam obligat. Haunold. de I. & J. *tom.* 1.
tr. 1. *num.* 45. Covarruv. *in regulam peccatum part.*
2. *§.* 5. *num.* 2. *&* 3. & potior pars ex Authoribus,
pro prima conclus. allegatis. Ratio est I. quia, suppo-
sitâ potestate & voluntate Legislatoris de inducenda
obligatione ad actum, certò consequitur obligatio,
juxta vulgatum principium, quòd ad obligationem
plura non exigantur, quàm voluntas & potestas. At
in Lege, conjunctivè mixta, perspicuè relucet volun-
tas Legislatoris; aliundè potentis, de inducenda obli-
gatione in conscientia ad actum: hunc etenim præ-
cepisse præsumitur, ut à subdito redigatur in opus.
Ergo &c.

257 Ratio est II. adjectio pœnæ non alleviat, sed ag-
gravat obligationem: neque enim Legislator alium
in finem supplicium delinquentibus statuit, quàm ut
magis magisque à facilitate delinquendi cohibean-
tur. At lex præceptiva simpliciter, & sinè adjectio-
ne pœnæ prolata, obligat in conscientia ad actum.
Ergo etiam Lex pœnalis, conjunctivè mixta, seu
præceptiva sub pœna. Certè reperias homines, qui
solâ pœnæ exterioris formidine à Legum declinatio-
ne non refrænentur: quorum proterviæ ut repagu-
lum objiciant Legum parentes, non tantùm possunt,
sed & volunt ad actum & pœnam subditorum cons-
cientias esse gravatas.

258 In sectam oppositam concedunt Navarrus in *sum-
ma cap.* 23. *à n.* 55. *& lib.* 1. *cons.* 3. & alii, quos ci-
tat Palao *d. puncto* 15. *num.* 6. Itaque accedit à for-
tiori Vasquius, jam suprà auditus *Illust. controv.
cap.* 29. Moventur I. quia subditis non sunt inji-
cienda & multiplicanda conscientiæ vincula, quibus
259 à salute ad perditionem rapiantur. II. quia ipsimet
Legislatores graviter invigilant, & cavent, ne subdi-
ti ex transgressione Legum spirituali damnô impli-
centur per textum notabilem in *l. quæ sub conditio-*
260 *ne* 8. *in pr. ff. de Condict. Institut.* III. quia Legisla-
tores, præsertim infideles, sæpè non cogitant de
obligatione in conscientiâ, contenti solâ obligatione
ad pœnam. IV. quia statuta plurium Collegiorum, 261
Academiarum, Civitatum &c. etsi præceptiva sint,
non inducunt obligationem ad actum.

Sed tanta non sunt hæc motiva, ut sequelam per- 262
suadeant. Primum supponit, non esse necessariam
obligationem in conscientia in singulis Legibus: &
bene supponit. Quia tamen Legislatori incumbit,
perspicere & definire necessitatis articulum, ideò, si
præceptivè quid statuat, præsumitur necessarium ju-
dicâsse, ut Lex in conscientia ad actum obliget. Al- 263
terum videtur coincidere cum primo, simulque om-
nem Legalem obligationem suffIaminare, tanquàm
nutritivam & fotricem damnorum spiritualium. Sed
ineptè. Leges non feruntur, ut frangantur, sed serven-
tur. Non malè, sed benefacere docent. Non illa-
queant, sed suavi vinculô ligant conscientias, ne à
rectô devient. Jamque tritum est, ex malis mo-
ribus nasci bonas Leges, sed, ut alicubi perorat flori-
dissimus D. Braun, *ut ex vipera vipera: hæc enim nas-
cendô matrem necat: sic Leges malos mores.* Ad 264
tertium Resp. sicut ad primum, ex verbis præcep-
tivis intentionem obligandi desumi. Adde ex Sua-
rezio *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 12. vim præcepti suffi-
cere ad inducendam obligationem conscientiæ,
etiamsi Princeps non exprimat: quia præcepta Su-
periorum ex naturali dictamine servanda sunt. Et
quia Princeps infidelis verus est Superior, hinc il-
lius quoque præceptis subditi infideles alligantur,
tametsi per accidens circa conscientiæ obliga-
tionem vel in errore inculpabili vel in ignorantia af-
fectata versentur. Ad quartum Resp. cum P. Mez- 265
ger, statuta præmemorata neque Leges, neque
consilia in proprio sensu vocari posse. Non Le-
ges: quia non obligant. Non consilia: quia non
suadent, sed præcipiunt. Quid ergo? Simplices quæ-
dam regulæ & ordinationes appellandæ videntur, si-
cut Regulæ SS. Ordinum; de quibus in §. 5.

In eo tamen casu cum Suarezio *d. lib. cap.* 4. *n.* 266
9. & Palao *d. puncto* 15. *num.* 10. in sententiam Na-
varri & Vasquii non invitus transeo, quando ver-
ba aut præceptiva non sunt, aut dubia, aut aliunde,
spectatis omnibus, non sufficienter constat de mente
voluntate Legislatoris. Tunc enim ratio illa de non
multiplicandis præceptis eò magis stringit, quò plu-
ra alia Juris principia confluunt, quòd in dubio mi-
norem, & benigniorem interpretationem amplecti
deceat. Ut prætercam, verba præceptiva Legibus
& statutis sæpiùs ex stylo curiæ, formulari cancel-
lariarum, aut manu scribarum, quàm jussu Legislato-
ris inseri: quibus ex propter unicè fidendum
non est.

Neque ab hac opinione recedendum existimo, 267
quantumcunque gravis pœna temporalis videatur
imposita, ut solidè demonstrant Palao *d. l. num.* 12.
& seq. & D. Gletle *cit.* 1. *part. quæst.* 3. *num.* 5.
Nam citra injustitiam potest consistere gravitas poe-
næ temporalis cum sola culpa Juridica. Exempla sunt
in militibus, in inclusis in carcere, & aliis, quibus au-
fugere, aut à statione sua discedere, sub pœna capi-
tis, mutilationis, infamiæ &c. non licet. Ergo com-
minatio gravioris tormenti non est est evidens signum
culpæ Theologicæ.

Dico IV. Quando pœna seu spiritualis, seu tem- 268
poralis, est ferendæ sententiæ, Lex pœnalis non
obligat ad pœnam subeundam, ante sententiam con-
demnatoriam. Ab hac conclusione via ullus dissen-
tiet. Ratio plana est. Tempus obligationis non mi-
nùs quàm substantia pendet à voluntate Legislato-
ris. Hic autem statuendô pœnam ferendæ sententiæ
non monstrat, quòd ante sententiam velit obliga-
re: ideò enim ad sententiam reflectere videtur, ut
osten-

ostendat, non ipsam Legem, sed Judicem pro executore supplicii deputatum esse. Ergo Lex pœnalis ferendæ sententiæ ante sententiam condemnatoriam non obligat.

269 Dico V. Quando pœna temporalis & positiva est latæ sententiæ, Lex pœnalis non obligat ad sobeundam pœnam, ante sententiam declaratoriam criminis. Suarez *d. l. 5. cap. 7. à num.* 5. Palao de *LL. disp.* 2. *punct.* x. *num.* 6. Molina de *J. & J. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 96. *n.* 5. *& seq. & disp.* 176. *n.* 20. Lessius de *J. & J. lib.* 2. *cap.* 29. *dubit.* 8. & sparsim *cap.* 34. *dub.* 34. *cap.* 35. *dub.* 34. *cap.* 35. *dub.* 26. Gibalinus *Lib.* 4 *cap.* 8. *n.* 10 *& seqq.* Haunold. de *J. & J. tr.* 1. *n.* 98. *& seqq.* Mezger *d. disp.* 35. *art.* 2. *n.* 4. Pro-
270 batur hæc sententia efficaciter ex *cap. cùm secundùm* 19. *de Hæreticis in* 6. ubi confiscatio bonorum, quæ procul dubiò est pœna positiva, ipsô Jure & factô sancitur in hæreticos; nihilominùs decernitur, bona hæreticorum occupari aut abripi per Principes & alios Dominos temporales non debere, *antequàm per Episcopum loci aliámve Personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata.* Ex qua constitutione patet, bene hæc duo simul esse & convenire: pœnam ipsô Jure committi, & pœnæ executionem pendere ex sententia. Gleile *cit. Jurisprud. fundam. cap.*
271 *ult.* §. *ult. n.* 11. Ratio palmaris est: quia Leges non nimium asperæ & acerbæ, sed moribus utentium accommodæ & attemperatæ sint, oportet. At temperamentum omne Leges viderentur excedere, si ad pœnas positivas, ante sententiam declaratoriam, obstringerent. Deberet enim inprimis delinquens occultum delictum manifestare, suique accusatorem agere. Deinde teneretur esse Judex in propria causa, non studiô sed odiô propriæ personæ exasperatus. Denique tortor & carnifex sibi, suóque corpori, suæque rei existere compellaretur. Quæ omnia munia tantâ sunt onera, ut, si non importabilia, certè oppidò gravia & difficilia judicentur.

272 Exceptionem ab ista assertione faciunt cum aliis pluribus Suarez *d. l.* 5. *cap.* 8. *n.* 19. Molina *cit. disp.* 96. n. 6. Gibalinus *d. cap.* 8. *sub* n. 12. quando in Legibus invenitur hæc vel similis clausula: *nullâ aliâ declaratione secuta.* Ista siquidem verba *ipsô factô*, inquiunt, continent sententiam condemnatoriam; & addendò clausulam, *aliâ declaratione non secutâ*, expressè excludunt necessitatem sententiæ declaratoriæ. Ergo Lex, tali modô concepta, & statim condemnat, & per se sinè facto hominis pœnam exequitur.

273 Eandem verò exceptionem rejiciunt Covarruv. *de Matrimon. part.* 2. *cap.* 6. §. 8. *n.* 13. *propè fin.* Palao *d. punct.* x. *n.* 8. Mezger *d. art.* 2. *n.* 8. Lessius, posteà citandus, aliique apud hos reperiendi: tum quia rationes, quibus proximam conclusionem communiter stabiliunt DD. hic quoque vim & vires habent: tum quia clausula, *aliâ declaratione non secutâ*, non de declaratione criminis, sed pœnæ exaudienda videtur, quòd videlicet pœna post declarationem criminis debeatur in conscientia, esto in
274 sententia nulla mentio de pœna sit facta. Quæ expositio (sunt verba perspicacissimi Lessii *cit. Lib.* 2. *cap.* 29. *dubit.* 8. *num.* 63.) „ etsi nonnihil videa„tur violenta, tamen usus ipse eam confirmat. Ita „ enim sunt usu receptæ Leges hujusmodi, ut ante „ declarationem criminis possessores (intellige bo„norum, officiorum, beneficiorum) non teneantur „ resignare. Imò (pergit commendatus Author) „ usus habet, ut nisi executio fiat per sententiam, ita „ ut per eam non solùm declaretur crimen, sed etiam „ reus ipse privetur beneficiô vel officiô, non cen„seatur omninò privatus. Sic Lessius, & valde pro„babiliter.

Dico VI. Quando pœna latæ sententiæ est spiri- 275
tualis vel negativa, Lex pœnalis ante omnem sententiam, etiam declaratoriam criminis, obligat in conscientia. Conclusio est bimembris, & defenditur quoad primum membrum à Molina *cit. disp.* 96. *n. num.* 2. ubi testatur, in hoc omnes DD. consentire; Suarez *d. l.* 5. *cap.* 8. *num.* 1. ubi meminit, hanc doctrinam esse communem, ac ferè sinè controversia; Palao *d. punct.* x. n. 1. ubi asseverat, DD. hic convenire; Mezger, & alii, paulò ante nominati. Pro- 276
bari potest ex *cap. non dubium* 5. *de Sent. excommun.* ubi Alexander III declarat, eos, qui violentas manus in personas Ecclesiasticas injiciunt, *ex Constitutione Concilii sententiam excommunicationis incurrere.* Non dicit Pontifex, sententiam esse exspectandam, sed à Concilio jam latam, à primo commissi sceleris momento obligare. Et ratio est I. quia spirituales 277
pœnæ, per quas censuras Ecclesiasticas, nec non irregularitatem, intelligo, non desiderant externam actionem aut executionem. II. quia spiritualem animarum profectum pro fine habent; sicque in foro animæ stringunt, esto in foro fori nec judicium nec sententia præcesserit. III. quia sic usus Ecclesiæ, cujus interest, occultas quoque transgressiones gladiô spiritualis imperii coerceri posse, commonstrat.

Quoad alterum membrum, præter Authores mo- 278
dò adductos, vix non universi nobiscum sentiunt; nominatim Gibalinus *d. cap.* 8. *q.* 7. *sub n.* 12. Laymann *Theol. Moral. L.* 1. *tr.* 4. *cap.* 15. *n.* 5. Gleile *d. cap. ult.* §. *ult. n.* 13. Deducitur I. ex *cap. licèt* 14. *& c. commissa* 35. *de Elect. in* 6. in quibus testibus de promotis ad beneficia curata cavetur, quòd, si intra annum Sacerdotium recipere neglexerint, Ecclesiâ sibi commissâ, *nullâ etiam monitione præmissâ, præsentis constitutionis authoritate sint privati.* II. ex *cap. cùm singula* 32. *de Præb. in* 6. ubi, qui se- 279
cundum beneficium incompatibile cum primo sunt adepti, ipsô Jure eôdem privantur; ac, si non ultrò cesserint, & secundum amittunt, & ineligibiles evadunt. III. ex *cap. super hoc* 3. *& cap. significasti* 6. 280
& tot. tit. de eo, qui duxit in matrimonium &c. ubi in pœnam conjugicidii & adulterii impedimentum matrimonii in complices criminis, sinè dubio ipsô factô in conscientia contrahendum, statuitur.

Ratio est. Communitas, isque, qui communitati 281
præest, habet distributionem jurium & bonorum communium; neque tenetur ejusmodi bona & jura illis deferre, qui transgressione saluberrimarum LL. favoribus communibus reddidere semet indignos. Ergo, sicut privatus bonis suis jus dicere potest; sic Legislator bonis communibus valet conditionem imponere, atque in pœnam delicti constituere, ut transgressores ad ejusmodi bona nullum habeant accessum. Quæ constitutio sortietur effectum statim à tempore perpetrati criminis: quia salvâ conscientiâ non licet appetere, minùs suscipere munus, cujus quis incapacem se esse prænoscit.

Si pro majori dilucidatione hactenùs decisorum 282
petas: quænam in effectu sit differentia, an per sententiam Judicis *condemnatoriam*, vel *declaratoriam* inferatur pœna? Clarissimè pro more suo respondebit Clarissimus P. Engel ad *tit. de Constitut. num.* 43. hanc esse differentiam, quòd pœna illata per sententiam Judicis debeatur primùm à die sententiæ; pœna autem illata à Jure, & posteà per sententiam declarata, debeatur non tantùm à die declarationis; sed retrò à die commissi criminis, ipsô Jure pœnam annexam habentis. Si ulteriùs insistes, & roges, an non 283
ergo frustraneum sit illud jus retinendi intereà pœnam v. g. fructus beneficiales, ipsô Jure amissos, in conscientia, si post declarationem omnes, etiam retrò percepti, restitui debeant? Ulteriùs reponet idem

Clarissimus Author, illud jus retinendi in conscientia
neutiquàm frustraneum esse, sed hoc operari, quòd
res aut fructus ipsô Jure amissi, non ampliùs extantes,
sed interim consumpti, sive eorum æstimatio aut
pretium, si exinde possessor tempore declarationis
non sit locupletior effectus, in restitutionem non
veniant.

§. III.

Quando & quomodò Lex in præsumptione fundata liget in conscientia?

284 Prænotandum I. Legem in præsumptione fundatam
censeri, quæ ex conjectura certæ cujusdam circumstantiæ
aliquid præcipit, vel prohibet: ejusque
Legis communiter duas assignari species, justa duplicem
præsumptionem Juris & facti, in qua fundatur.
Lex *in præsumptione Juris*, seu, ut aliis placet,
in præsumptione communis periculi fundata dicitur,
quando prohibet actum de se periculosum, damnis,
fraudibus, & inconvenientiis communiter obnoxium,
ac plerumque multis incommodis subjectum. Lex
in præsumptione facti fundata nuncupatur, quæ ex
conjectura determinatæ & particularis cujusdam circumstantiæ
aut qualitatis pro hoc vel illo casu quidpiam
jubet, aut vetat.

285 Prænotandum II. ex mente Suarezii *lib. 3. de LL. cap. 23. n. ult.* certam regulam in particulari tradi
non posse, sed ex materia, verbis, usu, & communi
Legis interpretatione desumendum esse, sitne Lex in
præsumptione facti vel Juris fundata? Attamen ex
doctrina Clarissimi D. Gietle 1. *p. Pandect. quæst.* 3.
n. 6. sequentes regulas propositæ materiæ non parùm
quadrare.

286 I. Regula. Quando Lex actionem aliquam prohibet,
tanquàm unicè obnoxiam periculo nocumenti
privati: vel quando circumstantiam aut qualitatem
respicit, quæ unicè concernit bonum singulorum,
censetur esse in præsumptione facti fundata. Ratio
est: quia finis, quem præ oculis habuit Lex, fuisse
creditur, ut vel bonum particulare promoveatur, vel
damnum singulare avertatur.

287 II. Regula. Quando Lex actionem aliquam prohibet,
tanquàm obnoxiam periculo nocumenti publici,
censetur esse fundata in præsumptione Juris &
communis periculi. Ratio est: quia finis primarius
talis Legis fuisse præsumitur, consulere bono publico.
Ergo commune periculum, & non particulares
casus, respexisse videtur.

288 III. Regula. Quando via esset inventa eludendæ
Legis, si obtentu cessantis periculi deflectere liceret
à norma, Lege præscriptâ, censetur Lex esse fundata
in præsumptione Juris & periculi generalis. Ratio
est: quia non est prudenter credibile, quòd Legislator
ferre intendat Legem, cujus dispositionem
eludere callidâ machinatione liceat: quia non est prudenter
credibile, quòd ferre cogitet Legem imperfectam,
bonóque publico parum aut nihil proficuam.
Ergo, si obtentu cessantis periculi Legem declinare,
& eludere liceret, Lex censetur esse in præsumptione
Juris & generalis periculi fundata.

289 Prænotandum III. quasdam Leges, in præsumptione
fundatas, non posse servari sinè peccato, si præsumptio
in rei veritate cesset; quasdam verò servari
sinè peccato posse. In priore casu Lex nunquàm
obligat in conscientia, si præsumptio cesset. In exemplo.
Bertha contraxit matrimonium cum Titio,
sed ob occultum impedimentum invalidè. Petit igitur
à Judice Ecclesiastico divortium. Judex urget
impedimenti probationem. Bertha, licèt sciat, probare
nequit. Jussa itaque manere cum Titio, & reddere
debitum, potiùs censuras sustinere debet, quàm
sententiæ parere: cùm nulla Judicis sententia possit
obligare ad peccatum, uti perspicuè decisum extat in
cap. literas 13. *de Restitut. spol. cap. inquisitioni* 44.
de Sent. excommunicat. In posteriore casu procedit
quæstio, in præsenti §. proposita, quam distinctione
in n. 284. prænotatâ, dissolvo, &

Dico I. Lex, in præsumptione facti fundata, non 290
obligat in conscientia, quando circumstantia, in cujus
præsumptione Lex fundata est, cessat. Ita cum
Suarez *d. l. num.* 9. asserunt quinque præclarissima
Universitatis nostræ, duo Theologicæ, tria Juridicæ
Facultatis membra, Eminentissimus Cardinalis Cœlestinus
Sfondrati in *Disput. Jurid. de Lege in præsumpt. fund.* §. 4. *num.* 1. Benedictus Peitschacher
de *LL. quæst.* 4. *art.* 4. *f. m.* 71. Paulus Mezger *d. disp.* 35. *a.* 3. *num.* 13. Robertus König ad *tit. de
Constit. num.* 35. Josephus Bernardus Gietle *d. l. quæst.*
3. *num.* 5. Ratio est: ubi deficit adæquatum moti- 291
vum & finis Legis deficit quoque Legis obligatio,
per vulgatum *cap. cùm cessante* 60. *de Appellat.* Sed,
quando Lex innititur præsumptioni facti, deficiente
circumstantiâ, cujus præsumptioni Lex alligatur, deficit
adæquatum motivum & finis Legis. Ergo &c.
Unde DD. passim similem Legem conditionatam vocant,
ac tamdiu volunt obligatoriam, quàmdiu conditio
præsumpta subest. Confirmatur ex prælauda- 292
to Cardinale. Veritas semper prævalet, & superat
omnia *Esdra cap.* 3. & 4. *cap. veritate* 4. *cap. si consuetudinem* 5. *Dist.* 8. *l. Imperatores* 29. §. *un. ff. de
Probat.* Ergo & præsumptio, in qua Lex radicatur,
cedit veritati; tum quia propter unumquodque tale
illud magis tale; præsumptioni verò standum est propter
veritatem; ergo multò magis veritati: tum quia
præsumptio una tollit alteram, & fortior enervat debiliorem;
& consequenter veritas, quæ fortior est
omnibus præsumptionibus, præsumptionem elidit.
Hinc

Deducitur I. eum, qui sententiâ Judicis injustâ 293
gravatum se sentit, fortè quòd sciat, sententiam ex
falsis instrumentis, subornatis testibus, in favorem adversarii,
calumniosè litigantis, fuisse latam, non teneri
pro foro interno tali sententiæ obedire. Ratio est:
quia Lex de obedientia Judici, quidpiam decernenti,
præstanda, fundatur in præsumptione hujus determinatæ
circumstantiæ: *si sententia justa sit.* Ergo,
qui sententiam injustè prolatam esse cognoscit, non
tenetur sententiæ parere. Dixi *pro foro interno.* Nam 294
quia in foro externo sententia præsumitur justa, debet
condemnatus, ad evitandum scandalum, etiam in
foro interno sententiæ stare, occultâ postmodùm
compensatione sibi consulturus, prout cum aliis idem
Cardinalis *d.* §. *n.* 4. docet. Qua de re in *tr. de
Proc. Jud. in tom.* 2. *lib.* 2. *tr.* 3. *cap.* 12.

Deducitur II. non obstante, quòd in Concil. Trid. 295
Sess. 25. *de Regular. cap.* 19. statutum sit, ut *quicunque
Regularis prætendat, se per vim & metum
ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante
ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile &c.
non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à
die professionis:* posse nihilominùs Religiosum, nulliter
professum, si per viam restitutionis ad querelam
nullitatis non admittatur, cessante scandalô, Re- 296
ligionem deserere. Ratio est: quia Concilium se
fundat in præsumptione facti particularis, quòd
nempe intra spatium tam prolixi temporis Religiosus
suam professionem ratificaverit; contra quam
præsumptionem, licèt forsitan probatio in contrarium
directè non concedatur, attamen obligatio
manendi in Monasterio pro foro conscientiæ
nequit imponi. Card. *d. disp. p.* 2. §. 1. *n.* 10.
cui adstipulantur Sanchez, Henriquez, Rodriquez
apud Barbosam in *collectan. ad Concil. Trid. d. l.*
num.

num. 15. dissentiente tamen Ascaniô Tambur, de *Jure Abbat. tom.* 3. *disp.* 6. *quæsit.* 25.

297 Deducitur III. hæredem, qui inventarium conficere neglexit, non teneri in conscientia creditoribus hæreditariis ultra vires hæreditatis satisfacere, si nihil ex hæreditate clam surripuerit. Lex enim, quæ hæredi in proposito eventu obligationem solvendi & restituendi ex bonis propriis injunxit, fundatur in præsumptione facti particularis, quòd videlicèt hæres clam aliqua bona de hæreditate subtraxerit; quemadmodùm apertum fit ex *Novell.* 1. *cap.* 2. *in princ.* ibi, *& non per ea, quæ fortè surripiunt, aut malignantur*; Item in §. 2. ibi: *dabit eis pœnam exactis suæ malignitati* 5. P. Engel ad tit. *de Constitut. num.* 38. Zoës.
298 ad tit. *ff. de Jure deliber. num.* 14. Et licèt non pauci contrarium asserant, rati, dictam Legem pœnalem esse, & in conscientia saltem post sententiam obligare. Quia tamen ipsissima pœna ob præsumptam fraudem inflicta legitur in *cit.* §. 2. non poterit habere locum, ubi fraus nulla intervenit.

299 Deducitur IV. debitorem, qui spe numerationis faciendæ emisit chirographum, & intra biennium non factâ numeratione, tacuit, non obstringi in conscientia post biennium, ut solvat, quod literis spoponderat. Quantumvis enim aliqui doceant, debitori post biennium omnem exceptionem non-numeratæ pecuniæ, tam privilegiatam, quàm non privilegiatam, fuisse ademptam, omnique modô ad debitum solvendum compelli, propter *l. si intra* 8. *l. in contractibus* 14. *in pr. Cod. de N. N. P.*
300 Attamen & communissima sententia est, citatas LL. in præsumptione solutionis, intra biennium factæ, radicatas, in conscientia non stringere, si reverà solutio non evenerit P. Engel *cit. l. num.* 39. & verior quoque opinio tenet, in foro etiam externo exceptionem simplicem debitori competere, quâ onus probandi in se suscipere, &, nullam sibi pecuniam numeratam fuisse, demonstrare valeat *arg. l. generaliter* 13. *Cod. d. t.* & *cap. quod ob gratiam* 61. *de R. J. in* 6. Videatur Haunold de *J. & J. tract.* 9. *n.* 300. & Clarissimus Collega D. Franz ad tit. 22. *lib.* 3. *Institut.* à *n.* 23.

301 Dico II. Lex in præsumptione Juris, seu periculi generalis fundata, obligat in conscientia, esto in casu particulari præsumptio cessare videatur. Ita definiunt primæ cõclusionis assertores. Ratio est: quamdiu stat motivum adæquatum Legis, tamdiu stat, & perseverat obligatio Legis. Sed, quando Lex in præsumptione Juris & periculi generali est fundata, stat adæquatum Legis motivum esto in casu particulari præsumptio cesset: nam periculum moraliter certum, quod avertere à Republica Lex intenderat, non tollitur ex uno vel altero casu singulari, quem aliunde non attendunt Leges *l.* 3. 4. *&*
302 *seqq. ff. de LL.* Ergo &c. Promovetur discursus. Quando duæ causæ ad unum effectum concurrunt, quarum utraque sufficit ad effectum ponendum, licèt una deficiat, non ideò tamen effectus deficiet, qui satis ab una earum pendere potest. Ergo, cùm obligatio Legis, in præsumptione fundatæ, duas habere causas valeat, nempe periculum ipsius facti malive in particulari, & periculum mali morale, seu generale: illa non cessabit, cessante quidem periculô in particulari, extante nihilominùs periculô universali & morali, quod Lex respexisse cense-
303 tur. Planè, ut probè suggessit citatus Cardinalis *d.* §. 4. *num.* 2. periculum mali & ipsum malum utique duo distincta sunt; quemadmodùm aliud est præcipitium, aliud est casus; nec semper cadit, qui in præcipiti pendet: & tamen à præcipitio & lubrico semper cavendum est. Pariter itaque, licèt diversa sint periculum fraudis & ipsa fraus; neque semper fraus sequatur, tametsi negotium fraudibus obnoxium suscipiatur: nihilominùs, quia à fraudibus semper cavendum, & abstinendum est, Lex, avertere fraudes fraudùmque pericula volens, semper observanda erit. Res exemplis & illationibus particularibus fiet illustrior. Unde.

Infertur I. matrimonium, clandestinè contractum, 304
non valere, licèt in casu particulari nulla intercedat fallacia. P. Paulus Mezger *d. art.* 3. *num.* 12. Ratio est: quia Concil. Trid. irritationem matrimonii clandestini non ea præsumptione facti particularis, sed periculi moralis & universalis introduxit, uti ex *Sess.* 24. *de Refor. Matr. cap.* 1. dilucidè probatur: ibi: *cum Sancta Synodus animadvertat &c. & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent; præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt &c.*

Infertur II. Professionem Religiosam, ante 16 tum 305
ætatis annum completum emissam, omni robore & valore destitui; non habitâ consideratione, an Professus judicium sat firmum & maturum habuerit, atque status Religiosi obligationem & naturam plenè perspexerit, nec ne. Mezger *cit. l.* Ratio est: quia invalidatio Professionis non ex respectu particularium personarum, sed prudenti præsumptione communis periculi & carentiæ sufficientis judicii ac experientiæ, quæ communiter ante annum 16 tum advenire non censetur, à Concil. Trid. *Sess.* 25. *de Regular. cap.* constituta est.

Infertur III. esto ante completum septennium in- 306
fanti lux rationis affulgeat, &, ut dicere solemus, malitia suppleat ætatem, sponsalia tamen, ante consummatum septennium contracta, non esse firma & valida. Ita probabilior mihi sententia cum nostro Panormitano in *cap. juvenis* 3. *de Sponsal. n.* 5. & Magnifico D. P. Roberto König ad *tit. de Desp. Im-*
pub. n. 5. docet. Ratio est: quia in *cap. literas* 4. *cap.* 307
accessit 5. *de Desponsat. impub.* sponsalia ante septennium fieri non posse, absolutè decernitur: sine dubio eo ex motivo, quòd communiter ante hanc ætatem discretio rationis illucescere non soleat. Ergo hæ constitutiones in præsumptione fundantur, non facti, sed Juris; non singulari, sed universali. Ergo obligant, esto in casu particulari & extraordinario
præcocitas ingenii septennium anteverrat. Aliam ra- 308
tionem suggerit celebratus Abbas *d. num.* 5. quòd in actibus, quibus ætatem certam Leges præfixère, nil agere, aut attentare liceat ante, quàm ætas requisita fuerit expleta. Unde ulteriùs

Infertur IV. testamentum, ab impubere confectum; 309
electionem, de Episcopo vel Prælato ante ætatem canonicam institutam; contractus, à pupillo vel minorenne, absque interventu tutoris vel curatoris celebratos, penitus invalidos & inutiles haberi, quantumvis enumeratæ personæ eô tempore, quô hujusmodi sunt gesta negotia, defœcati judicii morùmque exactâ maturitate pollere videantur. Nam Leges & Canones, qui memoratos actus, in minori, quàm oportebat, ætate factos, tum prohibuerunt, tum irritârunt, non respexerunt personas singulas, aut casus singulares; sed ex generali consideratione, quòd optimâ rerum magistrâ, experientiâ teste, compertum sit, sufficiens judicium ante hos vel illos annos non advenire, generatim statuerunt, ut relata negotia, præproperè peracta, non valeant: quatenùs & uniformitas sit in operando, & regula operandi ex communi usu & more desumatur.
Leganitur & expendantur textus in §. *præterea* 1. 310
Institut. Quibus non est permissum fac. testam. l. à qua ætate 5. *ff. Qui testam. fac. poss. l. ult. Cod. de Testam. milit.*

milit. l. quod pupillus 41. ff. de Condict. indeb. l. pupillus 59. ff. de O. & A. l. ult. Cod. Quando tutor. vel curator. esse desinant. cap. cùm in cunctis 7. de Elect. cap. licèt canon. 14. eòd. in 6. Concil. Trid. Sess. 24. de Reformat. cap. 12. & Sess. 15. de Regular. cap. 7.

§. IV.

An & quomodò Leges irritantes locum habeant in conscientia?

311 Ante quæstionis decisionem adverto I. plurimas esse Leges, quæ certos actus prohibeant quidem faciendos, factos tamen irritos esse, non declarent. Et tunc valde communis est opinio, actum, contra Legem prohibentem positum, non invalidum sed tantùm illicitum esse spectatò Jure Canonicô. Ita cum P. Suarez de *LL. l. 5. cap. 25. n. 22.* Mezger *d. disp. 35. a. 3. n. 4.* Petschacher de *LL. quæst. 5. art. 3.* §. 117. Haunold de *J. & J. tract. 1. n. 117.* & plerisque Theologis sentiunt ex Canonistis Reverendiss. Petrus Gueirather *Instit. Can. lib. 1. tit. 3. n. 64. & 65.* Clariss. D. P. Jacobus Wiestner ad *reg. 64. de R.*
312 *J. in 6.* Ducuntur potissimùm textu *cap. ad Apostolicam 16. de Regular.* ubi Innocent. III. *multa*, inquit, *fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Addunt, ex praxi Summorum Pontificum, actum aliquem irritare volentium, sollicitè annecti clausulam irritatoriam; idque & Tridentino Concilio in usu fuisse, liquet ex *Sess. 24. de Reform.*
313 *Matr. cap. 1.* Confirmant sententiam suam ex eo, quòd prohibere & irritare actum sint effectus admodùm diversi: cùm prohibere solùm sit præcipere, & obligare, ut actus non fiat; irritare autem non sit præcipere, sed facere, ac inefficacem impotentiam, aut instabilem voluntatem, vel personam reddere.

314 Aliud docent Canisius ad *d. reg. 64. de R. J. in 6.* P. König ad *tit. de Constitut. num. 26.* P. Engel *ad eund. tit. num. 50.* Gleile *Jurisprud. fundam. Tr. 2. cap. 4 §. 2. num. 6.* hisque impensè favere videtur Panormitanus ad *c. cap. ad Apostolicam num. 11.* Habent pro se I. *d. Regulam 64. Juris in 6.* quæ ita sonat: *ea, quæ contra Jus fiunt, debent utique pro in-*
315 *fectis haberi.* II. *l. non dubium 5. in princ. Cod. de* LL. ubi Imperatores disertè jubent, *ut ea, quæ Lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur: licèt Legislator fieri prohibuerit tantùm, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est.* Quæ tam liquida Juris Civilis ordinatio, tanquàm in materia adiaphora, le-
316 gitimè ad Jus Canonicum traducitur. III. rationem: nam omne, quod adversatur Legibus & constitutionibus publicis, irritari meretur *cap. vides 10. Dist. 10.* quia contemptor Legis illius assistentiâ & comprobatione haud dignus est.

317 Ex his duabus sententiis posteriorem eligo: tum quia in utroque Jure fundata; tum quia ad concordiam Juris Canonici & Civilis, quæ JCtis singulari curæ & cordi esse debet per vulgata *cap. 1. & 2. de N. O. N.* ordinata est. Ita tamen, ut regulæ adinstar teneam, Leges prohibentes simul esse irritantes; atque uti ab aliis, sic ab ista quoque regula, exceptiones admittam, si vel actus ab ipsa Lege prohibente sustineatur, fortè quòd rescindi, evacuari, annullari, irritari, &c. jubeatur; vel actus non per se & ratione objecti, sed per accidens, ob circumstantiam planè impertinentem prohibeatur; vel agatur de Sacramentis, ubi, quæ non sunt de essentia, Sacramentum non faciunt nullum, sed illicitum; vel communis sensus & interpretatio prudentum actum pro valido agnoscat. Sicque intelligo oppositum *cap. ad Apostoli-*
318 *cam 16. de Regular.* Nec obluctatur praxis Summorum Pontificum aut Concilii Tridentini. Apponunt siquidem Legibus irritantibus clausulas irritatorias, non ex necessitate, sed pro majori efficacia. Quid autem notius, quàm nimiam cautelam non nocere? Ad Confirmationem Resp. esse quidem ex natura rei diversos effectus, prohibere tantùm, & simul irritare; attamen ex dispositione Juris regulariter connexos.

Adverto II. ex Legibus irritantibus quasdam pœ- 319
nales, quasdam purè irritantes reperiri. Si enim in odium transgressoris & detestationem criminis actus irritetur, v. g. si infirmetur emptio-venditio in casu, quô gabella non fuerit soluta, Lex irritans *pœnalis* est. Sin præcisè contractus vel actus ob commune vel privatum bonum irritus pronuntietur, Lex *purè irritans* appellatur. Tales, meô judiciô sunt pleræque Leges, certas formas & modos contractibus aliisque actibus præscribentes, uti post alios insinuat P. Engel *locô citandô.* De Lege pœnali irritante eôdem mo- 320
dô discurrendum est, quô discurrimus in *§. 2. hujus sect.* de Lege pœnali in genere. Petschacher *cit. quæst. 5. art. 3. §. 174.* Mezger *d. art. 3. n.*
8. De Lege purè irritante dispiciendum est, an 321
jubeat actum irritari, rescindi, evacuari; an per semetipsam actum irritum & nullum declaret. Primò casu frustra iret non obligantem sententiam, quemadmodùm de Lege pœnali ferendæ sententiæ memoratò locô conclusum est: hujusque exempla extant in *l. ait prætor 1. l. si mulier 21. §. ult. & passim. ff. & Cod. quod metûs causâ l. rem majoris pretii 2. l. si dolo 5 Cod. de Rescind. Vendit. Nov. 115. cap. 3. circa fin.* Secundô casu quid dicendum sit, sequentes conclusiones palàm facient. Interim

Adverto III. Legibus irritantibus subinde con- 322
jungi prohibitionem tacitam vel expressam actûs irritabilis; subinde solam irritationem absque prohibitione poni. *Expressa* prohibitio conjungitur, quando actus ab initio prohibetur, deinde, si factus fuerit, etiam irritatur. Hâc ratione Concil. Trid. *sess. 25. de Regular. cap. 15.* Professionem Religiosam ante completum probationis & anni 16. spatium, vetat fieri, factamque aut faciendam irritat. *Tacita* prohibitio connectitur, 323
quando actus ex objecto suo talis est, ut vel solùm velle actum facere, quando validè fieri non potest, involvat aliquam turpitudinem; vel ratione materiæ sacræ, ut si quis vellet efficere sacram actionem modô irritô; vel ratione Religionis, ut si quis explicatô modô ante legitimam ætatem vel exactum Novitiatûs annum Vota solemnia nuncupare attentet; vel ratione injustitiæ, ut si electio contra formam à Jure Canonico præscriptam, instituatur. Post hæc

Dico I. Quando Lex irritans expressam vel taci- 324
tam prohibitionem habet annexam, obligat in conscientia ad omissionem actûs; secus, non obligat. Sic quoad rem statuunt Suarez *d. l. 5. cap. 20. à num. 4.* Pettschacher *d. quæst. 5. §. 182. q. 4.* Mezger *d. art. 3. n. 6.* Palao *de* LL. *disp. 2. punct. 11. n. 1. & seqq.* Ratio primæ partis est: quia, facere actum contra 325
Legem prohibentem, est facere actum peccaminosum. Ergo facere actum contra Legem irritantem, cui tacita vel expressa prohibitio conjugata est, est facere actum peccaminosum. Ergo talis Lex obligat in conscientia ad omissionem actûs. Ex quo

Colligitur I. contrahere matrimonium clandesti- 326
nè, vel cum alio impedimento dirimente, esse illicitum: nam Lex Divina prohibet, ne materia & forma Sacramenti periculo nullitatis & irreverentiæ exponatur, uti in administratione aliorum Sacramentorum conspicitur. II. Professionem Religiosam non tantùm invalidè, sed etiam illicitè fieri ante legitimam ætatem: quia DEO per invalida Vota illudere velle, grave sacrilegium est. III. electionem sine forma canonica attentare, similiter & nul-

nullitati & culpæ obnoxium esse: nam electores ex
officio & justitia tenentur electionem validam adornare;
sicque eligendò nulliter contra officium & justitiam peccant.
327 Ratio secundæ partis est: quia Lex non præceptiva
aut prohibitiva non obligat in conscientia determinatè
ad actum; sicut ex §. 2. notum est. Ergo,
si Lex irritans nullam prohibitionem contineat,
non obligat ad omissionem actûs irritabilis. Unde
328 Sequitur I. non peccare, qui testamentum condit,
quod solemnitatibus caret; atque ob hanc carentiam
est invalidum. II. non delinquere, qui ultra
500. solidos invalidè (quia sinè insinuatione) donat.
III. non offendere DEUM vel Rempublicam, qui
sinè verborum scrupulosa solemnitate, adeòque nulliter,
stipulatur. Hi namque & alii actus nec tacitè,
nec expressè prohibiti reperiuntur.
329 Dico II. Quando Lex est simpliciter irritans, ante
sententiam in tantùm obligat in conscientia, ut ex
actu invalido nullum commodum vel emolumentum
percipere liceat. Ita quoad sensum docent Suarez *d.
l. 5. cap.* 24. *n.* 4. *& seqq.* Mezger *d. art.* 3. *num.* 7.
330 *&* 9. Engel *de constitut. n.* 54. *& seqq.* Ratio triplex
est I. Lex simpliciter irritans est vera Lex; adeòque
vim obligandi habet in conscientia. Sed ex n. 324.
non obligat ad omissionem actûs irritabilis per se. Ergo
obligat ad non percipiendum commodum ex actu,
331 si invalidè ponatur. Secunda: actus, simpliciter irritatus,
perinde habetur in genere morali & in ordine
ad humanum commercium, ac si nunquàm esset
positus: ideò enim Legibus irritantibus adjicitur
clausulæ: *pro infecto, pro imperfecto, pro nullo &c.*
quia actus adversi non considerantur, tanquàm
in rerum natura existentes. Atqui, si actus nunquam
fuisset positus, v. g. contractus nunquàm initus,
non posset quispiam ex contractu aliquid juris
aut commodi sibi arrogare. Ergo nec tum juris
aut commodi quidquam lucrari potest, quando con-
332 tractus & actus simpliciter est irritatus. Tertia: ad
omnem actum, ut valeat, subsistat, & operetur effectus
juridicos, voluntas simul & potentia concurrat,
necesse est. Textus elegans in *cap. cùm super*
23. *in fine de Off. & pot. Jud. deleg.* & pulchra instantia
ex rebus physicis, ubi experimentô discimus,
ex sola voluntate non moveri lapidem, si pondus virium
potestati resistat. Ergo, tametsi quis actum
Lege irritatum celebrare velit, non poterit tamen
aliquem effectum juridicum producere, ratione cujus
ex actu invalido vel leve commodum percipere
liceat: quia Lex resistit, ac voluntatem reddit im-
333 potentem & inefficacem. Neque ambigendum, Legi
& Legislatori, cui voluntates subditorum subordinatæ
& subjectæ sunt, facultatem annullandi contractus
& actus voluntaria competere; id enim clarescit
ex Concil. Trid. *d. sess.* 24. *de reform. matrim.
cap.* 1. Ut conclusio, generalibus terminis proposita,
per casus & exempla lucem & robur capiat,
334 Infero I. hæredem, in testamento insolenni invalidè
institutum, non posse tutâ conscientiâ hæreditatem
vel adire, vel aditam retinere. Si enim textus
in *§. ex eo autem* 7. *& §.* 8. *Inst. quib. mod. test. infirm.
l. ex imperfecto* 23. *ff. de Leg.* 3. *l. hâc consultissima*
21. *in fine pr. & §.* 1. *Cod. de Testam. l. fideicommissum*
7. *Cod. de Condict. indeb. l. si post* 4. *l. cùm testamentum*
8. *Cod. de Juris & facti ignor.* profundius
inspiciantur; pronum & planum erit judicare, testamenta
insolemnia omni valore, robore, & efficaciâ
fuisse destituta; adeò quidem, ut nec Principem
exinde legatum capere; &, si legatum errore facti
sit præstitum, hæres condicere possit. Covarruv.
in *cap. cùm esses* 10. *de Testam. num.*
12. *& seqq.* P. Paulus Mezger *cit. l. n.* 9. P. Engel
d. t. à num. 54. P. Haunold de *I. & I. tr.* 6. *n.* 20.
& seqq. Struv. *ad ff. Exercit.* 32. *th.* 16. Gletle *part.*
5. *quæst.* 2. *n.* 4. Clariss. D. P. Joannes Baptista Ebberth.
part. 2. *controv.* 19. Neque dubium movet, 335
quòd æquè plures sint, qui defendant, testamentum
in foro animæ subsistere, in specie Molina *de I.
& I. disp.* 81. *n.* 16. *& seqq.* Lessius *de I. & I. l.* 2.
cap. 19. *dubit.* 3. *num.* 13. *& seqq.* Fachinæus *lib.* 4.
controv. cap. 5. Zoës. ad *tit. ff. qui test. fac. poss.* n.
43. Horum enim argumentis ex *l. non dubium* 16. 336
§. 1. *Cod. de Testam. l. etsi* 2. *Cod. de Fideicommiss.*
facilè satisfit, dicendô, non competere repetitionem
eorum, quæ ex testamento imperfecto ab hærede
sciente, & ultrò agnoscente voluntatem defuncti,
soluta sunt: quia donata fuisse præsumuntur. Quòd
verò aliqui putent, Leges testamentarias esse fundatas
in præsumptione, ex doctrina, *à n.* 301. explicatâ,
distinctionem & solutionem recipit.
Infero II. alienationem rerum Ecclesiasticarum, 337
absque Canonica solemnitate susceptam, non tribuere
accipienti potestatem, easdem res in foro animæ
retinendi. Covarruv. *Var. resol. lib.* 2. *c.* 17. *num.*
1. *&* 2. P. Engel *d. l. num.* 58. P. König ad *tit. de
Reb. Eccles. non alienand. num.* 30. *in fine.* Siquidem
in *cap. hoc consultissimo* 1. *d. tit.* in 6. Gregorius X.
alienationes insolennes *adeò viribus carere*, decernit,
*ut nec jus aliquod tribuant, nec præscribendi
etiam causam parent.* Gregorio suffragatur Paulus 338
II. qui in *Extravag. ambitiosæ eôd. t. inter commun.*
non solùm alienationes istas *nullius omninò roboris
vel momenti esse*, declarat, sed excommunicationis
sententiam tam in eos, qui alienant, quàm in illos,
qui res alienatas recipiunt, promulgat. Quod sanè
non potuisset, aut voluisset Pontifex, si recipiens in
conscientia securus esset: cùm ex recepta sententia
non liget excommunicatio, nisi peccatum mortale
præcesserit. Dissentiunt multi cum Sylvestro *V. alienatio
num.* 13. P. Pirhing ad *cit. tit. num.* 46. P.
Wiestner *ib. num.* 91. Quorum fundamenta ex præcedentibus
rationibus *à n.* 324. evertenda sunt.
Infero III. Prælatum Ecclesiasticum, non ritè 339
electum, non posse retinere munus, sibi delatum,
esto cæteroquin dignus sit. Suarez *d. l.* 5. *cap.* 24.
n. 9. Engel *d. l. n.* 58. Nam in *cap. quia propter* 42.
de Elect. electio aliter, quàm ibi præscriptum est,
facta, non valere dicitur. Similiter in Concil. Trid. 340
sess. 25. *de Regular. cap.* 6. posquàm de Electionibus
Regularium S. Synodus decreverat, ut *per vota
secreta fiant, singulorum eligentium nomina nunquàm
publicentur, voces & suffragia absentium per
præsentes Superiores non suppleantur*, subjungitur:
*si verò contra hujus decreti constitutionem aliquis electus
fuerit, electio irrita sit; & is, qui ad hunc effectum
se in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari
permiserit, deinceps ad omnia officia, in Religione
obeunda, inhabilis existat &c.* Præterea in *cap.* 341
innotuit 20. *d. t.* abundè insinuat Innocentius
III. electum invalidè, ob impedimentum legitimorum
natalium, absque dispensatione dignitatem
oblatam, salvâ conscientiâ, acceptare non posse.
Estque communis sententia, talem electionem ipsô
Jure nullam esse, prout in terminis tradunt Ascanius
Tamburinus *de Jure Abbat. tom.* 2. *disput.*
5. *quæst.* 5. *num.* 4. *& quæst.* 22. *per tot.* Barbosa
in collectan. ad d. c. quia propter de Elect. num.
30. Fagnanus *ad id. cap. num.* 1. *& seqq.* Gonzalez
ibid. num. 8. Licèt sententia contraria probabilis
sit, ac frequenti DD. calculô comprobata,
uti videre est apud P. Wiestner ad *cit. tit. n.*
192. & Passerinum *de Elect. cap.* 9. *n.* 33.

§. V.

§. V.

Quomodò obligent Regulæ SS. Ordinum?

342 Ordinum Religiosorum Patriarchæ, ut certiùs &
compendiosiùs suos clientes ad perfectionem chari-
tatis, quæ omnium mortalium scopus & centrum est,
perducerent, præter Leges communes, Divinas &
Ecclesiasticas, peculiares quasdam Ordinationes &
Regulas, veluti tritissimos & securissimos tramites,
343 constituerunt. Has inter quatuor duntaxat antiqui-
tus erant approbatæ Regulæ, Basilii, Benedicti, Au-
gustini, Francisci; iis verò tractu temporis acces-
sere plures, quemadmodùm constat de Constitutio-
nibus PP. Societatis JESU, de quibus & aliis Religio-
sorum statutis eruditè scripsit noster Ascanius Tam-
burinus *de Jure Abbatum tom.* 2. *disp.* 24. *quæst.* 3.
4. 5. 6. 7. 8. & Clariss. D. P. Wex in *Epitome Canon.
de Prælat. Regular. parte* 1. *cap.* 2. §. 2. *à n.* 9.
344 Quam obligandi vim contineant memoratæ Reli-
giosorum Ordinum Regulæ? Quærere, & discu-
tere amant, tam illi, qui Regulas commentariis
illustrant, quàm alii, qui de Legibus generatim
tractant. Horum vestigiis insistere, quamve virtutem
& energiam obligativam præcipuæ Regulæ inclu-
345 dant, demonstrare lubet. Et quidem, ut à Regula
S. Basilii ducam exordium, illa singulari elogiô unà
cum Authore extollitur à D. Benedicto sub finem
suæ Regulæ, quòd sit bene viventium & obedien-
tium Monachorum exemplar & norma: ex quo con-
sectaneum videri posset, illam Regulam ad instar alia-
rum Legum, quarum ibidem est mentio, obligare.
Quia tamen, exceptâ Hispaniâ, pauci hodie reperi-
untur alibi Basiliani, ut notat Illustriss. Caramuel
Theol. Regular. part. 4. *n.* 1889. huic negotio me
non immiscen.
346 De Regula D. Augustini sentit Hugo Victorinus
apud *cit.* Caramuelem *part.* 5. *n.* 1897. illius ordina-
tiones morales esse, atque in conscientia obligatorias.
Nam ad illa verba Regulæ *cap.* 1. *hæc igitur sunt, quæ,
ut observetis in Monasterio constituti, præcipimus*; ita
scribit memoratus Expositor: „ Audiamus ergo sa-
„ cra præcepta pii Domini; & memores simul man-
„ datorum ipsius ad faciendum ea. Quia, sicut dicit
beatus Jacobus: *si quis in Lege perfectæ perspexerit
libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus
factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.*
Et Dominus in Evangelio: *beati, qui audiunt Ver-
bum DEI, & custodiunt illud.*
347 Verùm, quia hæc loquendi ratio supponit, singu-
la Regulæ Augustinianæ capita ad Legem Divinam
spectare: è contrario autem constat, plura in eadem
Regula inveniri, quæ humanâ Authoritate sunt or-
dinata: hinc verosimilius cũ allegato Caramuele arbi-
tror, extra materiã Votorum & præceptorum Divino-
rũ, Regulam D. Augustini ad actum in conscientia non
348 obligare. Hocque arbitramentum stabiliri potest ex
cap. ult. Reg. ubi S. Pater sic concludit: *Donet Do-
minus, ut observetis hæc omnia, tanquàm spiritualis
pulchritudinis amatores, & bonô Christi odore de bo-
na conversatione fragrantes: non sicut servi sub Lege* (er-
go non cum onere & jugo tot obligationum) *sed si-
cut liberi sub gratia constituti.* Pro cujus confirma-
tione servient opportunè, quæ posteà de Regula Be-
nedictina producentur in medium.
349 Regulam S. Francisci Patris Seraphici obligare in
conscientia sub mortali toties, quoties verba illius
continent præceptum formale aut virtuale seu æqui-
pollens, liquet ex declaratione Clementis V. in *Clem.
exivi* 1. *de V. S.* Emmanuel Rodriquez *Quæst. Re-
gular. tom.* 1. *quæst.* 11. *art.* 7. Cùmque talis præci-
piendi modus 251 vicibus in memorata Regula oc-
currat, 25. casus sunt, in quibus obligatio sub mor-
tali contrahitur. Vide allegatum Caramuelem *Theol.
Regul. part.* 6. *à n.* 1997.
De Constitutionibus Regularibus Societatis JESU, 350
quòd in conscientia ad nullam culpam obligent, at-
testatur P. Amicus *de LL. disp.* 5. *sect.* 7. *in init.*
quin & in 6. *part. constitut. cap.* 5 *in fine* definitum
esse, refert P. Palao de *LL. disp.* 1. *punct.* 9. *n. ult.*
quòd nulla Superiorum præcepta, quantumcùnque
rigorosè prolata, stringant in conscientia, nisi addan-
tur verba: *in virtute Obedientiæ, vel in virtute Spi-
ritûs Sancti.*
Circa Regulam S. Benedicti non una omnium mens 351
& sensus est. Nonnulli, sed paucissimi, usque adeò
rigidi esse referuntur, ut Regulam sub mortali,
extra materiam Votorum, obligare, contendant.
Contra quos, nullâ solidâ ratione armatos, vel unica
illa D. Thomæ sententia fortiter militat: *stultum es-
set, putare, quòd Monachus, frangens silentium post
completorium, peccaret mortaliter, nisi faceret hoc for-
tè contra præceptum Prælati, vel ex contemptu Regu-
læ.* Alii, & satis multi, definiunt, Regulam extra Vo- 352
torum materiam obligare sub veniali; ex quorum nu-
mero legitur fuisse Abbas *in cap. relatum 7. ne Cleri-
ci vel Monachi num. ult.* Tamburinus *de Jure Abbat.
tom.* 3. *quæst.* 4. Hefftenus *Lib.* 2. *tr.* 8. *disquis.* 1. *pro-
pos.* 2. quibus novissimè accesserunt Reverendiss.
Guetratiher *Instit. Canon. Lib.* 2. *tit.* 3. *num.* 63. Exi-
mius P. Joannes Evangelista Ruttner in *Thesibus
Theol.* sub titulo: *Flos Campi* editis, *quæst.* 13. Ha-
bent pro se argumenta non modica, à *num.* 366. ad-
ducenda. Non pauciores, si non plures, asseverant, 353
Regulam, extra Votorum materiam non obligare per
se loquendô sub veniali. Ex his legi Illustriss. Joan-
nem Caramuel *cit. Theol. Regul. part.* 1. *disp.* 7. *art.*
2. *&* 3. Illustriss. August. Reding de *LL. q.* 16. *a.*
3. *controv.* 2. Reverendiss. Antonium Perez in *com-
ment. Regul. in præl. divis.* 5. Clariss. P. Paulum Mez-
ger *cit. loc. art.* 1. *num.* 9. Eximium P. Alphonsum
Wenzl *de LL. quæst.* 4. §. 4. *in Coroll.* Cum quibus
& ego sentio, ac
Dico II. Regula S. Benedicti, extra materiam 354
Votorum substantialium, non obligat per se loquen-
dô sub veniali. Probari potest conclusio I. ex ratio-
ne Caramuelis *cit. l. num.* 89. Religiosi Benedictini
non promittunt obedire Regulæ, sed Prælato: nam
juxta formulam Professionis, ab ipso S. Patre in *cap.*
58. *Reg.* præscriptam, ita profitentur: *Ego N. pro-
mitto stabilitatem, conversionem morum meorum, &
obedientiam secundùm Regulam S. Benedicti.* Idque 355
mellifluus Interpres Bernardus de *præcept. cap.* 7.
exponens: *sic se,* inquit, *habet Professio: Promitto non
quidem Regulam, sed obedientiam secundùm Regulam
S. Benedicti.* Ergo vi Professionis Religiosi Bene-
dictini non tenentur servare Regulam, sed se conver-
tere, ac obedire secundùm Regulam, ubi Superior
mandaverit. Ergo, si Regulam transgrediantur,
non peccant in conscientia. Hinc præcitatus Cla- 356
revallensis Abbas *d. l. cap.* 11. *cætera,* ait, *quæ levio-
ra dicuntur: ex his verbi gratiâ dico esse, vel risum
interdictum, vel indictum silentium. Hæc siquidem si
contra mandatum non veniant, peccata non sunt: acce-
dente autem mandato, si quo minùs observentur, in pec-
catum reputantur, non tamen in crimen.*
Probari potest II ex alia ratione Caramuelis *n.* 88. 357
Si daretur in Regula præceptum aliquod, obligans
in foro interiori, esset maximè illud, quod de absti-
nentia carnium exponitur *cap.* 39. Atqui hoc est
consilium, non præceptum. Nulla igitur in Regula
sunt præcepta. min. prob. si daretur præceptum de
jejunio, id obligaret in Ordine sub peccato mortali.
Atqui jejunium & abstinentia Regularis in ordine
Benedictinorum non obligant ad culpam gravem in
omnium

omnium opinione. Ergo non datur de jejunio & abstinentia sanctio præceptiva in Regula. maj. prop. ex præcepto & materia gravi nascitur obligatio sub peccato mortali. Atqui hic materia est gravis: quia etiam jejunia Ecclesiæ sunt materia gravis, & obligant sub gravi. Ergo, quia Regula quoad jejunium non obligat sub gravi, signum est, Legem illam potiùs esse consultivam, quàm præceptivam.

358 Probari potest III. ex fundamento Redingii. Si Regula obligaret in conscientia, id proveniret vel ex virtute Jurisdictionis, vel ex vi Professionis. Non primum: quia S. Pater, dum Regulam, dictante Spiritu S. partim in Sublaco, partim in Monte Cassino concinnavit, necdum habebat Jurisdictionem Ecclesiasticam. Et, licèt à SS. Pontificibus postmodùm confirmata sit Regula, attamen non tam novam obligandi virtutem, quàm approbationem & encomium, quòd rectissima & certissima piè
359 beatèque vivendi sit norma, accepit. Non secundum: quia ut in prima ratione probatum est, professio non obligat ad Regulam, sed secundùm Regulam.

360 Probatur IV. Quando verba aut præceptiva non sunt, aut dubia, aut aliunde de mente Legislatoris, spectatis omnibus, sufficienter non constat, tunc benignior interpretatio facienda, & potiùs delenda quàm adstruenda est obligatio ex dictis in *n.* 126. *& seq.* ac *n.* 266. *& seq.* Atqui verba Sacræ Regulæ aut præceptiva non sunt, aut dubia, aut saltem de mente Sacri Legislatoris sufficienter non constat, quòd obligationem in foro animæ imponere
361 voluerit. Ergo &c. Prob. min. Verba Sacræ Regulæ in plerisque constitutionibus & capitulis vel sunt purè pœnalia, vel disjunctivè mixta, vel in imperativo modo concepta, uti sedulo Lectori grave non erit indagare: neque perscrutanti singulos apices, extra materiam Votorum aut Legis Divinæ, occurrent verba formaliter aut virtualiter præceptiva: v. g. jubeo, impero, mando, prohibeo, veto, teneantur &c. Ergo verba Sacræ Regulæ vel præ-
362 ceptiva non sunt, vel dubia. Qum & ipse discretissimus Pater noluit conscientiæ novos ponere laqueos, sed pœnam temporalem Regulæ transgressoribus sufficere credidit. Eâque de causa in *cap.* 46. dum enumerat excessus, contra Regularia statuta admissos, contraponit & distinguit illos peccatis animæ; neque illa, ut illos publicè corripi, sed in secreto Abbati vel spiritualibus Senioribus patefieri cupit.

363 Sunt igitur Regulæ nostræ constitutiones aut simplices Religiosæ perfectionis ordinationes; aut Leges partim purè pœnales, partim mixtæ, obligantes transgressorem ad pœnam, in conscientia post sententiam Prælati subeundam: debentque, advertente Caramuele *cit. l. n.* 98. explicari in sensu hypothetico: *aut facias ea, quæ constituta sunt in Regula, aut, si non feceris, disciplinæ Regulari subjaceas.*
364 Quod nemo meliùs percalluit, nemo clariùs & doctiùs dilucidavit, quam Princeps Regulæ Benedictinæ Scholiastes Bernardus de *præcept. cap.* 14. ubi sic loquitur: *Professus quisque, cùm in aliquo fortè Regularium mandatorum deliquerit, sed si ad remedium aquè Regulare confugerit, etsi convincitur transgressor mandati, non tamen pacti prævaricator. Solùm itaque censuerim, fregisse votum, violasse propositum, pactum prævaricâsse, qui peccatum contempserit, & remedium. Nam illum sanè dico securum, qui, etiamsi interdum obedientiæ limitem præterit, consiliū non respuit pœnitentiæ. Regulares namque terminos, etsi sæpe deliquerit, non evadit, qui censuræ, quæ ex*
365 *Regula est, disciplinam non subterfugit.* Utque fluctuantes ac pusillanimes Religiosorum animos præfatus Doctor erigeret, addit *eôd. loc. cap.* 15: *cui jam ita professo impossibile, imò per DEI gratiam valde perfacile est, cavere prævaricationem, ubi non inobedientia, sed impœnitentia facit prævaricationem? Hoc quippe (ut jam dixi) profitentium nemo spondet, ut non jam peccet, & ab hoc non continuò, ut quisquam aliquò modò non obedit, prævaricatorem se constituit: nisi, qui sic fortè se professum falsò existimat.*

Oppones I. Regula S. Benedicti habet omnes 366
conditiones, ad Legem propriè talem requisitas: est enim rationabilis, utilis, honesta, discreta, possibilis &c. Ergo, sicut aliæ Leges, obligat in conscientia. II. ubi sunt verba præceptiva vel prohi- 367
bitiva, neque Legislator expressè aut virtualiter ostendit voluntatem obligandi, ibi est obligatio in conscientia. Atqui in Regula S. Benedicti sunt verba præceptiva & prohibitiva: nam in prologo exordii locô ita perorat: *Ausculta ô Fili! præcepta Magistri.* Deinde in *cap.* 58. de Professionis Candidato habetur: *si habitâ deliberatione promiserit, se omnia custodire, & cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in Cogregatione.* Neque sanctissimus Præ- 368
ceptor expressè aut virtualiter ostendit voluntatem obligandi, quin potiùs in *eôd. prol.* dehortatus est: ne *malis actibus nostris contristemus DEUM*; sicque transgressores Regulares coram DEO quoque culpabiles esse, indicavit. III. in *cit. prol.* insinuat D. 369
Patriarcha, *quod nihil asperum, nihilque grave constituere velit*; nihilominùs, *si quid paululum restrictiùs, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, vel conservationem charitatis processerit*, monet recens ad Religionem conversum Tyronam & Filium, ne *illico pavore perterritus refugiat viam salutis, quæ non nisi angustô initiô incipienda &c.* Adeóque apertè significat, mediâ & regiâ viâ se progressurum, non declinandô ad graves conscientiæ obligationes, sed intra limites venialium culparum manendô. IV. in *cap. relatam* 7. *Ne Clerici vel Mo-* 370
nachi &c. facta relatione, quòd *Monachi de N. vivant sæcularitèr, & alios exemplô corrumpant*, mandat Alexander III. Londoniensi Episcopo, *quatenus eos ad observantiam Regulæ, appellatione remotâ, compellat.* V. hæc sententia videtur nimiùm 371
laxa, ac contra morem, quô solent instrui Novitii in Tyrocinio Religioso, defendi.

Resp. ad I. Regulam nostram habere omnes 372
conditiones, ad Legem requisitas, præter voluntatem & potestatem obligandi in conscientia. Rationes jam dedimus.

Ad II. triplex est responsio. I. quòd Regula 373
contineat præcepta tum Naturalia tum Divina, non quidem *formaliter*, quasi videlicèt ipsa Regula ejusmodi præcepta primitùs adinvenisset; sed *materialiter*, quasi aliunde jam tradita, ac hominibus sæcularibus etiam præscripta, singulariter à Religiosis observanda proponat. II. Quòd præ- 374
cepta, quorum meminit S. Pater, non sint in Regula, sed secundùm Regulam. Volo dicere: Abbatem posse præcipere cuncta, quæ ordinantur in Regula; nec posse Religiosum, qui vovit obedientiam, simile præceptum recusare. III. quòd præ- 375
cepta Regulæ quà talia non sint simpliciter præceptiva, sed vel merè pœnalia, vel disjunctivè mixta seu hypothetica. Quàcunque verò responsione uti libuerit, fiet oppositioni satis. Quòd autem moneamur, ne malis actibus nostris contristemus DEUM, non de actibus, qui præcisè Regularibus statutis, sed Votis aut præceptis Divinis adversantur, exaudiri debet, uti contextus & connexio materiæ probat.

Ad III. Resp. mediam & regiam viam, quam 376
tenuit Legifer noster, esse virtutem discretionis; quâ exercitia, functiones, & correctiones Regularium tam dextrè moderari & temperare voluit, ut &

nimium rigorem evitaret, & tamen disciplinæ Regularis vigorem conservaret. Nihil ergo de obligatione in conscientia, nihil de culpa veniali statuere intendit, probè gnarus, non solùm vitia emendari, si occasiones peccandi, quantumvis remotæ, statutis pœnalibus præscindantur; sed etiam charitatem conservari, si, quod negligentiâ commissum est, pœnitentiâ & humilitate resarcitur. Unde sæpiùs adductus Bernardus, *inveniuntur*, ait, *in ea* (Regulâ) & *præcepta obedientiæ, & inobedientiæ remedia, ut ne peccandô* (id est, non observandô) *à Regula recedatur.*

377 Ad IV. Resp. Monachos ad observantiam Regulæ compellendos esse, tam ab ipso Abbate, cui per viam obedientiæ secundùm Regulam subditos sibi filios ad perfectionis orbitam manuducere incumbit; quàm illius Superiore, qui negligentias
378 inferiorum supplere tenetur. Cæterum ille textus ex *cap. relatum* est extra rhombum: utpote cùm de substantialium Votorum observantiâ, ac de Monachis, à sæculari & scandalosa vita ad Religiosam traducendis, loquatur; uti vel obiter consideranti pervium & perspicuum erit.

379 Ad ultimum Resp. Caramuel, hanc doctrinam esse probabilissimam, & nihil alterare practicè: Abbas enim, qui velit Religiosos suos moraliter ad Regulæ observantiam teneri, potest mentem suam explicare, & facere, ut Regula obstringat conscien-
380 tias. Interim, cùm in ipsa Regula sint multa consilia & pia monita, quemadmodum in prima prologi periodô indicatur in *v. & admonitiones pii Patris libenter excipe &c.* nequit Prælatus præcipere, quod nec Regula præcepit, sed consulit tantùm, aut monet. Confer Caramuelem *cit. loc.* n. 97.

381 Dixi tamen in conclusione I. *extra materiam Votorum.* Quòd enim transgressio Votorum essentialium peccaminosa sit, ac juxta qualitatem subjectæ materiæ gravis vel levis, in omnibus Religiosis Ordinibus pro certa & catholica veritate habetur. Et ideò, dum D. Benedictus in *cap.* 58. de solemnibus Votis *coram DEO & Sanctis ejus* emittendis egerat, mox subdidit: *ut si aliquando* (professus) *aliter fecerit, à DEO se damnandum sciat, quem irridet.*

382 Dixi II. *per se loquendô.* Nam quia Votum Conversionis, quô Religiosus Benedictinus mores secundùm Regulam reformare promisit, obligat eundem ad habendam voluntatem conformiter Regulæ vivendi: hinc est, quòd Religiosus aut moraliter peccet, si Regularia statuta contemnat; aut venialiter, si absque causa rationabili & altioris virtutis dictamine illa transgrediatur: vel quia talis transgressio erit actus otiosus; vel quia remotè saltem & indirectè disponet ad contemptum Regulæ. Videatur P. Paulus Mezger *cit. à.* 1. *n.* 10. & Antonius Perez *cit. div.* 5. *n.* 122. *& seqq.*

§. VI.

Quanta, & quàm rigorosa sit Legis obligatio?

383 Hactenùs de Legis obligatione in conscientia, quatenùs vel actum vel pœnam respicit, disputavimus. Excutiendum restat, quanta, & quàm rigorosa sit Legis obligatio? Sive: quaenam obligatio sit gravis, aut levis? &, obligetne Lex cum gravi dispendio aut periculo? In prima quæstione

384 Conveniunt DD. I. quòd gravitas obligationis sit mensuranda à gravitate materiæ; adeò ut, si materia sit gravis, gravis etiam obligatio per Legem inducta censeatur; sin materia sit levis, levis quoque obligatio imposita videatur. Ratio est: quia ad eum ferè modum, quô obligatio dicitur esse fundamentum pœnæ, materia est fundamentum & radix obligationis. Sicut ergo inter obligationem & pœnam proportio intercedat, necesse est: sic etiam inter materiam & obligationem. Ergo, sicut obligatio seu culpa gravis recipit pœnam gravem, levis levem; sic materia gravis recipit obligationem gravem, levis levem.

Conveniunt II. gravitatem materiæ non tantùm 385
desumi ex latitudine propria in suo genere & objecto; sed etiam & præcipuè ex habitudine & connexione, quam habet in ordine ad finem, à Legislatore intentum. Cùm enim materia non cadat sub Legem, nisi prout substat fini, per Legislatorem intento: hinc neque recipit obligationem gravem vel levem, nisi gravis vel levis obligatio ad finem Legislatoris graviter vel leviter conducere videatur. E. G. comestio pomi, iuxta genus & objec- 386
tum comestionis spectata; item commixtio aquæ modicissimæ cum vino, intra sphæram mixtionis considerata; leves materiæ sunt: quatenùs tamen comestio pomi, Adamo prohibita, substabat fini Legislatoris Divini, ut nempe deserviret in protestationem dominii ex parte Creatoris, & signum subjectionis ex parte creaturæ; quatenùs etiam commixtio aquæ cum vino, in Sacrificio Missæ præcepta, deservit ad repræsentandum Mysterium tremendi Sacrificii & Sacramenti Altaris; sic & comestio & commixtio constituunt materiam gravem. Unde materia, ex se materialiter gravis vel levis, ex subordinatione ad finem, formaliter gravis aut levis evadit.

Conveniunt III. ad intelligendum, censueritne 387
Legislator, materiam ad finem, à se intentum, sub obligatione gravi vel levi præcipi debere, tum verba, tum pœnam, tum consuetudinem, spectanda esse. *Verba*: quia internorum sensuum arcana pandunt. Unde, si dicat: *prohibeo sub interminatione Divini Judicii, sub Indignatione DEI & Sanctorum, in virtute S. obedientiæ &c.* prudentes judicamus, obligationem gravem esse. *Pœna*: nam, ut, habet Juris 388
peritorum maxima, tantum est malū passionis, quantum erat malum actionis; sive pœna proportionatur culpæ. Revideantur tamen dicta in *n.* 267. *Con-* 389
suetudo: sicut enim Legis, sic obligationis Legalis, sincerissima & certissima est interpres.

Conveniunt IV. materiam levem non recipere 390
obligationem gravem. Ratio est: quia obligatio gravis non recipitur, nisi in subjecto capaci. Sed materia levis non est subjectum capax obligationis gravis, hôc ipsô, quòd aut honestati, aut fini, à Legislatore intento, graviter non repugnare supponatur. Ergo &c. Sed

Disconveniunt, ac summoperè concertant: an 391
materia gravis nequeat recipere levem obligationem? Affirmat enim Suarez *Lib.* 3. *de LL. cap.* 27. *n.* 7. Gibalinus *Scientiæ Canon. Lib.* 4. *cap.* 8. §. 3. Pettschacher de *LL. q.* 3. *art.* 5. *concl.* 2. Gletle *p.* 1. *ff. q.* 3. *n.* 11. Negant San-Gallenses *Sect.* 3. *q.* 1. Azor, Vasquez, Reginaldus, & alii. Distinguunt Clariss. P. Mezger *cit. disp.* 35. *art.* 5. *num.* 16. Eximius P. Wenzl de *LL. quæst.* 4. §. 4. *post resol.* 5. hisque patrocinari videtur Reverendiss. & Magnific. Stadlmayr de *LL. cap.* 4. *th.* 4. ac materiam materialiter gravem sub obligatione levi præcipi posse, concedunt; materiam verò formaliter gravem sic imperari posse, inficiantur. Cum his & ego distinguo, ac

Dico I. Si materia materialiter sit gravis, potest 392
recipere levem obligationem; secus, si formaliter gravis sit. Ratio est: quia materia, quantùmcunque ex objecto suo gravis, non cadit sub obligationem Legis, nisi quatenùs tanquàm medium substat fini, per Legislatorem intento. Ergo, si Legislator videat,

videat, non expedire ad finem, à se iotentum, ut
materia de se gravis cum gravi obligatione præci-
piatur, fortè quòd subditi ob nimiam proclivitatem
contra illam materiam frequeotissimè peccaturi præ-
videantur, poterit attemperare obligationem, ac
393 materiam gravem sub veniali præcipere. E cootra
si Legislator perpendat, omninò exigere salutem
Reipublicæ, ut materia de se gravis sub mortali
præcipiatur, ex justitiâ Legali debebit obligatio-
nem gravem injungere: cùm aliàs bonum publicum,
ad cujus consecutionem potestas Legislativa per se
tendit, magis perderet, quàm promoveret.

394 Quoad alteram quæstionem similiter satis certum
est I. Legem Naturalem obligare cum periculo
vitæ, quando res præcepta continet absolutam &
iotrinsecam turpitudinem, vel inhonestatem. Cùm
enim, quod ab intrinseco turpe est, nullâ circum-
stantiâ cohonestari possit, nullô quoque tempore,
tametsi periculum mortis immineat, honestè & lici-
tè fieri potest. Palao de *LL. disp. 1. punct.* 116. n. 3.

395 Certum est II. Legem Naturalem non obligare
cum periculo gravi, quando res præcepta non ab-
solutam, sed conditionatam inhonestatem vel turpi-
tudinem continet. E. G. tametsi reddere deposi-
tum, restituere debitum, tenere secretum naturale,
ex Jure Naturæ teneamur: nihilominùs, quia Jus
Naturæ ad similes actus non obligat absolutè, sed
conditionatè, suppositâ videlicèt liberâ obligandi
voluntate: hinc, instante mortis periculô, ad eos-
dem actus non obligamur: eò quod ex præsumpta
mente paciscentium credibile non sit, quempiam se
voluisse cum tanto rigore obligare. P. Paul. Mez-
ger *d. art. 4. n. 19.*

396 Certum est III. contra Cajetaoum & quosdam,
à Suarez *d. l. 3. c. 30. n* 3. citatos: Legem positivam,
Divinam & humanam, licèt obligare possit cum pe-
riculo vitæ, non tamen semper ita obligare. Quam-
vis enim DEUS Opt. Max. vitæ & corporum no-
strorum sit absolutus Dominus, ac Reipublicæ jus
in vitam & membra hominum indulserit: attamen
nec DEUS, cujus natura bonitas & benignitas est,
tantô cum rigore semper obligare intendit, uti
coostat ex 1. *Reg.* 21. Matthæi *cap.* 11. v. 29. & *cap.*
397 12. v. 3. *& seqq.* nec Respublica, cujus dominium
oon absolutum, sed restrictum est, potest tantâ cum
severitate Leges suas exasperare, ut pote quæ non
essent commensuratæ fragilitati subditorum. Un-
de in *cap. consilium 2. de Observat. jejunior.* decre-
tum est, obligationem jejunandi in gravi necessi-
tate oon habere locum. Solùm ergo determinan-
dum superest, quandonam Lex Divina vel huma-
na cum periculo vitæ alteriusve gravis damni obli-
get? Ubi cum communi

398 Dico II. Quando magis conducit ad bonum
commune, Legem observari, quàm vitam conser-
vari, Lex obligat etiam cum periculo vitæ: quan-
do verò ad bonum commune magis conducit, vi-
tam propriam, quàm Legem servari, Lex ooo obli-
gat cum periculo. Ratio est: quia tamdiu stat Le-
gis obligatio, quàmdiu perdurat finis, qui est bo-
num commuoe. Ergo, si bonum commune flagi-
tet, ut Lex magis quàm vita propria aut fama cu-
stodiatur, Lex cum periculo vitæ aut famæ obli-
gat: si verò bonum commune id neutiquàm exigat,
399 cessat finis Legis, & cum fine obligatio. Hinc
est qoòd milites exponi in stationibus periculosis;
Sacerdotes ad Sacramenta, tempore pestis admini-
stranda, compelli possint. Hinc est, quòd cum
scandalo aut cootemptu Religionis diebus festivis
negligere Missam, exercere opera servilia, come-
dere carnes diebus jejuoii, ne quidem in gravi dis-
crimina liceat. Quia videlicèt bonum commune
flagitat, ot potiùs privatus, quàm Patria vel Re-
ligio patiatur. Quòdsi scandalum aot contemp- 400
tus absit, ac gravis necessitas occurrat, cessat Le-
gis ratio & obligatio. Consulantur Mezger *d. a.*
4. n. 19. & seqq. Pettschacher de *LL. quæst. 4. art. 8.*
§. 4. dubit. 1. f. 121. Wenzl *cit. loc. q. 4. §. 4. resol. 2.*

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Lex debet esse rationabilis.* 2. *& seqq. Sufficit rationabilitas negativa.* 5. *Assumitur paritas de consuetudine.* 6. *An lex declarativa egeat promulgatione? Ratio affirmandi.* 7. *& 8. Ratio negandi.* 9. *& seq. Temperatur controversia cum distinctione.* 11. *Secundùm aliquos Leges de tributis non obligant in conscientia.* 12. *& seqq. Defenditur sententia contraria.* 16. *Suppositô quòd tributa justè fuerint imposita.* 17. *Secus, ubi major probabilitas stat in oppositum.* 18. *De aliorum sententia remissivè.* 19. *& seqq. Referuntur argumenta negantium, quòd lex simpliciter irritans habeat locũ in foro conscientiæ.* 24. *& seqq. Refutantur singula sigillatim.* 29. *Regula S. Benedicti extra materiam votorum per se loquendo non obligat sub veniali.* 29. *& seqq. Variæ objectiones in contrarium referuntur.* 35. *& seqq. Ad omnes in specie respondetur.* 44. *Corollarium.*

QUÆSTIO I.

Quô sensu Lex debeat esse rationabilis?

LEgem debere esse rationabilem, traduot om- 1
nes, & coostat ex *hoc cap. n.* 61. An verò re-
quiratur rationabilitas positiva & specialis, ita ut
certa ac specifica causa aliqua subsit; an sufficiat ra-
tionabilitas negativa seu generalis, quâ solùm in-
ootescat, legem latam aut ferendam rectæ ratiooi
haud disconvenire, bonúmque publicum per eam
promoveri? Paululum indagare lubet. Oecurrit 2
autem ante omnia *l. non omnium 20. ff. de LL.* ex
qoa edocemur, oon omnium eorum, quæ à majo-
ribus oostris constituta sunt, rationem reddi posse:
rationem nempe (ut ego quidem opinor) certam ac
specialem, utpote quam Legislator oec semper ma-
nifestat, nec manifestare tenetur, dum, qui supe-
rior est, subditis ad ratiocinia danda ægrè se obli-
gari patitur. Adeoque noo obscurè colligitur, ad 3
legem sufficere rationabilitatem negativam, seo ra-
tionem generalem, quateoùs nempe dici oon po-
test, legem dictamini rectæ rationis, bonis mori-
bus, aut commodo publico repugnare. Qua de 4
causa in *l. prospexit 12. §. 1. ff. qui & à quibus manu-
missi &c.* statuitur, legem, etsi dura videatur, hôc
ipsô servandam esse, quòd ita sit scripta: uti &
ex eadem caosa dicere solemus, legem in dubio
præsumi rationabilem, ac utilitati publicæ profi-
cuam, proindeque à subditis, nisi contrarium ma-
nifestè compertum habeant, servaodam esse; prout
notatum est in hoc eodem *cap. num.* 62. Cujus 5
declarationem petere licet ex præsenti *tract. cap.*
ult. à *n.* 41. ubi de rationabilitate in consuetudioe,
quæ legis vim obtinet, simili ferè modô discurrimus.

QUÆSTIO II.

An Lex declarativa indigeat aliquâ promulgatione?

Ratio affirmandi est: quia, ut arguit P. Kri- 6
mer ad tit. *de Constitut. n.* 114. in quantum suâ de-
claratione Princeps vult omnes teneri ad legem
suam, io sensu à se declarato observandam, innovat
legem,

legem, anteà datam sub tali sensu: ergo, ut velit
communitatem per eum sub eo sensu obligari, sub-
stantialiter necessaria est promulgatio, quæ suffi-
ciat causare notitiam, vel culpabilem ignorantiam
7 ejus. Ratio negandi desumitur partim ex *cap. in
causis* 19. *de Sent. & re jud.* nec non *l. ult. in pr. &
§.* 1. *Cod. de LL.* ubi tam S. Pontifex quàm Impe-
rator mandat, ut, quæ ab ipsis eorumque supre-
mis Dicasteriis judicata sunt, à Judicibus inferio-
ribus per modum legis declaratoriæ recipiantur,
& in casibus similibus observentur, etsi nulla spe-
cialis promulgatio in ejusmodi rebus judicatis in-
8 terveniat: partim ex eo, quòd lex declaratoria non
sit lex propria, aliquid de novo agens aut consti-
tuens; indéque contra naturam legis ad actus præ-
teritos se extendat, &, num rectè sint positivi, ex-
ponat, ut dictum in præf. *cap.* 1. *n.* 191. conse-
quenter specialem promulgationem non desiderat.
9 Fortè dissidium hoc mediante distinctione com-
poni poterit, si dicatur, legem declarativam qui-
dem non indigere tam strictâ promulgatione, sicu-
ti lex ipsa primordialis, puta quòd in provinciis
10 aut cum aliqua solemnitate peragatur; attamen re-
quiri aliquam promulgationem minus strictam, id
est, qualemcunque voluntatis manifestationem, in-
tra vel extra judicium factam, in cujus notitiam si
quis quocunque modô devenerit, juxta declara-
tionem cognitam actus suos commensurare tenebi-
tur. Quo in sensu intelligenda sunt dicta a nobis
in hoc *tract. cap.* 5. *n.* 46.

QUÆSTIO III.

An Leges de solvendis tributis & vectigalibus obligent in conscientia?

11 Nonnulli apud Covarruviam in *relect. cap. pec-
catum de R. J. in* 6. *p.* 2. §. 5. *n.* 1. deflectunt in ne-
gativam, putantes, similes leges esse pœnales, at-
que in foro conscientiæ ad solam pœnam obliga-
re, si quæ imposita fuerit, postquam sententia Ju-
12 dicis præcessit. Plures verò defendunt affirmati-
vam, nominatim *cit.* Covarruv. *n.* 5. P. Engel ad
tit. de Constitution. n.46. Clariss. P. Schmalzgrueber
ad *tit. de Censib. num.* 98. Clariss. P. Soll de *Tri-
but. p.* 3. *cap. un. q.* 1. *num.* 262. Cui sententiæ ut
meum suffragium in ea hypothesi, quâ tributa &
vectigalia justè imponuntur, subjiciam, movent
me, quæ in mea *Jurisprud. publ. univers. lib.* 3.
13 *cap.* 3. *à n.* 83. latiùs deduxi: cùm enim Summa Po-
testas, aut, qui Reipublicæ præest, variis ex causis
tum tributa tum vectigalia imponere valeat; ex na-
tura correlativorum necessariò consurgit obligatio
justitiæ ex parte subditorum, è suo patrimonio
præstandi, aut solvendi, quod exactum aut impe-
ratum est juxta monitum & præceptum Apostoli
Rom. 13. ibi: *reddite ergo omnibus debita, cui tri-
14 butum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Neque enim
ejusmodi leges pœnales dici possunt, utpote, in ju-
stitia commutativa principaliter fundatæ, pœnam-
que in eum duntaxat finem sancientes, ut, qui ex
honestate virtutis obtemperare nolunt, formidine
15 supplicii aut mulctæ adigantur; nisi (veluti cum aliis
limitat Clariss. P. Soll *d. l. n.*265. *& seq.*) aut leges,
imponentes vectigalia vel tributa verbis minimè
præceptivis concipiantur v. g. qui vectigal vel tri-
butum non solverit, dabit duplum, quo in casu
lex purè pœnalis erit, vel dubiè præceptiva, sic-
que in foro conscientiæ ad actum non obligatoria
ex dictis in hoc *cap. à num.* 244. aut consuetudo,
optima legum & obligationum legalium Interpres,
declaret, ejus generis leges ad solam pœnam sub-
ditos obstringere.

Dixi, *in ea hypothesi, quâ tributa & vectigalia ju-* 16
stè imponuntur. Nam, deficiente justâ impositio-
ne, deficit etiam obligatio parendi; nec tantùm
in casu, quô injustitia est manifesta, vel ob ca-
rentiam potestatis imponendi, vel ob defectum le-
gitimæ causæ; sed etiam quando, expensis omni- 17
bus, probabilius videtur, tributa aut vectigalia in-
justè exigi: præsumptio siquidem, quæ cætero-
quin pro Principe in æquali utrinque probabilita-
te militat, in hac, ad justitiam commutativam spe-
ctante materia, cedit argumentis fortioribus, in
favorem subditorum pugnantibus, utpote qui non
injustè recusant, portare onus, ad quod ex moti-
vis probabilioribus se obligatos non esse prudenter
judicant. Aliter nonnihil differunt alii, quorum 18
sententias refert, suámque cum distinctione statuit
Clariss. P. Soll *d. l. à n.* 283.

QUÆSTIO IV.

An Lex simpliciter irritans obliget etiamsi in conscientia, ut ex actu irritato nullum commodum percipere liceat?

Cum affirmantibus sensi in hoc *cap. à n.* 329. 19
unáque rationes & exempla accumulavi. Jam ope-
ræ pretium erit, ut me ab objectionibus, quas con-
gerit Clariss. P. Pichler ad *tit.* 2. *de Constitut. num.*
68. vindicem. Sunt autem sequentes. I. non ap- 20
paret sufficiens ratio asserendi, actum etiam pro
foro interno esse irritatum; præsertim cùm lex ir-
ritans actum sit correctoria Juris Naturalis, ad-
eoque odiosa, & ad forum externum restringen-
da. II. contra Legislatorem, simpliciter tantùm 21
irritantem, & nihil de foro interno dicentem, ex
Regula Juris 57. *in* 6. interpretatio facienda, ut-
pote qui legem potuisset dicere apertiùs. III. in 22
illis Juris textibus, quibus actus pro utroque foro
irritantur, addi solent clausulæ: *etiam in foro ani-
mæ non suffragentur; vel absque alia declaratione;
vel quod obtentum est*, non *valeat retineri*: ergo,
ubi similes clausulæ omittuntur, signum est, irri-
tationem solummodò fieri pro foro externo, pro
quo sæpe irritatio sufficit ad finem legis obtinen-
dum. IV. in aliis textibus actus, ipsô jure irriti, 23
dicuntur irritandi, vel rescindendi, puta in *cap.*
8. *de Consuet.* & *cap.* 40. *de Elect.* Sed irritatio &
rescissio supponunt valorem actus, dum, quod ir-
ritum est, irritatione non eget.

Verùm Resp. ad I. rationes sat efficaces suppe- 24
tere, quibus irritatio ad forum internum quoque
extendatur, puta quòd lex simpliciter irritans alio-
quin non esset vera lex; neque verificarentur cum
effectu illæ clausulæ pro imperfecto, pro nullo,
pro infecto, viribus omninò careat; neque poten-
tiam suam ostenderet Legislator, si facultatem agen-
di pro foro conscientiæ relinqueret, solumque eam
exerceret in casu, quô super actu irritato quæstio
ad judicium devolveretur; neutiquam refragante
Jure Naturali, juxta cujus dictamen lex humana
justa in foro externo valorem suum etiam exserit
in foro interno. Ad II. Resp. perperam obtendi 25
regulam 57. *in* 6. utpote ex qua probaretur certò
nimium, nullam scilicet legem humanam obligare
in conscientia, si Legislator speciatim & apertè non
diceret, se velle, ut lex in conscientia servetur.
Ad III. Resp. adductas clausulas interdum legi- 26
bus adjici, non ex necessitate, sed ex superabun-
danti, ut scilicèt præcludatur omne effugium, aut
sinistra interpretatio, sub cujus velamento nonnulli
sensum publicatæ legis ad forum externum tantum-
modò coarctare præsumunt. Ad IV. Resp. textum 27
unum aut alterum, in quo actus, per legem irrita-
ti, irritari aut cassari jubentur, intelligendos esse de
sententia

sententia declaratoria, quâ id, quod nulliter & invalidè pro utroque foro gestum est, retrò invalidum & nullum fuisse declaratur; sicque actus, ipsô jure simpliciter irritus, de facto duntaxat irri-
28 tatur, aut cassatur. Alia si formetur explicatio, contra ipsosmet Adversarios convincitur, non tantùm in interno, sed etiam in externo foro actus censeri de jure validos, usquedum per sententiam irritentur; adeóque non dari legem, quæ ipsô jure pro foro externo actum invalidet.

QUÆSTIO V.

Num Regulæ SS. Ordinum obligent in conscientia?

29 Postquàm in hoc *cap.* 1. *à n.*352. de aliorum Ordinum Regulis & earum obligatione actum est, à *n.* 364. conclusum & probatum fuit, Regulam S. P. Benedicti, extra materiam votorum substantialium, per se loquendô, ne quidem sub veniali obligare. Contra quam conclusionem omni conatu insurgit P. Evangelista Rottner in sua *Margarita Cælesti seu Statu Religioso quæst.* 11. *art.* 2. *à n.*1129. & præter diversas authoritates (quibus ex nostris rationibus facilè satisfieri potest) multos arietes ad-
30 movet. I. Abbas quà Monachus professus obligatur ad Regulæ observantiam, ut alii Religiosi: sed iste obligatur in conscientia ex *cap.* 3. S. Regulæ: ibi: *ipse tamen Abbas cum timore DEI & observantia Regulæ omnia faciat.* Ergo etiam qui-
31 cunque professi. II. illa Regula obligat in conscientia sub veniali, quæ habet verba præceptiva, & cui obligationi accedit communis sensus, æstimatio, & acceptatio virorum non doctissimorum tantùm, sed etiam pietate & sanctitate celeberri-
32 morum: at talis est Regula S. Benedicti. III. obligationi Regulæ quoad forum conscientiæ non defuit jurisdictio: Regula enim fuit dictata à DEO, uti testantur SS. Hildegardis & Brigitta; & S. Benedictus, velut alter Moyses, sicut immediatè à DEO vocatus est ad munus Apostolicum, & potestatem prædicandi accepit, ut exscinderet reliquias idololatriæ in Cassino, ejusque vicinia, ita à DEO datus Legifer noster ab eodem accepit potestatem, posteà saltem tacitè ab Ecclesia approbatam, ex quo S. Benedictus brevissimo temporis spatio in Soblacensi tractu duodecim Monasteria excitavit, illisque præfuit, ceu Generalis, nec non etiam in alias partes Italiæ Ordinem suum novellum implantavit: ut hinc asserat Ludovicus Miranda in *Manual. tom.* 1. *q.*4. *art.*2. *fuit hæc Religio statim approbata à Diœcesanis, posteà à S. Gregorio in Concilio Ro-*
33 *mana.* Certè à mille annis nemo Sapientissimorum & Sanctissimorum Virorum cogitavit, defuisse S. P. Benedicto Jurisdictionem Ecclesiasticam: quoties enim exorta sunt dubia circa quantitatem obligationis Regulæ nostræ, toties unô quasi verbô hoc potuissent solvere: *non habuit jurisdictionem: non potuit obligare &c.* cur ergo tam operosè tam difficulter deciderunt? Potuissent quoque difficultates circa Regulam S. Francisci eôdem modô dissolvi; quod tamen non factum, sed decisio ex verbis & mente ipsius Regulæ desumpta est juxta *cap.*
34 *exiit* 3. *de V. S. in* 6. & *Clem. exivi eôd. tit.* Injoriam ergo S. Benedicto inferunt, si qui juniores ex ejus Ordine filii Patrem in jus vocent, accusent de violentia seu usurpatione, & de possessione ultra mille annos continuatâ deturbent.

35 At plus verborum quàm energiæ ejusmodi argumentis inesse, quantocyus ostendam. Ad I. siquidem fateor, Abbatem quà Monachum obligari ad Regulæ observantiam, non minùs quàm alii Religiosi. At, quod assumitur in propositione minori, Abbatem obligari in conscientia ex *cap.* 3. *S. Reg.* contra Dialectices & Juris regulas proponitur. Vel enim intelligit P. Rottner Abbatem quà Abbatem, vel Abbatem quà Monachum? Si prius; committit fallaciam, immutat suppositionem, & Abbatem aliter in prima, & aliter in secunda propositione accipit, sicque inconvenienter arguit, & conclu-
dit. Si posterius; prorsus absonè *c.* 3. *S. Reg.* 36
adoptatur Abbati quà Monacho: loquitur enim de Abbate quà superiore Monasterii, dum agit de adhibendis ad consilium fratribus, jubetque, ut Abbas, *quoties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, convocet omnem congregationem, & dicat ipse, unde agatur; & audiens consilium fratrum tractet apud se, &, quod utilius judicaverit, faciat.*
Ne verò Abbas ex potestate sibi commissa existi- 37
met, omnia sibi licere; addit S. Pater, & præcipit, ut *cum timore DEI & observatione Regulæ omnia faciat; sciens, se procul dubio de omnibus judiciis æquissimo Judici DEO rationem redditurum.*
Est nempe S. Regula & norma securissima, & cy- 38
nosura rectissima, juxta quam Abbas quà talis suum regimen temperare, ac Regulares sibi subditos tum in communi tum in particulari gubernare tenetur, non tam vi & virtute solius Regulæ, quàm ex Jure Naturali & Divino, ex cujus dictamine omnes Superiores, Pastores, Rectores, & Curatores animarum juxta exigentiam officii earum salutem spiritualem & temporalem omni meliori modô prospicere & promovere obligantur, prout idem S. Pater in *cap.* 2. uberiùs declarat.

Ad II. de verbis præceptivis S. Regulæ respon- 39
sio petenda est ex nostra ratione quarta, in hoc *cap. à n.* 370. in medium allatâ, quòd nempe verba ejusdem Regulæ aut non sint præceptiva, aut dubia, aut, spectatis omnibus, non sufficienter declarativa obligationis pro foro conscientiæ: quódve etiam sensus Virorum, æquè doctrinâ ac virtute præstantium, faveat nostræ sententiæ, patet ex eodem
*cap. n.*363.366.374. *& seq.* Et, quantum sapio & ca- 40
pio, illi, qui nostri dogmatis assertores impugnant, videri volunt rigidiores perfectionis religiosæ Zelotes, quos ego quidem lacessere non volo, sed, ut ab omni sequiori suspicione me liberum abire sinant, id, quod *cit. cap. n.* 393. studiosè adnotavi, denuò inculcare, quòd scilicèt Regula nostra per se loquendô non obliget sub peccato; obliget tamen plerumque vi voti conversionis morum, ratione cujus Benedictini obstringuntur ad habendam voluntatem, Regulæ conformiter vivendi, & ad perfectionis consecutionem tendendi. Quæ sanè dicendi docendive ratio ne umbram quidem alicujus laxitatis præfert.

Ad III. Resp. ab Antagonista nostræ assertio- 41
nis Patronos absque injuria non posse vocari injurios in S. Patrem, quòd ipli Jurisdictionem Ecclesiasticam pro eo tempore, quô Sanctam Regulam concinnavit, negârint. Docent enimverò Canonistæ sensu & consensu ferè communi, Abbatibus Regularibus usque ad tempora Gregorii Magni Jurisdictionem Ecclesiasticam in suos Monachos non competiisse, sed tam Abbates quàm Monachus immediatè Episcopis Diœcesanis subfuisse; signanter Gonzalez ad *cap. grave de Offic. Jud. Ord. à n.* 9. Thomasin. *de Eccles. vet. & nov. discipl. p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 26. *& seqq.* Cardinal. Albericus post Card. de Luca *de Jurisdict. discept.* 2. *quæst.* 1. *per tot.* Eminentiss. Card. Vinc. Petra in *Comment. ad Constit. Apostol. tom.* 1. *pag.* 353. *& seqq.* Quomodò ergo S. Benedicto Ecclesiastica Jurisdictio competere potuit, qui ànte S. Gregorium M. vixit, & scripsit?
Quô non obstante, verissimum est, S. Regulam à Spi- 42
ritu Sancto fuisse dictatam, utpote indubitatam exa-

ctamque adipiſcendæ perfectionis normam, ad quam non per ſolos conſcientiæ compedes & laqueos, ſed per ſuaves & ſalutares ordinationes, nonnunquam pœnarum interminatione cum diſcretione temperatas, uti & per pia monita & ſalubria conſilia ſecutè
43 pervenitur. Veriſſimum quoque eſt, S. Benedictum habuiſſe poteſtatem dominativam ſeu œconomicam in omnes Regulares ſibi ſubditos, qui per ipſam profeſſionem & votum obedientiæ voluntates ſuas illius imperio ſubjecerunt: atque hanc poteſtatem in omnibus Monaſteriis, à ſe fundatis, aut Ordinem ſuum profeſſis, à DEO, cujus inſtinctu tam ſacram, diſcretam, prudentem & eminentem Regulam concinnavit, non verò Juriſdictionem propriè Eccleſiaſticam, in clavibus Eccleſiæ fundatam; S. Patrem, velut Caput Regulare, acce-
44 piſſe, facilè admittitor. Quæ omnia noſtris & aliorum Canoniſtarum principiis conſormia ſunt, uti legenti & expendenti ſcripta noſtra haud difficile erit judicare: indeque ſupervacaneum cenſeo, ad alia, levioris conſiderationis objecta, quæ à ſuprà allegato ſcriptore hinc inde inſperguntur, prolixiùs respondere.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋

CAPUT II.

De Jure Naturali.

Juris Legalis, cujus genericam notitiam in *cap. præc.* conſiderationis trutinæ appoſuimus, prima ſpecies eſt Jus Naturæ. Huic, pro ſua dignitate explanando, peculiares Cathedras ab Acatholicis erectas fuiſſe, refert D. Braun *de Juriſprud. p. 2. cap. un.* §. 1. *num.* 12. A Catholicis non ſemper peculiaris Cathedra, magna tamen ex parte Theologia Moralis eidem ſtudio conſecratur. Jurium quoque Profeſſores, ubicunque tempus & opportunitas eſt, quæſtiones de Jure Naturæ ſuis elucubrationibus immiſcent. Nos compendioſam illius epitomen, juxta ſaniora & ſanctiora Veritatis intemeratæ principia, hìc conſcribemus.

SECTIO I.

De Juris Naturalis eſſentia.

SUMMARIA.

2. & ſeqq. Varii Antiquorum ſenſus de nomine Juris Naturalis. 6. & 7. Sumitur pro inſtinctu Naturæ. 8. & ſeq. Item pro congruentia vel permiſſione Naturali. 10. Propria acceptio. 11. Diverſa ſynonyma. 12. Dicitur Lex æterna. 13. & ſeqq. Explicatur, in quonam ſenſu illud procedat. 18. & ſeqq. Adducitur definitio Juſtiniani & Ulpiani. 21. & ſeqq. Impugnatur. 27. & ſeqq. Declaratur. 30. Affertur definitio Vaſquii. 31. & ſeqq. Impetitur. 34. & ſeqq. Ad rationem contrariam reſpondetur. 37. & ſeqq. Refertur definitio Grotii cum ſuis argumentis. 41. & ſeqq. Evertitur. 48. & ſeqq. Ponitur, & per ſingulas particulas explicatur noſtra definitio. 59. Exæquatur cum aliis definitionibus. 60. & ſeqq. Quinaria differentia inter **Jus Naturale & Poſitivum** *commonſtrantur.*

§. I.

Etymologia Juris **Naturæ.**

JUs Naturæ, ex mente Ariſtotelis, dicitur, *quod ubique vim habet eandem, & non quia videtur,* 1
vel non videtur. Hoc eſt, ut exponit Eminentiſſimus noſter Cardinalis de Aguirre *Philoſophia Moralis Lib. 5. cap. 8. n. 2.* „quod ea propria ratio e „ſeu quidditate ſua vim habet, non autem ex eo, „quòd ab hoc vel illo decernatur, juſtumve exi„ſtimetur. Habet enim, pergit Purpuratus Doc„tor, Jus Naturale veritatem & rectitudinem „ſibi inſitam: atque adeò non pendet vel ab arbi„trio, vel ab opinione hominum, ut juſtum ſit.

2 Cicero *l. 2. de inv.* apud eundem Cardinalem citatus, *Natura quidem*, ait, *Jus eſt, quod non opinio genuit, ſed innata quadam vis afferat: ut religionem, pietatem, vindicationem, veritatem.*

3 Juſtinianus Imperator in §. 11. *Inſt. de J. N. G. & C. Naturalia*, inquit, *Jura, quæ apud omnes gentes peræquè cuſtodiuntur, Divinâ quadam providentiâ conſtituta, ſemper firma atque immutabilia permanent.*

4 Epiſcopus Cyrenſis, à D. Braun *cit. loc. n. 3.* allegatus, Jus Naturale moralem diſciplinam vocat, quam mortales omnes Natura ipſa producit: creator enim DEUS (proſequitur ille) cùm hominem formâſſet, Naturæ indidit bonorum malorúmque diſcretionem.

5 Volunt ergo prænominati Authores, Jus Naturæ ex eo dictum & deductum eſſe, quòd Lex hominibus à Natura quaſi cognata & congenita ſit; quam, diſſerente Tullio in *orat. pro Mil. non didicimus, legimus; verùm ex ipſa Natura hauſimus, accepimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus.*

§. II.

Homonymia Juris Naturæ.

6 Jus Naturæ, ita derivatum & deſcriptum, in diverſas abit ſignificationes. Prima eſt, quâ ſumitur pro inſtinctu Naturæ, quô ad certas quaſdam actiones ex ipſa Naturali inclinatione propendemus. Tales ſunt conjunctio maris & fœminæ, liberorum procreatio & educatio, ſui conſervatio & defenſio
&c. Et in hoc ſenſu accipienda eſt illa Imperato- 7
ris in *pr. Inſt. de J. N. G. & C.* & JCti in *l. Juri* 1, *§. 3. ff. de J. & J.* ſententia, quando omnia animantia Juris Naturalis perituâ eſſe prædita prununtiârunt. In alium ſenſum, ſi dicta ſententia deflectatur, aſſenſum non meretur ex dicendis in §. 4.

8 Altera ſignificatio eſt, quâ Jus Naturæ denotat illa capita, quæ creaturæ rationali ſunt quidem conſentanea vel diſſentanea, non tamen præcepta vel prohibita. Hæc ſignificatio, veluti rectè perſpexit D. Braun *d.* § 1. *n.* 2. latiſſimè patet. Nam ea, quæ Jure Naturæ præcepta vel prohibita non ſunt, ſub prohibitionem & præceptum Legis po-
ſitivæ veniunt. Facit quoque, ut Jus Naturæ, ad- 9
notante D. Gletle in *Juriſprud. fund. lib. 1. tit. 2. cap. 2. §. 2. n. 2.* variis nominibus efferatur; ac Negativum, Permiſſivum, Conditionatum, appellitetur. *Negativum*: quia objecta illius poſitivâ diſpoſitione & obligatione recta ratio non attingit. *Permiſſivum*: quia exercitium actionis circa talia objecta pendet ex libera hominum voluntate. *Conditionatum*: quia non abſolutè recta ratio ſimiles

actus

actus exercere permittit, sed sub conditione tacitâ, donec Jus positivum contrarium disposuerit. Quænam verò objecta talia sint, in *cap.* 2. explicabitur. Sed istæ significationes sunt minùs propriæ. Itaque

10 Tertia, & nostræ dispectioni propria Juris Naturalis significatio est, quâ dicit Jus Legale, seu normam & regulam humanarum actionum, quatenùs juxta dictamen rectæ rationis ob intrinsecam exigentiam formandæ & componendæ sunt.

§. III.

Synonymia Juris Naturæ.

11 Quàm multiplicia nomina Veteres & Moderni DD. Juri Naturali imposuerint, vix unâ pagellâ descripierim. JCtus Cajus in *l. omnes populi 9. ff. de J. & J.* Jus Naturæ vocat *Jus commune.* Cicero *pro Milone*, ante relatus, nominat *Legem non-scriptam.* Seneca de *Beneficiis lib.* 4. *cap.* 7. appellat *Legem Divinam.* DD. alii aliter, & Jus Naturæ jam lumen rationis, modò dictamen intellectûs, aliàs
12 regulam justi nuncupant. Apud Theologos, quorum doctrinam in hac materia perlibenter amplector (non attentis iis, quæ acerbiori stylô, nescio quô sinistrô affectu in transversum acti, Joannes Gröningius in *sua Bibliotheca Juris Gent. l.* 3. *c.* 7. & Joannes Fridericus Ludovicus in *delin. hist. Juris Div. Nat.* §. 17. *& seqq.* contra eosdem Theologos absque fundamento & ratione scripserunt) Lex Naturalis frequenter *Lex Æterna* salutatur. Ubi tamen

13 Adverto I. Legem Æternam ex D. Augustino *Lib.* 1. *de Lib. arbit. cap.* 6. esse summam rationem, in DEO existentem, cui semper obtemperandum est. Hancque ex Gentilibus præcipuè agnovit Cicero de *Leg. lib.* 11. ubi scribit: *hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, Legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientiâ. Ita principem Legem illam & ultimam mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis DEI: ex qua illa Lex, quam Dii humano generi dederunt, rectè est laudata. Est enim ratio mensque Sapientis ad jubendum deterrendumque idonea.*

14 Adverto II. Legem Æternam, docentibus ita Sant-Gallensibus de *LL. Sect.* 2. *q.* 1. & P. Paulo Mezger *Theol. Schol. tract.* 8. *disp.* 32. *a.* 1. *n.* 1. dupliciter accipi posse. I. in latiori significatione, quatenùs denotat rationem Divinæ Sapientiæ, directivam omnium motuum & creaturarum in suos fines. II. in pressiori sensu, quatenùs significat rationem ejusdem Divinæ Sapientiæ, actus liberos creaturæ rationalis efficaciter ordinantis in finem ultimum.

15 Adverto III. eos, qui cum Gonzalez in *apparatu de orig. & proc. Jur. Can. n.* 4 contendunt, Legem Æternam æquè ad creaturas rationales & irrationales extendi, in prima & latiori significatione intelligendos esse. Quamquàm enim ex pluribus S. Scripturæ locis habeatur, DEUM creaturis, ratione carentibus, v. g. aquis & pluviis Legem
16 posuisse *Job*, 28. *Proverb.* 8. Attamen, quia Lex propriè dicta non respicit nisi creaturas, quarum actiones sunt morales & liberæ: ideò Lex Æterna in brutis, quorum actiones non sunt liberæ, veluti in §. *seq.* videbimus, inveniri nequit, nisi tantùm in lata significatione, in qua & citata & alia Scripturæ testimonia exponi debent. Sant-Gallenses *d. l. conclus.* 3.

17 Adverto IV. Doctores alios, qui nobiscum Legem Æternam cum Naturali componunt, in posteriori & pressiori sensu Legem Æternam usurpâsse. Cùm enim, ex decidendis posteà, Lex Naturæ non afficiat creaturas alias, quàm intellectuales; neque Lex Æterna, in propria significatione, dirigat actiones alias, quàm liberas & morales: hinc in memorato sensu utrumque Jus accipiendum est, Pettschacher de *LL. quæst.* 2. *art.* 2. *p.* 37. *&* 38.

§. IV.

Nonnullæ Juris Naturæ Definitiones, ab aliis assertæ.

Omnes Juris Naturæ definitiones, ab aliis assertas, non refero. Nonnullas, sed ferè præcipuas, adduco. Ex quibus prima & valde communis Civilistis quondam erat definitio Justiniani & Ulpiani in *pr. Inst. de J. N. G. & C.* & *l. Juri* 1. §. 5. *ff. de J. & J.* Jus Naturæ describentium, *quod Natura omnia animalia docuit.* Quibus suffragia sua dederunt Gassendus, Mættertius, Ungepaur, Corasius, Gentilis apud Joannem Gröningium *Biblioth. Juris Gent. l.* 3. *cap.* 4. *&* 7. *n.* 3. allegati. Gonzalez *cit. l. àn.* 10. Clariss. D. Christophorus Chlingensper- 18
ger ad *d. tit. Inst. de J. N. G. & C. quæst.* 2. Favent 19
illis tam Divina Authoritas, quàm humana Ratio. Authoritas fundatur in *cap.* 9. *Genes. v.* 5. *Levit.* 20. *v.* 15. *& seq. Exodi* 21. *v.* 28. *& seqq.* ubi varii textus de puniendis brutis animantibus reperiuntur; sicque insinuari videtur, bruta, cùm pœnæ sint obnoxia, culpæ quoque, obligationis, & Juris Naturalis esse capacia. Ratio deducitur ex modo ope- 20
randi, brutis plurimis, singulariter verò canibus, apibus, simiis &c. familiari, quô tam dextrè & accuratè suas actiones attemperare sciunt, ut planè ex rationis dictamine provenire credantur.

Sed hanc definitionem cum Platone, Aristotele, 21
& frequentissima Philosophorum Veterum Schola refellunt concordi ferè calamô Moderni ICti; quibus ex nostris Salisburgensibus annumerantur Clariss. DD. Braun de *Imperio Mero cap.* 1. §. 6. *n.* 19. Gleile *cit. Jurispr. fund. cap.* 5. §. 1. Franz ad *tit. Inst. de J. N. G. & C. p.* 1. *n.* 6. Ratio est I. quia ipsimet 22
Justinianus & Ulpianus in *princ. Inst. & l.* 1. §. 3 *ff. Si quadrupes pauper.* negant, bruta cuipiam injuriam irrogare posse; quod tamen negare non potuissent, si bruta Juris capacia somniâssent: cùm injuria nil aliud sit, quàm quod non Jure vel contra Jus fit. II. quia adstructa definitio hoc absurdum 23
parit, brutis competere jus adversùs hominem; posséque hominem injustitiæ & injuriæ insimulari, qui bestiam occiderit, contra Veritatis Increatæ clarissima asserta in *Psalmo* 8. *v.* 6. *& seqq.* quibus plenissimum homini dominium in res sublunares, animatas & inanimatas, tribuitur. III. quia crea- 24
turæ irrationales nequeunt dirigi veræ rationis ductu aut dictamine: quod enim rationis expers est, quomodò rationi se conformabit? IV. quia expe- 25
rientia docet, bruta ex necessitate Naturæ ad unum quasi objectum affixa & alligata esse; neque tam agere ex libera electione, quàm agi ex impressa motione ad finem, à Natura præfixum: & quispiam dixerit, actus necessarios per regulam moralem ad rectitudinis orbitam inverti? Rectè igitur Plato: 26
nostra terra ex omnibus animantibus hominem genuit, qui cæteris intelligentiâ præstat, solusque Jus ac DEOS animadvertit. Rectè Aristoteles: *Jus esse non potest, inter quos neque Lex est, neque justitia est neque injustitia.*

Quid ergo ad definitionem Imperatoris & ICti? 27
Dico liberè. Aut neganda his Legislatoribus Authoritas in materia Juris Naturalis; aut explicanda

definitio in sensu materiali minùsque proprio de
actibus quibusdam, brutis & hominibus quoad ob-
28 jectum & materiam communibus. Quid ad textus
sacros? Cum D. Braun respondendum: bruta non
puniri ratione præcedentis culpæ, sed vel in de-
testationem criminis; vel ad memoriam nefarii fa-
cinoris abolendam; vel ad tollendam peccandi oc-
casionem; vel in pœnam negligentis custodiæ; vel
29 ne ultra noceant. Quid ad rationem? Utendum
responsione Samuelis Puffendorff de *J. N. & G. L.*
2. *c.* 3. §. 2. ea beneficio dispositionis Naturalis &
Creatoris provenire, quòd aliqua animantia so-
lertiùs & perfectiùs, alia tardiùs & imperfectiùs
operentur.

30 Secunda definitio est illorum, qui cum Vasque-
zio Jus Naturæ describunt, quòd sit ipsa Natura
rationalis, quatenùs est prima regula vel boni con-
venientis, vel mali disconvenientis. Fundamentum
est: quòd aliquæ actiones intrinsecam contineant
malitiam; nec pendeant in malitia ab extrinseca pro-
hibitione, judicio, vel voluntate Divina: sicque
radix & basis hujus turpitudinis in ipsa ratione Na-
turali resideat.

31 Verùm à paucis hoc placitum applausum & ap-
probationem invenit I. quia Lex Naturalis, ex Ore
Apostoli ad *Rom.* 2. *v.* 14. est scripta in cordibus
hominum. Ergo Natura rationalis non est Lex Na-
32 turæ, sed potiùs subjectum Legis Naturalis. II.
quia Lex Naturalis est vera Lex, progrediens à
Superiore potestate. Ergo non est ipsa Natura:
quia Natura Lege Naturali inferior; nemo autem
33 se ipsô inferior simul & superior est. III. quia Na-
tura creata nequit esse prima regula, indefectibilis,
& immutabilis. Ergo nequit esse Lex Naturalis,
utpote quæ est prima regula, indefectibilis, & im-
mutabilis. Ita ex nostris Theologis cum Suarezio
de *LL. l.* 2. *c.* 3. *n.* 5. docent Reding de *LL. q.* 15.
art. 1. *contr.* 2. Caramuel *Theol. Reg. disp.* 2. *à n.* 20.
Sant-Gallenses *d. sect.* 2. *quæst.* 2. *concl.* 1. Pett-
schacher de *LL. q.* 3. *a.* 1. *conclus.* 2. Mezger *cit.
disp.* 32. *a.* 2. *n.* 7.

34 Ad fundamentum contrarium Resp. I. P. Mez-
ger *cit. l. n.* 10. actiones intrinsecè malas dari inde-
pendenter à Divina Voluntate fundamentaliter,
non formaliter: cùm malitia formalis cujuscunque
actûs à repugnantia ad Legem desumatur. Similem
responsionem habet P. Joannes Baptista Erhardt
35 *Quæst. Theol. de Peccat. th.* 16. *& seq.* Resp. II.
Caramuel *d. l.* n. 22. ante decretum DEI liberum
dari actiones malas physicè, non moraliter tales.
Actiones physicè malas compellat, quæ habent
deordinationem physicam & realem, respectu alte-
rius entis, uti v. g. occisio Leonis est mala phy-
sicè respectu Leonis: quia est deordinatio ab ap-
36 petitu Leonis, quô petit sui conservationem. Ac-
tiones moraliter malas dicit, quæ habent deordi-
nationem respectu indictæ Legis: ex quo est, quòd
homicidium v. g. non sit malum moraliter, si non
supponatur Lege aliquâ prohibitum; etsi sit malum
physicè: quia contra appetitum hominis occisi
exercitum.

37 Tertiò, ac pluribus æquè Theologis quàm Jure-
peritis probata est definitio Hugonis Grotii, qui
in *tract. de Jure B. & P. l.* 1. *c.* 1. *n.* 10. Jus Naturale
adumbrat, quòd sit dictatum rectæ rationis, indi-
cans, actui alicui, ex ejus convenientia aut discon-
venientia cum ipsa Natura rationali, inesse moralem
turpitudinem aut necessitatem moralem, ac conse-
quenter ab Authore Naturæ DEO talem actum
aut vetari, aut præcipi. Vel, ut alii Grotii sequa-
ces definiunt breviùs, Jus Naturæ est congenitum
rectæ rationis dictamen, præcipiens ea, quæ creatu-
ræ rationali quà tali sunt consentanea, & prohibens
contraria. Probatur hæc definitio I. tum ex *cit.* 38
textu Apostoli ad *Rom.* 2. *v.* 14. ubi, cùm dixisset,
*Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Le-
gis sunt, faciunt; ejusmodi Legē non habentes, ipsi sibi
sunt Lex;* quasi declaraturus, quomodò sibi sint Lex,
& quæ sit illa Lex, v. 15. subdit: *ostendunt opus Legis
scriptum in cordibus suis, testimonium reddente ipsis* 39
conscientiâ ipsorum: tum ex textu *Psalmi* 4. ubi in v.
6. quærit ex mente aliorum Psaltes Regius, *quis ostē-
dit nobis bona?* sive, quis regulam bonæ & honestæ
operationis indicat? Móxque responsi locô in v. 7.
subjungit: *signatum est super nos lumen vultus tui
Domine.* Quem textum Angelicè illustraturus D.
Thomas *q.* 91. *a.* 2. *in O. lumen rationis naturalis*,
scribit, *quô discernimus, quid sit bonum, quid sit ma-
lum, quod pertinet ad Legem Naturalem, nihil aliud
est, quàm impressio Divini luminis in nobis.*

Probatur II. Lex Naturalis est in homine: quia, 40
cùm creata sit, non est in DEO; &, quia non tabu-
lis, sed cordibus est impressa, non extra, sed intra
hominem existit. Si hoc; certè dictamen rectæ ra-
tionis est Lex Naturalis: quippe quod dictat homi-
ni, quid agendum, omittendúmve sit.

Probatur III. Effectus Legis Naturalis, non mi- 41
nùs quàm alterius Legis, sunt dirigere & obligare:
hi verò nulli potentiæ aut facultati aptiùs adscribun-
tur, quàm rectæ rationi ejusque dictamini: eò quòd
Regis & Gubernatoris munus respectu hominis su-
stineat. Ergo dictamen rectæ rationis est Lex Na-
turæ. Ergo posterior definitio est bona.

Verùm, tametsi argumenta proposita ostendant, 42
Legem Naturalem virtualiter in dictamine rectæ
rationis consistere, quatenùs Lex Naturæ non obli-
gat, nisi prout se tenet ex parte hominis, & remanet
in aliquo suo effectu vel signo: non tamen evincunt,
Legem Naturalem formaliter esse dictamen rectæ
rationis. Ratio est I. Omnis Lex constituitur ac-
tu & authoritate Superioris. Ergo etiam Natura-
lis. Atqui dictamen rectæ rationis non constitui-
tur actu & authoritate Superioris: provenit nam-
que à Natura rationali, quæ seipsâ non est superior
& inferior. Ergo &c. II. Actus intellectus, judi- 43
cans & indicens, hoc vel illud objectum esse præ-
ceptum aut prohibitum, formaliter non est Lex, sed
applicatio Legis: aliàs enim admittere necessum fo-
ret, actum intellectus, quo quis judicat, jajunium
ab Ecclesia interdictum esse, esse ipsam Legem Ec-
clesiæ de servando jejunio; quod ridiculum est. Sed
dictamen rectæ rationis est actus intellectûs, judi-
cans & indicens, hoc vel illud objectum esse præ-
ceptum aut prohibitum: quia est actus, quô cog-
noscitur, hoc vel illod objectum obligationem, quæ
sinè præcepto aut prohibitione nequit percipi, im-
ponere. Ergo &c. III. Quod est essentialiter defe- 44
ctibile, nequit esse regula indefectibilis. Atqui di-
ctamen rectæ rationis, æquè ac Natura rationalis,
de qua in *n.* 16. est essentialiter defectibile, utpote
creatum & corruptum; Lex verò Naturalis est re-
gula indefectibilis. Ergo dictamen rectæ rationis
non est formaliter ipsa Lex Naturalis.

Ex his & aliis rationibus negant Reverendiss. & 45
Magnif. Stadlmayr de *LL. cap.* 2. *th.* 4. *n.* 2. Illustriss.
Caramuel *cit. disp.* 2. *n.* 11. Pettschacher *d. art.* 1.
concl. 3. Mezger *d. a.* 2. *n.* 3. Legem Naturalem,
quà talem formaliter, esse sitam in dictamine ratio-
nis; & consequenter præmissam definitionem non
recipiunt.

Quid adversæ probationes concludant; dictum 46
est in *n.* 22. Cui insuper adjici potest, quod dicit
Caramuel *cit. n.* 22. nempe ad Legem Naturæ dic-
tamen mentis requiri essentialiter, tanquàm con-
ditionem necessariam; quod non est peculiare Le-
gi Naturæ: reperitur enim in reliquis præceptis &
Legibus

Legibus, quæ non obligant, nisi sufficienter promulgentur, & physicè moraliterve cognoscantur.
47 Unde Magnus D. Augustinus *Lib. 2. de Serm. Dom. in Monte* ait: *nullam animam esse, quæ ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur DEUS. Quis enim Legem Naturalem in cordibus hominum scribit, nisi DEUS?* Ecce! subinfert *cit.* Caramuel, Legislator non est ratio, sed DEUS: ratio autem est tabula, in qua DEI digitô scribitur Lex Naturalis.

§. V.

Nostra Definitio.

48 Post celebriores aliorum definitiones nostram adorno, & dico: quòd Jus Naturale sit ordinatio Divinæ Sapientiæ, per dictamen synteresis Naturæ rationali manifestata, præcipiens ea, quæ rectæ rationi sunt consentanea, & prohibens contraria.

49 Dixi I. *ordinatio.* Ut significarem genus proximum, seu convenientiam Juris Naturalis cum Jure Legali in genere, de qua in *cap. 1. §. 2. a n. 5.*

50 Dixi II. *Divina Sapientia.* Ut innuerem I. causam efficientem Juris Naturalis, quæ non est alia, quàm Divina Sapientia, juxta illud Stoicorum effatum: *non potest inveniri aliud justitiæ principium, alia origo, quàm à Jove & communi naturâ petitum: inde enim necesse est, omnia ista nos exordiri, si vo-*
51 *lumus aliquid de bonis & malis dicere.* Nec tamen excludo, sed includo, & conjungo cum Sapientia Voluntatem Divinam, quâ sine nec est, nec esse potest ulla cujuscunque Legis obligatio. Pettschacher
52 *d. q. 3. a. 1. f. 45.* Ut innuerem II. Legem Naturalem non differre ab Æterna, in strictiori significatione acceptâ, secundùm D. Thomam *q. 71. art. 6. ad 4.* dicentem: *Legem Naturalem contineri principaliter in Lege Æterna, & secundariò in judicatorio rationis naturalis.* Pettschacher *d. l.*

53 Dixi III. *per dictamen synteresis*; hoc est, judicium practicum habentis primorum principiorum moralium. Nam, ut disserit Gonzalez *cit. l. num. 9.* „lumini Naturalis rationis subservit synteresis, quæ „est virtus, vel mentis nostræ habitus, quò inducimur ad consequenda imperata per Jus Naturale, „& ad fugienda, quæ prohibet.

54 Dixi IV. *Naturæ rationali.* Ubi subjectum Legis Naturalis indigito, quod est omnis & solus homo. Omnis: quia, qui homo, simul & rationalis est. Solus: cùm ineptè dicatur Jure & Regulâ rationis gubernari, qui ratione non pollet. Unde, quod ait Gentium Doctor, Legem Naturalem esse cordibus omnium Gentium inscriptam, ita interpretandum est, ut Naturæ rationali impressa censeatur, ac casu, quô contra illius dictamen creatura rationalis operatur, illicò exurgat conscientia, D. Bernardo dicta *cordis scientia*, & suô motu ac morsu transgressionis malitiam redarguit; significante id ipsum
55 D. Chrysostomô *homil. 17. in Genes.* ibi: *etsi millies quis improbus fuerit, non interiit judicium conscientiæ: est enim Naturale, & à DEO insitum.* Et paulò post, *sufficit pro Lege conscientia, & rationis usus.* Quin & *hom. 4.* contra illos, qui Naturam animalem Juris participem esse venditant, ita scribit: *per Philosophos hoc semper egit Diabolus, ut ostenderet, nostrum genus nihil à brutis differre, quando nonnulli in opinionem tam absurdam venerunt, ut animalia, rationis expertia, ratione prædita esse dicerent.*

56 Dixi V. *manifestata.* Est igitur dictamen Naturale, uti discurrit Magnif. Pettschacher *cit. l. p. 44.* „formaliter non ipsa Lex Naturalis, sed solùm hu„jus applicatio, eò ferè modò, quò dictamen ratio„nis in subdito de servanda Lege humana est hujus „applicatio, non verò ipsa Lex; sive illud antecedat „immediatè electionem, sive usum activum: sive, „quod idem est, illud sit dictamen practicum, sive „practicè practicum. Insinuit hoc Seneca, dum *lib. 4. de Benef. c. 7.* observat: *Jus Naturæ à DEO datum, esse Divinam Legem, & rationem toti mundo & partibus ejus, fortiter & suaviter insertam.* Ex quo 57
ulterius sequitur, infantes, licèt Naturâ rationali constent, Jure tamen Naturæ in actu secundo non obligari, antequam per usum rationis & maturitatem judicii, quæ circa annum ætatis septimum communiùs advenire consuevit, promulgetur.

Dixi VI. *præcipiens ea, quæ rectæ rationi &c.* Hic 58
duo notanda affero. Primum est, Jus Naturæ aliud præceptivum, aliud esse prohibitivum. Alterum est, Jus Naturæ pro suo objecto agnoscere, quidquid rationi naturali qua tali vel convenit, vel disconvenit. De quo ex instituto in *sect. seq. per tot.* Ex his

Colliges I. nostra cum definitione convenire il- 59
lam, à Clariss. P. Mezger *cit. a. 1. num. 5.* datam, quòd Jus Naturæ sit ordinatio Divinæ Sapientiæ, per dictamen synteresis Naturæ rationali impressum, quâ dirigitur in suum finem ultimum, per media necessaria consequendum. Concordat & illa Romani Sapientis ad suum Lucilium *Epist. 65.* quòd Jus *Naturæ sit à DEO, tanquàm Naturæ Authore impressum, inditumque cordibus nostris, per quod secundum dictamen rationis practicæ actus humanos liberos ad bonum justumque dirigimus.*

Colliges II. in quónam discrepet Jus Naturæ à 60
Positivo. I. enim differt in *Causa Efficiente*: dum Jus Naturæ DEUM, ut Authorem Naturæ; Positivum aut hominem, aut DEUM, sub alio tamen respectu, pro fonte & origine agnoscit. II. in *Causa Ma-* 61
teriali: nam Juris Naturalis objecta antecedenter ad prohibitionem fundamentalem, radicalem, aut physicam quandam bonitatem vel malitiam continent; Juris Positiva capita independenter à prohibitione vel præcepto sunt indifferentia. III. in *Causa For-* 62
mali: Jus Naturale siquidem solâ DEI, tanquàm Naturæ Naturantis (si loqui fas est) voluntate constitutum, ac hominum mentibus inditum, nec voce nec scripturâ promulgatur: Jus Positivum non membranæ cordis inaratur, sed vel scriptô datur, vel præconia ore publicatur. IV. in *Causa Fina-* 63
li: finis enim Naturalis Legis est utilitas totius Naturæ, in se consideratæ: finis Positivæ Legis pro Legum varietate varius est. V. in *Effectu*: nam 64
Jus Naturæ devincit omnes, quotquot Naturâ intellectuali fruuntur; & tantâ quidem virtute, ut propriam mutationem non recipiat, prout dicemus in *Sect. 3.* Jus positivum non omnes, sed illos tantùm obstringit, qui Legislatori sunt subjecti; nec tanta cum energia, ut mutationem, propriam quoque, non patiatur.

SECTIO II.

De Objecto Juris Naturæ.

SUMMARIA.

65. Connexio materiæ. 66. & seqq. Authores & eorum argumenta referuntur, qui regulam cognoscendi materiam Juris Naturalis ex Decalogo desumi volunt. 68. & seqq. Studiosè exenterantur. 73. Præcepta Decalogi sunt naturalia. 74. Docemque Jus Naturæ quasi à posteriori. 55. & seqq. Authores & eorum fundamenta recensentur, qui Juris Naturalis objectum ex socialitate mensurari

mensurari putant. 78. *& seqq. Authores contrarii cum suis rationibus adstruuntur.* 84. *Enervantur fundamenta priora.* 85. *Rationes posteriores confirmantur.* 86. *& seqq. Prima regula cognoscendi Jus Naturale desumitur ex felicitate Naturæ rationalis quà talis.* 91. *& seqq. Secunda petitur ex statu abstracto, in quo felicitas illa considerari debet.* 95. *& seqq. Ponuntur, & tolluntur opposita.* 110. *& seqq. Ostenditur ex datis regulis, præcepta Decalogi naturalia esse.* 113. *& seqq. Ostenditur etiam, matrimonium æquè ac cœlibatum ad Jus Naturale revocari.* 120. *& seqq. Ostenditur præterea, quænam impedimenta Matrimonii pullulent ex Jure Naturæ.* 127. *& seqq. Ostenditur insuper, in quo sensu patria potestas spectet ad idem Jus.* 130. *& seqq. Id ipsum ostenditur de rerum divisione.* 133. *& seqq. Nec non de servanda fide.* 137. *& seq. Item de testamenti factione.* 139. *& seq. De aliis articulis & objectis particularibus remissivè.*

§. I.

Sitne objectum Juris Naturalis ex Decalogo dignoscendum?

65 DIctum est in definitione Juris Naturalis *n.* 58. ad objectum illius pertinere, quidquid rectæ rationi consentaneum aut dissentaneum est. Ea quonam verò principio discere liceat, quænam rectæ rationi consentanea, quænam dissentanea sint; sicque undenam objectum Juris Naturalis dignosci debeat? Nodus eò intricatior est, quò pluribus multiplicium opinionum ligaturis implicatus.

66 Joannes Gröningius, posteaquàm in sua *Bibliotheca Juris Gentium supra cit. lib.* 3. *cap.* 2. mordaci calamô Theologos nostros, Scholasticos & Morales, perstrinxerat, quasi recta & vera Juris Naturæ principia depravârint; mox in *cap.* 3. *n.* 1. non absimili stili sic exorditur: „Ætati Scholasticorum „opponitur nova Epocha, quam Lutheranam dicere soleo, utpotè quâ B. Lutherus (*si superis placet*) gratiâ Evangelii armatus, Romano Pontifici „& Theologiæ Scholasticæ masculè bellum indixit, operantibus ad eundem scopum aliis probitate & doctrinâ conspicuis viris. Et paulò pòst scribit. Tum doctrina Justi Naturalis solutis vinculis, atque excussô scholasticô pulvere, quô diu „satis obducta fuit, ex obscuris Monachorum claustris erupit, atque novos sibi Parentes & Procos „adscivit, à quibus etiam tantâ curâ, studiô, & „dexteritate culta, ut ob ingens incrementum, „quod successu temporis accepit, nova quasi se exhibuerit, & omni ævô præstantior.

67 Ut verò præfatus Author ostenderet, quinam sint illi, de Lutheranorum secta tantoperè commendati & celebrati viri, adducit in *n.* 2. primum inter Moralistas, sacris Protestantium addictos, Philippum Melanchtonem, qui, ut refert in *n.* 5. docuit: „integram Justi Naturalis & virtutum doctrinam „ex Decalogo sumendam esse, in quo expressit „DEUS voluntatem suam, & ordine eruditissimô „virtutes distribuit, non solùm ut doceret, quales „nos esse velit, sed etiam ut ostenderet, qualis „ipse sit, & nos commonefaceret, hominem ad „eam imaginem conditum esse.

68 Sed quale elogium ex funestissimo, contra Ecclesiam Orthodoxam instituto bello; ex Jure Naturæ, quà verbô quà exemplô non dilucidatô, sed horrendum dehonestatô, Lutherus mereatur, sciunt omnes, quibus veritas in amore & pretio est. Pulchra profectò libertas, quam Legi Naturali à Luthero assertam deprædicat Gröningius! Antehàc Monachorum claustris Jus Naturæ inclusum fuisse, ironicè jactitat. Permitto. Nunquàm tamen efflo-
ruit magis, quàm inter Religiosorum, æquè do-
centium ac facientium ea, quæ Juris Naturalis
sunt, felicia septa. At, ubi cum Luthero ex clau- 69
stro erupit, sanè exlex, ac dissolutum Naturæ Jus
fuit. Ille enim publicè dicere & docere non erubuit: *solam fidem necessariam esse, ut justi simus; cætera omnia liberrima, neque præcepta ampliùs, neque prohibita.* Item: *si conscientia dictat, peccâsti; responde, peccavi: ergo DEUS puniet & damnabit? Non. At Lex hoc dicit. Sed nihil mihi cum Lege. Quare? Quia habeo libertatem.* Vide Bellarminum locô statim citandô *cap.* 1.

Hinc & illud satis admirari nequeo, cur Grö- 70
ningius Melanchtonem, ceu Moralis Doctrinæ præcipuum lumen, extollere præsumat; cùm tamen nil minùs curaverit, quàm moralis doctrinæ prima capita? Tradit siquidem ille, & contendit cum Luthero & Calvino, veluti refert Eminentiss. S. R. E. Cardinalis Bellarminus de *Controv. fidei Cathol. tom.* 3. *de Justificat. l.* 4. *cap.* 10. *æquè impossibilia esse omnia præcepta, atque illud unum, non concupisces. Nullum à sanctis exire posse opus, quod non mereatur justam opprobrii mercedem. Omnia hominum, quantumvis laudabilia opera, planè vitiosa esse, & morte
digna peccata.* Quomodo igitur sancti & probi 71
justè & probè nominantur, quorum etiam sancta ex objecto opera, probrosa, vitiosa, morte sunt digna? Quomodò in Decalogo præceptorum Naturalium summa concluditur, quando Leges Naturales, hôc ipsô, quòd Naturæ rationali commensuratæ sint, servatu possibiles; Leges verò Decalogi servatu sunt impossibiles? An ergo, quam Natura ipsa hominum mentibus impressit, Legem, contra Naturam exponimus? Itáne quod recta jubet vetatve ratio, creatura rationalis facere aut omitte-
re nequit? Argumenta ex S. Scriptura & SS. 72
Patribus contra immanem hunc heterodoxorum errorem producit laudatus Bellarminus *cit. loc. cap.* 11. *&* 12. & illustrissimus D. Augustinus Reding in *Concil. Trid. tom.* 1. *tr.* 4. *sect.* 2. *quæst.* 13. *cap.* 1. *&* 2. quem sæculi nostri Augustinum, verúmque Herculem, ad domanda monstra errorum hæreticorum, verè deprædicat D. Braun de *Imp. cap.* 1. §. 4. *sub n.* 13. *f.* 41.

Cæterùm, etsi Catholicorum doctrinæ quàm op- 73
timè conveniat, præcepta Decalogi esse præcepta Divina Moralia, ideóque non tam Positiva quam Naturalia, sicut in proxima *sect.* declarabitur: quia verò & Gentes, quæ Legem Divinam scriptam, teste sæpiùs auditô Gentium Doctore *ad Rom.* 2. ignorant, Legem Naturalem in scrinio & sinu pectoris inclusam gerunt: sanè ad principium aliud, æquè Gentibus ac Christianis cognitum, recurrendum est, si sincerè dignoscere appetamus, quænam
ad objectum Juris Naturalis pertineant. Est igi- 74
tur Decalogus ratio à posteriori, atque instar promulgationis & declarationis Authenticæ, quâ, quid æquum iniquumve sit naturaliter, edocemur; non autem est ratio à priori, & prima radix, ex qua universa Juris Naturæ capita progerminant.

§. II.

Sitne Objectum Juris Naturæ ex Socialitate mensurandum?

Ita per extensum docet Samuel Puffendorff de *J.* 75
N. lib. 2. §. 11. quem præcessisse videtur Hugo Grotius de *I. B. & P. in Prolegom.* sequentibus pronô vestigiô Joanne Jacob. a Ryssel de *J. N. lib.* 1. *cap.*

cap. 4. n. 48. Jacob. Frid. Ludovico in *delineat. hist. Juris Div. Nat. & positivi* §. 17. 101. & 102. Fundamenta, quibus placitum suum stabiliunt, sunt sequentia. I. enim Creator DEUS soli inter animantia homini sermonem indulsit. Cur? Nisi quia eundem non solum, sed socium esse voluit, atque adeò facultate communicandi & negotiandi cum sociis præditum.

76 II. Homo est animal, sui conservandi studiosissimum, per se egenum, sinè auxilio sui similium servari impotens, ad mutua commoda promovenda maximè idoneum; unà tamen petulans & malitiosum. Ergo, ut homo sit salvus & sospes, socialitatem amet, & societatem quærat, necesse est: néve suâ petulantiâ aut malitiâ sociorum indignationem sibi consciscat, Legem de probè instituenda societate præfixam habeat, opus est. Quidquid ergo socialitati confert, ad objectum Legis socialis & Naturalis referendum est.

77 III. Quia, ut disserit D. Joannes Geilsusius Professor Tubingensis *Conclus. polit. decade* 1. *th.* 2. homo, ex definitione Aristotelis 1. *polit. cap.* 2. & 3. est animal, naturâ suâ civile seu sociabile: uti hoc ipsum non experientia tantùm & sensus testatur, sed etiam generandi facultas, vis irascendi, principia practica, conatus alios juvandi, sermonisque usus: quæ omnia irrita & frustranea forent, nisi ad societatem homo natus esset. Ergo (inferri potest) quod est ordinatum ad vitam socialem hominis, est conveniens Naturæ hominis. Ergo socialitas est genuinum principium Juris & Legis Naturalis.

78 His se opponunt David Mævius in *Nucleo Jur. Nat. & Gent. Inspect.* 3. *Thesi* 13. Henricus Cocceius & Samuel illius filius in *resolut. dub. de princ. J. N.* §. 8. Henric. Ernest. Kestnerus de *J. N. cap.* 1. §. 11. Groningius in *Bibliotheca J. G. cap.* 5. 10. & *sparsim in lib.* 3. I. quia fundamentum Juris Naturalis prima Naturæ humanæ, quatenùs est humana, non animalis, principia subministrare debet. At socialitas, cum æquè inter bruta, quàm homines coalescat (uti in examine & agmine apum, nec non cæteris amatoribus, aspectum sui similium quærere amantibus, perspicere licet) subministrat principia, non tam humanæ, quàm animali Naturæ
79 convenientia. Ergo &c. Quod insuper ex eo confirmatur: quia bellulina societas non rarò humanior, quàm humana est; dum nec leo leoni vitam eripit, nec lupus lupum devorat, sicut homo trucidat hominem.

80 II. Quia societas non absolutè & singulis saltem hominibus præcepta noscitur: potestque homo sinè societate vivere, licèt non sinè Lege Naturali. Sic enim Adamus, primus inter homines homo, sinè societate aliquantisper vixit, tametsi Lege Naturali & rationali, quia rationis erat compos, ligatus. Sic plurimi, partim virtutis partim eruditionis consequendæ desiderio, à turba & turma hominum in eremum & loca solitaria se contulerunt; Legibus utique Naturalibus adstricti, licèt à foro & societate abstracti. Nequit ergo socialitas universæ Naturæ rationalis principia concludere: cùm universi, quibus Natura rationalis imperat, socii esse nec velint, nec debeant.

81 III. Quia, ex quo nascitur homo, non ut aliis, sed primùm DEO, deinde sibi, denique proximo vivat, necesse est, extare aliquam regulam, quâ instruatur & dirigatur, quomodò erga DEUM & seipsum gerere se debeat. Hæc verò regula eò minùs ex socialitate mensuranda est, quò minùs officia hominis erga DEUM & seipsum ex societate pendent. Quid enim, si quis in occulto nescio quæ horrenda flagitia contra primam Decalogi tabulam aut secundam admittat, absque eo, quòd Rempublicam aut proximum in effectu offendat; anne ex socialitate petenda erit malitia & turpitudo flagitiorum?

82 IV. Quia crimina reperias, quæ Jure Naturæ quidem vetita, societati tamen adversa non sunt. Nam incestus, saltem in linea ascendentium primi gradûs, communio mulierum & corporum, adulteria, homicidia &c. crimina sunt, Jure Naturæ prohibita; & tamen, ut refert Puffendorff *d. cap.* 3. §. 8. Persæ cum matribus, Ægyptii cum sororibus matrimonia contrahunt. Apud multos adulteria pro re indifferenti habentur. Scythæ Dianæ hospites immolant; & parentes, sexaginta annos prætergressos, jugulant. Solonis Lege permissum unicuique apud Athenienses, filium necare. Apud Romanos gladiatores, perpetratô homicidiô, etiam honore afficiebantur. Apud Lacedæmonios puniti fures, non quòd furati, sed quòd deprehensi sint. Fuerunt ergo enumeratæ Gentes sociales, habuerunt inter se amicitiam & pacem, absque hoc, quòd Jus Naturæ servàrint. Ergo Jus Naturæ potest quidpiam præcipere, vel prohibere, quod ex ratione socialitatis per se non evincitur justum vel injustum esse.

83 V. Quia, si socialitas faciat, aliquid esse licitum vel illicitum, quatenùs nempe socialitati vel prodest, vel obest, sequitur, præcepta Naturalia ab hominibus esse mutabilia: quis enim nescit, humanam societatem de Jure suo disponere, ac quæ sibi sunt propria, abdicare & alienare posse? Hæc sequela, cùm omnium sententiæ repugnet, principium, unde deducitur, à nemine cum ratione teneri potest.

84 Neque solida sunt fundamenta contraria. Ex eo siquidem, quòd homo dicatur animal sociale, habeatque nativam inclinationem ad mutuam societatem, ac aliorum ope & operâ indigeat, id tantummodò convincitur, societatem (maximè suppositô decretô & mandatô DEI de multiplicando & propagando genere humano) Naturæ rationali valde conformem, & suô modô necessariam; consequenter, ut illa societas ritè instituatur, Legibus opus esse, tum Naturalibus, tum Positivis, universalibus & particularibus. Cùm verò nec societas, saltem singulis, præcepta sit; nec, qui in societate sunt, cum solis sociis habeant, quod agant, quippe qui & DEO & sibi debita officia exhibere tenentur: profectò socialitas pro unico ac universali principio & regula, dijudicandi objecta & capita Juris Naturalis, nequit assumi.

85 Atque huic posteriori sententiæ & ego subscribo. Partim: quia Jus Naturale, quamvis non unius hominis in particulari, sed totius humanitatis bonum respiciat, nihilominùs per se primò hominem respectu sui ipsius suique creatoris informare intendit, quàm in ordine ad Rempublicam: sicque antè bonum hominem, quàm civem efficere conatur: partim quia, stante etiam decretô de multiplicandâ Gente humanâ, id fieri posset, datâ solâ communione & conjunctione inter conjuges, etsi societas quædam generalis non esset introducta: partim quia quàmplurima socialitatis principia, non tam in necessitate Naturæ, quàm libero humanæ constitutionis arbitrio, fundatur: partim quia vita Eremitica, absolutè & in se spectata, non est miserrima, uti citatus anteà Geilsusius *eôd. loc.* perperam affirmare non est veritus, sed, si benè suscipiatur, & custodiatur, felicissima; si nempe ad eremos illi convolent, qui juxta probatissimam doctrinam D. P. Benedicti *Reg. cap.* 1. *non conversionis fervore novitiô, sed diuturnâ probatione contra diabolum pugnare docti, ex fraterna acie ad singularem eremi pugnam descendunt.* Neque tam mundo,

quàm

quàm DEO soli vivere appetunt, juxta illud *Osee
2. v. 14. ducam eum in solitudinem, & loquar ad cor
ejus.* Habent isti propositi sui non tantùm approba-
tores, sed sectatores & duces, DEUM hominem,
illius Præcursorem, Eliam, Paulum, & innumeros
alios Anachoretas, Sanctorum Albô insertos. Quos
culpare velle, culpa foret maxima.

§. III.

*Statuitur duplex regula de intelligendo Juris
Naturalis objecto.*

86 Duæ sententiæ, de cognoscendo Juris Natu-
ralis objecto relatæ, sed non probatæ sunt.
Superessent plures, quas brevitatis studiô trans-
mitto. Meam ergo & tertiam statuo, ac pro in-
telligendo Juris Naturalis objecto sequentes regu-
las trado.

87 Regula prima. Quidquid simpliciter expedit,
esse licitum ad felicem humanæ Naturæ statum,
id omne, spectatô Naturæ Jure, est licitum. Item,
quod in ordine ad eundem finem simpliciter expe-
dit, esse præceptum vel prohibitum, id omne, Na-
turali Jure, est obligatorium. Similiter, quod sim-
pliciter expedit, esse graviter vel leviter prohibitum
pro humani generis beata conditione, est de Jure
Naturæ graviter vel leviter prohibitum. Ita Cardi-
nalis Sfortia Pallavicinus *Philos. Mor. seu de Bono lib.
1. cap. 26. & seqq.* P. Haunold. *Theolog. specul. lib. 2.
tr. 1. n. 350. & seq.* D. Gleile *Jurisprud. fund. l. 1. tit.*
88 *2. cap. 2.* §. 3 n. 7. Ratio est: quia ex decisis in *cap. 1.
n. 8. & seqq.* Lex omnis respicit communem felicita-
tem. Ergo, quia Jus Naturæ, tanquàm firmissima
& fidelissima honestatis regula, est Lex, & quidem
summa ac præcipua, respicit felicitatem communem
totius Naturæ humanæ. Ergo, quod expedit, esse
licitum, vel prohibitum, aut præceptum, sub gravi
vel levi obligatione, ad felicem humanæ Naturæ
statum, erit objectum Juris Naturalis.

89 Dixi aliquoties: *quod simpliciter expedit.* Quod
enim non simpliciter & necessariò conducit, esse li-
citum aut vetitum pro tranquillo & felici humanæ
conditionis statu, sed utile duntaxat ac perquàm
commodum est, rectiùs ad objectum Positivi quàm
Naturalis Juris reducendum esse, censeo cum P.
Joanne Bapt. Erhardt. *Quæst. Theol. de peccat. thesi.*
27. Sunt namque plurima Legis Positivæ capita,
quæ, tametsi pro omni tempore prohibita, fuissent
bono publico valde proficua & utilia, liberâ tamen
Legislatoris voluntate pro certo solùm tempore
fuerunt interdicta. E. G. multùm expediisset bono
communi, matrimonia clandestina, cùm infinita secū
trahant incommoda, usque & usque fuisse vetita &
invalida; & tamen ante Legem Positivam Concilii
Tridentini illa valuisse, notius est, quàm ut pro-
90 bari debeat. Ratio hujus doctrinæ à priori cum
citato præclarissimo Theologo hæc assignari po-
test: quia non erat commodum generi humano,
obrui velut Legum Naturalium immensâ mole;
sed illa solùm objecta expediebat, esse præcepta vel
prohibita, licita vel illicita, quæ primô quasi intui-
tu, vel clarâ deductione poterant censeri esse sim-
pliciter necessaria ad bonum commune, ut præci-
perentur vel prohiberentur, licita vel illicita fierent.
Quid enim magis minuave conducat vel obsit bono
communi, non quivis facilè dispicere valet; cùm
tamen lumen rationis ejusque dictamina ut pluri-
mùm expediat, esse omnibus communia, obvia, &
non multùm recondita. Ad hoc autem, ut cuivis
dignoscere liceat, quidnam simpliciter expediat,
vel non expediat humanæ felicitati, sit

91 Regula secunda. Id omne simpliciter expedit,
licere, in cujus licentiam homines consensissent, si
ante omnem casum particularem ab Authore Natu-
ræ requisiti tulissent suffragium. Et è contrà: Id
omne simpliciter non expedit, licere, in cujus li-
centiam homines non consensissent, si ante omnem
casum particularem ab Authore Naturæ consulti
fuissent. Rursus: Id simpliciter expedit, graviter
vel leviter esse præceptum aut prohibitum, in cu-
jus gravem vel levem obligationem homines, ex-
plicatô modô quæsiti, votum suum dedissent. Ita
Authores, mox recensiti. Declaratur, & proba- 92
tur regula. Quando aliquis se fingit, esse positum
in statu planè abstracto & indifferenti, ita ut nullam
planè notitiam de futuris contingentibus habeat, ig-
narus, sitne exiturus dives aut pauper; nobilis aut
ignobilis; dominus aut subditus; honoratus aut
despectus; nocens aut innocens: tunc ab Autho-
re Naturæ in consilium vocatus, ac de sententia
dicenda, sitne hoc vel illud objectum licitum an
illicitum, rogatus, profectò non aliter dixisset aut
consuluisset, nisi prout simpliciter expedire vel
non expedire credidisset ad felicem humani gene-
ris conditionem. Cùm enim ex *n.* 88. æquè Natu- 93
rales ac aliæ Leges dirigantur in bonum universita-
tis: homo, de Lege Naturali ferendâ consultus,
non ex alio quàm boni publici fine consilium suum
explicare potuisset. Quod autem quisque Autho-
ri Naturæ in dato eventu suasisset, id de facto de-
cisum & statutum fuisse, eò minùs dubitet, quò
certiùs ex Divino testimonio tum in Psalmo 4. tum
Joannis 1. *cap.* scit, *signatum esse super nos lumen
Divini vultûs*; DEUMque *illuminare omnem homi-
nem venientem in hunc mundum.* Hinc scitè Hie-
rocles ad mentem Pythagoræ dixisse legitur: *idem
est rationi parere, atque DEO. Natura enim, quæ
rationis est particeps, cùm splendorem suum, suám-
que lucem sortita est, ea ipsa amplectitur, quæ Di-
vina Lex statuit, nec discrepat à DEI sententia ani-
mus, qui secundùm DEUM se habet.*

Confirmatur & promovetur discursus. Bonum, 94
definiente Aristotele, est, *quod omnes appetunt*: nul-
lum autem bonum est amabilius, & appetibilius,
quàm propria felicitas: quia, ut habet Card. Aguir-
re *ad lib. 1. Ethicorum cap.* 8. n. 6. felicitas amatur
ab unoquoque, cùm omnes velint esse felices. At-
qui felicitas propria, quam quisque hominum ha-
bet, aut habere sperat, non potest haberi vel spe-
rari certiùs, quàm ex communi humani generis fe-
licitate: quia, ut loquitur allegatus P. Erhardt,
bonum communitatis est bonum singulorum, & bo-
num singulorum est bonum communitatis. Ergo,
qui de Lege Naturali sancienda in consilium voca-
tus esset, cùm utique propriam felicitatem in sanc-
tione Legis penitus negligere velle credendus non
sit, non aliter dicturus aut suasurus esse judicandus
est, ac sicut communi hominum felicitati expedire
crederet: quia ut insinuatum est, communis felici-
tas singulos reddit felices. Contra hanc & priorem
regulam

Objicies I. multa reperiuntur, quæ honesta & 95
concessa non sunt, tametsi plus boni & solatii,
quàm mali & molestiæ communitati hominum affe-
rant. E. G. occisio hominis improbi, injussu Ma-
gistratus facta; occisio Regis, stultè & tyrannicè
regnantis; mendacium, conservandæ Reipublicæ
gratiâ prolatum &c. & plures ejusmodi actiones sunt
illicitæ & inconcessæ, esto plus prodessent, quàm
obessent Reipublicæ. Ergo prima regula non est
bona.

Resp. hanc objectionem versari in malo suppo- 96
sito. Quando in *num.* 87. regulam posuimus,
quòd honestas actionis ex utilitate publica dimetien-
da sit, non intelliximus utilitatem, quæ in uno vel
altero

altero casu particulari, sed quæ in communi & ple-
rumque ea permissione vel prohibitione actionis eve-
niret. At in exemplis relatis posset equidem ex licen-
tia occisionis vel mendacii semel & iterum singulare
commodum subnasci; commune verò emolumen-
97 tum neutiquam resultaret. Nam, ut facundè dis-
serit citatus Pallacivinus *d. lib.* 1. *cap.* 21. si cui-
que concessum foret, eos privatâ auctoritate interi-
mere, qui interimenti videntur improbi: cuinam, ro-
go, perpetuum vitæ periculum non intentarent de-
pravata passim hominum, vel ea odio, vel ex temeri-
tate, judicia? An latet nos, quàm discrepantibus &
oculis intueatur, & linguis narret fama vel res gestas
Heroum? Quis nescit, quantâ æstimationis iniquita-
te laboraverit aliquamdiu per Europam Bernardus;
hoc est, salutaris ille non operâ minùs quàm ingeniô
Europæ Angelus? Quot homines vel sanctissimi
damnârunt Chrysostomum illum, cujus vox Cœli
tuba; cujus constantia Cœli propugnaculum fuit?
Avertat DEUS, ut sinistra quælibet aliorum persua-
sio, quæ linguas acuit, & nostrum transfigit nomen,
ensesquoque in eos exacuere possit, pectusque trans-
98 figere. Jam verò, subjicit idem Cardinalis, de Regi-
bus quid attinet loqui? Nemo privatorum sic he-
bes est, ut Salomoni parem se ad regendum non
jactitet. Contrà, ne si alter quidem è Cœlo de-
mitteretur Salomon ad regnandum, idcircò non irri-
deretur quasi hebes a popello, in umbra privatæ
conditionis caligante. Quare fac honestum sit, Re-
gem malè administrantem interficere, vix ullus à
99 furentis plebis audacia securus erit. De mendacio
tandem, concludit ille, nôsti, quantùm humana
congregatio sermone juvetur: hôc sequestrô ita
scientiam cum aliis communicamus, eandem ut
nobis integram retineamus. Considera notitiam hanc,
quæ ad nos ex alieno testimonio manat, eam tan-
dem esse, quâ parentes, quâ liberôs, quâ cogna-
tos, quâ Principes, quâ legatum nobis à majori-
bus patrimonium agnoscimus; unô verbô, quâ re-
guntur deliberationes cunctæ, judicia, distributio
cùm præmiorum, tum pœnarum; quâ denique
universa mortalium rerum procuratio continetur.
Præstat ergo, nullô ut eventu mentiri liceat:
alioquin semper auditor jure verebitur, ne tum
fortè in eo, in quo mendacium innocens est, lo-
quutor aut re, aut opinione versetur. Quocir-
ca nulla vel perspectissima loquentis probitas om-
nem de re, quam loquitur, nec in assentiendo
suspicionem, nec in deliberando hæsitantiam me-
ritò difflabit ex audientium animis. Hucusque fe-
rè in formalibus Pallavicinus.
100 Objicies II. non omnia, quæ Jure Naturæ præ-
cepta sunt vel prohibita, tendunt ad bonum uni-
versale totius humanæ Naturæ. Nam occisio v.
g. sui ipsius; peccata carnis cum propria perso-
na, cogitatu vel opere perpetrata; blasphemia vel
odium DEI &c. sunt flagitia, Jure Naturæ vetita;
& tamen bono universali totius humanæ Naturæ
non officiunt. Ergo superior & prima regula non est
apposita ad singula Juris Naturalis objecta explicanda.
101 Resp. ex P. Erhard *cit. l. th.* 15. *& seq.* omne
peccatum esse contra bonum DEI, proprium, &
communitatis: cùm enim bonum, quod Lex Na-
turalis intendit, sit simul bonum singulorum & bo-
num omnium, quatenùs ex felicitate singulorum con-
surgit felicitas communis; ac prætereà ex singulari
& benignissima Divini Creatoris dispensatione bona
Dei fiant bona nostra, & nostra pariter fiant bona DEI:
nullū peccatum est, quod non offendat bonum DEI,
communitatis, & proprium. Quòd verò aliqua peccata
102 dicantur esse contra DEUM, alia contra proximum,
alia contra seipsum, inde est: quia aliqui actus
immediatè bono DEI, alii immediatè bono pro-
ximi, alii bono proprio opponuntur; licèt media-
tè omnia hæc bona simul procurentur actibus pro-
ficuis, & simul actibus contrariis pessumdentur. In- 103
terim, ut nihil memorem de peccatis contra DEUM,
de quibus infrà *num.* 100. sed demonstrem, reli-
qua peccata, in objectione relata, esse contra Na-
turæ rationalis commune bonum: considerandum
relinquo, an non autochiriæ seu propricidii pro-
miscua facultas diminuat numerum civium, tollat
occasionem meritorum, injuriam inferat DEO &
Reipublicæ? Cùm occisor sui vitam, quam non pro-
priâ industriâ, sed miserentis DEI gratiâ, tum ad
Divinum honorem, tum ad boni communis in-
crementum, acquisivit, prodigâ insaniâ & insanâ
prodigalitate abjiciat. Omnia animantia appetunt 104
sui conservationem; & homo, ferâ bestiâ crude-
lior, invideat sibi lucem, quam DEUS & Natu-
ra indulget? Quin, cùm plerumque ex inversa,
perversa, & sinistra impressione aut phantasia sui-
cidæ mortem tanquàm minùs malum (dum tamen
naturaliter majus non est) eligant: an non expe-
diens fuit Naturæ humanæ qua tali, liberum pro-
priæ occisionis arbitrium a Naturæ Lege fuisse
ademptum, ne, quam ablatam recuperare non li-
cet, auferre sibi vitam stultô quis furore possit?
Quæ causa est, quòd omnes ferè populi, ipsique
Gentiles & cædem propriam detestati, & infero-
rum rogô dignos ejusmodi homines arbitrati sint,
teste Poëtarum Principe, qui in *sexto Æneidos* lo-
cum in Styge assignat iis,

- - - - Qui sibi letum
Insontes pepêrerè manu: lucèmque perosi,
Projecêre animas.

Peccata in materia lubrica, cum proprio indi- 105
viduo commissa, utique abhorret Natura, non tan-
tùm quia Naturæ ordinem & finem intervertunt,
sed etiam quia ex Doctoris Angelici doctrina (quam
refert & ampliat Joannes Cardenas in *Crisi Theolo-*
gica dissert. 29. *à num.* 92. ad propositionem 48. *&*
49. ab Innocent. XI. damnatas) luxuria est arbor pe-
stilens & infœcunda, nullos alios fructus afferens,
quàm cæcitatem mentis, inconsiderationem, præci-
pitationem, inconstantiam, amorem sui, tædium DEI,
affectum præsentis sæculi, horrorem vel desperatio-
nem futuri: ea qua ratione fit, ut illi, qui fœdissimò
hôc vitiò delectantur, & ipsi ad munera & officia si-
bi aliisque utilia inhabiles existant, & ab aliis tanquàm
effœminati & infames vilipendantur. Imò, concessâ
similium voluptatum indulgentiâ, nemo facilè matri-
monium, ex se onerosum, appeteret: cùm libentiùs
voluptate sinè dolore quàm cum dolore frui, vix ali-
quis sit, qui non ambiat.
Neque interest, quòd plurimi non tantùm ex 106
Gentibus, sed etiam Christianis, Catholicis, Sa-
pientibus, Piis, vel negârint, vel in dubium vocâ-
rint: sitne autochiria, mollities, & similia flagitia con-
tra Naturam? Fortè enim ex alio, quàm nostro prin-
cipio Juris Naturalis objecta mensurârunt; aut non
sufficienti rationis lumine (quod Divinæ Munificen-
tiæ in acceptis est referendum) præditi, aliter,
quàm oportuisset, ratiocinati sunt: cùm tamen ex
decisione Pontificia Innoc. XI. *in cit. prop.* 49. in-
dubitatè pateat, mollitiem esse peccatum contra Na-
turam, conformiter decisioni & doctrinæ Apostoli-
cæ, quam proponit Gentium Prædicator ad *Rom.* 1.
v. 24. ibi: *tradidit illos DEUS in desideria cordis eo-*
rum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora
sua in semetipsis; & 1. *ad Corinth.* 6. *v.* 19. ibi: *neque*
molles regnum DEI possidebunt. Illustrant hoc punc-
tum SS. Patres apud Cardenam *cit. dissert.* 29.
Objicies III. regula honestatis vel inhonestatis Na- 107
turalis, ea communi generis humani utilitate di-
gnoscenda, non videtur esse diversa ab illa, quæ

in societate solidatur: quid enim aliud est bonum socialitatis, quam bonum commune plurium, in societate existentium? Sed rejecta est socialitas, nec agnita pro principio honestatis vel inhonestatis Naturalis. Ergo eôdē jure rejicienda est communis utilitas.

108 Resp. principium socialitatis multis parasangis à principio communis utilitatis creaturæ rationalis quà talis distare. Socialitas siquidem nec primum, nec unum, nec universale principium est justi & liciti Naturalis: quia requirit & supponit hominem, in societate necessariò constitutum: cùm tamen ex suprà probatis à *num.* 85. neque absolutè necessum sit, in societatem coire; neque, stante socialitate, officia hominis erga DEUM & seipsum exinde desumi pos-
109 sint. At communis creaturæ rationalis utilitas non requirit, per se loquendô, civilem societatem: cùm Lex Naturæ in bonum Naturæ ferri & rogari valeat, tametsi homines nullam invicem societatem ineant. Unde memorata ratio communis utilitatis est primum, unum, universale, unô verbô, genuinum principium, uti aliarum, ita & Naturalium Legum. Reliquas objectiones, quæ contra has regulas formari possent, haud ægrè ex §. *seq.* quivis enodare poterit.

§. IV.

Exposita doctrina ad casus singulares applicatur.

110 Ut gemina regula, quam de investigando Juris Naturalis objecto in §. *præced.* exposuimus, magis perspicua, magisque fundata appareat, ad casus singulares modò applicatur, & ex illa

Ostenditur I. omnia Decalogi præcepta justissimâ conclusione ad Jus Naturæ revocari. Nam præcepta primæ tabulæ, quæ officia hominis erga DEUM explicant, sinè dubio communi totius Naturæ votô ex causa rata & probata sunt: quia expedit inordine ad felicem conditionem Naturæ rationalis, ut primus illius Author & Conditor omni Religionis & pietatis officiô colatur; quatenùs tam debitæ gratitudinis servitium recipiat, quàm ad providentissimæ conservationis indulgentiam simul propitietur. Et profectò, cùm omnis bonitatis & felicitatis humanæ exordium ab Opt. Maximo Numine scaturiat, juxta illud à Gentibus usurpatum adagium: *à Jove principium*; beatior & felicior humanitas nunquàm erit, quàm si fontem omnis beatitatis Religiosis actibus faciat sibi faventem & pro-
111 pitium. Et ideò Philosophorum non postremus Pythagoras dicere assolebat: *vita omnis ordinatur & componitur ad id, ut sequamur DEUM; hocque & Philosophia dicit, quod ridiculè faciant homines, qui aliunde felicitatem quærunt, quàm à Diis, & qui eis sunt consimiles.* Pythagoræ suffragatur Socrates, qui apud Xenophontem, *Deos colere Legem esse*, ait, *quæ apud omnes homines valeat.* Socrati adstipulatur Plato, qui pro primo Naturæ principio statuit, *DEUM esse*; eâque ratione motus *lib. 4. de LL.* ita loquitur: *DEUS, ô viri, quemadmodum & vetus sermo habet, principium, & finem, & media omnium rerum in potestate sua habens, rectâ viâ incedit, naturâ sua omnia circumiens. Hunc autem semper comitatur justitia, eorum, quæ à Lege Divina aberrant, vindex. Cui, quisque beatus esse cupit, se associat, & demissè & modestè sequitur.*

112 Præcepta secundæ tabulæ ex proposito Juris Naturalis principio liquidissima sequelâ deduci, cuivis absque longiori discursu pervium est. Quòd enim in recta harmonia Superiorum & inferiorum, nec non æqualium inter se quies publica consistat, nemo est, qui neget. Quid autem præcepta secundæ tabulæ aliud præcipiunt, quàm obedientiam liberorum & subditorum erga parentes & Superiores; quàm mutuum amorem inter proximos? Quid aliud interdicunt, nisi furta, rapinas, adulteria, homicidia, & sexcenta alia injustitiæ & flagitiorum genera, quæ diuturnæ & constanti humanæ societatis concordiæ quàm maximè obsunt?

Ostenditur II. tam matrimonium, quàm cœliba- 113
tum ex Jure Naturæ descendere. Et matrimonium quidem ex Jure Naturæ ortum traxisse; humanæ prosapiæ, ad finem usque mundi propagandæ, necessitas, nulli non manifestè indicat. Cœlibatum verò 114
(sub spontanea libertate, & absque necessitate) Jure Naturæ permissum esse, inde probatur: quia cœlibatus est bonum longè excellentius & nobilius bonô conjugii: partim quòd, demonstrante Haunoldô *cit. lib. 2. Theol. Schol. tract. 1. num. 356.* præter mentis singularem tranquillitatem expeditiorem cœlestium rerum contemplationem afferat: partim quòd majorem similitudinem mortalibus cum Deo, qui totus est spiritus, adsciscat: partim denique, quòd etiam ad munera & munia politica ac naturalia quemvis aptiorem & intentiorem efficiat.
Omnium ergo mortalium, ante prævisas peculiares 115
status & conditionis suæ circumstantias quæsitorum, vota fuisse, censendum est, ut cœlibatus, tanquàm expediens & utilis, sub cujusvis hominis libero arbitrio relinquatur. Verè igitur & egregiè Cicero in *Orat. pro Sylla*, *Regum est*, inquit, *ita vivere, ut non modò homini, sed ne cupiditati quidem servias.* Et, edocente Lipsiô *Mon. l. 2. cap. 17. castitas dignissima est Principe, cujus proprium est, alta & seria cogitare; quod non permittit libido quæ in sordidis cogitationibus & cœno suo hæret.* Videatur Eximius D. P. Anselmus Schramb *Phil. Mor. part. 1. art. 10.*

Quando ergo nonnulli, carne quàm spiritu magis 116
animati, opponunt: matrimonium esse sub præcepto institutum, utpote sinè quo humanum genus crescere & multiplicari non potuisset: respondet ex Acatholicis ipsemet Puffendorff de *J. N. lib. 6. cap. 1. §. 7.* esse præceptum affirmativum, indefinitum, & indeterminatū; quòdve non singulos necessariò & quôvis tempore obliget: consentiente in idem placitum Jacobô à Ryssel, qui de *J. N. l. 1. cap. 18. num. 8.* scribit, illos, quià Natura feruntur ad cœlibatum, cùm nullus defectus est inter homines, non peccare contra voluntatem DEI, si hanc societatem intermittant; Legemque de ineundo matrimonio ita intelligi, quòd quidem obliget totam communitatem hominum, non autem perinde singulos. Jam verò defec- 117
tum & penuriam hominum, in sæculo remanentium, non esse, pridem in persona Anerœsti demonstravit amœnissimus Barclajus *Argenidis lib. 5. cap. 12.* ubi, „ si quem, inquit, animus subit experiundæ suavitatis, quam habet nostra (Religiosorum) austeritas, „ ne illum argumenta quævis deterreant; néve suô „ cœlibatu credat, solitudinem orbi inducere. Ultro „ nobis (Religiosis) accedat: adhuc populis proletarii supererunt; adhuc artificis vigebunt; restabuntque, quot sat erunt urbibus terrisque colendis. Desine vereri, ne toti hominum generi desiderium veniat, se in disciplinam nostræ Philosophiæ dedendi. Dii enim hoc beneficium magis habent eximium, „ quàm ut illud toti populo indulgeant. Nemini autem absque eorum impulso venire hæc ritè mens „ potest; nemòque in ea, nisi iisdē juvantibus, perdurat.

Quòd autem citatus Ryssel licentiosô calamô *cit.* 118
loc. n. 9. attexere audeat: quòd si cœlibatum Monachatûs ex vero suo principio derivare volumus, non possumus non existimare, quòd illis Dominis matrimonia propterea sint interdicta, ut missis curis domesticis, tantùm interesse Sedis Papalis & communem utilitatem Clericorum observent; impostura & calumnia est, non argumentô, sed contemptu explodenda.

Qua-

Quasi verò tot Religiosorum millia, quibus Apostolica Sedes equidem venerationi est, in gratiam solius Summi Pontificis, quem neque noverunt, neque commodum aliquod temporale ab eodem sperare possunt, mundo & carni nuntium misisse, quispiam sobriæ mentis unquam vel cogitaverit: nisi ipsos Apostolos, quorum exempla Religiosi sectantur, ex motivo honoris vel commodi tempora-
119 lia ad cœlibatum aspirâsse, edicere non erubuerit. Audiat, quisquis similia scribere vel fingere amat, quæ citatus Barclajus de Religiosi cœlibatûs præstantia & utilitate *loc. cit.* sub schemate ejusdem Aneroesti perorat. *ubi*, inquiens, *amor recti & ambitus ineundæ cum Diis amicitia, simulque cœlestis iræ timor, tetigit animum; nihil illi antiquius esse debet, quàm recedere à vitiorum periculis, jam tot mortalium exitio infamibus. Ea verè pericula partim nobis insita habemus, partim ab aliis in nos incurrunt: Et in hæc omnia efficaci remediô, istam solitariæ severitatis religionem invenimus.* Hæc Barclajus & plura ibidem &c. Qui verò Sectariorum argutias contra cœlibatum explorare cupit, adèat Illustrissimum D. Augustinum Reding in *Veritate inextincta Concil. Trid. Sess.24.tract. 11. quæst.7. & 8.* inveniet tela & scutum.

120 Ostenditur III. quænam impedimenta Naturali Jure matrimonium dirimant. Primò enim polygamia, tàm virilis & in specie sic dicta, quàm fœminina (aliàs polyviria) valorem matrimonii subvertunt. Nam, ut aptè ad propositum loquitur Philippus Reinardus Vitriarius in *Instit. J.N. cap.5.n.16.* Jus conjugale non pendet à solo conjugum consensu, sed etiam à DEO & Jure Naturæ, quod vult, ut amor conjugalis sit æqualis, reciprocus, & individuus, sinè quo societas honesta & decora inter homines stare non potest. Jus enim Naturæ æquale est in omnibus hominibus in universo mundo, & sic in pauperibus æquè ac divitibus: quibus omnibus si concedatur jus habendi plures uxores, evertatur societas, necesse est. Scilicèt per liberorum nimiam multitudinem nobiles familiæ ad egestatem, modicæ ad mendicitatem redıguntur, ac tandem tenui plebeculâ civitates repletæ, ubi commodò evacuari nequeunt, mole suâ Respublicas subvertunt.

121 Adhæc utraque polygamiæ species inducit discordias, rixas, bella domestica, uti D. Augustinus apud Felicem Verani *Juris Can. tom.4. ad l.4. Decretal. t.4. n.23.* ostendit; & legitur *Gen.16.30. ac 1. Reg.1.* eaque ex causa Socrates Alcibiadi interroganti: cur duas ferret in domo uxores? respondisse fertur: *hæc me domi docent tolerantiam, quâ in publico utendum est.* Adeòque tam generationi quàm educationi prolis utraque plurimùm nocet. Gibalinus *Scientiæ Can. l.3. c.3.*
122 *q.3. n.27.* Prætereà, ut notat citatus Verani *n.24.* Gentes satis multæ, solius Naturæ radiò illuminatæ, polygamiæ malitiam agnovêre; quòdve singulariter Germani ab uxorum pluralitate abstinuerint, testis est Tacitus *de Mor. Germ.*

123 Accedit, quòd fides conjugalis, quæ, sicut omnis, sic maximè conjugalis societatis nexus est, haud dubiè violetur per accessum ad aliam fœminam, ac cui prima fides est data. Vitriarius *cit. loc.* Indeque Matthæi *cap.5. & 19* adulterium committere dicitur, qui uxorem suam dimittit, & aliam ducit. Ex quo loco Innocentius III. in *cap. gaudemus 8. de Divortiis* solidè arguit: *si ergo, uxore dimissâ, duci alia de Jure non*
124 *potest, fortiùs & ipsâ retentâ.* Denique uti Divina Veritas *cit. loc.* Matthæi & Marci 10. discurrit, ab initio, quando DEUS masculum & fœminam creavit, *non erat sic*; hoc est, plures uxores habere non licebat, ex quo non plures, sed duo in carne una fiunt per matrimonium. Neque, ut disserit Innocentius in *cit. c. gaudemus, ulli unquàm licuit, insimul plures uxores habere, nisi cui Divinâ revelatione concessum fuit.* Videatur Reding ad *Concil. Trid. Sess.24. tr.11. sect. 2. q.4.*

125 Deinde perspicuum est, errorem, vim, impotentiam, & quæcunque impedimenta, quæ defectum substantialem sive ex parte corporis sive ex parte animi; sive ratione voluntatis, sive ratione potestatis inducunt, ex Jure Naturæ deduci. Neque enim creaturæ rationales approbare potuerunt matrimonium, ad cujus subsistentiam requisita essentialia desunt.

De cognatione carnali, in quâ iam linea, & quotô 126
gradu matrimonium de Jure Naturæ dirimat? Multifaria & opposita DD. placita reperio; quorum examen & discussio, cùm specialem laborem mereatur, ad *tom. 3. lib. 4. tract. 3.* differetur.

Ostenditur IV. originem patriæ potestatis, quatenùs 127
includit jus regendi, educandi, & alendi liberos, à Jure Naturæ duci. Kestnerus de *J.N. cap.4. §.11. & 13.* Cùm enim liberi majori cum miseria quàm bruta nascantur, quippe qui diuturnô satis tempore nec de alimentis sibi prospicere, nec de agendis semet instruere possunt: rectè Natura non tantùm alimentandi, sed educandi quoque & regendi obligationem, concurrendi & communi mortalium arbitriô, parentibus detulit. Parum siquidem esset liberos procreare, eos tamen 128
vel in cunis statim ad manes & manus mortis damnare, alimentô vitæque vehiculô destitutos; vel brutorum instar sibi suisque indomitis affectibus relinquere, omni educatione & directione privatos. Audiatur Cicero, qui *Lib.3. de fin.* ait: *etiam in bestiis vis Naturæ inspici potest, quorum in fœtu & educatione laborem cùm cernimus, Naturæ ipsius vocem audire videmus.*

Dixi *parentibus.* Quòd enim solus pater de Jure 129
Romano potestatem in liberos adeptus fuerit, non etiam mater, contra Jus Naturæ permissivum est, quò æquè genitrici ac genitori jus in liberos competit, ob æqualem, si non majorem, illius quàm istius in liberos amorem & laborem: quamquàm si convenire non possint, viro utique potius & præstantius imperium quàm fœminæ concessum videatur. Pufendorff. de *J. N. lib. 6. cap. 1.*

Ostenditur V. divisionem rerum, suppositâ huma- 130
ni generis multitudine & multiplicatione, cum Pufendorff de *J.N. & G. lib.4. cap.4. n.6.* D. Braun de *Dominio cap.4. §.12. n.5 & 7.* Juri Naturali non sinè fundamento adscribi posse. Tametsi enim ex communissimo DD. placito in prima mundi ætate res aliquamdiu fuerint communes, partim negativè, quatenùs ut vult *cit.* Pufendoff, res omnes fuerunt in medio positæ, & non magis ad hunc, quàm illum pertinuerunt: partim etiam positivè, quatenùs, ut habet Braun *cit. l. §.1. n.3.* dominium rerum creatarum fuit penes totam communitatem hominum, cuilibet verò de communitate jus competiit, rem aliquam pro suo usu & indigentia ex immenso illo rerum cumulo sibi appropriandi, ita ut, quod quisque sibi arripuerat, non potuerit illi sinè injuria auferri. Tametsi, 131
inquam, res ita communes fuerint: nihilo tamen minùs illa communio non erat Juris Naturalis præceptivi, sed permissivi & conditionati; eousque videlicèt restricta, donec communis pax & tranquillitas humanæ societatis, quæ stante rerum communione persistere non potuisset, recessum à communione, & divisionem ac proprietatem exegerit.

Nequa exoticum aut insolitum videri debet, quæ- 132
piam præcepta Juris Naturalis esse, quæ locum & vim non obtinent pro omni statu, tempore, & suppositione: nam & præceptum parendi dominis non habet virtutem, nisi suppositâ servitute: & præceptum de non furando effectum Legalem non exserit, nisi introductâ rerum propriatate. Adeòque sinè absurdo erit, quòd præceptum de tollenda communione, & introducenda divisione pro illo duntaxat statu vigorem suum acceperit, quò concordia & tranquillitas inter homines sinè hoc medio stabiliri non valuit. Confer citatos Authores, qui non solùm plura argumenta in rem præsentem idonea suggerunt, sed etiam obstantia refellunt.

233 Ostenditur VI. effectum, qui humanas conventiones & pactiones comitatur, puta obligationem servandi & custodiendi fidem, deliberatè & mutuò datam, ex Jure Naturali pullulare. Esto enim liberum & arbitrarium cuivis sit, velitne pacisci & contrahere, vel à pactis & contractibus abstinere: attamen contractus & pacta, sincerè & sanctè inita, eludere aut contemnere, sinè injuria & offensa boni publici, sinè
234 transgressione Legis Naturalis, non licet. Alioquin, quis alteri fideret, crederet, consentiret, juratam quoque fidem interponenti? Certè nemo. Sicque intercideren commercia, dissolverentur societates, perirent Respublicæ, Fide, unicô velut commerciorum, societatum, & Rerumpublicarum vinculô, deficiente. Verè igitur Aristoteles, *sublatâ fide*, inquit, *tollitur, quod inter homines est, commercium.* Cicero quoque nefarium existimat, fidem frangere, quæ continet vitam, *sanctissimum*, ut Seneca loquitur, *humani pectoris bonum.*

235 Impius igitur est Machiavellus, qui *lib. de Principe*, „ non est, ait, necesse Principi, habere Virtutes, Pietatem, Fidem, Humanitatem: sed eas „ simulatione præ se ferre necesse est. Imò ausim „ dicere, habere illas, & semper observare, damnosum esse: cùm sit novo Principi sæpè necessarium, operari contra Fidem, contra Charitatem, contra Humanitatem, contra Religionem.
236 Aliter & sanctiùs scripsit Lipsius 1. *monit. polit.* 6. *quantò melius*, inquiens, *securius, firmius, recta apertâque viâ incedere; DEO, sibi, hominibus se probare? exclamare cum Seneca: nihil opinionis causâ, omnia conscientia faciam. Populô spectante fieri credam, quidquid me conscîô faciam.* Nempe (subinfert Doctor Claravallensis in *Cant. Serm.* 85.) *nihil hâc luce clarius, nihil hôc gloriosius testimoniô, cùm veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt.* Confer. D. Braun. *tr. Jurid. de Fide.* ubi distinctissimè & succinctissimè probat, fidem hæreticis, infidelibus, hostibus, tyranno, rebelli, piratæ, latroni, æquè à Principibus ac privatis, suadente sic & urgente publicâ totius orbis salute, servandam esse.

237 Ostenditur VII. testamenti factionem eô sensu, quòd homines valeant (non debeant) de rebus suis in tempus mortis disponere, ex præjactis Naturalium Legum regulis quàm optimè probari. Commune enim collectæ mortalitatis placitum eam dominio vim tribuisse videtur, ut, quæ quisque labore & sudore vivus sibi parturit bona, tum inter vivos, tum etiam in casum secuturæ mortis in alios erogare, officia demereri, ac beneficia compensare queat, quâ re & vivi maximè juvantur, & morientes delectantur. Mullerus ad Struv. *exercit.* 32. *th.* 3. *l. V.* Illi præsertim, qui immortalitatem animæ non solùm in fide, sed etiam in pretio habentes, post mortem bene sibi facere & fieri desiderant. Quæ ratio est, quòd, ex testimo-
238 nio citati Mulleri, potiores Gentes liberam testandi licentiam receperint; atque, ut ait Quintilianus *declamat.* 308. *in more civitatis, in Legibus positum fuerit, ut quotiens fieri potuerit, defunctorum testamento stetur. Neque enim*, pergit ille, *aliud videtur solatium mortis, quàm voluntas ultra mortem: alioquin potest grave videri & ipsum patrimonium, si non integram Legem habet: &, cùm omne jus nobis in id permittitur viventibus, auferatur morientibus.* Prolixiùs hanc opinionem in *tom.* 2. *lib.* 3. *tract. de Success. hæredit.* prosequemur.

239 Plura exempla pro roboranda & dilucidanda Regula nostra de indagando Juris Naturalis objecto accumulari possent: sed ista, ut opinor, cùm celebriora sint, sufficient: hôc unicô adnotatô, non omnia Juris Naturalis præcepta unicô velut intuitu ex nostro principio deduci: quandoquidem longiori subinde discursu opus est, ut probetur & demonstretur efficaciter, publicè interesse, hoc vel illud objectum esse prohibitum aut præceptum. Ex quo 140
est, quòd juxta majorem vel minorem rectæ rationis lucem, pauciora vel plura Juris Naturalis capita ab uno vel altero percipiantur. Ideòque, cùm mala consuetudo, prava educatio, vitiosi habitus, improba societas, quin ipsa organorum dispositio lumen rationale sæpissimè non quidem ex toto obvelent & extinguant, summoperè tamen obducant, non rarò mala putantur bona, & vitia mendaci colore ac fucô suam turpitudinem celant. P. Wenzl de *LL q.* 2. §. 2. *in Coroll.*

SECTIO III.

De effectu Juris Naturalis.

SUMMARIA.

141. *Omnis Lex Naturalis obligat in conscientia.* 142. *& seqq. Proponitur quædam distinctio inter obligationem legalem ac moralem.* 144. *Rejicitur* 145. *& seqq. Vindicatur authoritas Covarruviæ.* 147. *Explicatur varietas obligationis.* 248. *Recapitulatio doctrinæ prioris capitis de Lege irritante.* 149. *& seq. Ratio dubitandi de applicatione illius ad Legem Naturalem.* 151. *Distinctio pro utriusque sententiæ concordia.* 152. *& seqq. Conclusio & regula de cognoscenda Lege Naturali irritante.* 156. *& seqq. Conclusio & regula alia de eadem Lege.* 159. *& seqq. Conclusio & regula de Lege Naturali tantùm prohibente.* 162. *Agitur de mutatione Juris Naturalis.* 163. *& seqq. Adstruuntur varia mutationis genera.* 168. *Jus Naturale permissivum mutari potest.* 169. *& seqq. Præceptivum formaliter & propriè ne quidem à DEO mutari potest.* 173. *& seqq. Objectio cum instantia diluitur.* 179. *& seqq. Potest ab humana potestate impropriè mutari, quando materia pendet ab illa.* 181. *& seq. Scrupulus eximitur.* 183. *& seqq. Ponuntur exempla.* 186. *& seqq. Potest mutari impropriè à DEO, quando materia illius potestati subjacet.* 191. *& seqq. Non item, quando non subjacet* 195. *Epikiam impropriam non respuit Jus Naturale.* 196. *& seqq. Propriam non suffert.* a00. *& seqq. Oppositio quædam in medium profertur, & eliminatur.*

§. I.

Num omnis Lex Naturalis in conscientia obliget ad actum?

OMnem Legem, Naturalem & Positivam, obligare in conscientia, vel ad actum, vel ad pœ- 141
nam, vel ad utrumque, definitum est in *cap.* 2. *à numero* 234. Jam verò Legem Naturalem, cùm pœnam temporalem annexam non habeat, sed spiritualem, in altero mundo sustinendam, ad actum vel faciendum, vel omittendum obligare, eó certiùs definiri potest & debet, quò minùs ex una parte dubium est, quòd Legis Naturalis Auspex & Vindex DEUS neminem puniat, nisi culpæ in conscientia reū; quóve ex altera parte magis est pervium, ea, quæ recta præcipit ratio, agenda; ea, quæ prohibet, vitanda esse.

Unum ergo, quod ulteriùs hic excutiendum restat, 142
est singularis quorundam sententia, distinguendum duplicem obligationem Naturalem, Legalem videlicèt & moralem. *Legalem* dicunt, quæ non oritur ex debito præcedenti simpliciter tali; qualis est obligatio honestatis & gratitudinis, quam contrahit ille, qui ab altero beneficium accipit, utpote cui ad agendas

gratias

gratiam non ex debito stricto, sed honestate potiùs
143 obstringitur. *Moralem* appellant, quæ ex debito præcedenti simpliciter tali subnascitur; qualis est obligatio justitiæ, ex pacto vel contractu consurgens, utpote ad cujus exsolutionem creditor jus strictum & rigorosum adversùs debitorem habet. Priorem obligationem in conscientia procedere, negant; posteriorem stringere, affirmant, sententiæ suæ Authorem laudantes Didacum Covarruviam in *cap. cùm esses de Testam. num.* 17. & in *cap. cum in officiis eod. tit. circa fin.*

144 Sed præfatam distinctionem neque ratio, neque authoritas sustinet. Ratio namque suadet, omnia peccata, quæ Naturæ repugnant, lædere conscientiam: implicat enim, actum Naturæ rationali quà tali dissentaneum exercere, nec simul in conscientia sentire reatum culpæ, ab actu dissentaneo inductum. Unde D. Paulus sæpe *cit. Epist. ad Rom.* 2. dum Gentibus quoque Legem Naturalem esse cognitam, ostendit, mox ℣. 15. adjicit: *testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum.*

145 Authoritas verò Covarruviæ neutiquàm succurrit: quandoquidem in *cap. cùm in officiis de Testam. num.* 31. disertissimis verbis docet, obligationem honestatis, seu gratitudinis, quæ ex collatione beneficii redundat, quandoque sub mortali stringere, si nempe contemptus beneficii concurrat. Similiter in *cap. cùm esses d. num.* 17. apertè contendit, obligationem, quæ ex testamento insolenni oritur, non esse verum obligationem naturalem: cùm neque retentionem neque exceptionem operetur, uti obligatio naturalis vera operari debet; sed solam indebiti repetendi negationem, quæ in nostra sententia, in *cap.* 1. *num.* 346. relatâ, tunc primùm exoritur, quando indebitum ex testamento imperfecto scienter & sponte solutum est.

147 Cæterùm non invitos largior, debitum honestatis & justitiæ multùm differre: cùm prius in creditore jus strictè dictum, & vinculum morale non inducat; posterius autem jus proprietatis, legale, &, ut ajunt, rigorosum ex parte creditoris, onà cum obligatione solvendi & restituendi ex parte debitoris, efficiat. Suarez de *LL. l.* 2. *cap.* 9. *num.* 6. & 7. Gibalinus *Scientiæ Can. l.* 3. *cap.* 4. *q.* 1. *num.* 2. Repetantur dicta *in tractat. praamb. cap.* 2. *à n.* 38.

§. II.

Utrùm Jus Naturale quosdam actus faciat irritos?

148 Ad effectum Legis in *praced. cap.* à *num.* 311. reduximus vim partim prohibendi, partim irritandi actus, Legi contrarios; quin Legem humanam prohibentem regulariter quoque irritantem esse, conclusimus in *num.* 317. Num eôdem tenore de Jure Naturali philosophandum, atque actus, contra Legem Naturæ prohibentem exercitus, pro irrito declaran-
149 dus sit? Est, quòd dubitemus. Ratio pro parte negante est: tum quia Jus Naturæ solùm præcipit aut prohibet, non etiam irritat: tum quia matrimonium v. g. cum voto simplici castitatis initum, est illicitum, & tamen non irritum; uti & secunda emptio, contra primam, cum traditione celebrata, est quidem prohibita, nec tamen invalida.

150 Econtra Ratio pro parte affirmante variis exemplis innititur. Nam I. matrimonium vi, errore, impotentiâ contractum, est irritum. II. contractus ex dolo, circa substantiam rei versante, initus, est invalidus. III. usuræ, seu promissæ tantùm, seu etiam solutæ fœneratori, nullum retinendi jus tribuunt; sicque
151 invalidè tam promittuntur, quàm exsolvuntur. Utraque pars condictionis combinari, & sustineri potest, si distinguatur: an actus de Jure Naturali prohibitus sit ob defectum potestatis, materiæ incapacitatem, aut indecentiam cum causæ perpetuitate conjunctam; an verò prohibitio ex motivo alio sit facta? Unde

Dico I. Quando actus Naturali Jure prohibitus est ob defectum potestatis vel materiæ incapacitatem, simul est irritus. Suarez de *LL. l.* 2. *cap.* 12. *num.* 4. Ratio est: quia, dum adest vel defectus potestatis in agente, vel incapacitas in materia, deest aliquod principium & requisitum substantiale, quo sinè actus nec licere nec valere potest. Quia ergo vis, dolus, & error substantialis tollunt aliquod principium substantiale, consensum videlicèt, reddunt matrimoniū & contractum quemcunque invalidum. Similiter quia impotentia perpetua inducit incapacitatem in materia, corpore scilicèt humanō, illud in ordine ad usum generationis inhabilitandū, matrimonii liceitatem & valorem sufflaminat. Præterea quia, re unâ uni venditâ & traditâ, amittitur dominium, amittitur etiam potestas, rem illam alteri vendendi & tradendi; ideòque secunda venditio & traditio, ob carantiam potestatis, censetur nulla. 152 153 154 155

Dico II. Quando actus est prohibitus ob indecentiam, in materia repertam, eaque causam habet perpetuam, non tantùm illicitus, sed etiam inutilis est. Suarez *cit. l. num.* 5. Covarruv. in 4. *Decret. p.* 2. *cap.* 6. *in pr. num.* 7. & alii, ab hoc citati. Ratio est: quia, dum ipsemet actûs valor Juri Naturæ inimicus est, nec pro certo solùm tempore, sed in perpetuum, nequit actus pro ullo tempore validus esse. Sed, quando actus prohibetur ob indecentiam & turpitudinem, in materia inventam, eaque causam habet perpetuam, ipsemet actûs valor Juri Naturæ inimicus est, & quidem in perpetuum: cùm duratio & continuatio indecentiæ faciat actum perpetuò esse prohibitum. Ergo &c. Quare, si matrimonium in primo consanguinitatis gradu in linea recta inter patrem & filiam contrahatur, æquè illicitum atque invalidum Jure Naturæ reputandum est: turpitudo namque & indecentia, quæ tale commercium constituit illicitum, perpetuam habet causam: dum non tantùm turpe & indecens est, patrem cum filia conjungi per consensum, sed multò turpius & fœdius, conjungi per copulam, quōcunque tēpore exercitam. Pariter, cùm usuræ non tantùm in acceptione, sed etiam in retentione eandem prohibendi causam retineant, nempe inæqualitatem inter datum & acceptum, nullitatem tituli (mutui videlicèt, ad pariendum lucrum sterilis & infœcundi) ac locupletationem cum manifesto alterius detrimento &c. non tantùm invalidè promittuntur, sed & invalidè solvuntur, ac restitutioni subjacent. 156 157 158

Dico III. Quando actus Jure Naturæ prohibitus est ex alio motivo, solùm illicitè, non verò invalidè ponitur. Suarez *cit. l. num.* 6. Ratio est: quia, suppositâ potestate agentis, capacitate materiæ, desitione turpitudinis & indecentiæ, concurrunt omnia requisita ad substantiam actûs, quantumvis ex alio capite prohibiti. Ergo talis actus, licèt prohibitus & illicitus sit, non tamen est invalidus. Hinc matrimonium validè contrahitur cum voto castitatis simplici: hoc enim non aufert, sed ligat tantummodò potestatem in corpus proprium; potestque in matrimonio, post votum contractō, honestius esse usus reddendō, non petendō debitum. Hinc secunda venditio post primam, sinè traditione factam, unà cum traditione interposita valet: quia penes venditorem ante traditionem remansit dominium, adeòque & potestas iterum vendendi & transferendi. Textus in *cap.* 1. *de Sponsa duorum*, & *l.* 15. *Cod. de R. V.* 159 160 161

§. III.

An obligatio Juris Naturalis aliquam mutationem recipiat?

162 Quòd Naturalis Juris obligatio sit immutabilis, aliquoties in antecedentibus incidenter adnotatum est. An ergo nullam penitus mutationem recipiat? Ex instituto nunc dispiciendum, &

163 Præmonendum est I. mutationem Legis esse duplicem, intrinsecam, & extrinsecam. *Intrinseca* est, quando motivum & ratio constituendæ Legis cessat. Et hôc modò Legem Naturalem ab intrinseco nonnunquàm mutari posse, liquet ex *cap.* 1. *num.* 405. ubi conclusum habetur, Legem Naturalem, quæ absolutam & pro omni circumstantia intrinsecam
164 malitiam non continet, aliquando non obligare. *Extrinseca* mutatio est, quando, manente Legis motivô, illius obligatio ab agente extrinseco, Superiore videlicet aut Legislatore, ex parte vel ex toto abolетur.

165 Præmonendũ II. mutationẽ extrinsecam Legis rursus bifariam esse, propriam & impropriam. *Propria*, quam etiam *formalem* appellare soleni, est, quando, manentibus iisdem circumstantiis, Lex to se totaliter vel partialiter tollitur, ita ut nuda Legislatoris voluntas perimat obligationem Legis, uti evenit in dispensatione, ab-aut derogatione Legis. *Impropria*,
166 aliàs *materialis* dicta, est, quando, variatis circumstantiis, materia seu objectum Legis non amplius sub Lege & Legislatoris intentione comprehenditur. Quâ ratione Lex de non auferendo alieno dicitur impropriè & materialiter immutari, quando dominus consentit: quia tum circumstantia, *si dominus invitus sit* (sub qua ablatio rei alienæ terminabat Legem) variatur; indéque materia non amplius sub Lege concluditur.

167 Præmonendum III. materiam Legis Naturalis humanæ potestati subinde subjectam esse; subinde Divinæ; subinde neutri. Humanæ potestati subest, quando vel circa bona externa versatur; vel ex præcedente actu voluntatis humanæ Legem terminat. Divinæ potestati subjacet, quando Divinæ perfectioni & sanctitati non repugnat. Neutri potestati materia legis Naturalis est subdita, quando illius exemptio à Lege Divinæ perfectioni & sanctitati adversatur.

168 Præmonendum IV. cardinem præsentis quæstionis non in eo verti; possitne Jus Naturæ permissivum aliquam mutationem recipere? Nam ex *num.* 8. & 9. demonstratum manet, Jus Naturæ in hoc sensu nihil præcipere, aut determinare absolutè, sed conditionatè se habere, donec à potestate publica & Legislativa alia fiat dispositio & Legislatio. Et hinc provenit, quòd potuerit de Jure humano introduci servitus, minui & adimi legitima, determinari successio ab intestato, personæ, alioquin idoneæ, ad testandum, cõtrahendum, agendum &c. inhabilitari: quia ejus generis actus non sunt materia Juris Naturalis præceptivi, sed permissivi & negativi. Quæstionis itaque summa & substantia in Jure Naturæ præceptivo versatur. In quo supposito

169 Dico I. Jus Naturæ formaliter & propriè ne Divina quidem authoritate mutari potest. Reding de *LL. q.* 15. *a.* 2. *contr.* 3. *num.* 10. Stadlmayr de *LL. d. cap.* 2. *th.* 6. Mezger *disput.* 32. *art.* 3. *num.* 5. Wenz. de *LL. q.* 2. §. 3. D. Gletle *Jurisprud. fund. lib.* 1. *tit.* 2. *cap.* 2. §. 5. *num.* 10. Clariss. D. Franz ad *tit. Instit. de J. N. G. & C. c.* 1. *num.* 22. contra Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 6. *num.* 5. & alios, quos citant nobiscum sentientes Suarez de *LL. l.* 2. *cap.* 14. & Gibalinus *Scientia Can. l.* 3. *cap.* 3. *q.*
170 3. *num.* 6. Probatur I. *Fidelis DEUS, seipsum negare non potest* 2. *ad Timoth.* 2. ℣. 13. Sed, si DEUS immutaret Legem Naturæ formaliter & propriè, seipsum negaret. Negaret siquidem, sibi deberi cultum, amorem, venerationem; quin & affirmaret, se odiô, aversione, injuriâ dignum esse, hôc ipsô, quòd præcepta primæ Decalogi tabulæ, tanquàm prima Naturæ principia, tolleret. Ergo &c. 171

Probatur II. Quod ab intrinseco repugnat humanæ Naturæ, nequit, manentibus iisdem circumstantiis, eidem fieri condecens aut consentaneum: alias enim eâdem facilitate rerum statæ & fixæ essentiæ inverti, gravia descendere sursum, frigida conjungi calidis, & totus Naturæ ordo confundi posset. Sed, quæ Jure Naturali prohibita sunt, ab intrinseco repugnant humanæ Naturæ. Ergo, manentibus iisdem circumstantiis, nequeunt eidem fieri condecentia & consentanea. Ergo, quæ Jure Naturæ prohibita sunt, nequeunt formaliter & propriè mutari. Intelle 172
xit hoc ipsum Aristoteles, dum 5. *Ethic.* 6. *cap.* 7. ad Nicomachum scribit: *quidquid est ex Natura, seu Naturale, immobile, seu immutabile est, & nullibi non eandem vim obtinet, quemadmodùm ignis & hîc & apud Persas pariter urit.* Intellexit Imperator, dum in § 11. *Instit. de J. N G. & C.* asserit. *Naturalia Jura Divinâ quâdam providentiâ constituta, semper firma atque immutabilia permanere.*

Neque reponas: superiùs in *num.* 34. fuisse dictum, 173
quòd omne malum formalem suam malitiam ab extrinseca voluntate prohibentis desumat; eàque propter sublatâ prohibitione DEI tanquam Authoris Naturæ & Juris Naturalis, præceptorum negativorum transgressiones non amplius esse malas formaliter.

Contra enim est I. quia objecta Legis Naturalis 174
prohibitivæ independenter à voluntate prohibentis habent fundamentalem, radicalem, & physicam malitiam, ratione cujus quædam innata abhorrescentia & fuga similium objectorum in homine reperitur: idcircò, licèt ex sola extrinseca DEI prohibentis voluntate formalem malitiam induant, attamen ex se Naturæ rationali quà tali contraria & dissentanea nunquàm non sunt ex *cit. num. & seqq.* Ergo non obstante, quòd DEUS prohibitionem suam aboleret, nihilominùs adhuc superesset disconvenientia objecti cum ratione Naturali, staretque inconcussum Juris Naturalis fundamentum.

Contra est II. quia, esto formalis peccatorum ma-
litia cõsistat in prohibitione Divinâ, attamen illa pro- 175
hibitio non tam libera quàm necessaria est: quæ enim ex intrinseca disconvenientia cum Natura humana expedit simpliciter esse prohibita, necessariò prohibentur. Quod verò ex necessitate prohibetur, nequit ex libera voluntate pro libitu mutari. Quare sapienter Cicero *l.* 3. *de LL.* vim populis innatam esse, testatur, *quæ non modò senior est, quàm ætas populorum & civitatum, sed æqualis illius; Cœlum atque terras tuentis & regentis DEI. Neque enim esse mens Divina sinè ratione potest; nec ratio Divina non hanc vim in rectis pravisque sanciendis habere.*

Instabis: Divina voluntas non potest necessitari ab 177
ulla creatura. Ergo Lex Naturæ non ponitur necessariò, sed liberè. Quod autem ex solo beneplacito statuitur, contrariâ voluntate rursum liberè commutatur.

Resp. Divinam voluntatem non magis necessitari 178
à creatura in statuendô Jure Naturæ, quàm determinandâ rerum naturalium essentiâ: sicut enim rerum essentias alterare non potest, ita nec Jus Naturæ. Jam verò notissimum est, libertatem DEI non violari, quòd rerum essentias transformare non valeat: eò quòd liberum quidem DEO sit, rerum essentias ponere, vel non ponere quoad exercitium, liberum verò non sit, easdem essentias quoad suam speciem immutare. Ergo etiam libertas DEI non violatur ex hoc, quòd Naturæ Jus mutari non possit: quia esto liberum fuerit, Jus Naturæ, sicut humanam Na-

Naturam, creare quoad exercitium, non tamen erat liberum, creare quoad specificationem. Non absimilem responsionem dabit P. Wenzl. *cit. loc.* & Clariss. P. Henricus Hardtet in *suo princ. & reg. extrinf. act. hum. q. 2. art. 2. §. 2. n. 20.*

179 Dico II. Quando materia Juris Naturalis pendet à potestate humana, Jus Naturæ materialiter & impropriè ab ipsa humana potestate transmutari potest. Ita laudati DD.Probatur. Legem Naturalem impropriè mutari nihil est aliud, quam circumstantias ita variari, ut materia non amplius sub Lege & Legislatoris intentione contineatur ex *num.* 166. Sed quando materia Juris Naturalis pendet à potestate humana, hæc circumstantias ita variare potest, ut materia non amplius maneat sub Lege & Legislatoris inten-

180 tione. Ergo &c. Confirmatur. Quando materia Juris Naturalis humanæ dispositioni subest, non habet obligationem absolutam, sed conditionatam, *quousque videlicet humana potestas aliud non statuerit.* Ergo, si humana potestas aliud statuat, Jus Naturæ desinit obligare: quia, cessante conditione, non tantùm contractus & actus privatorum, sed etiam Leges, conditioni alligatæ, cessant obligare; uti discurrimus in simili *cap. 1. n.* 291.

181 Dices: hanc mutationem, quam impropriam appellamus, non tam extrinsecam, quàm intrinsecam esse: quandoquidem, ubi Lex desinit obligare propter mutationem, se tenentem ex parte materiæ, ab intrinseco mutari videtur.

182 Resp. in re nihil interesse, num mutationem hanc appellamus intrinsecam, an extrinsecam; placuit tamen, eandem extrinsecam propterea nuncupare: quia Lex naturalis non cessat obligare ex natura sua, sed ex voluntate Legislatoris, quæ extrinsecùs ad Legem Naturalem se habet. Manendò itaque in terminis jam receptis, ex antecedenti conclusione

183 Sequitur I. Votum, liberè & deliberatè nuncupatum DEO, licèt Naturali Jure voventem obstringat (cùm æquè conveniens sit, DEO, quàm homini præstitam servare fidem) attamen humanâ potestate relaxari posse. Ratio est: quia votum non obligat, nisi dependenter à voluntate voventis. Ergo materia voti subjecta est potestati humanæ: cùm ipsa voluntas hominis, à qua substantia voti proficiscitur, eidem subjecta sit, juxta illud Apostoli *ad Rom.* 13. ℣. 1. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit.* Ergo, quia votum non obligat absolutè, sed conditionatè, quamdiu nempe Superior voventem voluerit esse obligatum, relaxari à Superiore potest, absque eo quòd Jus Naturæ formaliter immutetur. Gibalinus *cit. l. num.* 33. Idem de Juramento dicendum est.

184 Sequitur II. obligationes, quæ consurgunt ex pacto vel contractu prævio, authoritate humanâ vel tolli vel diminui posse. Ratio est: quia similes obligationes habent innexam tacitam conditionem, si Superior consenserit, nec justa ex causa pactum vel contractum irritaverit. Postulaverat siquidem recta gubernandæ Reipublicæ methodus, ut Superior tam amplâ potestate sit conspicuus, quâ subditorum voluntates & obligare, & ab obligatione eximere possit, quoties justa & rationabilis causa hoc suaserit. Dum ergo contractus cum pupillo, minore, prodigo, &c. celebratus, Jure Civili pronuntiatur irritus, non Jus Naturæ mutatur, sed materia seu promissio, immutatis circumstantiis, Juri Naturæ subtrahitur: quippe quæ Juri Naturæ non absolutè subjacebat, sed in illa tantùm circumstantia, ubi à Principe non fuerit irritata.

185 Sequitur III. vinculum matrimonii rati à S. Pontifice dissolvi posse, sine dissolutione Juris Naturalis. Ratio est: quia matrimonii vinculum Divinâ quidem ordinatione, præviâ tamen ac mutuâ conjugum voluntate & conventione, inducitur. Ergo Lex Naturalis de tenenda individua vitæ consuetudine habet pro materia promissionem humanam, & hoc ipsò dispositioni Ecclesiæ subjectam. Ergo, si Summus Ecclesiæ Princeps, Romanus Pontifex, promissionem irritet, tollitur vinculum matrimonii, nec tamen infringitur Jus Naturæ, utpote quod obligare desinit in illa circumstantia, quando promissio & conventio de perpetua cohabitatione & conjunctione irritata fuisse supponitur.

Dico III. Quando materia Juris Naturalis subjacet dispositioni Divinæ, Jus Naturæ mutari potest impropriè, saltem authoritate Divinâ. Authores citati. Probatur conclusio hæc eâdem ratione, quâ prior: quia, si materia Juris Naturalis Divinæ dispositioni subjaceat, Jus Naturæ non præcipit, vel prohibet absolutè, sed conditionatè & pro certa circumstantia, *nisi DEUS materiam à præcepto & prohibitione exemerit.* Ergo, si DEUS materiam à præcepto vel prohibitione eximat, Jus Naturæ non amplius obligat; sicque mutatur impropriè, seu ex parte solius materiæ. Unde 186

Declaratur I. quâ ratione DEUS potuerit contra quintum Decalogi præceptum, *non occides*, Abrahamo *Genes.* 22. ℣. 2. præcipere, ut filium, quem habebat, unicum Isaacum sibi immolaret. Nam occisio innocentis tamdiu est mala Jureque Naturali difficna, quàmdiu est mala innocenti. At, si DEUS, qui *totius creaturæ Dominus. Judith.* 9 ℣. 17. *vitæ & mortis habet potestatem. Sap.* 16. ℣. 13. *vivificat & mortificat. 1. Reg.* 2. ℣. 6. ad ostendendam absolutissimi Dominii magnificentiam jubeat innocentem occidi, occisio non est mala innocenti, sed bona potiùs: quippe authoritate illius peracta, qui potest malum in bonum, ac mortem in vitam commutare. Reverendiss.& Magnific. Stadlmayr *cit.* l.P.Erhardt *de Peccat. th.* 31. 187

Declaratur II. quomodò cum Osea *Oseæ* 1. ℣. 2. sextum præceptum Decalogi, *non mœchaberis* fuerit relaxatum. DEUS siquidem tam vitæ quàm corporum nostrorum plenissimô potitur dominiô; ideoque præceptum de non fornicando aut adulterando non potuit Oseam aut quemvis alium diutiùs obligare, quàm Supremus ille corporum humanorum Dominus jus in alienum corpus non indulserit: neque enim accedere ad sí enam uxorem dicitur, cui Divinâ indulgentiâ jus in corpus alienæ fœminæ concessum est. Quia igitur Oseæ datum est dominium in corpus mulieris fornicariæ, & quidem, ut plurimi interpretantur, ad repræsentandum mysterium Dominicæ Incarnationis, in quo Divinæ Benignitati placuit, sponsam adulteram, corruptam, & contaminatam (humanam scilicèt naturam) sibi copulare: non Jus Naturæ mutatum, sed materia illi subducta est. P. Wenzl. *loc. jam cit.* 188

Declaratur III. quò Jure Hebræis *Exodi* 12. contra præceptum septimum, *non furtum facies*, licentia fuerit tributa, Ægyptum spoliandi. Nempe præcepti septimum non obligat in illa circumstantia, quâ dominus ablatæ rei non invitus esse supponitur. Ergo non obligat in illa circumstantia, quâ Primus & Supremus bonorum temporalium Dominus licentiam auferendi & spoliandi largitur. Nisi dicere, cum Philone Hebræo, malis, bonorum temporalium jacturâ debuisse ab Ægyptiis compensari injurias, quibus Hebræos, durante servitute, affligerant. 189

Declaratur IV. polygamiam, quam juxta utramque speciem Juri Naturali disconvenire, ostendimus *à num.* 120. ex Divina concessione Patribus antiquis licitam fieri potuisse. Enim verò, quòd viro unum unam tantùm uxorem ducere liceat, provenit radicaliter ex contractu matrimoniali, quô mutua corporum traditio uni ab uno facta est: sicque, quia & humanam invertere voluntatem, & corpora facere pluribus com- 190

munia DEUS valet, valet quoque prohibitionem polygamiæ materialiter immutare, ac uni viro plures uxores, ficut & uni uxori plures viros ducendi, libertatem addicere. Stadlmayr *d. th.* 6. Gibalinus *cit. cap.* 3. *q.* 3. *n.* 28.

191 Dico IV. Quando materia Juris Naturalis ne quidem Divino arbitrio subjecta est, nullam penitus mutationem Jus Naturæ recipit. Authores primæ conclusionis. Probatur. Quod in omni circumstantia retinet suam deformitatem & inhonestatem, nunquàm à DEO fit & redditur licitum & honestum: neque enim DEUS, qui est infinita sanctitas, aut malum approbare, aut inhonestum cohonestare potest. Sed, quando materia Juris Naturalis ne quidem Divino arbitrio subjecta est, in omni circumstantia retinet suam deformitatem & inhonestatem: quia semper & pro semper habet repugnantiam intrinsecam cum vera

192 ratione. Ergo nunquàm à DEO fit & redditur licita. Confirmatur. DEUS nequit facere, quod infinitam suam perfectionem dedecet, & deformat. At Divinam Dei perfectionem dedecet, & deformat, ea facere licita, quæ ne quidem quoad materiam dependent à voluntate Divina: quia ex simili licentia plerumque contingeret, ut discrimen subiret aliqua perfectio Divina. Ergo &c. Ex hac conclusione

193 Infertur I. odium DEI vel blasphemiam in nullo casu cohonestari, & concedi posse. Nam odium DEI & blasphemia nec quoad materiam dependent à voluntate Divinâ, utpote quæ nequit efficere, ut Summum Bonum in ullo casu odio, ludibrio, & contemptui exponatur: cùm hôc ipsô ratio Summi Boni cessare posset. Gibalinus *d. q.* 3. *n.* 15.

194 Infertur II. nec mendacium in ulla hypothesi Divinitus reddi posse licitum. DEUS quippe est Prima, Infallibilis, & Immutabilis Veritas, quæ nec fallere, nec falli potest. Si verò mendacium in ulla hypothesi concederet, jam non ampliùs Infallibilis esset Veritas: cùm, licèt non falleretur, falleret tamen illos, quibuscum sermo per mendacium conferretur. Ergo mendacium in nulla hypothesi Divinitus concedi potest: quia locutio contra mentem, ad fallendum auditorem instituta, utique non lubest Divino dominio, cui, ut dictum, repugnat fallere aut falli posse. Hinc in Evangelio Joannis *cap.* 8. *ỳ.* 44. de dæmone pronuntiavit Veritas Divina: *mendax est, & pater mendacii*; optimô argumentô, mendacium à dæmone solô prodire, ut qui in *cit.* textu *pater*, id est, inventor mendacii proclamatur; non à DEO, de quo in *Psalm.* 5. *ỳ.* 7. dicitur: *perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Gibalinus *d. l.* a. *c.* 3. *q.* 3. *n.* 16.

§. IV.

Utrùm Jus Naturæ veram epikiam admittat?

195 Quòd Jus Naturæ epikiam impropriam, quæ est nuda Legis declaratio & explicatio, admittat, jam superiùs admissum est à nobis in *cap.* 1. *num.* 405. Et meritò: tum quia Naturalia præcepta quandoque discursu indigent, ut ritè percipiantur, & applicentur: tum quia non obligant semper absolutè, sed non raro conditionatè, positis nempe certis circumstantiis: tum quia præceptum v.g. de homicidio vitandô; de voto exsolvendo; de deposito reddendo &c. suam limitationem recipit, si homicidium ex causa necessariæ defensionis suscipiatur; si votum servatu non sit possibile; si depositum à furioso repetatur. Covarruvias in 4. *Decretal. part.* 2. *cap.* 6. *§.* 9. *n.* 6. *&* 7. Suarez de *LL. l.* 2. *cap.* 16. *n.* 6. Petfschacher *q.* 3. *art.* 3.

196 Quæstio igitur & difficultas movetur de epikia vera & propria, quâ non tam interpretamur, quàm emendamus Legem, atque casum, Lege comprehensum, ex benigna præsumptione à Lege excipimus. Et hanc etiam in Jure Naturæ reperiri, propugnant Cajetanus, Sotus, Felinus in *cap. quæ in Ecclesiarum de Constit. n.* 26. & à fortiori omnes, qui veram in Jure Naturæ mutationem admittunt. Contra quos

Dico: Jus Naturæ veram epikiam non admittit. 197
Suarez *cit. cap. num.* 7. Gibalinus *cit. l. num.* 11. Petfschacher *loc. cit.* &, ni fallor, omnes, qui nobiscum in §. *anteced.* veram & formalem mutationem in Jure Naturæ negant. Ratio est I. quia Jus Naturæ, cùm in recta ratione fundatum, atque à Lege DEI æterna distinctum non sit, non potest in ullo casu deficere. Ergo etiam in nullo casu per epikiam emendari potest. Ant. prob. DEUS & Natura non deficiunt in sua providentia. Ergo nec Jus Naturæ deficit: cùm ea DEI & Naturæ singulari providentia constitutum sit. II. Jus Naturæ præcipit, & prohibet, quæ decentiam vel indecentiam habent connatam & intrinsecam. Sed fieri non potest, ut, quæ ex connata indole sunt decentia, evadant indecentia; & vicissim. Ergo nec fieri potest, ut Jus Naturæ in aliquo casu deficiat. Ergo non potest admitti epikia. 198
III. quia Juris Naturalis formalis & propria mutatio est implicatoria. Ergo & epikia vera, quæ Jus Naturæ in casu particulari verissimè immutat. 199

Oppones: Lex positiva recipit veram epikiam. Ergo etiam Naturalis. Conseq. prob. Ideò Lex positiva recipit veram epikiam: quia occurrere possunt circumstantiæ, in quibus prudens formari potest præsumptio, quòd Legislator non voluerit obligare. Atqui in Lege Naturali quoque similes circumstantiæ emergere possunt: nam mutilatio proprii corporis v. g. non censetur cadere sub prohibitionem Legis Naturalis in illa circumstantia, quâ supponitur esse necessaria ad proprii corporis conservationem. Ergo &c. 200

Resp. neg. conseq. & probat. minorem. Ratio negandi est: quia Jus Naturæ, cùm unum & universale sit in omnibus hominibus, unam eandemque obligationem semper habet, non ea intentione solius Legislatoris, sed quasi ex necessitate Naturæ & exigentia materiæ. Ergo non potest formari prudens præsumptio in ullo casu, quòd obligare non velit. At verò Lex positiva fundamentum & vim habet ex intentione solius Legislatoris, qui, si humanus sit, nequit omnes omninò casus in sanctione Legis prævidere & prospicere. Ergo mirum non est, quòd, deficiente Legislatoris intentione Lex deficere incipiat. Hinc exquisitè atque ad rem Card. de Aguirre *Ethicæ l.* 5. *cap.* 16. *n.* 8. „ solius primæ causæ est, inquit, proprium, quòd „ prorsus immutabilis sit. Creaturæ autem omnes ali- „ quò modò mutabiles sunt, & eò magis, quò plùs à „ primæ causæ perfectione distant. Inter ea verò, quæ „ variationem subeunt, maximè variabiles sunt opera- „ tiones humanæ, quarum plurimæ unô tempore „ utiles & honestæ sunt, aliô verò redduntur inutiles „ turpesque, pro diversa rerum opportunitate cir- „ cumstantiisque, quas nec homo Legislator universim comprehendere potuit, nec Lex ipsa paucis ver- „ bis prolata complecti. Ergo tunc oportet, ut Lex „ universalis ex bono & æquo corrigatur. Ad instantiam de mutilatione negatur suppositum, quòd Lex Naturalis prohibeat mutilationem, quando necessaria judicatur ad conservationem corporis: nam mutilatio non prohibetur, nisi quatenus est noxia corpori humano. Cùm igitur illa, quæ contingit & ordinatur ad vitæ & corporis totius incolumitatem, corpori noxia non judicetur, ac melius v.g. sit, pedem quàm vitam perdere; sanè in tali hypothesi vetita judicari non debet. Adeòque non tam epikia propria quàm impropria hic consurgit. 201 202 203 204

SUP-

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Nostra definitio Juris Naturalis impugnatur.* 2. *Salvatur.* 3. & 4. *Jus Naturale non est commune hominibus & brutis.* 5. *Nostrum principium de cognoscendo Juris Naturalis objecto impetitur.* 6. *Defenditur.* 7. & 8. *Illa quoque objecta posse ad Jus Naturæ referri, quæ discursu indigent, cum aliis edocetur.*

QUÆSTIO I.

An rectè Jus Naturæ per hæc definiatur, quòd præcipiat ea, quæ recta rationi sunt consentanea, & prohibeat contraria?

1 Ita supponitur ex hoc *cap. num.* 48. sed impugnator à Joan. Balthasaro Wernhero in *dissert. Jur. Nat. dissert.* 3. §. 13. quia suppositio illa, quòd nonnullis actibus moralis turpitudo vel necessitas aut bonitas insit, etiam abstrahendò à præceptione & prohibitione Divina, est falsa: obligatio enim omnis à Superiore est, quatenùs is aliquid fieri, aut non fieri, præcipit, aut vetat; adeòque relationem ad legem dicit, & hinc non minùs à Jure Naturæ, quàm Positivo, in objectum se
2 diffundit. Verùm, si adhibeatur distinctio, in *eod. cap. num.* 34. *& seqq.* item *num.* 61. subministrata, inter bonitatem seu turpitudinem fundamentalem seu physicam & formalem seu moralem, tota difficultas est sublata; obligatio siquidem formalis & moralis provenit à Superiore; fundamentalis autem physica, tanquam pertinens ad naturam rei, suò modò præcedere potest.

QUÆSTIO II.

Destruit Jus Naturale, quod materialiter hominibus & brutis sit commune?

3 Resp. negativè. Tametsi enim in *d. cap. num.* 27. admiserim, definitionem Justiniani in *pr. Inst. de J. N. G. & C.* quâ Jus Naturale dicitur, quod natura omnia animalia docuit, posse explicari in sensu materiali minùsque proprio de actibus quibusdam, brutis & hominibus quoad objectum & materiam communibus; ex hoc tamen inferri nequit, dari etiam Jus
4 Naturale, materialiter hominibus & brutis commune: quia etiam quoad actus illos, hominibus & brutis communes, longè diversa est ratio hominum & brutorum, dum ista non tam agunt, quàm aguntur impetu naturæ; illi agunt liberè, ac dictamini Juris Naturalis actus illos conformare student. Vid. Clariss. P. Schmalzgrueber in *Dissert. proœm. ad Jus Ecclesiasticum*, §. 2. *n.* 46.

QUÆSTIO III.

Undenam objectum Juris Naturalis dignoscendum sit?

5 Regulas id dignoscendi tradidi *d. l.* à *num.* 87. Alias tradit *cit.* Wernherus §. 7. dicitque: quidquid communia hominum conditio necessariò infert, seu, quidquid necessarium cum societate nexum habet, id est præceptum Jure Naturæ; & quidquid est contra communem hominum conditionem, id est prohibitum Naturali Jure. At, quia hæ regulæ fundantur in socialitate, uti non diffitetur Wernherus *d. l.* 6
Socialitas autem pro primo & universali Juris Naturalis principio vel ideò statui non potest, quòd Jus Naturale non tantùm hominem erga se ipsum, sed quàm maximè ad agnoscendum, diligendum, colendùmque DEUM per se primò perficere studeat, velut in hoc *cap.* à *num.* 78. fusè declaratum est; cum nostra sententia combinari nequeunt.

QUÆSTIO IV.

An ea solùm ad objecta Naturalia sint referenda, quæ per se & primò intuitu sunt nota?

Resp. negativè. Ratio est: quia, ut constat ex præl. *cap.* à *num.* 110. quamplurima Juris Naturalis 7
objecta discursu quòdam indigent, cujus adminiculò intrinseca rei honestas vel deformitas ex datis à nobis regulis detegitur: neque enim omnibus & primò quasi intuitu notum est, matrimonium v. g. in hoc vel illo gradu propinquitatis; mendacium, vindictam propriam, fornicationem simplicem &c. esse objecta per se turpia. Unde, si absque discursu objecta 8
Naturalia deberent primâ facie nobis innotescere, ad minimum certè numerum constringerentur, aut vix unum à rudioribus & crudioribus mortalibus admitteretur, veluti pro sua consuetudine insigniter ostendit Clariss. P. Schmalzgrueber *cit. dissert. proœm.* §. 2. *n.* 57.

CAPUT III.

De Jure Divino Positivo.

Juri Naturali succedit Positivum. Hujus varias species recensuimus *cap.* 1. *numero* 68. Prima est Jus Divinum, quod à libera DEI voluntate in ordine ad finem supernaturalem immediatè procedit. Dividitur in Jus Veteris & Novi testamenti. De illo in prima; de isto in altera *Sect.* de utraque tantâ brevitate, ut neque superflua immisceantur; neque scitu necessaria prætermittantur.

SECTIO I.

De Jure Divino Veteris Testamenti.

SUMMARIA.

1 *Describitur Testamentum.* 2. *Indigitatur Vetus.* 3. *Inducitur novum.* 4. *Utriusque largior exenteratio remissivè.* 5. *Explicatur natura Legum Veteris Testamenti.* 6. *Sunt libera ordinatio.* 7. *& seqq. Divina Sapientia.* 13. *& seq. Populo Hebræo.* 15. *& seq. Per Moysen promulgata.* 17. *& seq. Præcipiens ea, quæ ad finem supernaturalem sunt idonea.* 19. *Per merita Christi venturi consequendum. num.* 20. *& seq. Hæ Leges aliæ sunt Morales.* 23. *Aliæ cæremoniales.* 24. *Aliæ Judiciales.* 25. *Earum præstantia.* 26. *& seqq.* *Obligans*

Obligant in conscientia. 29. & seqq. Durabant usque ad tempus Veteris Testamenti.

§. I.

Definitur Jus Divinum Veteris Testamenti.

1 TEstamentum, quod Jureperitis *testatio mentis* est juxta *princ. Instit. de Testam. ord.* in præsenti materia ex doctrina Illustrissimi Redingii *q. 15. a. 3. controv. 1. num. 4.* significat universim Divinam promissionem & pactum, cum hominibus initum.

2 Dividitur in Vetus & Novum. *Vetus* est promissio de conferendis temporalibus & æviternis bonis populo Israëlitico, ac nascituro ex ipsorum sanguine Christo, facta sub conditione servandarum Legum, per Moysem promulgatarum.
3 *Novum* est promissio, Christo DEO-homini facta de generis humani reconciliatione, gratiâ & gloriâ hominibus conferendâ, sub onerosa conditione mortis & passionis subeundæ. Clariss. P. Mezger *Theol. Schol. disp. 33. art. 1. num. 1. & 2.*
4 Utriusque Testamenti volumina, voluminum periochen & authoritatem, pari amænitate & soliditate exhibet Clariss. D. P. Cœlestinus Bley in *Basi Universæ Theologiæ seu Fide Divina Quæst. Prælimin. art. unic.*

5 Leges verò, ad quarum observantiam Veteris Testamenti promissio restricta erat, non malè describi possunt, quòd sint libera ordinatio Divinæ Sapientiæ, populo Hebræo per Moysen promulgata, præcipiens ea, quæ ad finem supernaturalem, per merita Christi venturi consequendum, sunt idonea, & prohibens contraria. Ita quoad rem Gonzalez in *Apparatu J. Can. num. 23.*

6 Dixi I. *libera ordinatio.* Ut discrimen inter Jus Naturale & Positivum Divinum subministrarem, quòd videlicèt illud ex necessitate naturæ; hoc ex libera DEI voluntate sancitum sit. Quæ causa est, quòd Jus Positivum Divinum Veteris Testamenti ab Apostolo *Hebræorum cap. 9. ỷ. 19. mandatum* vocetur.

7 Dixi II. *Divinæ Sapientiæ.* Tametsi enim hæretica sententia fuerit Marcionis & Marcionistarum, uti refert Clariss. D. P. Cœlestinus Pley *Delectûs Theolog. p. 2.* in eruditissima *quæst. prælim. num. 70.* DEUM non fuisse Legis Veteris Authorem sed diabolum; imò, narrante Suarezio *L. 9. cap. 2. num. 12.* ex Catholicis Alphonsus Salmeron *disp. 61. & 62.* contendat, Legum Cæremonialium & Judicialium verum conditorem Moysen extitisse:
8 standum tamen est pro sententia contraria, in variis Scripturæ Libris evidentissimè assertâ, veluti *Exodi 20. ỷ. 1.* ibi: *locutusque est Dominus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus DEUS tuus &c. Deuteronomii 1. ỷ. 3.* ibi: *locutus est Moyses ad filios Israël omnia, quæ præceperat ei Dominus, ut diceret eis. Malachiæ 4. v. 4.* ibi; *mementote Legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israël.*

Neque reclamat vel illud *Joannis 1. ỷ. 17. Lex per*
9 *Moysen data est*; vel illud *Matthæi 19. ỷ. 8. ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses libellum repudii.*
10 Nam in primo textu cum Clemente Alexandrino non obiter ponderandum est, quòd Joannes studiosè dixerit, Legem per Moysen *datam*, non *factam* esse; id est, non inventam, sed communicatam
11 & publicatam. In altero supponendum, permissionem libelli repudii vel dispensativam fuisse, vel solummodò tolerativam. Si dispensativa; certè Divina authoritas intervenit, quâ sinè dissolvi non potest
12 insolubile matrimonii vinculum. Si tolerativa, & eò quidem sensu, quò minora mala tolerari solent ad evitanda majora, nullâ authoritate Legislativâ Moyses indiguit; cùm & privatus permittere queat malum, quod minus est, ut declinet, quod majus est. Confer. P. Suarez *d. cap. 2.* Gibalinum *Scientia Canonicæ l. 4. cap. 2. quæst. 2.* Gonzalez *d. l. num. 23.*

13 Dixi III. *populo Hebræo.* Huic namque uni & soli, exclusis Genubus, Lex Vetus erat posita, docente Scripturâ *Deuteron. 4. ỷ. 8.* ibi: *quæ est alia gens tam inclyta, ut habeat cæremonias justaque judicia, & universam Legem?* Rationem ex S. Thoma profert Gibalinus *cit. loc. quæst. 3. num. 1.* quia Gens Hebræa majori præ cæteris dilectione complectenda videbatur, utpote de cujus sanguine & semine flos ille Nazarenus erat nasciturus. Quòd si Gentiles quidam ad
14 Religionem Judaicam transibant, ritibus & Legibus Mosaicis adstringebantur, præmissâ tamen circumcisione *Exodi 12. ỷ. 48.* Magnif. Stadlmayr de *LL. cap. 3. ib. 2. in fin.* Indéque erant dicti proselyti, tanquàm advenæ in communionem Judæorum adsciti. Gibalinus *cit. q. n. 2.*

15 Dixi IV. *per Moysen promulgata.* Nam, ut refert Gentium Doctor *ad Gal. 3. ỷ. 19. Lex antiqua ordinata est per Angelos in manu mediatoris,* Moysis scilicèt, & hinc Mosaica dicta, non quòd Moyses Legislator, sed promulgator; non Author, sed præco fuerit illius Legis, quam à DEO Angelorum ministeriò acceperat. Magnific. Stadlmayr de *LL. cap.*
16 *3. ib. 2. in fin.* Facta est autem hæc promulgatio juxta calculum Emmanuelis Gonzalez *cit. l. num. 24.* Annô mundi conditi 2544. quartæ ætatis primô, die 6. mensis tertii, in monte Sinai, prout exactissimè & prolixissimè ab ipsomet Moyse tota rei series describitur *Exodi 19. 20. & seqq.* Videatur Gibalinus *d. l. 4. cap. 2. q. 4.*

17 Dixi V. *præcipiens ea, quæ ad finem supernaturalem sunt idonea &c.* Finis itaque Testamenti Veteris non fuit temporalis, sed supernaturalis; & quidem ultimatus æterna felicitas: proximus verò & immediatus institutio & eruditio populi Hebræi in iis, quæ partim ad naturalem morum honestatem justamque politiam spectant, partim ad Divinum cultum ac Religionem pertinent, quatenùs hôc mediô spiritualem & supernaturalem beatitudinem compararet. Suarez *d. l. 9. cap. 3. n.*
18 *3. & 7.* Gibalinus *d. cap. 2. q. 7. num. 3. & 4.* Et ideò Lex antiqua in *Psalm. 18. ỷ. 8. Lex immaculata, convertens animas &c. ad Rom. 7. ỷ. 12. & 14. Lex sancta, Lex spiritualis; Actor. 7. ỷ. 39. Verbum Vitæ,* nuncupatur.

19 Dixi *per merita Christi venturi consequendum.* Quia enim, affirmante Apostolô *ad Rom. 10. ỷ. 4. finis Legis Christus ad justitiam omni credenti*; ac *Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur ad Galat. 3. ỷ. 24.* Sanè omnis sanctitas & perfectio Legis Veteris in Christo, tanquàm fundamento, solidata est: sicque Lex Vetus ad spiritualem & supernaturalem felicitatem non conduxit, nisi mediâ fide in Christum nasciturum. Suarez *d. lib. cap. 3. num. 5. & cap. 7. per tot.* Gibalinus *cit. lib. 4. c. 3. q. 2. per tot.* Mezger *ubi supra num. 3. & 4.* & passim Theologi.

§. II.

Assignatur Objectum Juris Divini Veteris.

20 Objectum Juris Divini Veteris pro triplici præceptorum classe triplex est. In prima classe reponuntur præcepta *Moralia* seu Naturalia, quorum mate-

materiam *in cap.* 2.*sect.*2. latè deductam reliquimus. Reponuntur verò,& reducuntur ad præcepta Divina
21 gemina ex causa. Prima est, quòd, licèt Naturalis Juris notitia nobis congenita, ac cum ipsâ rationali anima sit infusa, Divinâ nihilominùs illuminatione & revelatione fuerit opus, ad manifestanda Juris Naturæ capita, posteaquàm rationis lumen, per originale peccatum magnâ caligine obductû, de humanarum actionum bonitate vel malitia sinistrum sæpe judicium tulit. D. Thomas apud P. Suarez *d. l.* 9.*cap.* 4. *num.*
22 59. Altera est, ut populus Judaicus, *cui eloquia DEI sunt credita Rom.* 3. ℣. 2. per observantiam præceptorum Naturalium majori puritate disponeretur ad Christum, ex Judaica progenie nasciturum. Reding *supra cit. controv.* 2. *n.* 8. & 9.

23 In secunda classe numerantur præcepta *Caremonialia*; quorum objectum erat Divinus cultus, ritè instituendus, per Sacramenta circumcisionis, agni Paschalis &c. per sacrificia, victimas,& holocausta; per sacra seu res, instrumenta, & vasa, Divino cultui deputata; per observantias peculiares, festa, jejunia, abstinentiam à certo genere ciborum &c. Suarez *d. cap.* 4. *num.* 25. Mezger *d. art.* 1. *numero* 6. & 10.

24 Ad tertiam classem pertinent præcepta *Judicialia*, quæ circa regimen politicum, in Hebrea Republica tenendum, versabantur. Solent à Scripturistis in quatuor ordines dispesci. I. continet officia Principum & subditorum; II. officia, commercia, & jura civium inter se; III. officia & jura civium versùs extraneos; IV. privatam cujuscunque patrisfamilias œconomiam & domesticam gubernationem. Mezger *cit. l. num.* 11. & communiter SS. Literarum Interpretes.

25 Porrò tam nobilia & exquisita hæc veteris Legis præcepta vel ipsis Ethnicis videbantur, ut antiquioris Philosophiæ & Politiæ principia maximam partem ex illis Legibus emendicata & repetita fuisse, ex Clemente Alexandrino, Tertulliano,& aliis Scriptoribus luculenter ostendit Gibalinus *d. l.* 4. *cap.* 3.*quæst.* 3. *num.* 29. Et utinam genuinè & sincerè petita, neque tot fabulis & figmentis corrupta fuissent!

§. III.

Ostenditur Effectus & Duratio Juris Divini Veteris.

26 Quòd principalis Legum effectus sit obligatio in conscientia, dictum est in *cap.* 1. *num.* 219. Hunc eundem effectum à Jure Divino Veteri productum fuisse, docemur tum ex illo *Deuter.* 6. ℣. 1. *hæc sunt præcepta & caremonia, atque judicia, quæ mandavit Dominus*: tum ex illo Matth. 5. ℣. 17. *Non veni*
27 *solvere Legem, sed adimplere.* Et ratio est: quia DEUS utique potuit obligare in conscientiâ, uti in *cit. cap.* 1. *num.* 220. jam animadversum est. Voluit etiam obligare: cùm Leges præceptivas non tantùm conceperit, sed etiam per Moysen jusserit promulgari. Ergo &c.

28 Sed quanta, quàmve rigorosa fuerit hæc obligatio? Nolim hic ventilare. Dicta sunt aliqua in *d. cap.* 1. §. 6. Quæ si animum, plura de hac materia obsoleta sciendi cupidum, necdum satient, poterit legi Suarez *d. l.* 9. *cap.* 6.

29 Ista verò obligatio, quam secum ferebant Leges Veteres, non erat perpetua, sed ad tempus solummodò Veteris Testamenti vim suam exserebat. Nam, quia Testamento Veteri, ceu umbræ & figuræ, per Christum substitutum est Novum, velut Lux & Veritas; Novæ quoque Leges Veteribus per Evangelium suffectæ, & illæ unà cum Testamento suo deletæ sunt per *cap. un. de Purif. post partum* non quidem ab initio statim adventus DEI hominis, sed à tempore mortis in monte Calvariæ, quando Cruci affixus DEUS exclamavit: *consummatum est*, velô templi mox
in partes scissô. Sic docet, & discurrit Novæ 30
Legis subtilissimus Præco D. Paulus ad *Hebræos* 9. ℣. 16. *ubi Testamentum est, mors, necesse est, intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.*

Neque turbare debet, quòd præcepta Moralia sint 31
Naturalia, quæ nullam temporis aut ætatis metam pro sua duratione agnoscunt.

Enim verò Moralia præcepta in hodiernum usque diem cum obligatione sua perstiterunt, non tamen ex vi Legis Mosaicæ, sed ex virtute Legis vel Naturalis, vel etiam Divinæ, in Novo Testamento confirmatæ. Stadlmayr *d. cap.* 3.*th.* 4. Reding *d. q.* 15. *artic.* 3. *controvers.* 3. *num.* 6.

SECTIO II.

De Jure Divino Novi Testamenti.

SUMMARIA.

32. *Explicatur Natura Legum Testamenti Novi.* 33 *Sunt libera ordinatio Divina Sapientiæ.* 34. & *seq Per Verbum Incarnatum.* 36. *Annuntiata.* 37. *In die Pentecostes promulgata.* 38. & *seq. Per Apostolos prædicata.* 40. & *seq. Præcipiens ea, quæ ad statum gratiæ & gloriæ conducunt.* 42. *Non versantur extra materiam fidei & Sacramentorum.* 43. & *seqq Hujus rei veritas & sensus ampliùs declaratur.* 48. & *seqq. Discerniculum subjicitur, undénam dignoscere liceat, quid Jure Divino Novo constitutum sit?* 52. & *seqq. Commendantur traditiones.* 55. *Lex Divina Nova obligat in conscientia.* 56. *Incepit in die Pentecostes.* 57. *Durat ad consummationem sæculi.* 58. & *seqq. Fundamenta illorum, qui tenent, illam à S. Pontifice mutari posse per dispensationem.* 63. & *seqq. Fundamenta contraria.* 72. & *seqq. Priora refutantur.* 77. *Epikiam impropriam non dedignatur.*

§. I.

Descriptio Juris Divini Novi.

JUs Divinum Novum describo, quòd sit libera Or- 32
dinatio Divinæ Sapientiæ, per Verbum Incarnatum annuntiata, in die Pentecostes promulgata, ac per Apostolos universo mundo prædicata, præcipiens ea, quæ pertinent ad statum gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro, ac prohibens contraria.

Dixi I. *libera Ordinatio Divinæ Sapientiæ*. Sanè 33
admirabilis & salutifera: *quia plena gratia & veritatis. Joannis* 1. *v.* 15. Non in Timore, sed *Amore* fundata apud D. August. *Jugum suave, & onus leve. Matth.* 11. *v. ult*

Dixi II. *per Verbum Incarnatum.* Nam *Lex per* 34
Moysen data est, gratia & veritas per Christum. Joann. 1. *v.* 17. Quem ab æterno Patre Judicem, Legiferum, & Regem nostrum constitutum esse, prævidit Isaias *cap.* 33. Et ideò à Concil. Trident. *Sess.* 6.
cap. 21. sub anathemate damnatus est error Calvini in 35
verbis: *si quis dixerit, Christum JESUM à DEO hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit.*

Dixi III. *annuntiata*: toto videlicèt triennio, 36
quô DEUS homo post baptismum Joannis & quadragesimale Jejunium transibat compita, vicos, pagos, templa, civitates. prædicandô, docendô, sanandô, miracula patrandô.

Dixi

37 Dixi IV. *in die Pentecostes promulgata.* Equidem
à tempore ignominiosæ mortis Salvatoris nostri Testa-
mentum Novum valere occepit ex *num.* 29. adeòque
& Leges Novi Testamenti: ultimum tamen comple-
mentum addidit solennis promulgatio, in die Pente-
costes una cum missione Spiritûs Sancti facta, quan-
do Apostolorum Primas, non mustô, uti falsò cre-
debant Judæi, sed Spiritu Sanctô repletus in pri-
ma Concione mandabat: *pœnitentiam agite, & bap-
tizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi
in remissionem peccatorum vestrorum &c. Actor.* 2. *v.*
38. Mezger *d. disp.* 33. *art.* 3. *n.* 4.
38 Dixi V. *ac per Apostolos universo mundo præ-
dicata.* Ergo Lex Divina Evangelica non ad cer-
tam Nationem, instar Mosaicæ, directa; sed, in
modum Naturalis, omnibus Gentibus proposita,
per omnes angulos orbis diffusa ac propagata est,
conformiter jussui & voluntati Divinæ Matthæi
& Marci *ult.* ibi: *euntes ergo docete omnes Gen-
tes; &* 1. *euntes ergo in mundum universum,*
39 *prædicate Evangelium omni creaturæ.* Dilata-
tô ita Evangeliô, Lex Divina Nova in actu secun-
do efficaciter obligavit omnes ad sui observantiam,
quotquot prædicationis notitiam adepti sunt. *Qui
enim crediderit*, ait Divina Veritas *cit. loc. & ba-
ptizatus fuerit, salvabitur; qui verò non credide-
rit, condemnabitur.* Videatur Suarez *Lib.* 10. *de
LL. cap.* 4. *à n.* 16.
40 Dixi VI. *præcipiens ea, quæ ad statum gratiæ &c.*
In quibus verbis excellentia & præstantia Juris Di-
vini Novi præ Veteri relucet, dum illa non solùm
jubet præcipiendô, uti illa; sed etiam juvat, gra-
tiam & auxilium inspirandô, ac suaviter & forti-
ter ad beatitudinem supernam perducendô. Quem
in finem per Legem Novam instituta sunt Sacra-
menta, quæ ex se & sua virtute vim habent, produ-
cendi gratiam, sicut ex Concil. Trid. *Sess.* 7. 13. *&* 14.
41 certum ac definitum agnoscunt Catholici. Hùcque
collimant varia Apostoli testimonia *ad Rom.* 1.
v. 16. ibi: *Evangelium est virtus DEI in salutem
omni credenti.* 1. *ad Cor.* 15. *v.* 1. ibi: *notum vo-
bis facio Evangelium, quod prædicavi vobis, quod
& accepistis, per quod & salvamini.* Legantur Bel-
larminus *lib.* 4. *de Justificat. usque ad cap.* 6. Sua-
rez *d. l.* 10. *cap.* 5. Reding in *Concil. Trid. Sess.* 7.
tract. 5. *sect.* 3. *cap.* 4. per totum.

§. II.

Objectum Juris Divini Novi.

42 Vetus axioma Theologorum fuit: Jure Divi-
nô Novô ne ullum quidem præceptum novum
extare, extra materiam Fidei & Sacramentorum.
Covarruv. in 4. *Decretal. cap.* 6. §. 10. *in princ.* So-
tus in 4. *dist.* 40. *art.* 4. Suarez *d. l.* 10. *cap.* 2. *n.*
10. Fagnanus in *cap. cùm esses de Testam. num.* 119.
43 Sensus axiomatis est, dari quidem in Lege Nova non
pauca præcepta moralia, ea tamen nova non esse, sed
in antiquo testamento jam quoad substantiam in de-
calogo fuisse contenta; in novo autem ab Incarnata
Veritate in individuo magis magisque determina-
44 ta, dilatata, & declarata. Sic enim præceptum de
proximo diligendo jam erat contentum in Deca-
logo Legeque Naturali; sed ita renovatum, expli-
catũ, & ampliatum fuit à Christo, ut non tantùm ami-
cos, sed etiam inimicos diligere jusserit, juxta illud
Matthæi 5. *v.* 44. *ego autem dico vobis: diligite ini-
micos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate
pro persequentibus & calumniantibus vos.* Qua in re
consuli potest Gibalin. *Scientia Canon. lib.* 4. *cap.* 5.
q. 2. *per tot.* ubi pereruditè discurrendo per singu-
la Evangelii præcepta demonstrat illa jam in decalo-
go præcontenta fuisse.

Itaque peculiaria Novæ Legis præcepta versantur 45
circa materiam fidei & Sacramentorum. Et quidem
in materia fidei singulariter excellit Mysterium SS.
Trinitatis; Mysterium admirabilis & ineffabilis In-
carnationis Domini nostri JESU Christi; Mysterium
salutiferæ spei de remissione peccatorum & ingressu
in regnum Cœlorum, statim post mortem nostram
aperiendô, si peccatorum impedimenta jam sublata
esse supponantur. In materia Sacramentorum habe- 46
mus largissimos Divinæ gratiæ fontes, Baptismum,
Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Ex-
tremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: in
quorum administratione ex ipsomet opere, ut ajunt,
operato, citra meritum & respectum operantis, super-
naturalis & Sacramentalis effectus confertur. Co- 47
natur quidem Eximius Suarez *cit. l. à num.* 6. os-
tendere, liberâ DEI revelatione suppositâ, tam
Fidei quàm Sacramentorum instituta in principiis
naturæ radicari; sed habet dissentientem sibi post
alios Illustrissimum Reding de *LL. q.* 15. *art.* 3. *contr.*
5. *num.* 9.
Undénam verò colligi possit, an iste vel ille ar- 48
ticulus sit Juris Divini Novi? Responsio in prom-
ptu est. Nempe ex Libris Testamenti Novi, Evan-
geliis, Actibus & Epistolis Apostolorum, Apocalypsi
S. Joannis &c. Ubi tamen advertendum est, sicut 49
in Evangelio non mera præcepta, sed multa sup-
ponunt consilia; ita in reliquis aliqua extare præ-
cepta, quæ non immediatè à DEO, sed Apostolo-
lis sancita sunt. Tale est illud 1. *Timoth.* 3. *v.* 2. 50
de non ordinandis bigamis. Tale est illud *Act.* 15.
v. 20. de abstinentia, à sanguine & suffocato tenendâ.
Gonzalez in *apparatu Juris Can. num.* 26. P. Pirhing.
in *proœm. Jur. Can. num.* 13. P. Reiffenstuel *ibid.
num.* 26. Reverendiss. D. D. Gueträther *Instit. Jur.
Can. lib.* 1. *tit.* 2. §. 1. Tunc autem ejusmodi præce- 51
pta Divini Juris esse censentur, quando hæc vel si-
milia verba reperiuntur: *Dominus ordinavit; non ego
dico, sed Dominus; ego accepi à Domino, quod & tra-
didi vobis &c.* P. Engel ad *tit. de Constitut. n.* 6.
Interim apud Catholicos plusquàm certum habe- 52
tur, non omne, quod scriptum in SS. paginis non
exhibetur, à Conditore Legis Evangelicæ dictum aut
factum non fuisse: nam, ut Evangelistarum Aquila
per modum epiphonematis in *cap. ult.* Evangelii sui
posteris consignavit, *sunt & alia multa, quæ fe-
cit JESUS; quæ, si scribantur per singula, nec ipsum,
arbitror, mundum capere posse eos, qui scribendi sunt,
libros.* Ut adeò, si continua Ecclesiæ traditio, per
SS. Canones, Concilia, & PP. firmata, quidpiam pro 53
Lege Divina susceperit, perinde sit agnoscendum,
ac si Bibliis sacris insertum legeretur, ad mentem &
monitum Apostoli 2. *ad Thessalonicens.* 2. *v.* 14. scri-
bentis: *itaque fratres state, & tenete traditiones,
quas didicistis, sive per sermonem, sive per epis-
tolam nostram.* Eaque traditio D. Hipponensium 54
Præsuli tam æstimata fuit & ponderosa, ut, attestan-
te P. Engel ad *tit. de Consuetud. num.* 3. Evan-
gelio non credidisset, nisi Ecclesiæ movisset auc-
toritas. Conferatur Gonzalez in *cit. apparatu num.*
10. & Clariss. D. P. Cœlestinus Pley de *Fide Di-
vina p.* 2. *q. prælim. per tot.*

§. III.

Obligatio & mutatio Legis Divinæ Novæ.

Lex Nova obligat in conscientia ad actum, imme- 55
diatè à Lege intentum. Ita Divina Veritas in admi-
rabili illo & suavissimo Sermone, post Cœnam ulti-
mam habitô, sæpiùs indicat, & inculcat *Joannis cap.*
13. 14. *&* 15. Credenda igitur, nec in dubium tra-
henda hæc assertio.

Tem-

56 Tempus, quô obligatio isthæc initium sumpsit; in §. 1. *num.* 2. *& seqq.* determinatum est.

57 Tempus, quô finem accipiet, est finis & interitus mundi. Nam *Baruch.* 2. *v.* 35. promisit æterna DEI providentia: *statuam illis testamentum alterum sempiternum*, hoc est, duraturum usque ad consummationem hujus sæculi, juxta interpretationem *Matth.* 24. *v.* 14. ibi: *prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio.* Et *Matth.* 28. *v. ult. Ecce ego vobiscũ sum usque ad consummationẽ sæculi.*

58 An Jus Divinum Novum mutationis capax sit, non quidem respectu DEI, qui, quod liberè statuit, liberè revocare potest; sed respectu hominis, & in specie S. Pontificis? Quæstio in utramque partem controversa est. Sunt enim, qui S. Pontifici potestatem adstruant, in Jure Divino Novo quoad unum aut alterum casum particularem ex causa rationabili & prægnante dispensandi. Inter hos numeratur Panormitanus in *cap. proposuit* 4. *de concess. præb. num.* 2. Felinus in *cap. quæ in Ecclesiarum* 7. *de Constitut. num.* 19. *& seqq.* Decius ad *idem cap. n.* 25. *& seqq.* Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. disp.* 6. *n.* 5. *&* 6. & alii, ab his allegati. Ducuntur sequentibus mo-
59 tivis. I. est ex textu *Matthæi* 16. ubi absoluta & illimitata potestas Summo Pontifici conceditur, quodcunque vinculum aut ligamen dissolvendi.
60 II. est ex *cap. inter corporalia* 2. *de Translat. Episcopi*, ubi Innocentius III. dilucidè proponit, matrimonium, quod est Episcopum inter & Ecclesiam, Jure Divinô colligari; & tamen expresè fatetur, Apostolicæ Sedi potestatem adjacere, tale matri-
61 monium solvendi. III. est ex praxi & consuetudine Ecclesiæ, quæ sæpiùs in matrimonio rato, voto, juramento, aliisque obligationibus, Jure Divi-
62 nô constitutis, dispensavit. IV. est ex ratione: quia Benignissimus DEUS Ecclesiæ suæ illam potestatem tribuisse censetur, quæ moraliter erat necessaria ad rectam & convenientem fidelium gubernationem. Sed potestas dispensandi in Lege Divina moraliter est necessaria ad rectam & convenientem fidelium gubernationem; nam casus aliquoties evenit, & deinceps evenire potest, in quo dispensatio, in Jure Divino petita, ad majus Ecclesiæ bonum procurandum, vel ad majus malum evitandum, erat necessaria. Ergo &c.

63 Sed contraria opinio tam DD. præsertim Modernorum, numerô, quàm rationum pondere prævaluit. Numerum DD. pandunt Covarruv. in 4. *Decretal. p.* 2. *cap.* 6. §. 9. *n.* 4. Suarez de *LL. lib.* 10. *cap.* 6. *n.* 7. Reding de *LL. q.* 15. *art.* 3. *controv.* 6. *n.* 3. Barbosa *J. E. V. cap.* 6. n. 129. Rationes sunt hæ. I. Nequit inferior Legislator tollere vel mutare Jura Legislatoris Superioris, *Clem. ne Romani* 2. *in pr. de Elect.* Ergo neque Lex Divina tolli aut mutari potest à S. Pontifice.

64 Neque dicas: Episcopos esse inferiores Summô Pontifice; & tamen ex causa rationabili & urgente, quando recursus ad S. Pontificem est difficilis aut impossibilis, juxta communem DD. in Lege Ponti-
65 ficiâ dispensare posse. Nam hôc ipsô, quòd Episcopi tunc solùm in Lege Pontificia dispensare possint, quando subest urgens & rationabilis causa; consequens est, Pontificem in Lege Divina dispensare non posse: quia urgens & rationabilis causa subesse nequit. DEUS quippe, qui non tantùm eventus futuros æternâ suâ præscientiâ comprehendit, sed ipsemet futurorum contingentium author est, ad omnes omninò casus Leges suas positivas, sicuti Naturales, de quibus in n. 201. *& seqq. cap.* 2. extendit: sicque non est dabilis circumstantia, quam DEUS non prævidisse, aut Legi subducere voluisse; censendus est.

II. ratio. Illa potestas non competit Ecclesiæ, 66
quam ipsimet Pontifices Ecclesiæ negant competere. Atqui potestatem in Lege Divinâ dispensandi negant ipsimet Pontifices, Ecclesiæ competere: Nam in *cap. sunt quidam* 6. *XXV. q.* 1. Urbanus Papa sic effatur: *ubi apertè Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes SS. Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam Legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs, quod prædicatum est, usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur.* In *cap. contra statuta* 7. *eâd.* ait Zosimus 67
Papa: *contra statuta Patrum* (intellige, quæ Jus Divinum declarant) *condere aliquid, nec hujus quidem Sedis potest Authoritas.* In *cap. omne quod* 8. *eâd.* di- 68
cit Marcellinus: *nec quidquam, quod contra Evangelica vel Prophetica aut Apostolicæ doctrinæ constitutionem successorumve eorum, sive Sanctorum Patrum actum fuerit, stabit.* In *cap. prima* 9. *eâd.* Hormisda 69
inquit: *prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deviare.* In 70
cap. literas 13. *de Restit. spoliat.* decernit Innocentius III. mulierem, quæ scit, inter se & maritum intercedere impedimentum matrimonii, Jure Divinô introductum, nec tamen probare potest, etsi à Sede Apostolica jubeatur, marito se commiscere, debere potiùs excommunicationem sustinere, quàm sententiæ parere. Ergo potestas dispensandi in Jure Divinô non est penes Pontificem Maximum.

III. ratio. Potestas dispensandi neque possibilis 71
est ex parte Ecclesiæ, neque utilis. Non primum: quia vel DEUS vult in omni casu Legem suam obligare; vel non vult? Si vult; frustra Legis vinculô ab humanâ potestate exuitur, qui Divinâ Authoritate manet ligatus. Si non vult; superflua & inutilis est dispensatio, utpote quæ Legis obligationem præsupponit. Non secundum: nam datâ, vel semel dispensatione, recludetur janua, mille dispensationes indulgendi; & sic neque unitas Ecclesiæ in præceptorum & doctrinæ unione concors perennare, neque Divina Lex ad finem mundi durare poterit.

Motiva in *nn.* 59. adducta non movent. Primum 72
ex textu *Matthæi* 16. probat nimium; totam videlicèt Legis Evangelicæ Summam Pontificiâ potestate subverti posse: quod nec Adversarii admittunt, nec, salvâ Fide, admittere valent. Probat ergo nihil quoad intentum contrarium, sed solummodò commonstrat, ea, quæ fiunt à Pontifice circa propriam materiam in terris, rata & grata haberi in Cœ-
lo. Propria verò materia non sunt Constitutiones 73
& Ordinationes Divinæ, sed actiones hominum voluntariæ, circa quas tam amplâ potestate gaudet S. Pontifex, ut earum obligationes non tantùm in foro fori, sed etiam in foro poli aut ligare, aut solvere valeat, prout in præsenti solidissimè pro sua consuetudine ponderat *cit.* Illustriss. Reding *n.* 7. *& seqq.* & jam supra *cap.* 2. à *n.* 179. expensum est.

Secundum motivum P. König ad *tit. de Translat.* 74
Episcopi num. 3. invertit, ac dicit, spirituale matrimonium, quod habet Episcopus cum sua Ecclesia, mediatè solùm & originaliter, non formaliter & immediatè à DEO stabilitum esse, in quantùm Ecclesiæ facultatem disponendi de Episcoporum & Prælatorum juribus & obligationibus concessit. Deinde respondet Bellarminus, quem citat Gon- 75
zalez in *cap. cùm ex illo* 1. *cit. tit. num.* 16. quòd duplex matrimonium contrahat Episcopus, unum cum Ecclesia universali; alterum cum Ecclesia particulari. Primum, ait, Divinâ ordinatione factum esse insolubile; alterum solubile esse, affirmat. Denique Suarez *cit. l. num.* 20. transmittit, matri- 76

monium inter Episcopum & Ecclesiam à DEO vinculum indissolubile nactum fuisse: quia verò non minùs, quàm matrimonium carnale ratum, liberô humanæ voluntatis consensu perficitur: hinc indirectam & materialem mutationem, à S. Pontifice, cujus dispositioni materia subjacet, faciendam, admittit. Quænam nobis responsio placeat, ex *tract.* 3. *cap.* 3. infra patefiet.

77 Tertium motivum suâ sponte corruit: cùm vota, juramenta, matrimonia &c. obligent quidem Jure Divinô & Naturali, sed conditionatè, suppositâ nempe humanâ voluntate, quatenùs ab Ecclesia acceptata, & non irritata sunt. Respice ad *cit. cap.* 2. *n.* 183. *&* 185. & in specie P. Engel ad *tit. de M. & O. n.* 8.

78 Quartum ex *n.* 65. solutionem capit, ubi probatum est, Legem Divinam, cùm à Legislatore omnium futurorum præscio lata fuerit, in nulla circumstantia non obligare. Quæcunque autem Ecclesiæ utilitas ex dispensatione promanatura asseratur, ea nequibit præponderare majori incommodo, quod ex libera dispensandi facultate timendum foret, juxta probata in *num.* 71.

79 De Epikia in Jure Divino, servatâ proportione, judicandum erit, sicuti in *eôd. cap.* 2. *à num.* 195. de Jure Naturæ judicatum est. Id solùm adjunxerim, Epikiam impropriam, seu potiùs interpretationem Authenticam Juris Divini, ad officium S. Pontificis spectare: de qua ex professo agunt Theologi, & cum his [illegible] *Scientia Can. l.* 5. *cap.* 3. *q.* 3. §. 4. & nos alibi.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Omnia præcepta Veteris Testamenti fuerint Divina.* 2. *Gentiles illis non adstringebantur.* 3. *Enumerantur libri hujus Testamenti.* 4 *& seqq. In Lege nova non continetur novum præceptum morale.* 7. *&* 8. *Respondetur ad textum oppositum.* 9. *& seqq. In eadem Lege nova haud licet observare præcepta cæremonialia Legis antiquæ.* 12. *De exemplo Apostolorum remissivè.* 13. *&* 14. *Recensentur libri Testamenti novi.*

QUÆSTIO I.

An omnia præcepta Veteris Testamenti fuerint Divina?

1 AFfirmativa assertio dedocitur ex isto *cap. à n.* 7. ubi, cùm solum DEUM agnoverimos pro Authore Veteris Testamenti, cujus jussu & mandato à Moyse Duce populi Israëlitici omnia & singula præcepta fuêre promulgata; re ipsâ conclusum est, omnis præcepta Veteris Testamenti fuisse Divina, à suo Legislatore nomen sortita.

QUÆSTIO II.

An Leges Veteris Testamenti obligaverint solos Judæos?

2 Responsio affirmativa habetur ex *d. cap. num.* 11. Unde Gentiles non obstringebantur Legibus Mosaicis, quæ cæremoniales aut judiciales vocabantur, sed poterant, adjuvante Divinâ Gratiâ, justificari absqoe illarum observantia, quando saltem Leges morales seu naturales observârunt. Confeatur Exim. P. Victorianus Steidle in *Tract. Theol. de Lege Veteri art.* 2. *num.* 6. ubi plura de Lege Veteri pertractat.

QUÆSTIO III.

In quibusnam libris contineatur Jus Veteris Testamenti?

Discendum id, firmàque fide tenendum ex Concilio Tridentino *sess.* 4. *in decreto de Canon. Scriptur.* 3
Sunt nempe quinque libri Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth; quatuor Regum; duo Paralipomenon; Esdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum; Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus; Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Oseas, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; duo Machabæorum, primus & secundus.

QUÆSTIO IV.

Utrùm in Jure Divino Novi Testamenti inveniatur aliqua Lex nova moralis, quæ non erat in Testamento Veteri?

Negativæ, quam amplexus sum in hoc *cap. à nu.* 4
42. obstare videtur, quòd Lex de proximo diligendo jam quidem fuerit comprehensa in Testamento
Veteri, sed eo cum discrimine, ut nomine proximi
tantùm intelligeretur amicus, non verò inimicus;
juxta illud *Matth.* 5. *v.* 43. *Audistis, quia dictum
est antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis
inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite
inimicos vestros.* Verùm *cit.* anteà P. Victorianus 5
Steidle *artic.* 10. *à num.* 3. eg[illegible]ė declarat ex PP.
& S. Scripturæ Expositoribus, nullibi in Jure Veteri
scriptum extare, quòd liceat inimicum odiô
prosequi, sed ab Hebræis Præceptum Divinum de
diligendo amico per sensum contrarium perperam
futile explicatum, quasi licitum sit, inimicum,
imò omnes Gentiles, odiô habere: quam sinistram
explicationem Christus Dominus redsrguere & cor- 6
rigere volens, *cit. l.* Legem Veterem in saniori sensu
exposuit, quòd nempe per amicum quivis proximus,
propensus vel aversus, Judæus & Gentilis,
intelligi amarique debeat.

Nequerefert, quòd in Deuteron. 25. *v.* 19. scriptum 7
sit: *delebis nomen ejus sub cælo, cave ne obliviscaris*:
id enim exaudiendum est de gente Chananæa,
quam non quidem ex odio, sed ex justo &
inscrutabili suo judicio DEUS per Josuem & Hebræos
exscindi & occidi mandaverat. Sanè, quòd 8
Judæi ab ultione & vindicta privata abstinere, suosque
inimicos diligere fuerint obligati, abundè patet
ex *c.* 23. *Ex. v.* 4. *&* 5. & *c.* 19. *Lev. v.* 17. *&* 18.

QUÆSTIO V.

An etiamnum in Testamento Novo liceat observare Leges Veteris Testamenti?

Hæc quæstio potissimùm est concepta de Legi- 9
bus cæremonialibus, circa Sacrificia, Sacramenta,
Sacra & cæremonias versantibus: nam Leges morales,
ceu naturales, aliunde sunt immutabiles: judiciales
verò, etsi vî obligandi non ampliùs polleant,
possunt tamen in politia Christiana pro libitu
Imperantium reassumi. Itaque de cæremo- 10
nialibus loquendô, certum videtur, & de fide, earum
observantiam non ampliùs esse licitam. P. Victorianus
Steidle *art.* 12. *per tot.* Siquidem, cùm Leges

ejusmodi

ejusmodi fuerint prototypon Sacrificii & Sacramentorum novi Testamenti, absque injuria Christi Domini, idem Sacrificium & Sacramenta instituenda, observari nequeunt.
11 Posset enim verò non nemini in mentem venire, quòd umbra esset clarior luce, figura nobilior figuratô, ancilla potentior Dominâ, boves & oves excellentiores agnô immortali & immaculatô.

12 Quô verò sensu Apostoli per aliquod tempus judaizandò cæremonias legales Veteris Testamenti adhibuerint, ut nempe Judæi, videntes, Synagogæ suæ ritus à Christianis non contemni, faciliùs ad fidem converterentur, dilucidat *cit.* Author *d.l.*

QUÆSTIO VI.

Ex quibus Libris Testamenti Novi Leges sint addiscendæ?

23 Indicem hìc præbet supra commendatum S.Concil. Trident. *sess.* 4. *in Decreto de Canon. script.* Sunt neque quatuor Evangelia secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem; Actus Apostolorum, à Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolæ S. Pauli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hæbreos; Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis
24 Joannis Apostoli. *Si quis autem* (sunt formalia hujus Concilii) *libros ipsos integros* (intellige utriusque Testamenti) *cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in Veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non susceperit, & traditiones prædictas* (quæ nimirum sinè scripto ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, tam ad fidem, quàm ad mores pertinentes) *sciens & prudens contempserit, anathema sit.* Qua de re ampliora scribunt Theologi.

CAPUT IV.

De Jure Gentium.

Altera Juris Positivi species est Jus Gentium. Habet cum Jure Divino Positivo & Naturali propinquam valde cognationem: tum quia adinstar memoratorum Jurium suâ universalitate ad omnes, vel plerasque saltem Gentes, porrigitur: tum quia non minùs privatos quàm Principes sibi devotos & obstrictos tenet, sicuti præsens Caput explicabit.

SECTIO I.

De Natura Juris Gentium.

SUMMARIA.

1. *Utrùm detur Jus Gentium? Ratio dubitandi.* 2. *& seq. Sitne distinctum à Jure Naturali? Motiva negantia.* 4. *Probatur illius existentia.* 5. *& 6. Solvitur dubitandi ratio.* 7. *& seqq. Ostenditur illius distinctio à Jure Naturali.* 11. *Enervantur motiva negantia.* 12. *Diversa Juris Gentium acceptio.* 13. *Ejus definitio.* 14. *& seqq. Demonstratur, quòd sit verum Jus, conditum à DEO, velut authore societatis humanæ.* 23. *Non consistit in pactis Gentium.* 24. *Discretum est à Jure Divino & Naturali.* 25. *& seqq. Affine est Juri Consuetudinario.* 28. *Respicit utilitatem Gentium quâ talium.* 29. *Insinuatur alia definitio.* 30. *& seqq. Refertur & refutatur divisio Juris Gentium in primævum & secundarium.* 33. *& seqq. Referuntur & refutantur aliæ divisiones.* 37. *Admittitur sola divisio in affirmativum & negativum.*

§. I.

Detúrne Jus Gentium, à Jure Naturæ distinctum?

Juris Gentium Naturam rimaturi, duos scrupulos removere, necessum habemus. Primus & levior est: detúrne Jus Gentium? Sunt enim, scribit D. Gierle 1. *part. Pandect. quæst* 1. *n.* 1. qui negent, dari Jus Gentium. Argumenta illorum consistunt partim in impossibilitate convocandi Nationes omnes, ad commune aliquod Jus, mutuô consensu pangendum; partim in defectu objecti seu capitum, quæ vulgò Juris Gentium esse dicuntur, & ne quidem à Gentibus moratioribus observantur. 1

Alter & grandior scrupulus est: sitne Jus Gentium à Naturali distinctum? Fuit enimverò non paucis amica sententia, quæ Jus Gentium cum Naturali confundit, ac solâ denominatione extrinsecâ diversum esse, asserit, nempe quòd Juris Naturalis dicantur ea, quæ Naturæ rationali quà tali sunt conformia; Juris verò Gentium, quæ eidem Naturæ sunt quidem conformia, suppositô tamen ratiocinio humanæ indigentiæ. Ita Puffendorff de *J. N. lib.* 2. *cap.* 3. §. 23. Ryssel de *J. N. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 15. & *cap.* 27. *n.* 4. Hobbesius in *libro de Cive cap.* 14. §. 4. Schambogen ad *tit.* 2. *lib.* 1. *Instit. quæst.* 5. Ratio- 2
nes illorum sunt I. quòd Jus Gentium, si à Naturali distinguatur, nequeat procedere ab aliquo Superiore. II. quòd pleraque, quæ apud JCtos Romanos aliosque ad Jus Gentium referuntur, v. g. circa modus acquirendi, contractus &c. vel ad Jus Naturæ pertineant, vel ad Jus Civile singulorum. III. quòd plura dicantur esse Juris Gentium, v. g. privilegia & prærogativæ Legatorum, quæ nullô modô obligatoria, sed arbitraria sunt. IV. quòd Imperator 10 §. *Jus autem* 1. *Inst. de J. N. G. & C.* Jus Gentium describat, *quod Naturalis ratio inter omnes homines constituit.* Ad retundendos hosce scrupulos. 3

Dico I. Datur Jus Gentium. Sic communis Gentium sensus evincit, dum Historicum aut Scriptorem Publicum vix legeris, in quo ad Jus Gentium à Gentibus fuisse provocatum, non invenias. Sic sana & evidens ratio persuadet. Nam quia Gentes de facto aliquam inter se societatem inivère, regulam habeant, oportet, ad cujus normam societas illa ritè instituatur. Uti enim in omnibus negotiis & actionibus defectuosæ & peccaminosæ sunt creaturæ rationales, eôque nomine regulâ indigent, ad cujus amussim actiones & negotia vel dirigantur, ut justa sint, vel reformentur, si injusta sint: ita vel maximè in commerciis & actionibus, quibus societas aut servanda, aut fovenda est, regulâ quâdam directivâ & obligativâ opus est. Hæc autem regula nil aliud denotat, quàm Jus Gentium. 4

Quæ in oppositum stant argumenta, levissima sunt. Ut enim Gentes ad communem Legem sanciendam conveniant, aut consensum mutuum verbis exprimant, gratis requiritur: sufficit siquidem 5

consensus tacitus, quem uniformi circa unam ean-
démque materiam operatione, ac subsecutâ in trans-
6 gressores animadversione, Gentes declarant. Quòd
verò Gentes constitutum sibi Jus tam religiosè non
observent, non defectum, sed abusum Juris exi-
stentis indicat. Hâc ipsâ namque de causa, quòd
una vel altera Gens Juris hujus capita temerè in-
fringat, Gentes alias ad arma & vindictam provo-
cat, comprobante hoc lugubri continuorum bello-
rum experientiâ.

7 Dico II. Jus Gentium à Naturali adæquatè di-
stinguitur. Ita ex Theologis Reding sæpe *cit.q.*15.
*art.*1.*contr.*2.*n.*2. Suarez de *LL. lib.*2. *cap.* 17. *n.*8.
& *cap.*19 *à n.*1. Mezger *tr.*8.*disp.*32.*art.*2.*n.*2. Ex
Jureperitis Gonzalez in *Apparatu Juris Can. num.*
19. Gletle *cit.quæst.*1.*n.*5. David Mævius in *Nucleo*
*J.G. Inst.*5. *th.*9. Vitriarius in *Instit. Juris Natur.&*
Gent. lib. 1. *cap.* 1. *n.*24. Grüningius in *Bibliotheca*
8 *Juris Gent. l.*3. *cap.*10.*n.*15. & alibi sæpiùs. Ratio
est I. quia objecta Juris Gentium non sunt in neces-
sitate Naturæ fundata, neque intrinsecam malitiam
vel honestatem continent, prout inspicienti singu-
la patebit, & constabit ex *sect. seq.* Ergo Jus Gen-
tium, cùm objectum à Jure Naturali adæquatè di-
stinctum habeat, à Jure Naturali adæquatè di-
9 stinguitur. II. quia, Jus Gentium magis societa-
tem, quàm naturam rationalem respicit; neque tam
facere rectos homines, quàm socios desiderat. Jus
Naturæ è diametro felicitatem Naturæ rationalis
quà talis intendit, neque magis socium, quàm ho-
minem per se primò informare studet; veluti in *cap.*
2. *à n.* 78. ostensum est. Ergo cùm ex fine primariô
differant Jus Naturale & Gentium, differunt adæ-
10 quatè. III. Jus Naturæ scriptum est in cordibus
hominum, ac sinè hominum voluntate sancitum:
Jus Gentium moribus utentium invaluit, nec sinè
Gentium votô & voluntate coaluit. Ergo Jus Na-
turæ non est Jus Gentium, neque vicissim Jus Gen-
tium portio Naturalis.

11 Rationes, in *nu.* 3. propositæ, majorem veri spe-
ciem quàm energiam habent. Prima enervabitur in
§. *seq.* Secunda & tertia in *sect. seq.* diffabitur.
Quarta vel ideò caret viribus: quia Imperator in
memorato §. vel Jus Gentium pro Naturali per abu-
sum vocabuli usurpavit; vel per *rationem Naturalem*
non regulam intrinsecæ honestatis vel malitiæ, sed
potiùs congruentiam aliquam & convenientiam,
quam standô in Jure Naturæ absqua longiori inda-
gine deprehendere licet, significare voluit, confor-
miter descriptioni in §. *sed Jus* 2. *Inst. eôd. tit.* ubi
Justinianus Imperator Jus Gentium dicit esse, *quod*
usu exigente, & humanis necessitatibus Gentes hu-
mana sibi constituerunt.

§. II.

Quid sit Jus Gentium?

12 Jus Gentium duplici acceptione circumfluit. I.
accipitur impropriè pro Jure, à pluribus Gentibus
sinè mutua obligatione in bonum particulare recep-
tô. In quo sensu plerique contractus in *cit.* §. *sed*
Jus 2. *Inst. de J. N. G. & C.* ad Jus Gentium refe-
runtur: eò quòd emptio v. g. venditio, locatio, per-
mutatio, & reliquæ conventiones, ab una Gente
primitùs introductæ, posteà ab aliis Gentibus in uti-
litatem singularem receptæ sint. II. sumitur propriè
pro Jure, à pluribus Gentibus in bonum commune
Gentium cum reciproca obligatione constitutô. In
posteriori hâc acceptione

13 Definitur Jus Gentium, quòd sit ordinatio ratio-
nis, diuturnis Gentium moribus ad communem uti-
litatem Gentium quà talium constituta. Ita quoad
substantiam P. Mezger ubi *supra num.* 14. & Cla-
rissimus D. Collega Franz ad *tit. Institut. de J. N.*
Gent. & C. p. 2. *num.* 3. ac Vitriarius in *Instit. J. N.*
& G. l. 1. *cap.* 1. *n.* 21.

Dixi I. *Ordinatio rationis.* Quæ verba subeunt 14
vicem generis. Sed utrum univocè vel analogicè?
Litem faciunt magni Jurisprudentiæ Proceres, quos
inter cum primis certat D. Gletle in *cit. quæst.* 1.
nu. 11. operosè contendens, Jus Gentium non esse
univocam speciem Juris Legalis. Ratio, quæ mo-
vit Clarissimum hunc Ictum, est: quia, si Jus Gen-
tium foret univoca Juris Legalis species, deberet
egredi a voluntate & potestate cujusdam Superio-
ris. At Gentes, cùm liberæ, suisque in Territoriis
Supremæ sint, Superiorem non habent. Ergo Jus
Gentium nequit esse univoca Juris Legalis species.

Hanc rationem, ut assertores nostræ sententiæ 15
diluant, ajunt, Gentes considerari posse dupliciter:
primò sigillatim; secundò collectim. Gentes sigilla-
tim sumptas admittunt in suis Territoriis non agnos-
cere aliquem Superiorem; bene verò collectim
sumptas: non aliter atque in statu Democratico,
ubi populus, divisim acceptus, obtemperat; colle-
ctim acceptus imperat.

Verùm hâc responsione non contentus D. Gletle, 16
sic ulteriùs instat. Nequeunt Gentes, collectim
sumptæ, habere quandam Superioritatem respectu
sui: sic enim constituerent Universalem aliquam
Rempublicam, de qua nec Divinum, nec Natura-
le, nec Positivum Jus quidquam scit vel statuit.
Quin imò, cùm quælibet Gens in sua provincia sit
libera, Suprema, ac Majestate prædita, nequit esse
obnoxia potestati Superiori ejusdem generis & or-
dinis: quia foret Suprema, & non foret.

Si reponas: unam Gentem censeri liberam, qua- 17
tenùs alteri non est obnoxia. Seu, quod idem est,
unam Gentem in sua Republica Supremam esse,
nullique alteri in eadem linea subjectam; non tamen
esse Supremam in Republica Universali, quæ ex
omnibus Gentibus consurgit.

Ille in contrarium ita replicat. Unus civis in Re- 18
publica alteri non est obnoxius, & tamen nullus eo-
rum liber dicitur, libertate illâ, de qua hic loqui-
mur: quia potestatem Superiorem singuli reveren-
tur. Ergo esto Gens una alteri non sit obnoxia,
si tamen potestatem Superiorem singulæ agnos-
cant, libertatem & Supremam potestatem nulla ob-
tinet.

Ut ergo, transmissâ hâc responsione, vim argu- 19
menti contrarii dissolvamus, dicimus, Superiorem,
cujus authoritate Jus Gentium virtutem Legislati-
vam & obligativam imbibit, esse DEUM, non tan-
quàm Authorem Naturæ (sic enim Juris Naturalis
Alpha & Caput dicitur) neque ut Authorem su-
pernaturalem (hôc quippe respectu Jus Divinum
condidit) sed velut Authorem humanæ societatis,
seu Supremum Politiarum & Rerumpublicarum
Principem. Nam (quidquid sit de Universali Mo- 20
narchia, Aristocratia, vel Democratia omnium Gen-
tium, sitne illa dabilis vel possibilis?) pro certo te-
nendum videtur, fundamentalem relationem & so-
cietatem inter omnes populos & nationes esse con-
stitutam: quemadmodùm non Gentiles solùm pro-
fessi sunt, dum hominem animal sociale definierunt,
ac inter homines cognationem quandam constitu-
tam esse à naturâ, asseruère in *l. ut vim* 3. *ff. de*
J. & J. sed etiam Divinâ revelatione & ordinatio- 21
ne constat, quòd DEUS voluerit novam suam
Legem omni creaturæ & nationi in toto, quà pa-
tet, orbe prædicari, uti in *cap. priori ex cap. ult.*
Matthæi & Marci perspectum fecimus; sicque in con-
sequentiam voluerit quoque inter Gentes aliquam
esse societatem, sinè quâ nec Prædicatores Evangelii

ad Gentes pertingere & prædicare, nec Gentes
22 Evangelii notitiam haurire valuissent. *Quomodò* enim, ait Gentium Præco *Rom.* 10. *v.*14. *&* 15. *credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient sinè prædicante? Quamodò verà prædicabunt, nisi mittantur?* Supposità verò societate, non potuit non velle DEUS, ut Gentes habeant communem regulam, ad cujus libellam societas illa inflectatur. Ergo inter Gentes ex Divina voluntate est aliqua regula directiva actionum Gentium quà talium; & hæc dicitur Jus Gentium, seu vera species Juris Legalis, a DEO, tanquàm humanæ societatis auspice, profecta.

23 Dixi II. *diuturnis Gentium moribus.* Per has particulas indicatur I. Jus Gentium non consistere in pactione & conventione Gentium. Præterquàm enim quòd ex pactis non oriatur Jus Legale sive constitutionis, sed proprietatis; admodùm est difficile, explicare, quomodò per pacta & conventiones, quæ solos paciscentes afficiunt, omnes Gentes, etiam non-consentientes, obligari potuerint: cùm è contrà non incognitum sit, per consuetudinem omnes obligari, si major pars consenserit.

24 Indicatur II. Jus Gentium à Divino & Naturali distingui: quia, tametsi utriusque Author sit DEUS, attamen utrumque à DEO immediatè, sinè prærequisito hominum consensu, & quidem, ut paulò ante memini, ex alio fine sancitum; Jus verò Gentium non immediatè à DEO, sed mediante Gentium per diuturnos mores declaratò consensu, approbatum est.

25 Indicatur III. Jus Gentium habere proximam affinitatem cum Jure Consuetudinario, sicuti doctissimè adnotârunt Suarez *cit. lib.*2. *cap.* 19. *n.*6. Mezger *d.l.n.*16. D. Franz *d.p.*2.*n.*6. ac novissimè Eximius D. P. Candidus Rottenheusler in *tract. de Con-*
26 *suetud. quæst.*6.*tit.*3.*n.*32. Nam quia Gentes, etiam postquàm Territoria & Provincias inter se diviserunt, fundamentalem aliquam relationem, socialitatem, &, ut differit Suarez *d. l. num.* 9. unitatem quasi politicam & moralem inter se retinuerunt, quatenùs una sibi minimè sufficiens, sæpissimè alterius auxiliô & adjutoriô indigebat: ac vicissim ex præcepto mutui amoris & misericordiæ (quod etiam ad extraneos extenditur) Gens valida indigenti sup-
27 petias ferre tenebatur: hinc, dum socialiter vivere inceperunt, primò actiones quasdam ad rectè temperandam societatem per diuturnum tempus exercuerunt, v. g. admiserunt impunè Legatos, ad negotia communia pertractanda; sepelierunt mortuos; fœdera junxerunt; continuârunt inter se commercia &c. Postmodùm actionibus, per uniformem & longævam operationem exercitis, accessit consensus Gentium in Jus Legale, mutuò obligativum. Consensu Gentium suppositò, primus Rerumpublicarum Institutor DEUS suâ authoritate Jus Legale spiritu Legislativô, seu vi obligatoriâ donavit. Adeóque, ut vides, omnia Consuetudinis requisita ad Jus Gentium concurrunt.

28 Dixi III. *ad communem utilitatem Gentium quà talium constituta.* Ubi differentiam notabilem inter Jus Gentium & Civile insinuatam velim; quòd nempe Jus Gentium ex fine suo principali ad incolumitatem Gentium quà talium, hoc est, ad communem pacem, concordiam, & utilitatem Gentium inter se, ordinetur; cùm ea adversò Jus Civile particularis cujusdam Gentis & Reipublicæ salutem pro fine sibi præfixam habeat: quô sensu pulcherrimè discrevit Imperator Jus Civile & Gentium in sæpe cit. §. *sed Jus* 2. *Instit. de J. N. G. & C.*

29 Quòdsi existimes, Definitionem traditam pro majori perspicuitate cum additamento ad imitationem Vatriarii *l. cit. n.* 21. ita efferendam esse: *Jus Gentium est ordinatio rationis, diuturnis Gentium moribus, in bonum Gentium quà talium constituta, & Summi humanarum Politiarum Principis consensu approbata.* Per me licebit.

§. III.

Quotuplex sit Jus Gentium?

Jus Gentium plures cum Schneidewino ad *cit.* §. 30
Inst. de J. N. & C. Bachovio ad *eundem* §. Wolfgango Textore in *Synopsi Juris Gent. cap.*2. Mævio *cit. Nuclea J. G. Inspect.* 5. Clarissimo D. Chlingensperger ad *cit. tit. Inst. quæst.* 3. & aliis, quibus tandem dedêre Sant-Gallenses de *LL. sect.*2. *q.* 3. *conclus.* 1. dividunt I. in Primævum & Secundarium. *Primævum* dicunt, quod ratio naturalis inter homines constituit. *Secundarium*, quod usu & humanis necessitatibus exigentibus introductum est. Rationem ita dividendi sumpserunt ex §. 1. *&* 2. *Inst. sæpe cit. tit.* ubi duplicem definitionem Imperator adornat.

Sed longè plures hanc divisionem respuunt cum 31
Molina de *J & J. tom.* 1. *disp.* 3. *& seqq.* Suarez *d. lib* 2. *cap.*17. *&* 19. Mezger *cit. art.*2. *nu.*12. Gietle *Jurisprud. fund. l* 1.*tit.*2.*cap.*3.§.4.*num.*1. D. Franz *cit. p.*2. *num.* 5. D. Joanne Georgio Fleck *Bibliothecæ Juris Civ. l.*1. *tit.*9.*n.* 4. Groningio *Bibliothec.*
l. 3. *variis in locis.* tum quia fundatur in sinistro 32
supposito, quòd detur duplex Jus Naturæ, primævum nempe, quod commune hominibus est cum brutis; & secundarium, quod Jus Gentium primarium, ac solis hominibus proprium, vocant: tum quia Jus Gentium ex *num.*7. non est pars aut portio Juris Naturalis: tumquia Imperator reverà discriminare voluit Jus Gentium, Civile, & Naturale; & nil minùs quàm Jus Gentium cum Naturali mariatare, veluti expendenti rubricam & nigrum *cit. tit. Inst.* pronum erit judicare.

II. Jus Gentium dividit Rachel in *Dissert. de Ju-* 33
re Gent. th. 23. in *Commune*, quô plures aut fortè pleræque Gentes, saltem moratiores, pro Jura inter se utuntur, & consociantur; ac *Proprium*, quod in paucarum, & fortè duarum liberarum Gentium peculiarem usum & communionem est conditum, sic ut Gentes reliquæ ad illius observantiam adstringi nequeant.

Sed neque ista divisio arridet. Malè siquidem di- 34
citur esse Juris Gentium, quod neque Gentes obligat, neque illarum utilitatem intendit. Magis particulare Jus, imò, ut notat Groningius *Biblioth. lib.* 3. *cap.* 11. *nu.* 10. particularis conventio quæcunque observantia, quam certæ & determinatæ Gentes ad bonum proprium tenent, appellari debet.

III. Jus Gentium idem Rachel *th.* 56. dividit in 35
Verum & Putativum. *Verum* appellat, quod Juri Naturæ non repugnat. *Putativum* dicit, quod ei
adversatur. Verùm, nisi memoratus Author per 36
Jus Gentium putativum intelligat permissivum, prout quidam actus contra Naturam à Gentibus tolerantur, conformiter dictis in *cap.* 1. *nu.* 71. divisio sustineri nequit: quia Jus Naturæ est fontale principium totius Juris Legalis. Non ergo Jus Legale dicendum, quod ea fonte hoc non derivatur.

Nullam ergo aliam divisionem agnosco, quàm 37
illam, quâ Jus Legale in genere discerpitur in affirmativum & negativum, secundùm ea, quæ *d. cap.* 1. *n.* 69. habentur.

SECTIO II.

De Objecto Juris Gentium.

SUMMARIA.

38. *Indicatur objectum Juris Gentium.* 39. *& seqq. Reducuntur eò Legationes.* 45. *& seqq. Rejectâ aliorum opinione, qui Legationes referunt ad Jus Naturale.* 48. *& seq. Jure immunitatis gaudent etiam Legati, à Principibus inferioribus missi.* 50. *Uti & missi à Supremis ad inferiores.* 51. *Non gaudent, qui vim inferunt.* 52. *& seqq. Neque qui hostile quidpiam moliuntur.* 55. *Bene verò qui solummodò peccant contra officium hominis.* 56. *& seq. Opus est quôdam extrinseco charactere, ex quo Legatus dignoscatur.* 58. *Extra provinciam Principis, securitatem promittentis, non extenditur immunitas Legati.* 59. *& seqq. Libertas commerciorum pertinet ad Jus Gentium.* 62. *& seqq. Modus contrahendi est Juris Civilis; effectus autem seu obligatio contractûs est Juris Naturalis.* 66. *& seq. Idem asseritur de modis acquirendi dominium.* 68. *& seq. Ad Jus Gentium quoque spectant Fœdera.* 71. *& seqq. Ostenditur illorum honestas.* 76. *De fœderibus cum infidelibus remissivè.* 77. *Modus pangendi fœdera est arbitrarius.* 78. *Obligatio servandi fœdera est naturalis.* 79. *Frangente unô, potest etiam alter frangere.* 80. *& seqq. Reducitur etiam ad Jus Gentium Bellum.* 83. *& seqq. Recensentur, & declarantur conditiones ad bellum justum.* 93. *& seqq. Explicantur ea, quæ Jus Naturale disponit in bello.* 100. *& seqq. Ad idem Jus Gentium annumerantur Repressaliæ.* 104. *& seqq. Explicatur* cap. un. de Injur. in 6. 108. *& seqq. Adstruitur discrimen inter repressalias & bellum.* 111. *& seq. Pacificationes quoque trahuntur ad Jus Gentium.* 113. *& seqq. Exponitur pactum oblivionis.* 127. *& seqq. Pactum restitutionis.* 123. *Pactum compensationum.* 124. *& seqq. Agitur de mediatoribus.* 127. *& seq. Explanatur treuga.* 129. *& seq. Treuga Canonica.* 131. *& seqq. Treuga conventionalis.* 134. *De aliis Juris Gentium capitibus remissivè.*

§. I.

De Jure Legatorum.

38 OBjectum Juris Gentium constituunt illa nego-
tia, quæ tendunt ex fine suo ad emolumen-
tum Gentium quà talium. Vitriarius in *cit. lib.* 1.
c. 1. *num.* 23.
39 Huc revocantur I. Legatorum (seu Ministro-
rum, qui ab uno Principe, ad Principem vel Rem-
publicam aliam mittuntur certum in finem) Jura,
quæ summatim ad duo rediguntur capita; admissio-
40 nem videlicèt, & immunitatem. Nam, si Natu-
ram spectes, non tenetur una Gens alterius Gentis
Legatos admittere: quippe cùm quælibet Gens sibi
sola vivere, atque aliarum Gentium consortia impu-
41 nè valeat recusare. Ad hæc, si Naturam consulas,
illa non dictat, Legatos ab hominum violatione
exemptos esse debere. Quid enim, si ab hostibus
mittantur? Utique sicut hostis, sic persona alia,
42 cum hoste moraliter connexa, tractari potest. Et
demus, Legatum in loco Legationis contra offi-
cium hominis delinquere: an pœnam evadere à Do-
mino loci delicti poterit, tantùm ex eo, quia Lega-
tus est?

Quia verò utilitas Gentium efflagitavit, ut, sup- 43
positâ societate, sint, qui communia negotia inter
Gentes communi nomine pertractarent (neque
enim vel Summi Principes, vel Rerumpublicarum
Magnates, aut domô abesse, aut in locum valde re-
motum proficisci, tutâ semper viâ & ratione pos-
sunt) sanè eadem Gentium utilitas proposcit, ut
communium negotiorum internuntii & Legati non
tantùm admittantur, si justa recusandi causa non
lateat, sed etiam admissi plenissimâ securitate per-
fruantur. Qua de re eleganter Pomponius in *l. ult.* 44
ff. de Legation. si quis, inquit, *Legatum hostium pul-
sâsset, contra Jus Gentium id commissum esse existi-
matur, quia sancti habentur Legati.* Et Tacitus 1.
*Annal. immunitatem Legatorum hostium jus, sacra
Legationis, & fas Gentium vocat.* Suarez de *LL.
l.* 2. *cap.* 19. *n.* 7. Brunnem. ad *d. l. ult. ff. de Lega-
tion.* Myllerus ad *Struv. eôd. tit.* Gleile *cit. q.* 1. *n.*6.
Textor in *Synopsi Juris Gent. cap.*14. *n.*2. *&* 3. Gró-
ningius in *Bibliotheca Jur. Gent. l.*3. *cap.*10. *n.*17.
Scio equidem, Samuelem Puffendorff de *J. N.* 45
*l.*2. *cap.*3. §. 23. & Jacobum à Kyllel de *J. N. cap.*11.
num. 15. sibi persuasissimum habere, quòd Legato-
rum securitas ex Jure Naturæ sit. Dicunt illi: cùm
ejusmodi personæ sint necessariæ ad pacem conci-
liandam, servandam, aut arctiùs per fœdera & pacta
constringendam, quam ipsum Jus Naturæ omnibus
modis honestis amplecti jubet; utique & cavisse cen-
setur idem Jus securitati personarum, sinè quibus
finis ab eodem præceptus obtineri nequit. Sed in- 46
firmius est hoc argumentum, quàm ut recessum à
communiori & firmiori sententia extorqueat. Ut
enim nil memorem, non pacis duntaxat pangendæ,
sed aliorum quoque negotiorum peragendorum gra-
tiâ Legatos ablegari: infrà ostendam, bellum, quod
propter pacem interponitur, à Jure Gentium pro-
venire. Sicut ergo bellum, sic Legatorum immu-
nitas ad Jus Gentium reducitur. Posteaquàm enim 47
Gentibus placuit, injurias sibi invicem illatas non
aliô arbitriô, quàm gladiô, dirimere: placuit quo-
que pro bello, legitimè instituendô & prosequen-
dô, ordinata media assumere, atque inter hæc ad-
missionem & securitatem Legatorum.
Et hæc immunitatis aut securitatis prærogativa 48
non tantùm competit Legatis, ab Imperatore vel
alio Supremo Principe missis, veluti putavit Gro-
tius de *J. B. lib.* 2. *cap.* 18. §. 2. sed etiam Legatis,
ab Principibus Imperii destinatis, prout verius do-
cuit Wolf. Textor *ubi supra cap.* 14. *num.* 6. *& seqq.*
Ex quo enim Principes Imperii jus pangendi fœde- 49
ra tractandique similia negotia cum Imperatore vel
exteris Lege publicâ per *Instrument. Pacis Westphal.
art.*8. §. *gaudeant &c.* confirmatum obtinent, suadet
utique ratio & æquitas, ut eorum Legati, ad ejus-
modi tractatus expediendos dimissi, plenâ securitate
gaudeant.
Ex eodem fundamento cum eodem Authore *nu.* 50
16. contra citatum Grotium defenditur, Legatis,
quos Summi Principes ad alios, Superiorem reco-
gnoscentes, dimittunt, immunitatis hujusce parti-
cipes esse: sunt enim verissimi Legati; proindeque
non tantùm in nomine, sed etiam in opere Legatis
aliis exæquandi.
E contrà, si Legatus excedat limites suæ Lega- 51
tionis, & vim aliis inferat, securitate publicâ seipsum
tueri nequit: cùm enim vim repellere vi liceat, non
tam ex Gentium quàm Naturæ Juris dictamine; pro-
fectò Legatum, armatâ vel violentâ manu quidpiam
molientem, pari violentiâ vel armaturâ compescere,
concessum erit. Textor *cit. l. n.*38. Similiter, ubi 52
Legatus in hostem vertitur, ac populum in provin-
cia, ad quam ablegatus erat, hostili animo contra
Rempublicam aut Principem concitat, aut in caput
ipsius

ipsius Principis, cujus gratiâ Legationem obit,
conspirat, absque ulteriori securitatis indulgentia
legitimæ vindictæ Principis aut Reipublicæ offen-
sæ, non tam jurisdictionis quàm defensionis & belli
jure subjacet. Vitriarius *Instit. Jur. Nat. & Gent.*
53 *lib.2. cap.18.n.12.* Textor *cit. n.38. & seqq.* Enim
verò, si Respublica vel Princeps ipsemet, à quo
Legatus est missus, contra Rempublicam vel Prin-
cipem alium talia machinari præsumeret, justa om-
ninò causa suppeteret, arma virosque in illius ne-
cem & interitum movendi. Cur ergo Legatus, tam
nefandi sceleris reus, melioris sit conditionis & fa-
54 voris suòmet Principali? Certè saluberrima Lega-
tionum Jura, contra voluntatem Gentium, non in
favorem, sed odium & perditionem salutis publicæ
vergerent, si Potestates, Magnates, & Principes
per Legatos, tanquam instrumenta, possent ea fa-
bricare piacula, quæ cæteroquin in ipsa Principum
55 persona non permitterentur impunita. Aliud est,
quando Legatus contra officium hominis delinquit,
delictum commune v. g. adulterium, homicidium,
furtum &c. admittendô: tunc enim ab alio puniri
nequit, quam à suòmet Principe, cujus, cùm per-
sonam sustineat, immunitate quoque contentiosi
fori perfruitur. Besold. *lib. 2. polit. cap.8. §.2. n.15.*
Gletle *p.2. Pand. quæst.6. in f.* Distentit ex parte *cit.*
Textor num. 46. & 48.
56 Ut vero Legatorum securitas in accessu & itinere
ad locum legationis sit certior, publicô quôdam si-
gnô qualitas Legati manifestetur, opus est. Hâc
ratione Legatis Romanorum sagmina, herbarum
genus, in usu viguisse; à Græcis autem cecyciam
usurpatam fuisse, testatur Marcianus in *l. sanctum* 8.
57 *§. 1. ff. de R. D.* Modernis Gentibus literas salvi
commeatûs & conductûs, in vernacula *Passporten*,
deservire, in quibus Respublica vel Princeps, ad
quem ordinatur Legatio, sub fide publica Legatis,
ad se venientibus, eorumque comitatui securitatem
pollicetur, praxis convincit. Textor *cit. cap.* 14. *n.*
58 35. *& seq.* Quæ tamen securitas, hôc ipsô quòd
ex pacto vel conventione tacita promanet, suam
operationem extra limites & provinciam Reipublicæ
vel Principis, ejus generis literas concedentis, non
extenditur. Textor *cit. l. n.* 37.

§. II.

De Jure Commerciorum.

Secundò ad Jus Gentium revocatur Jus Com-
59 merciorum, hoc est, libera facultas cum Nationibus
aliis contrahendi, seu negotiandi. Posteaquàm enim
res communes divisæ, ac cuique Genti communi
placitô suum Territorium est assignatum, poterat
quidem una Gens secum & sola vivere, contenta iis
rebus, quas ad vitæ levamen & quotidianam indi-
gentiam in proprio solo naturæ clementia concesse-
60 rat. At quia non Poëtæ, sed Veritatis vox est:

Non omnis fert omnia tellus;
Hic segetes; illic veniunt feliciùs uvæ;
Arborei fœtus alibi.

Quia etiam experientia docet, quàm ægrè regiones
plurimæ careant v. g. mineralibus, sale, vinô, fru-
mentô, aromatibus, aliisque frugibus, quas patria
terra non parturit: Gentibus communiter placuit,
ad mutuam inopiam & indigentiam sublevandam,
liberam inter se negotiationem & rerum mercium-
que communicationem instituere. Textor in *Synopsi*
J.G. cap.13.n.1. Gletle *cit. quæst. 1. n. 7.* Mævius in
61 *Nucleo J. N. Inspect. 5. th.* 43. Ut adeò Jus Gen-
tium infringeret, patulamque Mavorti januam pan-
deret; qui sinè rationabili causa libertatem commer-
ciorum intercludere vellet. Suarez de *LL. l.2. cap.*
19. *n. 7.* Mezger *Theolog. Scholast. tract. 8. disp.32.*
art.2.num.9.

Dixi: *libertatem contrahendi & negotiandi esse* 62
Juris Gentium. Nam modus & forma contrahendi;
uti & effectus, qui contractus & pacta inita conse-
quitur, ad Jus Gentium propriè dictum, de quo
hic loquimur, nullatenùs pertinent. Modus siqui-
dem & forma contrahendi, cum Gentium commu-
nem utilitatem primariò non respiciat, sed privatam
magis commoditatem promoveat, vel Juri Civili
suam substantiam debet; vel Juri gentium impropriè
dicto, de quo in *n.12.* D. Franz ad *lib 3. Inst. tit.14.*
p.2. n. 54. & seqq. Effectus verò, qui conventiones
Gentium consequitur, in *cap.* 2. à *n.* 133. Juri Na-
turæ annumeratus est.

Neque audiendum censeo Franciscum Conna- 63
num, qui in *lib. 5. cap.1.* apud Grotium de *I. B. lib.*
2 *cap.11.n.1.* asseverat, illas conventiones, quæ jux-
ta *l. labeo 19. ff. de V. S.* non habent συνάλλαγμα, hoc
est, mutuam præstationem, non producere, Natu-
rali Jure, aliquam obligationem: tum quòd non mi-
nor sit culpa ejus, qui temerè nulla de causa polli-
centi credit, quam ejus, qui vanitatem adhibuit
promissionis: tum quòd fortunis omnium magnum
immineat periculum, si promissô, quod sæpe ex
ostentatione magis, quàm ex voluntate proficisci-
tur, aut ex voluntate quidem, sed levi ac parùm con-
sideratâ, tenerentur homines: tum quòd positum fue-
rit, aliqua honestati cujusque relinquere, nec ad ne-
cessitatem obligationis exigere: turpe esse, promissa
non implere, non quòd injustè id fiat, sed quòd de-
tegatur promissionis levitas. Pugnant quippe con- 64
tra hanc singularem doctrinam præter ea, quæ de fi-
dei semel datæ obligatione *cit. loc.* adducta sunt,
æquitatis Naturalis amantissimi ICti Romani; Ul-
pianus in *l. hujus edicti 1. in princ. ff. de Pactis, quid*
tam congruum fidei humanæ, asserens, *quàm ea, quæ*
inter eos placuerunt, servare? Et in *l. hôc edictô 1.*
ff. de Pecun. constit. grave est, inquiens, *fidem falle-*
re. Paulus in *l. cùm amplius 84. §.1 ff. de R. I. is na-*
turâ debet, pronuntians, *quem Jure Gentium dare*
oportet, cujus fidem secuti sumus. Et si *nihil tam* 65
naturale est, ut dicit Imperator in §. *per traditio-*
nem 40. Inst. de R. D. quam voluntatem domini, rem
suam in alium transferre volentis, ratam haberi;
quomodò naturale non erit, voluntatem domini,
non quidem rem immediatè, sed jus ad rem trans-
ferre, suamque personam obligare volentis, firmam
& efficacem haberi? Nihil ergo suâ demonstratione
monstrat Connanus, nisi quòd indeliberatæ ac im-
maturæ promissiones vinculum morale, seu obliga-
tionem præstandi & servandi promissa, non produ-
cant; quod ultro concedimus.

Quemadmodùm verò modus & forma contrahen- 66
di ex *num. 62.* ad Jus Civile vel Gentium impro-
prium refertur; ita & modus & forma dominium ac-
quirendi pertinet ad idem Jus. Nam alluvio v. g.
accretio, insulæ productio &c. necessariò non spe-
ctant ad mutuam Gentium inter se societatem, sed
magis ad cujusque populi tranquillitatem: & idcir-
cò ab unoquoque populo, non consultis aliis, mu-
tari possunt. Spectatâ tamen origine & substantiâ 67
acquisitionis dominii, modi non pauci tum Naturæ
tum Gentium Juri, propriè dicto, sunt adscribendi,
sicuti constat ex §. *singulorum 11. & seqq. Instit. de*
R. D. nec non ex dictis *in cap.2. num.130. & 137.* &
dicendis in §. 4.

§. III.

De Jure Fœderum.

Tertiò ad Jus Legale Gentium numerantur Fœ- 68
dera, quæ definiuntur, quòd sint pactiones publicæ,

 à per-

à perſonis publicis, arctioria conjunctionis ergo,
initæ. Referuntur autem ad Jua Gentium in ea con-
ſideratione, quatenùs, ſi debitô modô & rationabili
causâ petantur, abſque ratione negari non poſſunt.
69 Nam, ut verbis utar Prænobilis & Clariſſimi D.Col-
legæ de Wolleren *Quæſtion. Salisburg. quæſt.5.n.28.*
videmus paſſim cujuſque populi res ita conſtitutas
eſſe, ut ſibi ſoli abſque aliorum ope, conſiliô, aut
conſortiô haud ſufficiens, diu ſtare, & florere ne-
queat, niſi finitimorum munitua ſit amicitiâ & flore.
70 Jam verò Fœdera augent cujuſque Gentia gloriam,
potentiam, ſecuritatem, magnificentiam, & Maje-
ſtatem; adverſarus verò metum injiciunt, illoſque
à pruritu inferendarum injuriarum deterrent. Ergo
Fœdera ſunt Juris Gentium quoad admiſſionem &
concluſionem: quia, ut dictum, ſinè Fœderibus
Gentes (infirmiores & debiliores maximè) diutur-
num florem & vigorem ſperare non poſſunt. Suarez
de *LL. lib.2. cap.19. n.8. in fin.*
71 Uſus igitur Fœderum cum ipſa Gentium inter ſe
contractâ ſocietate invaluit, veluti non tantùm ex
hiſtoria & Juriſprudentia Romana in *l. non dubuo 7.
in princ. §.1.& 2. ff. de Captiv.* liquet, ſed etiam ex
hiſtoria ſacra, in qua & alii populi, & ipſimet Ju-
dæi, cum aliis Gentibus Fœdera multoties iniiſſe
leguntur. Et quia Romanorum Fœdera tam à S.
72 Auguſtino *lib.5. de Civ.DEI*, quàm D.Thoma *Opuſc.
21.* à P. D. Antonio Thoma Schiara in *Theolog. bell.
to. 1. lib.1. difficul.11.n.8. citatis*, approbantur; Fœ-
dera quoque Judæorum, jubente DEO & Domino
exercituum, non rarò in SS. paginis imperantur:
ambigere non licet, quin Chriſtianis Principibus li-
ceat, ex cauſa juſta fœdua pangere, ac uni Genti
contra aliam armis, pecuniis, & aliô auxiliorum ge-
73 nere aſſiſtere. Siquidem charitatis & amicitiæ Le-
gibus vel maximè convenit, ut quia innocenti & in-
juſtè patienti contra nocentem auxiliarem porrigat
manum, & illos, qui vim patiuntur iniquam, con-
tra vim & violentiam defendat; docente ſic textu
ſacro Eccleſiaſtici 17. ℣. 11. & 12. & Proverb. 24.
℣. 11. ibi: *erue eos, qui ducuntur ad mortem, &, qui
74 trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes.* Ex quo
fundamento citatus Schiara à *num.* 5. cum communi
Theologorum & Juriſtarum probat, Principem,
quamquàm ab amicis populis pro ferenda ope vel
auxiliô neque rogatus, neque ex promiſſione ſit ob-
ligatus, amicos nihiloſecius juvare, ae pro illis bel-
75 lum gerere poſſe: quia nimirum, dum natura cogna-
tionem quandam inter homines conſtituit, voluit
etiam, ut, ſi perversô cujuſdam molimine cogna-
tionis vinculum diſſolvi vel perimi videatur, ami-
corum fideli dexterâ motu propriô ſervari vel repa-
rari poſſit.
76 Num Princeps fidelia cum infidelibua poſſit inire
Fœdua contra fideles? Quæſtio eſt, ſæpiùs inter
Magnates, agitata; cujus diſcuſſionem ad *tom. 3.
lib.5. tract.2.* differam.
77 Nolim tamen, ritum pangendi Fœdera Juris Gen-
tium propriè talis eſſe, edicas. Ritus ſiquidem pan-
gendi magia ex ſpeciali quarundam Gentium con-
ventione, quàm Lege commûni progreditur; eá-
que propter apud diverſos populos omni tempore
diverſus fuit. Aliqui propriô ſanguine Fœdera ſi-
gnârunt. Alii pane & ſale, tanquàm præcipuis hu-
manæ vitæ nutrimentis, mutuas pactiones ſeu con-
diverunt, ſeu condiderunt. Nonnulli diviſione S.
Hoſtiæ, ceu firmiſſimô reciprocæ conjunctionis
ſymbolô, promiſſiones firmârunt. Multi religione
jurisjurandi, unicô velut Magnorum Procerum li-
gamentô, publicas conventiones roborârunt. Eru-
ditè Clariſſimus D. de Wolleren *cit. l. à n.57.*
78 Sed neque obligatio, quæ utrinque placita co-
mitatur fœdera, creatura Juris Gentium eſt dicenda.
Deſcendit enim ex Jure Naturali perinde, ac quæ-
vis alia obligatio, ſervandi fidem & promiſſa. Eſt-
que tam gravis, ut annexam habeat ſeveram Numi-
nis in contravenientes vindictam. D. de Wolleren
cit. l.n.65. Si tamen unua ex Confœderatis, con- 79
temptâ fide, non erubeſceret, violare Fœdua, al-
teri liberum eſſet, à Fœdere ſtatim recedere: quan-
doquidem, ut loquitur Vitriarius *Inſtitut. Jur. Na-
tur. & Gent. lib.2. cap.13. §. 17.* ſingula Fœderum
capita vim conditionis habent, niſi aliter ſit conven-
tum.

§. IV.

De Jure Belli.

Quartò inter capita Juria Gentium ſtatuitur Bel- 80
lum, non qualecunque, ſed publicum & ſolenne,
quod geritur Authore eô, qui Summam in Repu-
blica poteſtatem habet, ad injuriam, ab extraneo
illatam, vindicandam. Tale enimverò Bellum, ſive
originem, ſive conditiones, ſive effectum ſpectes,
Juri Naturæ ignotum eſt. Nam quatenùs Bellum 81
ex ſua origine eſt modus vindicandi injuriam, ſanè
ex Jure Naturali non eruitur: utpote cùm læſi Prin-
cipes, quantumvis Supremi, non ad arma neceſſa-
riò decurrere teneantur, ſed vel aliud vindictæ ge-
nus excogitare, vel in alium & tertium Principem,
quaſi litis & cauſæ arbitrum, compromittere poſ-
ſint. Quia verò Bellum eſt modus facilior, expe- 82
ditior, Naturæque accommodatior, Jure Gentium
bellandi licentia fuit introducta. Suarez *d. loc.* n. 8.
Et ideò appoſitè Livius *lib.42. Jure Gentium*, inquit,
ita comparatum eſt, ut arma armis propulſemus.
Appoſitè Hermogenianus in *l. ex hoc 5. ff. de J. &
J.* ex Jure Gentium Bella introducta, profitetur.
Conditiones Belli quod attinet; prima ex unani- 83
mi DD. & Gentium confeſſione eſt ſolennis Belli
inferendi indictio & denuntiatio. Textor in *Synopſi
J.G. cap.16.n.9.* Clariſſ. D. P. Ebberth de *Bello cap.
6. §. 2.* Quam conditionem Jure Naturæ non præ-
ſcribi, eluceſcit ex eo: quia, qui læſus eſt, poteſt,
adverſùs lædentem experiri, etiſi per Fecialem aut
alium internuntium hoſtilem animum non denun-
tiaverit. Adeóque Gentium uſu invaluit, ut bel- 84
lum geſturus adverſario denuntiet, quòd ipſius ami-
citiæ & ſocietati renuntiet, eumque hoſtem ſuum
declaret, quatenùs certò conſtet, non privatô auſu,
ſed voluntate utriuſque populi aut populi Capitum
geri Bellum; vel ut adhuc ultimâ vice alter de ſa-
tisfactione moneatur, &, ſi non ſatisfaciat, Bellum
certum exſpectet, per ea, quæ habet Textor in
Synopſi Jur. Gent. cap. 17. à num. 49. & Vitriarius
in *Inſtitut. J. N. & G. lib. 3. cap. 3. quæſt. 11.*
Altera conditio eſt, ut arma legitima, non vene- 85
nata, aſſumantur in prælio. Hæc conditio Gen-
tium moribus vel inde tribuenda: quia, quibus me-
diis ad proſternendum hoſtem utaris, Jus Naturæ
decernit nihil. Gletle *1. par. Pand. q. 1. nu. 8.* Et 86
licèt quarundam Gentium, puta Getarum, Partho-
rum, Æthiopum conſuetudo ſit, ſpicula venenô
inficere: attamen Gentes Europææ, & ſi quæ ad
Europæ melioris cultum accedunt, ab hoc venena-
tô more ſemper abſtinuerunt. P. Schiara *Theolog.
Bellica tom.2. lib.5. difficult.7. à n.8.*
Tertia conditio eſt, ne hoſtis venenô interficia- 87
tur. Ubi, ſi Jua Naturæ reſpicias, rurſus non inte-
reſt, venenô an gladiô hoſtem interimas. At Jus
Gentium, ſi non omnium, certè meliorum & mora-
tiorum, uſque & uſque fuit, ne hoſtem venenô tru-
cidare liceat: quia nempe communis utilitas exege-
rat, ne pericula in Bellia, quæ crebra eſſe cœpe-
rant, nimiùm intenderentur. Vitriarius *d. l. 3. cap.4.
quæſt. 9.* Ex qua ipſa ratione minuendi pericula 88
bellica

bellica Gentium diuturnus usus edocet, non licere fontes & aquas venenô corrumpere. Schiara *cit.loc. num.*22. Tametsi aquas sinè venenô ita deturpare, concessum videatur, ut bibi nequeant. Vitriarius *ubi supra quæst.* 9. *&* 10.

89 Effectus Belli stat I. in jure occidendi hostes, & quotquot è contrario pugnantes reperiuntur, sive sint viri, sive fœminæ, sive adulti, sive infantes. Molina *tom.*1. *de J. & J. tract.*2. *disp.*122. Qui sanè effectus à Jure Naturæ non derivatur. II. in
90 jure servitutis, seu facultate captos ex hostibus in servitutem & mancipatum redigendi: quem itidem effectum Natura, quæ omnes parit liberos, non præcipit. III. in jure occupandi ac sua faciendi
91 bona hostilia, incendendi arces, evertendi oppida, & omnia mala hostibus inferendi, quæ necessaria censentur pro plenâ satisfactione & Reipublicæ tranquillitate. Molina *cit. tr. disp.*101.*n.*1. Clariss. D.P. Ebberth de *Bello cap.*5.§ 2.*n.*8. Schiara *Theol. Bell. lib.*2.*difficul.*13.*n.*4. De quo effectu nil planè statuit Natura, ut quæ pro injuria, ab hoste inflicta, aliô reconciliationis aut satisfactionis mediô contenta fo-
92 ret. Omnes itaque Belli solennis effectus ex Jure Gentium enascuntur: cùm grave admodùm fuerit visum, alieno arbitrio committere, quænam bellandi justa causa? quis modus tenendus? quæ satisfactio pro justa sit habenda? ne, dum populus extraneus sententiam ingratam hoc in articulo jure compromissi pronuntiaret, ipsemet alienô Bellô implicaretur. Vitriarius *eôd. cap. quæst.*4.

93 Utut verò hæc ita sint: attamen Jus Naturæ plurima in Bello præcipit, & prohibet. Et primò quidem in exordio Belli vult adesse justam causam, simul & jus belligerandi, seu Supremam potestatem. Causam ideò: quia Princeps, moturus arma, personam agit Judicis, qui condemnare aut castigare nequit accusatum, nisi convictum aut confessum de crimine habeat: neque enim innocentis bona pro libitu invadere, minùs innocentem sanguinem helluari fas est. Quare Romani antiqui nunquàm in aciem progredi solebant, antequam Collegium Fecialium,
94 ad id institutum, consuluissent. Schiara *Theolog. Bell. lib.*1. *difficult.*2.*num.*11. qui *eôd.lib.difficult.*9. doctissimis atque prudentissimis viris, super hoc à se consultis, ait, & probat, non visam esse sufficientem Belli causam, solum metum potentiæ alterius Principis, quam augendam & sibi nocituram quis veretur. Consentit Kestner de *J. N. cap.* 9. §. 10.
95 Jus belligerandi ideò Natura desiderat: quia, qui Superiorem recognoscit in terris, illius judicio litem subjicere, nec in causa propria jus sibi dicere debet. Vide Schiaram *d. l.* 1. *difficult.* 1. P.Ebberth. *d.l.cap.*3.§.2 Vitriarium *Instit. J.N. lib.*5. *cap.*3.

96 Deinde in processu Belli omnis dolus malus, sicque in verbis mendacia, in rebus simulationes absint, Natura postulat. Quod enim Horatius cecinit:

Sive dolô, seu vi manifestâ, clámve palámve;

Et Virgilius:

Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?

Id de dolo bono, solertiâ laudabili, ac dissimulatione & occultatione intelligendum est, juxta illud D. Augustini: *licet veritatem occultare prudenter*
97 *sub aliqua dissimulatione.* Nam, quia mendacium semper est illicitum; & omnis dolus formalis mendacium rectè vocatur, eò quòd non referat, utrùm alter verbis vel factis decipiatur: hinc dolus & simulatio in Bello licere non potest. Vitriarius *lib.*3.*cap.*1.*quæst.*8.*& seqq.*

98 Denique circa effectum prohibet Jus Naturæ, ne infantes, fœminæ, Clerici, Religiosi, mercatores, agricolæ offendantur per *cap.ult.de Treuga & Pace.* ubi Gonzalez *à n.* 9. aut reliquæ personæ innocentes directè occidantur: cùm insontem directè occidere, malum sit intrinsecè m *Exodi* 23. ✝.7 Textor in *Synopsi cap.*18. *à num.*16. Schiara *lib.* 2 *difficult.* 13. *à num.*6. Clariss. D. P. Ebberth *cap.*5. §.2.*n.*15. ubi in *num.* 19. sub distinctione decidit quæstionem 99
de bonis innocentium, quòd videlicèt, si partes Reipublicæ offendentis non sint, nequeant illorum bona devastari, aut everti; secus, si partes sint Reipublicæ offendentis: quia tunc pro hostibus reputantur.

§. V.

De Jure Repressaliarum.

Quintò Juris Gentium, velut species belli priva- 100
ti, adducuntur Repressaliæ. Nam, si Magistratus unius Reipublicæ Supremæ, præmissâ monitione, in causa gravi & liquida justitiam administrare detrectet civi alterius Reipublicæ Supremæ; huic à suo Superiore datur facultas, apprehendendi ac detinendi subditum Reipublicæ nocentis, aut bona il-
lius, usque dum satisfactionem acceperit. Enim- 101
verò, licèt Naturalis æquitas cæteroquin haud permittat, alium pro alio conveniri; vel puniri: attamen, sicuti necessitas coëgit Gentes in bello publico, in quo plerumque luunt innocentes pro nocentibus, ab illa Naturalis æquitatis semita paululum deflectere; sic etiam coëgit in Repressaliis, seu
bello privato. Nam quia Magistratus alterius Rei- 102
publicæ Supremæ, justitiam civi alterius & æqualis Reipublicæ negans, non tantùm, cùm Judicem non habeat, conveniri nequit; sed etiam, cùm in paucioribus personis consistat, ac rariùs extra provinciam aut regnum exire soleat, in alterius potestatem aut manus tam facilè non incurrit: proficuum Gentibus est visum, imperantium & peccantium locô, parentium & insontium personas aut res apprehendere, & tamdiu detinere, donec à Republica delinquente, justitia, iniquè
protracta vel denegata, administretur. Æquô 103
proin animô civis innocens damnum, quod patitur, sustinere debet, ac cogitare, ejusdem Reipublicæ membra faciliùs à se invicem jus suum consequi posse, & propriæ indemnitati prospicere, quàm extraneos; posseque vel ipsi vel concivi post intervallum idem commodum in pari obvenire casu, quod extraneus modò percepit. Molina de *J. & J. tom.*1. *tract.*2.*disp.*121. Schiara *Theolog.bell. lib.*1.*difficult.* 20. *à num.*8. Vitriarius *Instit. Jur.Nat. & Gent lib* 3. *cap.*2.*q.*5. *& plurib. seqq.* Sweder. in *introduct. ad Jus publ. part. spec. sect.* 2. *cap.*14. *num.* 10. Clariss. D. Franz *Quæst. select. ex omni Jure quæst.* 18. *per tot.*

Vehementer quidem obloqui videtur textus in 104
cap.un. de Injuriis & damnô datô in 6. ubi Gregorius X. *pignorationes, quas vulgaris elocutio repressalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tanquam graves Legibus & æquitati naturali contrarias, Civili constitutione prohibitas*, asserit.
Verùm, præterquàm quòd principalis intentio lau- 105
dati Pontificis, ut apparet ex contextu, solummodò fuerit, excludere personas Ecclesiasticas, &, ne alieni debiti vel delicti prætextu Repressaliarum nomine detineantur, vetare (sunt enim non minùs in bello privato quàm publico singulariter privilegiatæ) non cogitavit de aliis Repressaliis, nisi quæ in eadem Civitate vel Republica respectu personarum
ejusdem Civitatis & Reipublicæ usurpantur: hæc 106
quippe Civili constitutione in *tit. Cod. Ne filius pro patre &c. Ne uxor pro marit. &c. Ne vicaneus pro vicaneo &c.* quin & novissimis Imperii sanctionibus in *Ord. Cam. p.* 2. *tit.* 26. R. J. de Anno 1570. §. *wan auch die* Arresta 84. R. J. de Anno 1641.

§. *nach-*

§. *nachdem auch die Stande* 94. reprobatæ, nec un-
quam à Gentibus permissæ noscuntur. Sweder. *cit. l.*
107 Nam remedium extraordinarium nunquam appre-
hendere concessum est, quando suppedit ordina-
rium: Repressaliæ verò, perinde ac bellum, sunt
remedium extraordinarium; ideóque inter cives ejus-
dem Civitatis aut Reipublicæ, quibus suppetit re-
medium ordinarium, adeundi nimirum Judicem om-
nium Superiorem, petendi revisionem, vel suppli-
cationem porrigendi, non conceduntur. Vitriarius
ubi supra quæst. 8.
108 De reliquo, tametsi Repressaliæ, veluti liquet ex
antecedentibus, speciem belli præ se ferant, non una
tamen Repressalias inter & bellum intercedit discre-
pantia. Nam inprimis, qui pro debito vel delicto
alterius apprehenditur, in corpore vel vita castiga-
ri nequit, sed, usque dum civis Reipublicæ læsæ
109 satisfactionem impetraverit, detinetur. Deinde ser-
vitus, in quam incidunt personæ, bellô captæ,
personas explicatô modô detentas, non onerat.
110 Adhæc illarum bona non cedunt in prædam deti-
nentibus, sed jure retentionis, vel pignoris duntaxat
in illarum potestate manent, quousque suum à vero
debitore consequi non possunt. Vitriar. *cit. l. q.* 17.

§. VI.

De Jure Pacis & Treugæ.

111 Sextò ad Jus Gentium reducitur Pax, ceu finis
belli, non quidem si spectetur quoad originem aut
substantiam (sic enim à Jure tum Naturali tum Di-
vino præcipitur, dum illud inter homines amici-
tiam, hoc eminentem charitatem imperat) sed si
quoad circumstantias & effectum, inde secutum, con-
112 sideretur. Siquidem quòd hostes, posteaquàm ab
armis & pugnis quiescere cogitant, publicam de
Pace conventionem ineant, ac perpetuam sibi pro-
mittant amicitiam & securitatem, & ab eo tempore
jus cursusque belli sistatur, Juri Gentium, unà cum
bello ex merito tribuitur; ut locum habeat illud
vulgatum, contrariorum eandem esse rationem.
Clariss. D. P. Joan. Bapt. Ebberth de *Pace cap.* 3.
§. 1. *n.* 7.
113 Conventionem Pacis ad tria præcipuè capita vel
pacta revocandam esse, author est Sweder. *cit. l. sect.*
1. *cap.* 27. *num.* 3. I. est pactum oblivionis, seu am-
nistiæ, quô cavetur, ut, quæ hactenùs inter belli-
gerantes ad invidiam, injuriam, aut æmulationem
unius aut alterius acciderunt, perpetuæ tradantur
114 oblivioni; sicuti conspicere licet in Novissima pa-
cificatione Rastadio-Badensi, inter Augustissimum
& Invictissimum Imperatorem Romano-Germani-
cum CAROLUM VI. & Romanum Imperium
ex una; & Serenissimum ac Christianissimum Regem
Galliæ LUDOVICUM XIV. ex altera parte *art.*
2. ibi: *sit perpetua utrinque amnestia, & oblivio om-
nium eorum, quæ ob causam vel occasione præteriti
belli quôcunque locô modôve ultrò citróque hostiliter
facta sunt, ita ut nec eorum, nec ullius alterius rei
causâ vel prætextu alteri quidquam inimicitiæ, di-
rectè vel indirectè, specie juris aut viâ facti, neque
intra neque extra Sacrum Romanum Imperium, Re-
gna & ditiones Sacræ Cæsareæ Majestatis, Regnum-
que Galliæ inferat, aut inferri patiatur, sed omnes
& singulæ hinc inde verbis, scriptis, aut factis illatæ
injuriæ & violentiæ, absque omni personarum re-
rumque respectu, ita penitus abolitæ sint, ut, quid-
quid eô nomine alter adversùs alterum prætendere
115 possit, perpetuâ sit oblivione sepultum.* Hocque pa-
ctum cuilibet pacificationi insitum esse, tametsi non
exprimatur, tenet Vitriarius *Instit. Jur. Nat. & Gent.
lib.* 3. *cap.* 18. *q.* 7. quia, ubi universalis oblivio ho-
stilitatis præteritæ exulat, pax firma securaque con-
sistere non potest. Comprehendit itaque pactum 116
hoc omnia, quæ tempore flagrantis belli hostiliter
sunt gesta: quæ verò præcesserunt bellum, uti si
unus ex hostibus antecedenter in alterum commi-
sisset feloniam, ob quam feudô mereatur excidere,
comprehensa non censentur: utpote cùm planè per
accidens se habeant ad bellum, consectamque desu-
per Pacem; nec de illis cogitatum vel actum fuisse
præsumatur. Hermes in *fascic. Jur. publ. cap.* 11. *sub
num.* 142.
II. est pactum *restitutionis*, quô statuitur, ut per- 117
sonæ, res, jura, aut bona hinc inde capta, occu-
pata, possessa &c. antiquo domino restituantur, aut
(cùm pacificatio transactioni non multùm sit absi-
milis) jure permutationis, solutionis, aut satisfa-
ctionis retineantur; prout in memorata pacificatio-
ne Rastadio-Badensi per extensum invenitur. Ubi 118
sanè dubitandum non est, quin Principes pacifican-
tes bona patrimonialia, in quibus liberam dispo-
nendi facultatem obtinent, cedere, & in perpetuum 119
dimittere valeant; sicuti pro certo pariter creden-
dum, quòd etiam bona Coronæ vel Principatus ab-
dicari possint, si Populus, Ordines, aut Status Re-
gni vel Principatus assentiant: at verò, dissentiente
Populo, Ordinibus vel Statibus, abdicatio non va-
let aliter, ac si tanta urgeat necessitas ineundæ pa-
cis, ut, inspectis viris aut viribus propriis, consi-
deratâ itidem partis adversæ magnanimitate & po-
tentiâ, sinè manifesto totius Regni vel Principatus
amittendi periculô, bellum ulteriùs nequeat conti-
nuari. Nisi enim necessitas adeò sit urgens, non 120
potest excusare factum, quod aliàs justitiæ regulis
adversatur: cùm utique non liceat, distrahere pro
libitu bona, quorum plenum dominium aut pote-
statem non habemus. Textor in *Synopsi Jur. Gent.
cap.* 20. *à n.* 22. Ex eodem fonte promanat alia ve- 121
ritas, quòd bona subditorum tum demum alienari
possint, quando Pax necessaria non potest aliô modô
obtineri. P. Engel ad tit. *de Treuga & Pace num.* 12.
nam Princeps aut Respublica non potest subditis jus
quæsitum auferre, præterquàm in casu necessitatis
vel utilitatis publicæ, secundùm dicta & docta su-
periùs in *cap.* 1. *à n.* 195. Et, si uni tantùm vel al- 122
teri quidpiam pro salute totius universitatis adem-
ptum fuerit, id aliorum proportionatâ contributio-
ne resarciendum esse, dictum & doctum in *cit. cap.
num.* 217. Textor *cit. l. num.* 28. Hermes *cit. fascic.
cap.* 11. *n.* 144. Ebberth de *Pace cit. cap.* 5. *à n.* 28.
III. est pactum *compensationis*, quô agitur de 123
compensatione sumptuum & expensarum, in milites,
præsidia, annonam, fortalitia, rem tormentariam
&c. factarum; de cujus justitia tot extare præjudi-
cia, scribit *cit.* Hermes *num.* 147. ut ea iniquitatis
insimulare plusquàm temerarium foret. Ad quid au-
tem in hoc & priori punctô teneantur personæ Ec-
clesiasticæ? Distinctè resolvit laudatus P. Ebberth
d. cap. 5. *n.* 8. *& seqq.* & *n.* 38. *& seqq.*
Ad Pacem porro faciliùs recuperandam assumun- 124
tur mediatores, quasi arbitratores, ut militantes ad
concordiam revocent, &, sepositô partium studiô,
tractatum Pacis ad æquitatis limites reducant. At- 125
tamen nulla est necessitas, assumendi mediatores,
quando ipsimet Principes convenire, vel per Lega-
tos negotium Pacis tractare volunt, uti recentissi-
mum exemplum suppetit in Novissima pacificatione,
quam ab initio soli Belli-Duces, famosissimus Eu-
GENIUS, & Mare-Scballus VILLARIUS, Rastadii
confecerunt; Badenæ verò, posteaquàm ab Illu-
striss. & Excellentiss. DD. Petro Comite de Goës in
Carlsberg, & Joanne Friderico Comite de Selleren
& Aspang &c. ex parte Cæsaris & Imperii; nec non
DD. Francisco Carolo Comite de Luc, & Dominico
de

de Saint Contest &c. ex parte Regis Galliæ idem pacis confectæ tractatus ad incudem revocatus, & absolutus est, unà cum alitis modò nominatis die
126 7. Septembr. 1714. subscripserunt. Neque etiam ulla videtur necessitas, mediatores Pacis, si qui fortè offerantur, acceptandi; non tantùm ubi suspicio contra personam ex conjunctione vel affectione subest; sed etiam ubi spes propinquæ victoriæ, metus sistendi vel intercipiendi ex mediatione belli, vel alia ratio dissuadet, mediatores oblati sententiam audire vel sequi. Textor *cit. cap.* 20. *n.* 52.

127 Paci confinis est Treuga, nomen hoc à SS. Canonibus in *tit.* 36. hoc libro *de Treuga & Pace* sortita; quæ nihil aliud est, quàm induciæ, armistitium, seu cessatio ab armis & hostilitate. Ideóque convenit in eo cum Pace, quòd armorum impediat usum, &
128 cursum bellicum intercipiat. Disconvenit autem, quòd operationem suam ad certum duntaxat & determinatum tempus exserat, nec, instar Pacis, securitatem & amicitiam perpetuam tribuat; indeque non tam extinguat, quàm sopiat bellum; armaque non perimat, sed differat & suspendat. Gonzalez in *cap. treugas* 1. *de Treuga & Pace n.* 13.

129 Dividitur Treuga in Legalem seu Canonicam, & conventionalem. *Legalis* seu *Canonica* est, quæ à SS. Canonibus est introducta, & exercitium belli à feria quarta cujuslibet hebdomadæ post occasum solis usque ad diem lunæ seu feriam secundam in ortum solis; ab Adventu Domini usque ad octavam Epiphaniæ; à Septuagesima usque ad octavam Paschæ prohibet, datâ Episcopis potestate, contravenientes sub excommunicatione compellendi *d. cap.*
130 *treugas* 1. Gonzalez *ibid. n.* 17. Sed hanc Treugæ speciem à multis sæculis non esse servatam, continua ferè demonstrant bella; nec improbant Panormitan. ad *cit. cap. num.* 4. Barbosa *ibid. nu.* 9. Gon-
131 zalez *d.* n. 17. *in f.* & Interpretes unò calamò. *Conventionalis* est, quæ speciali belligerantium conventione stabilitur; vel intuitu certi negotii, puta ut mortui tumulentur, captivi permutentur, urbium obsessarum impugnatio suspendatur; vel respectu
132 totius hostilitatis & infectionis bellicæ. Priori modô Treugam aut inducias stabilire possunt ipsimet Archistrategi & Supremi Belli Duces; posteriori nòn aliter, ac si mandatum speciale vel generale cum libera ab eo, cujus authoritate bellum geritur, adepti fuerint. Textor in *Synopsi Jur. Gentium cap.* 19. *n.* 4. & 5.

133 Ad quantum temporis intervallum Treuga conventione statuatur? Non interest. Dummodò enim in perpetuum non sanciantur, adhuc Treuga vel armistitium aut induciæ dicuntur, esto tempore longissimô durent, ut patet ex Instrumento Pacis Carlovizensis, Anno 1699. cum Ottomanica Porta conclusæ *art.* 20. §. *duret*, ibi: *duret armistitium hocce, & extendatur, favente DEO, ad viginti quinque annos.* Clariss. P. Ebberth de *Pace cap.* 1. *n.* 12.

134 Plura Juris Gentium capita disquirere, modò non allubescit. Aut enim tam operosa non sunt; aut, si operosa, in progressu operis operam nostram habebunt.

SECTIO III.

De Effectu Juris Gentium.

SUMMARIA.

135. *& seq. Jus Gentium obligat in conscientia.* 137. *& seq. Etiam Suprema orbis capita.* 139. *Quorum controversia ex Jure Gentium sunt dirimenda.* 140. *Bella quoque ipsorum juxta Jus Gentium regulanda.* 141. *& seq. Jus Gentium ex Scriptoribus & historicis interpretandum.* 143. *& seq. Numerus actuum adstruitur.* 145. *Jus Gentium impropriùm impropriè mutari potest.* 146. *& seqq. Quin & Jus Gentium, propriè dictum.* 149. *& seq. Accedente omnium Gentium vel majoris partis assensu.* 151. *& seqq. Non sufficit consensus unius Gentis.*

§. I.

De Obligatione Juris Gentium.

QUoniam ex disputatis à *n.* 14. Jus Gentium est 135
vera Juris Legalis species, producit effectum Legalem in conscientia; adeóque obligationem obedientiæ, quâ Gentes communibus sancitis obtemperare tenentur; non verò obligationem justitiæ,
quæ ex conventiona promanat. Hicque est uni- 136
formis omnium Gentium sensus, quæ non majus scelus objicere solent, quàm Juris Gentium violationem: tum quia communi Gentium consensu Jus illud decretum, sanctissimum reputatur: tum quia pro materia habet ea, quæ pacem, tranquillitatem, & felicitatem ipsarum Gentium inter se conciliant. Gibalinus *Scient. Canon. lib.* 4. *c.* 4. *q.* 3. *nu.* 1. Unde

Sequitur I. ipsos Principes & Summa Orbis Ca- 137
pita Juri Gentium esse subjecta. Brunnemann ad *l. omnes populi* 9 *ff. de J. & J. n.* 4. Clariss. D. Joannes Georgius Fleck in *Bibliotheca Jur. Civ. lib.* 1. *tit.* 9.
num. 6. Nam, quia Jus Gentium respicit omnium 138
Gentium emolumentum; obligat etiam omnes Gentes, & ipsos Supremos Principes, quorum consensu Jus Gentium immediatè & proximè subortum est. Unde Themistius apud Grotium in *prolegomen.* peroràsse fertur: *Reges, quales exigit sapientia regia, non unius sibi credita Gentis habere rationem, sed totius humani generis.*

Sequitur II. litem, si quæ vertatur inter Summas 139
Potestates, ex Jure Gentium decidendam esse. Cùm enim Jure Civili Summæ Potestates non obstringantur, obstringantur verò præceptis Gentium: nequeunt in suis controversiis Jus Gentium, velut communem & certam regulam, declinare.

Sequitur III. ipsa inter Reges suscepta bella se- 140
cundùm Jura Gentium esse dirigenda. Licèt enim silere Leges inter arma dicantur: silent tamen Civiles tantùm, judiciariæ, & pacis propriæ: valent verò perpetuæ illæ, à Gentibus & Naturâ præscriptæ. Optimè siquidem apud præfatum Grotium DIO Prusiensis ait: *inter hostes scripta quidem Jura, id est, Civilia non valere, at valere non-scripta, id est, ea, quæ Natura dictat, aut Gentium consensus constituit.*

§. II.

De Interpretatione Juris Gentium.

Ad effectum Juris Gentium revoco illius inter- 141
pretationem. Hæc ita peragitur. Si dubitetur: sitne aliquid Juris Gentium? Recurrendum est ad Scriptores, antiquos, illustres, probatos: qui, si consentiente calamô articulum, de quo dubitatur, Juris Gentium esse testentur, fortè quòd in congressibus, bellis, pacificationibus, fœderibus &c. hunc vel illum modum viguisse, perhibeant, illis fides tribuitur. Vitriarius *Inst. J.N. & G. l.* 1. *c.* 1. *quæst.* 25.

Si Scriptores varii & discrepantes sint, ac, quod 142
antiquioris ævi Historici negant, Gentibus in usu fuisse, recentiores affirment, standum est judicio posteriorum. Textor in *Synopsi cap.* 1. *nu.* 19. Potest quippe, ut statim dicemus, Jus Gentium, instar consuetudinarii,

tudinarii, per usum contrarium abrogari vel immutari. Ergo, sicut in consuetudine posterior & recentior observantia prævalet priori & vetustiori: ita prævalet in Jure Gentium.

143 Si dubium occurrat de actibus, ad Jus Gentium introducendum requisitis, quanti & quales esse debeant? Resp. Textor cit. cap. 1. num. 21. absolutè quidem respectu omnium Gentium requiri plures actus; relativè verò ad singulas Gentes unicum actum sufficere. E. G. In materia pacificationis aut belli aliquid semel & successivè est observatum pro Jure inter Imperatorem Romano-Germanicum & Turcicum; posteà inter Regem Hispaniæ & Galliæ; deinde inter Britannos & Batavos; deinceps inter Suecos & Danos &c. Hæc observantia respectu omnium Gentium ex actibus multiplicitatis constat; licèt respectu singularum Gentium actum

144 unicum contineat. Sufficit tamen ad constituendum Jus Gentium, ne cæteroquin, si à singulis Gentibus plures actus exercitos fuisse desideremus, inextricabilem & difficillimam Juris Gentium probationem faciamus, cum non modico Rerumpublicarum detrimento.

§. III.

De mutatione Juris Gentium.

145 Mutatio Juris Gentium in tantùm ad effectum ejus reducitur, ut pateat, quantò tempore perseveret. Nulla autem ambiguitas est de mutatione Juris Gentium impropriè dicti: cùm id, veluti Jus, sinè obligatione receptum, liberrimè abrogari valeat. De Jure Gentium itaque propriè dicto locuturus,

146 Dico I. Jus Gentium formaliter est mutabile. Suarez de *LL. lib. 2. cap. 20. nu. 6* Gibalinus *d. l. 4. cap. 7. q. 3. n. 3.* Clariss. D. Franzadin. *de J.N.G & C. p. 2. num. 19.* Probatur. Jus Gentium est portio Juris arbitrarii & positivi ex *num. 7.* Ergo, sicut liberè ponitur, sic liberè reponi, & refigi potest *arg. cap. omnis 1. de R. I. & l. nihil 35. ff. eod.*

147 Si dicas: Jus Divinum formaliter mutari non posse à Potestate humana; & consequenter nec Jus Gentium: cùm & hoc Divinâ authoritate firmatum sit.

148 Resp. discrimen esse quàm latissimum inter Jus Divinum & Gentium. Illud immediatam obligandi vim à solo DEO nanciscitur, irrequisitò homine: quare ab alia, quàm Divinâ Majestate, vi obligativâ privari non potest. Hoc immediatam obligandi virtutem à voluntate Gentium sortitur, uti consuetudo à voluntate populi. Ergo, sicut DEUS obligationem suò consensu non confirmat, nisi præsuppositâ Gentium voluntate: ita diutiùs confirmationem suam porrigere non intendit, quàm Gentes velint.

149 Dico II. Jus Gentium formaliter mutari non potest, nisi vel omnium Gentium, vel majoris partis assensu. Suarez *d. cap. 20. n. 8.* Gonzalez in *apparatu J. C. num. 19.* Probatur. Nequit consuetudo, à majori vel unanimi populi consensu stabilita, à privatis personis eliminari. Ergo nequit Jus Gentium, unanimi Gentium, vel majoris partis consensu firmatum, ab una vel altera Gente infringi: quia, sicut se privati habent ad communitatem; sic Gentes particulares se habent ad totam Gentium universi-

150 tatem. Confirmatur. Utilitas communis præferri debet singulari. Ergo, licèt una Gens particularis singulare commodum ex abrogatione Juris Gentium speret: quia tamen Jus Gentium communem utilitatem pro scopo suo agnoscit, potiùs communi utilitati quàm privatæ invigilandum est.

Existimat quidem Insignis Suarez, posse aliquando Jus Gentium ab una Gente mutari, si v.g. communitas aliqua præcipiat, ut inter partes & membra sua Jus Gentium non observetur: sicut Jus Gentium de servitute captivorum in bello justo inter Christianos populos ex antiqua consuetudine non amplius observatur. 151

Verùm non video, quomodò dicatur mutari Jus Gentium, quando aliqua communitas seu Gens particularis in propria sua provincia libertate Juris Gentium non utitur, v. g. commercia privatis interdicendò. Nam Jus Gentium obligat immediatè solas Gentes qua tales, sicut in bonum Gentium qua talium immediatè sancitum est. Ergo, ut censeatur esse mutuum, respectu alterius Gentis obligatione destitui debet; quod sinè consensu Gentium fieri posse, non reperio. Exemplum de servitute, inter Christianos sublatâ, non promovet intentum. Cùm enim Christianæ Gentes (si calculum inter mansuetiores subducere velimus) majorem numerum conficiant; atque illarum mutuò consensu servitus cessârit: profectò non unius Gentis, sed majoris partis consensu Jus Gentium hac in parte mutatum esse, censeri debet. 152 153

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. & seq. Jus Gentium non bene revocatur ad pacta. 3 & seq. Immediata causa Juris Gentium est earum mutuus & tacitus consensus. 7. & 8. Mediata est DEUS. 9. & seqq. Ostenditur, quomodò salvari possit distinctio inter Gentes, consideratas ut singulas & universas. 13. Attingitur quæstio de jure navigandi ad quosvis. 14. & seqq. Referuntur argumenta Grotii. 21. Subsistunt illa, etiamsi mare non dicatur liberum. 22. Quia jus navigandi videtur esse servitus naturalis, omnibus præbens usum.

QUÆSTIO I.

Rectène Jus Gentium ad pacta referatur?

IN nostra sententia, quam retulimus hoc *cap.* à 1
num. 14. & signanter *num. 23.* id fieri non potest: cùm enim Jus Gentium, æquè ac Naturale & Civile, nedum ab Imperatore Justiniano, sed etiam à plerisque Interpretibus numeretur inter species Juris Legalis; ex pacto è contra non jus legale, sed privatum, proprium, ac particulare consurgat: ac præ- 2
ter hæc Jus constitutionis non feratur à personis privatis quà talibus, sed à Superiore seu persona publica quà tali; pactum verò ineatur à personis privatis, vel etiam à publicis, quatenùs privatorum jure censentur: hactenùs persuaderi non potui, ut decantatum illud & inviolabile Jus ac Legem Gentium in classem pactorum referrem.

Si dicas: Jus Gentium, etsi pactione mutuâ pri- 3
mitus introductum, adhuc dum speciebus Juris Legalis accenseri, quòd quælibet Gens in sua regione illud subditis per modum Legis præscribere valeat.
Contra est: quia Jus Gentium & nomen & effica- 4
ciam sortitur à Gentibus, quatenùs sunt Gentes, ac primariò afficit singularum provinciarum Rectores, Principes, & Capita, quibuscum inter se, tanquam supremos & liberos, negotia vertuntur: adeóque rationem Legis habet ab ipsis Gentibus, & non earum subditis, respectu quorum in effectu potiùs Jus Civile appellari potest.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Cujus authoritate Jus Gentium sit conditum?

5 Conveniunt plerique, Jus Gentium mutuô earum consensu, per diuturnos & uniformes mores
circa unam eandemque materiam explicatô, immediatè
6 fuisse conditum. Quam in rem bene disserit Wernherus in *Dissertat. Jur. Natur. dissert.* 3.
§. 14. „nec ab expresso, nec tacitô pactô hoc Jus
„descendit; neque etiam per imitationem ab una
„Gente ad aliam pervenit, sed per hoc ipsum con-
„stitutum est, quòd pleræque Gentes ea ratione
„certas actiones, quamvis non necessarias, utiles ta-
„men socialitati esse, & proinde faciendas, judicâ-
„runt. Ex hoc unanimi enim plerarumque Gen-
„tium consensu Jus natum de iis præcisè ob com-
„mune omnium interesse faciendis; quod Jus pro-
„inde propter manifestam utilitatem ex earundem
„Gentium interpretatione, sive expressâ sive taci-
„tâ, cæteras quoque Gentes ad easdem actiones
„exequendas obligare aptum est.
7 Præter hanc causam immediatam in *d. cap. n.* 19.
& seqq. adstruxi aliam & mediatam, DEUM Opt.
Max. prout est Author humanæ societatis, & Auspea omnis Politiæ, qui, quod Gentibus ad mo-
tuam utilitatem placuit, suâ authoritate roboravit,
8 spiritumque legalem indidit: salvâ juxta *n.* 24. in-
genti differentiâ inter Jus Naturale & Divinum
Positivum ex una, nec non Jus Gentium ex altera
parte, dum illud immediatè à DEO, hoc imme-
diatè à consensu & voluntate Gentium provenit.
9 Alii quidem distinguunt inter Gentes quà univer-
sas, & quà singulas, & sub priori consideratione
Gentes volunt esse Authores & Conditores Legis;
sub posteriori autem Gentes dicunt esse legibus
subditas; ad eum ferè modum, quò Populus in sta-
tu Democratico collectim imperat, & separatim ac
10 sigillatim imperata exsequitur. Verùm in *d. cap.*
n. 16. 17. *&* 18. jam ostendi, prælibatam distinctio-
nem & paritatem cum libertate & suprematu singu-
11 larum Gentium vix componi posse. Forsitan ta-
men facilior esset alia explicatio & instantia, de-
sumpta ex systemate plurium Civitatum, inter se
absque Duce aut Imperante communi sociatarum:
ibi enim quælibet Civitas, etiam seorsim conside-
rata, manet suprema, juraque Summæ Potestatis
in suos subditos independenter ab alia exercet;
quædam tamen jura v. g. belli, pacis, fœderum,
una sinè altera in usum deducere nequit, sed, ut
bellum, pax, aut fœdus decernatur, omnium Civi-
tatum aut majoris partis assensu opus est ex dictis
in *Jurisprudent. Publ. univers. lib.* 1. *c.* 4. *à n.* 77.
sicque Civitates quà universæ & simul acceptæ
Leges ferunt de bello & pace; quà singulæ Leges
12 latas exsequi videntur. Itaque & Gentes, quamvis
ut singulæ jura Summæ Potestatis in suis ditioni-
bus & provinciis exerceant, unaque alteri non sit
obnoxia; ut universæ tamen seu collectim acceptæ
Jus Gentium statuerunt, cujus observantia Genti-
bus singulis in particulari incumbit.

QUÆSTIO III.

An Facultas navigandi ad quosvis in mari reducatur ad Jus Gentium?

13 Pridem mota est præsens quæstio, & acriter in-
ter Lusitanos, Hispanos & Batavos agitata; è
quibus ultimi, authore Grotiô in *Dissertat. de Mari*
libero, affirmativam calamis & armis propugnârunt.
Recruduit hæc controversia nostris temporibus, &,
quò minùs ab eadem opinione affirmativa discedatur, stant etiamnum inconcussæ rationes Grotii.
Nam, ut ille discurrit in *cit. Dissert.* statim in *cap.* 14
1. Juris Gentium regula est certissima: *licere cuivis Genti quamvis alteram adire, cumque ea negotiari.* DEUS hoc ipse per naturam loquitur, cum
ea cuncta, quibus vita indiget, omnibus locis suppeditari à natura non vult: actibus etiam aliis alias
Gentes dat excellere. Quid illa? nisi, quòd vo- 15
luit, mutua egestate & copia humanas foveri amicitias, ne singuli, se putantes sibi ipsi sufficere,
hôc ipsô redderentur insociabiles. Nunc factum
est, ut Gens altera alterius suppleret inopiam, Divinæ justitiæ instituto, ut eô modô (sicut Plinius
dicit) quod Gentium esset uspiam, apud omnes
natum videretur. Hoc igitur qui tollunt, il- 16
lam laudatissimam tollunt humani generis societatem, tollunt mutuas benefaciendi occasiones,
naturam denique ipsam violant. Nam & ille, quem
DEUS terris circumfudit, Oceanus, undique
& undique versùs navigabilis, & ventorum stati aut extraordinarii flatus, non ab eodem semper,
& à nulla non aliqua regione spirantes, nonne significant satis concessum à natura cunctis Gentibus
ad cunctos aditum? Hoc Seneca summum naturæ 17
beneficium putat, quod & vento Gentes locis dissipatas miscuit, & sua omnia in regiones ita descripsit, ut necessarium mortalibus esset inter ipsos commercium. Hoc igitur jus ad cunctas Gentes æqualiter pertinet: quod Clarissimi Jurisconsulti eò usque producunt, ut negent, ullam Rempublicam aut Principem prohibere in universum
posse, quò minùs alii ad subditos suos accedant,
& cum illis negotientur. Paria habet in *cap.* 8. 18
in fine, commercandi, inquiens, libertas ex Jure est
primario Gentium, quod naturalem & perpetuam
causam habet: ideóque tolli non potest, &, si posset, non tamen posset nisi omnium Gentium consensu: tantum abest, ut ullô modô Gens aliqua
Gentes duas, inter se contrahere volentes, justè
impediat. Nec alia docet in *cap.* 13. ubi, si justa, 19
ait, multi & ipse Augustinus arma crediderunt eô
nomine suscipi, quòd per terras alienas iter innoxium negaretur, quantò illa erunt justiora, quibus
maris, quod Naturæ Lege commune est, usus
communis & innoxius postulatur? Si justè oppugnatæ sunt Gentes, quæ in suo solo commercia aliis
interdicebant, quid illæ, quæ Populos, ad se nihil pertinentes, per vim distinent, ac mutuos earum
commeatus intercludunt? Si res ista in judicio agi- 20
taretur, dubitari non potest, quæ à viro bono expectari debeat sententia. Ait Prætor in *l.* 2. §. 9.
ff. ne quid in loco publ. quò minùs illi in flumine publico navem agere, ratem agere, quóve minùs per ripam exonerare liceat, vim fieri veto. Quæ Grotii 21
ratiocinationes procedunt, etiamsi contra ipsum doceretur, mare quoad dominium non esse liberum
(qua de re Clariss. D. Franciscus Josephus Herz
in nuper edita præstanti elucubratione de *Beato Cive p.* 1. *cap.* 3. §. 7. *à n.* 7. consulendus) quippe
cùm de Jure *B. & P. lib.* 2. *cap.* 3. §. 12. apertè sic
statuat: illud certum est, etiam qui mare occupaverit, navigationem impedire non posse inermem
& innoxiam, quando nec per terram talis transitus
prohiberi potest, qui & minùs solet esse necessarios, & magis noxius. Quò etiam inclinant Nico- 22
laus Hertius in *Dissertat. de Servit. Nat. Sect.* 1. §.
10. & Engelbrechtus *de Servit. Jur. Publ. Sect.* 1.
§. 5. asserentes, ex Jure Naturæ & Gentium per
modum servitutis fluere, ne maris aut fluminis
dominus illos, qui ibidem navigare cupiunt, ullô
modô impediant.

CAPUT V.

De Jure Sacro, seu Canonico.

Juri Gentium Canonicum seu Sacrum subnecto: non quia Jus Gentium sublimius & excellentius; sed quia universalius, & propter hoc Divino & Naturali vicinius est, Canonicô. Præfero autem Canonicum Civili, tum propter nobilitatem finis, ad quem ordinatur; tum propter præeminentiam Legislatoris, à quo conditur; tum propter amplitudinem subjecti, ad quod extenditur. Ita tamen Jus unum alteri præfero, ut multis in rebus amicâ harmoniâ concordem utrumque. Veritatem præsentis & septimi Capitis contextus edocebit.

SECTIO I.

De Definitione, Promulgatione, & Origine Juris Canonici.

SUMMARIA.

1. *Juris Canonici etymon & natura, si accipiatur pro habitu.* 2. *Illius definitio, quatenùs sumitur pro lege.* 3. *Est ordinatio rationis.* 4. *A Potestate humana Ecclesiastica.* 5. *Vel Suprema, vel subordinata.* 6. *& seq. Ad finem spiritualem.* 8. *Per actiones religiosas consequendum.* 9. *Fidelibus.* 10. *Promulgata.* 11. *& seqq. Nominantur Authores, affirmantes & negantes necessitatem promulgationis in singulis provinciis.* 14. *& seqq. Negantium argumenta.* 18. *& seqq. Affirmantium fundamenta, desumpta ex natura Legis.* 24. *Ex paritate cum Lege Civili.* 25. *& seqq. Ex Jure Canonico.* 33. *& seqq. Ex illius promulgatione.* 35. *& seqq. Ex Authorum negantium limitationibus.* 40. *& seqq. Refellitur P. Cardenas.* 51. *Origo Juris Canonici est DEUS.* 52. *& seqq. Apostoli.* 57. *& seqq. Quorum Constitutiones sub nomine Canonum Apostolorum sunt collectæ.* 61. *SS. Pontifices & Concilia.*

§. I.

De Definitione Juris Canonici.

1 JUris Canonici tum etymologiam, tum synonimiam, tum etiam definitionem (si capiatur pro habitu seu scientia Legum Ecclesiasticarum) re-
2 peries in *tract. præamb. cap.* 1. *n.* 32. *& seqq.* Aliam nonnihil definitionem, si capiatur pro ipsa Lege Ecclesiastica, nunc adorno, quòd nempe Jus Canonicum sit ordinatio rationis, à Potestate humana Ecclesiastica, ad finem spiritualem & supernaturalem, per actiones religiosas consequendum, fidelibus promulgata.

3 Dixi I. *ordinatio rationis.* Est enim Jus Canonicum univoca Juris Legalis species; ideóque genericam illius naturam in eo participat, quòd rationi quàm maximè sit consentanea; hocque tantò certiùs, quantò certiori & firmiori n titur fundamento, Summô Pontifice, tanquàm indefectibili morum & fidei nostræ regulâ.

Dixi II. à *Potestate humana Ecclesiastica.* Per 4
quæ vocabula differt Jus Canonicum à Divino:
quia, tametsi in *cit. tr. & cap. n.* 37. notatum fuerit,
Jus Canonicum quandoque Divinum appellari; nihilominùs, cùm remotè tantùm à DEO, proximè
verò descendat à Legislatore humano Ecclesiastico, discrimen sufficiens inter Jus Canonicum &
Divinum deprehenditur. Hoc solùm de Potesta- 5
te humana Ecclesiastica velim adnotari, quòd, si
Lex Ecclesiastica feratur à Potestate Suprema, hoc est, Summo Pontifice, dicatur universalis; sin feratur à Potestate inferiori & subordinata, particularis appelletur.

Diai III. *ad finem spiritualem & supernaturalem.* 6
Hunc enim finem à Jure Canonico proximè respici; hocque discerniculum esse, quò differt à Jure Civili, jam aliquoties indigitatum est, præsertim in *d. tract. praamb. cap.* 1. *n.* 42. & in hoc *tract.*
cap. 1. *n.* 123. Estque hæc doctrina Panormitano, 7
Zoësio, Gibalino *Scient. Canon. lib.* 5. *cap.* 1. *q.* 13. & cæteris Canonistis, ad *Proœmium Decretalium* scribentibus, maximoperè probata, contra Fortunium Garciam, qui narrante Gibalinô *d. q. n.* 1. in suo *Opusculo de fine Jur. Can. & Civil.* irritô labore contendit, unum ab utroque Jure finem intendi.

Dixi IV. *per actiones religiosas consequendũ.* Per 8
actiones religiosas intelligo tales, quæ aliquatenùs & inchoativè sunt spirituales, juxta superiorem explicationem in *d. tract. praamb. cap.* 2. *n.* 101. *& 3. seqq.*

Dixi V. *fidelibus.* Ubi novam differentiæ ratio- 9
nem, quâ Jus Canonicum à Divino discrepat, assigno: quandoquidem Jus Divinum universalitate suâ non minùs infideles quàm fideles obstringit; Canonicum è contrà solos obligat fideles; ut infra in *sect.* 3. ostendetur.

Dixi VI. *promulgata.* Promulgationis necessitas 10
ad Legem quamcunque jam in *cap.* 1. *n.* 51. demonstrata fuit. Sed qualis in specie debeat esse promulgatio Legis Ecclesiasticæ? Statim demonstrare parati sumus.

§. II.

De Promulgatione Juris Canonici.

De hac diuturna jam inter DD. est concertatio, 11
utrùm ad hoc, ut Jus seu Lex Ecclesiastica universalis totam afficiat Ecclesiam, sufficiat promulgatio, Romæ facta; num verò requiratur promulgatio, in singulis provinciis per locorum Prælatos facienda? Priorem sententiam amplectuntur potiores Theologi, nominatim Suarez de *LL. lib.* 3. *cap.* 16. Palao *Oper. Moral. tract.* 3. *disput.* 1. *punct.* 11. Reding de *LL. q.* 16. *art.* 2. *contr.* 3. *n.* 14. Sant-Gallenses de *LL. sect.* 1. *q.* 4. *conclus.* 5. Mezger de *LL. disput.* 34. *art.* 1. *n.* 10. Favetque eidem Rota *decis.* 356. *n.* 13. & 14. apud Cardinalem de Luca
de *Benefic. p.* 1. *discursu* 76. *n.* 7. Posteriorem ex 12
Theologis fovet Molina de *J. & J. tr.* 2. *disp.* 395. *à num.* 6. Lessius de *J. & J. lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 98. Medina, Sotus, Marchantius, Sannig, quos citat P. Reiffenstuel ad *tit. de Constitut. n.* 125. & reipsâ sequitur in *n.* 134. ac novissimè Clariss. P. Cœlestinus Pley *Angelica Theologia theoremat. disp.* 2. *q.* 3. Clar. P. August. Magg in *tract. de LL. quæst.*
pralim. art. 1. *pag. m.* 11. *n.* 6. Recipiunt plures è 13
Canonistis Panormitan. ad *cap. cognoscentes* a. *de Constitut. n.* 7. *circa fin.* Felinus *ibid. n.* 7. Zypæus in *Analysi Juris Pontif. ad tit. de Constitut. n.* 1. Gibalin. *Scient. Can. lib.* 7. *cap.* 2. *q.* 1. *n.* 7. dicens: sententiam hanc

hanc Juri & rationi conformiorem, ac praxi Vete-
ris Ecclesiæ maximè consentaneam esse; Clarissimi
DD. Facultatis nostræ Antecessores Engel ad *tit.*
de Constit. n. 65. König *ibid. n.* 20. Ebberth in *Bel-*
lo certam. 2. *n.* 3. *& seqq.* Gletle *Jurisprud. fund.*
lib. 1. *tit.* 1. *cap.* 4. §. 7. *n.* 4. Someting, auctus à
Clariss. D. Josepho Adamo Ayblinger ad *tit.* 2.
Inst. de J. N. G. & C. n. 73.

14 Primi sequentia fundamenta in aciem educunt.
Primum est. Promulgatio, in singulis provinciis fa-
cienda, neque ex natura rei, neque ex constitutio-
ne Juris requiritur. Ergo nullô modô. Anteced.
quoad priorem partem deducitur ex eo, quòd pro-
mulgatio, Romæ facta, sufficiat, ut Lex in notitiam
orbis Christiani successivè possit devenire: est enim
Roma Urbs Urbium, ad quam ex omnibus mundi
partibus homines confertim solent confluere; in
qua etiam non solùm Regum & Principum Chri-
stianorum legati, sed etiam Præsulum Ecclesiastico-
rum agentes & procuratores resident, ad Leges
novas perinde audiendas, ac suis Principibus tran-
15 scribendas obligati. Quoad posteriorem partem de-
claratur sic: quia pro necessitate promulgationis,
in provinciis faciendæ, solummodò affertur paritas
ex LL. Civilibus petita, quæ ex dicendis in *cap.* 7.
non obligant, nisi fuerint publicatæ in singulis pro-
vinciis. Hæc verò eò debilior est, quò minùs S.
Pontifex LL. Civilibus in modo regendi & impe-
randi se se accommodare tenetur.

16 Secundum est. Libri Juris Canonici, & consti-
tutiones, in illis contentæ, habent vim Legalem
& obligativam, esto de illarum publicatione, in pro-
vinciis factâ, non constet. Ergo & aliæ constitu-
tiones Pontificiæ: neque enim de una quàm altera
major occurrit ratio.

17 Tertium est. Ex stylo Romanæ Curiæ recenter
editæ Bullæ non alibi quàm Romæ promulgantur.
Regulæ Cancellariæ in partibus nunquàm publi-
catæ sunt. Omnes etiam causæ juxta constitutio-
nes, Romæ promulgatas, decidi solent. Ergo sig-
num est, S. Pontificis mentem & voluntatem esse,
ut novæ constitutiones statim obtineant vim obli-
gativam, posteaquàm in Campo Floræ ad Valvas
Vaticani publicè fuerint appensæ.

18 Secundi pro sua defensione opponunt I. Promul-
gatio in partibus facienda tum ex natura rei (si non
de necessitate, saltem de congruentia & convenien-
tia) tum ex dispositione Juris requiritur ad Legem
19 Ecclesiasticam. Nam ex natura rei Lex est jussio
& allocutio publica, non ad particulares & singu-
los homines, sed totam communitatem immediatè
directa; debetque propterea sic esse comparata, ut
immediatè possit à tota communitate percipi. At-
qui Lex, Romæ promulgata, non est immediatè
ad totam communitatem Christianam directa (nec
enim populus Romanus totam repræsentat Eccle-
siam; nec etiam legati vel agentes, ibidem com-
morantes, omnia Christiani orbis regna & provin-
cias in suis personis exhibent) & ideò non potest
immediatè à tota communitate Christiana parci-
20 pi. Ergo &c. Interim, si memorati legati vel
agentes & procuratores Legem, noviter promul-
gatam Romæ, Episcopis & Archi-Episcopis pro
sua obligatione transcribant, scient isti, in suis
provinciis & diœcesibus hujusmodi Legem publi-
care; sin minùs, provinciales aut diœcesani con-
tra Legem non peccabunt, juxta doctrinam Caje-
tani, à Gibalino *loc. cit. n.* 16. citati, scribentis: *si*
nova Romæ promulgatur Lex, & nec Curia ipsa pro-
curat, ut promulgatis ad Ecclesias Cathedrales de-
veniat, nec Prælati, qui ibi sunt, insinuant suis Ec-
clesiis, accusari nec apud DEUM, nec apud homi-
nes ignorantiæ possunt nescientes.

Neque dicas I. ex hoc sequi, quòd Lex nova 21
singulis hominibus contra *cap. ad hæc* 1. *de Postu-*
lat. Prælat. intimari, vel saltem singulis parochiis,
quatenùs distinctam faciunt communitatem ab ea,
quæ est in Ecclesia Metropolitana vel Cathedrali,
perficiunt, manifestari debeat. Ne enim, Legem, 22
cùm non ponatur singulis qua talibus, sed collecti-
vè sumptis, seu communitati, non singulis, sed
communitati promulgandam esse. Quòd si verò 23
Lex contineat materiam, cujus observantia singu-
las tangit parochias, nulla videtur inconvenientia,
ut singulis intimetur; quemadmodùm constitutio
Tridentina de nullitate Matrimonii clandestini à
Concilio in *sess.* 24. *de ref. Matrim. cap.* 1. *in f.* in
singulis parochiis publicari; & Bulla Cœnæ ex con-
stitutione Variorum Pontificum in Ecclesiis qua-
rumcunque Diœcesium semel aut sæpiùs quotan-
nis declarari jussa est.

Deinde Constitutio Juris Civilis apertè huic sen- 24
tentiæ suffragatur. Licèt enim S. Pontifex non te-
neatur in modo regendi & imperandi Legibus se se
conformare: attamen propter majorem Canonum
& Legum, Cathedræ Apostolicæ & Solii Impera-
toru concordiam, ultrò voluit, ut, quæ Jure Civili
statuta sunt, trahantur, etiam ad Jus Canonicum per
vulgatissimos textus in *cap.* 1. *&* 2. *de N. de O. N.*
cap. 9. 11. 12. *& seqq. Dist.* 10. Ergo, quia Leges
Civiles ex constitutione *Novella* 66. requirunt pro-
mulgationem in singulis Imperii provinciis (uti
nunc supponimus, & infra in *cap.* 7. demonstrabi-
mus) requirunt etiam Ecclesiasticæ, de quibus in
contrarium nulla extat ordinatio: idque tantò ma-
gis, quantò Romana Ecclesia in pluribus mundi
regionibus & regnis, quàm Romanum Imperium,
est dilatata.

Ad hæc non solùm Civile, sed ipsum Jus Cano- 25
nicum promulgationem in provinciis desiderat. Si-
quidem in *cap. cùm infirmitas* 13. *de Pœnitent. &*
remiss. Innocentius III. constitutionem de Medi-
cis, in Concilio Lateranensi editam, *ut, cùm eos ad*
infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia mone-
ant, & inducant, ut Medicos advocent animarum;
tunc demum obligare vult, *postquam per Prælatos*
locorum fuerit publicata.

Neque respondeas I. non obligationem recitatæ 26
constitutionis, sed pœnam ingressûs in Ecclesiam
ad promulgationem localem adstringi. Si enim
pœna non obliget, antequàm Lex pœnalis pro-
mulgationem localem adepta sit; certè nec præ-
ceptiva Lex obligabit anteà: tum quia gravius &
deterius est, reatum culpæ & pœnæ æternæ,
quàm temporalis incurrere: tum quia ipsa Lex
pœnalis spiritualis non obligat, nisi culpa præ-
cesserit ex *cap.* 1. *n.* 255.

Neque respondeas II. allatam constitutionem 27
particularem esse, atque vel ex hoc ad alias Leges
non ampliandam, quia in aliis similes clausulæ non
reperiuntur. Enimverò, sicuti *Novella* 66. licèt
particularis sit, de LL. testamentariis duntaxat
præscripta, nihilo secius ob identitatem rationis ad
reliquas LL. porrigitur: ita *cit. cap. cùm infirmi-*
tas, esto particulare sit, ac de Medicis tantùm lo-
quatur, ad alias tamen LL. ob rationis identitatem
extendendum est: quia videlicèt absonum est, Le-
ges obligare, antequàm communitati sint sufficien-
ter manifestatæ. Et demus, *cap. cit.* esse particu- 28
lare, nec extendendum; attamen non solum &
unicum est, sed alia sibi concordantia reperit. Nam
in *cap. proposuisti* 2. *v. nam si Dist.* 82. aperta fit
mentio constitutionis de Clericorum incontinentia,
quòd ad *provincias commeaverit*; in *cap. sicut olim* 25. 29
de Accusat. mandatur, ut constitutiones seu *regulæ*
canonicæ in Concilio provinciali *relegantur*; & consti-

tutiones provincialis Concilii in *Epiſcopalibus ſyno-*
30 *dis, annuatim per ſingulas diœceſes celebrandis, pu-*
blicentur; in *cap. quoniam* 40. *de Simonia* Innocen-
tius III. in generali Concilio præcipit, ut conſti-
tutionem de profeſſione ſimoniaca, ibidem relatam,
Diœceſani Epiſcopi ſingulis annis faciant per ſuas
Diœceſes publicari, ne per ſimplicitatem vel ignoran-
31 *tiam aliqui ſe valeant excuſare*; in *cap. ita quorundam*
6. *cap. ad liberandam* 17 *de Judæis* ab eodem Pon-
tifice in Generali Concilio ſancitur, ut conſtitutio,
prohibens communicationem cum Saracenis per ſub-
miniſtrationem armorum & ſimilium, diebus domi-
nicis & feſtivis crebriùs publicetur.
32 Denique, ſi Chriſti Domini exemplum eſt ſecu-
riſſima agendorum regula, bene concluditur, quòd,
ſicut illius authoritate Lex Evangelica, tametſi Je-
roſolymis in die Pentecoſtes ſolenniter promulgata
fuerit, nihilominùs per Apoſtolos in univerſis mun-
di provinciis eſt prædicata & promulgata ex *cap.*
3. *n.* 37. *& ſeqq.* ſic etiam Lex Eccleſiaſtica, tametſi
Romæ ſolenniter promulgata fuerit, in omnibus
provinciis, Eccleſiæ ſubjectis, per Eccleſiarum
Antiſtites promulganda ſit.
33 Opponunt II. Libri & Volumina Juris Romani
Civilis vim obligandi in Germania non habebant,
antequàm in Scholis publicè relecti, ac ex Scholis
in dicaſteria per uſum & praxin delati ſunt. Ergo
nec Libri Juris Canonici & Leges Eccleſiaſticæ, in-
ibi comprehenſæ, vim obligandi haberent, niſi in
Scholas Germaniæ invectæ, publicè fuiſſent ex Ca-
thedra explicatæ, & poſtea ad Curias Eccleſiaſticas
34 traductæ. Adeóque argumentum in *n.* 16. adduc-
tum, potiùs in confirmationem quam everſionem
hujus opinionis deſervit: cùm continua Librorum,
in corpore Juris Canonici exiſtentium, expoſitio,
declaratio, praxis, & uſus vicem promulgationis
ſubeant, & ante expoſitionem in Academiis nulla
illis virtus, nulla vis conſtiterit.
35 Opponunt III. Ipſimet primæ ſententiæ fauto-
res fateri coguntur, plurimas extravagantes Bullas
in Germania & alibi non obligare. Cur ita? Vel
quia ſic habet conſuetudo, ut ejuſmodi Bullæ, non
publicatæ in partibus, non obligent: vel quia Re-
gibus & Principibus privilegium eſſe conceſſum, aſ-
ſerunt, ut Leges Eccleſiaſticæ non ſtringant ante
promulgationem, in provinciis factam. Mezger *cit.*
36 *loc.* n. 12. Laymann *Theol. Moral. l.* 1. *tr.* 4 *cap.* 2. De
Legibus, infirmantibus contractus, inferentibus
cenſuram, & ſimilibus plerique contendunt, illas
non obligare, niſi promulgatas in provinciis, ne cum
publico diſpendio plures contractus reſcindi, aut
cum animarum periculo cenſuras ſæpiùs incurri ne-
37 ceſſe ſit. Ipſum quoque Tridentinum Concilium
(extra Fidei decreta) non obligare in provinciis,
in quibus promulgatum non eſt, idem Mezger &
alii teſtantur. Fuitque hæc antiquiſſima, & plurium
ſæculorum uſu firmata conſuetudo, quòd Leges
tam Conciliorum quàm SS. Pontificum ſingulis pro-
vinciis promulgari conſueverint, uti citatus anteà
Gibalinus *à n.* 7. *uſque ad* 15. per inductionem elegan-
38 ter deducit; pateque noviter tum ex *n.* 13. de Con-
cilio Tridentino & Bulla Cœnæ Domini; tum ex
Bulla Urbani VIII. de Anno 1627. quæ incipit:
paſtoralis, &c. ubi *univerſis & ſingulis Patriarchis,*
Primatibus, Archi-Epiſcopis, & locorum Ordinariis,
& Prælatis, ubilibet conſtitutis, committitur, ut om-
nia, & ſingula, in eadem Bulla contenta, *ſemel in*
anno, aut, ſi expedire viderint, etiam pluries in Ec-
cleſiis ſuis, dum in eis major populi multitudo ad
Divina convenerit, ſolemniter publicent.
39 Quòd verò Regulæ Cancellariæ non ſint in par-
tibus publicatæ ac Romæ ſecundùm Leges ibi-
dem promulgatas cauſæ decidatur, ita ſtylus Cu-
riæ habet, qui extra Curiam non facit jus: cùm
cauſæ beneficiales, & quæcunque extra Curiam
ventilandæ, juxta Commune Jus decidi poſſint,
licèt in Curia diſcutiendæ ſecundùm Curiæ ſtylum
regulentur. Engel *cit. n.* 67.
Ita pro & contra ſe pugnant recenſiti Autho- 40
res; quorum utraque ſententia tanquàm verè pro-
babilis huc uſque judicata eſt, donec Joann. Car-
den. in *Criſi Theologica part.* 1. *tr.* 1. *cap.* 22. *art.* 21.
primus, ut ipſemet fatetur in *n.* 416. docere, non ſit
veritus, poſteriorem, quæ promulgationem in pro-
vinciis exigit, non ampliùs eſſe probabilem, poſt
decretum Alexandri VII. quô damnavit ſequentes
tres propoſitiones. I. *Duplicatum ſtipendium poteſt* 41
Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applican-
dô petenti partem ſpecialiſſimam fructûs, celebranti
correſpondentem, & hoc poſt decretum Urbani VIII.
II. *Poſt decretum Urbani VIII. poteſt Sacerdos, cui*
Miſſa celebranda traduntur, per alium ſatisfacere,
collatô illi minori ſtipendiô, aliâ ſtipendii parte ſibi
reſervatâ. III. *Mendicantes poſſunt abſolvere à*
caſibus, Epiſcopo reſervatis, non obtentâ ad id Epi-
ſcoporum facultate. Ratio, quâ movetur Cardenas, 42
eſt. Illud dicitur improbabile, quod eſt incompa-
tibile cum principio certo. Sed opinio prædicta eſt
incompatibilis cum principio certo, citatô nempe
Alexandri VII. decretô. Etenim damnatio relata-
rum propoſitionum, per decretum facta, ſupponit
tanquàm certũ, eas Leges Pontificias obligare omnes
Chriſti fideles: illa autem opinio ponit, eas Leges
Pontificias non obligare omnes Chriſti fideles, utpo-
te non promulgatas in omnibus provinciis. Ergo ea-
dem damnatio eſt incompatibilis cum prædicta opi-
nione, cujus Authores, dum poſt decretum Ur-
bani VIII. aſſeruerunt, adhuc licere accipere du-
plicia ſtipendia &c. eô nitebantur fundamentô,
quòd non eſſet decretum in provinciis, extra Ro-
manam, promulgatum.
Verum Cardenæ generoſô calamô ſe opponit P. 43
Krimer ad *tit. de Conſtitut.* à n. 159. ac oſtendit, ra-
tionem Cardenæ tantâ emphaſi non pollere, ut po-
ſteriorem ſententiam à gradu veræ probabilitatis
dejiciat. Minor ſiquidem propoſitio rotundè nega-
ri, atque ad illius probationem reſponderi poteſt I.
non eſſe certum, quòd Authores propoſitionum
damnatarum in ea duntaxat ratione ſe fundârint:
quia Decretum Urbani VIII. vel Pauli V. non fuit
in provinciis manifeſtatum: potuerunt namque fun-
damentis aliis opinionem ſuam roborare, ſicuti nun-
quam deſunt plauſibiles prætextus, quibus erronea
quoque placita colorentur. Dici poteſt II. tranſ- 44
mittendô, quòd propoſitiones enumeratæ eam ob
cauſam proſcriptæ ſint, quia illarum Authores pu-
tabant, decreta Pontificia non obligare, niſi pro-
mulgata in partibus. Exinde tamen non ſequitur,
quòd ſententia, docens, promulgationem ad LL.
Pontificias requiri, damnata ſit. Nam plurimæ pro-
poſitiones nigrô ſchemate reperiuntur notatæ, earum
tamen rationes eô ipsô non ferunt nigrum calculũ.
E.G. Inter plures alias propoſitiones, ab Innocentio 45
XI. glorioſæ memoriæ 2. *Martii* 1679. reprobatas,
n. 54. eſt ſequens: *qui non poteſt recitare Matutinum*
& Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil te-
netur: quia major pars trahit ad ſe minorem. Et ta-
men nemo dixerit, rationem, quâ nitebatur illa pro-
poſitio, nempe *quòd major pars trahat ad ſe mino-*
rem, in ſe reprobatam eſſe: cùm ſexcentis aliis ca-
ſibus, puta, commixtione rerum & liquorum, con-
fuſione rei ſacræ & profanæ, electione, & pleriſ-
que actibus ab aliqua Univerſitate geſtis &c. adhuc
verum ſit dicere: *major pars trahit ad ſe minorem,*
cap. quia propter 42. *de Elect. cap. cum in cunctis* 1.
de his quæ fiũt à majore parte &c. cap. quod in dubiis 3.
de

de Consecrat. Eccles. vel alt. l. quod major 19. *ff. ad Municipal.*

46 Non ergo ratio, in qua propositionem rejectarum Patroni vim ponebant, in se rejecta, sed tanquàm malè applicata Pontificiam correctionem, non simpliciter, sed in complexo, meruit. Ideò autem malè applicata fuit: quia propositiones, vel principiis Fidei, vel regulis morum adversæ, non egent promulgatione in provinciis, ut robur amittant: cùm enim Juri Divino & Naturali repugnent, humanâ promulgatione opus non habent, solâ declaratione contentæ, quæ, ubi subditis quomodolibet innotuerit, statim ad paritionem & obsequelam illos adstringit. Neque id mirum videri debet: quandoquidem & humanæ Leges, quando nudè declarantur, promulgatione non egent per *cap. in causis* 19. *de Sent. & re judic. l. ult. in princ. &* §. 1.
47 *Cod. de LL.* Quòd verò propositiones, in n. 41. relatæ, in regulas morum impingant, in dubium haud venire potest. Nam propositio prior de non accipiendo duplicato stipendio non solùm impossibilitatem involvit ratione specialis fructûs, quem tanquàm personalissimum sibi potest & tenetur reservare sacrificans; sed etiam simoniæ obnoxia est. cùm stipendium secundum non pro labore vel obligatione, sed immediatè pro fructu, tanquam re sacra, detur. P. Sbogar *Theol. radicalis tract.* 121. n.
48 60. Altera propositio de non transferendis & quasi vendendis Missarum stipendiis in minore quantitate, quàm accepta sint, involvit turpem quæstum, parit scandalum, minuit Divinum servitium & fervorem, ansam præbet simoniæ, ac intentioni offeren-
49 tium adversatur. Sbogar *cit. loc. n.* 72. Tertia propositio, quòd Mendicantes nequeant absolvere à casibus, Episcopo reservatis, nisi obtentâ ad id Episcoporum facultate, vel ex eo probatur iniqua: quia sinè jure vel privilegio non datur absolvendi potestas: ergo, quia Mendicantes nec jus nec privilegium absolvendi habent à casibus, Episcopo reservatis, vel, si quod habuére, per revocationem Pontificiam antecedenter amiserant, sanè ab-
50 solvere non potuerunt. Et certè, cùm privilegia, præsertim merè gratuita, possint revocari absque solenni promulgatione, dummodò revocatio privatim innotescat: non video, quomodò privilegium absolvendi, semel revocatum, promulgatione in provinciis habuerit opus, ut revocatum fuisse censeri debuerit.

§. III.

De Origine & Processu Juris Canonici.

51 Originem Juris Canonici æquissimô Jure referimus cum P. Engel in *Proœm. Jur. Can. n.* 2. ad Primum & Divinum Legislatorem, Christum Dominum: ex quo enim, consummatô Redemptionis opere, sublatus est in Cœlum Empyreum, & collocatus ad dexteram Patris, unà cum Suprema in spiritualibus Jurisdictione Petro ejusque successoribus Potestatem Legislativam per *cap. translato* 3. *de Constitut.* & ea, quæ paulò post in *sect. seq.* discutiemus, reliquit.

52 Hâc Potestate Princeps Apostolorum Petrus pro re nata mox usus, in adjutorium & consilium cæteros vocavit Apostolos, indixit aliquot Concilia, &, quæ novello Christianorum germini profi-
53 cua videbantur, statuit. Patet hoc I. ex *Actib. Apostol. cap.* 1. ubi Jerosolymis, statim post ascensum Domini, Præsidente Petro, &, congregatis Apostolis cum aliis ferè centum viginti, comproba-
54 ta fuit electio D. Mathiæ, per sortem instituta. Patet II. ex *cit. Actib. Apost. cap.* 6. ubi in eodem loco & anno leguntur convenisse Apostoli & Disci-

puli, qui, ut murmuri Græcorum contra Hebræos obviarent, &, omnium indigentiæ prospicerent, septem Diaconos, & inter hos Stephanum, ordi-
naruot. Patet III. ex iisdem *Act. cap.* 15. & ad 55
Galat. cap. 2. ubi itidem refertur, sub Capite Petro Concilium fuisse coactum, & in eo comparuisse Paulum, Joannem, Barnabam, atque Seniores, sancitumque, ut neo conversi gentiles non circumciderentur, abstinerent tamen ab idolothytis seu oblationibus, quæ fiebant idolis, nec non à sangui-
ne & suffocato. Patet IV. ex sæpe allegatis *Actib.* 56
cap. 21. ubi decreta prioris Concilii, in præsentia Apostolorum Jacobi & Pauli ac Seniorum, confirmata sunt, Judæisque credentibus usus legalium
est permissus. Patet V. ex Ludovico Bailio *Sum-* 57
ma Conciliorum tom. 1. *pag. m.* 131. *& seq.* ubi alias adhuc Apostolorum congregationes fuisse, præsertim eô tempore, quo Apostoli ad prædicandum Evangelium in provincias discesserunt; & quô Virgo DEIpara obdormivit, ac S. Damasceno teste Apostoli, adhuc viventes, & per orbem dispersi, convenerunt, & haud dubiè non pauca, ad Regimen Orthodoxæ Ecclesiæ conducentia, statuerunt, commemorat. Videantur etiam ad propositum Gonzalez in *apparatu Jur. Canon. num.* 31. & P. Plettenberg in *Introduct. ad Jus Can. cap.* 11.
Leges Ecclesiasticæ, & Sacri Canones, quos in 58
hisce Conciliis & alias condiderunt Apostoli, ab initio non statim literis commendati, sed, traditionum instar, in corde fidelium erant servati. Nam, ut Tertullianus, à Gonzalez *d. l. n.* 40. laudatus, ait, *prior fuit anima, quam litera; & sermo prior, quam liber; & prior sensus, quàm stylus.* Horum meminit Sacer Historicus in *Actib. Apostol. cap.* 16. *v.* 4. scribens: *cùm autem* (Paulus & Timotheus) *pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, & quæ erant decreta ab Apostolis,*
& Senioribus, qui erant Jerosolymis. Tandem D. 59
Clemens, Apostolorum Coætaneus, S. Petri Successor & Discipulus, sub nomine *Canonum Apostolorum* primævas Ecclesiæ constitutiones in unum volumen græcè congessit, in latinum posteà versas à Dionysio exiguo, veluti jam suprà in *tract. Præamb cap.* 1. n. 111. relatum, & Canonum Aposto-
lorum authoritas fuit stabilita. Conferatur *cit.* 60
Bail *pag.* 134. *& seqq.* ubi eandem Canonum authoritatem nobiscum firmat, simulque vim & sensum declarat; rejiciens quidem canonem ultimum; tertium verò dividens in duos.
Posthæc, cùm in universo mundo propagata es- 61
set Ecclesia, longè plura fuére celebrata Concilia; iterata & frequentata Conciliorum & Pontificum decreta; petita & edita rescripta; è quibus multiplices Canonum & Legum Ecclesiasticarum Compilationes in lucem emerserunt. Revideatur *cit. tract. Præambulus cap.* 1. à *n.* 43. ubi susiùs de hujusmodi compilationibus & earum efficacia Legali disserit.

SECTIO II.

De Causa Efficiente Juris Canonici, seu Legislatore Ecclesiasticô.

SUMMARIA.

62. *Leges Ecclesiasticas condit Legislator Ecclesiasticus.* 63. *Sanctus Pontifex habet potestatem Legislativam immediatè à DEO.* 67. *& seqq. Potest illam statim post electionem exercere.* 71. *& seqq.*

seqq. Independenter à consilio Cardinalium. 76. *& seqq. Intra & extra Concilium generale.* 81. *& seqq. Describuntur & distinguuntur varia Concilia.* 86. *& seq. Concilia generalia ferunt generales Leges.* 88. *& seqq. Si authoritate Pontificiâ sint congregata, & approbata.* 91. *& seq. In casu schismatis Concilium fert Leges solùm pro necessitate.* 93. *& seqq. Concilia alia ferunt Leges pro suis particularibus Nationibus, Provinciis, aut Diœcesibus.* 97. *& seqq. Cardinales statuunt Leges pro suis titulis.* 101. *& seqq. Episcopi & alii Prælati pro suis districtibus.* 104. *De Capitulis Cathedralibus semissivè.* 105. *& seqq. Prælati Regulares pro suis Conventibus statuta faciunt.* 114. *& seqq. Laudabiles tamen consuetudines tollere haud possunt.* 117. *Abbatissa hâc potestate non pollent.*

§. I.

De Potestate Legislativâ Summi Pontificis.

62 CAusa Efficiens Legum Ecclesiasticarum est Legislator Ecclesiasticus. Ubi præ omnibus eminet S. Pontifex: circa quem

63 Dico I. S. Pontifex potestatem Legislativam immediatè à DEO concessam habet. Conclusio est Catholica & de Fide. Suarez de *LL. lib. 4. cap. 3. n.* 10. Reding de *LL. q. 16. art. 1. controv. 1. n.* 10. Mezger *disp. 34. art. 1. n.* 11. Gibalinus *l. 5. cap. 3. quæst. 3. §. 3. & 13.* Patet I. ex illo Matthæi 16. v. 19. *tibi dabo claves; quodcunque ligaveris &c.* & illo Joannis 22. v. 17. *pasce oves meas. II.* ex *cap. in novo testamento 2. cap. quamvis 3. Dist.* 21. III. ex *cap. si Romanorum 1. cap. sic omnes 2. Dist. 19. cap. cùm beatissimus 16. cap. loquitur 18. XXIV. q.* 1. IV. ex ratione; quia S. Pontifex est Vicarius Christi, *cap. novit. 13. de Judic.* non ab homine, sed DEO constitutus. Sicut ergo DEUS, sic à DEO S. Pontifex potestatem Legislativam concessam habet.

64 Nec sufficit dicere: ax allatis textibus & ratione tantummodò probari, quòd S. Pontifex regendi, non etiam Leges ferendi potestatem à DEO sit adeptus. Nam potestas ligandi amplior est, quàm ut constringatur ad solum regendi munus: ipsúmque Legis vinculum videtur esse illa ligatura, quam
65 S. Pontifex in terra pro suo facit arbitrio. Ex quo enim Superior, Rector, & Caput est fidelium, est quoque Legislator per *cap. 3. de Constitut.* ibi: *translatô Sacerdotiô necesse est, ut Legis translatio fiat.* Quia omnis communitas perfecta requirit potestatem Superiorem, non qualem qualem, sed Legislativam, uti inferiùs *cap. 7. sect.* 2. dicemus.
66 Quapropter in *cap. sic omnes 2. cit. Dist.* 19. pulcherrimè Agatho Papa, *sic omnes*, ait, *Apostolicæ Sedis Sanctiones accipiendæ sunt, tanquàm ipsius Divini Petri voce firmata sint.* Et Stephanus Papa in *cap. enimverò 4. eâd. Dist. quia in speculum*, inquit, *& exemplum S. Romana Ecclesia, cui nos Dominus præesse voluit, proposita est, ab omnibus, quidquid statuit, quidquid ordinat, perpetuò & irrefragabiliter observandum est.* Et Innocent. III. in *cap. quanto 3. de Translat. Ep.* non *humanâ, sed Divina potiùs authoritate dissolvi*, asseverat, *quæ Romanus Pontifex (qui non puri hominis, sed DEI vicem gerit in terris) Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensatâ, dissolvit.* Conferantur etiam textus in *cap. sunt quidam 6. XXV. quæst. 1. cap. ult. de Constitut.*

67 Dico II. Romanus Pontifex, legitimè electus, absque ullâ confirmatione, consecratione, vel coronatione, potestatem Legislativam exercere potest. Bellarminus, Turrecremata, Barbosa & Interpretes ad *cap. in nomine 1. Dist.* 23. ubi Nicolaus II. in Concilio Lateranensi ita decernit: *electus tamen, sicut verus Papa, obtineat auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam, & disponendi omnes facultates illius: quod beatum Gregorium ante suam consecrationem fecisse, cognovimus.* Idem statuitur in *Extravag. ult. de Sent. excommunicat. inter commun.* Ratio est: quia Romanus Pontifex, cùm Su- 68
periorem in terris non revereatur, confirmatione opus non habet, sed, quamprimùm legitimè & canonicè electus est, Divinâ authoritate, tanquàm Verus Christi Vicarius & D. Petri successor, potestatem Ecclesiasticam nanciscitur. Cardinales si- 69
quidem, non ut Canonici Episcopo, jus aliquod S. Pontifici per electionem tribuunt, sed nudam personam designant, in quam immediatè DEUS Supremam Ecclesiæ potestatem transfert *cap. licet 6. de Elect.* & ibi Gonzalez *n. 15. cap. per venerabilem 13. Qui filii sint legit.* Neque consecratio quid- 70
piam de Jurisdictione confert, sed Ordinis duntaxat potestatem indulget. Minùs coronatio aliquid præstat, cùm magis cæremonialis, quàm substantialis sit.

Dico III. Romanus Pontifex Legem Ecclesia- 71
sticam universalem independenter à Cardinalium consilio ferre potest. Abbas in *cap. ex gestis 2. de Cleric. non residens.* 4. Felinus in *rubr. de Constitut. n.* 2. Suarez *d. l. n.* 14. Reding *l. c. n.* 11. Card. de Luca in *Relation. Curiæ disc. 3. n. 31. & seqq.* Ra- 72
tio est: quia Romanus Pontifex eandem obtinet potestatem, quam obtinuit S. Petrus *Extravag. unam sanctam 1. de M. & O. inter commun.* Sed D. Petrus habuit potestatem condendi Leges independenter à consilio Cardinalium: illius enim ætate necdum erat erecta Cardinalium dignitas; & Apostoli, licèt in ministerium & adjutorium Petri fuerint assumpti, non tamen in plenitudinem vel consortium Summæ Potestatis, uti proxima docebit conclusio. Ergo &c. Videatur *cap. ipsi sunt 16. & seqq. IX. quæst.* 3.

Quòd autem in Constitutionibus Pontificiis sæ- 73
piùs occurrat hæc clausula: *de fratrum nostrorum consilio*; nullam necessitatem adhibendi ad constitutionis valorem Cardinales, sed majorem deliberationem, & rei constitutæ ponderationem denotat.
Et quamvis in aliquibus actibus Pontificia potestas 74
quodammodò restricta videatur ad consilium vel consensum Cardinalium, uti deducitur ex Constitutione Pii V. de non-infeudando; & in altera Sixti V. super usu pecuniæ, existentis in Arce S. An- 75
geli: attamen, ut notat Card. de Luca *cit. l. n.* 35. id provenit vel ex virtute juramenti, spontaneè præstiti; vel potiùs ex Potestate temporali, quæ competit Pontifici non quà tali, sed quà Principi Politico.

Dico IV. Pontifex Maximus extra Concilium 76
Generale Leges universales pro tota Ecclesia potest præscribere. Ita non solùm Authores illi, qui cum receptissima extra Galliam sententiâ docent, Pontificem esse supra Concilium, sed etiam contrarii, prout ostendit per multa folia Gibalinus *ubi supra §. 7. §. 13. & 14.* Deducitur conclusio 77
hæc ex prima. Cùm enim Pontifex Maximus Jurisdictionem suam immediatè nactus sit à DEO; neque in exercitio illius à Concilio pendeat, utpote quod ab ipsomet Pontifice congregari & approbari debet *cap. significasti 4. de Elect.* nec continuò, & quoties exposcit Ecclesiæ utilitas vel necessitas, convenire potest, veluti graviter expendit Eminentissimus noster Cardinalis Sfondrati in *Regali Sacerd. lib. 2. §. 15. n. 1.* potest profectò idem Romanus Pontifex separatim à Concilio Leges universales præscribere. Adhæc, cùm in Regimine 78
Monarchico potestas Legislativa penes unum Principem

cipem resideat: cur in Ecclesia, cujus regimen
Monarchicum esse, ex Monarchiæ præstantia, diuturnitate, & utilitate egregiè demonstrat præcitatus Card. cod. lib. §. 13. n. 1. Summus Princeps & Pontifex potestate Legislativâ solus non præcellat?

79 Legitur quidem *Matthæi* 18. v. 18. Christus omnibus Apostolis dixisse: *quæcunque alligaveritis super terram &c.* & *Joannis* 20. v. 21. *sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Exinde tamen perperam infertur, communem Apostolis cum Petro Jurisdictionem indultam, & potestatem Petri Legislativam Apostolorum Concilio & consilio fuisse
80 alligatum. Nam, ut acutè citata Scripturæ loca disquirit Card. Sfondrati *d. lib.* 2. §. 4. *n.* 2. *circa fin.* ibi potestas ligandi atque solvendi Apostolis eorumque in officio Successoribus limitatè tantùm pro suis determinatis Ecclesiis collata fuit, claves verò totius Regni Cœlorum nulli quàm Petro Petrique Successoribus sunt commissæ. Sicut autem, ait ille, aliud est, claves ærarii, aliud pecuniam ex ærario habere: quia illud plenitudinem, hoc portionem tantùm potestatis ostendit: ita aliud est, claves habere Regni Cœlorum, aliud potestatem ligandi & solvendi; hoc enim partem, illud totum significat. Hucque collimant textus in *cap. in nova* 2. *& seq. Dist.* 21. *cap. quodcunque* 6. *cap. non turbatur* 7. *cap. rogamus* 15. *cap. cùm beatissimus* 16. *XXIV. q.* 1.

§. II.

De Potestate Legislativâ Conciliorum.

81 Concilium, sive à consulendo, sive à considendo dictum, est conventus publicus, ad tractandum de rebus Ecclesiasticis institutus. Aliud est Universale, seu Oecumenicum; aliud Nationale, aliud Provinciale, aliud Diœcesanum. *Universale* est conventus Præsulum, Ecclesiæque totius Pastorum, legitimâ authoritate indictus, confirmatusque, ad majora Fidei & Religionis definienda negotia. Eminentiss. Sfondrati *Regal. Sacerdot. lib.* 2.
82 §. 1. *n.* 1. Sicut enim ob publicas communesque omnium civium & Reipublicæ necessitates convocantur à Principe Comitia generalia; sic, cùm Fidei, quæ omnium Christianorum commune est bonum, periculum & bellum impendet, omnium Ecclesiarum Pastores evocantur, communem causam
83 communi votô acturi. Idem Cardinal. *ibid.* *Nationale* est conventus, à Papa vel Patriarcha aut Primate, convocatus totius Nationis, Regni, aut plurium Provinciarum Archi- & Episcopis, cele-
84 bratus. *Provinciale* est conventus, ad quem omnes Suffraganei Episcopi, Abbates, & Clerici totius Provinciæ ab Archi-Episcopo seu Metropo-
85 litano citati conveniunt. *Diœcesanum* est conventus, quem indicit Episcopus Capitulo Cathedrali, Abbatibus & Clericis suæ Diœcesis. Ut pateat, qualem Concilia in LL. ferendis authoritatem habeant,

86 Dico I. Concilia Generalia generales Leges condere possunt, si authoritate Summi Pontificis congregata, & approbata fuerint. DD. Catholici unâ voce & mente. Constat ex *Act. Apostol. cap.* 15. & *ex cap. Canones* 1. *&* 2. *seqq. Dist.* 15. item ex *l. nemo* 4. *l. cognoscere* 7. §. 4. *Cod. de SS. Trin.* ubi Imperatores Marcianus & Justinianus Catholicam suam de Conciliorum veneratione mentem apertè
87 profitentur. Rationem hujus conclusionis dat Card. Sfondrati *d. lib.* 2. §. 2. *n.* 1. *&* 2. quia ex Juris tam Divini quam Naturalis præceptô æquè Ethnicis quàm Christianis semper in more positum erat, ut in rebus arduis ad plurium opem & consilia se verterent, ac, quod communi consensu placuerat, pro Lege haberetur.

Dixi tamen: *si authoritate S. Pontificis congregata, & approbata fuerint.* Nam Concilia, quæ pro- 88
priô motu coalescunt, dicuntur Acephala, hoc est, Corpus sinè Capite; dicuntur etiam conventicola & conciliabula, ut loquitur Pelagius II. in *cap. multis* 5. *Dist.* 17. quia membra, quantumcunque unita, vigorem non habent, nisi à motu & influxu capitis. Vide *cap. Synodum* 1. *& seqq. cit. Dist.* 17.
Concilia verò, quæ S. Pontificia authoritate qui- 89
dem congregata, non tamen approbata sunt, ex eadem ratione destituuntur robore & vigore, dum ab alio, quàm S. Ecclesiæ Principe, potestas ligandi respectu totius Ecclesiæ nequit exerceri: *cùm*, (verba sunt Paschalis in *cap. significâsti* 4. *de Elect.*) *omnia Concilia per Romani Pontificis authoritatem,*
& facta sint, & robur acceperint. Et hinc provenit, 90
quòd ex plurimis Oecumenicis Conciliis octodecim duntaxat ex toto sint authentica: quia non plura Sedis Apostolicæ authoritate sunt approbata. Nempe Nicænum I. & II. (à quo Sardicense non videtur esse diversum, ut scribit Plettenberg in *Introduct. ad Jus Can. cap.* 13. *pag. m.* 170.) Constantinopolitanum I. II. III. & IV. Lateranense I. II. III. IV. & V. Lugdunense I. & II. Ephesinum, Calcedonense, Viennense, Florentinum, Tridentinum. Nam Constantiense, & Basileense partim approbata, partim non approbata sunt. Videatur cum Bellarmino de *Concil lib.* 1. *cap.* 5. Franciscus Antonius Phœbeus *Instit. Juris Can. tit. Præm.* à *n.* 8. & Plettenberg *cit. cap.* 13. *& cap.* 14.

An verò Concilium in casu schismatis vel Sedis 91
diu vacantis facere possit Leges Ecclesiasticas? Quæris. Et resp cum P. Suarez de *LL. lib.* 4. *cap.* 6. n. 4. P. Mezger *d. disp.* 34. *a.* 1. n. 14. & aliis: Concilium posse quidem Leges Ecclesiasticas condere, in quantùm exigit temporum necessitas; non aliter tamen habituras efficaciam, & durationem, nisi à
Successore Pontifice confirmentur. Ratio est: 92
quia absolutam potestatem Concilium tunc neque a Summo Pontifice habet, cùm nullus adesse supponatur; neque à DEO, utpote de quo nulla Lex vel traditio extat. Ergo habet à Jure Naturæ, in quantùm cuilibet corpori mystico conceditur, ut in defectu Capitis seipsum congregare, suóque bono prospicere possit.

Dico II. Concilia Nationalia potestatem habent 93
condendæ Legis pro Natione; Provincialia pro Provincia; Diœcesana pro Diœcesi. Suarez *d. l. n.* 8. Sant-Gallenses de *LL. sect.* 3. *q.* 1. *f.* 89. & communis. Habetur conclusio in *cap. Catholica* 8 *Dist.* 11. *cap. Concilia* 6. *Dist.* 17. *cap. ult. & fere tota Dist.* 18.
Concil. Trident. *Sess.* 24 *de Reformat. cap.* 2. Ra- 94
tio est: quia potestas Legislativa ad tantum spatium extenditur, ad quantum Jurisdictio. Ergo, cùm Jurisdictio Concilii Nationalis Natione; Provincialis Provincia; Diœcesani Diœcesi concluditur, concluditur quoque hisce limitibus pote-
stas Legislativa. Neque, ut suos intra fines con- 95
stitutiones talium Conciliorum obligent, approbatio Pontificia requiritur: tum quia in Concil. Trident. *cit.* disertè jubetur, ut, quæ à Concilio Provinciali ordinata fuerint, observentur: tum quia Concilia præfata unà cum Jurisdictione in suis territoriis potestatem Legislativam accepisse videntur.
Dummodò contra Jus commune SS. Canonum nil 96
statuatur, aboleatur, aut abrogetur per *cap. si quis* 2. *de M. & O. cap. ult. de Constit. in* 6. Suarez *cit. l. n.* 10. Pettschacher de *LL. quæst.* 4. *art.* 3. *f.* 93. Card. de Luca de *Jure patron. disc.* 67. *n.* 12.

§. III.

De potestate Legislativâ Cardinalium, Episcopor. & Prælator. majorum.

97 Dico I. Cardinales in suis Titulis particularia
statuta promulgare valent. Reding *d. q.* 16. *a.* 2.
controv. 2. *n.* 25. Sant-Gallenses *cit. l. f.* 90. Colli-
gitur non solùm ex *cap. his quæ* 21. *de M. & O.* ubi
Cardinalibus in suis titulis Ordinaria Jurisdictio
tribuitur; sed etiam & multò magis ex concordi
98 ferè DD. opinione, docentium, quòd illa Juris-
dictio sit quasi-Episcopalis. Card. de Luca de *Ju-
risdict. disc.*34. n.8. *& seqq.* ideóque tam potens ad
LL. ferendas, quàm Episcopalis.
99 Dixi: *pro suis Titulis.* Quòd enim pro tota Ec-
clesia, etiam vacante Sede Apostolicâ, nequeant
Cardinales, collectivè sumpti, Leges condere,
præter dicta in n. 48. de Concilio Generali, con-
tra Archi-Diaconum, quem & alios citat, & rejicit
Suarez *d. cap.* 6. *n.*5. *&* 6 probant textus in *cap. ubi
periculum* 3. *de Elect. in* 6. *Clem. ne Romani* 2. *in pr.
eod.* ubi dilucidè decernitur, Jurisdictionem Roma-
ni Pontificis post obitum ad Cardinales non devol-
100 vi. Ideò nempe: quia nec à Cardinalibus in Pontifi-
cem, solius Christi Vicarium, adminiculante elec-
tione transfertur; nec à Pontifice decedente, velut
personalissima, in Cardinales devolvitur.
101 Dico II. Episcopi, & Prælati Superiores, velu-
ti Archi-Episcopi, Primates, Patriarchæ. Consti-
tutiones Ecclesiasticas pro suis particularibus Ec-
clesiis ordinare valent. Reding *d. l.* 1. *n.* 15. Pertſ-
chacher *cit. q. art.* 3. *concl.* 3. Sant-Gallenses *d. l.*
Textus bonus *in cap. si quis* 2. *de M. & O. cap. ult.*
102 *de Constitut. in* 6. Et ratio ex *cap. duo simul.* 9. *cap.
conquerente* 16. *de Off. Jud. Ord.* ubi Jurisdictio ordi-
naria, ac magna cum latitudine Episcopis concessa
esse, dicitur: hocque conformiter Divinæ conces-
sioni apud Matthæum *cap.* 18. *quidquid alligaveri-*
103 *tis &c.* & dictis supra in *n.* 74. Attamen & hic illa
limitatio, quæ habetur in *n.* 96. ne scilicèt ejusmo-
di Leges adversentur Juri communi, repetenda erit.
Card. de Luca *Miscellan. disc.* 7. *n.* 18. *inf.*
104 Qualem potestatem habeant Capitula Cathedralia
Sede vacante vel aliàs? An & quas Leges possint
decernere? Docebit *cap. sicut* 27. *de Jurejur. cap.
contingit* 1. *eôd. in* 6. ubi Passerinus in *Commentar.
cap.* 3. *&* 4. *de Suppl. neglig. Præl. eod. in* 6. Card.
de Luca *de Canonicis discursu* 13. 17. 19. 21. Re-
ding *d. q.* 16. *a.* 1. *contr.* 2. *n.* 28. Suarez *d. cap.* 6. *n.*
22. *&* 24. Wiestner ad *tit. de Elect. n.* 160.

§. IV.

De Potestate Legislativâ Prælatorum Regularium.

105 Ordines Religiosos potestate Legislativâ vel
statutariâ (non tamen contra Jus; Card. de Lu-
ca de *Regular. disc.* 42. *num.* 13.) præditos esse,
quotidiana monstrat observantia: dum circa Or-
dinis sui disciplinam, vel in meliùs reformandam,
vel in suo flore conservandam, varias ordinationes
proponunt.
106 In quonam verò subjecto potestas illa resideat;
in Prælatis localibus, vel provincialibus, vel in to-
to Ordine? In genere propterea definiri nequit:
quia pro multifaria Ordinum distinctione distinc-
ta regendi & imperandi forma reperitur. Cla-
riss. P. Wex in *Epitome Canon. de Prælat. Regu-
lar. p.* 2. *cap.* 6. *numer.* 14. Si verò in specie lo-
qui velimus de illis Ordinibus, qui ex primæva
sui institutione eam unionem & subordinationem
Monasteriorum non habent, quam Ordines Men-
dicantium,
Dico I. Prælati Regulares locales possunt sta- 107
tuta condere, quæ ad Regularem disciplinam con-
ducunt, primævum tamen Regulæ rigorem non
intendunt. Reding *d. contr.* 2. *nu.* 26. Reverend.
DD. Guetrather *Instit. Jur. Can. lib.* 1. tit. 3. *n.* 34.
Ratio est: quia Prælati & Abbates Regulares lo- 108
cales Ordinariam Jurisdictionem in subditos Regu-
lares acceperunt, per tradita Barbosæ *J. E. V. lib.*
1. *cap.* 17. *n.* 72. & textus complures in *cap. cùm
in Ecclesiis* 10. *de M. & O. cap. cùm ab Ecclesiarum*
3. *cap. quantò* 7. *de Off. Jud. Ord.* P. Engel. de *Pri-
vileg. Monast. privil.* 48. Neque in exercitio hu- 109
jus jurisdictionis à toto Ordine, Visitatore, vel
Præside dependent per *cap. nullam* 9 *XVIII. q.* 2.
ibi: *ut de cæteris fideliter & studiosè universa, quæ
vel ad Divini cultûs reverentiam, vel ad utilitatem
ejusdem Monasterii pertinent, Abbatis solicitudo,
ad quem potestat tota pertinere convenit, debeat ad-
implere.* Ergo vi Jurisdictionis suæ independen-
ter à totius Ordinis, Visitatoris, aut Præsidis as-
sensu, Prælati statuta Regularia secundùm Regu-
lam possunt condere.
Quòd autem Tamburinus noster *tom.* 3. *de Jure* 110
Abbat. disp. 3. *quæst.* 1. *& cit.* Wex *n.* 15. in diver-
sam semitam deflectant, non est, quod offendicu-
lum nostræ conclusioni faciat. Prior enim Reve-
rendissimus Author supponit, in aliis Congrega-
tionibus æquè ac in sua Montis Oliveti, præesse
Supremum aliquod Caput & Abbatem Generalem,
in quem tota Regularis potestas transfusa, & ab eo
in Prælatos inferiores derivata sit: posterior verò 111
Clarissimus Doctor differit de Provincialibus, Guar-
dianis, Rectoribus; adeóque de Superioribus ex
Ordine Mendicantium, ubi sub uno Capite totum
Corpus dirigitur. Neuter ergo in sensu conclusio-
nis nostræ placitum suum defendit.
Duo verò hic monenda sunt. Primum est: ne 112
multitudine Legum subditi Regulares quasi obruan-
tur. Nam ipsa multitudo impossibilitatem inducit,
uti S. Thomas 2. 2. *q.* 105. *a.* 2. *ad* 3. (ut habet
Magnific. Pertſchacher *d. q.* 4. *art.* 8. *f.* 223.) do-
cet, ibi: *dicendum, quòd nullus obligetur ad impos-
sibile. Et ideò si tot præcepta Prælatus aliquis inge-
rat, seu injungat, quòd subditus ea implere non pos-
sit, excusatur à peccato; & ideò Prælati abstinere de-
bent à multitudine præceptorum.* Alterum est: ut 113
ejusmodi statuta cum consensu, vel saltem consilio
Capituli & Conventûs ordinentur *arg. cap. quantò*
5. *de his quæ fiunt à Prælat. sine cons. Capit.* ubi Pa-
normitanus *n.* 4. *&* 5.
Dico II. Prælati Regulares locales nequeunt 114
condere statuta, quæ rationabiles & laudabiles con-
suetudines, contra primævum Regulæ rigorem ha-
ctenùs toleratas, abrogent. Caram. in *Reg. S. B.
pag.* 318. n. 1059. P. Engel ad *tit. de Constit. n.* 24.
D. D. Guetrather *cit. l. num.* 23. P. Wenzl *de LL.
quæst.* 4. §. 3. *in Corollar.* Ratio est: quia, qui 115
Religionem in certo loco profitetur, non profite-
tur obedientiam præcisè secundùm apices Regulæ,
sed juxta temperatam loci consuetudinem. Ergo,
licèt Prælati habeant jus imperandi secundùm Re-
gulam, non tamen habent jus imperandi contra
consuetudinem, quâ Regulæ severiores articuli ra-
tionabiliter mitigati sunt. Neque dubium est, 116
quin contra Regularia statuta prævalere possit con-
suetudo. Cùm enim statuta sint, ab homine lata,
perinde ac Leges aliæ humanæ consuetudinis vicis-
situdini subsunt; eô minimè attentô, quòd obliga-
tio votorum ex Jure Divino pullulet: nam votum
non obligat, nisi secundùm intentionem & mentem
voventium; qui in dubio tum Juri communi, tum
consue-

consuetudini, à Jure probatæ, se se conformâsse
censentur.

117 Dixi in utraque conclusione: *Prælati Regnlares.*
Nec gratis dixi Nam quia Abbatissæ non dicun-
tur Prælatæ, ut loquitur Illustriss. Reding *d.contr.*
2. n. 28. utpote cùm Jurisdictionem Ecclesiasti-
cam & spiritualem non habeant *cap. nova* 10. *&*
ibi DD. de Pœnitent. & remiss. hinc nulla statuta
Regularia condunt, sed præcepta solùm, haud ali-
ter atque aliæ matresfamilias, subjectis Moniali-
bus imponunt. Sylvester in *Summa* in *V. Abbatis-*
sa n. 1. Emmanuel Rodriguez *Quæst. Regular.*
tom. 1. q. 12. art. 2.

SECTIO III.

De Subjecto Juris Canonici.

SUMMARIA.

118. *Legibus Ecclesiasticis tenentur subditi.* 119. *Rationis capaces.* 120. *& seq. Cujuscunque sint conditionis.* 122. *& seq. Etiam hæretici.* 124. *& seq. Non tamen infideles.* 126. *& seqq. Sententia contraria disquisitioni subjicitur.* 130. *& seqq. Leges Ecclesiasticæ, Divini vel Naturalis Juris declarativæ, æquè Græcos ac Latinos stringunt.* 134. *& seqq. Non item, quæ purè sunt humanæ.* 137. *Nisi jam ante recessum ab Ecclesia sint promulgatæ.* 138. *Diversa Legis virtus.* 139. *& seq. S. Pontifex non obligatur suis LL. vi coactivâ.* 143. *& seq. Opponitur & solvitur* cap. 41. II. q 7. 145. *& seqq. Neque vi directivâ directè.* 148. *& seq. Quidquid alii contradicant.* 152. *Diversimodè potest aliquis esse in loco.* 159. *Qui neque moraliter neque physicè in loco est, non obligatur Legibus localibus.* 160. *& seq. Disparitas inter præceptum & Legem indicatur.* 162. *& seq. Etiam Leges universales aliquis non tenetur servare, si in loco transitûs non sint in usu.* 164. *& seqq. Discutitur, an liceat egredi è territorio, tantum ut Legis observantia declinetur?* 167. *& seqq. Qui saltem moraliter est in territorio, alligatur illius Legibus.* 170. *Qui transit per locum, subjicitur ejus Legibus.* 171. *& seqq. Multifariæ probationes, & eversiones responsionum oppositarum.* 186. *& seqq. Tres objectiones formantur, & reformantur.* 195. *& seq. Exempti Legibus localibus indirectè solùm tenentur.* 199. *& seqq. Vagabundi singulorum locorum statuta observare debent.*

§. I.

Quinam teneantur Legibus Ecclesiasticis Universalibus? Et, an Infideles & Hæretici?

118 Subjectum Legum Ecclesiasticarum sont illi, qui
Legislatori Ecceliastico sunt subditi, ac usum ra-
tionis habent. Duo itaque requiruntur ad hoc, ut
Lege Ecclesiasticâ quis teneatur. I. ut sit subditus
vel quasi: cùm potestas præcipiendi in Superiore
supponat tanquàm correlativum in inferiore obli-
119 gationem parendi, adeóque subjectionem. II. ut
sit capax rationis: quia Lex Ecclesiastica, utpote
moralis & directiva actuum humanorum regula, ne-
qnit actus illorum, qui defectu rationis directionem
haud ferunt, dirigere. Hôc suppositô,

120 Dico I. Legibus Ecclesiasticis universalibus om-
nes Christiani, cujuscunque sexûs, conditionis, &
dignitatis sint, obstringuntur. Ita *cap. Canonum 1.*
de Constitut. cap. omnes Principes 4. de M. & O. Ex-
travag. unam sanctam 1. eod. inter commun. cap. no-
vit. 13. de Judic. Magnif. Stadlmayr de *LL. cap.4.*
th. 7. Ratio est: quia, dum Apostolo Petro totius 121
Ecclesiæ cura est concessa, ac omnium ovium salus
concredita, non potest ab imperio Legum Eccle-
siæ universalium se subtrahere, nisi qui extra aut
supra Ecclesiam semet constitutum inani cogitatu
finxerit. Ergo sinè differentia sexûs & conditio-
nis, Supremi & infimi, mares & fœminæ, S. Pon-
tifici, Legem universalem promulganti, obedien-
tiam præstare tenentur.

Dico II. Hæretici ab observantia Legum Eccle- 122
siasticarum non sunt immunes. P. Engel ad *tit. de*
Constitut. n. 16. P. Konig *ibid. n. 12.* P. Wiestner
n. 98. P. Reiffenstuel *n. 274.* Textus in *cap. de Ju-*
dæis 5. Dist. 45. Ratio est: quia, quicunque sacrô 123
Baptismatis fonte expiantur, januam Ecclesiæ in-
grediuntur, ac Christo ejusque Vicario subjiciun-
tur. Atqui hæretici per Baptismi lavacrum in Ec-
clesiam ingressi sunt. Ergo Christo ejusque Vicario
subjecti, immunitatem à Legibus Ecclesiasticis non
merentur ex eo, quòd refractarios sese exhibeant,
ac Imperium S. Pontificis aspernentur: absurdissi-
mum quippe foret, ideò subditos eximere à Lege,
quia Legem & Legislatorem Vatinianô, ut ajunt,
odiô prosequuntur.

Dico III. Infideles, quales sunt Judæi, Sara- 124
ceni, Ethnici, Machometani &c. *LL.* Ecclesiasti-
cis non subjiciuntur. Suarez *d. l. 4. cap. 19. n. 2.*
Gonzalez in *cap. Canonum 1. de Constitut. n. 8.* Tex-
tus in *d. cap. de Judæis, cap. gaudemus 8. cap. ult.*
de Divort. cap. de Infidelibus 4. de Consanguinitat. &
affinit. cap. multi 18. II. q. 1. Concil. Tridentin. *Sess.*
14. de Reformat. cap. 2. Ratio est: quia in infidelibus 125
deficit Jurisdictio Ecclesiastica: quippe quæ non
exercetur nisi in illos, qui per characterem Baptisma-
lem Christianô nomine insigniti, Christo & ejus
Vicario subsunt. *Quid enim*, ait Apostolus *1. ad*
Corinth. 5. v. 12. mihi de iis, qui foris sunt?

Diversus à communissima hac sententia est Fag- 126
nanus in *d. cap. Canonum à n. 64.* ubi sic arguit:
cùm Christus plenam receperit potestatem, juxta
illud Psalmi: *DEUS judicium tuum Regi da*; non
videretur diligens paterfamilias, nisi Vicario suo,
quem in terra dimittebat, plenam potestatem super
omnes dimisisset. Item Petro & Successoribus 127
ejus dedit claves Regni Cœlorum, & dixit: *quod-*
cunque ligaveris &c. Item alibi: *pasce oves meas*
&c. Omnes autem tam fideles quàm infideles oves
sunt Christi per creationem, licèt non sint de ovili
Ecclesiæ; & sic per prædicta apparet, quòd Papa
super omnes habeat Jurisdictionem & potestatem
de Jure, licèt non de facto. Indéque in *n. 97.* 128
infert: quòd omnis anima, sive fidelis, sive infidelis
sit, ligetur Apostolicis statutis: quia forum sortiri,
& statutis ligari, à pari procedunt per *cap. ult. de*
Constit. in 6.

Sed, si bene percipio, hæc Fagnani argumen- 129
tatio, cùm in textibus generalibus tantùm solidata
sit, contra nostram conclusionem, quæ in textibus
specialibus est fundata, nil virium aut roboris ha-
bet. Tametsi enim ovium suarum curam indeter-
minatè & generatim S. Pontifici demandârit Sal-
vator: attamen non alias oves intellexerat, ac quæ
de ovili Christiano sunt. Tales autem non sunt in-
fideles, sed soli fideles baptizati, uti ipsemet Apo-
stolus *cit. loc.* confessus est. Ergo soli fideles Ju-
risdictionem & Leges Pontificias venerari tenen-
tur; infideles autem sunt liberi.

§. II.

§. II.

An Græci teneantur Legibus Ecclesiæ Latinæ?

130 Hanc quæstionem movet Panormitanus ad *cap.*
Canonum 1. *de Constitut. n.* 8. indecisam tamen re-
linquens. Lectorem ad Glossam in *cap. de libellis*
1. *Dist.* 20. *in fin.* remittit; Glossa autem in *verb.*
convincitur negativè respondet ex duplici ratione:
vel quia Græci constitutiones Ecclesiasticas, licèt
non spernant, tamen non recipiunt; vel quia eo-
rundem consuetudinem Papa approbare videtur.
Ego distinguo inter Leges purè humanas, & de-
clarativas Juris Divini vel Naturalis, &

131 Dico I. Leges Ecclesiasticæ, Juris Divini vel
Naturalis declarativæ, æquè Græcos ac Latinos
stringunt. Reverendiss. D.D.Petrus Guetrather *Inst.*
*J. C. J. lib.*1.*tit.*3.*n.*41. Ratio est: quia Lege Divinâ
& Naturali sinè discrimine nationis aut conditionis
omnes tenentur. Ergo etiam Lege declarativâ Ju-
ris Divini vel Naturalis: quia Lex declarativa non
tam nova Lex est, quàm antiquæ Legis major ex-
plicatio. P. König ad *tit. de Const. n.* 7. *in fin.* Con-
132 firmatur. Si Pontifex articulum fidei, antehac in-
ter Professores & Doctores ambiguum, decernat,
utique Græcos non minùs quàm Latinos habebit
ad obsequendum obstrictos: ex quo enim fides est
una, nec alia apud Græcos, alia apud Latinos, in
decreta fidei unitis viribus & Græci & Latini ju-
133 rare debent. *Ecclesia una est*, ait D. Cyprianus in *c.*
loquitur 18. *XXIV. q.* 1. *quæ in multitudinem latiùs*
incrementô fæcunditatis extenditur: quomodò solis
multi radii, sed lumen unum; & rami arboris multi,
sed robur unum tenaci radice fundatum; & cùm de
fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licèt dif-
fusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas ta-
men servatur in origine. Succinit Cypriano Gre-
gorius, Gregorio Ambrosius, Ambrosio Hierony-
mus, Hieronymo Venerabilis Beda in *cap. omnibus*
20. *& seqq. d. XXIV. q.* 1.

134 Dico II. Leges Ecclesiasticæ purè humanæ, mo-
dernis temporibùs latæ, non obstringunt Græcos.
Sic citata superiùs Glossa & Azor, quem citat, &
sequitur Guetrather *d. tit.* 3. *n.* 40. Ratio est: quia
S. Pontifex, etiamsi quoad Græcos eandem ligan-
di, solvendi, pascendi & jubendi potestatem adep-
tus fuerit, quam adeptus est quoad Latinos, ex be-
nigna tamen intentione & consideratione non vult
eandem potestatem adversùs Græcos circa Leges
135 Ecclesiasticas purè humanas usurpare. Idque con-
stat ex *cap. ult. Dist.* 31. *cap. cùm olim* 6. *de Cleric.*
conjug. cap. quæsitum 7. *de Pœnitent. & remiss.* dum
tres Pontifices, Stephanus, Innocentius III. &
Clemens III. præceptum Ecclesiasticum de ser-
vandâ à Clericis in majoribus continentiâ Græcos
136 non obligare, dilucidè profitentur. Constat etiam
ex aliis præceptis Ecclesiasticis, v. g. de Consecra-
tione in fermentato, collatione Ordinum, Sacrifi-
cio Missæ, quæ ad modum, planè à Latinorum
more alienum, observant Græci. Quia ergo ad ef-
ficacem & actualem Legis obligationem non suffi-
cit sola potentia, si desit obligandi voluntas: sanè
modernis temporibus Græci non obligantur, Le-
ges Ecclesiasticas servare.

137 Dixi *modernis temporibus.* Ut exciperem illas
Leges, quæ, antequàm Orientalis à Romana Ec-
clesia divortium & secessum fecit, tam Græcis
quàm Latinis communiter promulgatæ noscuntur,
quarum numerosam partem per Concilia, in Orien-
te celebrata, in orbem Catholicum prodiisse, ne-
mo tam peregrinus est, ut nesciat.

§. III.

Utrùm S. Pontifex Legibus Ecclesiasticis obligetur?

Distinguunt hic DD. inter vim Legis coactivam 138
& directivam. Vis *coactiva* dicitur, quæ transgres-
sorem pœnæ reddit obnoxium. Vis *directiva* no-
minatur, quæ reatum conscientiæ inducit. Hæc-
que alia directa alia indirecta est. *Directa*, quæ di-
rectè atque ex vi immediatâ Legis obligat conscien-
tiam. *Indirecta*, quæ non tam ex virtute & fine,
quàm occasione Legis obligationem conscientiæ
producit. Assumo hanc distinctionem, &c.

Dico I. S. Pontifex non tenetur vi coactivâ Le- 139
gum Ecclesiasticarum. Ita DD. agminatim cum
Reding *d. q.* 16. *art.* 3. *contr.* 5. *n.* 7. Pettschacher *d.*
q. 4. *art.* 11. *f.* 127. Ratio est: quia S. Pontifex,
cùm in Ecclesiastica Hierarchia Supremus sit, non
habet Judicem, è quo judicetur, condemnetur, &
puniatur, veluti in causa Marcellini Pontificis, tem-
pore Diocletiani, Diis thura ex metu adolentis,
judicârunt PP. in Concilio congregati *cap. nunc*
autem 7. *Dist.* 21. ibi: *Prima Sedes non judicabitur*
à quoquam. Ergo vi coactivâ LL. Ecclesiasticarum
non tenetur Pontifex.

Tenetur, ais, vi coactivâ, dum pœnæ reus fit, 140
quæ punit cogitationibus se invicem accusantibus ad
Rom. 2. v. 15. Non tenetur, repeto. Nam remor-
sus & stimulus conscientiæ, quem transgressionem
tanquàm pœnam insequi, asserit Apostolus, non
vim coactivam, sed directivam indicat: aliàs quip-
pe vis coactiva in omni Lege cum directivâ con-
curreret; neque hæc ab illa separari, aut Lex purè
præceptiva constitui posset.

Confirmatur conclusio I. Vis coactiva fundatur 141
in justitia vindicativa, quæ, cùm virtus respectiva
sit, & directa ad alterum, duo subjecta supponit,
agens & patiens, vindicans & sustinens, Judicem
& reum. II. Vis coactiva in physicis provenit à 142
principio extrinseco & distincto: ergo etiam in mo-
ralibus, *arg. cap. fin. de Institut.* cùm à se ipso nemo
propriè cogatur, aut vi impellatur.

Dices: in *cap. nos si* 41. *II. quæst.* 7. scribit Pon- 143
tifex ad Imperatorem: *nos, si incompetenter aliquid*
egimus, & subditis justæ Legis tramitem non conser-
vavimus, vestrô ac missorum vestrorum cuncta volu-
mus emendare judiciô.

Resp. ex hoc textu nil erui contra nos. Inprimis 144
enim non discernitur ibi, fueritne causa, ab Impe-
ratore discutienda, supra transgressione Legis Na-
turalis vel positivæ fundata? Deinde patet, non
potestatem judiciariam in Imperatore agnitam, sed
ipsius arbitrio intellectuali causæ, cujus innocentiæ
confidebat Pontifex, censuram fuisse relictam.

Dico II. S. Pontifex nequidem vi directivâ LL. 145
suarum directè obligatur. Pettschacher Reding *cit.*
l. Sant-Gallenses de *LL. sect.* 3. *q.* 2. *conclus.* 2. &
quàmplurimi. Ratio est: quia, ut dicitur in *l. si de re*
51. *ff. de Recept. qui arbitr. nemo imperare sibi, aut se-*
ipsum prohibere potest. Ad quam *l.* Glossa *fin.* tradit
illud brocardicon: *imperativus caret primâ personâ.*
Nimirum omnis obligatio directa supponit in impe- 146
rante superioritatem, & in faciente subjectionem:
quæ cùm deficiat in Legislatore respectu sui ipsius,
deficit quoque obligatio directa, per Legem inten-
ta. Et ita intelligendi sunt textus in *cap. innotuit* 20. 147
de Elect. ibi: *Successoribus suis nullum potuit hac in*
parte præjudicium generare, cap. exiit 3. *§. cæterùm*
Sanctæ de V. S. in 6. ibi: *nec Successorem suum* (sub-
audi, Lex antecessoris) *quomodolibet obligavit, cùm*
non habeat par in parem imperium.

Suarez de *LL. lib.* 3. *cap.* 35. Covarruv. Sotus, 148
&

& alii, qui docent, S. Pontificem vi directivâ LL. Ecclesiasticarum directè obligari, fundamentum in eo collocant, quòd ratio dictet, non aliter à DEO S. Pontifici potestatem Legislativam fuisse concessam, quàm ut pari obligatione patiatur Legem, à se ferendam; qui proinde instar ministri DEI inter cæteros sibi ferat tanquàm membro communitatis Legem; sicque diversâ consideratione sit sibi ipsi Superior & inferior.

149 Sed non deest huic fundamento sua responsio. Nam S. Pontifici concessa est potestas ligandi & Leges ferendi pro ovibus & fidelibus Ecclesiæ: ipse autem non est ovis, sed pastor; non fidelis subditus, sed caput. Ergo recta ratio non dictat, ut Pontifex tam sibi quàm ovibus Legem ponat: aliàs si sibi Legem poneret, nec ipse nec successor Legem abolere posset, contra textus in *num.* 147. citatos.

150 Neque contradicit textus in *cap. contra 7. XXV. q.* 1. ubi negat Zosimus, quòd Apostolicæ Sedis Authoritas Patrum statuta immutare valeat; adeóque supponere videtur, quòd etiam Pontificem ligent. Nam perspicuum est, Zosimum ibidem per statuta Patrum intelligere decreta fidei, quibus non minùs Pontifex, quàm cæteri fideles, as-

151 surgere tenentur: si enim SS.PP. extra fidei materiam quidpiam definiant, non solùm non Pontificem, sed nec privatos obstringunt efficaciter, juxta dicta in *tract. praamb. cap.* 1. *n.* 82. Hanc ipsam responsionem colligere licet ex *cap. sunt quidem* 6. *immediatè praced. d. XXV. quast.* 1.

152 Dico III. S. Pontifex obligatur vi directivâ suarum LL. indirectè. P. Mezger *disput.* 35. *art.* 5. *n.* 9. Haunold. *tr.* 1. *de J. & J. n.* 54. P. Konig ad *tit. de Constit. n.* 10. P. Wenzl *de LL. q.* 5. *§.* 1. *resol.*

153 3. Guetrather *Inst. J.C. lib.* 1. *t.* 2. *§.* 3. *n.* 124. Ratio est: quia S. Pontifex, cùm sit pars Ecclesiæ, non qualiscunque, sed principalis, tenetur ex ipso Juris Naturalis dictamine bonum Ecclesiæ promovere, nec verbô tantùm, sed & exemplô, quod, si in ulla re, certè in observantia Legis est longè potentius verbis; ostendentibus id notis Claudiani versiculis:

Primus jussa sibi, tunc observantior aqui
Fit populus, nec ferre negat, cùm viderit ipsum
Authorem parere sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita Regentis.

Ego S. Pontifex LL. Ecclesiasticis indirectè te-

154 netur. Nempe non ex virtute, per Legem intentâ, sed occasione Legis, quæ excitat dictamen naturale, ut, quam aliis servandam proponit Legem, ipsemet servatu possibilem opere commonstret, ne, dum primus Legis non tam lator quàm tractor est, subditis ansam sequendi malum exemplum præbeat. Sicque exaudiendi sunt textus in *cap. satagendum* 10. *cap. à Sanctis* 14. *cap. justitia* 15. *XXV. q.* 1.

155 Ergo, subinfers, S. Pontifex arctiùs suâ stringitur Lege, quam fideles subditi, dum illi ex Lege positivâ, ille ex Lege Naturali obligatur. Male! etiam subditi fideles ex Divino & Naturali Jure justa mandantibus obtemperare coguntur, ex *cap.* 1. *n.* 124. & 128. Ergo non magis illi, quàm Legislator, obligantur.

156 Urges: cum fidelibus in sua Lege dispensat Pontifex: quia Lex Naturalis & Divina non obligant, si fideles non ampliùs velit esse obligatos Pontifex. Sed in Lege Naturali, dictante & imperante, ut S. Pontifex Legem suam custodiat, non dispensat Pontifex: quia Lex ista neutiquàm alligatur voluntati Pontificis. Ergo adhuc est fortior & in-

157 tensior obligatio Pontificis. Sed in cassum. Sicut Jus Naturæ non vult, ut Pontifici obediant subditi, quando non imperat: ita Jus Naturæ non vult, ut S. Pontifex servet Legem, ad quam servandam ex justa causa non tenetur. Sicut ergo non obligatur suâ Lege, nisi justè voluerit: sic rectè dispensat in sua Lege, si ob justæ causæ interventum eum obligari Jus Naturæ non velit.

§. IV.

Quinam obligentur particularibus Ecclesiarum statutis?

Varii hominum gradus in præsenti considerandi, & discriminandi sunt. Primò enim alii existunt 158
intra territorium Ecclesiæ, Jus particulare statuentis; alii extra. Secundò qui intra territorium existunt, habent quandoque domicilium verum aut quasi; aliquando per modum transitûs ibidem commorantur. Tertiò qui in territorio domicilium sortiuntur, à Jurisdictione loci nonnunquàm exempti sunt. Quartò qui extra territorium degunt, possunt abesse vel physicè & moraliter simul, vel solùm physicè. Physicè & moraliter absunt, quando quoad personam & actionem absunt. Physicè absentes, & moraliter præsentes sunt, qui alibi commorantes aliquam actionem, omissionem, vel damnum, à se causatum, intra territorium ponunt. Quintò reperiuntur aliqui, qui nullibi larem & domicilium habent, vocanturque vagabundi. De omnibus hisce personis separatas conclusiones subjicio, &c.

Dico I. Qui neque physicè neque moraliter est 159
constitutus intra territorium Ecclesiæ, non obligatur particularibus illius statutis. Est decisa conclusio in *cap. ult. de Constitut. in* 6. ubi Bonifacius VIII. *statutô Episcopi*, inquit, *quô in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia pramulgatur, subditi ejus, furtum extra ipsius Diæcesim committentes, minimè ligari noscuntur.* Rationem subdit ex *l. ult. ff. de Jurisdict. cùm extra territorium Jus dicenti non pareatur impune.*

Qui cum Castropalao *tr.* 3. *disp.* 1. *punct.* 24. §. 160
5. *n.* 21. alterius mentis sunt, pro se ita discurrunt. Præceptum Superioris afficit subditum, etiam extra territorium existentem *arg. cap. non est* 7. *cap. sicut nobis* 17. & *cap. ult. de Regular.* Ergo etiam Lex Superioris. Conseq. p ob. qui sententiam & præceptum generale imponit, jus dicit, sicuti qui Legem imponit: si igitur per præceptum dicere quis potest jus in existentes in alieno territorio, cur non dicere poterit per Legem?

Alii aliter, ego cum Reding *d. q.* 16. *art.* 3. *contr.* 161
6. *n.* 5. & Haunoldô *de J. & J. tr.* 1. *n.* 63. Resp. disparitatem inter Legem & præceptum ex fine desumendam esse. Lex fertur principaliter in bonum communitatis, quæ, uti certô territoriô circumscribitur, ita non extra, sed intra territorium felicitatem suam quærit. Præceptum è contra immediatè in bonum personæ privatæ injungitur, cujus interest, ubique locorum obligare posse. Vide *cap.* 1. *n.* 65.

Hæcque conclusio eatenùs quoque procedit de 162
Legibus universalibus, ut, si aliquis transeat per locum, ubi Leges universales seu communes per consuetudinem contrariam sunt abrogatæ, illas servare non teneatur, veluti concludunt Suarez *de LL. lib.* 3. *cap.* 37. *n.* 3. Castropalao *cit. l. punct.* 24 §. 5. *n.* 1. Lessius de *J. & J. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 45. Haunold. *cit. tr.* 1. *n.* 65. Engel ad *tit. de Constit. sub n.* 34.
Ratio est: quia, tametsi Leges universales non al- 163
ligentur certo territorio, sed universum afficiant orbem Christianum: nihilominùs hôc ipsô, quòd in

in certo loco sint abrogatæ, adinstar privilegii lo-
calis ab observantia Legali censentur omnes absol-
vere, quotquot in eo loco reperiuntur. Pertinet
huc illud D. Ambrosii, relati in *cap. illa autem* 11.
Dist. 12. *cùm Romam venio, jejuno sabbato; cùm*
Mediolani sum, non jejuno.
164 Sed an subditi tunc saltem Legibus territorii vel
diœcesis innodentur, quando eâ intentione ad ter-
ritorium vel diœcesin aliam egrediuntur, ut Le-
gem declinent? Hæret in ancipiti. Reding *n* 7. &
Haunold *n.* 65. *cit. loc.* ac novissimè Clarissi. P.
Schmalzgrueber ad tit. *de Constit. n* 41. putant quòd
non: quia, dum liberum est cuivis, è loco disce-
dere, nemini, dum discedit & utitur jure suô, facit
165 injuriam *l. nullus* 55. *ff. de R. I.* Layman *tract.* 4. *cap.*
11. *n.* 9. Wiestner de *Constit. n.* 111. putant quòd
sic: eò quòd tales egressores agant in fraudem Le-
gis; fraus autem & dolus nemini patrocinetur *cap.*
sedes 15. *& seq. de Rescript.* Afferunt quoque ali-
quam Declarationem Cardinalium, quæ Annô
1627. matrimonium irritum declaravit, quando in-
colæ loci, in quo Concil. Trid. in puncto matrimo-
nii est promulgatum, *idem domicilium retinentes se*
166 *transferunt ad locum, ubi non est promulgatum, solô*
animô, sine Parocho & testibus contrahendi. Cui
declarationi procul dubiò standum est, si in for-
ma authentica exhibeatur: cæteroquin prior opi-
nio videretur esse verosimilior, cùm in fraudem Le-
gis agere non rectè dicatur, qui agit secundùm jus
suæ libertatis.
167 Dico II. Qui vel physicè præsens est, vel mo-
raliter saltem, ligatur constitutionibus particulari-
bus suæ Ecclesiæ. Reding *d. contr. n.* 13. Haunold
d. tr. 1. *n.* 58. Mezger *d. disp.* 35. *art.* 5. *n.* 25. Gletle
Jurisprud. fund. l. 1. *t.* 2. *cap.* 4. §. 5. *n.* 16. P. Ko-
nig de *Constitut. n.* 15. Ratio est: quia tranquilli-
tas & felicitas communitatis obtineri nequit, nisi
constitutionibus particularibus & illi constringan-
168 tur, qui moraliter præsentes sunt. Si enim statu-
tum feratur, ac, qui in diœcesi hominem occide-
rit, excommunicationi subdatur; Petrus verò, ex-
tra diœcesin corpore existens, Paulum, intra diœ-
cesin stantem, solutô sclopetô trajiciat, utilitas
communis exposcit, ut talis homicida censuram
Ecclesiasticam sentiat, ne finis, per statutum inten-
tus, callidâ deperditorum hominum machinatione
169 circumveniatur. Confirmatur: quia, qui ponit ac-
tionem contra Legem particularem intra fines terri-
torii, vel saltem actionem ibidem consummat, &
perficit, censetur in ipso territorio existere, & de-
linquere. Ergo subjacet foro & Jurisdictioni ter-
ritorii. Ergo & Legibus, in bonum territorii
sancitis. Confer Castropalaum *d. p.* 24. §. 5. *à n.* 14.
ubi plures illationes proponit.
170 Dico III. Qui in loco transitûs, tanquàm via-
tor & peregrinus, etiam per brevem existit moram,
mox inde discessurus, tenetur se LL. particularibus
illius loci, quæcunque demùm sint, accommodare.
Hæc sententia, in quam inclinat Covarr. *Var. re-*
sol. lib. 4. *cap.* 20. *sub n.* 8. quámve tradunt Suarez
de *LL. d. lib.* 3. *cap.* 33. *n.* 3. Castropalao *d. punct.*
§. 3. *n.* 11. Zoës. de *Constit. n.* 33. P. Konig *ibid.*
sub n. 15. Schambogen *eôd. tit. n.* 31. ac novissimè
Reverendiss. D. Henricus Hardter de *LL. q.* 4.
art. un. n. 9. nobis probabilior videtur; esto con-
trariæ patrocinentur numerosi DD. Reding *d. q.*
contr. 7. *&* 8. Haunold *cit. tract.* 2. *n.* 88. Engel ad
cit. tit. n. 31. Gletle *ubi supra n.* 23. P. Wiestner ad
eund. tit. n. 113. Clarissimus P. Schmalzgrueber *ibid.*
171 *n.* 42. Ratio est I. Viatores gaudent privilegiis
locorum, per quæ transeunt; nec tenentur LL.
communes, in patria quidem receptas, sed in locô
transitûs abolitas, observare ex *n.* 162. Ergo, cùm
ferant locorum commoda, vicissim incommoda
supportent, oportet, quæ pari cum commodis pas-
su procedere, suadet æquitas & æqualitas natura-
lis, agnita in *cap. qui sentit* 55. *de R. I. in* 6. *l. secun-*
dùm 10. *ff. eôd.*
Neque respondeas, hanc æqualitatem aut æqui- 172
tatem non attendi, quando commodum & incom-
modum ex diversa causa descendit; sicuti contin-
git in præsenti, ubi commodum non supponit Ju-
risdictionem localem, sed incommodum. Nam præ- 173
terquam, quòd Jurisdictio, ex mox dicendis, hîc
neutiquam deficiat; paritas causæ quoad commo-
dum & incommodum relucet ex eo, quòd com-
modum loci quis ideò sentiat, quia membrum
locale, pro tempore transitûs, æstimatur, & ab
obligatione Juris Communis eximitur: consequen-
ter & incommodum ex eodem titulo, quòd mem-
brum locale pro tempore transitûs reputetur, re-
fugere nequeat.
Ratio est II. Legislator cujuscunque loci parti- 174
cularis vult & potest advenas ad Leges particula-
res adstringere. Vult: nam, experientiâ Magi-
strâ, in transgressores pœna vel mulctâ animadver-
tit. Potest: quia non solùm cuilibet Legislatori
concedenda est potestas, sui territorii felicitatem
per observantiam statutorum respectu quarumli-
bet personarum, etiam sub negatione transitûs,
promovendi; sed etiam de facto plerique ex Au- 175
thoribus contrariis admittunt eidem potestatem,
peregrinos & advenas ad observantiam Legum pe-
culiarium cogendi, quando vel æquè conde-
cent advenas, ac incolas; vel quando Leges illæ
non minùs in loco domicilii quàm transitûs obser-
vantur; vel quando feruntur in bonum commu
ne, quod perinde viatores quam subditi promo-
vere valent.
Si existimes: transitum esse Juris Gentium, 176
nec posse negari peregrinis, esto Legibus particu-
laribus se nolint subjicere. Contra est: quia tran- 177
situs potest toties negari, quoties justa negandi
causa suffragatur. Est autem causa negandi per-
quàm justa, si quis Legibus, in bonum territorii
latis, parere recuset. Unde statuitur
Ratio III. Leges particulares, qualescunque 178
sint, respiciunt emolumentum & tranquillitatem
territorii particularis: cùm enim Lex omnis respi-
ciat salutem illius communitatis, pro qua fertur
ex *cap.* 1. *n.* 26. Lex quoque particularis salutem
illius territorii, pro quo fertur, respiciat, opus
est. Ergo, qui sunt in territorio, etiam brevissi- 179
mò tempore, Legibus particularibus inflectere cer-
vicem, eàrumque executione salutem territorii,
quantum est in se, promovere compelluntur. Alio- 180
quin, si viderent incolæ, Leges ab advenis impu-
nè sperni, ad quas ipsi tam severè adiguntur, scan-
dalum sumerent, & æquali libertate Legale jugum
excuterent: id, quod providè notatur in *cap. il-*
la 11. *Dist.* 12. & *cap. consilium* 2. §. *idem de illis.*
de Observat. jejun.
Nec satis est, dicere scandalum jam ab alia Le- 181
ge, Naturali scilicèt, cohiberi. Enimverò ne scan-
dalum, Lege Naturali prohibitum, eveniat, Le-
gislatorum quivis vigilare, & occasionem scandali
præscindere tenetur.
Ratio IV. incola, è territorio ad breve tempus 182
aliorsum migrans, pro tempore absentiæ desinit
obligari Legibus territorii ex *n.* 159. adeò quepro
tunc non manet subditus in actu. Ergo à contario
advena, ad breve tempus in alieno territorio con-
versatus, incipit pro tempore præsentiæ Legibus
illius territorii vinculari, ac pro tunc esse subdi-
tus loci. Sicut enim absentia à loco suspendit 183
authoritatem Legis, & obligationem subditi: ita
præsentia

præsentia in loco excitat potestatem Legis, & induцit obligationem subditi. Unde perpetua SS. Patrum mens & sententia est, ut cujuscunque Ecclesiæ, ad quam quis venerit, consuetudini se conformet *cap. quæ contra* 2. *Dist.* 8. *cap. illud* 4. *cap. illa* 11. *Dist.* 12. *cap. in nova* 22. *XVI. q.* 7.

184 Solet quidem ad authoritatem SS. Patrum reponi, eam vel decisivam non esse, vel consilii tantùm non necessitatis gratiâ in citatis textibus allegatam. At,
185 quia SS. Patrum doctrina hac in parte concors invenitur; neque vel S. Pontifex, vel Concilium, vel ratio contrarium evidenter convincit: magis utique SS. Patrum, quàm aliorum DD. authoritas veneranda & eorum assertio præcepti locô respicienda videtur.

186 Dices I. qui territorium alienum ingreditur, post breve tempus recessurus, non subjicitur loci jurisdictioni: neque enim delinquere, neque contrahere ibidem supponitur. Ergo deficit titulus jurisdictionis ex parte Legislatoris, & causa subjectionis ex parte viatoris.

187 Resp. I. Argumentum retorqueri posse. Quando eô fine dictantur Leges, ut speciale damnum à provincia avertant, quod æquè advenæ ac incolæ inferre possunt, etiam in Adversariorum opinione, tam advenæ quàm incolæ obligantur; & tamen neque delictum, neque contractus adest, ratione cujus advenæ loci jurisdictioni subdantur.

188 Resp. II. extra forum delicti, domicilii, & contractûs supereste jurisdictionem prorogatam, quæ ad fundandum forum & subjectionem est sufficiens *l. si se* 1. *ff. de Judic.* & ibi Expositores. Nam peregrini ipsô factô & tacitâ voluntate jurisdictioni illius loci, in quo degunt, se submittere censentur: dum sciunt, vel scire debent, non aliter ipsis concedi transitum aut commorationem in loco, nisi ultroneè statutis &
189 Legibus localibus se se subdiderint. Et sicut, qui transfert domicilium in alium locum, eô ipsô vult obligari Legibus loci permanenter: ita, qui alicubi vult ad breve tempus morari, eô ipsô vult, aut velle debet subdi pro tunc regimini illius loci quoad ea, quæ ad mores & observantias locales pertinent.

Dices II. in dubio benignior est pars amplectenda.
190 Sed dubium est, velitne Legislator localia statuta ad peregrinos extendere, an non? Ergo pars benignior, quæ extensionem negat, est amplectenda.

191 Resp. in nostra sententia dubium non esse, utrùm Legislator sub obligatione Legis peregrinos velit comprehendere: cùm enim & bonum commune intendat promovere, idque per extraneos non minùs quàm cives promoveatur; & simul extraneos, Legis violatores, vindictæ subjiciat: voluntas obligandi peregrinos nimiùm elucet.

192 Dices III. in *cap. à nobis* 21. *de Sentent. excommunicat.* decidit Pontifex, excommunicationem latam in omnes, qui furtum commiserint, extendi ad illos solos, qui sunt de Jurisdictione excommunicantis. Cujus decisionis alia non erat ratio, nisi quòd extranei non obligentur statutis particularibus.

193 Resp. I. plerosque Interpretes cum Panormitano *d. cap. à nobis* explicare de excommunicatione latâ non per modum statuti, sed præcepti. Notum verò est, præceptum afficere personas, statutum autem respicere territorium, & personas, in illo existentes; adeòque præceptô obligari solos subditos, statutô omnes, qui existunt in territorio. Suarez *d. l. n.* 12.

194 Resp. II. si *d. cap. à nobis* ita exponere placeat, ut sententia excommunicationis per statutum lata fuisse dicatur, tunc vel affirmari posse cum Castropalao *ubi supra num.* 15. quòd etiam advenas comprehendat, si furtum in territorio commiserint, secùs, si extra territorium: quia, licèt perpetui & permanentes subditi non sint, sunt tamen transitorii; vel negari cum Barbosa *in collectan. ad d. c. num.* 4. quòd paritas sit inter statutum censuræ, & statutum aliud: dum illud antecedentem & stabilem subjectionem desiderat; hoc transitoriâ contentum est.

Dico IV. Qui in territorio Ecclesiæ præcipientis existunt, sed emptionem habent, obligantur particularibus Legibus solùm indirectè. Ratio est: quia 195
tales, licèt in territorio commorentur, non tamen sunt de territorio. Et consequenter Legibus territorii, de quo non sunt, directè nequeunt obligari. Quia tamen æquum est, ut communitati, quæ 196
est de territorio, personæ exemptæ in operando se conforment, ne infirmi & rudes scandalum aut sinistram opinionem concipiant, hinc occasione Legis & indirectè obligantur. Suarez *de LL. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 6. Reding *d. art.* 3. *in coroll.* Stadlmayr *cap.* 4. *ib.* 6. Palao *d. punct.* 24. §. 6. *num.* 11. Pettschacher *d. q.* 4. *a.* 11. §. 4. *corollar.* 2. König *cit. l. n.* 16.

Excipiuntur I. censuræ & interdicta, quæ si 197
à locorum Ordinariis promulgentur, à quibuscunque exemptis in eorum Ecclesiis publicanda & servanda sunt. *Trid. Concil. sess.* 25. *de Regular. cap.* 12. II. dies festivi, quos servandos in sua diœ- 198
cesi Episcopus præceperit: hos enim omnes exempti, etiam Regulares, servare tenentur. Trid. *cit. l.* Barbosa de *Off. & pot. Episc. alleg.* 105. *n.* 12. *& seq.*

Dico V. Vagabundi, sive qui nullibi fixum ha- 199
bent domicilium, Legibus quarumcunque diœcesium, per quas transeunt, obligantur. Reding *d. art.* 3. *contr.* 7. *num.* 18. Pettschacher *cit. l.* §. 3.
Palao *d. p.* §. 4. Ratio est: quia vagabundi non 200
magis exempti sunt, quàm peregrini. Ergo, cùm isti Legibus localibus teneantur, illi longè magis tenebuntur: partim quia alias Leges particulares, juxta quarum amussim operationes suas instituant, non habent: partim quia omnium locorum, per quæ transeunt, subditi censentur; ubique conveniri possunt, ubi inveniuntur.

SECTIO IV.

De Effectu Juris Canonici.

SUMMARIA.

201. *Leges Ecclesiasticæ obligant in conscientia.* 203. *& seqq. Sed primùm elapsô jam bimestri; si universales sint.* 208. *& seq. Aliud est de particularibus.* 210. *& seqq. Non requirunt acceptationem populi.* 215. *& seqq. Adversariorum subterfugia præcluduntur.* 221. *& seqq. Obstacula removentur.* 230. *& seq. Diversitas ignorantiæ.* 232. *Vincibilis non excusat à culpa vel pœna.* 233. *Habet tamen suos gradus.* 234. *Invincibilis potest versari circa varias Leges.* 235. *Excusat à culpa in Lege præceptiva.* 236. *& seqq. Item à pœna spirituali; non autem temporali.* 243. *& seqq. Non excusat à nullitate in Lege annullante.* 250. *Nisi irritatio fuerit in pœnam statuta.* 251. *Leges Ecclesiasticæ possunt mutari.* 252. *& seqq. Ab ipso* Legislatore, *successore, vel superiore.* 257. *Abrogatio vel derogatio Legis indiget novâ promulgatione.* 258. *& seqq. Per Legem generalem non abrogatur anterior specialis.* 261. *& seqq. Legislator, successor, aut superior in Lege dispensant validè sinè causa.* 265. *Inferior in Lege superioris absque causa validè dispensare nequit.*

§. I.

A quonam tempore Legum Ecclesiasticarum obligatio incipiat?

201 EFfectus Juris Canonici seu Legum Ecclesiasticarum est earundem obligatio in conscientia,
quam in *cap. 1. num. 221. & pluribus seqq.* per
extensum excussam invenire licet. A quônam verò
tempore hæc obligatio ducat initium; an statim
à tempore promulgationis; vel post lapsum duorum mensium à die promulgationis? Nunc dispiciendum, & distinguendum est inter Leges Ecclesiasticas universales, & particulares. Quâ cum distinctione
202 Dico I. Leges Ecclesiasticæ universales non obligant in actu secundo, nisi post lapsum duorum mensium à die promulgationis. Ita præter Authores, qui in
n. 12 & 13. promulgationem in singulis provinciis requirunt, concludunt Reverendissi. & Magnific. DD.
Stadlmayr de *LL. cap. 4. th. 5. lit. 6* Sant Gallenses *de LL. sect. 1. q. 5. concl. 3.* P. Mezger *disp. 34.
art. 1. n. 13.* P. Wenzl *q. 4. §. 3. f. 130.* & plures ab
his nominati contra Suarezium *l. 4. cap. 15. num. 17.*
Pettschacher *d. q. 4. art. 6. conclus. 4.* Clariss. P.
Wiestner de *Constitut. num. 68.* Clariss. P. Krimer
203 ad *eund. tit. num. 178.* Ratio est: tum quia *in
Nov. 66. in rubr. præfat. & cap. 1.* pro LL. Civilium obligatione tempus bimestre post promulgationem requiritur, ut nempe totum quasi Imperium unô eôdemque tempore simul & semel obligari incipiat, ac uniformitas in operando statua-
204 tur: tum quia constitutio ejusdem *Nov.* non tantùm generali receptione à Jure Ecclesiasticô assumpta, sed speciali constitutione probata videtur,
dum Pius IV. in Bulla *sicut ad sacrorum, Anno* 1564.
editâ, postquàm consultus erat de tempore, quô Concil. Trid. obligare inceperit: ita rescripsit: *quia Jure etiam communi sancitum est, ut constitutiones novæ
vim non nisi post certum tempus obtineant, æquum nobis & justum visum est, prædicta decreta à Calendis
Maii proximè præteriti omnes obligare cœpisse.* Quò
etiam quadrat rotundus textus in *cap. quia cunctis 2.
de Concess. præb. in 6.* ibi: *quòd Lex seu constitutio &
mandatum nullos adstringunt, nisi post tempus, intra
quod ignorare minimè debuissent.*
205 Neque satisfacis, si cum *cit.* P. Krimer *n. 180.* dicas: Jus Civile per præfatam Pianam Bullam non recipi absolutè, sed quoad *prædicta* tantùm; nec cum
determinatione bimestris, sed lapsu alicujus intervalli indeterminati. Nam contra est: quia S. Pontifex inprimis supponit, utrôque Jure, Canonicô & Civili,
sancitum esse, ut quæcunque novæ constitutiones
non statim obligent à momento promulgationis: quia
dicit indefinitè: *Jure Communi, & constitutiones no-*
206 *va.* Deinde supponit, certum tempus de Jure communi determinatum esse, quô in actu secundo nova
Lex obligationis faciat exordium in *verb. non nisi post
certum tempus.* Ergò licèt S. Pontifex in *cit.* Bulla
non præcisè tempus bimestre pro Concilii obligatione præscribat, sed tempus trimestre; ut constat ex
Bulla alia, quæ incipit: *Benedictus DEUS*, in qua Concil. confirmatum, ac sub finem mensis Januarii præcedentis Romæ publicatum legitur: nihilominùs Jus
Civile absolutè & quoad determinationem bimestris
recipit, tempusque longius pro Tridentini obligatione ideò tantùm expressit: quia à die promulgationis *non parum temporis* in exemplaribus *diligenter emendatèque imprimendis necessariò consumptum fuit*,
uti fatetur ipsemet Pius IV. in *cit. Bulla sicut ad sacrorum.* Ex quo
207 Colliges: nullam esse repugnantiam, quin S. Pontifex tempus subinde majus, subinde minus bimestri
ad Legum universalium actualem obligationem, pro
materiæ ac circumstantiarum diversâ consideratione,
determinare valeat: quandoquidem ea natura rei
spatium duorum mensium non exigitur, sed, si tempus
aliud expressum non sit, ea tacita, & præsumpta Legislatoris voluntate requiri, rectè defenditur.
Dico II. Leges Ecclesiasticæ particulares statim 208
à tempore promulgationis in actu secundo obligant.
Abbas in *cap. cognoscentes 2. de Constitut. n. 7.* P. Engel *eod. tit. n. 66.* eôque teste communis. Ratio est: quia
Leges particulares possunt citiùs in notitiam subditorũ devenire; sicque uniformitas in operando sperari
potest, etsi certum tempus pro incipiendâ obligatione non sit definitum. Et ita ubivis locorum & Gentium observari, ac eos puniri videmus, qui legem localem promulgatam temerè infringunt. Conceden- 209
dum tamen, & ab omnibus admittendum est, neque
particularis neque universalis Legis transgressorem
mulctari posse, si Legis constitutæ notitiam, etiam elapsis duobus mensibus, non acceperit, sicut paulò inferiùs in §. 3. deducetur.

§. II.

An Leges Ecclesiasticæ obligare incipiant, antequam à populo Christiano sint acceptatæ?

Ita existimo, & dico: Leges Ecclesiasticæ suum 210
valorem & obligationem habent independenter ab acceptatione populi Christiani. Ita integer Doctorum
exercitus, Card. de Luca *de alienat. disc. 35. n. 12. de
Benef. disc. 13. n. 12. Relat. Cur. disc. 2. n. 44.* Suarez *l. 4.
c. 16. n. 2.* Reding *art. 2. controv. 2. n. 13.* Stadlmayr *cap.
4. th. 5. l. c.* Engel de *Constit. n. 68.* Pettschacher *q. 4. art.
7.* Mezger *disp. 34. art. 3. n. 36* Wenzl *quæst. 4 §. 3. Resol. 4* Rembeck in *Panoplia disp. 2. cap. 7. coroll. 2. n. 7.*
ubi ea Bonacina notat, non unum, sed plures Pontifices vivæ vocis oraculô declarâsse, sententiam contrariam non esse recipiendam. Ratio palmaris est. Le- 211
gislator Ecclesiasticus potest obligare independenter
à consensu & acceptatione populi: partim quia absolutam ligandi potestatem à DEO immediatè accepit,
eamque independenter à Concilio exercere potest
ea *n. 67.* partim quia Summi pastoris & gubernatoris,
non verò ovium est, discernere, an Legem servari expediat, nec ne? Habet præterea S. Pontifex volunta- 212
tem, Legem independenter à fidelium acceptatione
ferendi, eique efficaciam obligativam tribuendi: dum
non tantùm mandat, & imperat, ut Lex promulgata
servetur, sed etiam in non servantes pœnas ac censuras fulminat. Ergo, cùm ad Legis obligationem plura
non exigantur, quàm voluntas & potestas Legislatoris, Lex Ecclesiastica sufficienter promulgata populum Christianum sinè acceptatione obligat.
Confirm. I. Lex Naturalis & Divina ante om- 213
nem acceptationem hominum obligat. Ergo etiam
Ecclesiastica. Consequent. prob. Ideò Lex Naturalis & Divina sic obligat: quia utraque procedit à potestate Superiori ante omnem voluntatem
& consensum humanæ gentis. Sed etiam Lex Ecclesiastica procedit à potestate Superiori ante omnem fidelium Christianorum voluntatem & consensum. Ergo &c. II. Legislatori Ecclesiastico, 214
justa & justè præcipienti, fideles obedientiam exhibere tenentur. Sed, si Legislator Ecclesiasticus
Legem promulget, justa & justè præcipit. Ergo
fideles obedientiam exhibere tenentur. Atqui non
tenerentur obedientiam exhibere, si Legem acceptare possent, vel respuere: nam, qui jussa capessere, vel
negligere pro suo valet arbitrio, jubenti parere non
compellitur. Ergo &c.
Respondebis I. subditos quidem teneri Legislato- 215
ri Ecclesiastico obedire, quando obedientiam determinatè postulat; secus, si ex sua benignitate nolit
Imperium esse efficax ante, quàm subditi comprobaverint.

Contra

216 Contra est I. Vel Legislator intendit condere ve-
ram Legem; vel non? Si non; aërem verberamus,
& in vanum de Legis obligatione disputamus. Si ita;
erit illa Lex justa & justè præcepta; sicque habebit
217 subditos ad paritionem obstrictos. Contra est II. Lex
distinguitur essentialiter à consilio ex *cap. 1. num.*
66. Atqui, si Legislator ex sua benignitate permittat
populo liberum, velitne Legem acceptare vel non,
Lex non distinguitur essentialiter à consilio. Potest
enimverò populus (abstrahendò à casu & circum-
stantia Legis) in aliqua necessitate vel perplexitate
constitutus adire Legislatorem, atque ex eo sciscita-
ri, quid agendum & faciendum sit? Et tunc, si Legis-
lator asserat, sibi videri consultum, ut res hôc vel il-
lô modô instituatur: optare quoque, ut ita fiat, non
tamen præcipere, si populus non velit: certè non Le-
gem, sed consilium populo dedisse dicitur. Cur? Quia
populo libertatem sequendi reliquit. Ergo etiam, si
Legislator dicat, suam quidem mentem & volunta-
tem esse, ut populus v. g. diem S. Georgii pro festi-
vo celebret; nolle tamen populum habere obligatum,
nisi ultrò acceptaverit: non imperâsse, sed consuluis-
218 se dicendus est. Contra est III. Si ex conniventia
Legislatoris liceret populo recusare Legem, Legem
sine omni causa recusare liceret: quia sinè voluntate
obligandi Lex non obligat. Sed hæc sequela ab A-
lexandro VII. de Anno 1665. est damnata in hisce
formalibus: *populus non peccat, etiamsi absque ulla
causa non recipiat Legem, à Principe promulgatam.*
Ergo &c.

219 Respondebis II. populi Christiani voluntatem in
gravioribus duntaxat & difficilioribus; non autem
levioribus & facilioribus constitutionibus efflagitari.
220 Contra est: partim quia rationes adductæ nullam
distinctionem inter Leges admittunt: partim quia ip-
semet Legislator Ecclesiasticus prævià consultatione
cum suis Consiliariis deliberat, sitne Lex acerba ni-
mium, difficilis, aut gravis? Et, si compererit, esse
accommodatam moribus & genio subditorum, pro-
mulgat. Sin incommodam intellexerit, nec vult,
nec potest promulgare juxta *num. 88. & seqq. d. cap. 1.*

221 Objicies I. *cap. in istis 3. Dist. 4.* ubi dicitur: *Le-
ges instituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm
222 moribus utentium comprobantur.* II. *cap. cùm olim 6.
de Cleric. conjug.* ubi Innoc. III. considerans, *quòd
Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admiserit*,
declarat, Græcos, in minoribus Ordinibus matrimo-
nium rectè contrahere, & in superioribus matrimo-
223 niô jam contractô licitè uti posse. III. quòd pluri-
mæ Leges Ecclesiasticæ in desuetudinem abierint,
ea nulla alia ratione, nisi quòd usu nunquàm fuerint
receptæ.

224 Resp. ad I. textum Gratiani non de firmatione Ju-
ris, sed facti accipiendum esse, eò videlicèt intellec-
tu, quòd usus & observantia Legis Legem in effectum
deducat, non ex voluntate populi, sed imperiô Le-
gislatoris. Cùm enim ipsemet Gratianus asserat, insti-
tutionem & substantiam Legis à promulgatione ha-
beri; nequeunt utentium mores aliam quàm ex-
trinsecam confirmationem Legis superaddere.

225 Ad II. Resp. text. *cap. cùm olim* neutiquàm sup-
ponere, quòd in voluntate Græcorum steterit, ve-
lintne Legem continentiæ Clericalis acceptare vel
recusare; sed mentem Pontificis tam benignam fuis-
se, ut Græcorum infirmitati descendere, ac conti-
nentiæ præceptum, illorum indoli non adeò conve-
niens, ad Ecclesiam Orientalem non extendere volue-
226 rit. Repetatur *n.* 121. Ad III. Resp. Leges, quæ
usu non receptæ dicuntur, opitulante consuetudine,
legitimè introductâ, vim obligandi perdidisse. Ne-
que tamen ex inde licet arguere, etiam non-accepta-
227 tionem populi vim Legi adimere. Enimverò consue-
tudo, si rationabilis & justa sit, non tam ex consen-
populi, quàm Legislatoris authoritatem accipit: cùm
tamen sola non-acceptatio ex libero subditorum ar-
bitrio proveniat, Legislatore dissentiente, & contra-
dicente. Et inde est, quòd, licèt non receptio Legis 228
sit occasio & prima quasi dispositio ad consuetudi-
nem contra Legem; tamen non statim perimat, nec
subditos à Legis obligatione eximat, sed potiùs tam-
diu stringat, quamdiu requisita legitimæ consuetudi-
nis non concurrunt. Sicque patet, quàm solida sit 229
sententia, in *cap. 9.* probanda, quòd consuetudo contra
Legem nequaquam consurgere possit, nisi per ac-
tus formaliter peccaminosos, factos nempe contra Le-
gem promulgatam & obligantem, ea proposito & vo-
luntate eam abrogandi: quia Lex non desinit obli-
gare, quòd populus eam servare nolit.

§. III.

An Legum Ecclesiasticarum obligatio desinat propter ignorantiam?

Prænoscendum I. ignorantiam Legis aliam dici 230
vincibilem, aliam invincibilem. *Vincibilis* est, quæ
potuisset superari, ac, comparatâ Legis notitiâ, quæ
non erat impossibilis aut difficilis, depelli. Estque vo-
luntaria aliquando directè, aliquando indirectè; cras-
sa subinde, supina, & graviter peccaminosa; subinde
excusanda, & leviter tantùm culpabilis. *Invincibilis est*, 231
quæ superari non potuisset, nec, comparatâ Legis
notitiâ, quæ erat impossibilis aut difficilis, deponi.

Prænoscendũ II. ignorantiam vincibilem neque ex- 232
cusare à culpa, neque à pœna. Non primum: quia ex *n.*
priori habet adjunctum voluntariũ, vel directum vel
indirectum. Non secundum; quia pœna consequitur
culpam, velut umbra corpus. Quia verò ignorantia 233
vincibilis, potest esse tantùm venialiter culpabilis, ut
quia ad eam vincendam adhibita quidem est diligen-
tia, sed minùs sufficiens; debet in illo casu pœna esse
proportionata culpæ; nec infligi pœna capitalis, ubi
culpa tantùm est venialis. Pettschacher *loc. mox ci-
tandô.*

Prænoscendum III. ignorantiam invincibilem pos- 234
se versari circa triplices Leges: præceptivas, pœna-
les, & irritantes. De quibus omnibus in præsenti quæ-
ritur, an obligare desinant personas, Legis existen-
tiam invincibiliter ignorantes?

Dico I. Ignorantia invincibilis Legis præceptivæ 235
excusat à culpa. Omnes. Ratio est: quia Leges non
obligant ad culpam, quos obligare non possunt. Sed
ignorantes obligare non possunt ad culpam, ut qui
perinde directionis sunt incapaces, ac amentes, infan-
tes, & dormientes. *Cur enim*, ait Imperator in *Nov.
66. cap. 1. culpabimus eos, qui posita nostras ignora-
rint constitutiones?* Ergo &c.

Dico II. Ignorantia invincibilis excusat à pœna spi- 236
rituali quâcunque. Haunold de *J. & J. tr. 1. num.*
120. P. Engel ad *tit. de Sent. excommunicat. n. 10.
& seq.* Pettschacher de *LL. q. 5. art. 2. p. 167.* Vi-
detur esse decisa conclusio in *cap. ult. de Constit. in 6.*
ubi Bonifac. VIII. ita statuit: *ut animarum periculis
obvietur, sententiis, per statuta quorumcunque Ordina-
riorum prolatis, ligari nolumus ignorantes. Dum ta-
men eorum ignorantia supina non fuerit & crassa.*

Dixi tamen I. *à pœna spirituali.* Quando enim 237
pœna est temporalis, & delinquens scit quidem ac-
tum esse prohibitum, nescit tamen pœnam in trans-
gressores esse constitutam, tunc receptissime in pra-
xi est sententia, delinquentem, non attentâ igno-
rantiâ pœnâ affici posse: videmus enim, vix non
quotidie suspendi fures, rotâ confringi latrones,
gladiô necari homicidas, esto tales malefici pœ-
nam à Lege præstitutam ignoraverint. Cujus ratio
est: quòd actus, contra Legem positus, jam ob-

noxius sit pœnæ; sicque ignorantia pœnæ non fa-
ciat, quò magis a pœna quis excusetur. Haunold.
cit. l. num. 103. Magnif. D. Pettschacher *ibid.*
p. 107. & König de *Constitut. sub n.* 24.

239 Non me præterit, Covarruviam in *relect.*
cap. alma mater de Sent. excommunic. in 6. p. 1. §.
10. *num.* 9. idem, quod de pœnis temporalibus
modò diximus, de pœnis quoque spiritualibus do-
cere, quando videlicèt delinquens scit, actum esse
vetitum à Lege Ecclesiasticâ, Divinâ, aut Naturali,
pœnam verò ignorat. Sed displicet hæc parifica-
240 tio. Nam *cit. cap. ut animarum* apertè loquitur
de ignorantia censuræ, conjunctâ cum scientia actûs
prohibiti: cùm causa, ob quam censura infertur, sit
peccatum mortale, Jure Divinò aut Naturali prohi-
bitum, quod illicitum esse, omnibus facilè co-
241 gnitum est, ait P. Engel *cit. num.* 10. Paritas ve-
rò de pœnis temporalibus vel ideò claudicat: quia
illæ propter inobedientiam erga DEUM & vindi-
ctam sceleris infliguntur; pœnæ verò spirituales præ-
supponunt aliquam contumaciam erga ipsam Eccle-
siam, & potiùs in medicinam quàm vindictam im-
ponuntur. Idem *ibid. n.* 11.

242 Dixi II. *quâcunque.* Ut includerem non solùm censu-
ras propriè dictas, sed etiam irregularitatem, aliasque
inhabilitates, si ex delicto & in pœnam interminen-
tur: eò quòd sæpe *cit. cap. ut animarum* gene-
raliter & indistinctè de *sententiis, per statuta prola-*
tis, conceptum, velut favorabile latiorem inter-
pretationem recipiat.

243 Dico III. Ignorantia invincibilis Legis Ecclesias-
ticæ irritantis non reddit actum à nullitate immu-
nem, si irritatio non sit constituta in pœnam. Suarez
lib. 5. *cap.* 22. *num.* 7. Palao *disp.* 3. *punct.* 12. *n.* 8.
Haunold. *d. l. num.* 109. Pettschacher *d. q.* 5.
244 *art.* 3. *p.* 176. Konig *d. num.* 25. *resp.* 3. Ratio
est: quia Leges irritantes toties habent suam vim,
quoties adest ratio boni communis, ob quam sta-
tutæ sunt. Sed ratio boni communis adest, sive
Lex ignoretur, sive sciatur: quia utrôque casu
pericula, fraudes, & incommoda possunt irrepere;
& potiora quidem in casu ignorantiæ (quam ple-
rique transgressores allegare, suumque in commo-
dum obtendere, non erubescerent) quàm in casu
scientiæ. Ergo Leges Ecclesiasticæ irritantes ac-
tum invalidant, sive sciantur, sive ignorentur.

245 Dices: Leges Ecclesiasticæ irritantes non habent
vim in casu necessitatis, quando forma, per Le-
ges præscripta, observari non potest. Sic enim ma-
trimonium, sinè Parocho contractum in locis, ubi
Parochus haberi non potest, uti in quibusdam
locis Indiæ, Hollandiæ, Frisiæ, Angliæ &c.
valet, non obstante decretò irritante Trident.
Concil. *sess.* 24. *de ref. matrim. cap.* 1. prout ex-
pressè Cardinales declarâsse feruntur. Sic ipsimet
246 *cap.* 1. *num.* 214. admisimus, necessitatem Legi non
subjacere, ac alienationem rerum Ecclesiæ immo-
bilium, in casu necessitatis extremæ sinè solemni-
tatibus factam, subsistere conclusimus. Ergo etiam in
casu ignorantiæ non habent vim Leges Ecclesiasticæ
irritantes: cùm æquè observatu evadant impossi-
biles, ac in casu necessitatis.

247 Resp. casum necessitatis non esse æquiparandum
casui ignorantiæ. Necessitas siquidem, cùm absolu-
tam & inevitabilem impossibilitatem servandi Le-
gem indispensabiliter secum trahat, nequit subesse
Legi, quæ impossibilia injungere, & imponere ne-
248 quit *d. cap.* 1. *num.* 88. Ignorantia verò non tra-
hit secum absolutam & inevitabilem impossibilitatem
servandi Legem: cùm Lex, publicè promulgata
sit & debeat esse per se apta percipi à tota com-
munitate. Ergo à Legis obligatione non eximitur,
sed magis increpatione quàm excusatione digna
censetur in *l. regula* 9. *& tot. tit. ff. & Cod. de*
Juris & facti ignorant. adeò ut etiam in regulam Ju-
ris abierit: quòd, *qui contra Jura mercatur, bonam*
fidem non habere præsumatur, cap. qui contra 82.
de R. J. in 6. Unde, qui Professionem Religio- 249
sam emisit ante annum decimum sextum, invalidè
profitetur, etsi nescìverit, professionem tam im-
maturam ab Ecclesia irritatam esse.

Dixi tamen: *si irritatio non sit in pœnam consti-* 250
tuta. Nam irritatio, quæ magis pœnam quàm so-
lennitates respicit, uti v. g. est Lex, irritans
emptionem-venditionem propter gabellam, non so-
lùm, culpam præsupponit; quæ in illo eventu,
ubi Lex irritans ignoratur, præcedere non potest.
Authores supra *cit.*

§. IV.

An & quomodò Leges Ecclesiasticæ mutationem subeant?

Dico I. Leges Ecclesiasticæ veram mutationem 251
subeunt. Patet ex antiquissima Ecclesiæ praxi; &
probatur: quia Leges Ecclesiasticæ sunt volunta-
riæ & arbitrariæ: adeòque quâ libertate sunt fixæ,
eâdem refigi possunt. Unde vel ex toto abrogari
possunt; vel ex parte illis derogari, vel cum una
vel altera persona dispensari potest.

Dico II. Leges Ecclesiasticæ possunt mutari 252
ab ipso Legislatore, ejus Successore, vel Supe-
riore, & nonnunquam ab inferiore. Conclusio qua-
tuor membra complectitur. Primum est manifes- 253
tum ex ratione, mox datâ. Secundum constat ex 254
cap. innotuit 20. *de Elect. cap. exiit* 3. *de V. S. in* 6. ubi
habetur, quòd par in parem, & Successor in Suc-
cessorem non habeat potestatem, quâ manus il-
li, & liberam disponendi, regendique facultatem
liget. Tertium docet fortissima ratio: quia inferior 255
nequit constitutiones Superiori præscribere. Quar- 256
tum unanimis ferè DD. consensus evincit, dum
Episcopum v. g. in Lege Ecclesiasticâ universali
dispensare posse, asserit, quando urget necessitas
dispensandi, periculum in mora imminet, ac val-
de difficilis est ad S. Pontificem recursus: quia
non est credibile, voluisse S. Pontificem Legem
suam in ejusmodi contingentia reddere indispen-
sabilem. Suarez *lib.* 6. *cap.* 15. Palao *disput.* 6.
punct. 4. Haunold de *J. & J. tract.* 1. *num.* 212.
Pettschacher *quæst.* 7. *artic.* 3. §. 4.

Notandum verò arbitror I. Legem novam ab-vel 257
derogatoriam veteris, æquè ac novam promulga-
ri debere, veluti verior mihi sententia cum Vas-
quezio contra Suarezium *lib.* 6. *cap.* 27. *num.* 16.
docet: partim quia revocatio Legis non mi-
nùs quàm constitutio Legis est vera Lex &
ordinatio rationis ad bonum commune: partim
quia Lex, sicut obligare non incipit sinè volunta-
te Legislatoris, per promulgationem manifestatâ
& declaratâ; ita obligare non desinit, nisi eâdem
Legislatoris voluntate ipsa Legis cessatio sit publi-
cata.

II. per Legem posteriorem contrariam abroga- 258
ri quidem priorem generalem, etiamsi prioris nul-
la fiat mentio; non tamen abrogari priorem spe-
cialem, si expressa illius mentio non fiat. Bonifa-
cius VIII. in *cap. licèt* 1. *de Constitut. in* 6. Ra- 259
tionem differentiæ suggerit ipse Pontifex in *d. cap.*
quia Leges generales Legislator, qui *omnia Ju-*
ra in scrinio pectoris habet, scire; Leges verò par-
ticulares, *cùm sint facti & in facto consistant*, igno-
rare præsumitur. Et ideò si in Jure Canonico, in 260
Decretalibus, Sextò, Clementinis &c. una Lex
alteri adversa reperiatur, illa, quæ est in Sexto v.
g. tan-

g. tanquam junior prævalet illi, quæ est in Decretalibus, tanquàm seniori. Neutra tamen abrogat speciales Ecclesiarum particularium Leges, nisi id exprimat.

261 Dico III. Quando Legislator, Successor, vel Superior in Lege sinè causa dispensat, dispensatio est valida, sed illicita; secùs si inferior dispenset. Prima pars, attestante P. Pettschacher *d. q. art.* 3. §. 3. *concl.* 3. est communis contra alios paucos; eamque circa impedimenta Matrimonii tuetur Clariss. P. Augustinus Magg *tract. de Matrimon. de dispensat. impediment. q.* 4. *pag.* 195. generaliter quoque recipit Reverend. Hardier de *LL. quæst.* 5. *art.*
262 1. *num.* 3. Ratio est I. quia Lex tam in fieri quam in conservari dependet à voluntate Legislatoris. Sicut ergo Legislator sinè omni causa potuisset Legem non ferre: sic Legem semel latam potest auferre, sive ex toto, sive ex parte; tam quoad omnes, quàm quoad aliquos. Ratio est II. quia, li-
263 cèt & justitia distributiva velit, ut immeritis nullus conferatur favor; & justitia Legalis exigat, ut potestate suâ Legislator non in destructionem, sed ædificationem communitatis utatur: attamen id solummodò de licita potestatis usura, non de valida intel-
264 ligendum est. Nam ita constringere potestatem Legislatoris velle, ut sinè rationabili causâ nil agat validè, est periculo nullitatis omnes Leges actùsque Legislatoris exponere: cùm casus vix evenire posset, in quo causæ justitia non traheretur ad examen. Ergo ipsa boni publici ratio postulavit, ut absoluta dispensandi potestas relinquatur Legislatori, & sola actûs honestas ad causæ justitiam alligetur.

Secunda pars, quam tenent citati Pettschacher §.
265 4. *f.* 238. & Magg *d. q.* 4. probatur exinde: quia inferior nequit in Lege Superioris dispensare, nisi ex præsumpta voluntate & licentia. Atqui de Superiore præsumendum non est, quòd sinè rationabili causa in relaxationem Legis consentiat: quia præsumendum non est, quòd velit actum vetitum approbare. Ergò sinè causa inferior in Lege Superioris validè nequit dispensare.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Concilium Pisanum non fuit authenticum.* 2. *& seqq. Probatur ex Card. Sfondrato.* 5. *Agitur de Concilio Constantiensi.* 6. *& seqq. Ejus Decreta in* Sess. 4. *& 5. non fuerunt legitima.* 9. *Concilium Basileense fuit ab initio authenticum.* 10. *& seqq. At posteà ab Eugenio IV. revocatum, & improbatum.* 13. *& seqq. Ecclesia Romana in Missa, S.Scriptura, & Legibus universalibus utitur linguâ Latinâ.* 16. *& seq. Leges, in lingua Italica edita, non præsumuntur universales, sed pro sola Italia condita.*

QUÆSTIO I.

An Leges & Decreta Concilii Pisani, Constantiensis, & Basileensis valorem habeant?

Resp. I. de Concilio Pisano, quod anno 1409. ad
1 tollendum schisma inter duos Pontifices Pisis in Tuscia indictum est, nullas quidem Leges alias aut Decreta à Ludovico Bail in *Summa Conciliarum* exhiberi, nisi quòd utrumque Pontificem, Gregorium XII. & Benedictum XII. exauthoraverit, ab utriusque partis Cardinalibus substitutô Alexandro V. Nihilominùs ejus auctoritatem ab Eminentiss. Card. Sfondrato in *Regali Sacerdot. lib.* 2. §. 16. *pag. n.* 469. *& seqq.* non una ex ratione in dubium vocari. Nam, ut ille discurrit, certum quidem est, in Concilio Pisano
2 fuisse Gregorium XII. & Benedictum XII. Pontificatu ejectos, electumque Alexandrum, sed non æquè certum, an jure id factum, & ex legitima potestate; nec propterea novi Pontificis electione cessavit dubitatio, quia pro vero Pontifice habendus esset: nec sublatum schisma, imò, quod plerique eorum temporum Auctores notant, auctum potiùs, diffusumque novi Pontificis accessione, adeò ut, cùm priùs Ecclesia in duas, postea in tres factiones scinderetur, augente incertitudinem Pontificum numerô, ea ferè ratione, quâ in labyrintho, non ideò
certiùs eas, quia pluribus viis: & qui Gregorio ac 3
Benedicto adhærebant, nec pro hæreticis aut schismaticis habiti sunt, quòd videlicèt multis nec inanibus rationibus niterentur, ut Concilio Pisano non subscriberent, nec satis de vero Pastore constaret; imò etiam Sanctos reperias, qui Conci-
lio Pisano obluctati sunt; inter quos S. Antoninus 4
3. *p. tit.* 22. *cap.* 5. §. 2. & *cap.* 6. §. 2. *Pisanum Concilium*, inquit, *vel Conciliabulum, cùm non esset alicujus earum, qui se pro Pontifice gerebant, auctoritate congregatum, non erat ablatum ipsum schisma, sed augmentatum ex duabus tribusve se pro Papa gerentibus*; & alibi testatur: *Gregorium à multis DEUM timentibus, & peritis, creditum fuisse verum Pontificem tempore ejusdem Concilii.*

Resp. II. mortuô intra annum Alexandro V. at- 5
que in ejus locum suffectô Joanne XXIII. cùm Gregorius & Benedictus etiamnum pro Pontificibus agnosci cuperent, atque à multis agnoscerentur, eundem Joannem XXIII. ut scribit *cit.* Sfondratus *d. l.* §. 17. *pag m.* 485. authoritate Sigismondi Romanorum Imperatoris (cujus potentiâ indigebat) aut victum, aut deceptum Concilium Constantiam indixisse, eamque anno 1414. solenni pompâ inve-
tum esse. Num verò ab initio istud Concilium fue- 6
rit legitimum, ipsiusque decreta vigorem obtinuerint? Latè & profundè discutit prælaudatus Cardin. *d. pag.* 485. *& mult. seqq.* an præter ordinem & modum, aliàs in expediendis negotiis Conciliaribus, usitatum, hic verò non servatum, præprimis probat, id, quod *Sess.* 4. *&* 5. de superioritate Concilii supra Romanum Pontificem sancitum est, non pertinere ad Pontificem, legitimè creatum, sed dubium, incer-
tum, aut hæreticum. Qua de causa, dum uterque 7
Pontifex, Joannes & Benedictus, Papatu exuebantur, Gregorius verò sponte se abdicaverat, Cardinalis de Colonna, legitimâ electione in Pontificem assumptus, dictusque Martinus V. *Sess.* 45. in Confirmatione Concilii voluit *omnia & singula determinata, & conclusa decreta in materia fidei per præsens Sacrum Generale Concilium Constantiense conciliariter tenere ac inviolabiliter observare, & nunquam contravenire quoquô modô; ipsaque sic conciliariter facta approbat,
& ratificat, & non aliter, nec aliô modô.* Præterea 8
cit. Sfondratus allegat constitutionem *d.* Martini V. primô sui Pontificatûs annô 6. Idus Martii editam, in qua *nulli*, inquit, *fas est, a supremo Judice, videlicèt Apostolica Sede seu Romano Pontifice JESU Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis fidei (quæ tanquam majores ad ipsum & Sedem Apostolicam deferendæ sunt) declinare.*

Resp. III. Concilium Basileense, ab Eugenio IV. 9
Summo Pontifice anno 1432. convocatum, missô Basileam Cardinali Julianô, legitimum initium accepisse; postquàm verò sequenti statim anno idem Eugenius, revocatô Julianô, id dissolvi, gravibusque ex motivis aliò transferri jussit, vim ac valorem omnimodò amisisse; licèt Patres quàmplurimi Basileæ substiterint, Eugenium illuc citaverint, & Amadeum Sabaudiæ Ducem sub nomine Felicis V. intruserint, prout sæpe laudatus Cardin. Sfondratus *d. lib.* 2. §. 18. *pag.* 515. *& seqq.* prolixè demonstrat, & inter alios testes adducit D. Antoninum 3. *tr.* 22. *cap.* 10. §. 4. qui Concilium Basileense, postquàm ab Eugenio dissolvi jussum, vocat *conciliabulum*

ciliabulum viribus cassum, Synagogam Sathanæ, temerarium, & præsumptuosum conventum. Et quamvis Eugenius, ut refertur in *Seß. 16.* hujus Synodi, Bullas & diplomata, à se contra Concilium date, *nulla & inania fuisse declaraverit, ipsum verò Concilium fuisse legitime inchoatum, legitimèque continuatum*: attamen juxta responsionem *cit.* Cardinalis *pag. 520.* illa declaratio partim erat supposititi, a quibusdam Cardinalibus taliter qualiter confecta: partim ex gravissimo metu extorta: partim ad rem non faciens: quippe cùm Concilii quidem cursus & progressus, minimè verò Decreta
21 Concilii probata legantur. Id quod Eugenius ex testimonio Cardinalis Turrecremetæ in publice Disputatione Florentinæ hisce verbis confessus esse refertur: *nos quidem progressum Concilii approbavimus, volentes, ut procederet, ut inceperat; non tamen approbavimus ejus decreta: quis enim nisi imprudentissimus Princeps approbaret decreta, quæ nunquam vidisset, aut quæ prius non examinasset, si in eis minùs rectum, aut minùs verum, aut mi-*
22 *nùs expediens reperiretur?* Quid quòd Concilium Florentinum in Sessione publica anno 1439. declarationes Basileenses *tanquam impias, scandalosas, in manifestam Ecclesiæ scissuram ac omnis Ecclesiastici Ordinis confusionem tendentes, damnet reprobetque?* Id ipsum faciente Concilio Lateranensi *Seß. undecima*, ubi Synodum Basileensem eppellat *conciliabulum schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis.*

QUÆSTIO II.

Quâ linguâ concipiendæ sint Leges Ecclesiasticæ?

23 Proponit hanc quæstionem Eminentiss. D. Cardinelis Vincentius Petre in *Comment. ad Constitut. Apostol. tom. 1. pag. 10. & seq. à n. 15.* & ite resolvit: in Bullis & Constitutionibus Apostolicis servari linguam Latinam, & optimâ quidem ratione: quia eâdem linguâ utitur Ecclesia in Missa, Sacra Scripture, ac in aliis suis Ritibus, prout etiam in Conciliis; & quoad Missas adest expressa prohibitio Sacri Conc. Trid. *Seß. 22. cap. 8.* quò minùs linguâ vernaculâ possit reciteri; prout etiam quoad versionem S. Scripturæ prohibitum extitit. Cùmque linguæ Latinæ fue-
24 rit materna Romanorum, ut notet Glossa in *verb. voce §. alienandis Auth. de non alienand.* Summi Pontifices, qui à primo Præsule D. Petro in Urbe Sedem constituerunt, tali idiomete usi sunt etiam in Legibus & Constitutionibus: quia enim hæ Leges versantur circa totius Orbis Nationes, & usu fieri non poteſt, ut omnium idiome complecterentur; ideò Latinô utuntur, omnibus magis communi, uti bene observavit etiam Imperator, in *d. §. alienationis auth. de non alienand.* mandens, ut Lex linguâ communi fit condite; & quidem magis communis Latinè non est in præsenti: quia Hebreica apud paucos, Græca
25 verò apud nonnullos eruditos floret. Repetit hoc ipsum *cit.* Card. *pag. 1. e. n.* 2 e. certumque dicit, quod Bullas & Constitutiones necessariam esse linguam Latinam: nam, cùm dirigantur erga tot Nationes Orbis Christiani tot variarum linguarum subalternarum, debent pro lerri linguâ communiori dictis Nationibus: &, cùm impossibile foret, condere Leges linguâ singulis Nationibus adaptabili; ideò Latina communior, & omnibus ferè Nationibus cognita, adhiberi cæpit.
26 An ergo constitutio Pontificia, idiomete Italô concepta, efficiet omnes Nationes extra Italiam? Quærit *citat.* Eminentiss. Petra *pag. 13. n. 31.* &
27 occasione controversiæ, utrùm constitutio Innocentii XI. de taxa Cancellariæ, verbis Italicis descripta, obliget solos Italos? Pro & contra disseris, magis tamen inclinet in negativam: nisi enim aliunde constet quòd S. Pontifex voluerit constitutione aliquâ in lingua Italica constringere omnes Nationes, non vana est præsumptio, eam ad illos tantùm, quibus materna lingua est Italica, coerctari.

CAPUT VI.

De Jure Civili Publico.

Exposito Jure Sacrô & Canonicô, subingreditur Jus profanum & Civile; quod, si relegere placeat *in tract. præamb. cap. 1. n. 128. & seqq.* bifarium esse, patebit, Publicum scilicèt & Privatum. Illud, cùm dignitate & nobilitate præcellat, ordine tractationis quoque præcedet.

SECTIO I.

De Nomenclatura, Natura, Ortu, & Progressu Juris Publici.

SUMMARIA.

1. & *seqq.* Variæ acceptiones Juris Publici. 5. Definitio. 6. & *seq.* Est ordinatio rationis. 8. & *seq.* Immediatè in bonum commune & publicum Imperii. 10. & *seq.* Ab ejusdem Supremo Capite promulgata. 12. Origo Juris Publici. 13. & *seq.* Leges Publicæ non statim fuerε scriptæ. 15. & *seqq.* Perstringuntur scriptores Acatholici. 23. & 24. Cautela pro lectoribus Catholicis. 25. & *seqq.* Prima Lex Imperii scripta non fuit Recessus, sed Aurea Bulla.

§. I.

De Nomenclatura Juris Publici.

Jus Publicum ab eo, quòd manifestum, & non occultum sit, deductum, non unam acceptionem in Jure habet. I. enim Jus Publicum à *Causa efficiente* vocatur, quod Authoritate publicâ constitutum est. Quô intellectu ad Jus Publicum in *l. ex sententia 29. ff. de Testament. tut.* tutela; in *l. testamenti 3. ff. Qui testam. fac. poss.* testamenti factio; in *l. quod bonis 15. §. 1. ff. ad Legem Falcid.* beneficium Legis Falcidiæ, & alibi jura alia revocantur. Indeque in *l. jus publicum 38. ff. de Pact. l. nec ex prætorio 27. ff. de R. J.* pronuntiatum habemus, ea, quæ Juris publici sunt, conventione privatorum immutari, aboleri, aut infringi non poss. Clariss. D. Josephus Bonavent. Franz in *Quæst. select. quæst. 12. n. 1. & 2.* 2

II. Jus Publicum appellatur ab usu & effectu, quod omnibus est commune, ac universos concernit cives. Quâ ratione in *l. nihil 116. §. 1. ff. d. t. & l. ob maritorum 2. Cod. Ne uxor pro marito &c.* Jus Publicum opponitur privilegio, quod non pertinet ad universos, sed ad singulos. D. Franz *cit. quæst. 12. num. 3.* 3

III. Jus Publicum denominatur à fine, puta ab utilitate publica totius Reipublicæ, quem immediatè respicit, & curare, reparare, aut conservare intendit. Ita Imperator in *§. ult. Inst. & JCtus in l. Juris 1. §. 2. de J. & J.* Idem *ib. n. 4.* 4

§. II.

§. II.

De Natura Juris Publici.

5 In postrema denominatione definiri potest Jus Pu-
blicum, quòd sit ordinatio rationis, immediatè in bo-
num commune & publicum totius Imperii ab ejusdem
Supremò Capite promulgata.
6 Dixi I. *Ordinatio rationis.* Ut ostenderem, Jus
Publicum esse veram Legem, in rectâ ratione funda-
tam, atque à Jure Naturæ, & Gentium neutiquàm
alienam, uti frustra sibi persuadent Wesenbecius in *Pa-
ratit. ff. de J. & J. n.* 14. Zoësius *ibid. num.* 23. &
7 alii. Nam si usquam, in Jure Publico Naturæ & Gen-
tium scita & sancita maximè procedunt: dum ea, quæ
ad Fœdera, Bella, Legationes, Commercia, Pacifica-
tiones & pactiones publicas spectant, non aliunde,
quàm ex Jure Naturali & Gentium petenda, & expe-
ctanda sunt. Relegantur dicta in *cap.* 4. *sect.* 2. Con-
ferantur Clariss. D. Franz cit. *quæst.* 12. *à num.* 9. Phi-
lippus Reinardus Vitriarius *Institut. Juris Publ. tit.*
2. *n.* 1. & 2.
8 Dixi II. *immediatè in bonum commune & publicum
totius Imperii.* Hæcque est intima & unica ratio, di-
stinguendi Jus publicum ab omnibus Juribus, affini-
tate junctis. Licèt enim Jus omne, quod Legale est,
feratur in bonum commune, attamen immediatè in
bonum commune & publicum totius Imperii nul-
9 lum aliud, quàm Publicum Jus ordinatur. Nempe
quæ Lege Publicâ sanciuntur, in executione primò
in utilitatem publicam redondant, ac per consequen-
tiam ad singulos diffluunt: quæ verò Lege aliâ sta-
tuuntur, in executione priùs ad singulos, deinde ad
totam Rempublicam ex consequenti dimanant. Cla-
riss. D. Hermannus Hermes in *Fascic. Jur. Publ. cap.*
1. *num.* 3.
10 Dixi III. *ab ejusdem Supremò Capite promulgata.*
Ubi Causam Efficientem Juris Publici indigito, quæ
est Supremum Imperii Caput. Si enim quælibet Lex
ab eo, qui curam habet communitatis, egreditur ex
cap. 1. *num.* 12. *& seqq.* Lex Publica Imperii nequit
ab alio, quàm Imperii Supremo Capite, cui Reipubli-
cæ totius cura & regimen est demandatum, ordi-
11 nari. Unde Imperator Romano-Germanicus est causa
Principalis Legis & Juris Publici in Imperio: qui,
licèt ex ordinatione Pacis Monasteriensis *art.* 8. §.
gaudeant. Procerum Imperii consilium & suffragium
prærequirere teneatur: attamen Imperialis culminis
authoritate solus Leges conceptas promulgat, uti om-
nium ferè Recessuum formulæ demonstrant: *Nachdem
Wir Uns mit den Ständen, und sie vviderumb sich
mit Uns verglichen, so setzen demnach, ordnen,
und vvollen Wir aus Römischer Kayserlicher macht
und Vollkommenheit &c.* Franciscus Fridericus L.
B. ab Andlern *Jurisprudent. publ. & priv. lib.* 1. *tit.*
3. *part.* 2. *n.* 30.

§. III.

De Ortu & Progressu Juris Publici.

12 Jus Publicum Romani Imperii cum ipsa Romano-
rum Monarchia effloruisse, eundémque cum Jure Ci-
vili privato ortum habuisse, firmum ac certum habeo.
Sicuti enim quælibet communitas ex natura rei po-
testatem Legislativam privatam, sic publicam expos-
cit, prout *sequens cap. sect.* 2. exactiùs demonstrabit.
13 Leges verò Publicæ non statim, ut à Roma-
nis conditæ, sic etiam scriptæ sunt; neque illa-
rum studium tam impensum, quàm Legum priva-
tarum extitit. Posteaquàm enim Imperatores ipsi-
met, atque inter hos Justinianus, non tam publi-
ca, quàm privata Jura tractare, animum induxe-
runt, factum est, quòd Veterum JCtorum adeò
parcum fuerit Juris Publici studium, ut, licet sui
temporis Jura Publica optimè calluerint, pauca
tamen literis consignârint. Illustriss. D. ab Andlern
cit. Jurisprud. publ. & priv. lib. 1. *tit.* 2. *part.* 14
2. *num.* 7. ubi simul advertit, si quæ fortè scri-
pta publica extiterunt, ea vel Urbe Româ à Gal-
lis circa Annum U. C. 366. igne absumptâ; vel
in universali illo incendio Constantinopolitano An-
no Christi 1354. unà cum concrematis 3000. libris
periisse, &, si quæ supererant, ea incuria suppres-
sa & deperdita fuisse.
Causam propinquiorem cur studium Juris Publi- 15
ci quasi mortuum & extinctum diu jacuerit in
Germania, in Papatum cum Svvedero in *Introduct.
ad Jus publ. part. gen. cap.* 1. *num.* 8. & aliis
Acatholicis refundit Jacobus Brunneman *Juris-
prudent. publ. Dissert.* 1. §. 4. Causam verò, cur 16
denuò ad vitam & lucem redierit, adscribit primis
Religionis Reformatoribus in Germania & Helve-
tia, eò quòd Principum Politicorum jura detexe-
rint, ac contra Romanum Pontificem vindicave-
rint.
Sed nempe omnes ferè Scriptores Juris Publici, 17
qui dogmata Lutheri & Calvini sequuntur, labo-
rant summè noxiâ hâc prurigine, ut quâvis occa-
sione venenatos dentes contra nos acuant; S. Pon-
tificem ausu & morsu impetant; ac Orthodoxam
fidem, cujus nitorem ferre nequeunt, maledicentiæ
caligine deturpare properent, ut ferè in terminis
olim conquestus est Clariss. D. Josephus Bernar-
dus Gleile in *Select. Jur. pub.* Præprimis verò in- 18
tegra calumniarum plaustra in Gregorium VII.
effundunt; quem, utì Libertatis, Immunitatis, &
Superioritatis Ecclesiasticæ Herculeum vindicem
sciunt; ita non vanè pertimescunt, ne, si acta il-
lius, à Cœlo & tota olim Ecclesia comprobata,
& ipsi seu extollant apertè, seu dissimulent, Judi-
cem in Fidei Religionisve controversiis sibi non fa-
ventem agnoscere videantur. Non vindicat sibi Pon- 19
tifex Jura Imperatoris; sed utramque & Pontificiam
& Imperatoriam Potestatem, in suo ordine Supre-
mam; illam in spiritualibus, hanc in temporalibus,
fatetur in *cap.* 6. *& seqq. Dist.* 96. *cap. felicita* 6. *de
M. & O.* Habet equidem & ipse Potestatem profa- 20
nam in territorio & patrimonio D. Petri; hæc tamen,
suos intra cancellos conclusa, Jurisdictionem Impe-
ratoriam non perturbat. Habet quoque Imperator
aliquid ex juribus Ecclesiæ; sed à Supremo Ecclesiæ
Principe in se derivatum esse, non ibit inficias. Alii 21
Reges & Monarchæ Catholici id ipsum agnoscunt:
Summum Pontificem, ut Patrem & Pastorem Maxi-
mum, salvâ suâ Majestate venerantur: illum in Eccle-
sia Christiana; se in Regnis suis Supremos credunt:
ab illo spiritualia; à se temporalia Jura (directa &
ordinaria) profluere, non negant. Talem Regiæ Pon- 22
tificiæque Potestatis subordinationem, si Reforma-
tores Regionis & Religionis avitæ intactam reliquis-
sent, nec Imperatoris politicam Authoritatem in suo
territorio minuissent, staret hodiedum Romanum
Imperium, ac verè Romanum, sanctum, dives, &
formidabile nuncupari posset, quemadmodùm ante
duo circiter sæcula verè nuncupari potuit.
Cautos propterea Juris Publici studiosos esse ve- 23
lim in legendis heterodoxorum libris Publicis; ne
in rebus, Fidem & Historiam Ecclesiasticam quomo-
dolibet tangentibus, ipsorum documentis, quæ ple-
rumque domestica & nova sunt, fidant: alioquin
pro floribus, quos sperant, spinas & tribulos in-
venient, animam periculosiùs quàm corpus pun-
gentes. Attendant, quod D. Gleile *loc. jam cit.* 24
asserere non timuit: *si Religio Catholica in terris Im-
perii prædominari aliquando rursus incipiat, omnes ferè*

libri, illustrando Juri Publico ab Acatholicis conscripti, sub censuram vocabuntur, ac vel omninò proscribentur, vel ita expurgabuntur, ut vestigia veneni deleantur.

25 Primas Juris Publici Leges, quæ in scripturam redactæ sunt, nonnulli Recessus Imperii fuisse dicunt, hoc est, decreta comitialia, quæ sub finem comitiorum à Statibus & Imperatore concluduntur: eò quòd primis quasi temporibus Germani suos habuerint conventus, atque in illis de statu publico bonisque Legibus consultaverint. Nam, ut Tacitus de *Moribus*
26 *German. c. 11.* inquit, de minoribus rebus Principes consultant, de majoribus omnes; ita tamen ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes tractentur. Et, ut ostendit Pfeffingerus in *Not. ad Vitriarium lib. 1. tit. 1. num. 10. lit. d.* jam à temporibus Caroli Magni cum ipsis Regni incunabulis Status Imperii jus comitiorum, ferendæque cum
27 Imperatore Legis habuerunt. Quia tamen non extant tabulæ authenticæ, quibus vel unicus Imperii Recessus ante Auream Bullam conditus exhiberi possit: hinc pro scriptis Germaniæ Legibus non rectè agnoscuntur Recessus.

28 Prima ergo & quasi fundamentalis Imperii Romano-Germanici Lex erat Aurea Bulla, ab Imperatore Carolo IV. circa electionem, & coronationem Imperatoris, nec non jura Electoribus competentia, An. Christi 1356. promulgata. Clarist. D. Hermes in *Fascic. cap. 2. num. 15. & seqq.* Clarissimus D. de Wolleren *in cit. quæst. select. 6. num. 5. & 6.* Vitriarius *d. lib. 1. tit. 2. num. 12.* Secutæ sunt Leges aliæ, de quibus jam egimus in *tract. praamb. cap. 1. à numero 140.*

SECTIO II.

De Effectu & Subjecto Juris Publici.

SUMMARIA.

29. & seqq. Legibus Civilibus Publicis obligantur omnes cives Imperii. 32. & seq. etiam Status Ecclesiastici. 34. & seq. Hac obligatio est virtutis obedientiæ. 36. Imperator non tenetur his Legibus vi coactivâ. 37. & seq. Non obstante A. B. cap. 5. 39. & seqq. Nec vi directivâ directè, sed tantum indirectè. 44. Imperator non potest se solô Leges Imperii universaliter abrogare, vel illis derogare. 45. Benè tamen cum Statuum consensu. 46. Potest verò cum uno vel altero dispensare. 47. & seqq. In casu necessitatis non constringitur ullâ Lege publicâ. 54. & seqq. Nec etiam in casu evidentis utilitatis.

§. I.

Quinam Legibus Publicis obligentur?

29 EFfectus Juris Publici est obligatio ad servandum illud, quod Jure Publicô cautum legitur. Subjectum sunt illi, quos hæc servandi obligatio constringit. Ubi

30 Regula generalis ponenda est, quòd Leges Publicæ omnes Imperii Status ac subditos, tam immediatos quàm mediatos, obligent, prout ex Recessu Imperii novissimô de Annô 1654. §. 6. ibi: *setzen demnach, wollen, und gebieten allen und jeden Hohen und Nidrigen, Geistlich und Weltlichen, Ohn- und Mittelbaren, sie seyen Stånd des Reichs oder nicht &c.* lu-
31 culenter eruitur. Tametsi non diffitendum sit, Status immediatos immediatè, mediatos tantùm mediatè, quatenùs à Principe & Domino terræ repræsentantur, obligari. Vide Mayerum de *Jure Stat. Imp. cap. 5. n. 59.*

Neque Status Imperii Ecclesiasticos ab hac obligatione exemptos esse, quispiam sibi persuadeat, quasi videlicèt Legibus Sæcularibus soluti sint, per dicenda in *cap. seq. sect. 3.* Nam quia ab Imperatore & Imperio integras Provincias, Regiones, Principatus, Comitatus &c. in feudum acceperunt, Jurisdictionem Imperatoris & Imperii nec non Leges Publicas respicere tenentur per *cap. cæterùm 5. de Judic. cap. ex transmissa 6. & seq. de Foro compet.* & ibi Canonistæ cum Gonzalez. 32 33

An ista obligatio parendi LL. Publicis sit obedientiæ vel justitiæ; legalis aut conventionalis? Disceptari solet. Ubi verosimilius existimo, esse obligationem legalem & obedientiæ: tum quia Imperator in Recessibus & constitutionibus Imperii loquitur præceptivè, sicut ex *d. Recess. §. 6.* constat: tum quia Leges publicæ sunt veræ Leges, à Superiore subditis præscriptæ: tum quia verba *vergleichen, vereinigen, &c.* in Legibus Publicis usurpari solita, magis Imperatorem quàm Status tangere videntur, quòd nempe ille non tam ex Lege, quàm ex pacto teneatur, uti dicemus in §. *seq.* Mayerus *d. tractat. cap. 5. num. 60.* Paurmeister de *Jurisdiction. lib. 2. cap. 2. n. 57.* 34 35

§. II.

An Imperator Legibus imperii subjectus sit?

Dico I. Imperator Legibus Imperii Publicis vi coactivâ non tenetur. Hermes in *Fascic. cap. 11. num. 84.* Ratio meridiana videtur: quia Imperator in veriore sententia est adhuc Monarcha; & in illorum opinione, qui Monarcham esse negant, saltem est Princeps Summus & Caput Imperii, dum in actibus & scriptis quà publicis quà privatis, tum à toto Imperio, tum membris Imperii sigillatim titulô Majestatis, Summi Capitis & Principis honoratur. Ergo deficit ex parte Imperii Jurisdictio, & ex parte Cæsaris subjectio, ratione cujus justitiæ vindicativæ severitatem & vim coactivam experiatur. 36

Neque difficultatem facessit Aurea Bulla *c. 5. §. fin.* ubi Serenissimo Electori, Comiti Palatino Rheni, prærogativa judicaturæ Cæsareæ ex antiqua consuetudine adstruitur, virtute cujus in causa Imperatoris, rei partes sustinentis, Judicem agere valet. Enimverò hæc judicatura non tam Authoritatis publicæ, quàm privati arbitrii est: dum Imperator, qui Camerali aut Imperiali Judicio non subjacet, nolens in causis propriis judicium per se exercere, Palatinum, quasi arbitrum Juris, delegit, ne causæ suæ diffidere, vel injustitiam, quærere videatur. Vitriarius *lib. 3. tit. 22. §. 16.* Mulz. *in Repræsent. Majest. cit. part. 2. cap. 16. §. 1.* ubi in *num. 8.* ex Lymnæo advertit, judicium hoc ad justitiæ incrementum, non ad Majestatis decrementum, institutum esse. 37 38

Dico II. Neque vi directivâ Legum Publicarum Imperator directè obligatur. Hermes *cit. l.* Ratio est eadem, quæ prioris conclusionis. Cùm enim Leges tam publicæ quàm privatæ directè ferantur in subditos; Imperator verò subditus sibi aut Imperio non sit: certè Legibus publicis etiam quoad vim directivam directè non obligatur. Rememorentur dicta in *cap. praced. à n. 139.* 39

Dico III. Imperator vi Legum Publicarum directivâ indirectè tenetur. Ratio est: quia, qui occasione Legis, nec tamen ex virtute Legis obligatur, indirectè obligatur. Sed Imperator non ex virtute, sed occasione tantùm Legum Publicarum obligatur: quia nempe tam in ipsa Legum constitutione ultrò se ad Legum observantiam adstringit, quemadmodùm 40

modùm ex Recessu Imperii de An. 1500. *in pr.* in verb. *vervilligen und annemmen Wir ein Ordnung und Satzung &c.* aliisque Recessibus constat; quàm generali promissione & juratâ sponsione ante coronationem omnes Imperii Leges se sa farvaturum pollicetur, veluti ex Capitulationibus Augustissimorum Imperatorum, Caroli V. *art.* 2. Ferdinandi I. *art.* 2. Maximiliani II. *art.* 3. Rudolphi, Matthiæ, Ferdidandi II. III. & IV. Leopoldi I. Josephi I. & Caroli VI. *art.* 2. liquet. Ergò tantùm indirectè obli-
41 gatur. Confirmatur. Qui juratò spondet, quòd alieni Territorii Leges custodire velit, obligatur illis Legibus tantùm indirectè, & occasionaliter. Ergo etiam, quia Imperator juratò spondet, quòd Imperii Leges adimplere velit, tantùm indirectè & occasionaliter Legibus Imperii obligatur.

42 Nequa Majestati Cæsareæ quidquam detrahi suspiceris, quòd propriis Legibus se se submittat. Nam, si Majastatem ex eo depressam non censeas, quòd Legibus Naturæ, DEI, & Gentium coronatum Caput inclinet: pari Jure depressam non censeas, quòd propriis Legibus morem se gesturum Cæsar promittat: siquidem ipsa Naturalis ratio præcipit, ut, quam ab aliis servari desiderat Legam, ipse Legislator exem-
43 plò sibô facilem & possibilem commonstret. Scilicet Sapientis effatum est: *patere Legem, quam ipse tuleris. cap.* 6. *de Constitut.* & Platonis sententia *lib.* 4. *de LL. imeritum parari illi Civitati, in qua non Lex Magistratibus, sed Magistratus Legibus dominantur.* Vide D. ab Andlern *sape laud. Jurisprudent. lib.* 1. *tit.* 3. *part.* 2. *num.* 16. & 25. Mulz *p.* 1. *cap.* 12. §. 4. & *seqq.* Hermes in *Fascicul. cap.* 3. *à num.* 31.

§. III.

Possinte Leges Publicæ ab Imperatore mutari?

44 Certum videtur I. Imparatorem solum Leges Publicas in totum vel ex parte per ab aut derogationem mutare non posse. Quod enim solius Imperatoris placitô non emersit in lucem, ipsius solius imperiò vitam perdere nequit. Et quomodò Leges abrogabit, quas jurisjurandi sacramentô firmavit? Hermes *Fascic. Jur. publ. cap.* 1. *quæst.* 5. *n.* 30. Ferdinandus Weizenegger *Differt. Jurid. de Imperatore cap.* 8. *n.* 11.

45 Certum videtur II. Imperatorem cum Statuum Imperii consensu Leges Publicas in toto vel ex parte mutare posse. Nam, qui Legem edidit, eam perimera valet: neque tam naturale quidquam est, quàm dissolvere rem ex iisdem causis, ex quibus coaluit. Hermes *cit. n.* 30.

46 Certum videtur III. Imperatorem cum uno vel altero in Lagibus Publicis dispensare posse, si dispensatio non vergat in Imperii præjudicium. Hermes *cap.* 11. *num.* 76. & *seq.* Cùm enim dispensatio talia neque à Jure positivo, nequa à Jura Naturali aut Gentium prohibita reperiatur, permissa censeri debet.

47 Anceps verò controversia videtur: possitne ipsemat Imperator in casu extremæ necessitatis, vel maximæ utilitatis ea mutare, quæ suâ capitulatione & aliàs servare promisit? Hermes, quem plures alii sequuntur, in *Fascic. cap.* 9. *quæst.* 7. rationes pro & contra accumulat; suam tamen sententiam, quasi in utramque partem propendulus, non prodit. Lymnæus in *Prolegom. ad Capitulat. sect.* 8. *à num.* 40. satis apertè sententiam negativam tuetur. Clarissimus D. de Wolleren *d. quæst.* 2. *à num.* 69. & *à num.* 82 separat casum necessitatis à casu utilitatis; ac pro illo, si extremus sit, non obligari Imperatorem; pro isto, etsi summus sit, obligari, exquisitis argumentis probat.

Argumenta pro casu necessitatis extremæ sunt I. 48 quòd nec vota, nec juramenta, nec pacta obligent ultra intentionem voventium, jurantium, paciscentium: mens verò tum Imperatoris tum Electorum paciscentium nunquàm fuerit, obligationem servandi Leges & placita publica ad casum extremæ necessitatis porrigere: sic enim in bonû Germanicæ Nationis, quod unicè præ oculis habuêre, non tenderet conventio, sed magis vergerat in detrimentum: dum in casu quô v. g. Imperator hostili exercitu ex improvisò invaderetur, non posset necessaria defensionis arma, & bellum defensivum suscipere; sicque, donec consensum Electorum exquireret, hostem intra viscera grassari, ac regnum avertere ausum, tolerare, & quasi fovare deberet. II. quia Lax nulla, nullave con- 49 ventio tam ferrea est & adamantina, ut humanam libertatem ad casum necessitatis seu obliget, seu alliget, per deducta in *cap.* 1. *à num.* 214. Cur ergo solus Imperator, Rex Regum dictus, tam rigidos sibi compedes per Leges & pactiones, cum suis Vasallis initas, injici patiatur, ut ne quidem in gravissima necessitata semet extricare, & liberare valeat? III. quia in Capi- 50 tulationibus Caroli V. Ferdinandi I. Maxiliani II. Rudolphi &c. & Augustissimorum Successorum Leopoldi & Josephi *art.* 13. Caroli VI. *art.* 4. casus necessitatis ab obligatione perspicuè excipitur, ubi, dum ab initio & articulis præcedentibus varia negotia sinè Ordinum Imperii consensu peragi non posse, conventum erat, subjungitur: *vvann vvir aber von des Reichs vvegen, oder das H. Reich angegriffen und bekrieget vvurden, alsdan mögen vvir uns aller dem Reich ohnnachtheiliger Hulf gebrauchē.*

Argumenta contra casum utilitatis duo præcipuè faciunt, Primum est: quòd Imperator in Capitulatio- 51 ne non solùm generatim promittat, se nullô modò & viâ pactionibus publicis contraventurum; sed etiam speciatim cavet, quòd in casu salutis & utilitatis publicæ, ubi Statuum omnium consensus & consilium exquiri nequit, saltem cum Electoribus rem agera velit. Verba in Capitulat. Leopoldina & Josephina 52 *art.* 10. Carolina verò *art.* 6. ita sonant: *da aber* publica salus & utilitas NB. *ein mehrere Beschleinigung erfordert, da sollen und vvollen Wir dann der siben Chur-Fürsten sambtliche Einvvilligung zu gelegener Zeit und Mahl-Statt, und zvvar auf einer* Collegial *Zusammenkunfft, und nicht durch absonderliche Erklärungen, bis man zu einer gemeinen Reichs-Versammlung kommen kan, vvie sonsten in allen anderen des Reichs Sicherheit concernirenden Sachen, als auch in diser, erlangen.* Al- 53 terum est: quòd, concessâ semel libertate, à Capitulatione prætextu utilitatis recedendi, jam non ampliùs ullus articulus à recessu sit tutus: cùm publica utilitas semper obtendi, omnisve transgressio hôc palliô celari possit.

Consentio huic doctissimæ distinctioni, à Clarissi- 54 mo D. Authore explicatiùs propositæ, quoad primum membrum absolutè; quoad secundum limitatè. Et quidem facilè admitto, casum tam urgentem vix occurrera posse, ut non priùs cum Ordinibus universis, vel saltem Electorali Collegiô, desuper brevi manu communicari possit. Si tamen (ex hypothesi) 55 occasio sese suggererat, recuperandi quidpiam eorum, quæ Imperio hactenus iniquè subtracta sunt, eaque occasio elaberetur, antequàm consensus Statuum impetrari posset: satis æquam & humanam censeo opinionem D. Bernardini Mulz *Repræsent. Majest. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 20. non dubitandum esse, dicentis, quin Imperator studium augendi Imperium ipsô actu testari, indubitatùmque Statuum consensum anticipara possit. Quia enim in *cit. art.* 6. & 56 10. non compellitur Imperator omnium Ordinum, sed Electorum duntaxat, animum explorare,

si periculum in mora, & occasio salutis publicæ in præcipiti sit: tacitè videtur insinuari, quòd, si tanta sit temporis brevitas, ut ne Electorum quidem consensus adhiberi queat, Imperator licitè id agat, quod in evidens Reipublicæ Romano-Germanicæ emolumentum eventurum esse, prudenter arbitra-
57 tur. Nec præsumendum est, Electores Imperii tunc invitos fore: siquidem Capitulationem Imperatori non alium in finem, quàm utilitatem Imperii, præscribere voluerunt, aut potuerunt: consequenter, si occasio singularis & evidentis utilitatis promovendæ non concederet spatium, Electorum consilia desuper exquirendi, de tacito illorum consensu hæsitare vix licebit.

Qua in re non videtur dissentire Hornius *Jur. publ. cap.* 11. *§.* 19.

Hoc Caput, cùm in ipso Corpore Tractatûs & alibi ad abundantiam sit explanatum, non habet opus supplementô.

CAPUT VII.

De Jure Civili Privato.

Jus Civile Publicum è vestigio consequitur Privatum; quod aliàs Civile simpliciter appellari consuevit. Huic illustrando non tantùm Romani JCti, sed etiam Germani, aliàrumque Nationum Eruditissimi Jurium explanatores, numerô penè innumerô, strenuam & indefessam navârunt operam. Nos quàm plurima tum ex *Cap. I.* de Jure Legali in genere; tum ex *Cap. V.* de Jure Canonico supponenus: reliqua, quæ peculiaria sunt, strictim expediemus.

SECTIO I.

De Juris Civilis Essentia, Promulgatione, & Origine.

SUMMARIA.

1. *Jus Civile non accipitur hic pro habitu.* 2. *Sed pro Lege, ac definitur.* 3. *Est ordinatio rationis.* 4. *à Legislatore Politico.* 5. *In bonum temporale.* 6. *Et privatum Reipublicæ.* 7. *Promulgata.* 8. *Quæstio de loco promulgationis.* 9. *& seqq. Resolutio de omnibus Imperii provinciis.* 16. *& seqq. Origo & progressus Juris Civilis.*

§. I.

De Definitione Juris Civilis.

1 SI Jus Civile sumatur pro habitu prudentiæ Civilis, illius nomenclaturam & definitionem inve-
2 nire licebit in *tract. Præamb. cap.* 1. *à num.* 128. Si accipiatur pro Lege, parumper immutatur definitio, & describitur, quòd sit Ordinatio rationis, à Legislatore Politico, in bonum temporale & privatum Reipublicæ promulgata.

3 Dixi I. *Ordinatio rationis.* Si rationi Jus Civile repugnet, ac peccatum aut iniquitatem statuat, aut foveat, à dignitate Juris Legalis dejicitur; uti factum in materia præscriptionis, cum mala fide Civili Jure comprobatæ in *cap. ult. de Præscription.*

Dixi II. *à Legislatore Politico*, cui nempe cura Rei- 4
publicæ Sæcularis est commissa; sive sit in genere politico Summus; sive eidem subordinatus: ita tamen, ut Leges, ab illo sancitæ, dicantur universales; Leges autem, ab isto dictatæ, particulares, locales, aut territoriales appellentur.

Dixi III. *in bonum temporale*; quô præcipua Ju- 5
ris Civilis & Canonici differentia, jam in *cap.* 5. *n.* 6. insinuata, rursus indigitatur.

Dixi IV. *& privatum Reipublicæ.* Quæ vocabula 6
discrimen intimum & essentiale Juris Civilis Publici & Privati, jam in priori *cap. n.* 8. *& 9.* prælibatum, revocant in memoriam.

Dixi V. *promulgata.* Nam & Lex Civilis indiget 7
promulgatione: de illa siquidem in *l. Leges Sacratissimæ 9. Cod. de LL.* Imperatores Valentinianus & Martinianus pronuntiârunt, quòd *ab omnibus intelligi* debeat.

§. II.

De Promulgatione Juris Civilis.

Occasione prioris *num.* exsurgit quæstio: de- 8
beatne Lex Civilis non tantùm in Aula vel Curia Principis, sed etiam in singulis provinciis promulgari?

Responsio tamen non difformis (uti in *c.* 5. *à n.* 9
11. de Lege Ecclesiastica) sed uniformis ferè est affirmativa. In primis enim Novellæ 65. *rubrica* verbis generalibus, ac sensum completum referentibus, concepta legitur: ibi: *ut novæ constitutiones, post insinuationes earum* (sub intellige in metropoli cujuscunque provinciæ, ut commentatur Gothofredus *ibid.*
lit. c.) *post duos menses valeant.* Deinde in *præfatio-* 10
ne & cap. 1. sermo quidem est de Legibus testamentariis, ratio verò tam universalis, ut cæteris quoque
Legibus conveniat. Nam in *præfat.* dicit Imperator: 11
quia, licèt factæ sint Leges, tamen non sunt cognitæ provincialibus, aut etiam hic nondum proposita, nullique manifestæ, necessarium existimavimus, talia Lege brevi corrigere. In *cap.* 1. autem in *princ.* dicit: *in pro-* 12
vinciis Leges testamẽtarias valere, ex qua discretæ per Metropolitas palam factæ sunt, ne Legum ignorantiâ (secundùm quod dudum tenuit) testamenta homines facientes, videantur prævaricari. Cur enim culpabimus eos, qui positas nostras ignoraverint constitutiones?
Jam verò tam rarus in Jure hospes nullus est, qui, 13
quòd rubricæ, completum exhibentes sensum, authoritatem decisivam habeant; quòdve ratio sit anima Legis, ac dispositionem, in uno casu ordinatam, per textus in *l. neque Leges* 10. *&* 3. *seqq. ff. de LL.* ad aliam similem protendat, ignoret. Ergo verum est, Leges Civiles, universim consideratas, debere in singulis provinciis promulgari. Suarez *lib.* 3. *cap.* 16. & copiosissimi DD. ab eo in *n.* 8. citati. Clariss. D. Franz ad *Inst. tit.* 2. *p.* 3. *n.* 28.

Neque dicas: inscriptiones & rubricas Novellarum 14
non esse, instar aliorum Juris librorum, authenticas: utpote cùm authoritate privatâ, ab Imerio vel alio
JCto, Novellis annexæ sint. Nam contra est, quòd 15
rubricæ Novellarum unà cum Novellis à Jureperitis ultrò receptæ, ac immemoriali consuetudine roboratæ & firmatæ sint, dum non solùm continuò explicari, sed etiam applicari solent, non minùs, quàm cæteræ aliorum Juris titulorum inscriptiones, uti jam prænotatum fuit in *tract. Præamb. cap.* 1. *numero* 187.

§. III.

§. III.

De Origine Juris Civilis.

16 Hanc materiam ex officio discutiunt Civilistæ ad *tit. ff. de Origine Juris*, atque ad imitationem Pomponii, ducem & lucem præbentis in *l. necessarium* 2. *in princ. ff. eod. tit.* tres Reipublicæ Romanæ ætates
17 considerant. In prima Urbis adolescentis ætate, ab Anno Mundi 3200. ante Natum Salvatorem 750. (ut Author est Struvius ad *cit. tit. th.* 62.) per 244. Annos, dum status erat regius, incertò potiùs, quam
18 certô Jure, populus regebatur *d. l.* 2. §. 1. Auctô deinde populô Romanô, ac per XXX. curias seu partes distinctô, à Romulo Romulique Successoribus Leges communes à populo, per curias convocatô, curiatæ dictæ, emanârunt, quas dehinc, temporibus Tarquinii, JCtus Papirius collegit, & posteritas Jus Civile Papirianum appellavit *d.* §. 2. Lauterbach ad *eund. tit.* §. 1.

19 In secunda ætate, quâ & Reges exacti & in eorum odium rogatæ priùs Leges abrogatæ sunt, status popularis, & in eo jus arbitrarium, ex æquo & bono, ut ajunt, profectum diu satis viguit *d. l.* 2. §. *exactis* 3.
20 Posteaquam verò experientia docuit, jus arbitrarium periculosum, ac sæpe non in genuina, sed cerebrina æquitate fundatum esse, missi sunt in Græciam, Legibus & bonis moribus tunc florentissimam, Viri (teste Pomponiô *d. l.* 2. §. *posteà* 4. Struviô *d. l. th.* 63. & plerisque) decem, aut (secundùm Lauterbach *d. l.* §. 2. Myllerum ad Struv. *alleg. l.*) tres, qui Leges Solonis aliorúmve Græciæ Sapientûm conscri-
21 berent. His post biennium reversis, decem viri creati, ac potestate, Leges à Græcis mutuatas pro suo arbitratu in ordinem & formam distribuendi, instructi, annô in earum collectione absumptô, in decem tabulis universas Leges ante rostra proposuêre: quibus alterô annô duæ tabulæ, & in his aliæ Leges (duodecim Tabularum vocatæ) superadditæ fuerunt *d. l.* 2. & §. 4. Franzkius ad *d. tit. n.* 14.

22 Cùm verò, ut fieri amat, non omnes casus Legibus duodecim Tabb. comprehensi exstiterint, secuta sunt *Responsa* & interpretationes Prudentûm; accesserunt *Legis actiones*, hoc est, solennes ac determinatæ agendi formulæ; supervenerunt *Plebiscita*, seu sancita plebis, à Patritiis & Senatoribus distinctæ; addita *Senatûs Consulta*, id est, jussa & ordinationes Senatorum; accumulata *Edicta Prætorum*, qui juri dicundo præerant: id quod curiosus Lector non sinè gustu poterit legere in *d. l.* 2. §. *his Legibus* 5. & *seqq. ff. de O. J.*

23 In tertia ætate, quâ status popularis exspiravit, ac Monarchicus ob suam præeminentiam denuò revixit, fictæ sunt constitutiones Principum, ac, quæ soli Principi placuêre, Legis habuerunt vigorem *l. quod Principi* 1. *in princ. ff. de Constit. Princip.* Nam Lege Regiâ populus omne suum imperium & potestatem in Principem trans-
24 tulit, ut loquitur Ulpianus in *d. princ. l.* 1. Quæ Lex Regia, quandònam exordium habuerit, licèt nodus Gordius, tam in Jure quàm historiis intricatissimus dicatur, qui tot jam Alexandri gladios hebetavit, quot inter se dissentientium Authorum nactus est opiniones, ut eleganter scribit Joan. Braun *lib. Var. amœnitat. quæst.* 4. attamen rectiùs Julio Cæsari & Augusto, sub diverso respectu adscribitur, ut sub illo tacitè, sub isto expressè statuta censeatur, prout idem D. Braun *q.* 4. & 5. efficaciùs probatum facit.

25 Quàm immensam in molem, his ita stantibus, Leges Civiles excreverint, pronum est judicare. Quare Justinianus Imperator, in ordinem & compendiosiorem formam Legum exundantem multitudinem coacturus, primam primô Regiminis sui annô post Christum Natum 527. manum apposuit; ex tribus præexistentibus Codicibus, Gregorianô, Hermogenianô, & Theodosianô, unum, à suô nomine Justinianæum, componi, & annô sequenti promulgari fecit. Eum tamen annô 534 rursus emenda- 26
ri, immutari, ac, sub nomine *repetitæ prælectionis*, publicari jussit. *Constitut. de novo Cod. fac. & confirm.*

Annô Imperii quartô, Christi 530. jussu ejus- 27
dem Augustissimi Imperatoris ex Veterum JCtorum vastissimis voluminibus Digesta, seu Pandectæ, sunt composita, ac Anno 533 mense Decembri publici usûs & juris facta. *Constit. de concept. & confirmat. Digest.*

Sub idem tempus ex latissimis Pandectarum & Co- 28
dicis Libris Institutiones, quasi compendium & epitomen totius Jurisprudentiæ Civilis, extraxit, ac unô mense ante Digesta, nempe mense Novembri de Anno 533. promulgationem earum fieri mandavit. *Proœm. Instit.*

Denique, cùm novi morbi nova remedia, & 29
mutati mores mutatas Leges effligitent, post absoluta hæc Juris Civilis opera, novæ iterum constitutiones, pro re natâ, prodierunt, eæque, tanquam novissimæ, Novellæ dictæ, & posteriori locô in Corpore Juris Civilis sunt positæ. *Constit. de Emendat. Cod.* §. 2.

Et has omnes Juris Civilis partes, Instituta, Pan- 30
dectas, Codicem, Novellas, authoritate decisivâ pollere, Juris indubitati est: cum hoc tamen discrimine, quòd Græcos & Romanos ex sola voluntate Legislatoris Justiniani quondam obligaverint; Germanos autem non nisi ex spontaneâ assumptione, partim expressô, partim tacitô consensu declaratâ, obligent. Diu namque 31
Jus Justinianæum in Germania peregrinum, & post sæculum XIII. primùm in Scholas & Fora introductum; sicque ab initio tacitâ Germanorum voluntate & consuetudine receptum, posteà expressô Ordinum Imperii consensu tam in Ordinatione Cameræ, quàm Recessibus agnitum & confirmatum est. Struv. cum Myllero *Exercitat. ad Pandect.* 2. *th.* 34. & *seq.* Clariss. D. Franciscus Ignatius de Wolleren *Quæst. Oenip. q.* 3. *n.* 23. & *seq.* Revideatur *tract. Præamb. cap.* 1. *n.* 179.

SECTIO II.

De Causa Efficiente Legis Civilis; seu Legislatore Civili.

SUMMARIA.

32. *Agitur de Potestate Legislativa Civili.* 33. & *seqq. Illius existentia probatur.* 37. & *seqq. Concessa est à DEO, tanquàm Authore Naturali.* 41. & *seqq. Et quidem immediatè communitati perfectæ.* 45. & *seqq. S. Pontifex Legem Civilem fert pro suo territorio temporali.* 48. & *seqq. Non autem pro tota Ecclesia.* 51. & *seqq. Imperator fert Legem eam consensu Statuum pro universo Imperio.* 55. & *seq. Cæteri Reges pro suis Regnis.* 58. & *seqq. Etiam Reginæ, hæredes Regni.* 62. & *seqq. Etiam Status Imperii pro suis districtibus.* 66. *Etiam Nobiles Immediati.* 67. & *seqq. Etiam communitates aliæ, habentes Jurisdictionem gubernativam.*

§. I.

§. I.

Quisnam Potestatem Legislativam Civilem habeat; & à quo?

32 Causam Efficientem Juris Civilis esse Legislato-
rem, Potestate Legislativâ præditum, nemo
ambigit. Priusquàm verò de Legislatore in particu-
lari disseram, præmitto aliqua de Potestate Legislati-
va in genere, &
33 Dico I. Datur Potestas Legislativa Civilis in ho-
minibus. Conclusio est indubia, & secundùm Suarez
l. 3. de LL. c. 1. num. 2. de fide: cùm ex SS. Literis
constet, non unum, sed plures in Veteri Testamen-
to Reges, Principes, & Judices fuisse, qui pote-
34 testate Legislativâ Civili refulgebant. Ratio est:
quia homo est animal sociale, non tantùm so-
cietate conjugali, quâ mas & fœmina indivi-
duam vitæ consuetudinem contrahunt; in or-
dine ad propagandum genus humanum, de qua
Genes. 2. ℣. 18. scriptum exstat: *non est bonum, ho-
minem esse solum*: nec tantùm societate œconomicâ
& domesticâ, quâ liberi parentibus, & famuli domi-
nis ad mutua obsequia & auxilia sociantur; sed etiam
societate politicâ, quæ ex pluribus familiis consurgit.
35 Cùm enim nulla familia privata sibi soli sufficere, so-
la omnia exercere ministeria, sola artes omnes, huma-
no vivendi modo congruas, addiscere vel practicare
valeat: adest in homine naturalis quidam instinctus,
ad quærendam societatem politicam, à DEO, Au-
thore Naturæ, inditus, juxta illud Ciceronis de *Ami-
citiâ: nihil Principi DEO in rebus humanis esse gra-
tius, quàm homines habere inter se societatem ordina-
36 tam, & perfectam, quæ civitas dicitur.* Ex hâc verò
societatis coalitione necesse est, extare Jus politicum
& Civile, quod in bonum familiarum, politicè unien-
darum, ab hominibus feratur. Similem discursum de
potestate regendi Rempublicam format Clariss. D.
de Wolleren *Quæst. select.* 11. *num.* 1. 2. & 3. ubi
vide.
37 Dico II. Potestas Legislativa Civilis non descen-
dit, in se spectata, ab hominibus, sed à DEO, ut Au-
thore Naturæ. Suarez *d. Lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 4.
Gletle *Jurisprudent. fundam. tit.* 2. *cap.* 2. §. 3. *n.*
38 5. Ratio primæ partis est: tum quia, si naturam atten-
das, nullus hominum alteri subjectus, nullus alterô
major, & superior est: tum quia homines, etiam in
societatem coëuntes, remanent liberi: tum quia Potes-
tatem Legislativam, quam in seipsos nunquàm obti-
nuere, in alios transferre nequeunt: tum denique quia
potestas obligandi in conscientia, subjiciendi trans-
gressores pœnæ, vitâ & bonis malefactores exuendi,
comitatur Potestatem Legislativam; adeòque ab
hominibus, qui conscientiarum, vitæ, & mortis do-
39 minium non habent, oriri non potest. Ratio secundæ
partis est: quia ex Oraculo Apostolico, ad *Rom.* 13.
℣. 1. *non est Potestas, nisi à DEO*; & Divinæ Sapien-
tiæ effatô *Proverb.* 8. ℣. 15. *& seqq. Per eam Reges
regnant, & conditores Legum justa decernunt.* Non
autem descendit à DEO hæc potestas, tanquàm Au-
thore supernaturali: cùm neque ad finem supernatu-
ralem respiciat, neque revelatione egeat, ut agnos-
catur. Ergo descendit à DEO, tanquàm Authore
40 Naturæ, per modum proprietatis naturalis: eò quòd
corpus politicum ex natura rei potestatem guberna-
tivam desideret, quâ & bonum commune, quod sin-
guli per se non attendunt, provehatur; &, quæ ad
pacem ac tranquillitatem mutuam pertinent, decer-
nantur; &, quæ distorta, incomposita, & societati
dissentanea sunt, corrigantur. Ergo Potestas Le-
gislativa Civilis à DEO, tanquàm Authore Na-
turali, promanat.

Dico III. Potestas Legislativa Civilis à DEO im- 41
mediatè communitati perfectæ concessa; & ab hac
in unum vel plures translata est. Suarez *d. l. cap.* 2.
num. 3. Stadlmayr *disp. de LL. cap.* 4. *th.* 2. *lit. c.*
Petschacher de *LL. quæst.* 4. *art.* 2. *conclus.* 1. Cas-
tropalao *disp.* 1. *punct.* 22. *num.* 2. Wenzl de *LL. q.*
4. §. 1. *resol.* 7. Gletle *d. l. num.* 8. Ratio prioris 42
membri est: quia, spectatâ rei naturâ, Potestas Legum
Civilium non desiderat magis penes unum, quàm plu-
res residere. Ergo, spectatâ rei naturâ, penès
communitatem perfectam residet. Ratio membri 43
posterioris est: quia de facto Potestas Legislativa à
communitatibus perfectis non unô eôdemque modô
exercetur, sed, pro Rerum publicarum diversâ po-
litiâ, nunc uni (uti in statu Monarchico) relictâ;
modò pluribus (veluti in statu Aristocratico) commis-
sa; jam ipsimet communitati (sicut in Statu Democra-
tico) reservata est. Quamvis enim, in thesi loquen-
dô, Monarchia, Divino regimini simillima, cæteris- 44
que regendi formis præferenda videatur; quemad-
modùm demonstrat Clariss. D. Collega de Wolleren,
cit. quæst. num. 5. quia tamen facilè in tyrannidem
transmutari, ac in despotism alterari potest: habenas re-
gni uni committere, non omnibus Regnis & Pro-
vinciis expediens credebatur. Ex quo concluditur,
quòd Potestas Legislativa, quatenùs penès unum
vel plures invenitur, immediatè à communitate per-
fectâ descendat.

§. II.

Sitne in Summo Pontifice Potestas condendi Legem Civilem?

Dico I. Est in Summo Pontifice Potestas conden- 45
di Legem Civilem pro suo Territorio. Molina de
J. & J. tr. 2. *disp.* 29. *num.* 9. Reding *quæst.* 16. *art.*
1. *contr.* 3. *num.* 1. Palao *d. punct.* 22. §. 1.
num. 1.
Ratio est: quia Potestas Legislativa Civilis unà cũ 46
territorio & patrimonio D. Petri Summo Pontifici
collata est: dum enim temporale Regnum consecutus
est, nactus quoque fuit temporalem & supremam Ju-
risdictionem, ex qua Potestas Legislativa fluit. Vi-
deatur textus notabilis in *cap. per venerabilem* 13.
Qui filii sint Legit. & ibi DD.
Ubi non obiter adnotandum, quòd, si Pontifex, 47
tanquàm Princeps temporalis, ferat Legem Civilem,
de ea quoad Clericos & ipsorum immunitatem, nec
non quoad laicos, temporaliter non subditos, perin-
de atque de alia Lege Civili judicandum esse. Card.
de Luca in *Relat. Cur. disc.* 2. *n.* 12.
Dico II. Non est in Summo Pontifice Potestas, 48
Legem Civilem pro universo orbe Christiano feren-
di. Ita cum Authoribus citatis Suarez *d. lib.* 3. *cap.*
6. *num.* 33. & cæteri Theologi ac Juristæ turmatim.
Ratio est: quia Potestas Civilis pro universo orbe 49
Christiano Summo Pontifici neque concessa legitur,
neque ab ipsismet Pontificibus indulta agnoscitur:
fatentur enim, sibi potestatem in spiritualibus dun-
taxat Supremam; in profanis Summam Potestatem
Imperatori consignatam esse per textus in *cap.* 6. *&
seqq. Dist.* 10. *cap.* 5. *& seqq. Dist.* 96. *cap. solici-
ta* 6. *de M. & O.*
Nec pugnat cum assertis, quòd S. Pontifex Juris- 50
dictionem temporalem indirectam in Reges & Re-
gna habeat. Nam illa Jurisdictio (quam in *tract.* 3.
ex professo ventilabimus) licèt ex objecto tempora-
lis dicatur; ex fine tamen immediatò, ad quem ten-
dit, magis est spiritualibus: cùm exereeri non soleat,
nisi ubi periculum Fidei, Religionis, aut Salutis im-
mineat.

§. III.

§. III.

Qualis in Imperatore, Regibus, & Reginis Potestas Legislativa Civilis existat?

51 Dico I. Imperator Leges Civiles pro universo
Imperio condit. Consentiunt omnes. Ratio desu-
mitur ex *n.* 23. ubi diximus, Lege Regiâ Potesta-
tem omnem in Principem & Imperatorem esse trans-
latam. Ergo etiam Potestas Legislativa, velut pri-
marius actus Regiæ potestatis.
52 Equidem per Instrumentum Pacis Westphalicæ
*art.*8. §. *gaudeant* 2. Recessus Imperii, & Capitula-
tiones hæc potestas limitata est, ut Imperator con-
sensum Imperii & Statuum prærequirere teneatur.
53 Verùm exinde non sequitur, Potestatem Legislati-
vam in persona Imperatoris non esse radicatam: cùm
Statuum suffragia non tam concursum in Legislatio-
ne, quàm conditionem sinè quâ non faciant: dum
Leges, consensu Statuum conceptæ, solius Impera-
toris authoritate promulgari solent ex *cap.* 6. *nu.* 11.
Eckold ad *tit.ff.de LL.*§.7. & ibi Schwendendorffer.
54 Dixi: *pro universo Imperio.* Explosa enim est Bar-
toli sententia, docentis, Imperatorem esse Domi-
num totius mundi, ideóque pro universo orbe Le-
ges præscribere: quandoquidem nec ullus Impera-
tor dominium in orbem universum unquam habuit,
nec forsitan bonum fuisset, si unquam habuisset.
Molina de *J. & J. tr.*2.*disp.*30. Suarez *lib.*3. *cap.*7.
Covarruv. in *Reg. peccatum part.*2.§.9.*n.*7.& 8. Cla-
riss. D. Franz *Quæst. Select.* 12.
55 Dico II. Reges omnes Potestatem Legislativam
habent in propriis Regnis. Suarez *d. l. c.* 9. n.2. Ca-
stropalao *d.punct.*22. §. 2. *num.*1. & DD. agminatim.
56 Ratio est: quia, dum populus Regiam Potestatem
in unum transfert, transfert quoque Potestatem
Legislativam, velut nobilissimam Regiæ domina-
tionis portionem, ut habet Aristoteles 6. *Eth. cap.*
8. & D. Augustinus, à Suarez citatus, dicens: *Di-
vinum Jus in scripturis habemus; Jus sæculi DEUS
distribuit generi humano.* Licèt dissimulandum non
57 sit: sicut in Imperio nostro, ita in Regnis aliis Po-
testatem Legislativam Summorum Principum variè
restrictam, & Statuum consensui alligatam esse.
58 Dico III. Regina, si hæres Regni sit, ac sola Ma-
jestatem habeat, sinè consensu viri, si quem habeat,
Leges potest formare. Panormitanus in *cap. dilecti*
4. *de Arbitr. n.*1.& 3. Suarez *cap.*9. *n.*10. Castropa-
59 lao *d.*§.2.*n.*3. & 5. Gletle *d. cap.*4. §.4.*n.*4. Ratio
est: quia Rex potest Legem condere. Ergo etiam
Regina, si sola Majestate glorietur: tunc enim Re-
giam Potestatem acquirit, ac, quæ alii Reges, &
60 ipsa jubere & imperare potest. Confirmatur. Mari-
tus talis Reginæ neque Rex est, neque Administra-
tor Regni. Non Rex: quia Regnum unum non ca-
pit duos Reges; neque uni Corpori mystico duo
quadrant Summa Capita. Non Administrator: quia
vel dependeret à Regina Conjuge, illiusque nomi-
ne imperaret; & tunc in effectu Regina adhuc Le-
gem diceret: vel non dependeret; adeóque esset
supremus, & secundus Rex.
61 Memini quidem, quid Apostolus 1. *ad Timo-
theum* 2. ℣. 12. scribat: *docere mulieri non permitto,
neque dominari viro;* & 1. *ad Corinth.* 11. ℣. 3. *vir
est caput mulieris.* Sed quia nescit, hæc Apostoli
testimonia de dominatione œconomicâ & matrimo-
niali, non publicâ & Jurisdictionali, intelligenda
esse, ita ut Regina marito quoad usum familiæ &
matrimonii; maritus Reginæ conjugi quoad politi-
ca & Jurisdictionalia subsit?

§. IV.

Quinam aliàs Potestatem Legislativam habeant?

Quæstio hæc procedere potest de Statibus Im- 62
perii, Nobilibus immediatis, Communitatibus, &
aliis Universitatibus. Ad quam
Dico I. Status S. R. Imperii Leges præscribunt 63
in suis territoriis etiam contra Jus commune. Gail.
de *Pace publ. lib.*1.*cap.*6.*num.*70. Eckold ad *tit.ff.de
Legib.*§.8. Lauterbach *ibid.* §. 5. Myler de *Princip.
& Stat. Imper. cap.* 39. Mayer de *Jure Stat. Imp. Le-
gislat.cap.*6.*per tot.* Rationem dant ex formulis illis, 64
ad prodigalitatem usque, ut ait Myler *d. l. cap.* 14.
*num.*8. toties decantatis: quòd quilibet Imperii Sta-
tus in suo territorio tantum possit, quantum Impe-
rator in universo Imperio; quódve Status Imperii
vicem Imperatoris in suis territoriis obtineant. Po- 65
testque hæc positio confirmari ex *Ord. Cameræ part.*
1. *tit.* 57. ubi habetur, quòd in decisione causa-
rum, inter provinciales controversarum, Leges lo-
cales & provinciales observari debeant.
Dico II. Nobiles immediati S. R. I. eâdem, quâ 66
Status Imperii, authoritate Legislativâ, suis in
Territoriis, perfruuntur. Fundatur assertio in *Ca-
pitulat. Leopold. & Joseph. artic.* 3. *Carol. artic.* 1.
& 2. Instrumento *Pac. Osnabrug. art.* 5. §. 28. ubi
Liberæ & immediatæ Imperii Nobilitati tanta præ-
rogativa, præeminentia, & Superioritas, quanta
Statibus Imperii, tribuitur. Vide post Besoldum,
Lauterbach *cit. l.* §. 6. Fleck *Biblioth. l.*1. *tit.*12.*n.*
13. Estl de *Superior. Territor. pag.* 3.
Dico III. Status & Communitates aliæ tantum 67
habent de Legislatione, quantum de Jurisdictione
gubernativa. Conclusionem & rationem ponit Sua-
rez *d. l.* 3. *cap.* 9. *num.*19. cum Baldo & Sylvestro:
quia Potestas condendi Leges est actus Jurisdictio-
nis gubernativæ. Quantumcunque verò eminens 68
fuerit Jurisdictio, non poterit communitas, quæ
Principem alium, quàm Supremum, immediatè re-
cognoscit, Leges condere, aut Juri communi, aut
Provinciali contrarias: quia ad tales consensus
Principis Territorialis se extendere non censetur.
Idem Suarez *ibid. n.* 20. Mayer *d. cap.*6.*n.* 3. Schnei
dewin. ad §. 1. I. de *J. N. G. & C. num.* 14. Pe-
trus Heig. *part.* 1. *quæst. illustr.* 23. *à nu.* 26. Struv.
Exercit. 2. *th.* 42. & ibi Myllerus in *Commentar.*
Fleck *cit. l. num.* 21. qui tamen & alii rectiùs ejus-
modi ordinationes statuta, quàm Leges; imò me-
liùs pacta, quàm statuta nuncupari volunt.
Quòd Universitates Studiorum Generalium pro 69
Studiorum & Studiosorum incremento statuta or-
dinare possint, eò minùs dubitaverim, quò firmiùs
in omnibus Universitatibus de facto ejusmodi sta-
tuta reperiri existimo, ac Jurisdictio gubernativa in
studiosos omnibus Academiis concessa est, per *Au-
thent. habita Cod. Ne filius pro patre.* Hermes in
Fascic. cap. 37. *num.* 138. Scharschmid *Colleg. Juris
publ. Exercitat.*1.*th.*8. Swederus *part. special. sect.*1.
*cap.*6.*num.*6. Schneidewin. *cit. loc. n.* 19.

SECTIO III.

De Subjecto Juris Civilis.

SUMMARIA.

70. & *seqq. Imperator tenetur Legibus Civilibus in-
directè.* 74. & *seqq. Si tamen illius personam non
æquè deceant, neutiquam obligatur.* 77. & *seqq.*

Eadem resolutio traditur de Statibus Romani Imperii. 81. & seqq. Personæ Ecclesiastica non stringuntur LL. Civilibus, quando illarum immunitatem violant. 85. & seqq. Ostenditur hac doctrina exemplis. 95. & seqq. Cæteris LL. Civilibus tenentur indirectè. 100. & seq. Forenses obligantur servare Leges Civiles eô modô, quô Canonicas. 102. & seqq. Etiam Leges Vectigalium.

§. I.

An Legislator Civilis teneatur suis Legibus?

70 Quæ de subjecto respectu Legum Ecclesiastica-
rum in genere, & in specie de Summo Pontifice;
ac de Imperatore respectu Legum Civilium publi-
catum in *cap. 5. n. 038. & seqq. & cap. 6. à n. 36.* asser-
ta sunt; pariter de Imperatore respectu Legum Ci-
71 vilium privatarum asserenda sunt. Unicâ tamen
distinctione assertiones illæ quoad præsentem ma-
teriam declarandæ videntur. Videndum nempe,
an Leges Civiles privatæ disponant circa mate-
riam, cujus observatio æquè privatos ac Impera-
torem decet; an circa objecta, quorum executio so-
72 lis privatis, non etiam Imperatori, convenit. Pri-
mô casu procedunt ea, quæ in locis prænominatis
conclusa sunt, quòd nempe Imperator indirectè
Legibus Civilibus obstringatur. Quò præcipuè
collimant textus in §. *alt. Instit. Quib. mod. test. in-
firm.* ubi Imperator ultrò profitetur, non admissu-
rum se hæreditatem ejus, qui litis causâ Principem
reliquerit hæredem; neque tabulas non legitimè fa-
ctas, in quibus ipse ob eam causam hæres institutus
73 erat, probaturum. Deinde *l. ea imperfecto 23. ff. de
Legat. 3.* ubi *inverecundum esse*, dicitur, *ex imperfe-
cto testamento legata vel fideicommissa Imperatorem
vindicare*; additâ ratione: quia *decet tantæ Majesta-
ti, eas servare Leges, quibus soluta esse videtur.* Ite-
rum in *l. & in legatis 4. Cod. ad L. Falcid.* ubi sta-
tuit Alexander, Legi falcidiæ etiam legata, Princi-
pi facta, subjacere. Petit namque subinde justitia
commutativa, ne Leges infringantur, si videlicèt
privato jus antecedenter quæsitum (uti in casu *d.
§. ult.* & *l. ea imperfecto 23.* accidit) ex infractione
Legis adimeretur, per dicta in *cap. 1. n. 095.* subinde
Legalis, ut bonum publicum exemplô ferventiùs,
quàm sermone Princeps instauret per *l. digna vox 4.
Cod. de LL.* & *l. ea imperfecto 3. Cod. de Testam.*

74 Posteriore casu dicendum est, Imperatorem Le-
gibus Civilibus solutum esse. Nam I. Imperator non
tenetur in suo testamento ordinem & solennitates
Civiles observare. Stryck de *Cautel. testam. cap. 5.
membr. 1. §. 2.* quia, quod à & coram Principe fit,
totô Jure teste fieri censetur *l. omnium 19. Cod. de
75 Testam.* II. Non tenetur ordinem judiciarium, quate-
nùs Jure humano præscriptus & regulatus est, ad
unguem servare. Gail. *lib. 1. obs. 42. num. 1. 2. & 3.*
cùm tanti Principis authoritas formulas & solennia
judiciorum eminentiori quodam modô suppleat *arg.
76 cap. ad petitionem 22. de Accusat.* III. Dominia
rerum sinè traditione potest transferre. Illustriss. D.
B. ab Andlern *Jurisprud. publ. & priv. lib. 1. tit. 3.
p. 2. à num. 21.* eò quòd Imperator non minùs,
quàm Lex ipsa, traditionis effectum authoritate
suâ tribuere valeat per *l. ut inter 23. in pr. Cod. de
SS. Eccles.*

77 Et quia Statibus Imperii, nec non Ordini Eque-
stri in *num. 63. & 66.* concessa est facultas, Leges
particulares in suis territoriis & ditionibus, etiam
contra Jus ferendi: consequens esse videtur, quòd
Legibus particularibus, à se latis, haud aliter,
78 quàm Imperator, obligentur. Similiter Leges Ci-
viles communes, cùm illas in suis districtibus abo-
lere valeant, in materia, ipsorum personas non æquè
condecente, quoad se sibique subjectos observare
non obstringuntur. Fleck in *Biblioth. Jur. Civ. lib. 1.
tit. 18. n. 35.* Et quidem in specie non alligantur 79
Legibus & solennitatibus testamentariis, velut post
Tubingenses JCtos apud Harpprechtum ad *tit. de
Testament. Ordinand. à num. 290.* Besoldum *cons.
150. nu. 1. & seqq.* Mylerum *cit. l. cap. 26. per tot.*
Ertl de *Jurib. Princip. exercit. 68. per tot.* nostra Fa-
cultas Juridica Salisburgensis, in facto consulta, me
Referente, secundâ vice respondit, nempe die 6.
Februarii 1708. & die 30. Junii 1711. At quoad 80
Status & Nobiles Imperii inter se aliosque non-
subditos fixa persistit obligatio, Legibus Civilibus
communibus obtemperandi: quippe cùm in *Ordi-
nat. Cam. p. 1. tit. 13.* & simul in *Ord. Judicii Imper.
Aul.* de Anno 1654. *tit. 2. & tit. 5.* cautum sit, ut
in causis Statuum juxta Constitutiones Imperii &
Leges communes scriptas jus & sententia dicatur;
nec Statibus extra territorium suum & quoad exte-
ros prærogativa superioritatis suffragetur. Optimè
Stryck in *usu mod. pand. ad tit. de LL. §. 7.*

§. II.

Utrùm Legibus Civilibus obstringantur personæ Ecclesiasticæ?

Sicut materia Legis Civilis aliquando Legisla- 81
tori convenit, aliquando disconvenit; sic etiam per-
sonis Ecclesiasticis convenire potest & disconveni-
re. Convenit, quando nec directè, nec indirectè
perstringitur Immunitas Ecclesiastica, sed bonum
publicum unicè per Legem intenditur. Discon-
venit, quando vel directè minuitur Immunitas Ec-
clesiastica, ut si circa personas vel bona Ecclesia-
stica immediatè disponant; vel indirectè, ut si di-
rectè circa proprios subditos disponat Lex Civilis,
ita tamen, ut ex ejus observantia redundet aliquod
præjudicium in personas aut res Ecclesiasticas.
Stadlmayr sæpe *cit. disp. de LL. cap. 4. th. 6.*

Dico I. Leges Civiles, quarum observatio per- 82
sonis Ecclesiasticis non convenit, ac immunitati ea-
rum directè vel indirectè adversatur, non tenentur
servare Clerici & Religiosi. Authores hujus sen-
tentiæ non numero: quia utramque, ut ajunt, pa-
ginam sola nomina implerent. Textus similiter non 83
omnes recito, sed præcipuos in *cap. quæ in Ecclesia-
rum 7. cap. Ecclesia sanctæ Mariæ 10. de Constitut.
cap. ult. de Reb. Eccles. non alienand. cap. si diligenti
12. de Foro compet. cap. ult. de Immunit. Ecclesiar. in
6. l. privilegia 12. §. 1. Auth. cassa Cod. de SS. Eccles.*
ubi statuta Sæcularium, immunitati Ecclesiastica-
rum personarum inimica, tam à SS. Pontificibus,
quàm Christianis Imperatoribus nulla, cassa, irrita
pronuntiantur. Sunt namque tales constitutiones 84
extra forum suum extensæ, ac Clericos & Religio-
sos, quos Jure Divinô à Sæculari Potestate exem-
ptos esse, alibi probatum dabimus, afficere non
possunt. Ex qua conclusione ulteriùs

Infertur I. si in Jure Civili Leges occurrant, 85
circa Ecclesias, & res Ecclesiasticas disponentes,
eas viribus omninò carere: neque exinde canoniza-
tas esse, quòd forsitan in Decretum Gratiani rela-
tæ fuerint: quia ex *tract. præamb. cap. 1. n. 80.* tan-
tam vim constitutiones, in Decreto extantes, obti-
nent, quantam à suis Authoribus obtinere potue-
runt. P. Engel in *Proœm. Jur. Can. n. 19. reg. 6.*

Infertur II. statuta, alicubi extantis, ne bona 86
immobilia in personas Ecclesiasticas transferantur,
velut adversas Libertati Ecclesiasticæ, non valere.
Quòd enim Ecclesia excludatur à facultate recipien-
di bona immobilia, quam Jure Naturali & Gen-
tium

tium indultam, ac à Jure Civili in *l. habeat* 1. *l. generali* 13: *l. jubemus* 14. *Cod. de SS. Eccles.* expressè
confirmatam habet, utique contrarium & adversum
est Ecclesiis, sicque in *cit.* supra textibus manifestè
87 reprobatum. Et *quis* (infert egregiè D. Joannes
Braun *lib. Var. Amœnitat. quæst.* 23. *in antithesi pag.*
228.) *quis plebeja adeò est anima, qui non videat,
adempta donatione, successoriâ hæreditate, & tandem
etiam emptione, sanctam illam & Apostolicam liber-*
88 *tatem rapi, stringi, & incarcerari?* Si dicas: talia
statuta personis Ecclesiasticis prodesse: quia à nota
avaritiæ easdem tuentur. Physicum illum (reponit
citatus Braun) imitaris, qui tertianam prodesse di-
89 cebat: eò quòd hominem reddat sobrium. Si repe-
tas, & instes: rationem publicam efflagitare, ne ex-
hauriatur territorium, diminuantur, & denudentur
patrimonia civium. Respondet idem Author: nulli
ad Pontificem interclusum esse aditum, qui, re
cognitâ, facilè admittet statutum. Nec pudeat
(pergit ille) hôc locô Magistratum & Laicos humi-
90 liare capita, nec pigeat laboris. Imò (subnectunt
ipsimet Principes Constantius & Constans in *cap. in
qualibet* 23. *XXIII. quæst.* 8.) *Respublica magis au-
getur orationibus & religionibus, quàm labore cor-
poris & sudore.*

91 Infertur III. & illa statuta, quibus liberi, Reli-
giosum Ordinem ingressi, suâ legitimâ privantur,
esse irrita & invalida. Nam quia legitima debetur
indistinctè liberis, ad Religionem convolantibus,
non ut ipsi, sed Monasterium illorum locô capiat
*Authent. Ingressi. Auth. si qua mulier Cod. de SS.
Eccles. Nov.* 5. *cap.* 5. habet Monasterium & Reli-
92 gio jus fundatum quoad legitimam: sicque statu-
tum contrarium infert injuriam Religioni, defraudat
pia loca, & libertatem Ecclesiasticam ultra modum
gravat. Audi, quid D. Hieronymus apud Joannem
Braun *cit. l.* dicat: *pudet dicere: Sacerdotes idolo-
rum, mimi, & scorta hæreditates capiunt; solis Cle-
ricis id prohibetur.*

93 Dico II. Leges Civiles, quarum observantia æ-
què personas Ecclesiasticas ac Laicales decet, affi-
ciunt Clericos & Religiosos, non quidem vi coacti-
vâ, sed directivâ indirectè. Prima pars est certa
94 apud Catholicos. Cùm enim Clerici & Religiosi in
causis criminalibus à foro & Jurisdictione Sæcula-
rium, in omnium Orthodoxorum sententia, sint
exempti *Auth. sed novô Jure Auth. causa. Auth. Cleri-
cus. Auth. statuimus Cod. de Episcop. & Cleric. cap. at
si Clerici* 4. *in pr. cap. Clerici* 8. *de Judic. cap. nullus*
2. *cap. cùm contingat* 13. *de Foro compet.* non possunt
95 Legibus Laicorum quoad vim coactivam subjici. Se-
cunda pars, quòd Clerici & Religiosi teneantur vi
directivâ, est contra Navarrum itidem communiter
conclusa, ex ratione: quòd æquè personæ Ecclesia-
sticæ ac Sæculares laborare teneantur, ut bonum
commune, per Leges intentum, pro suis viribus at-
96 tollant, ac promoveant. Tertia pars, quòd tan-
tùm indirectè teneantur, contra Castropalaum *punct.*
24. §. 6. *num.* 5. & alios, tradunt Suarez *lib.* 3. *cap.*
33. *num.* 13. Stadlmayr *d. l.* Mezger *disp.* 35. *art.* 5.
num. 18. Pettschacher *quæst.* 4. *artic.* 11. §. 4. *con-
clus.* 2. Engel de *Constit. num.* 35. König *ibid. n.* 11.
97 Gletle *cit. cap.* 4. §. 5. *n.* 14. Ratio est: quia obliga-
tio Legalis nequit directè provenire ab eo, qui po-
testate Legislativâ vacuus est. Sed Legislatores Sæ-
culares respectu personarum Ecclesiasticarum Pote-
state Legislativâ sunt vacui. Ergo personæ Eccle-
siasticæ non obligantur directè Legibus Sæcularibus,
sed tantùm indirectè, quatenùs recta ratio, à Jure
Canonico agnita & probata, dictat, ut Clerici & Re-
ligiosi, tanquàm membra Reipublicæ (quantumvis
privilegiata) studeant conservare emolumentum
Reipublicæ, Legibus in bonum commune latis se
submittant, ac communia pondera, mensuras, mo-
netas &c. servent. Faciunt textus generales in 98
cap. 1. & 2. *de N.O.N. cap. innocuit* 12. *in fin. de Ar-
bitr. cap. super specula* 28. *de Privileg. cap. quoniam*
8. & *plur. seqq. Dist.* 10. *cap. cùm ad verum* 6. *Di-
stinct.* 96. Ex quibus

Colliges I. sicut ea, quæ Jure Canonico in mate- 99
ria adiaphora statuta reperiuntur, à Jure Civili com-
probantur: ita, quæ Jure Civili in eadem materia,
puta circa Judicia, Jurisdictionem, Modos acqui-
rendi, Contractus &c. sancita sunt, etiam Jure Ca-
nonicô tacitè recepta esse, suppositô, quòd con-
trarium evidenter & in terminis statutum non inve-
niatur, uti in *cap. dilecti* 6. *de Judic. cap. cùm esset*
10. *de Testament. cap. ult. de Arbitr. in* 6. Repetan-
tur dicta in *tr. præamb. cap.* 1. *n.* 91.

§. III.

Quomodò Forenses & Peregrini obligentur Legibus Civilibus?

Cum in *num.* 63. & 66. cuilibet Statui Imperii nec 100
non Immediatæ & Equestri Nobilitati Potestas Le-
gislativa pro suo territorio sit adstructa: suâ luce
clarescit, plurimas in Germania Provinciales & par-
ticulares inveniri Leges, circa quas dubium esse
posset: an soli subditi illis Legibus subdantur, an
verò etiam forenses & peregrini, qui vel transitûs
vel negotiorum causâ in illis locis & provinciis mo-
rantur? Nihilominùs, quia in *cap.* 5. à *n.* 158. hoc 101
dubium circa Leges Ecclesiasticas particulares per
plures conclusiones explanatum est; ac, quæ ibi
sunt dicta, ob rationis identitatem hic quoque di-
cenda sunt: hinc ambagium & superfluitatum vi-
tandarum gratiâ, illuc me remitto.

Scrupulus forsitan remanere posset: an forenses 102
Legibus vectigalium alieni territorii subjiciantur?
Ratio in oppositum esse videtur: quòd Leges Ve-
ctigalium respiciant singulariter utilitatem illius ter-
ritorii, pro quo feruntur: ut adeò non alios obli-
gare censeantur, ac subditos proprios, qui ex
justitia Legali salutem sui territorii curare tenen-
tur.

Sed imbecillis est hæc ratio. Leges vectigalium 103
siquidem hôc ipsô, quòd respiciant utilitatem ter-
ritorii, pro quo feruntur, obligant omnes, qui uti-
litatem territorii experiuntur. Et quia igitur ad-
venæ non minùs quàm indigenæ sentiunt utilitatem
territorii, experiuntur commodum viarum, defen-
duntur à violatione & deprædatione malignorum
hominum: suadet summæ æquitatis ratio, ut pro 104
sua etiam parte salutem territorii coadjuvent, ac
taxam vectigalium (dummodò justa & proportio-
nata sit) persolvant. Confer Covarruv. in *Relect.
cap. peccatum. part.* 2. §. 5. P. Engel ad *tit. de Consti-
tut. num.* 46. P. Pettschacher *quæst.* 4. *pag.* 77. P. Mez-
ger *disp.* 35. *art.* 1. *num.* 8. P. Layman. *Theolog. Mor.
l.* 3. *tract.* 3. *p.* 1. *cap.* 3.

SECTIO IV.

De Effectu Juris Civilis.

SUMMARIA.

105. & *seqq. Leges Civiles obligant in conscientia.* 109. & *seqq. Post lapsum duorum mensium à die promulgationis.* 112. *Si Imperatoriæ sint.* 113. & *seqq. Non requiritur acceptatio populi.* 123. *Potest Lex Civilis mutari totaliter & universaliter ab Im-*

peratore cum assensu Statuum. 124. *Dispensare potest solus Imperator.* 125. *Et declarare Legem.*

§. I.

A quonam tempore Lex Civilis incipiat obligare?

105 Effectus Legis Civilis est obligatio in conscien-
tia, vel ad solam pœnam, vel ad solum actum, vel
ad utrumque; de qua in *cap.* 1. *Sect.* 3. *per tot.* Ne-
que assertionem nostram, quam *d. l. n.* 227. posui-
mus, labefactant, quæ noviter opposuit D. Fleck
106 *Biblioth. lib.* 1. *tit.* 18. *num.* 14. quòd hôc modô hæ-
res in conscientia ultra vires hæreditarias in solidum
creditoribus satisfacere teneretur: quòd etiam de-
bitor, extinctâ post biennium exceptione de non-
numeratâ pecuniâ, & juxta sententiam, ex falsis in-
strumentis latam, ex obligatione interna teneretur
solvere: quòd denique emphyteuta, canone intra
biennium vel triennium non solutô, non posset em-
phyteusin retinere.
107 Non, inquam, nostram hæc sententiam labefa-
ctant. Nam Lex de satisfactione, ultra vires hære-
ditarias præstandâ; sicut & Lex de non-opponendâ
exceptione post biennium, fundantur in præsump-
tione facti particularis, quâ cessante obligare ces-
108 sant Leges *d. cap.* 1. *num.* 290. Lex verò de caduci-
tate Emphyteusis, ob moram non soluti canonis in-
currendâ, est pœnalis, in pœnam moræ & contem-
ptûs imposita, adeóque ante sententiam in conscien-
tia non stringit. Eôd. *cap.* 1. *à n.* 244.
109 Hæc porrò obligatio, si Lex Imperatoria sit, priùs
initium non sumit, quàm intervallum duorum men-
sium à die Legis promulgatæ transierit, per *rubri-
cam*, *præfationem*, & *nigrum Novellæ* 66. quæ, si-
cut ex *n.* 9. *& seqq.* non solùm de Legibus testamen-
tariis, sed etiam reliquis quoad promulgationem in
provinciis constituta esse, suffragante DD. unifor-
mi calculô, censetur: ita pariter de Legibus aliis
quoad lapsum bimestris procedere creditur. Clariss.
D. Franz ad *tit. de J.N.G. & C. part.* 3. *nu.* 28. Cla-
rissimus D. Marquard. *Otii Herbipol. dissert.* 2. *Sect.* 2.
art. 2. §. 7. *quæst.* 1.
110 Dissentit *cit.* D. Fleck *num.* 10. & ad *Nov.* memo-
ratam respondet, ibi solùm dici, quòd intra duos
menses ignorantiam promulgatæ Legis allegans faci-
lè audiatur, maximè si de ignorantia juraverit, vel
aliam causam ignorantiæ probandæ adduxerit &c.
111 Sed textui & menti Novellæ hæc responsio non
consonat. Nam Imperator disertè dicit, Legem
promulgatam primùm *post duos menses valere*; ne vi-
delicèt alii citiùs, alii seriùs obligentur.
112 Dixi: si *Lex Imperatoria sit.* Nam Leges inferio-
rum Principum statim à die promulgationis vim ob-
ligandi plenam sortiuntur, argumentô eorum, quæ
in *cap.* 5. *n.* 208. disputata habentur.

§. II.

An Lex Civilis obliget independenter ab acceptatione populi?

113 Negativè præter alios concludunt nonnulli ex
iis, qui nobiscum in *d. cap.* 5. *num.* 210. sustinue-
runt, Leges Ecclesiasticas independenter ab accep-
tatione populi obligare. Catalogum pandit Suarez
ubi supra cap. 19. *num.* 1. Castropalao *disp.* 1.
114 *punct.* 13. *num.* 7. Ratio ita concludendi duplex
est. Prima: quòd Legislator Civilis nequeat obli-
gare independenter à consensu populi, utpote à
quo in eum potestas eâ sub conditione delata legi-
tur, ut sinè consensu populi Legem non statuat,
juxta illud Juliani in *l. de quibus* 32. §. 1. *ff. de LL.*
*cùm Leges ipsæ nulla alia ex causa nos teneant, quàm
quòd judiciô populi receptæ sint: meritò & ea, quæ
sinè scripto populus probavit, tenebunt omnes.* Se- 115
cunda est: quòd Legislator Civilis nolit obligare
populum invitum: ex quo enim Lex commune præ-
ceptum est, non præsumitur esse mens Legislato-
ris, velle, ut Lex efficaciter obliget, antequam à
communitate fuerit acceptata.
Sed affirmativè concludendum esse censeo, si de 116
Statu alio, quàm Populari, quæstio intelligatur.
I. quia iisdem ferè fundamentis, quibus independen-
tiam Legis Ecclesiasticæ à populo sustulimus, tolli
potest independentia Legis Civilis ab assensu populi.
II. quia ex eo tempore, quô Romana Monarchia 117
sub Imperatoribus denuò renata est, potestas om-
nis in populum Lege Regiâ translata fuit, adeò ut,
quidquid soli Principi placuisset, Legis vigorem ob-
tineret §. *sed & 6. J. de J.N.G. & C. l. quod Prin-
cipi* 1. *in pr. ff. de Constitut. Princip.* Quod sanè in
rei veritate dici non posset, si populi voluntas con-
stitutioni Legis accedere deberet. III. quia nec 118
expedit, populo talem libertatem esse relictam, ut
qui aliàs ad excutiendas quàm suscipiendas obliga-
tiones est pronior & propensior; nec praxis hodier-
na id admittit: cùm dissentientes & inviti subditi Le-
ges observare cogantur, uti vel in foliis Studiosis quo-
tidie conspicimus. Confer D. Marquard. *d. l. q.* 2.
Rationes pro negativa nihil efficiunt. Prima so- 119
lutionem ex secunda nostra reperit. Textus, in con-
firmationem assumptus, loquitur de Veteri Romano-
rum Republica, quâ floruit Status Democraticus,
ac populus, Senatoriô Magistratu interrogante, Le-
gem constituit. §. *Lex est* 4. *Inst. d. t.* Cùm enim Ju-
lianus dicat, nihil interesse, suffragiô populus suam
voluntatem declaret, an verbis aut factis, suppo-
nit, ad Legem populi votum & suffragium fuisse ne-
cessarium, atque adeò Statum Popularem. Har-
precht ad §. *sed & 6. Instit. d. t. n.* 19. Neque mo- 120
ratur hanc responsionem, quòd Julianus non am-
pliùs vixerit in Statu Democratico. Nam etiam
Justiniani ævô non Democratia, sed Monarchia vi-
guit; & tamen hic Princeps in *d.* §. *Lex est.* defini-
tionem Legis in specie retulit ad tempus Democra-
tiæ. Harprecht *d. n.* 19. Et si necdum quiescas, 121
sed instes: Imperatorem in *d.* §. *Lex est.* usum esse
verbô imperfectô *constituebat*, ac sufficienter ani-
mum suum expressisse. Respondeo: etiam præsens
tempus in Jure quàm sæpissimè pro præterito usur-
pari, uti patet ex §. *Senatusconsultum* 5. *Instit. d. t.*
ubi Imperator Senatusconsultum definit, *quod Sena-
tus jubet atque constituit.* Et tamen Justiniani tem-
pore Senatus authoritas jam exoleverat.
Secunda ratio simplici negatione absolvitur. Nam 122
Lex dicitur esse commune præceptum, non quia
fertur consentiente communitate, sed quia com-
munitati immediatè proponitur, atque ad bonum
illius refertur.

§. III.

Utrùm & à quo Lex Civilis mutari possit?

Legem Civilem, cùm humana & positiva sit, mu- 123
tari posse, olim quidem à solo Imperatore, hodie
verò non nisi requisitis Statibus, in confesso est
apud omnes. Quod tamen de totali & universali
Legis mutatione, adeóque de ab- vel derogatione,
non de dispensatione accipiendum, sinè hæsitatio-
ne pronuntiaverim. Nam hodiedum Imperatori 124
potestatem adscribo, in Lege Civili privatâ dis-
pensandi. Enimverò modernô adhuc sæculô libe-
ros illegitimè natos legitimat per *Nov.* 84. §. 9.
Minorennibus veniam ætatis tribuit. *l. omnes adolescentes*

scentes 2. *in pr.* & §. *ult. Cod. de his qui ven. ætat. impetr.* Tempus ad conficiendum inventarium ultra annum prorogat *l. ult.* §. 3. & 11. *Cod. de Jure delib.* Reo criminis pœnam, à Lege indictam, non solùm mitigat, sed & in totum remittit *l. moris est* 9. §. 11. *ff. de Pœn.* Ducibus, Principibus, & aliis privilegia & jura specialia indulget *A. B. cap.* 8. & 11. Pactis successoriis, de Jure Civili invalidis, robur conciliat, & sexcenta alia facit, quibus Jus commune dispensandò relaxat. Gail. 2. *abservat.* 142. *n.* 7. & 8. Rosenthal de *Feud. cap.* 7. *conclus.* 29. *n.* 25. D. ab Andlein *lib.* 1. *tit.* 3. *part.* 2. *n.* 24.

105 Neque ambigo, quin ipsas Leges Civiles, si quæ (ut sunt infinitæ) intricatæ & perplexæ videantur, Imperator interpretari & declarare possit. Hanc quippe potestatem, cùm antiquitus habuerit *l. ult.* §. 1. *Cod. de LL.* adhuc retinet, donec adempta fuisse probetur *arg. l. sancimus* 27. *Cod. de Testam. l. præcipimus* 32. §. *ult. Cod. de appellat.*

Hoc Caput, cùm in ipso Corpore Tractatûs & alibi ad abundantiam sit explanatum, non habet opus Supplementô.

CAPUT VIII.

De Jure Singulari, sive Rescriptis.

Species Juris Legalis, in præcedentibus Capitibus explanatæ, sunt universales, ac Jus universitatibus & integris communitatibus quà talibus statuunt. Occurrunt hic *Rescripta*, quæ quidem aliquando Jus universale faciunt; plerumque tamen jus singulare duntaxat privatas inter personas operantur. De Jure itaque singulari, per Rescripta & Privilegia obtentò vel obtinendò, hoc capite tractabitur.

SECTIO I.

De Rescriptis in genere.

SUMMARIA.

1. *Etymologia Rescripti.* 2. *Synonymia.* 3. *Definitio.* 4. *Est responsum Summi Principis.* 5. *Vel etiam, si laxè placeat loqui, inferioris.* 6. & *seq. Ad instantiam partis.* 8. & *seqq. Scriptô redditum.* 12. *Rescriptum aliud est Gratiæ, aliud Justitiæ.* 13. *Aliud mixtum.* 14. & *seqq. Partes Rescripti sunt narratio & conclusio.* 19. & *seqq. Narratio supplicantis à narrante est probanda.* 22. & *seq. Exceptâ idoneitate intrinsecâ.* 24. & *seq. Narratio rescribentis nec probat, nec probari debet, si in eæ non fundetur intentio.* 26. & *seqq. Si in ea fundetur intentio, plenè probat.* 29. *Pauci repelluntur ab impetrando Rescripto.* 30. & *seqq. Processus habitus vi rescripti, ab excommunicato impetrati, est ipsô Jure nullus.* 34. & *seqq. Subjunguntur casus excepti.* 37. & *seqq. Potest quis pro alio Rescriptum Gratiæ, non autem Justitiæ, sinè mandato impetrare.* 43. & *seqq. Exhibetur modus & forma accidentalis expediendi Rescripti.* 52. *Rescriptum facit Jus singulare.* 53. *Nisi sit declarativum Juris, aut Corpori Juris inseratur.* 54. & *seq. Regula interpretandi rescriptum.* 56. *Executio est facienda tempore & modô præscriptô.* 57. *Dantur in hunc finem executores.* 58. *Debent esse in dignitate, personatu, vel Canonicatu Cathedrali.* 59. & *seqq. Transit quandoque jus exequendi ad successorem.* 63. *Quando executio est nudum ministerium, quilibet eam facere potest.* 64. *Quando est circa materiam fori interni, executor debet esse Doctor.* 65. *Rescripta habent vitia communia & specialia.* 66. *Ex specialibus est manifestus error latinitatis.* 67. *Violatio juris tertii.* 68. *Repugnantia Juris Communis.* 69. & *seqq. Proponitur & discutitur quæstio, an Rescripta contra constitutiones Conciliorum requirant expressam derogationem?* 82. *Rescriptum contra Tridentinum non requirit derogationem expressam.* 83. & *seq. Agitur de vitio ob- & subreptionis.* 85. & *seqq. Explicatur* cap. 10 licetis 20. de Rescript. 93. & *seqq. Decisio hujus* cap. *debet etiam applicari ad Rescripta Gratiæ.* 97. & *seqq. Etiam ad defectum causæ impulsivæ.* 100. & *seq. Uti & ad falsitatem alterutrius causæ ex duabus.* 103. & *seq. Ob- vel subreptio dolosa Rescripta ipsô Jure vitiat.* 106. & *seq. Motus proprius sanat vitium sub- non obreptionis.*

§. I.

Quid & quotuplex sit Rescriptum?

Rescriptum, à rescribendo, subscribendo, vel respondendo denominatum esse, nomen ipsummet facit manifestum, & probat *l. non distinguemus* 32. §. 14. *ff. de Receptis, qui arbitr. l. appellandi* 1. §. 1. *ff. de Appellat.* Gonzalez ad *cap. cæterùm* 3. *de Rescript. n.* 4. 1

Effertur interdum & profertur sub nomine epistolæ, decretalis, consultationis, aut literarum *cap. nonnulli* 28. *d. t. cap. pastoralis* 8. *de Fide instrument. cap. ex multa* 9. *de Voto & Voti redempt. cap. ex parte* 3. *de Capell. Monach.* 2

Describi potest, quòd sit responsum Principis, ad instantiam partis, scriptô redditum. 3

Dixi I. *responsum Principis*; intellige vel Sæcularis, vel Ecclesiastici. Et quidem, si loqui velimus in rigore, soli Principes Supremi, nimirum in spiritualibus Papa, in temporalibus Imperator, aut Rex, rescribere dicuntur: sicut enim Jura concedere, relaxare, vel declarare Supremis tantùm Principibus principaliter competit; ita & illis primariò convenit, dare responsum Juris. Attamen, si paulò largiùs vocabulum Rescripti sumere lubeat, inferiorum Principum literæ vel responsa non incongruè Rescripta vocantur: quatenùs & illi, potestate, à Supremis concessâ, jus inter partes constituere possunt. Zoës. ad *tit. de Rescript. n.* 2. P. König *eôd. tit. n.* 4. P. Reiffenstuel *ibid. n* 3. 4 5

Dixi II. *ad instantiam partis*; puta ad præviam alterius relationem, supplicationem, vel consultationem. Quâ notâ Rescriptum differt ab Edicto, quod à Principe motu propriô in utilitatem subditorum promulgari solet *l. Leges* 3. *Cod. de LL.* Quòd si, ut nonnunquàm amat fieri, Rescriptis quoque reperiatur hæc inserta clausula; *motu propriô*; non propterea desinunt esse Rescripta, sed Rescribens declarare voluisse creditur, se non tam precibus supplicantis, quàm innatâ suâ clementiâ, vel urgente sic aut suadente ratione, ad faciendam gratiam fuisse permotum *arg. cap. sedes* 15. *de Rescript. cap. si motu* 3. *de Præbend. in* 6. ubi Passerin. *n.* 31. *l. qua ex* 2. *Cod. de LL.* Clariss. DD. Antecessores, P. Placidus Bridler de *Clausul. Rescript. claus.* 24. *lit.* 6 7

m. P. Christophorus Döring de *Jure Rescript. th. 7.*
8 Dico III. *scriptô redditum.* Etsi enim intrinseca
Rescripti forma stet in voluntate Rescribentis, signô
quôdam exteriore manifestatâ: nec Rescribens ipse-
met responsum ac literas suas formare consueverit,
sed (loquendô de Rescriptis Pontificiis) supplica-
tiones, pro petenda gratia oblatæ, per verbum
fiat; Rota Rom. in *Rec. p. 5. tom. 1. decis. 330. n. 17.*
supplicationes autem pro decernenda justitia per
verbum *placet*, à Summo Pontifice, additâ initiali
sui nominis literâ, signentur. Rota *d. l. decis.* 330.
9 n. 19. Nihilò tamen minùs, antequàm literæ Apo-
stolicæ expediantur, gratiæ conferendæ dicuntur
in hodiernis *Reg. Cancell.* 27. *rudes & informes*;
commissiones verò causarum, una cum processu in-
de secutô, in *Reg. Cancellar.* 31. nullius esse robo-
10 ris pronuntiantur. Qua de re falsè Baldus dixisse
memoratur, in lingua Principis stare gratiam, in
scriptura testimonium, in executione gratiæ com-
modum & emolumentum. Clariss. D. P. Döring *d.
l. th.* 19.
11 Si tamen contingeret, S. Pontificem, qui volun-
tatem suam de conferenda gratia jam explicaverat,
ante literarum expeditionem ex hac vita decedere;
oratori supplici per *Reg. Cancellaria* 10. consulitur,
in qua SS. P. Clemens XI. statuit, ut gratiæ, per
prædecessorem Pontificem concessæ, per successo-
rem executioni tradantur, in *forma rationi congruit*:
eò quòd omninò rationabile & æquum sit, ut ea,
quæ de Romani Pontificis benignitate decreta sunt,
sed prematurâ illius morte infecta manserunt, ple-
num effectum per substitutum in Officio consequan-
tur. Erasmus à Coclker ad *cit. Reg. Cancellar.*
12 Rescriptum aliud est Gratiæ, aliud Justitiæ. Res-
criptum *Gratia* procedit ex mera gratia & liberali-
tate concedentis. Rescriptum *Justitiæ* ex quadam
13 necessitate & vinculo juris emanat. Ex utroque
mixtum appellant, quod partim continet favorem
v. g. concessionem beneficii; partim justitiam, uti
dum executor ad beneficii collationem cum pote-
state, contradictores compescendi, designatur. P.
Wiellner ad *tit. de Rescript. n.* 8.

§. II.

Quot partes habeant Rescripta? Et quomodò illa probanda?

14 Rescripta quælibet duas partes complectuntur:
Narrationem & Conclusionem. Narratio vel est
supplicantis, vel Rescribentis. *Narratio supplican-
tis* est propositio & relatio illius, qui supplices pro
impetrando Rescripto literas dedit, à Rescribente
15 summatim repetita. *Narratio Rescribentis* est rela-
tio & expositio illius, qui ad supplices literas re-
spondet, ac motu propriô quædam responsioni in-
16 serit, antehàc à supplicante non suggesta. *Conclusio*
est dispositio seu resolutio Rescribentis ad causam
& casum propositum. Hæcque principalis & præ-
cipua pars Rescriptorum dicitur: quia intentionem
& mentem Principis depalliat, clausulas quasdam
exhibet, ac gratiæ concessæ substantiam & qualita-
tem declarat.
17 Emmanuel Gonzalez ad *cap. ex parte 2. de
Rescript. num.* 15. quinque Rescriptorum partes
enumerat. Primam appellat corpus signaturæ,
seu narrationem; secundam Responsionem, seu
concessionem; tertiam clausulam; quartam da-
18 tam; quintam signaturam. Sed, me judice,
istæ partes quinque ad duas mox explicatas con-
venienter reduci possunt: cùm tertia, quam clau-
sulam dicunt, rectè ad Conclusionem; quarta
& quinta aptiùs ad modum concipiendi quàm sepa-
ratam partem revocentur. Indagandum superest,
quomodò & à quo Narratio Rescripti probanda sit?
Dico I. Narratio supplicantis regulariter à sup- 19
plicante probanda est. P. Engel de *Rescript. n. 9.*
Gonzalez ad *cit. cap. n. 17.* Constat tam ex *cap. sus-
ceptum 6. §. si duo de Rescript. in 6.* ubi, qui benefi-
cium vacare per resignationem exposuit S. Pontifi-
ci, in beneficii collatione præfertur illi, qui id va-
care per mortem narravit, si narrata probaverit:
quàm ex *l. sicut iniquum 5. Cod. de Fide instrum.* ibi:
*intelligere debetis, probari debere, fidem precibus
vestris adesse.* Ratio est: quia Summus Pontifex 20
non aliter rescribit, quàm conditionatè: *si preces
veritate nitantur d. cap. ex parte 2. de Rescript.* Im-
perator verò nullam Rescripto suo vim inesse de-
clarat, si clausulam prædictam non habeat expressè
insertam *l. ult. Cod. de divers. Rescript.* Sicut ergo 21
alius, qui jus conditionatum habet, conditionis
existentiam, tanquam intentionis suæ fundamen-
tum, probare tenetur *l. quoties 2. l. ei incumbit 2. l.
eum de Lege 17. l. verius 11. ff. l. ut creditor 1. Cod.
de Probat.* Sic qui fundamentum intentionis suæ in
Rescripto ponit, cui annexa conditio: *si preces ve-
ritate nitantur.*
Dixi *regulariter.* Excipitur enim casus, quô sup- 22
plicans narravit, se esse idoneum ad beneficium, &
Rescribens hanc clausulam addidit Rescripto: *si
fuerit idoneus*: tunc quippe non tenetur impetrans
probare, se esse idoneum, per textum luculentum
in *cap. ult. de Præsumption.* Quem tamen DD. vul- 23
gò de sola idoneitate intrinseca & dispositione ani-
mi, non verò de qualitatibus externis & adventi-
tiis, ætate, scientiâ, legitimitate &c. interpretan-
tur cum Barbosa in *id cap. n. 2.* Wagnereck *ibid.*
Alias exceptiones dabit P. Engel *d. l. n.* 10.
Dico II. Narratio Rescribentis nec probat ali- 24
quid, nec probari debet, si Rescribens intentio-
nem suam in ea non fundaverit. Panormitanus ad
Clem. un. de Probat. n. 2. Engel *d. n. 9.* Patet I. à
sensu contrario *d. Clem. un. de Probat.* II. ex *cap.
si Papa 10. de Privil. in 6.* ubi dicitur, Ecclesiam
exemptam propterea non censeri, quòd exempta à
Pontifice nominata fuerit in Rescripto. III. ex
Clem. ult. de Sent. excommunicat. ubi, si Papa ali-
quem in literis suis sub titulo cujuscunque digni-
tatis honoret, sancitum habetur, nec dignitatem,
nec personam, in dignitate per hoc firmatam aut,
probatam, censeri. Ratio est: quia ex una parte 25
stat præsumptio, similes qualitates magis in suppli-
catione suggestas, quàm à Narrante propriâ autho-
ritate expressas fuisse, ideóque nil probant: ex al-
tera verò parte, cùm Rescribens in illis narratis in-
tentionem suam non ponat, nihil interest, vera an
falsa sint narrata: quia in utroque casu idem Res-
cribens gratiam facere voluisse præsumitur.
Dico III. Quando Rescribens in sua narrativa 26
fundat intentionem rescribendi, illa à supplicante
probari non debet, sed plenam per se probationem
facit. Textus apertus in *d. Clem. un. de Probat.* ubi
Panormitanus, Barbosa, & alii Interpretes. Ratio 27
est: quia, quæ ex propria scientia facit Prin-
ceps, circumspectè censetur fecisse; nec certæ con-
ditioni mentem suam alligâsse, nisi veritatem illius
perspectam habuisset.
Limitat hanc conclusionem P. Engel *d. l. nu. 9.* 28
quando Papa rescribens narrat de facto alieno: tunc
enim ex narratione præsumptionem fidei quidem
enasci autumat, illam tamen per probationem in
contrarium impugnari posse, admittit.

§. III.

§. III.

Quis possit impetrare Rescriptum?

29 Rescriptum omnis impetrare potest, qui servus,
hæreticus, aut excommunicatus non est *cap. dile-*
ctus 26. de Rescript. cap. ipsô Jure 1. eôd. in 6. l. nul-
lus hæreticis 2. Cod. de Summa Trinit. l. licèt servilis
30 *1. Cod. de Precib. Imperat. offerend.* Quod adeò
verum est, ut Rescriptum, ab excommunicato im-
petratum, sit nullum, ac, si tendat ad Justitiam, to-
tus processus, virtute Rescripti habitus, valore de-
stituatur *d. cap. dilectus 26.* ubi Gonzalez *nu. 9. &*
10. d. cap. ipsô Jure 1. in 6. ubi Passerin. *à n. 8.*
31 Neque reclamat textus in *cap. pia 1. de Except.*
in 6. ubi disponitur, acta in judicio cum excommu-
nicato valere, si nullitatis exceptio intra judicii mo-
32 ras non fuerit opposita. Nam ista dispositio solùm
procedit in Judicio & Judice ordinario, qui Juris-
dictionem in excommunicatum habere, nec excom-
municato quidquam deesse, præter legalitatem per-
sonæ, supponitur: contra quam proinde, si adver-
sarius non excipiat, acta subsistere permittuntur.
33 Nostra verò resolutio versatur in Judicio & Judice
delegato, qui Jurisdictionem suam ex Rescripto
primitus acquirit: adeóque si Rescriptum, uti hic,
nullum sit, nullam exinde Jurisdictionem ad pisci-
tur: consequenter acta & actitata ab eo, qui Juris-
dictione caret, nulla penitus & inutilia sunt. P.
Pirhing ad *tit. de Rescript. n. 7.*
34 Excipiuntur autem a superiori conclusione, quòd
excommunicatus nequeat impetrare Rescriptum,
aliquot casus. I. est, quando Rescriptum super
ipsomet excommunicationis negotio vel appellatio-
nis articulo impetratur: tunc enim Rescripti valo-
rem sustinet defensionis necessitas, quæ nequidem
excommunicato subtrahenda *d. cap. ipsô Jure 1. de*
35 *Rescr. in 6.* Passerin. *ib. n. 28. & seqq.* II. est, quan-
do excommunicatio tantùm est minor: quippe cùm
excommunicationis, simpliciter prolatæ, nomine
non intelligatur alia, quàm major per *cap. si quem*
36 *59. de Sent. excommunicat.* III. est, quando Res-
criptum petitur ab Imperatore, vel alio Principe
Sæculari: quia ex una parte *cit. cap. ipsô Jure* de
Rescriptis Apostolicis duntaxat conceptum legitur;
ex altera verò parte excommunicatus non tam in-
habilis judicatur ad acquirenda vel possidenda jura
temporalia quàm spiritualia. P. Pirhing *cit. loc. n. 10.*
P. Wiestner *ibid. num. 21.* Clariss. P. Schmalzgrueber
37 *ibid. n. 5.* IV. est, quando S. Pontifex notitiam
habet excommunicationis: nam ipsô factô dispen-
sâsse censetur cum excommunicato, ad effectum
Rescripti consequendum: quemadmodùm Summi
Pontifices modò plerisque Rescriptis, ad impetran-
dum illorum effectum, præmittere solent absolutio-
nem: ni adeò *cit. cap. ipsô jure* moribus hodiernis
vix unquam effectum habeat. Passerin. ubi *supra n.*
1. & 2.
38 Si petas: possitne quis Rescriptum impetrare pro
alio?
℟. distinguendô inter Rescriptum Justitiæ &
Gratiæ. Rescriptum Justitiæ de Jure Communi ne-
quit alius impetrare pro alio, nisi vel personæ sint
conjunctæ, quæ sinè mandato ad agendum alieô
nomine admittuntur: vel speciale mandatum aut
generale cum libera habeant. Textus in *cap. non-*
nulli 28. §. sunt & alii cap. ex parte Decani 33. in
39 *fin. de Rescript.* Et, si quis de facto, extra casus
mox exceptos, Rescriptum extorqueret, illud non
tantùm exceptionis ope, sed ipsô Jure nullum &
irritum esse, non minùs ac judicium, falsô procu-
ratore agitatum *in l. licet 24. Cod. de Procurat.* ju-
dicant Zoës. ad *cit. tit. n. 15.* Pirhing *n. 12.* Wiest-
ner *num. 23.* Schmalzgrueber *num. 6.* Rescriptum 40
Gratiæ alius pro alio non prohibetur impetrare, ta-
metsi nec propinquitate sit alteri conjunctus, nec
mandatô instructus per textum in *l. universis 6. Cod.*
de Precib. Imperat. offerend. ubi, cùm Jure Civili
hæc assertio luculenter habeatur decisa; de Jure
Canonico, quod gratias & favores etiam absentibus
& ignorantibus prodesse volunt *cap. accedens 24. de*
Præbend. cap. si sibi absenti 17. eôd. in 6. æqualiter
decisa fuisse colligitur P. Suarez de *LL. lib. 6. cap.*
13. à n. 6. P. König de *Resc. n. 5.* P. Schmalzgrue-
ber *cit. l. n. 7.* Ratio discriminis est: quia Juribus 41
nostris summoperè sunt odiosæ & exosæ lites *cap.*
ult. de Alienat. Judic. mut. l. quidam 21. ff. de R.C.
nec alterius locô sinè mandato quempiam non-con-
junctum agere permittunt *l. in causæ 27. in pr. ff. d. l.*
licèt 24. Cod. de Procurat. At opera Christianæ cha-
ritatis, quæ in benefactis & gratiis procurandis sita
sunt, Jura non impediunt, sed maximè commendant
per *l. servus 7. ff. de Serv. exportand.*
Dixi superius *de Jure Communi.* Nam in Curia 42
Romana etiam ad lites impetrari posse Rescripta
sinè mandato, probat ex variis Authoribus P. Reif-
fenstuel ad *tit. de Rescript. num. 59.*

§. IV.

Quis Modus & Forma in conficiendis Rescriptis adhibeatur?

Modus & Forma conficiendi Rescripta dependet 43
plurimum à stylo Curiæ; contra quem si Rescripta
deprehendantur fuisse concepta, pro falsis haben-
tur, ut notat Brunn. ad *l. sacri affatus 6. Cod. de*
Divers. Rescript. n. ult. Abstrahendô tamen à stylô
Curiæ, & loquendô de Jure Communi.
I. in Rescripto ponitur nomen Rescribentis, Pon- 44
tificis aut Imperatoris. II. exprimitur annus Incar- 45
nationis & Pontificatûs, si Rescriptum Pontificium;
vel, si Cæsareum sit, consul, dies, & indictio *l. si*
qua 4. Cod. d. t. III. in Rescriptis Apostolicis Epis- 46
copi & Archi-Episcopi *venerabiles fratres*; Impe-
ratores, Reges, Principes, & cæteri fideles, etiam
Ecclesiastici & Cardinales, *filii* nuncupantur *cap.*
quàm gravi 6. de Crim. falsi. IV. in iisdem Res- 47
criptis, quando diriguntur ad unum, nunquàm
plurali numerô *vos* sive *vester* utitur Rescribens, sed
singulari, & in secunda persona *te tuam &c d. cap. 6.*
V. eadem Rescripta Apostolica bullantur cum filo 48
serico, rubeo, & croceô, si dentur ad gratiam; &,
si ad justitiam cum filo cannabis, in quo plumbum
pendet, clauduntur: qua de causa in *cit. cap. 6.* bul-
larum filum diligenter inspici jubetur. VI. in Res- 49
criptis Pontificiis, quando in forma *Brevis* breviter
& paucis verbis expediuntur, appenditur in cera
rubra sigillum Papæ, quod *Annulus Piscatoris* di-
citur, propter insculptam ei imaginem S. Petri, ex
nave jacentis rete in mare, cum subscriptione: *Da-*
tum sub Annulo Piscatoris. P. Wiestner ad *tit. de Re-*
script. n. 7. VII. Rescripta Imperialia purpureô 50
colore scribuntur, & cocti muricis tritique con-
chilii ardore signantur *d. l. sacri affatus 8. Cod. de*
Div. Rescript ubi Brunn. *nu. 3.* advertit, hanc for-
mam exolevisse. Conferatur Gonzalez ad *cit. cap.*
quàm gravi 6. num. & seqq.
Cæterùm forma, hucusque præscripta, magis 51
accidentalis quàm substantialis apparet. Substan-
tialis autem ex *num. 8.* desumitur ex ipsa Rescriben-
tis intentione, per verborum tenorem manifestatâ:
quid enim, quantum, quale, quô ordine, quâ con-
ditione Rescribens justitiam aut gratiam exhiberé
velit, ex verbis dignosci debet; nec sinè periculo

nullitatis & frustrationis contraveniri potest per *cap.
cùm dilecta 22. de Rescript. cap. cui de non Sacerdo-
tali 27. de Præbend. in 6.* P. Reiffenstuel ad *tit. de
Rescript. num.* 144.

§. V.

*Quis effectus sit Rescriptorum; quomodò interpretan-
da & exequenda sint?*

52 Effectus Rescriptorum est, quòd regulariter Jus
particulare, & inter partes duntaxat, pro quibus
emanant, faciant *l. quæ ex 2. l. Leges 3. Cod. de LL.*
Engel ad *tit. de Rescript. nu.* 1. Pirhing *ibid. nu.* 3.
53 König *ibid. n.* 8. Jus autem universale & Legale
tum demum operantur, quando ad declarationem
Juris dubii redduntur *cap. in causis 19. de Sentent. &
re judic. cap. ex multa 9. de Voto & Voti redempt.
l. ult. in pr. & §. 1. Cod. d. t.* aut jussu Rescribentis
Corpori Juris Communis inseruntur *arg. cap. si Apo-
stolicæ 22. de Præbend. in 6. l. DEO authore 1. §.
6. Cod. de V. J. E.*
54 Interpretatio Rescriptorum regulatur juxta nor-
mam interpretandi Leges: adeò ut interpretatio au-
thentica, doctrinalis, extensiva, & restrictiva non
minùs in Rescriptis quàm Legibus, pariformiter ad-
hibeatur. Reiffenstuel ad *tit. de Rescript. num.* 119.
Recurrendum igitur ad *tract. præamb. cap. 3. sect.* 1.
55 & 2. Id solùm adverte, quod legi in Rotæ Rom.
*decis. 18. n. 21. p. 10. to. 1. & decis. 271. n. 2. 3. & 6. p. 14.
in Recent.* Rescriptum ambiguum juxta supplicatio-
nem intelligendum esse.
56 Executio Rescriptorum eò tempore & modô fa-
cienda, quô à Rescribente fieri jussa est per *cap. de
causis 4. de Off. & pot. Jud. deleg.* Rota Rom. *cit. p.
14. decis. 271. n. 8.* Si nihil à Rescribente de tempore
vel modo rescriptum aut præscriptum fuerit, erunt
consulenda, quæ dicemus in *sect.* 2. & 3.
57 Hunc in finem à Sede Apostolica speciatim con-
stitui solent executores, nempe ut cognoscant de
veritate & clausulis Rescripti (quæ cognitio dicitur
aliàs *intermatio* P. König *cit. loc. num.* 7.) ac Res-
58 criptum in effectum deducant. Et quidem, si exe-
cutio Rescripti, tum Gratiæ tum Justitiæ, respiciat
Jurisdictionem externi fori, non aliis personis, nisi
quæ in dignitate, personatu, vel Canonicatu alicu-
jus Ecclesiæ Cathedralis sunt constitutæ, propter
majorem S. Sedis reverentiam & honorem delega-
tur *cap. statutum 11. in princ. de Rescript. in* 6. Quòd
59 si contingat, delegatum executorem, antequàm
partes suas & executionem expleverit, cedere, de-
cedere, vel excidere dignitate, personatu, vel Ca-
nonicatu, videndum est, utrùm executio ipsi fue-
rit delegata sub nomine dignitatis, personatûs, vel
Canonicatûs; an sub nomine proprio & personali.
60 Priore casu etiam Successor in dignitate, persona-
tu, vel officio potest exequi Rescriptum per textum
in *cap. quoniam 14. de Offic. & pot. Jud. deleg.* quia
nimirum dignitas, personatus, aut Canonicatus, ad
quem respexit delegans, non cessat vel extinguitur
cum possessore, sed continuatur & conservatur in
61 successore. Idque etiam in Vicario Generali, quam-
vis officium illius & dignitas ad nutum Episcopi re-
vocari valeat, propter moralem perpetuationem in
successore, communiter substitui consuetô, proce-
dere, tenent Panormit. ad *cit. cap. num.* 10. & 11.
Piasecius in *praxi Episcopali cap. 4 n. 6.* Wiestner ad
tit. de Resc. n. 149. Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid.*
62 *n.* 33. Posteriore casu non transit executio de per-
sona in personam: utpote cùm extet regula gene-
ralis, quòd ea, quæ personalia personisque sunt
annexa, cum persona desinant & pereant *cap. pri-
vilegium 7. de R. J. in* 6.

Sin autem Rescripta solummodò concernant ex- 63
ternum aliquod ministerium & factum nudum abs-
que Jurisdictione; sicuti v. g. est sola immissio in
possessionem beneficii vel alterius juris, absque co-
gnoscendi potestate; vel spectet ad forum internum,
sicuti v. g. est absolutio à censuris, vel dispensatio
in impedimento occulto ex delicto &c. non exigitur
in delegato aliqua præeminentia dignitatis, perso-
natûs, aut Canonicatûs; sed quoad ministeria primi
generis quilibet potest executorem agere; quoad 64
executiones autem secundi generis requiritur in exe-
cutore, præter approbationem ad curam animarum,
Doctoratus SS. Theologiæ vel SS. Canonum, in
Universitate quadam publica receptus; nec sufficit
Licentiatus, aut Gradus Doctoralis, aliunde com-
paratus, nisi peculiare desuper privilegium, quale
Sacerdotes Societatis JESU habere dicuntur, sit
impetratum. Wiestner *it. tit. n. 158. & seq.* Schmalz-
grueber *ubi supra sub n.* 32. & alii *à cit.* P. Wiestner
citati.

§. VI.

De Vitiis Rescriptorum.

Vitia Rescriptorum vel sunt aliis quoque scrip- 65
turis & instrumentis communia; vel solis Rescriptis
propria. Vitia priora sunt contrarietas, rasura, can-
cellatio, de quibus agemus in *to. 2. lib.* 2. in spe-
ciali *cap. de Instrumentis.*
Ad vitia posteriora refertur I. manifestus error la- 66
tinitatis, non tam contra orthographiam aut elegan-
tiam sermonis, quàm contra regulas emendatæ &
puræ constructionis admissus *cap. ad audientiam 11.
de Rescript.* quia verosimile non est, tam enormem
solœcismum non fuisse notatum, si à Romana Cu-
ria Rescriptum legitimè promanâsset, ubi per tot
Officialium manus & oculos transire debuit. P. En-
gel ad *eund. tit. n.* 13. monens, idipsum in Rescrip-
tis Cæsareis obtinere; consentiente Panormitano,
Barbosa, Wagnereck, & Gonzalez ad *d. cap. in
not. num.* 3.
II. Si contra jus privatum personæ tertiæ sinè 67
causa utilitatis aut necessitatis publicæ, ac sinè clau-
sula *ex certa scientia* Rescripta formentur *cap. super
eo 15. de Offic. Jud. deleg. cap. quamvis 8. de Rescript.
in 6. l. prætor ait 2. §. 16. ff. Ne quid in loco publ.*
Regula *Cancell.* 18. Rota Rom. in *recent. p. 9. to.
1. decis. 217. n.* 19. Conferantur superiùs scripta in
cap. 1. à n. 194. &, quæ habentur in *Epitome quæst.
Select. de Jurib. Ord. & Exempt. p. 1. q.* 19. operâ &
studiô Clarissimi cujusdam Assessoris in Consistorio
Neostadiensi confectâ.
III. Si Rescriptum contra Jus Commune, scri- 68
ptum & non-scriptum, tendat, neque mentio fiat
Juris Communis, cui derogatur *cap. eam te 4. de
Ætate & qual. & Ord. præficiend. cap. nonnulli 28. in
fine pr. de Rescript. cap. ex parte 3. de Capell. Mo-
nach. l. rescripta 7. Cod. de Precib. Imperatori offe-
rend. l. ult. Cod. si contra Jus.*
Verùm hìc egregia & practica consurgit quæstio: 69
utrùm, si Rescriptum emanet contra alicujus Con-
cilii Generalis constitutionem, sufficiat derogatio
generalis, per hæc aut similia verba: *non obstantibus
quibuscunque constitutionibus contrariis*; vel utrùm
requiratur specifica derogatio illius Concilii dicen-
dò v. g. non obstante Constitutione Concilii Late-
ranensis &c? Derogationem specialem post Archi- 70
diaconum & Joannem Andream requirunt Covarruv.
Var. Resolut. lib. 4. cap. 16. num. 13. Clariss. P. Joan.
Bapt. Ebberth. *Select. controv. p. 2. contr.* 2. Author
cit. epit. p. 1. q. 3. allegans aliquot Rotæ Romanæ de-
cisiones. Derogatione generali sunt contenti post
Innocentium, Joannem Monachum, & Antonium
de

de Butrio Suarez de *LL. lib. 8. cap. 19. n. 5.* Gonzalez
ad *cit. cap. ex parte 3. de Capell. Monach. num. 2.* Re-
verendiss. DD. Guetrather *Inst. Jur. Can. lib. 5. tit.*
3. num. 19.

71 Ego, cùm à nemine hanc quæstionem accuratiùs
fuisse tractatam comperiam, quàm à Passerino ad
cap. licèt 1. de Constit. in 6. quæst. un. art. 13. illius
doctrinam in compendium stringo, & adverto I.
praxin Ecclesiæ Romanæ usque ad sæculum 13.
hanc extitisse, ut in dispositionibus, quæ Juri
Communi vel etiam Conciliis generalibus erant con-
trariæ, clausulam derogatoriam nunquàm adhibue-
72 rit. Refert ad hujus demonstrationem Passerinus
cit. loc. n. 265. varia privilegia, quibus SS. Pontifices
complures Ordines & Monasteria vel a Jurisdictio-
ne Ordinarii, vel à solutione decimarum, vel ab
aliis obligationibus Juris Communis exemerunt, nec
tamen illam contrarii Juris memoriam fecerunt.
73 Dici autem non potest, Pontifices similia ex igno-
rantia Concilii vel Juris Communis, quod in scrinio
pectoris habere præsumuntur in *cit. cap. licèt 1. de*
Constitut. in 6. egisse; sed potiùs ex ea considera-
tione, quòd cogitaverint, ejusmodi derogationem,
cùm de voluntate derogandi jam constet, non esse
necessariam.

74 Adverto II. derogationem Concilii tunc solùm
antiquiori Romanæ Curiæ stylo in usu fuisse, quan-
do Concilium habebat clausulam derogatoriam ad
futura Rescripta; quemadmodùm in *cap. nonnulli*
28. in *fin. pr. de Rescript.* constitutio Concilii Late-
ranensis, ne aliquis vi rescripti Apostolici trahatur
ultra duas diætas ad judicium, continet derogato-
riam clausulam, *nisi* Rescriptum futurum *de assensu*
partium fuerit impetratum, aut expressam de hac
constitutione mentionem fecerit. Siquidem Pontifi-
ces Successores in reverentiam Antecessorum non
voluerunt ab ejusmodi constitutionibus, absque
derogatione, vel expressa vel æquipollente, rece-
dere. Passerin. *cit. loc. n. 275.*

75 Adverto III. Occasione *cit. cap. nonnulli* primi-
tus subortam fuisse controversiam, utrùm non in
omnibus Rescriptis, quæ contra generalium Con-
ciliorum decreta conceduntur, clausula derogato-
ria requiratur? Et quia SS. Pontificibus non erat
incognita disputantium altercatio, illos ad tollen-
dam ambiguitatem à tempore Bonifacii VIII. non-
nunquam uti clausulis derogatoriis, sed tantùm ge-
neralibus, cæpisse; posteà subinde generales, sub-
inde speciales derogationes placuisse; donec tan-
dem à potiori Rescripta contra generalium Conci-
liorum constitutiones non aliter, ac cum expressa
derogatione, fuerint expedita. Passerin. *d. l. n. 278.*
& seqq. Quibus sic animadversis,

76 Cum eodem Passerino *n. 285.* opinor, adhuc ho-
die clausulam generalem derogatoriam sufficere: eò
quòd nulla sit necessitas, sive constitutionibus A-
postolicis in specie, sive constitutionibus Conciliari-
bus, quæ robur & vires unicè capiunt ex Autho-
ritate Pontificis, specificè derogandi; neque per-
spicuus appareat textus, similem derogationem ab-
solutè & universaliter postulans. Hæcque opinio
decisa fuit à Rota Rom. *in recent. p. 14. decis. 5. n. 4.*
in una Hispalensi decimarum, ac resolutum, quòd
77 privilegium, contra tenorem Constitutionis Conci-
liaris in *cap. nuper 34. de Decimis* concessum, ut li-
ceat percipere decimas de suis terris & possessioni-
bus, ad excolendum alteri traditis, non exigat de-
rogationem expressam, sed generalis sufficiat per
clausulam *non obstantibus &c.* Quin imò cum lau-
dato Passerino, à quo non discordat Card. de Luca
Relat. Cur. disc. 2. num. 28. existimo, neque specia-
78 lem, neque generalem clausulam in Rescriptis con-
tra generalia Concilia, non habentia derogationem
in futurum, desiderari, quando ex tenore, præ-
gnantia, vel amplitudine verborum sufficienter con-
stat de voluntate Papæ, Conciliis generalibus dero-
gandi. Sic enim si Papa disertis verbis in Rescripto 79
concedat, quod certum est, adversari Concilio,
veluti si liberalissimè Religiosis mendicantibus in-
dulgeat exemptionem à solvenda quarta funeralium,
Concilio generali in *Clem. dudum 2. de Sepult.* suf-
ficienter derogâsse censetur, ut censuit Rota Rom.
coram Zorate die 4. Junii 1633. apud *cit.* Passeri-
num *d. n. 285.* Ratio est: quia non est præsumen- 80
dum, quòd S. Pontifex oratorem supplicem fallere
vel decipere voluerit, concedendô id, quod aper-
tè repugnat Concilio, & simul denegandô, quia
clausulam derogatoriam omisit. Rationem aliam 81
dat prælaudatus Card. de Luca: quia specialis men-
tionis necessitas non provenit ex defectu potestatis,
sed ex conjectura voluntatis, quæ in dubio non
præsumitur: ideóque si ex verborum amplitudine,
vel argumentis, aut facti circumstantiis constet de
voluntate derogandi, quamvis præsumptâ, tunc
ea debet attendi.

Planè quòd opus non sit expressâ derogatione 82
Concilii Tridentini, passim Aa. consentiunt ob clau-
sulam, in ipso Trident. *sess. 21. cap. 21. de Reformat.*
contentam, quòd nimirum in omnibus statutis
de reformatione morum aut disciplina Ecclesia-
stica sit excepta Sedis Apostolicæ Authoritas.
Card. de Luca *ubi supra.* Paulus Rubeus in An-
not. ad Rotæ *decis. 90. p. 9. to. 1. in recent.* à *nu. 298.*
sicque pluries Rota tenuit, præsertim in una Bo-
noniens. Priorat. in *recent. p. 2. decis. 120. n. 6.* & in
una Hispalensi Legitimitatis *decis. 687. n. 24.*

§. VII.

De Vitio Ob- & Subreptionis.

Ad Vitia Rescriptorum revocatur IV. ob- & 83
subreptio *cap. super literis 20. de Rescript. l. præs-*
criptione 2. l. etsi Legibus 5. Cod. si contra Jus &c.
Dicitur autem obreptio committi, quando expri-
mitur falsum; subreptio, quando supprimitur &
occultatur verum. P. Engel ad *cit. tit. n. 11.* ubi ta-
men advertit, in effectu nil interesse. Quamquàm 84
in eo non parùm intersit, utrùm expressa falsitas aut
suppressa veritas circa punctum aliquod versetur,
quod per se & non per accidens pertinet ad Res-
criptum, Clariss. P. Schmalzgrueber ad *cit. tit.* n. 15.
& ego infra in *n. 106.*

Hic tamen cum Innocentio III. in *d. cap. super* 85
literis accuratè distinguendum est, an ob- vel sub-
reptio ex dolo & malitia; an ex ignorantia & sim-
plicitate acciderit? In primo casu ait Pontifex, quòd
mendax precator *nullum ex Rescripto commodum*
consequi debeat; & in *cap. sedes Apostolica 15. eôd.*
tit. ait, quòd *penitus careat impetratis.* Quæ ver- 86
ba, cùm adeò generalia & absoluta sint, sufficien-
ter indicant, ne tunc quidem impetranti Rescriptum
aliquod commodum obvenire, si Rescriptum capi-
tula plura & separata habeat, & ob- vel subreptio
tantùm in uno capitulo reperiatur: cùm alioquin
vix esset differentia inter ob- vel subreptionem ex
dolo & ignorantia commissam: non obstante regulâ 87
Juris, quòd utile per inutile non debeat vitiari *cap.*
37. de R. J. in 6. hæc enim cessat, ubi Lex & vo-
luntas Legislatoris totum actum aut negotium inva-
lidat. Panormitan. in *d. c. super literis n. 2. & 4.*
Barbosa *ibid. n. 4.* Canisius *eodem tit. n. 3.* P. Engel
eôd. tit. n. 11. Reiffenstuel *ib. n. 175.*

Dissentiunt Gonzalez in *cit. cap.* n. 6. Clariss. P. 88
Wiestner ad eund. *tit. nu. 95.* Clariss. P. Schmalz-
grueber ad *cit. tit. n. 17.* si capitula nullô modô
connexa

connexâ sint, ut si in uno dispensatio in voto, in altero collatio beneficii petatur ob textum in *cap. si eo tempore 9. de Rescript. in 6.* in quo tacitus defectus ætatis, ad beneficium curatum insufficientis, non obstare dicitur, quò minùs literæ gratiosæ ad beneficium simplex, ad quod precator est idoneus, 89 valeant. Sed textus iste quàm optimè potest explicari vel de subreptione ex ignorantia commissa; vel omninò de casu, quô nulla sub- vel obreptio intervenit, sed simpliciter pro beneficio apud Sedem Apostolicam supplicatum est, veluti textum inspicienti primô quasi intuitu apparebit.

90 In secundo casu refert, sitne talis suggesta falsitas, aut veritas suppressa, quâ etiam cognitâ, Rescribens in forma communi saltem Rescriptum concessisset; an verò illâ cognitâ Rescriptum sub omni forma & modo denegâsset. Si prius; in forma communi Rescriptum concessum esse censetur: quia ignorantia & simplicitas, uti in aliis Juris casibus, ita etiam in impetratione Rescriptorum indulgentiam & excusationem meretur. Gonzalez *d. l. n.* 10. 91 *in fin.* Si posterius; Rescriptum ad nihil planè conducit, non in pœnam supplicantis, sed propter defectum voluntatis in Rescribente. P. Engel *cit. n.* 11. ubi etiam exempla ponit, quòd, si quis falsò exponeret, omnes processus in patria sua summariter tractari, Rescriptum, impetratum cum clausula *processûs summarii*, saltem valeat in ordine ad proces- 92 sum ordinarium; Sin autem supplicans reticeret, quòd causa, super qua supplicat, jam sententiâ judiciali vel transactione fuerit sopita, Rescriptum penitus invalidum sit: quia S. Pontifex non intendit, lites jam sopitas resuscitare.

93 Dubium autem est I. utrùm *cap. super literis* non solùm in Rescriptis Justitiæ, de quibus expressim loquitur, sed etiam in Rescriptis Gratiæ locum habeat?

Resp. affirmativè. Ita Joannes Honorius ad *tit. de Rescript. num.* 8. Abbas in *cap. super literis d. t. n.* 5. Fagnanus in *idem cap. à nu.* 54. P. Engel *cit. tit. n.* 94 12. Reiffenstuel ad *cit. tit. à n.* 63. Nam textus in *cap. gratia 7. de Rescript. in 6. cap. si pro clericis 8. cap. dudum 14. v. considerantes de Præbend. in 6.* supponunt, collationem beneficii fuisse validam, etsi aliquid à supplicante omissum, & sic veritas suppressa sit: quia nempe, cognitâ quoque veritate, S. Pontifex nihilominùs beneficium indulsisset. Textus etiam in *cap. si eo tempore 9. de Rescript.* in 6. manifestè decidit, Rescriptum, ad beneficium curatum à Pontifice concessum valere saltem ad consequendum beneficium simplex, quando impetrator tempore datæ non fuit in ætate, quæ requiritur ad beneficium curatum, constitutus: quia videlicèt, cognitô quoque minoris ætatis defectu, Pontifex 95 nihilominùs beneficium simplex concessisset. Supponunt itaque recensiti textus, ob- vel subreptionem ex ignorantia vel simplicitate circa punctum aliquod, intentioni Rescribentis non adversum, accidisse: quoniam si dolus intervenisset, mendax precator ex supra dictis gratiâ se fecisset indignum; sin autem intentio seu causa finalis Rescribentis fuisset adversa, simplicitas aut ignorantia precatoris non potuisset sustinere gratiam juxta *cap. si motu 23. §. secùs de Præbend. in 6.* ubi reticentia beneficii, quantumvis modici, antehàc obtenti, Rescriptum Gratiæ de novo beneficio vitiat.

96 Negativam amplectuntur Gutierrez *QQ. Canon. lib. 2. cap. 15. n. 38. & 51.* Pirhing de *Rescript. n.* 241. Wiestner *ibid.* n. 83. opinantes, Rescriptum Gratiæ etiam ex non-dolosa sub- aut obreptione vitiari, propter textus in *cap. susceptum 6. de Rescript. in 6. cap. non potest 21. cap. si motu 23. de Præbend. in 6.* qui tamen intentum apertè non probant, sed tacitè admittunt distinctionem *cap. super literis*; ita ut Rescriptum Gratiæ, ex dolo obtentum, vel defectu causæ finalis laborans, sit ipsô Jure nullum; secùs verò pro valido habeatur.

Dubium est II. an dispositio *d. cap. super literis* 97 procedat etiam respectu falsitatis ex defectu causæ impulsivæ? E. G. aliquis se jactat Italum esse, cùm Germanus sit, eâ intentione, ut faciliùs à Romano Pontifice beneficium consequatur: dubium est, an, si Pontifex beneficium, cognitâ etiam veritate, quòd orator non sit Italus, sed majori cum difficultate, concessisset, Rescriptum subsistat?

Respondent Covarr. *lib. 1. Var. Resol. cap.* 20. n. 5. Wiestner de *Rescript. num.* 42. Reiffenstuel *ibid.* n. 184. affirmativè. Textus in *cap. dudum 14. v. considerantes de Præbend. in 6.* ubi gratia subsistere dicitur, etsi taceatur verum, quô cognitô Papa nihilominùs rescripsisset. Ratio est: partim quia, 98 stante falsitate solius causæ impulsivæ, adhuc est voluntas in concedente: partim quia cæteræ dispositiones & actiones ex defectu solius causæ impulsivæ non vitiantur, ut patet in legato ex *l. cùm tale 72. §. 6. ff. de Condit. & Demonstrat.*

Verùm nisi DD. citati distinguant juxta *cap. super* 99 *literis*: utrùm causa impulsiva sit suggesta ex dolo, vel ex simplicitate? Huic sententiæ adstipulari non possum: tum quia ex n. 85. mendax precator omni effectu & gratiâ, per Rescriptum indultâ, destituitur: tum quia *cap. super literis* in prima parte non distinguit, an dolus habeat rationem causæ finalis vel impulsivæ; sed tantùm in secunda parte, ubi agitur de sub- & obreptione ex ignorantia vel simplicitate: quod signum est, quòd dolosa sub- vel obreptitio absolutè Rescripta convellat. Adeóque præfatam sententiam solùm recipio, ubi falsitas causæ impulsivæ sinè dolo irrepsit. Fagnanus in *d. c. n.* 33. citans alios, Reding *q.* 18. *art. 1. contr. 3. nu.* 5. Abbas in *d. cap. n.* 2. Menoch. de *Arbitr. Jud. cas.* 201. n. 22.

Dubium est II. an, si in Rescripto duæ causæ co- 100 pulativè sint expressæ, quarum altera vera, altera est falsa, Rescriptum sit nullum? E. G. aliquis dicit, se esse Nobilem ex sanguine, & Doctorem, ac Rescriptum impetrat ad beneficium, si *Nobilis & Doctor* sit: dubium est, an, si quidem Doctor sit, non tamen ex sanguine Nobilis, Rescriptum valeat? Respondent DD. infrà citandi, valere, si utraque causa seorsim ex Stylo Curiæ, de Jure vel consuetudine ad impetrationem Rescripti sufficiat. Ratio 101 est: tum quia Rescriptum ex falsitate causæ impulsivæ non vitiatur ex *num. anteced.* tum quia, si duæ causæ disjunctivè ponantur, & altera vera, altera sit falsa, Rescriptum non invalidatur. *cap. inter cæteras 4. de Rescript.* cùm in alternativis sufficiat alterutrum subesse *cap. in alternativis 70. de Reg. Jur. in 6.* Ergo neque tunc invalidatur Rescriptum, quando duæ causæ conjunctivè ponuntur: utpote cùm defectus alterutrius rationem causæ impulsivæ aut disjunctivæ censeatur habere: eò quò, cognitâ falsitate, nihilominùs Rescriptum fuisse concedendum supponatur. Felinus in *cap. ex parte 2. cit. tit. n.* 3. Gutierrez *QQ. Canon. lib. 2. cap. 15. n.* 55. Wiestner *cit. l. n.* 86.

Sed neque huic sententiæ aliter, quàm sub distin- 102 ctione sæpiùs *cit. cap. super literis* subscribere valeo: cùm, si dolosè alterutra causa à supplicante sit expressa, jam nullum favorem à Rescribente mereatur ex ratione primùm datâ. Id quod ex *l. etsi 5. Cod. si contra Jus* bene confirmari potest, ubi ab initio mendax precator indefinitè jubetur *impetratis penitus carere*: deinde subjungitur, quòd, si *nimia mentientis inveniatur improbitas, etiam severitati judicantis subjaceat*; ideóque supponitur, mendacium posse

posse esse vel ex parte vel ex toto, & nihilominus
in utroque casu Rescriptum invalidum esse decerni-
tur. Barbosa in *cit. cap. num.* 22.

103 Dubium est IV. an Rescripta, dolosè impetrata,
sint ipsò Jure nulla? Schambogen *cit. tit. num.* 28.
Zoës. *ibid. num.* 34. Krimer *eôd. tit. num.* 1415. in-
ter Rescripta Gratiæ & Justitiæ distinguunt, ac illâ
ipsò Jure invalida, hæc invalidanda pronuntiant
104 per *cap. si autem* 9. & *cap.* 23. *de Rescript.* Verùm
Gonzalez *cit. l. n.* 8. utraque vult ipsò Jure invali-
da esse per sæpe *d. cap. super literis* ibi: *nullum
commodum consequantur*; & *nullatenus de causa co-
gnoscant cap. sedes* 15. *eôd. tit.* ibi: *tanquam mendax
precator careat penitus impetratis*: quæ verba, cùm
de Rescriptis Justitiæ proferantur, satis illorum om-
105 nimodam inutilitatem manifestant. Neque textus
oppositi refragantur: quia de dolosâ vel negligenti
retentione Rescripti loquuntur, quâ impetrans in-
tra annum Rescriptum præsentare negligit: tunc
enim in pœnam fraudis & negligentiæ Rescriptum
posterius, ab alio finè mentione prioris obtentum,
antehàc invalidum, convalescit.

106 Dubitatur V. an *motus proprius*, ex quo juxta
num. 7. Rescripta quandoque conceduntur, pur-
get vitium ob- vel subreptionis?

Affirmativa & negativa sententia suos habet fau-
tores, uti perhibet Author *Epit. quæst. select. de
107 Jure Ord. & exemptor. p.* 1. *q.* 20. Ego autem di-
stinctè respondendum arbitror, ac vitium subrep-
tionis per reticentiam veritatis alteriúsve qualitatis,
cæteroquin exprimendæ, purgari censeo per *cap.
si motu proprio* 23. *in pr. de Præb. in* 6. *Clem. si Ro-
manus* 4. *eôd. tit.* non autem vitium obreptionis, per
expressionem falsi commissum *arg.* sæpe *cit. cap. su-
per literis.* Passerin. ad *cit. cap. si mot. proprio n.* 10.
allegans decisionem Rotæ in *novis*; Pirhing ad *tit.
de Rescript. n.* 111. P. Schmalzguerber *ibid. num.* 11.
P. Reiffenstuel *ibid.* à *n.* 203.

SECTIO II.

De Rescriptis Justitiæ.

SUMMARIA.

108. *Describitur Rescriptum Justitiæ.* 109. *Est Responsum Principis.* 110. & *seq. Ad jus explicandum, vel applicandum.* 112. *In scriptis datum.* 113. *Habet effectum à tempore datæ quoad qualitates impetrantis.* 114. *Sed quoad virtutem Rescripti à tempore præsentatæ.* 115. *Declaratur exemplô.* 116. & *seqq. Statuuntur ea, quæ in Rescripto Justitiæ debent exprimi.* 122. & *seq. Interpretatio facienda secundùm Jus Commune.* 124. & *seqq. De cætero stricta interpretatio adhibetur.* 129. & *seqq. Rescripta Justitiæ etiam de Jure Canonico censentur perpetua.* 132. & *seq. Exceptô casu, quô impetratur secundum, & primum ex malitia vel negligentia non præsentatur.* 134. & *seqq. Eorum executio intra triennium est facienda.* 137. *Locus executionis indigitatur in* cap. statutum 11. de Rescript. in 6.

§. I.

Quid sit Rescriptum Justitiæ?

108 Rescriptum Justitiæ, taliter juxta *num.* 12. ap-
pellatum ab objecto, circa quod concipitur,
est responsum Principis ad Jus, vel explicandum
vel applicandum, in scriptis datum.

Dixi I. responsum Principis; quæ vocabula ge- 109
neris locum occupant, ac suam explicationem ex
n. 4. accipiunt.

Dixi II. ad *Jus explicandum, vel applicandum.* 110
Ut innuerem, Rescripta Justitiæ duplicia esse: alia,
quæ petuntur & redduntur ad Juris antehac dubii
& intricati majorem declarationem; alia (& hæc
sola præsentis dispectionis materiam faciunt) quæ
solicitantur & impetrantur ad Juris, de se certi &
liquidi, administrationem & applicationem ad ca-
sum & factum dubium. Discrimen utriusque de- 111
sumitur ex *n.* 52. & *seq.* quòd priora constituant
Jus Commune; posteriora Jus particulare inter par-
tes, quas concernunt, operentur.

Dixi III. *in scriptis datum.* Debet igitur & Res- 112
criptum Justitiæ literis esse concreditum, ut valo-
rem & effectum consequatur ex *n.* 8. Sed an statim
à tempore *datæ*, quô nimirum à Rescribente signa-
tum fuit & subscriptum; an primùm a tempore *præ-
sentatæ*, quô nempe Judici delegato præsentatur,
vim obtineat? Cum distinctione resolvendum est.
Vel enim agitur de qualitate & habilitate impe- 113
trantis; vel de executione & effectu ipsius Res-
cripti. Si primum; attenditur tempus datæ, veluti
colligitur partim ex *cap. ipsô Jure* 1. *de Rescript. in*
6. ubi Rescriptum, ab excommunicato impetratum,
pronuntiatur invalidum; partim ex *cap. ult. eôd. X.*
ubi Rescripta declarantur irrita, si tempore impe-
trationis & expeditionis supplicans jus agendi non
habuerit. Si secundum; tempus præsentatæ consi- 114
deratur tum *arg. cap. super eo* 12. *de Appellat.* ubi
tempus, pro formando vel absolvendo processu, in
Rescripto determinatum, ante non currere dicitur,
quàm Judices contigerit literas recepisse; tum *arg.
cap. ut debitus* 59. *eôd. tit.* ubi Judici Ordinario
permittitur continuatio processûs, licèt pars, co-
ram eo conventa, excipiat, se Rescriptum vel cau-
sæ delegationem ad alium Judicem impetrâsse,
priusquam literæ fuerint actu delegato Judici præ-
sentatæ. Unde, si Judex, in Rescripto Aposto- 115
constitutus, tempore datæ fuisset in Prælatura
constitutus, tempore præsentatæ verò Prælaturam
resignâsset, non posset ampliùs causam delegatam
suscipere *arg. cap. statutum* 11. *in pr. de Rescript.
in* 6. P. Engel *d. t. num.* 18. P. König *eôd. tit. sub n.*
9. P. Wiestner *ib. n.* 132. & *seqq.* P. Reiffenstuel *n.*
69. 70. & 76.

§. II.

Quid exprimendum sit in Rescripto Justitiæ?

Ut Rescriptum Justitiæ legitimô modô conci- 116
piatur, I. in casu, quô duo Rescripta ad diversos
Judices impetrantur, in secundo facienda est men-
tio primi *cap. cæterùm* 3. ubi latè Gonzalez à *nu.* 2.
cap. ex tenore 16. *de Rescript.* secus enim non credi-
tur, quòd Papa revocare voluerit primum, nullâ
illius factâ mentione.

II. si reus per Rescriptum extra suam diœcesin 117
ultra duas diætas de Jure antiquiori per *cap. nonnulli*
28. *in fine pr. d. t.* & Jure noviori in *cap. statutum*
11. §. *cùm verò eôd. in* 6. ultra unam evocetur ad
alium Judicem, exprimi debet ejusmodi diæta Le-
galis: cæteroquin mens Pontificis non fuisse cen-
setur, reum, citra derogationem Juris Commu-
nis, tantoperè gravandi. Passerin. ad *cit.* §. *num.* 81.
& *seqq.*

III. quando Rescriptum ex capite spolii contra 118
Judicem, beneficiô spoliantem, impetratur, causa
spolii exponenda est *cap. dilectus* 26. *d. t.* quia, nisi
de spolii injustitia constet, Rescriptum contra Ju-
dicem spoliantem expediri non solet.

IV. ubi

119 IV. ubi lis jam pendet in causa, super qua Rescriptum indulgetur, litis pendentia & persona Judicis, coram quo lis inchoata fuit, exprimatur, opus est *arg. cap. ult. Ut lite pend. nihil innov.*

120 V. ubi jam conclusum est in causa, lata sententia, transactio vel appellatio interposita, hæc omnia in Rescripto de necessitate sunt ponenda, sive controversia fuerit agitata coram Judice ordinario, sive coram arbitro per *cap. ex parte* 12. *de Rescript. cap. bona* 3. *de Confirmat. ut. cap. exposita* 11. *de Arbitr. l. causas* 16. *Cod. de Transact.* Rota Rom. in *recent. p.* 18. *tom.* 1. *decis.* 210. *n.* 5.

121 VI. dum Rescriptum ad instantiam partis redditur pro instituenda speciali inquisitione in personam, necessum est, ut quidpiam de diffamatione prævia vel aliis indiciis inseratur per *cap. inquisitionis* 21. §. *tertia cap. qualiter* 24. *de Accusat. cap. si is* 2. *eôd. in* 6. Videantur Clarissimi Viri, P. Wiestner ad *tit. de Rescript. à n.* 48. P. Schmalzgrueber *n.* 9.

§. III.

Qualiter interpretanda sint Rescripta Justitiæ?

122 Interpretatio cujuslibet Rescripti Justitiæ juxta speciales, quas continet, clausulas fieri debet. Generaliter autem in interpretatione Rescripti duo sunt consideranda. Primum est, quòd in dubio non contra sed juxta Jus Commune sint exponenda per textum in *cap. causam quæ* 18. *de Rescript.* ubi
123 Abbas *num.* 1. & Fagnanus *num.* 4. Ratio est: quia per Rescripta Justitiæ Rescribens intendit jus & justitiam partibus administrare: consequenter non contra, sed juxta Jus Commune præsumitur rescripsisse per *cap. Rescripta* 15. *XXV. q.* 1. *l. ult. Cod. si contra Jus l. Rescripta* 7. *Cod. de Precibus Imperat. offerend.*

124 Alterum est, quòd Rescripta Justitiæ tam quoad personas, quàm quoad causas, strictissimam recipiant interpretationem. Ratio est: quia hujusmodi Rescripta gemino ex capite sunt odiosa, & quòd Ordinarii Judicis potestatem minuant; & quòd fon-
125 tem ac scatebram litibus aperiant. Hinc, ubi Rescriptum ad lites impetratur contra certas personas cum clausola: *& quidam alii &c.* nequeunt digniores & majores personæ, quàm expressæ fuerint, atque ad summum tres vel quatuor in judicium vocari; earumque nomina statim in primo citatorio debent allegari, ne locus fraudibus & licentia variandi concedatur *cap. sedes* 15. *de Rescript. cap. cùm*
126 *in multis* 2. *eôd. in* 6. Passerin. *ibid. à n.* 13. Similiter, ubi Rescriptum contra homines certæ diœcesis emanat, non possunt homines civitatis Episcopalis, in diœcesi existentis; minùs homines, etiam ejusdem nominis, in alia diœcesi conveniri *cap. significante* 34. *cap. Radulphus* 35. *de Rescript.*
127 Reiffenstuel ad *eit. tit. num.* 123. *& seqq.* Ex eadem ratione Rescriptum, quod contra defunctum erat concessum, re adhuc integrâ non porrigitur ad hæredes aut successores alios; nisi forsitan intuitu rei v. g. castri vel pagi concessum fuerit *cap. significavit* 36. *d. t.* P. Wiestner ad *eund. tit. num.* 109. P.
128 Schmalzgrueber *num.* 27. Pariter, ubi Rescriptum est munitum clausulâ: *super his & aliis quibusdam negotiis &c.* ad majores & graviores causas, quàm nominatæ sint, extendi non valet *d. cap. sedes* 15. §. *nec super.* Panormit. *ib. num.* 2. Pirhing ad *eund. tit. num.* 19.

§. IV.

Quomodò Rescripta Justitiæ sint præsentanda, & exequenda?

Quoad præsentationem Rescriptorum Justitiæ 129
Felinus, Baldus, Decius, Jason, quos refert Gonzalez ad *cap. plerumque* 23. *de Rescript. num.* 3. differentiam inter Jus Civile & Canonicum statuunt, atque de Jure Civili per text. in *l. falsò* 2. *Cod. de Divers. Rescript.* Rescripta Justitiæ perpetua esse; de Jure Canonicô per textum in *d. cap. plerumque* & *cap. si autem* 9. *eôd. tit.* annalia, & intra annum præsentanda esse, volunt.

Sed, quia inter Jus Civile & Canonicum sinè ur- 130
genti ratione & evidenti necessitate non est adstruenda diversitas, ac in præsenti nec ratio nec necessitas id exigit: meliùs judicàrunt Abbas in *d. cap. si autem num.* 3. Fachinæus *lib.* 8. *Controvers. cap.* 65. Gonzalez *d. l.* Reiffenstuel *num.* 63. quòd etiam de Jure Canonicô Rescripta Justitiæ non annali tempori adstricta, sed perpetua sint, hoc est, tamdiu durantia, quamdiù durat actio & Jus, ratione cujus
impetrantur. Enimverò textus Civilis in *d. l. falsò* 131
2. disertè statuit, *falsò asseverari, authoritatem Rescriptorum, devolutô spatiô anni, obtinere firmitatem suam non debere: cùm ea, quæ ad Jus rescribuntur, perennia esse debeant, si modò tempus, in quo allegari, vel audiri debent, non sit comprehensum.* Textus 132
verò Canonici in *d. cap. si autem* 9. *& cap. plerumque* 23. loquuntur de casu speciali, quô diversa successivè Rescripta ad diversos Judices sunt obtenta: tunc enim, qui primum Rescriptum obtinuit, idque intra annum ex dolo vel negligentia præsentare omisit, nequit ampliùs Rescriptum suum pro- vel opponere, si posteà compareat alter, qui secundum Rescriptum ad alios Judices accepit, tametsi in hoc secundo nulla de primo facta sit mentio, prout fieri debuisset juxta *cap. ceterùm* 3. *d. tit.* Extra hunc 133
casum ergo, quô dolus & negligentia castigatur, Rescripta Justitiæ tam de Jure Civili, quàm Canonicô, in sensu jam explicato, perpetua, nec quoad præsentationem annô circumscripta sunt. Confer Authores laudatos.

Cùm itaque Rescripta Justitiæ sint regulariter 134
perpetua quoad præsentationem, videntur etiam perpetua quoad executionem per *cap. venerabilis* 20. *de Judic.* nisi à Rescribente certum tempus, intra quod causa est finienda, præscriptum, nec prorogatione partium fuerit extensum *cap. de causis* 4. *de Off. Jud. Deleg.* Clariss. P. Schmalzgrueber ad *tit. de Rescript. sub n.* 34.

Verùm, quia in *tom.* 2. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 7. *cir-* 135
ca fin. trademus, omne Judicium de Jure Canonico intra triennium esse terminandum, non possum hanc sequelam approbare; sed ad oppositum *cap.* respondeo, illud non aliter, quàm in terminis, in quibus est conceptum, procedere, si nempe per *cavillationes & subterfugia* adversarii causa citiùs ad finem perduci nequiverit.

Quin etiam, si moriatur Pontifex, causam dele- 136
gans, antequàm delegatus uti cœperit Jurisdictione, sibi delegatâ, Rescriptum Justitiæ morte delegantis exspirat *cap. relatum* 19. *cap. gratum* 20. *cap. licet undique* 30. *de Offic. Jud. Deleg.* de qua materia pluribus infra in *tr.* 5. *in cap.* 6. *sect.* 1. *propè fin.*

Quæres: in quo loco Judex delegatus Rescriptum 137
Justitiæ debeat exequi, ac judicium instituere?

℞. *In civitatibus vel locis insignibus, ubi possit commodè copia peritorum haberi*; prout loquitur Bonifacius VIII. in *cap. statutum* 11. *in fin. pr. de Rescript. in* 6. & simul in §§. *seqq.* explicat, quid Juris sit, quando

quando actor & reus diversæ vel ejusdem sunt diœcesis aut civitatis. Videatur Passerinus ad *cit. cap.* à *num.* 50. & Reverendiss. Guetrather ad *cit. tit. in* 6. à *num.* 79.

SECTIO III.

De Rescriptis Gratiæ præter Jus.

SUMMARIA.

138. *Definitur Rescriptum Gratiæ præter Jus.* 139. *Respicit favorem.* 140. *In materia, à Jure non prohibita.* 141. *& seq. Habet effectum à tempore datæ.* 143. *& seqq. Rescriptum ad beneficia non unius est generis.* 147. *& seqq. Fusè recensentur ea, quæ necessariò sunt exprimenda in Rescriptis Gratiæ ad beneficia.* 154. *Intelligendò hæc de Rescriptis Apostolicis.* 155. *& seq. Talia Rescripta sunt strictè interpretanda.* 157. *& seqq. Demonstratur multis exemplis.* 163. *Beneficia tamen secundùm se recipiunt ampliorem interpretationem.* 164. *Rescripta Gratiæ sunt perpetua.* 165. *Nisi concurrant duo, & primo impetratori possit imputari negligentia.* 166. *& seq. Aut unum sit de beneficio determinato, alterum de indeterminato.* 168. *& seqq. Explanatur* cap. si cui 36. de Præb. in 6. 171. *Rescriptum ad beneficia intra 30. dies sunt exequenda.* 172. *Alioquin datur recursus, aut appellatio.*

§. I.

Quid sit Rescriptum Gratiæ præter Jus?

138 Rescriptum Gratiæ à materia, quam continet, sic appellatum, bifarium est, videlicèt præter & contra Jus. Rescriptum Gratiæ præter Jus describi potest, quòd sit responsum Principis de concedendo favore vel gratia, citra Juris prohibitionem, in scriptis datum.

139 Dixi I. *responsum Principis de concedendo favore vel gratia.* Ubi simul convenientiam & disconvenientiam Rescripti Justitiæ & Gratiæ sub oculos posui.

140 Dixi II. *citra Juris prohibitionem.* Ubi diversitas inter Rescriptum Gratiæ præter & contra Jus insinuatur. Illud siquidem (secus ac istud) non præsupponit aliquam Juris prohibitionem, quæ mediâ Rescribentis gratiâ foret relaxanda; sed potiùs circa favorem, cujus indulgentiam Jus Commune nec prohibet, nec præcipit, versatur; cujus generis in foro Canonico præcipuè sunt beneficia, dignitates, & officia Ecclesiastica, non incompatibilia.

141 Dixi III. *in scriptis datum.* Quòd Rescriptum Gratiæ scripturam efflagitet, constat ex *nu.* 9. Quòd autem effectum quoad impetrantem habeat à tempore datæ, constat tum ex *cap. si eo tempore* 9. *de Rescript. in* 6. ubi decisum habetur, quòd, si alicui per Rescriptum concedatur beneficium curatum, & ille tempore datæ non habuerit ætatem canonicam, non possit acquirere beneficium curatum, licèt tempore præsentatæ jam attigerit illam ætatem: tum ex *cap. ubi qui* 12. *d. t. in* 6. *cap. cum cui* 7. *de Præbend. eôd.*
142 *in* 6. ubi, si duo ad idem beneficium literas gratiosas acceperint, is alteri præfertur; non qui primò accepit aut præsentavit, sed cujus literæ primitus datæ & signatæ sunt.

143 Porrò hæc ipsa Rescripta quoad beneficia sunt duplicis generis. Alia vocantur Rescripta *Justitiæ*, non quidem eô sensu, quô actum est *sect. præced.* sed quia ex quadam necessitate vel justitia conceduntur, in *forma pauperum*, vel *in formâ communi*, vel *secundùm Apostolum*; casu quô Clericus pauper supplicat pro beneficio Ecclesiastico. Cùm enim beneficia Ecclesiastica eum in finem noscantur instituta, ut Clerici habeant, unde 144
sustententur: æquum & justum est, Clerico pauperi beneficium concedi, saltem ubi jam Ordines majores suscepit per *cap. cùm secundùm* 16. *de Præb.*
Alia vocantur in specie Rescripta Gratiæ, quæ 145
conceduntur Clericis, etiam non-indigentibus; vel in *forma gratiosa*; vel *in forma dignum est.* Concessa in *forma gratiosa* supponunt, Clericum aliunde jam dignum esse beneficiô; proindeque diriguntur ad deputatos executores vel in eadem vel in separata membrana, non, ut examinent personæ dignitatem, sed eandem, Apostolicâ provisione jam munitam, in possessionem beneficii introducant, contradictores (qui tales sunt de facto, non de Jure) compescendô: quamquàm, cùm tales executores præcisè deputentur in favorem provisi, is propriâ etiam authoritate beneficii possessionem apprehendere valeat. Rota Rom. in *recent. p.* 10. *decis.* 240. *num. ult.* Card. de Luca de *Benefic. disc.*
37. *num.* 12. *& seqq.* Concessa *in forma dignum* di- 146
riguntur ad Ordinarium vel ejus Vicarium, eique collationem tituli vel institutionem in beneficio demandant, si Clericus, præmissô examine, reperiatur idoneus: consequenter in effectu sunt conditionata, nec tribuunt jus aliquod ante superatum examen. Rota Rom. *in recent. p.* 4. *tom.* 3. *decis.* 539. *num.* 3. *&* 4. *& p.* 2. *decis.* 92. *num.* 13. *& seq.* Card. de Luca de *Benefic. disc.* 35. *num.* 12. *& seq.* Garcias de *Benefic. cap.* 2. *n.* 2. Wiestner ad *tit. de Rescript. n.* 10. *& seq.*

§. II.

Quid exprimendum sit in Rescriptis Gratiæ ad beneficia?

Ut Rescripta Gratiæ præter jus seu ad beneficia 147
Ecclesiastica ritè concipiantur, atque ab omni sub- vel obreptionis labe sint immunia, I. exprimendum est beneficium, si quod, etiam modicum, habeat supplicans: nam habenti beneficium non tam facilè novum concedere S. Pontifex consuevit *cap. cùm adeò* 17. *cap. postulasti* 27. *cap. si proponente* 42. *de Rescript. cap. si motu* 23. §. *secus de Præbend. in* 6.

II. facienda est mentio Rescripti anterioris, quô 148
beneficium à Sede Apostolica concessum, non tamen acceptatum est *cap. ad audientiam* 31. *de Rescriptis*: quia, qui primam aspernatur gratiam, indignum se reddit secundâ.

III. inserendum est etiam jus ad beneficium: 149
nam, si quis in Canonicum v. g. Ecclesiæ cujusdam Cathedralis assumptus, solam Canoniam, & non præbendam, id est, non proximum, sed remotum tantummodò jus percipiendi fructus obtinuit, in Rescripto novi Canonicatûs aut beneficii memoria fieri debet de priori. *cap. in nostra* 32. *d. t.* quia, qui jus habet ad beneficium, censetur ipsum habere beneficium *arg. cap. relatum* 9. *de Præbend. &* l. *is qui* 15. *ff. de R. J.*

IV. adstruenda est qualitas beneficii, priùs obten- 150
ti, an v. g. sit dignitas vel personatus *cap. ad aures* 8. *de Rescript.* curatum an simplex *cap. cùm in illis* 16. *in pr. de Præb. in* 6. an residentiam perpetuam exigat, nec ne per *cap. ult. de Cleric. non resident.* an patronatum, electivum, collativum, vel unitum sit *arg. de cap. cùm in illis* 16. §. *illis verò de Præb. in* 6. an sit regulare vel sæculare per *cap. cùm de beneficio* 5. *d. t. in* 6. an sit Cathedrale vel non *arg. cap. quamvis* 4. *eôd. in* 6. quia diversa qualitas beneficii diversam in concedente difficultatem operatur.

151 V. aliquid dicendum de valore beneficii, non quidem ex dispositione Juris Communis, sed ex stylo Curiæ Romanæ & Regulis Cancellariæ, ut notat Cockier in *reg.* 61. *Cancell. num.* 21. Quod tamen in Canonicatibus Germaniæ & Hispaniæ, cùm omnes in Camera Apostolica ad 24. ducatos æqualiter sint taxati, non obtinet, ut testatur *cit.* Author *n.* 22.

152 VI. explicandus est modus, quô beneficium vacat, num resignatione, depositione, vel morte cœperit vacare per *cap. susceptum* 6. *de Rescript. in* 6.

153 VII. non est reticendum, quando aliusest in possessione, sive juris sive facti, dummodò non sit notoriè injusta *cap. cùm nostris* 6. *de concess. Præb.*

154 Hæc tamen, uti cum Felino ad *cap. in nostra d. t. num.* 25. & aliis verè scribit P. Wiestner *eôd. tit. n.* 74. atque ex textibus, per decursum allegatis, lucu lenter apparet, tam accuratè non debent observari in Rescriptis aliis, quàm Apostolicis: de his siquidem solis iidem textus loquuntur.

§. III.

Quomodò sint interpretanda Rescripta Gratiæ ad beneficia?

155 Quamquàm aliàs beneficia Principum largissimam habeant interpretationem per *cap. cùm dilecti* 6. *de Donat. cap. olim* 16. *de V. S.* beneficia tamen Ecclesiastica, per Rescriptum gratiosum ab Apostolica Sede concessa, strictè sunt interpretanda *cap. quamvis*

156 4. *de Præbend. in* 6. ex ratione, ibidem datâ, quòd *ambitiosa* sint; nempe tum ex parte supplicantium, qui per beneficium & lucrum & honorem quærunt; tum ex parte Ordinariorum, quibus suum conferendi jus infringitur. Passerin. ad *cit. cap. n.* 6.

157 Unde, si Pontifex alicui mandet provideri de beneficio, non censetur aliud quàm simplex intellexisse; &, si etiam jubeat provideri de personatibus, dignitatibus, vel aliis beneficiis quibuscunque, non censetur comprehendisse beneficium curatum: cùm enim major idoneitas in beneficiatis curatis desideretur, opus est singulari expressione beneficii curati *cap. cùm in illis* 16. *de Præb.* in 6. Passerin. *ibid. n.* 1. 6. *& 7.*

158 Similiter quando Pontifex indulget beneficium, quod spectat ad collationem alterius, de alio, quod ad ejus præsentationem vel institutionem pertinet, provideri non poterit, nec etiam ex converso: *expressô enim unô casuum prædictorum, mandatum super hoc factum* (*quod debet de sui natura restringi*) *ad alios extendi non debet*; veluti sonant formalia textus in *cit. cap.* §. *cùm autem &c.* Passerin. *ibid. num.* 32. *& seqq.*

159 Rursus quando Pontifex rescribit de conferenda præbenda non-Sacerdotali, vel integra, vel certi valoris, non potest conferri Sacerdotalis, non integra seu dimidia, vel minoris valoris *cap. cùi de non* 27. *d. t. in* 6. *non enim*, ait Bonifacius VIII. ibidem, *hujusmodi mandata* (*quorum fines diligenter servari oportet*) *debent ad casus alios, quàm expressos, extendi.* Passerin. ad *idem cap. à n.* 1.

160 Ad hæc qui Rescriptum obtinuit de beneficio, proximè vacaturo, nequit obtinere beneficium, quod primùm est erectum, Rescriptô jam obtentô *Clem. ult. de Rescript.* quia nec vacare censetur: utpote cùm possessorem non habuerit; nec de illo cogitatum esse præsumitur. Conf. Panormit. ad *d. Clem. à num.* 1.

161 Præterea quando Rescriptum sonat de beneficio, per mortem vacante, non continet beneficium, vacans per resignationem, & econtrà *cap. susceptum* 6. *de Rescript. in* 6. Passerin. *ibid. n.* 15.

162 Denique per beneficium, in Civitate vel Diœcesi conferendum, non venit beneficium Ecclesiæ Cathedralis propter singularem illius honorem, uti dicitur in *d. cap. quamvis* 4. *de Præbend. in* 6. licèt sub beneficio, in aliqua Ecclesia in provincia conferendô, propter amplitudinem verborum etiam Ecclesiæ Cathedralis beneficium veniat *d. cap. quamvis* 4. *in f.* Passerin. *ibid. n.* 20. *& seqq.*

Dixi superiùs in *num.* 155. beneficia Ecclesiastica, per Rescriptum gratiosum concessa, strictam interpretationem capere. Nam beneficia, secundùm se considerata, quatenùs agitur de ipsorum fundatione vel dotatione, latam interpretationem promerentur *arg. cit. cap. quamvis* 4. *in pr.* ibi: *quamvis plenissima sit aliàs in beneficiis interpretatio facienda &c.* Passerin. *ibid. num.* 3. cessat enim in illa hypothesi ambitionis suspicio. 163

§. IV.

Quomodò Rescripta Gratiæ ad beneficia sint præsentanda & exequenda?

Cum Rescripta Gratiæ ad beneficia sint perpetua per *cap. decet* 16. *de R. in* 6. consequitur, quòd omni tempore præsentari & executioni mandari possint juxta *cap. si super* 9. *de Off. Jud. Deleg. in* 6. Passerin. *ibid. num.* 1. *& seqq.* Nisi forsitan duo super eodem beneficio Rescriptum gratiosum fuissent adepti: tunc enim si primus impetrator per dolum aut notabilem negligentiam Rescriptum suum executori præsentare distulerit, secundus ei præferri potest *cap. tibi qui* 12. *in f. de Rescript. in* 6. P. Reiffenstuel ad *eund. tit. num.* 100. Quod ipsum contingit, quando duo impetrant Rescriptum Gratiæ in eadem Ecclesia; unus generale ad beneficium, proximè vacaturum, alter speciale ad Archi-Diaconatum v. g. vel Decanatum: tunc enim, qui Rescriptô speciali munitus est, præfertur alteri, Rescriptum generale habenti, licèt in tempore priori per *cap. dudum* 14. *v. nos igitur, cap. quamvis tibi* 38. *de Præbend. in* 6. quia generi per speciem derogatur *cap. sicut* 1. *inf. de Rescript.* ubi Gonzalez *à num.* 10. *cap. pastoralis* 14. *d. t.* P. König *eôd. tit. sub n.* 9. ubi cum eodem Gonzalez *num. ult.* respondet ad *cap. ex parte* 12. *de Off. & pot. Jud. deleg.* quòd ibidem Rescriptum anterius de Archi-Diaconatu, qui primò vacabit, conferendô, posteriori de conferendo certo Archi-Diaconatu præfertur; quia utrumque Rescriptum reipsâ speciale censetur. 164 165 166 167

Equidem anteriori resolutioni, quòd gratia sit perpetua, & Rescriptum ad beneficium semper in executionem deduci valeat, nonnihil obloqui videtur textus in *cap. si cui* 36. *de Prabend. in* 6. ubi Pontifex in casu, quô alicui mandatur, ut beneficium conferat, distinguit, an mandatum fuerit generale citra expressionem alicujus personæ; vel fuerit speciale, cû expressione certæ alicujus personæ; ac mandatû generale non etiam speciale, negat exspirare cum morte rescribentis, re adhuc integrâ. Verùm egregiè teatum hunc enodat Passerinus ad *cit. cap. num.* 5. *& seqq.* quia, si mandatum sit generale, respicit gratiam & favorem illius, qui beneficium alteri pro suo libitu conferre potest: consequenter cùm gratia respectu ipsius jam sit facta, non ampliùs creditur res integra mansisse. At, si mandatum sit speciale, non respicit gratiam & favorem illius, qui beneficium confert, sed cui conferendum est: adeòque respectu illius est nuda commissio & delegatio; respectu hujus est gratia, non facta, sed facienda; & eapropter censetur res integra manere, & cum morte concedentis interire. 168 169 170

De reliquo, cùm Rescripta Gratiæ ad beneficia juxta *num.* 146. plerumque dirigantur ad Ordina- 171

rium

tium pro eorum executione, tenetur ille, si vel impedimentum non obstet, vel contradictor non appareat, intra 30. dies exequi Rescriptum, ac Oratorem in beneficii possessionem immittere ex constitutione Pii V. quam refert P. Wiestner ad *tit. de Rescript.*
172 *num.* 174. Executione vel immissione hac intra tempus non factâ, in casu negligentiæ vel malitiæ datur recursus ad secundum executorem, si quis deputatus fuerit; at in defectum hujus & in casu negatæ ob indignitatem executionis vel immissionis locus fit appellationi; non quidem ad Metropolitanum, ut aliqui putant; sed ad Summum Pontificem: cùm à Delegato Summi Principis ad Delegantem appelletur *cap. super quæstionum* 27. §. *ult. de Off. & pot. Jud. Deleg.*

SECTIO IV.

De Rescriptis Gratiæ contra Jus, seu Privilegiis.

SUMMARIA.

173. *Etymologia Privilegii.* 174. *Definitio.* 175. & *seq. Conceditur à Superiore.* 177. & *seqq. Non-subdito non rectè confertur Privilegium.* 180. & *seqq. Debet continere specialem favorem.* 183. *Potest uni vel pluribus concedi.* 184 *Omne Privilegium est contra Jus Commune.* 185 & *seq. Conceditur in scriptis.* 187. & *seq. Assignatur illius discrimen à dispensatione.* 189. & *seqq. Desideratur ad licitam concessionem justa causa.* 196. & *seq. Est affirmativum; vel negativum.* 198. & *seq. Absolutum, vel respectivum.* 200. & *seqq. Reale vel personale.* 203. & *seqq. Gratuitum & remuneratorium.* 205. & *seq. Purum vel conventionale.* 208. & *seqq. Commune vel privatum.* 211. & *seq. Clausum in corpore Juris, vel specialiter indultum.* 213. & *seqq. Vulgare vel singulare.* 216. & *seq. Acquiritur concessione vel communicatione.* 218. & *seqq. Communicatio variat juxta varietatem clausularum.* 222. & *seqq. Latè probatur, quòd per clausulam* dummodò SS. Canonibus &c. *intelligantur Canones Concilii Tridentini.* 230. *Effectus illius consistit in usu.* 231. *Qui in toto privilegiantis territorio potest exerceri.* 232. & *seqq. Imò, si nemini noceatur, etiam extra territorium extendi.* 236. & *seqq. Explicatur sensus illius brocardici, quòd privilegiatus non utatur contra privilegiatum.* 239. & *seqq. Limitatur & declaratur illa regula, quòd privilegia strictè sint interpretanda.* 245. & *seqq. Non patitur extensionem personalem aut localem.* 248. & *seq. Privilegium personale cum persona, reale cum re extinguitur.* 250. *Amittitur lapsu temporis præfiniti.* 251. & *seqq. Cessat, cessante causâ contrariè.* 255. & *seqq. Exspirat revocatione, privilegiato manifestatâ.* 258. *Perit renuntiatione.* 259. & *seqq. Desinit abusu.* 262. *Extinguitur non usu vel usu contrario.* 263. & *seqq. Non quidem si usus sit negativus.* 266. & *seq. Neque etiam per solum non usum omissivum.* 268. & *seq. Nisi per expressam Legem ad certum tempus usus adstringatur.* 272. & *seqq. Neque etiam per præscriptionem, si Privilegium sit affirmativum.* 276. & *seq. Bene verò si respectivum sit.* 278. & *seqq. Amittitur quoad possessionem per unicum actum.* 281. & *seqq. Si non fuerit revocatus,* 285 & *seq. Explicatur* cap. 8. de Constitution. 283. & *seq. Tempus pro præscriptione contra Privilegium est tempus, quô aliàs de Jure contra jus alterius præscribitur.* 287. & *seqq. Explicatur cap.* 6. *de* Privileg. & *combinatur cum* cap. 15. eôd.

§. I.

Quid sit Rescriptum Gratiæ contra Jus; seu Privilegium?

Rescriptum Gratiæ contra Jus habet quidem sub 173
se dispensationem & Privilegium; attamen, cùm dispensationem jam sæpiùs attigerim, præsertim in *cap.* 5. *à n.* 251. principaliter nunc agam de Privilegio, cujus etymon ad scopum nostrum D. Isidorus ex eo derivat, quòd sit Lex privatorum, seu privata Lex, ac quasi in privato lata. Textus in *cap. Privilegia* 3. *Dist.* 3.

Definiri potest conformiter antecedentibus, quòd 174
sit responsum Principis, seu legitimi Superioris, quô specialis favor & gratia uni vel pluribus contrà Jus scriptò conceditur.

Dixi I. *responsum Principis, seu legitimi Superio-* 175
ris. Quô dicendi genere suggessi priorò aliquid, quod Privilegium habet cum cæteris Rescriptis commune: deinde subjeci aliquid singulare, nempe quòd Privilegium non possit à quolibet Principe, sed illo duntaxat, qui privilegiati Superior est, concedi. Cùm 176
enim Privilegium ex dictis sit Lex privata, eximens privilegiatum ex dicendis à Jure Communi, & cæteros onerans, ne privilegiatum in usu Privilegii turbent aut impediant; non potest ab alio, quàm Legislatore, ejus Successore, vel Superiore indulgeri *arg. cap. inferior* 4. *Dist.* 21. & *cap. cùm inferior* 16. *de M. & O.*

Quòdsi existimes, Privilegium etiam non subdito 177
e. g. peregrinis, viatoribus, personis Ecclesiasticis &c. communicari posse; ideoque non opus esse, ut impertiatur à Superiore, veluti post alios docuit P. Wiestner ad *tit. de Privileg. num.* 6. & *seqq.* Scien- 178
dum est, Privilegium non-subdito eatenùs communicari posse, quatenùs saltem transitoriam aliquam subjectionem ex prorogatione Jurisdictionis acquirit, sicuti dum peregrinis indulgetur facultas, in alienam provinciam merces inferendi &c. Gibalin. *Scientia Can. lib.* 7. *cap.* 7. *q.* 3. *num.* 2. Si tamen nec ista sub- 179
jectio interveniat, concessio favoris, extraneo facta, transit in conventionem & donationem irrevocabilem; prout in specie de Privilegiis, quæ conceduntur Clericis aut Ecclesiis, ex Thoma del Bene scribit Card. de Luca de *Regal. disc.* 131. *num.* 6. Engel ad *tit. de Privileg. num.* 10. Zoës. *n.* 39.

Dixi II. *quô specialis favor & gratia.* In quibus 180
terminis exhibetur omnimoda paritas inter Privilegia, & reliqua Gratiæ Rescripta, cùm & illa & ista favorem specialem & gratiam contineant.

Nec refragatur vel *cap. quia in causis* 7. *de Pro-* 181
curat. vel *cap. etsi Christus* 26. *de Jurejur.* in quorum priore Universitati Parisiensi datur facultas deputandi procuratorem, jam aliunde omnibus data hominibus; in posteriore Religiosis, quibus jurare de Jure Communi non est prohibitum per *cap. tuis* 39. *de Testib.* indulgetur licentia, præstandi juramentum. Siquidem, ut nihil dicam, 182
olim ex Francorum Lege non licuisse, citra Principis Rescriptum, Judicium subire; neque omnibus semper Religiosis juramenti præstationem fuisse licitam, ut ostendit Gonzalez ad *cit. cap. quia in causis n.* 2. insuper responderi solet, in memoratis textibus nô tam Privilegium contra Jus Commune collatum, quàm Jus Commune declaratum esse. 183

Dixi III. *uni vel pluribus.* Ubi subjectum Privilegii subindicatur, quod interdum est tota communitas; interdum verò persona singularis: id quod pendet ex animo & voluntate privilegiantis.

Dixi IV. *contra Jus Commune.* Præter aut juxta 184
Jus Commune si quidpiam indulgeatur, Privilegiû in

rei veritate nequit appellari: nec enim Lex privata,
seu exemptio à Lege publica locum invenit, ubi con-
tra Legem publicam nihil indulgeatur per *cap. in his*
30. de Privileg. ibi: *cùm autem eis nihil conferret me-*
morata indulgentia, sinè qua id Prælatis annuentibus
liceret eisdem; & *cap. Abbate 25. de V. S.* ibi: *cùm*
privilegium sit Lex privata, & Lex non debet esse obs-
cura vel captiosa, sed certa & manifesta: nec esset
privata, nisi aliud specialiter indulgeret &c. l. jus
singulare 16. ff. de LL. ibi: *jus singulare est, quod con-*
tra tenorem rationis (subintellige cum Bruon. *ibid.*
num. 1. Juris Communis) *propter aliquam utilitatem*
authoritate constituentium introductum est. Reiffenstuel
ad *tit. de Rescript. n. 16. & seqq.*
185 Dixi V. *scriptô conceditur.* Quæ particulæ, licèt
non paucis displiceant, dum Privilegia sat multa *Vi-*
va Vocis oraculô concessa noscuntur per *Clem. du-*
dum 2. §. Nos etenim de Sepultur. Extravag. etsi
186 *dominici 3. de Pœnit. & remiss. inter commun.* Atta-
men, si respiciamus ad Regulas Cancellariæ sty-
lumque Curiæ Romanæ, Privilegia non aliter con-
cedi solent, quàm interveniente scripturâ secun-
dùm dicta in *num. 8. & seq.* Erasmus à Cockier ad
Reg. 25. Cancell. Reiffenstuel ad *tit. de Privileg.*
num. 30.
187 Quæres I. quomodò Privilegium differat à dis-
pensatione?
℞. differentiam in eo consistere, quòd dispensatio
quidem relaxet Jus Commune, sed vel absque dura-
tione & stabilitate; vel ad unum duntaxat actum v.g.
ad Ordinem suscipiendum, Matrimonium contrahen-
188 dum, carnes comedendas &c. plerumque tribuatur;
cùm econtrà Privilegium cum aliqua perpetuitate &
stabilitate, atque ad plures actus indulgeatur. Sua-
rez de *LL. lib. 8. cap. 2. num. 10.* Gibalin. *Scientia*
Canon. d. lib. 7. cap. 7. quæst. 2. num. 5. Wiestner ad
tit. de Privileg. n. 3.
289 Quæres II. utrùm ad Privilegium requiratur ali-
qua promulgatio vel publicatio?
℞. aliquam publicationem requiri, tum ex parte
privilegiati, ut habeat Privilegii notitiam & pruden-
ter operetur; tum ex parte aliorum, ne privilegiatum
190 in usu juris specialis impediant. Si tamen Privile-
gium non motu propriô, sed ad instantiam partis,
concederetur, tunc, cùm effectum habeat à tempo-
re datæ, poterit illius usus à privilegiato validè ex-
erceri. Engel ad *tit. de Privileg. num. 22.* Haunold
de *J. & J. tr. proœm. num. 179.* König ad *cit. tit. sub*
num. 23. Wiestner *ib. n. 13. & seqq.*
191 Quæres III. utrùm ad Privilegii concessionem
justa requiratur causa?
℞. ad licitam Privilegii concessionem justam desi-
derari causam; non item ad validam. Ratio est: quia
192 ad Privilegii concessionem plus non requiritur, quàm
ad dispensationem. Hæc autem, ut licita sit, causam
legitimam desiderat: eò quod justitia distributiva
non velit, ut à communi subjectione vel observantia
193 sinè causa quis eximatur. Ut verò sit valida, non in-
diget causâ: quia, sicuti Legis existentia, sic etiam
illius desinentia pendet à voluntate Legislatoris. Re-
fricentur dicta in *cap. 5. n. 161. & seqq.*
194 Dices: concessionem indulgentiarum invalidam
reputari, quando deficit justitia causæ per *Extravag.*
unigenitus 2. de Pœnitent. & remiss. inter commun.
adeòque & concessionem Privilegii.
195 ℞. negandô conseq. Ratio disparitatis est, quòd
Papa non concedat indulgentias, tanquàm Dominus
Jurisdictionis Ecclesiasticæ, sed tanquàm dispensator
thesauri meritorum Christi, qui non consentit in dis-
pensationem, nisi causa rationabilis subsit: Privile-
gium autem concedit tanquàm Dominus Jurisdictio-
nalis; consequenter solâ voluntate potest aliquem à
communi subjectione liberum pronuntiare.

§. II.

Quotuplex sit Privilegium?

Privilegium est multiplex, & dividitur I. in af- 196
firmativum & negativum. *Affirmativum* est, vi cu-
jus aliquid facere licet, Jure Communi cætero-
qui non permissum; v. g. celebrare in Pontificali-
bus, dare suffragium in aliena Ecclesia, in alterius
districtu venari. *Negativum* est, vi cujus omittere 197
licet, quod de Jure aliquis facere deberet, v. g. non
solvere collectas, pedagia, decimas, cathedraticum,
subsidium charitativum &c.
II. dividitur Privilegium in absolutum & respec- 198
tivum. *Absolutum* est, quod solius personæ privilegia-
tæ favorem concernit, nec in ullius gravamen redun-
dat. Tale est Privilegium dispensandi, portandi cer-
ta vestimenta vel insignia, celebrandi in Pontificali-
bus &c. *Respectivum* est, quod ita personæ privi- 199
legiatæ favorem spectat, ut simul in aliorum grava-
men dimanet. Tale est Privilegium percipiendi vel
non solvendi decimas; exercendi jura Episcopalia
vel Parochiala in alieno Episcopatu vel Parochia.
III. dividitur Privilegium in personale & reale. 200
Personale est, quod directè & immediatè conceditur
intuitu certæ & individualis personæ, eidemque co-
hæret *cap. Privilegium 7. de R. J. in 6. l. in omnibus*
68. ff. eôd. Card. de Luca de *Feud. disc. 44. num. 11.*
Reale est, quod directè & immediatè conceditur rei, 201
seu personæ datur cum respectu ad rem, v. g. offi-
cium, dignitatem, ætatem, aut aliam qualitatem; in-
deque cohæret rei, & competit omnibus, qui possi-
dent rem, aut præditi sunt tali officio, dignitate,
ætate, qualitate &c. *arg. l. Imperatores 7. in pr. ff.*
de Publican. & vectigal. l. ait Prætor. 1. §. 43. ff. de
Aqua quot. & æst. Latè & ex instituto Rota Rom. in
Recent. p. 9. tom. 2. decis. 400. à num. 4. Card. de
Luca de *Regal. disc. 90. num. 8.* & *de Jurisdict.*
disc. 6. num. 7. Ad dignoscendum itaque, num Pri- 202
vilegium sit reale, vel personale, graviter expenden-
da sunt verba Privilegii; &, si dirigantur ad perso-
nam cum expressione nominis v.g. Tibi Joanni Fran-
cisco Episcopo Frisingensi, censetur personale. Sin
verò dirigatur ad personam cum expressione rei vel
dignitatis v.g. Episcopo Frisingensi concedimus hoc
vel hoc &c. erit reale. Card. de Luca de *Regal. cit. disc.*
90. n. 8. & de Jure Patronat. disc. 2. n. 3. & seqq. ubi
etiam in *num. 12. & 13.* refert, in dubio censeri Pri-
vilegium reale; conformiter decisis à Rota *d. p. 9.*
tom. 2. decis. 400. n. 11. & 12.
IV. dividitur Privilegium in merè gratuitum, & 203
remuneratorium. *Merè gratuitum* est, quod ex mera
liberalitate, citra meritum singulare, indulgetur. *Re-* 204
muneratorium est, quod in præmium & compensatio-
nem antecedentium meritorum, non qualiumcunque,
sed insignium, impertitur. Hocque posterius Privile-
gium in dubio præsumitur esse personale per textum
bonum in *l. quod Principi 1. §. 2. ff. de Constit. Prin-*
cip. ubi dicitur, quòd ea, *quæ Princeps alicui ob me-*
rita indulsit, personam non egrediantur. Nil tamen pro- 205
hibet, quò minus Privilegium remuneratorium ad fi-
lios, nepotes, totamque familiam transire valeat, si
merita paterna vel avita sint tanta, ut compensatio-
nem in posteris totaque familia mereantur. Brunn. ad
cit. l. n. 8.
V. dividitur Privilegium in purum & conventio- 206
nale. *Purum* est, quod manet in terminis gratiæ &
favoris. *Conventionale* est, quod transit in conventio-
nem onerosam. Atque hoc, post Suarezium sic do-
cente P. Wiestner ad *tit. de Privileg. num. 21.* est ve-
ra Privilegii species: utpote cùm nihil intersit, u-
trùm aliquid ex mera liberalitate, vel intercedente pa-
ctô contra Jus concedatur. Crediderim tamen, Privile- 207
gium

gium conventionale in materia odiosa nomine Privilegii non comprehendi: quia conventiones onerosæ in rigore loquendò non rectè trahuntur ad materiam gratiosam. P. Engel ad *cit. tit. n. 5. in f.*

208 VI. dividitur Privilegium in commune & privatum. *Commune* est, quod primò & per se respicit bonum communitatis, cui tribuitur, quantumvis in consequentiam illius utilitas in singulos derivetur; quale de Jure Canonico est Privilegium fori, canonis, & competentiæ, in honorem totius Ordinis Clericalis principaliter indultum; & de Jure Civili Privilegium studiosorum quoad forum Academicum, in gratiam totius Corporis literarii primariò intro-
209 ductum. *Privatum* est, quod respicit primò & per se commodum unius vel alterius personæ privatæ, licèt in consequentiam vergat in bonum commune, quod exinde non parum firmari vel comparari videtur, si indigentes & bene meriti specialia consequantur indulta; quale est Privilegium restitutionis in integrum,
210 & competentiæ quoad personas sæculares. Privilegio anterioris generis à personis privatis renuntiari non potest *cap. si diligenti 12. de Foro compet.* ubi Panormit. *num. 7. cap. contingit 36. de Sent. excommunicat. l. jus publicum 38. ff. de Pact.* posteriori renuntiari potest per *cap. si de terra 6. de Privileg. l. penult. Cod. de Pact.* Suarez de *LL. lib. 8. cap. 6. n. 1. & seqq.*

211 VII. dividitur Privilegium in illud, quod clausum est in Corpore Juris Communis; & illud, quod speciali Rescripto conceditur. Privilegium, *clausum in Corpore Juris*, induit naturam Legis; est favorabile; recipit amplam interpretationem, nec indiget probatione per *cap. quamvis 4. in pr. de Prab. in 6. cap. ult. de Rest. spoliat. eòd. in 6. l. beneficium 3. ff. de*
212 *Constit. Princip.* Privilegium *speciale* censetur aliquatenùs odiosum, recipit strictiorem interpretationem, recedit longiùs à Lege, & Juris præsumptionē habet contra se *arg. cap. cùm in Jure 31. de Off. & pot. Jud. deleg. cap. cùm olim 18. de Præscript. cap. cùm personæ 7. de Privileg. in 6. l. si quis 1. Cod. de Mandat. Princip.* P. Engel ad *tit. de Privileg. n. 2.* P. Kónig *n. 8.*

213 VIII. dividitur Privilegium in singulare & vulgare. Illud in *forma singulari*, cum specialibus clausulis v. g. motu proprio, ex certa scientia, ex plenitudine potestatis &c. Hoc in *forma vulgari* sinè talibus
214 clausulis expeditur. Privilegium posterioris generis, quantum est possibile, restringitur ad terminos Juris Communis; &, si confirmationem antiqui Privilegii complectatur, novum robur aut virtutem non conciliat per *cap. cùm dilecta 4. de Confirmat. ut. vel*
215 *inut.* Privilegium prioris generis secundùm multos Privilegium, jam extinctum, resuscitare; vitium subreptionis corrigere; ac quandoque jus, tertio jam quæsitum, adimere valet Rota in *recent. p. 8. decis. 8. num. 1.* Tamburinus de *J. A. tom. 1. disputat. 17. quæst. 6. à num. 21.* Placidus Bridler de *Clausul. Rescriptor. Claus. 20. & 24.* Gibalinus *Scient. Can. lib. 7. cap. 7. q. 8. per tot.* Gonzalez ad *cit. cap. cùm dilecta num. 6. & seq.*

§. III.

Quomodò Privilegium acquiratur?

216 Privilegium vulgò dicitur acquiri quatuor modis, consuetudine, præscriptione, concessione, & communicatione. Sed quia consuetodo & præscriptio non tam modus est, quàm ipsum Privilegium æquivalenter & objectivè, quatenùs objectum Privilegii cæteris paribus est objectum Consuetudinis aut præscriptionis, & qui præscriptione vel consuetudine munitus est, id juris consequitur, quod habet alius, privilegió condecoratus per *cap. novit 13. de Judic.*

cap. super quibusdam 26. de V. S. Hinc non alium modum acquirendi Privilegium agnosco, quàm concessionem, & communicationem.

Concessio Privilegii est illius originaria acquisitio, 217
facta per Legislatorem, qui Legem, à qua conceditur exemptio, tulit, ejus Successorem, aut Superiorem. Communicatio est extensio Privilegii, jam semel concessi, ab uno subjecto ad aliud.

Fit autem communicatio vel simpliciter, vel cum 218
peculiaribus clausulis. Si fiat simpliciter, dat quidem facultatem, exercendi omnia Privilegia, quæ concessa erant subjecto, à quo vel intuitu cujus communicantur. Rota in *recent. p. 4. tom. 1. dec. 40.*
num. 1. & p. 11. decis. 348. num. 20. Nisi sint 219
planè singularis, rariùs concedi solita, vel communicari prohibita *arg. cap. in generali 81. de R. J. in 6.* Rota *d. p. 4. tom. 1. decis. 40. num. 2. & seqq. & d. p. 11. decis. 100. n. 14. & p. 8. decis. 8. n. 8.* Tamburin. *cit. disp. 17. q. 2. numero 18.* P. Kó-
nig ad *tit. de Privileg. num. 12.* Si fiat cum speciali- 220
bus clausulis, v. g. omnia & singula Privilegia, quomodolibet concessa; in omnibus & per omnia; pariformiter, adinstar, æquè principaliter &c. quæcunque Privilegia, etiam speciali mentione digna, & extraordinaria videntur esse communicata *arg. cap. in his 30. de Privileg. cap. si Papa 10. eòd. in 6.* Rota *cit. p. 4. tom. 1. decis. 30. n. 2. 3. 6. & 7.* Tamburin. *cit. l. q. 18. & 19. per tot.* Barbosa in *tract. de Clausul. usufrequent. Claus. 5. num. 2. & seqq. & Claus. 67. num. 7.* & in *tract. de diction. usu-*
frequent. dict. 330. n. 1. & seqq. Unde non po- 221
test in genere statui, quænam & qualia Privilegia per communicationem transeant, sed præprimis Bullæ & literæ communicationis sunt inspiciendæ, ut dignoscatur, quid, quantum, & quale de Privilegiis fuerit communicatum.

Cùm verò communicationi Privilegiorum per- 222
frequanter adjici soleat clausula: *dummodò sint in usu, ac Sacris Canonibus & decretis Concilii Tridentini non adversentur*: dubium movetur, quid *per ly Sacros Canones* intelligatur?

Respondent Tamburin. *cit. tom. 1. disp. 18. quæst. 6. num. 2.* Barbosa *cit. tract. de Clausul. Claus. 52. num. 4. & Claus. 124. num. 2.* Bridler de *Claus. Rescript. Claus. 19. lit. f.* ac novissimè Reiffenstuel ad *tit. de Privileg. num. 113.* per Sacros Canones non intelligi illos, qui Corpori Juris Canonici sunt inserti, sed qui extant in ipsomet Concilio Tridentino, sicuti declarat dictio *&*, quæ est conjonctiva, Canones cum decretis Concilii con-
nectens. Ratio est: quia hæc clausula, ne impe- 223
diat effectum Privilegii, nequit explicari de Canonibus in Corpore Juris: quandoquidem ex *num. 184.* omnia Privilegia Ecclesiastica sunt contra Jus Commune Canonicum: consequenter eorum communicatio nihil tribueret, si Sacri Canones in memorato sensu acciperentur.

Non equidem nescio, à Fagnano in *cap. tua-* 224
rum 11. de Privileg. hanc explicationem, velut ineptam, atque à Recentioribus quibusdam Theologis adinventam, explodi, ex ea ratione: quia, dum Canones Concilii non sunt nisi definitiones fidei, supervacanea foret illa restrictio, *dummodò non adversentur SS. Canonibus*: nec enim contra ejusmodi Canones, ad dogmata fidei spectantes, indulta vel dispensationes concedi possunt.

Verùm hanc Fagnani responsionem non puto co- 225
hærere cum illis, quæ Fagnanus ipsemet in *cap. Canonum statuta 1. de Constitut. num. 10.* docet: docet enimverò, nomine Canonum sæpiùs intelligi decreta fidei; admittit tamen, quandoque & de-
creta morum Canonum nomine comprehendi. Ea- 226
que doctrina valde conformis est Concilio Tri-

dentino in *sess.* 14. *de Reformat.* in fine *proœm.* in
verbis: *hos, qui sequuntur Canones, statuendos & decernendos, duxit &c.* ubi per Canones, uti constat
ex *cap.* 1. *& seqq.* non alii, quàm qui circa mores
versantur, intelliguntur. Quod ipsum eruitur ex *sess.*
23. *de Ref. cap.* 16. in *verb. vestigiis sexti Canonis
Concilii Chalcedonensis inhærendô &c.*

227 Regerit Fagnanus *alleg. loc.* si Canones ad mores
restringantur, verbum illud clausulare: *Decretis
Concilii*, redundare: cùm tamen in Lege nec syllaba
debeat esse superflua.

228 Sed nimiùm scrupulosus esse videtur, qui superflu tatem verborum exinde vult evincere, quòd Lex
plura synonyma ad unam eandemque rem significandam assumat: sic enim in jam *cit. sess.* 14. *in fin.
proœm.* ipsum Concilium synonymicè ponit: *Canones
statuendos & decernendos.* Est si quidem & Legibus &
Legislatoribus perfamiliare, plures terminos, idem si-
229 gnificantes, conjungere, quatenùs resultans inde propositio vel clarior sit, vel sonantior & momentosior.
Id quod infinitis propemodùm exemplis declarari
posset, nisi res plana & decantata foret.

§. IV.

Quisnam sit usus, vel interpretatio Privilegii?

230 Effectus Privilegii potissimùm consistit in legitimo
illius usu, quatenùs privilegiato tribuitur facultas,
concessâ sibi gratiâ utendi.

231 Et hic usus, nisi specificè restringatur ad certum
locum, est concessus in universo territorio privile-
232 giantis *arg. cap. quia circa* 22. *de Privileg.* Quin etiam, si Privilegium sit absolutum, ac nemini prorsus
nocivum, quale v. g. est Privilegium legendi libros prohibitos, illius usus est licitus extra territorium
privilegiantis: utpote cum obligatio Juris communis,
in uno territorio relaxata, censeatur esse relaxata pro
omni loco, pro quo Jus Commune latum est. P. Pirhing
ad *tit. de Privileg. num.* 182. P. Wiestner *ib. num.* 30.

233 Nec interest, quòd Jurisdictio non extendatur de
territorio in territorium *cap. ult. de Constitut. in* 6.
adéoque nec usus Privilegii, proveniens à Jurisdic-
234 tione. Hoc enim solummodò verificatur de Jurisdictione contentiosa, non autem voluntaria, quæ
extensionem extra territorium non respuit, uti dice-
235 mus in *tract.* 5. *cap.* 7. Imò, sicuti quis interdum uti
potest effectu Jurisdictionis contentiosæ extra territorium, si v. g. per sententiam Judicis, quæ transiit
in rem judicatam, rem aut jus aliquod acquisivit *arg.
cap. ult. de Except. in* 6. pariter quis uti poterit effectu seu fructu Jurisdictionis voluntariæ, per concessionem Privilegii antehac indultô.

236 Sciscitaberis: quô sensu verum sit, quòd privilegiatus contra privilegiatum suô non utatur Privilegiô?

Resp. hoc brocardicon, quod desumi solet ex *l. assiduis* 12. §. 1. *Cod. Qui potior. in pign.* tunc verum
esse, quando Privilegium utrumque est ejusdem rationis, conditionis, & favoris, veluti si unus habeat
Privilegium exigendi, & alter non solvendi. Rota
in *Recent. p.* 7. *num.* 25. *&* 2. *seqq.* Secus quando
Privilegia sunt diversæ rationis, conditionis, & fa-
237 voris, P. Wiestner ad *tit. de Privileg. num.* 31. Sic
enim quando unus Privilegium habet generale, v.
g. decimas exigendi ab omni parochiano, & alter
habet Privilegium speciale v. g. decimas ex suis prædiis non solvendi, posterior utitur suô Privilegiô contra priorem: cùm enim in toto Jure generi per speciem derogetur *cap. generi* 34. *de R. J. in* 6. ille,
qui privilegiatus est in specie, censetur esse magis
privilegiatus, quàm alter, qui privilegiatus est in ge-
238 nere. Sic etiam privilegiatus, qui certat de damno
vitando, habet jus favorabilius, quàm alius, qui
certat de lucro captandô; veluti constat de Privilegiô restitutionis in integrum, Ecclesiis concessô *arg.
cap. auditis* 3. *De in integr. Restitution.*

De reliquo legitimus Privilegii usus plurimùm de- 239
pendet à genuina illius interpretatione. Ubi ex *n.*
211. repetendum est, Privilegia, in Corpore Juris
Communis contenta, largiùs; cætera verò, per indultum speciale concessa, strictiùs interpretanda esse.
Quod ultimum jam ulteriùs & ita declarandum est 240
I. quòd Privilegium, per speciale Rescriptum impetratum, juxta mentem concedentis, si de ista
constet, etiam contra proprietatem verborum, oporteat interpretari *arg. cap. secundò requiris* 41.
de Appellat. II. quòd tale Privilegium, si cæte- 241
roquin nullum aut exiguum haberet effectum, latiùs, quàm verba sonant, interpretandum sit *cap.
in his* 30. *de Privileg. cap. si Papa* 10. *eôd. in* 6.
III. quòd, si Privilegium in nullius detrimentum re- 242
dundet, laxam & amplam interpretationem exposcat *cap. olim* 16. *de V. S.* IV. quòd etiam, in 243
quantum soli præjudicat concedenti, similem mereatur interpretationem juxta disertum textum in
cap. quia circa 22. *de Privileg.* Rota Rom. in
Recent. p. 4. *tom.* 3. *decis.* 531. *num.* 24. *& p.*
19. *tom.* 2. *decis.* 530. *num.* 4. V. quòd secun- 244
dùm plures in Privilegiis, quæ conceduntur in favorem Divini cultûs, aut causarum piarum, interpretatio larga præferatur strictæ per *cit. cap. in
his* 30. *de Privileg. & l. sunt personæ* 43. *ff. de
Religios. & sumptib. fun. nam summa est ratio, quæ
pro Religione facit.*

Petes: an Privilegium extendi possit de subjecto 245
ad subjectum, de persona ad personam, de loco ad
locum?

Resp. id regulariter non extendi, præterquàm 246
in sensu, quô discurrimus in *num.* 232. Rota *p.* 8.
rec. decis. 8. *num.* 3. *&* 4. Ratio est: quia, tametsi in duobus subjectis vel locis inveniatur similis ratio, quæ Principem ad indulgendum Privilegium permovit: attamen, ex quo actus gratiæ
non transeunt in consequentiam, non licet Privilegium ab uno subjecto ad aliud, concurrente quoque rationis paritate, extendere.

Aliud est, si prudenter de mente concedentis 247
aliud præsumere liceat *arg. cap. licèt vobis* 11. §.
cùm conceditur de Privileg. in 6. ubi Privilegium,
singulari personæ concessum, ut tempore interdicti Divina celebrare valeat vel audire, ad ejus familiares domesticos extenditur.

§. V.

Quibus ex Causis Privilegium amittatur?

Privilegium amittitur I. interitu subjecti, cui inhæ- 248
ret. Nempe si personale sit, perit cum persona *cap. Privilegium* 7. *de R. J. in* 6. &, si reale sit, tamdiu durat, usque dum existit res, intuitu cujus
est concessum ex *num.* 200. *& seqq.* Quin etiam, 249
si res vel locus, v. g. Ecclesia, castrum, prædium, cui Privilegium erat annexum, destruatur,
aut transferatur, Privilegium persistit, quamdiu
spes de subjecto priori superest per *cap. pastoralis* 45. *VII. q.* 1. *cap. quia Monasterium* 2. *de Religios. domib. l. cùm loca* 36. *ff. de Religios. &
sumpt. fun.* Rota in *rec. p.* 19. *tom.* 2. *decis.* 196.
n. 16. Fagnanus in *cap. cum ex* 2. *de N. O. N. n.* 11.
& seqq.

II. amittitur lapsu temporis, ad quod Privile- 250
gium expressè restrictum fuit *arg. cap. de causis* 4.
de Off. & pot. Jud. deleg. l. falsò 5. *Cod. de Divers. Rescript.* quia Privilegium in fieri & con-
serva-

servari pendet à voluntate privilegiantis.
251 III. amittitur cessante causâ; propter quam Privilegium ab initio fuit indultum per *cap. tua fraternitatis* 11. *de Cleric. non resident.* quia cessante causâ cessat etiam effectus *cap. cum cessante* 60.
252 *de Appellat.* Sed probè hìc attendendum est, utrùm causa illa cesset contrariè, adeò ut usus Privilegii propter mutationem circumstantiarum evadat injustus; vel tantùm negativè, ut usus non evadat injustus, sed sola concedendi ratio non am-
253 pliùs subsistat. In primo casu Privilegium amittitur, & consequenter jus decimandi, Religiosis vel aliis concessum, vel ex toto vel ex parte deperditur, quando successu temporis parocho sua non remanet congrua sustentatio per *cap. statuto* 2. *de*
254 *Decim. in* 6. In altero casu Privilegium non amittitur: adeòque Privilegium juris decimandi, Religiosis olim ob inopiam & indigentiam concessum, non exspirat, tametsi cum tempore d pinguiorem fortunam pervenerint *arg. cap. decet* 16. *de R. J. eòd. in* 6. ubi condecens existimatur, ut beneficium, à Principe concessum, sit perpetuum: P. Engel ad *tit. de Privileg. n.* 21.
255 IV. amittitur revocatione concedentis, Successoris, vel Superioris per *cap. innotuit.* 20. *de Elect.* sic tamen, ut ad licitam (non autem validam) Privilegii revocationem rationabilis causa re-
256 quiratur. P. Wiestner ad *cit. tit. num.* 59. Et, si Privilegium sit onerosum, citra violationem justitiæ commutativæ, nequit ex alia causa, quàm necessitatis aut utilitatis publicæ, revocari per ea, quæ in *cap.* 1. *à num.* 195. probata sunt. Rota Rom. in *recent. p.* 6. *decis.* 218. *num.* 31. & *p.*
257 8. *decis.* 4. *per tot.* Debet autem revocatio Privilegii, non minùs quàm Legis, privilegiato manifestari; nec sofficit revocatio; per Legem generalem facta, nisi specialem clausulam derogatoriam babeat *cap. licet.* 1. *de Constit. in* 6.
258 V. amittitur renuntiatione, suppositò quòd Privilegium non commune, sed privatum sit juxta *n.* 210. est enim in arbitrio privilegiati, num illud retinere vel dimittere velit.
259 VI. amittitur abusu; vel quia privilegiatus Privilegium contra mentem & intentionem concedentis ultra limites suos extendit; vel quia exinde sumit occasionem & ansam delinquendi; vel quia contra Privilegii finem operatur *cap. ubi ista* 7. *Dist.* 74. *cap. tuarum* 11. *cap. ut Privilegia* 24. *de Privileg. cap. contingit* 45. *de Sent. excommuni-*
260 *cat.* Hæc tamen amissio, extra casum, quò contra Privilegii finem agitur, non inducitur ipsô jure, sed, tanquàm pœnalis, sententiam Judicis præ-
261 requirit; & si in Privilegii concessione amissio legatur ipsò jure statuta, secundùm deducta in *cap.* 1. *à num.* 269. vix habebit effectum, antequàm sententia criminis declaratoria præcesserit *arg. cap. ult. de Vita & hon. Clericor. d. cap. contingit* 45. *de Sent. excommunicat.*

§. VI.

Quomodò per non-usum aut usum contrarium amittatur Privilegium?

262 VII. Amittitur Privilegium non-usu vel usu contrariò, tanquàm renuntiatione tacitâ. Sed quomodò? Quæstionem tam perplexam existimat P. Engel ad *tit. de Privileg. sub num.* 19. ut apertiorem Juris declarationem exoptet. Ego, ut securiori & planiori viâ incedam, quæ liquida & recepta sunt, à dubiis secerno. Nempe
263 Receptum est I. per merum non-usum negativum, quô quis Privilegiò non utitur ob defectum occasionis, ac jus gladii v. g. non exercet ex eo, quòd delictum aut delinquens in ejus territorio non fuerit deprehensus, nullum Privilegium amitti: Panorm. in *cap. ut privilegia* 24. *de privileg. n.* 4. Suarez de *LL. lib.* 8. *cap.* 34. *n.* 4. Engel *cit. l.* Pettschacher de *LL. q. ult. art.* 7. §. 5. *conclus.* 1. Haunold de *J. & J. tract.* 1. *num.* 248. Pirhing ad *tit. de Privileg. num.* 175. König *ibid. sub numero* 29. Wiestner *ibidem numero* 48. Gail. *lib.* 2. *observ.* 60. *num.* 3. Gleile *p.* 1. *Pand. quæst.* 5. *num.* 2. & 3. Marquard. *Otti Herbipol.*
dissert. 2. *sect.* 3. *pag. m.* 170. Textus opportu- 264
nus in *l. unus ex sociis* 34. §. 1. *l. & alliciunt* 35. *ff. de S. P. R.* ubi jus aquæ ducendæ non amitti dicitur per non usum, si ea de causa, quòd
exaruerit fons, ducendi facultas defecerit. Ratio 265
est: quia non-usus merè negativus non ostendit animum renuntiandi Privilegio; quin potiùs ex generali præsumptione, quâ nemo jura bonaque sua jactare censetur per *l. cùm de indebito* 25. *in pr. ff. de Probat.* credendum est, privilegiatum suo usurum fuisse Privilegiô, nisi defuisset occasio.
Receptum est II. per solum non-usum omissivum, 266
quô quis Privilegiô, cùm posset, non utitur; per se loquendô nullum amitti Privilegium. Suarez *cit. l. num.* 17. Pettschacher *d.* §. 5. *conclus.* 2. Haunold. *d. num.* 248. Gleile *d. q.* 1. *num.* 3. Mar-
quard. *cit. l.* Ratio est: quia solus non-usus omis- 267
sivus Privilegii per se loquendô tam parum arguit animum renuntiandi, quàm parum solus non-usus rei propriæ arguit animum, eam habendi pro derelicta *l. pro derelicto* 2. in *pr.* & §. 1. *ff. Pro derelicto*: multæ siquidem causæ latere possunt;
ob quas aliquis re vel jure suô non utatur. Quòd 268
si tamen Lex aut statutum certum tempus Privilegiorum usui præscriberet, extra dubium est, quòd, transactô illô tempore, Privilegium propter solum
non-usum exspiret. Quamobrem Privilegium nundi- 269
narum, cùm ad tempus decennii quoad usum fuerit restrictum, præterlapsô decenniô propter solum non-usum extinguitur *l. nundinis* 1. *ff. de Nundin.*
Quemadmodum & jura alia, v. g. actiones per- 270
sonales & servitutes rusticæ, quæ certo tempori sunt adstricta, per solum non-usum amittuntur *l. penult. Cod. de Servitut. l. sicut in rem* 3. *l. omnes* 4. *Cod. de Præscript.* 30. *vel* 40. *annor.*
Receptum est III. Privilegium absolutum, ac ne- 271
mini præjudiciosum, per non-usum non amitti, quamvis à contrario præscriptio jam completa allegetur. Suarez *cit. l. n.* 17. Reding de *LL. q.* 18. *art.* 2. *contr.* 6. *n.* 2. Castropalao de *LL. disp.* 4. *punct.* 18. *n.* 3. Engel *cit. n.* 19. Pirhing ad *tit. de Privil. num.* 176. König *ib. sub cit. n.* 29. Wiestner *ib. num.* 50.
Gleile *cit. q. num.* 6. Textus ad propositum adduci 272
potest ex *l. voluntaria* 12. *Cod. de Excusat. tutor.* ubi ab Imperatore Gordiano rescriptum est, voluntariæ tutelæ munera Privilegiis nihil derogare: hoc est, Privilegium immunitatis ab onere tutelæ non amitti, quòd aliquis ultrò & sponte munus tutelæ subeat. similis textus occurrit in *l. honestè* 2. *ff. de Privileg. Veteran. l. qui publici* 2. *Cod. de his qui sponte publ.*
mun. Ratiò est: quia non-usus Privilegii absoluti 273
revocari potest ad actus meræ facultatis propriè tales, sicut jus eundi per viam publicam: quandoquidem ex jure naturalis libertatis favore propriô, in aliorum præjudicium non vergente, quilibet uti
vel non uti potest. Jam verò in actibus meræ faculta- 274
tis propriè talibus præscriptionem non dari, ex professo docebitur in *tract.* 2. *de Præscript. cap.* 4. hæc enim vel esset positiva, vel privativa. Non positiva: nam ista requirit possessionem ex parte præscribentis, quæ nulla est, ubi nulla spes lucri vel commodi, sicut in præsenti, ubi ex Privilegio, nemini præjudicante, non

potest in alterum ex amissione Privilegii singularis
275 utilitas redundare. Non privativa: hæc enim supponit
Legem, quæ ullum Juris certi temporis intervallô
constringat; cujusmodi Legem, exceptâ illâ, quæ de
nundinarum Privilegiô in n. 269. citata fuit, hîc in-
venire non licet.
276 Receptum est IV. Privilegium respectivum, aliis-
que gravamen afferens, per non-usum amitti posse, si
accedat præscriptio, suis conditionibus instructa. Ita
Authores citati, & omnes (ut credo) Jurium periti.
Ratio est: quia à generali regula, quâ in supra *cit. l.
sicut in rem* 3. *& l. omnes* 4. *Cod. de Præscript.* 30.
vel 40. *annor.* omnia jura, publica & privata, Præ-
scriptioni dicuntur esse subjecta, nullibi excipitur jus
277 Privilegii respectivi seu onerosi. Nec erat excipien-
di ratio: quoniam, si quis jure suô, alteri gra-
vamen aliquod inferente, non utatur; alter si-
bi vigilare, & viâ præscriptionis gravamen illud à se
amoliri potest.
278 Dubitatur autem I. utrùm sufficiat unicus actus,
Privilegio contrarius, ut, si cæteræ conditiones si-
mul concurrant, præscriptio compleatur?
Resp. quòd, sicuti juxta mea principia, in *cit. tr.*
2. *de Præscript.* adstruenda, in juribus incorporali-
bus, quæ non facilè solent ex amicitia concedi vel
omitti, sufficit unicus actus ad acquirendam quasi-pos-
sessionem, &, cæteris paribus, complendam præscri-
ptionem: sic etiam ille, qui contra Privilegium præ-
scribere cupit, per unicum actum, Privilegio contra-
rium, non tamen revocatum, quasi possessionem ac-
quirere, &, si cætera requisita concurrant, præ-
scriptionem absolvere valeat *arg. l. hæc autem* 6. §. 1.
289 *ff. de S. P. U.* ubi unicus actus, servituti tigni im-
mittendi contrarius, videlicèt obstructio foraminis,
per quod tignum erat immittendum, potest domi-
num prædii servientis in quasi-possessione suæ liber-
tatis constituere, & præscribendi conditionem pare-
280 re. Unde, si quis per Privilegium immunitatem à
solvendis collectis aut decimis acquisiverit, & Do-
mino Territoriali vel Decimatori semel duntaxat col-
lectas aut decimas solverit, Dominus Territorialis vel
Decimator constituitur in quasi-possessionem suæ li-
bertatis, potestque successu temporis contra Privile-
gium immunitatis præscriptionem absolvere. Itaque
reipsâ docere videntur Suarez *cit. l. num.* 20. *& cap.*
35. *n.* 17. *&* 19. Castropalao *num.* 8. Haunold *n.*
255. Pertschacher *concl.* 5. Gleile n. 10.
281 Dixi tamen: *per unicum actum, Privilegio contra-
rium, non revocatum.* Nam si privilegiatus aut ab ini-
tio, quando primum actum, Privilegio contrarium,
exercuit, protestationem interposuerit; aut, ubi unum
vel alterum actum sinè protestatione interposuit, rur-
sus alterius quasi possessionem interruperit, ac v. g.
Domino Territoriali vel Decimatori, collectas aut
decimas exigenti, solutionem negaverit, nequit sub-
282 sistere præscriptio. Siquidem vel nulla unquam præ-
cessit possessio, ubi contraria intercessit protestatio;
vel ubi jam inchoata fuit, per actus posteriores con-
trarios rursus amissa; consequenter incepta præscri-
ptio fuit interrupta. Cujus rei plenior dilucidatio
tum ex materia præscriptionis, tum ex materia pos-
sessionis in propriis tractatibus erit desumenda.
283 Neque dicas: resolutioni nostræ reclamare *cap.
cùm accessissent.* 8. *de Constitut.* ubi Privilegium sup-
primendi primiceriatum, Canonicis Ecclesiæ Tul-
lensis indultum, ex eo solo censetur amissum, quòd
Canonici primiceriatum noviter erexerint, atque
adeò unicum actum, Privilegio contrarium, posuerint.
284 Resp. enim, hoc ideò constitutum esse: quia
Privilegium illud, cùm actum unicum respicit,
actu unicô quoque deperditur, non tam viâ præ-
scriptionis, quàm titulô tacitæ renuntiationis, qua-
tenus qui voluntariè ponunt actum, Privilegio
directè oppositum, ipsimet Privilegio renuntiare
præsumuntur.
Dubitatur II. quantum temporis spatium sit
necessarium, ad complendam præscriptionem con-
tra Privilegium?
Alii magnam hîc difficultatem sentiunt: ego 285
rem non ita difficilem existimo, sed tantum tem-
poris spatium requiro, quantum requiritur ad præ-
scriptionem contra res & jura alia. Sic in specie
docent Suarez *supra cit. cap.* 34. *num.* 21. Bar-
bosa de *Off. & pot. Episc. alleg.* 26. *num.* 18.
Gonzalez ad *cap. si de terra* 6. *de Privileg. num.*
7. Wiestner ad *eund. tit. num.* 54. Textus in *cap.*
accedentibus 15. *d. t.* ubi ad amittendum Privile- 286
gium exemptionis à solvendis decimis, Religiosis
Templariis olim concessum, præter usum contra-
rium, seu continuatam solutionem, tempus 40. an-
norum requiritur: quia nempe breviori tempore,
quàm quadragenariô, contra Ecclesias & Monas-
teria non præscribitur *cap. ad aures* 6. *de Præ-
scription.*
Dices: in *cit. cap. si de terrâ* 6. *de Privileg.* 287
simile Privilegium exemptionis à solvendis deci-
mis ob decimas, per 30. annos continuos non so-
lutas, pro jam perdito reputari.
Resp. haberi pro perdito non titulô præscrip- 288
tionis, sed præsumptæ renuntiationis, veluti li-
quet ex verbis: *de Privilegio tamen indulto tan-
tô tempore vobis detrahere voluistis: cùm liberum
sit unicuique, juri suo renuntiare.* Quæ præsumptio 289
non solùm habetur ex decursu 30. annorum, sed
etiam longi temporis intercapedine, si aliquis sciens,
Privilegium sibi competere, nihilo secius actus, Pri-
vilegio contrarios, ultrò & sine protestatione ex-
erceat *arg. l. cùm de in rem verso* 6. *in pr. ff. de
Usur. & Fruct. l. litibus* 20. *in pr. Cod. de Agricol.
& censit. lib.* 11.
Instabis: etiam *cap. accedentibus* 15. in præsump- 290
tione tacitæ renuntiationis esse fundatum, ut innuunt
verba: *cùm enim tantô tempore contra indulta Privi-
legia decimas solverint, eis renuntiasse, tacitè præsu-
muntur.*
Resp. in mea sententia omnem præscriptionem in 291
quadam præsumptione tacitæ renuntiationis fundari;
præsumptionem tamen solam, in qua fundatur *cit. cap.
si de terra*, non esse tantarum virium, quantarum est
præsumptio, præscriptioni conjuncta: illa siquidem 292
admittit probationem in contrarium, &, si privilegia-
ti docere possint, quòd ex errore vel ignorantia Privi-
legii solverint decimas, illos ad audientiam & restitu-
tionem admittit; ista neutiquam, ut alibi demonstra-
bitur.
Urgebis: non esse in potestate personarum Ec- 293
clesiasticarum, absque solennitate Canonica suis Pri-
vilegiis renuntiare posse.
Resp. renuntiationem expressam non esse in illarum 294
potestate, sed tacitam, veluti patet ex præscriptione,
quæ perinde contra Ecclesias ac personas laicas currit.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

*1. & 2. In expediendis literis Apostolicis non erat sem-
per idem modus. 3. Indicatur modus hodiernus,
cum distinctione inter Brevia & Bullas. 4. & seqq.
Describuntur observantia in Brevibus. 7. & seq.
Usi & observantia in Bullis. 10. & seq. Alia diffe-
rentia inter Bullas & Brevia notatur. 12. Dispensa-
tio per rescriptum concessa est strictè interpretanda.
13. Indigitantur exceptiones. 14. Potestas dispensan-
di recipit largiorem interpretationem. 15. Nisi ad
unam causam aut personam coarctetur.*

QUÆS-

QUÆSTIO I.

Quanam sit differentia inter Bullas & Brevia Apostolica?

Summi Pontifices, literas seu rescripta Apostoli-
1 ca expedientes, non omni tempore morem unifor-
mem servârunt. Nam, ut refert Eminentiss. Card.
Vincentius Petra in *Comment. ad Constit. Apostol. d.
tom. 1. pag.* 4. n. 14. Agatho Papa signavit omnes
literas cera, sed ob excrescentiam Pontificiorum di-
plomatum usus obtinuit, literas Apostolicas magni
momenti plumbeô sigillô muniri, veluti tempore Ste-
phani III. anno 410. vel Hadriani I. anno 772. ser-
vatum fuit. Verùm diplomata vetustiora se vidisse
2 cum sigillo plumbeo signata, testatur Dominicus
Raynaldus, nempe tempore Sylvestri Papæ in qua-
dam Bulla, quæ reperitur in Archivio Aretino; &
in Archivo Castri S. Angeli similiter asservari vetus-
tissima diplomata in papyro ex frutice confecta, plum-
bô etiam obsignata, Summorum Pontificum Leonis
Primi, Gregorii Magni, ac Sergii.

Hodie duplex est modus rescribendi per Summos
3 Pontifices, alter sinè sigillo plumbeo, & hæ literæ
Brevia dicuntur; alter verò cùm appositione sigilli
plumbei, quæ literæ verè nuncupantur *Bullæ*, dum
4 bullare idem est, ac sigillare. Itaque Breve vocatur,
ubi sinè appositione sigilli plumbei signum fit ex ce-
ra rubra cum impressione *annuli piscatoris*; quô an-
nulô D. Petrus usus fuisse narratur: unde & imagi-
nem D. Petri, è navicula piscantis in mari, repræsen-
5 tat. Scriburturque Breve in papyro seu membrana sub-
tili, adhibitô charactere latinô, nitidô, eleganti, ac
intelligibili juxta nostrorum usum, uti loquitur *cit.*
6 Vincentius Petra *pag.* 5. *num.* 1. Scribitur quoque
in Brevi nomen Summi Pontificis v. g. Benedictus
XIII. per modum tituli in medio; & subscribitur à
Secretario Brevium, qui solet esse aliquis Prælatus
7 maximæ doctrinæ. Bulla econtra vocatur, quæ ha-
bet sigillum plumbeum appensum, ac solenniori ritu
pluribusque verbis conscribitur in membranis rudi-
bus, & cum charactere Gallico, licèt Latinô, ductô
tali usu ab eo tempore, quô Sedes Apostolica resi-
debat in Civitate Avenionensi, & moris esse cæpe-
runt expeditiones Bullarum pro beneficiis reservatis
& affectis. Nec ponitur nomen S. Pontificis rescri-
8 bentis in medio per modum tituli, sed à capite versi-
culi. Petra *d. l. pag.* 9. n. 6.

9 Repræsentantur autem in sigillo plombeo imagi-
nes SS. Apostolorum Petri & Pauli, ita tamen, ut D.
Petrus à dextris, & D. Paulus à sinistris videatur es-
se locatus: vel quia antiquis Romanis latus sinistrum
habebatur pro digniori: vel quia ex veteri more eri-
gebantur altaria conversâ facie ad occidentem, quæ
hodie eriguntur versùs orientem; ex quo factum est,
quod primum erat à dextris, veniat à sinistris: vel
quia, licèt Paulus videatur à dextris, tamen intro-
euntibus in Ecclesiam, sicuti conspicientibus sigil-
lum, videtur econtrà, scilicèt Petrus à dextris, & sic
respectu populi locum dextræ occupat. Petra *pag.*
15. *num.* 39. *& seqq.*

10 Præter hæc idem Card. *pag.* 9. *num.* 7. subjicit
adhuc aliud discrimen inter Brevia & Bullas,
quòd illa expediantur ante coronationem, dicatur-
que: *à die suscepti Apostolatûs*; hæ verò solùm à
die coronationis, nisi subinde diutiùs differatur. Item
11 in *pag.* 10. *num.* 12. advertit, in Bullis initium anni
computari à die Incarnationis Dominicæ, scilicèt 25.
Martii; in Brevibus econtrà à die Nativitatis Domi-
ni seu 25. [Dece]mbris.

QUÆSTIO II.

An dispensationes, per rescripta concessa, latam aut strictam interpretationem mereantur?

Resp. distinguendum esse inter dispensationem, 12
& potestatem dispensandi. Ipsa dispensatio, uti & ejus
executio, regulariter strictam interpretationem me-
retur: hôc ipsô enim, quòd Jus commune relaxet,
Juri inimica & odiosa censetur *cap. quod contra* 28.
de R. J. in 6. l. quod contra 141. *in pr. ff. eôd. cap.
is, qui* 1. *§. ille verò de Fil. Presbyt. in* 6. *cap. quam-
vis* 4. *de Præbend. in* 6. Exceptiones colligi possunt 13
ex hoc *cap.* 8. *à num.* 239. ubi, quæ de privilegio-
rum interpretatione dicta sunt, ad dispensationes quo-
que extendi possunt. Ex adverso potestas dispensan-
di, per rescriptum alicui concessa, videtur largiorem 14
interpretationem recipere: cùm enim sit beneficium
immediatum Summi Principis, nec tam contra Jus
Commune quàm Jus Principis concedentis tendat, lo-
cum invenit regula, quòd beneficia Summorũ Princi-
pum latiùs sint interpretanda per *cap. ex parte* 27. *de
Decim. cap. quia circa* 22. *§. super eo de Privileg.* Nisi
potestas dispensandi ad unam causam & personam co- 15
arctetur: quippe quæ potiùs dat facultatem exequendi
dispensationem, quàm dispensandi. Clariss. P.
Schmalzgrueber ad *tit. de Rescript. num.* 31.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CAPUT IX.

De Jure non-scripto seu Consuetudinario.

Jus nostrum Legale, si Principi Sapientissimo, Justiniano, in §. *constat* 3. *Inst. de J. N. G. & C.* credamus *aut scriptô constat, aut non scriptô.* Jus scriptum per *cap.* 5. *& seqq.* explanatum fuit. Jus non-scriptum seu Consuetudinarium *hoc cap.* 9. & ultimò explanandum erit.

SECTIO I.

De Definitione, Divisione, & Causa Juris Consuetudinarii.

SUMMARIA.

1. *Etymologia Consuetudinis.* 2. *Homonymia.* 3. *Synonymia.* 4. *Definitio.* 5. *& seqq. Est ordinatio rationis, & participat naturam ac proprietatem Legis scriptæ.* 8. *Diuturnis populi moribus.* 9. *Et tacito Summa Potestatis consensu introducta.* 10. *& seq. Qui consensus non debet esse formalis aut personalis.* 11. *& seq. Indicatur discrimen Consuetudinis à præscriptione.* 14. *Traditione.* 15. *Observantia.* 16. *Et stylo Curiæ.* 17. *Consuetudo alia Canonica; alia Civilis.* 18. *& seqq. Alia publica; alia privata.* 21. *Alia generalis; alia specialis.* 22. *& seqq. Ad generalem pertinent consuetudines feudales* 25. *& seqq. Assignatur authoritas librorum feudalium.* 28. *& seq. Consuetudo præter Legem non est vera Consuetudo.* 30. *Sed Consuetudo contra Legẽ.* 31. *Causa Principalis Cõsuetudinis est Summa Potestas.* 32. *& seqq. Instrumentalis est communitas perfecta.* 35. *& seq. Etiam non habens Potestatem Legislativam.*

§. I.

§. I.

Quid sit Jus Consuetudinarium.

1 JUs Consuetudinarium quoad originem mondo condito non sine ratione coæva dicitur à Gratiano in *cap. ult. §. jus verò Dist. 6.* sed quoad originationem vocis vel ortum traxit à *ly consuescere*, quod idem est, ac cum suis existere; vel à *ly consuefacere*, quod est, cum suis facere: quia Consuetudo cum suis actibus facit, ut sit, ac existat, ut putat Eximius D.P. Candidus Rottenheusler in *tr. de Consuetud. quæst. 1. tit. 1. num. 1.* vel ab eo. *quod est in communi usu. cap. Consuetudo 5. Dist. 1. in fine.*

2 Accipitur bifariam. I. *materialiter* pro ipso usu, actu, & factô, quô Jus Consuetudinarium introducitur. In quo sensu nonnunquam Consuetudo tribuitur non tantùm hominibus, certorum actuum frequentiorem usum exercentibus *arg. cap. ult. XXV. q. 2.* sed etiam bestiis *§. pavonum 15. Inst. de R. D. I. naturalem 5. §. ff. de A. R. D.* Lauterbach ad *tit. ff. de LL. § 30.* II. *formaliter* pro Jure Consuetudinario, quod ex usu & actuum frequentiâ resultat. Clariss. D. P. Wiestner ad *tit. de Consuetud. n. 2.*

3 In ultima & formali acceptione Jus Consuetudinarium variis nominibus ambitur. I. vocatur *Jus non scriptum*: quia videlicèt absque scriptura, imò & absque Præconis voce, Legalem authoritatem accipit *§. constat 3. §. sine scripto 9. Inst. de J. N. G. & C.* idque nomen retinet, etsi posteà memoriæ tenacioris ergo in scripturam redigatur. Reverendiss. DD. Rupertus Kimpfler, Antecessor in Cathedra, & posteà Abbas Gluniceusis in *Dispnt. Jurid. de Consuetud. part. 1. §. 1. n. 7.* II. nuncupatur *Mos seu Mores diuturni in l. omnes populi 9. ff. de J. & J.* III. vocatur *usus d. §. sine scripto l. consuetudinis 2. Cod. quæ sit longa Consuet.* IV. & pluries *Consuetudo* simpliciter dicitur, germanicè *ein altes Herkommen*, *Gewonheit*, *und Gebrauch.*

4 Sepositis aliorum definitionibus, quæ multæ & variæ sunt, definio Jus Consuetudinarium, seu Consuetudinem, quòd sit ordinatio rationis, diuturnis populi moribus, & tacitô Summæ Potestatis consensu introducta.

5 Dixi I. *ordinatio rationis.* Ut convenientiam Consuetudinis cum Jore Legali in limine prænotarem; adeòque indicarem I. eas conditiones, quas postulat Lex, etiam Consuetudinem postulare, nempe ut sit honesta, possibilis, in bonum publicum &c. ordinata, de quibus in *cap. 0. Sect. 1. §. 2. & Sect. 2. per tot. arg. §. sine scripto 9. Inst. de J. N. G. & C. & l.*

6 *de quibus 32. ff. de LL.* II. Legem & Consuetudinem quoad Subjectum, Objectum, & Effectum nullatenus differre. Lauterbach ad *tit. ff. de LL. §. 43.* Quos igitur & in quantum obligat Lex, obligat etiam Consuetudo. Repeta *cap. 1. Sect. 3. cap. 5. Sect. 3. cap. 7. Sect. 3.* Franzkius ad *eund. tit. num. 123.* Struv. *Exercit. 3. th. 22.* & ibi Myller. Joan.

7 Philip. Braon ad *tit. de Consuet. concl. 2.* III. secundùm Consuetudinem esse judicandum, si quando Princeps alicui deleget causam, ac terminari secundùm Jus jubeat *per princip. Institut. de Offic. Judic. Ord. Cam. p. 1. tit. 13. §. 1.* Panormitanus in *cap. cùm nobis 19. de Elect. num. 6.* DD. Kimpfler *d. §. 1. n. 4.* adeò ut sententia contra Consuetudinem æquè sit nolla, ac lata contra Legem expressam. *arg. l. si expressim 19. ff. de Appellat.* Gail. *lib. 1. obs. 36. n. 12. & Lib. 2. obs. 31. n. 2.* Lauterbach *d. §. 43.*

8 Dixi II. *diuturnis populi moribus.* Ut palam facerem, longè plura ad Consuetudinem requiri, quàm ad Legem, dum hæc unicô actu, & solâ Legislatoris voluntate; illa multitudine & varietate actuum perficitur, ex dicendis in *Sect. 2.*

Dixi III. *& tacitô Summæ Potestatis consensu introducta.* Ex quibus colligitur I. formale distinctivum Juris Consuetudinarii & Scripti, seu Consuetudinis & Legis in eo consistere, quòd Lex expressam Legislatoris voluntatem, scriptô vel voce præconis manifestatam; Consuetudo tacitam requirat. 9

Colligitur II. communiorem simulque probabiliorem esse sententiam, quæ non desiderat formalem aut personalem Legislatoris consensum, sed Legali & generali, in Jure Communi expresso, contenta est; quatenùs omnis Consuetudo, suis conditionibus instructa, universim est approbata in *cap. ult. de Consuet. l. 32. §. 1. l. 33. 34. 35. 36. 38. ff. de LL.* Secus neque Consuetudo à Lege distincta neque tam facilè possibilis foret: cùm Summus Princeps particulares locorum Consuetudines & ignorare præsumatur *cap. 1. de Constitut. in 6.* & omnes cognoscere nequeat. Ita cum Suarez *lib. 7. cap. 13. num. 6.* & Reding *quæst. 19. art. 2. controv. 1. n. 10.* docuerunt Clarissimi DD. Antecessores, Kimpfler *part. 2. §. 3. n. ult.* Engel ad *tit. de Consuet. n. 19.* König ad *eund. tit. n. 17.* 10 11

Si petas: quomodò Consuetudo à Præscriptione, Traditione, Observantiâ, ac Stylo Curiæ differat? 12

Resp. I. Præscriptionem principaliter à Consuetudine differre, quòd illa Jus proprietatis & particulare privatis, quà talibus, pariat; ista Jus Legale & generale communitati quà tali adjiciat. Rota Rom. *in recent. p. 3. decis. 4. 79. per tot.* Quia verò, dum agitur de jure alterius quæsitô, ac per tractum temporis amissô, sæpiùs adhuc dubitatur: sitne Præscriptio vel Consuetudo? Hinc ad discernendam Præscriptionem à Consuetudine advertendum erit, utrùm illi, de quorum præjudicio vel obligatione agitur, sint inviti, vel consentientes? Si inviti fuerint, pro Præscriptione; si non inviti sed cõsentientes, præsumptio stat pro Consuetudine: utpote quæ volentibus & non contradicentibus illis, qui de communitate sunt, perficitur. P. Candidus Rottenheusler *de Consuetud. quæst. 1. tit. 3. n. 46. & 49.* 13

Resp. II. Traditionem à Consuetudine discriminari per hoc, quòd Consuetudo novum Jus introducat; Traditio econtrà Jus introductum supponat, magisque vicem promulgationis quàm constitutionis subeat. P. Engel ad *tit. de Consuetud. n. 3. & 4.* 14

Resp. III. Consuetudinem ab observantia discrepare: tum quia observantia nil aliud flagitat, quàm unum vel alterum actum in materia, de cujus intellectu vel obligatione dubium est, exercitum, eum in finem, ut actus posterior declaret indolem & naturam prioris: cùm econtra Consuetudo non solùm diversas conditiones desideret, sed etiam novam obligationem inducat, & tollat: tum quia Consuetudo inter communitates quà tales; observantia etiam inter personas singulares vim & effectum habet. P. Rottenheusler *eit. l. tit. 5. n. 76.* 15

Resp. IV. Stylum Curiæ esse quandoque meram cæremoniam seu modum & formam concipiendi, scribendi, respondendi, procedendi *cap. quàm gravi 6. de Crim. falsi. l. habeat 1. Cod. de SS. Eccles.* quandoque verò Stylum accipi pro communi practica Curiæ in judicando & decidendo, longô jam tempore uniformiter continuatâ *l. nam Imperator 38. de LL. l. prolatam 4. Cod. de Sentent. & inter locut.* & tunc, cùm Jus in Curia faciat, convenit cum Consuetudine, & disconvenit tanquam species à genere. Eckold ad *tit. ff. de LL. §. 26.* Rottenheusler *d. quæst. 1. tit. 6.* 16

§. II.

I. in Canonicam & Civilem. *Canonica* dicitur, quæ in materia Legis Ecclesiasticæ; v. g. diebus festivis, jejuniis, decimis &c. *Civilis*, quæ in materia Legis Civilis obtinet.

18 Dividitur II. in publicam & privatam. *Publica est*, quæ circa statum Imperii publicum versatur; ex qua prima Juris publici Romano-Germanici fundamenta fuisse deprompta, plerique Publicistæ testantur cum Vitriario *Inst. Jurispubl. lib. 1. tit. 2. §. 7.* Pfeffingero *ibid.* Brunneman. *Jurisprud. publ. dissertat. 2. §. 4.*

19 Idque ex ipsissima Aurea Bulla, velut Lege Imperii fundamentali, in simili probatum faciemus de *Præscript. cap. 6. num. 18.* Nam ad modum & morem Romanorum primæ Germanorum Leges potiùs non scriptæ quàm scriptæ erant. *Privata* Consuetudo est,

20 quæ circa statum hominum privatorum occupatur.

21 Dividitur III. Consuetudo in generalem & specialem. *Generalis* appellatur, quæ in toto aliquo Regno, Provincia, vel Imperio locum invenit; *Specialis*, quæ in loco particulari. Ad generalem pertinent

22 Feuda, quæ, licèt in scripturam sint relata, attamen *Consuetudines Feudales* in præsentem usque diem nominantur. Nam, si originem Feudorum attendas, il-

23 la Germaniæ populis, Longobardiam occupantibus, ac inter se militari privilegiò distribuentibus, deducitur, dum nempe circa prædia, in præmium bellicæ virtutis accepta, varias ab initio observantias & mores tenuêre, quos Gerardus Niger, & Obertus de Orto, Consules Mediolanenses, Viri insignes & sapientes, ut constat ex *tit. 23. & 51. Feud. 2.* literis consignâsse dicuntur, Clariss. P. Renbeck *Sylv. Benefic. Feudal. cap. 1. th. 1.* Clariss. D. Chlingensperger in

24 *Lib. Feud. cap. 1. q. 1.* Sin progressum & publicationem Feudorum intueâre, illa unà cum Jure Civili tacitò ac succedaneò usu tam in Curias, quàm Athenæa Germaniæ irrepserunt. Adeòque ex omni parte rationem Juris Consuetudinarii sortiuntur. Struv. *Syntagm. Juris Feud. cap. 1. thesi 7.* Chlingensperger *d. cap. 1. quæst. 3.*

25 Uti verò non nisi capitula ordinaria, libri primi Feudorum, & secundi usque ad *tit. 58.* inclusivè in Germania recepta sunt, ita non nisi ordinaria sunt authentica; reliqua verò & extraordinaria habent quidem vim declarativam ordinariorum, vim tamen decisivam non obtinent,

26 ut dictum *in tract. præamb. cap. 1. num. 183.* Quòd si in capitulis ordinariis varietas opinionum inveniatur, tunc illa præferenda est, quæ rationi Juris Feudalis & textibus aliis est propinquior & similior. Et,

27 si de hoc satis non liqueat, prima opinio posteriori anteponenda videtur: quia compilatoribus Consuetudinum Feudalium erat solenne, reprobatam opinionem ultimò locò collocare, ut patet ex *tit. 27. Feud. 2.* Hartman. Pistor. *lib. 2. quæst. 25. n. 30. & quæst. 32. n. 2.* Rosenthal de *Feud. cap. 7. conclus. 35. n. 7.* apud & cum Clariss. D. Chlingensperger *cit. cap. 1. quæst. 6.*

28 Dividitur Consuetudo IV. in eam, quæ præter, juxta, & contra Legem est. *Præter Legem est*, quæ in materia, Lege non præceptâ, novam obligationem inducit. *Juxta Legem est*, quæ Legem præexistentem usu & exercitiò confirmat. *Contra Legem est*, quæ Legem antecedentem tollit, vel simpliciter vel secundùm quid.

29 Hæc divisio, ut ut à multis toleretur, mihi quoad secundum membrum non apparet legitima. Nam Consuetudo *juxta Legem* non constituit Legem, nec Jus [illegible] ... itaque membra tanq[uam] Legalia agnosco, nempe Consuetudinem *præter* [et] *contra Legem*; non obstante, quòd etiam Con[sue]tudo contra Legem à quibusdam repudium fe[rat,] quasi & ipsa Jus novum non faciat. Nam facit [Jus] permissivum, ac constituit regulam, juxta cujus di[ctamen] licitè quis operari potest, non aliter ac lex de[rogatoria vel] abrogatoria prioris. Jus verò permissivum est ver[um] jus ex *cap. 1. n. 73.* Ergo & Consuetudo contra [Legem].

§. III.

Quis possit introducere Consuetudinem?

Causa principalis Consuetudinis est Summa in [Re]publica Potestas; sive illa resideat penes unum, [sicut] in statu Monarchico; sive penes plures, sicut in sta[tu] Aristocratico; sive penes omnes, ut in statu Dem[o]cratico per textum in *l. de quibus 32. §. 1. ff. de L[egib.]* ab hac enim Potestate spiritus legalis in Consuetu[di]nem transfunditur.

Causa instrumentalis est communitas, non quæ[cun]cunque, sed perfecta & talis, cui Lex imponi va[let,] per textum in *l. omnes populi 9. ff. de J. & J. d. l. de quibus 32. §. 1. l. cum de 34. l. sed & ea 35. l. de interpretatione 37. ff. de LL.* ubi ex parte illorum qui Consuetudinem introducunt, modò civitas, modò provincia, modò populus concurrere supponitur, argumentò perspicuò, privatos quà tales ab intro[]ducenda Consuetudine repulsos esse.

Si opineris: saltem alicui familiæ illustri tribuendum esse, ut in materia, sibi propriâ, v. g. successionis testamentariæ & intestatæ, per diuturnos mores Consuetudinem producere valeat. Eatenùs in tuam opinionem concedo, ut, si familia quædam illustris in tot stirpes & lineas dividatur, ut ex illis, quasi distinctis familiis, perfecta communitas resultet, diuturni mores in vim Consuetudinis convalescant.

Id tamen nullatenùs exigo, ut communitas dictâ Potestate Legislativâ polleat: tum quia, ut præmissum in n. 31. causa principalis Consuetudinis est Summa Potestas, actibus subditorum, legitimè continuatis vim Legis tribuens: tum quia cæteroquin in statu Monarchico, ubi Potestas condendi Legem adempta fuit communitati & populo, nulla Consuetudo consurgere posset. Reverendiss. Kimpfler de *Consuet. d. p. 1. §. 2. n. 3. & seq.* Quamobrem nil refert, utrùm communitas sit Laica vel Ecclesiastica: nam etiam Laica potest per Consuetudinem tam Leges jejunii quàm Leges, obligationem decimarum imponentes aut alias vel abrogare, vel noviter introducere; non quidem authoritate propriâ, sed authoritate taciti Legislatoris Ecclesiastici. P. Pihing ad *tit. de Consuetud. sub num. 10.*

SECTIO II.

De Conditionibus, ad introducendum Jus consuetudinarium requisitis.

SUMMARIA.

37. *Consuetudo debet esse rationabilis. 38. & seq. Quæ duplex est, positiva & negativa. 40. Requiritur tanta rationabilitas, quanta ad Legem. 41. & seqq. Sufficit etiam negativa. 48. & seqq. Nec destruitur per actus antecedentes peccaminosos. 53. & seqq.*

Solvitur

Solvuntur duæ Objectiones. 57. & seqq. Unicus actus non sufficit ad Consuetudinem. 64. Explicatur cap. ult. XXV. q. 2. 65. & seq. Numerus actuum Judicis arbitrio relinquitur. 67. & seq. Certum tempus non est expressum. 69. & seqq. Relinquitur etiam Judicis arbitrio. 72. & seqq. Consensus communitatis debet concurrere. 73. & seqq. Voluntarius & conjunctus cum animo Consuetudinem introducendi. 79. & seqq. Debet manifestari per actus notorios. 80. & seq. Non tamen judiciales. 84. & seqq. Actus discontinui obstant Consuetudini. 87. In medio & in fine.

§. I.

De Rationabilitate Consuetudinis.

37 TOtam Juris Consuetudinarii materiam exhauserit, qui singulas ad Consuetudinem requisitas conditiones enucleatè exponit. Has ergo eviscerandas assumimus, ac primam statuimus Rationabilitatem, de qua, quòd ad omnem Consuetudinem exigatur, omne jam dubium sublatum est, postquàm non solùm Pontifex in *cap. ult. de Consuetud.* sic definivit, sed nos ipsi in definitione *num.* 5. generis locô præmisimus, quòd Jus Consuetudinarium sit ordinatio rationis.

38 Sed quanta & qualis esse debeat hæc rationabilitas? Tam promptè non dixeris, si diversissimas expositiones apud P. Suarez *lib. 7. cap.* 6. evolveris. Harpprecht ad §. *sinè scripto Inst. de J.N.G. & C. num.* 28. post Menochium, Cravetam, Bocerum &c. rationabilitatem Consuetudinis, cùm in profundissimo non rarò lateat puteo, nec cuilibet obvia sit, exquisitæ judicis investigationi & arbitrio eruendam committit. Sed, ut Judex regulam habeat, juxta quam pru-
39 denter arbitrari possit, distinguere juvabit inter rationabilitatem positivam & negativam. *Positiva est*, quando occurrit fundamentum positivum dicendi, Consuetudinem esse licitam, fortè quia consulit minuendis litibus, fovet tranquillitatem Reipublicæ, tollit difficultatem, in observanda Lege occurrentem, conservat ultimas voluntates &c. *Negativa est*, quando Juri Divino & Naturali, rectæ rationi, bonisque moribus non adversatur. Quâ distinctione suppositâ,

40 Dico I. Tanta in genere rationabilitas ad Consuetudinem exigitur, quanta ad Legem positivam humanam. Gonzalez ad *cap. consuetudines* 1. *de Consuetud. num.* 12. Castropalao *tr.* 3. *disp.* 3. *punct.* 2. §. 1. *num.* 1. Ratio est: quia Jus Consuetudinarium est species Juris Legalis humani §. *constat* 3. *Instit. de J. N. G. & C.* Ergo debet esse æquè rationabile ac aliud Jus Legale humanum.

41 Dico II. Rationabilitas positiva, saltem specialis, non requiritur simpliciter ad Consuetudinem, sed sufficit negativa. Reverendiss. D. Kimpfler *cit. Disputat. de Consuet. p.* 2. §. 2. *num.* 2. Reding *quæst.* 29. *art.* 2. *contr.* 1. *num.* 1. Haunold *de J. & J. tr.* 1. *num.* 121. Pettschacher *quæst.* 6. *art. un. pag.* 193. P.
42 Rottenheusler *q.* 2. *tit.* 1. *num.* 17. Ratio est: quia ad Legem positivam non requiritur simpliciter rationabilitas positiva, & specialis, sed ipsa Principis voluntas nonnunquàm causam supplet, & Legem justam efficit: neque enim Leges ex eo duntaxat appellantur justæ, quòd specialis causa à Legislatore fuerit expressa, sed etiam, quòd causæ efficientis, seu Legislatoris potestatem non excedant; neque Juri Divino, Naturali, aut Gentium adversentur. Ergo neque ad Consuetudinem requiritur simpliciter rationabilitas positiva & specialis, sed ipsa populi voluntas circa objectum, Juri Divino Naturali aut Gentium minimè contrarium, occupata, ac à Principe tacitè approbata, causam supplet.

Confirmatur. Potest esse Consuetudo proficua 43
Reipublicæ, esto ratione positivâ & speciali non nitatur. Ergo etiam potest introduci & esse rationabilis, etsi ratione positivâ & speciali non nitatur: quia, quæ Consuetudo est utilis Reipublicæ, est etiam rationabilis: cùm salus publica sit cynusura & lumina-
re majus omnis Legis scriptæ & non-scriptæ. Antec. 44
prob. Ponamus, Legem testamentariam de adhibeodo septem testium numerô Consuetudine cujusdam loci aut augeri, ut octo requirantur; aut minui, ut sex aut quinque sufficiant. In tali casu hæc Consuetudo potest esse auspicata & salutaria Reipublicæ, fortè quia summam facilitatem sentit in illius observantia: & tamen non apparet ulla ratio positiva & specialis, cur octo præcisè, sex, aut quinque, neo plures vel pauciores testes exigantur. Ergo potest esse Consuetudo proficua Reipublicæ, esto ratione positivâ & speciali non nitatur.

Dixi aliquoties: *saltem specialis*. Nam vix est pos- 45
sibilis casus, etiam in Consuetudine contra Legem, in quo generalis quædam ratio, Consuetudinis approbativa, non concurrat. Vix enim est Consuetudo, in cujus introductione non sibi ratio, ut v. g. si arctiùs gubernentur subditi; Principis aut populi potestas magis reluceat; Legum copia diminuatur; laquei & vincula conscientiarum rumpantur &c. Ergo superstitiosus est, qui rationem specialem & singularem
pro Consuetudinis rationabilitate exquirit. Atque 46
hinc Rota Rom. in *recentior. part.* 3. *decis.* 28. *in una Hispalensis doti* resolvit, Consuetudinem, quâ familiares Archi Episcopi à voto capitulari excludebantur, non esse irrationabilem: quia scilicèt non derogat Juri Naturali vel Divino, neque reprobatur à Legibus Ecclesiasticis, neque bono publico vel bonis moribus adversatur.

At nova difficultas hîc exurgit: an Consuetudo 47
contra Legem possit dici rationabilis, si actus peccaminosi præcesserint? Nam sententia plurimorum est, talem Consuetudinem irrationabilem esse. In specie sic sentit P. Engel ad *tit. de Consuetudine num.* 15. P. Mezger *disp.* 36. *art.* 2. *num.* 13. P. Pirhing ad *lib. tert. tit.* 26. *num.* 24. P. Alphonsus Wenzl de *LL. quæst.* 6. *in coroll.* & Reverendiss. D. Hardtar de *LL. q.* 5. *art. ult. n.* 5. Sed pace horum

Dico III. Consuetudo non desinit esse rationabi- 48
liss, licèt actus peccaminosi præcesserint. Ita Viri & DD. Clarissimi Suarez *lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 24. Castropalao *d. l. num.* 24. Haunold de *J. & J. tr.* 1. *num.* 140. Wagnereck in *cap. fin. de Consuetud.* Pettschacher *q.* 6. *ar. un. pag.* 197. Wiestner ad *tit. de Consuet. num.* 35. Guetrather *Instit. Jur. Can. lib.* 1. *tit.* 2. §. 2. *num.* 67. Schmalzgrueber ad *cit. tit. num.* 25. Quibus ex nostris Collegis accedunt Gletle *part.* 1. *pand. q.* 6. Franz ad *tit. Inst. de J. N. G. & C.*
part. 4. *num.* 25. Ratio unica sed fortis est: quia Con- 49
suetudo contra Legem est possibilis, dum plures Leges Ecclesiasticæ & Civiles contrariâ Consuetudine suppressæ noscuntur. Ergo actus peccaminosi non reddunt Consuetudinem irrationabilem. Conseq. prob. Nequit Consuetudo Legem præexistentem abrogare, nisi per actus peccaminosos. Ergo nequit esse possibilis Consuetudo contra Legem, nisi actus pec-
caminosi præcesserint. Anteced. probat. Actus, con- 50
tra Legem præexistentem cum scientia ejusdem Legis exerciti, sunt peccaminosi, & quidem tales non materialiter tantùm, sed etiam formaliter, quia formalem animum transgrediendi Legem adjunctum habent. Atqui Consuetudo, Legem abrogans, præsupponit actus, contra Legem præexistentem cum scientia ejusdem Legis exercitos. Ergo nequit Legem abrogare, nisi per actus formaliter peccaminosos.

Unde

51 Unde non valet Aa responsio, quâ dicunt, Consuetudinem per actus peccaminosos tantùm introduci dispositivè, non effectivè: eò quòd actur successorum de communitate aliqua, in bona fide existentium, possint esse immunes à peccato, esto immunes non fuerint actus antecessorum.

52 Nam contra est: quia per actus erroneos non inducitur Consuetudo, ex dicendis in §. 4. Ergo neque per actus successorum, qui falsò credunt, Legem per antecessores esse jam abrogatam. Cùm enim animum abrogandi Legem non habeant, Lex manebit in sua possessione, & consuetudo non prævalebit. Quòd si animum abrogandi habeant, sive virtualiter sive formaliter talem, jam versantur in peccato; & sic peccaminosam dispositionem Consuetudini præmittunt.

53 Dices I. Consuetudo, quæ fit cum peccato, non est rationabilis: quomodò enim rationabilis, quæ rationi contraria, & Legibus adversa?

Resp. omninò esse rationabilem, si consideretur in facto esse, licèt in fieri spectata non sit rationabilis. Nam in *facto esse* supponitur adesse consensus Legislatoris in Consuetudinem; quô suppositô, Lex præcedens jam abrogata, & actus, contra illam Legem positus, est licitus. *In fieri* autem est Consuetudo irrationabilis; idque nullatenùs officit, quò minùs in effectu fiat rationabilis, dum actus introducentium non habent se ut causa efficiens, sed con-
54 ditio, sinè qua Consuetudo non nascitur. Posset etiam responderi, Consuetudinem debere esse rationabilem, hoc est, à Jure Divino, Naturali, aut Positivo specialiter non reprobatam, juxta decisionem Rotalem in *n.* 46. Cui similis extat in *p.* 19. *tom.* 2. *dec.* 560. *n.* 10.

55 Dices II. Consuetudo debet esse legitimè præscripta *cap. ult. de Consuetud.* Ergo debet esse bonâ fide munita.

Resp. neg. conseq. Quando Consuetudo dicitur legitimè præscripta, illa propositio hunc sensum continet, quòd debeat habere omnes conditiones, ad sui complementum à Jure præscriptas. Illæ autem conditiones sunt totô Cœlô diversæ à conditionibus præscriptis, uti in *nu.* 12. insinuavimur.

56 Colliges: in dubio Consuetudinem præsumi rationabilem, si à Lege positivâ specialiter non sit notata & præscripta: quia etiam Lex in dubio præsumitur esse rationabilis ex *cap.* 1.*n.*62. Si verò à Lege positiva specialiter sit notata, tunc præsumptio stat pro Lege contra Consuetudinem. Suarez *d. lib.* 7. *cap.*6.*n.*15. Castropalao *d.punct.*2.§.1.*n.*6. Rottenheusler *cit.tit.*2.*n.*19. *&* 20.

§. II.

De Frequentia Actuum.

57 Secunda conditio Consuetudinis est Frequentia seu multiplicitas actuum. De hac variè sentiunt Doctores, dum aliqui decem; alii plures; non pauci unum tantùm vel duos actus valde notorios requirunt. Contra quos

58 Dico I. Neque unus, neque duo actus, quomodocunque notorii, sufficiunt ad Consuetudinem introducendam. Rota Rom. *p.*3.*dec.*454.n.4.*p.*10.*dec.* 59.*n.*15.*p.*12.*dec.*304.*n.*21.*in recentior.* Suarez *lib.*7. *cap.*10.n.5. Palao *d.punct.*2.§.3.*n.*3. Haunold *cit.tr.*1. *n.*138. Harpprecht ad *d.* §. *finè scripto* 9. *Inst.de J.N.G & C.n.*30. P. Wiestner *d.l.n.*16. P. Rottenheusler
59 *q.*2.*tit.*2.*n.*46. Ratio est I. quia in *d.*§.*finè scripto* 9. *Inst.de J.N.G.& C.l.de quibus* 32.§.1.*& l.seq.*33.*ff.de LL.l.præses* 1.*& l.seq. Cod. Quæ sit longa Consuet.* ad Consuetudinem diuturni, frequentes, longævi actus desiderantur. Sed, salvâ proprietate vocabuli, unus vel duo actus nequeunt dici diuturni, frequentes, & longævi, sed potiùs pro actibus, rariùs evenientibus, habentur. *l. Jura* 3.*&* 3. *seqq.ff.de LL.* Ergo &c.

Neque dicere possis, actus debere esse diuturnos, 60
frequentes, & longævos virtualiter, quales esse censentur, qui sunt notorii, diuque durantes, uti v. g. est ædificatio pontis vel collatio beneficii; non autem formaliter & numericè.

Contra enim est: tum quia diuturnitas & frequen- 61
tia actuum in Consuetudine opponitur in *cit. LL.* Legi quà tali: ergo debet opponi formaliter, non virtualiter: cùm etiam Lex hoc sensu virtualiter multiplices actus requirat, quòd publicè affixa & promulgata semper, omnibus, & continuò loquatur: tum quia actus, quantùmcunque notorius, semel tantùm aut bis positus, in communi discursu & usu Juris non dicitur frequens *l.* 6. *ff. de LL.* tum quia exempla de ponte & beneficio prorsus extra rhombum vagantur: eò quòd magis ad Præscriptionem
quàm Consuetudinem referri debeant. Nam ædifi- 62
catio pontis, semel aut bis à populo, jubente Principe, facta, constituit Principem in quasi possessione juris proprietatis, quò populum sibi devinctum habet, ut deinceps quoque pontem sumptibus propriis ædificet. Collatio beneficii verò, ab eo exercita, qui jus conferendi non habet, constituit illum in quasi-possessione juris conferendi; &, si tempus, ad Præscriptionem requisitum, in hoc & priori casu compleatur, completur quoque præscriptio, & acquiritur jus proprietatis, non Legale: hoc enim tendit ad bonum communitatis quà tale, dátque regulam & normam honestæ operationis toti communitati quà tali communem: illud verò jus privatum in bonum privatum communitati quà privatæ confert.

Ratio est II. quia pluralitas actuum ideò deside- 63
ratur, ut constet de consensu populi in Consuetudinem per *l.sed & ea* 35.*ff.de LL.* ibi: *quæ longâ Consuetudine probata sunt.* Sed vix apparet possibile, quòd de consensu communitatis ex uno vel duobus actibus constare possit: quòd enim unâ vel alterâ tantùm vice fit, cùm ex pluribus causis fieri possit, & soleat, non arguit animum vel cassandi obligationem anterioris Legis, vel inducendi obligationem novæ Legis.

Videtur quidem nonnullis servire pro adverso 64
dogmate, quòd ex geminatis actibus Consuetudo peccandi inducatur per *cap.ult XXV.q.*2. Sed videtur tantùm. Nam ipse Pontifex Gelasius in recitato textu in *verb. velut usus & Consuetudo*, improprietatem dictionis, & Consuetudinis impropriam acceptionem indicat. Et aliunde tritum est, habitum, sive vitiosum, sive virtuosum, non nisi ex actibus frequentatis comparari.

Dico II. Neque decem, neque plures actus præ- 65
cisè ad Consuetudinem postulantur, sed tot sufficiunt, quot prudentis Judicis arbitriô communem populi consensum arguunt. Menoch. de *Arbitrar. Jud. Quæst.lib.*2.*cent.*1.*casu* 81.*n.*4. Harpprecht *d. l. num.*31. Reverendiss. D. Kimpfler *cit.p.*2.§.4 *n.*4. P. Engel ad *tit. de Consuetud.n.*8. Magnif. D. König ad *tit.cit.*n.7. Clariss. D. Chlingensperger ad *tit. Instit. de J. N. G. & C. quæst.* 16. Sic videtur intelligenda esse *l.præses* 1. *Cod. Quæ sit longa Consuet.* ibi:
cautâ cognitâ statuet. Ratio est: quia Jura certum 66
actuum numerum neque definierunt, neque definire potuerunt: cùm pro varietate materiæ plures aut pauciores actus exigantur, ad dignoscendum populi consensum. In his verò, quæ Jure determinata & certa non sunt, ad arbitrium Judicis recurrere solemus *l. si servus* 1. §. *ult. ff. de Jure delib. l. mora* 32. *in princ. ff. de Usur. l. continuus* 137. §. 2. *ff. de V. O. l. de his* 1. §. 1. *ff. de Effractor. l. neque Leges* 10. *n.* 3. *seqq. ff. de LL.*

§. III.

De Diuturnitate Temporis.

67 Tertia Conditio ad Consuetudinem perficiendam est Diuturnitas Temporis; in qua assignanda mirum in modum discrepant Aa. uti perspicere licet apud Lessium de *J. & J. lib.2. cap.6. dub.* 14. *num.*45. & *seq.* Engel ad *tit. de Consuet. n.*14. Harpprecht *l. cit. n.*38. Fons dissensionum ex *cap. ult. de Consuetud.* scaturit, ubi, dum Pontifex vult, Consuetudinem legitimè præscriptam esse debere, multi existimant, idem tempus in Consuetudine & præscriptione, adeóque diversum pro diversitate circumstantiarum utrobique statutum esse. Sed

68 Dico I. Non idem tempus in Consuetudine & præscriptione statutum est. DD. posteà referendi. Ratio est: tum quia præscriptio & Consuetudo summoperè differunt ex *num.*12. tum quia *cit. cap. ult.* longè aliam præ se fert significationem ex *nu.* 55. tum quia Consuetudo contra Legem Ecclesiasticam, haud aliter atque præscriptio contra Ecclesiam, deberet esse 40. vel 100. annorum; vel temporis immemorialis: quod satis incommodum & durum est.

69 Dico II. Pro Consuetudine non est certum in Jure tempus expressum, sed prudentis Judicis arbitrio relictum. Kimpfler *cit. num.*4. P. König *cit. loc. num.* 9. Joannes Philippus Braun ad *cit. tit. conclus.* 1. *pag.*40. Chlingensperger *cit. loc. quæst.* 18. D. Franz *cit. l. n.* 15. Harpprecht *d. l. nu.*40. Lauterbach ad *tit. ff. de LL.* §. 35. Eckold ad *eund. tit.*
70 §. 22. Ratio est: quia Jura in *l. de quibus* 32. §. 1. *ff. de LL.* inveteratam; in *l. Consuetudinis* 2. *Cod. Quæ sit longa Consuet.* longævam; in *l. item eorum* 6. *in pr. ff. Quod cujusc. Universit. nom.* perpetuam; *in l. ult. Cod. de Privileg. Scholar.* vetustissimam appellant Consuetudinem; quod signum est, certum
71 tempus in Jure non fuisse determinatum. Sicque, ut in *num.* 65. de frequentia actuum diximus, ita de diuturnitate temporis arbitrabitur Judex, tantúmne spatium effluxerit, ut consensus populi prudenter jam præsumi possit. Et in rebus quidem non adeò magni momenti aut præjudicii judicare poterit, Consuetudinem, decenniô à populo continuatam, firmam esse & validam. Rota Rom. in *recent. p.* 4. *tom.* 2. *dec.* 214. *num.* 2. ubi in materia præcedentiæ decennii consuetudinem sufficere, resolvit; item *p.* 5. *tom.*1. *dec.* 124. *num.* 13. ubi probationem decennii requisit. In gravioribus autem negotiis majus tempus spectabit. Harpprecht *ubi supra* cum Menochio & pluribus ibid. enumeratis. Rota *p.* 2. *dec.* 611. *num.* 3. *p.* 4. *tom.* 1. *dec.* 274. *num.* 1.

§. IV.

De Consensu Communitatis.

72 Quarta Conditio ad Consuetudinem est consensus communitatis *l. diuturna* 33. *l. sed & ea* 35. *ff. de LL.* §. *sine scripto* 9. *Instit. de J.N.G. & C.* Non quidem totius, sed majoris partis: cùm in aliis quoque negotiis, ad universitatem spectantibus, majoris partis consensus trahat ad se minorem *l. quod major* 19. *ff. ad Municipal. cap. cùm in cunctis* 1. *de his quæ fiunt à majori parte cap.* D. Kimpfler de *Consuet. p.* 1. §.2. *n.*5. Harpprecht jam *d. l. n.* 41. Ut verò consensus communitatis ad Consuetudinem concurrat, plura sunt necessaria; quæ breviter enumero, &

73 Dico I. Consensus communitatis debe esse voluntarius, ac cum animo & intentione introducendi Consuetudinem conjunctus, ita ut tacitè judicet populus, obligationem sibi convenientem vel non convenientem esse. D. Kimpfler *d. p.* 1. §. 3. *num.* 2. Pettschacher *d. quæst.* 6. *artic. un. pag.* 190. Engel de *Consuetud. num.*4. D. Franz *cit. l. nu.* 16.
Ratio est: quia actus agentium non operantur ultra 74
eorum intentionem *cap. fin. de Præbend. l. non omnis* 19. *ff. de R. C.* Ergo neque actus communitatis operantur aliquam Consuetudinem, nisi sint voluntarii, & conjunctam habeant intentionem introducendi Consuetudinem. Hinc in *l. de quibus* 32. 75
§. 1. *ff. de LL.* Consuetudo dicitur *judiciô populi recepta*; in *l. sed & ea* 35. *ff. eôd.* dicitur *tacita civium conventio*; & in §. *sine scripto* 9. *Instit. de J. N. G. & C.* dicitur, quòd *diuturni mores, consensu utentium approbati, Legem imitentur.* Ex quo

Infertur I. actus, ex devotione, liberalitate, ac mera facultate per longum quoque tempus positos, nullam Consuetudinem generare, ad eum morem, quô in *tract. de Præscript. cap.*4. §. 3. de actibus meræ facultatis docebimus, quòd ex illis non oriatur præscriptio. Unde, quæ ibi de præscriptione habentur, huc ad Consuetudinem, servatâ proportione, trahenda sunt. Rota Rom. *p.* 2. *decis.*151. *n.* 6. & *p.*18. *tom.*2. *dec.*820. *n.*17. & *seq.* 76

Infertur II. actus, metu extortos, aut ex ignorantia vel errore per annos diuturnos exercitos, non inducere Consuetudinem. Nam & metus, licèt voluntarium non tollat simpliciter, minuit tamen, tollitque intentionem, Consuetudinem introducendi; & error, qui consensui extremè est oppositus *l. si per errorem* 15. *ff. de Jurisdict. l. nihil consensui* 116. *in pr. ff. de R. J.* caret animô, vel novam Legem producendi, vel veterem abrogandi. Rota *p.* 3. *dec.*616. *n.*3. 77

Infertur III. in dubio, an adfuerit animus introducendi obligationem, nec ne? Attendendum esse, an Consuetudo tendat ad obligandum, vel ad liberandum. Priore casu animus introducendi obligationem non facilè præsumitur adesse, nisi forsitan res gravis ac multùm ardua sit, & simul à majori parte populi uniformiter observata. Posteriore casu animus ad inducendam Consuetudinem faciliùs adesse censetur: cùm homines æquè ac Jura longè proniores sint ad liberandum, quàm obligandum *l. Arianus* 47. *ff. de O. & A.* Kimpfler *part.* 2. §. 3. *num.* 4. 78

Dico II. Consensus communitatis debet haberi per actus publicos, notorios, non tamen judiciales. Prima pars educitur ex eo, quòd actus clandestini nequeant devenire in notitiam communitatis, ejusque consensum indicare. Franzkius ad *tit. de LL. n.* 110. Lauterbach *ibid.*§.38. Eckold *eôd. tit.* §. 22. 79

Altera pars, quòd actus non debeant esse judiciales, est Panormitani ad *cap. Abbate* 25. *de V. S. n.*16. Gailii *lib.* 2. *Observat.* 31. *num.* 8. & aliorum præstantissimorum Virorum, ex ratione: quia actus extrajudiciales non minùs quàm judiciales populi consensum in Consuetudinem ostendunt: prout innuit JCtus Calistratus in *l. nam Imperator* 38. *ff. de LL.* ubi Consuetudinem manifestè separat à rebus 80
judicatis, eique vim Legis tribuit. Certè, cùm 81
Consuetudo nequeat in judicio probari, nisi antecedenter per actus extrajudiciales fuerit perfecta: non video, quomodò per actus judiciales primùm suam perfectionem consequatur.

Neque obloquuntur textus in *l. cùm de Consuetudine* 34. *ff. de LL. & d. cap. Abbate* 25. *de V.S.* Enimverò *d. l.*34. loquitur de probatione Consuetudinis, quæ expeditiùs & securiùs institui non potest, ac si quôdam præjudiciô & sententiâ judiciali probata 82
Consuetudo supponatur. In *cap. Abbate* agitur 83
de

de electione, quâ per tempus 40. annorum Religiosi Monasterii Sancti Silvani Alciatensi. semper elegerunt Abbatem ea Monasterio S. Bertini; in qoo casu, cùm de jure proprietatis fuerit quaestio, non Consuetudo, sed praescriptio erat necessarie. Adde, qoòd verba illa: *contradictoriò judiciò obtentum*, velut tantùm narrativè, non decitivè posita, in decisione non fuerint attenta, sed praescriptio ut legitima sit agnita, tametsi meri actus estrajudiciales praecesserint.

84 Dico III. Consensus communitatis debet esse continuus & non-interruptus. Colligitur es *l. ult. Cod. Qua sit longa Consuet.* ubi Imperator vult, ut Consuetudo *tenaciter servata* sit. Quod nihil est aliod, quàm Consuetudinem sinè interruptione con-
85 tinuatam esse. Ratio est: quia consensus communitatis ex nullo capite clariùs deducitur, quàm ex uniformi & continuâ operatione. Et è contrario nil magis dissensum communitatis propalat, quèm actuum difformitas & interrupta operatio. Rota Rom.
86 *p.1.dec.65.n.13. & seqq.* Qua de causa eadem Rota *p.18. tom.1. dec. 53. n.7.* tenuit, Consuetudinem destrui per unicum actum in contrarium, etiamsi mille favorabiles praecesserint. Similia habet *d. p. tom.2. decis.820.n.22.* & *p. 3. dec. 112. n.5.*
87 Quòd si tamen Consuetudo, vel jam firmata, vel primùm inchoata sit, non nocebit actuum interruptio. Nam Consuetudo, jam firmata, jam habet suam perfectionem & subsistentiam Juridicam: Consuetudo verò, primùm inchoata, nequit ab universo populo, nô in varia capita, sie in varias sententias diviso, aequali modô observeri. D. Kimpfler *cit. l.* P. König *num.*8. P. Rottenheusser *q. 3. tit.3. n. 47.* Lauterbach ad *cit. tit.* §. 39.

SECTIO III.

De Effectu, Probatione, & Impedimento Consuetudinis.

SUMMARIA.

88. *Indicatur effectus Consuetudinis juxta Legem.* 89. *Praeter Legem.* 90. *Et contra Legem.* 91. *& seq. Explicatur* cap. ult. h. t. 93. *& seqq. Consuetudo contra Legem non patitur extensionem.* 96. *& seqq. Bene tamen Consuetudo juxta vel praeter Legem.* 101. *& seq. Consuetudo est probanda.* 103. *Per testes.* 104. *Non tamen unum.* 105. *& seq. Etiamsi sit Doctor excellens.* 107. *Probatur etiam per scripturam.* 108. *Consuetudinem impedit Juris resistentia.* 109. *& seqq. Docetur, in quibus casibus à Jure reprobetur Consuetudo.* 115. *& seq. Reprobata Consuetudine non censetur reprobata immemorialis.* 117. *& seqq. Neque futura, si cesset ratio prohibitionis.*

§. I.

De Effectu Consuetudinis.

88 Effectus Consuetudinis, in *n. 6.* jam intimatus, est talis, qualis effectus est alicujus Legis. In specie effectus Consuetudinis juxta Legem (licèt pro legitima specie juxta *nu.* 69. non agnoscatur) est declaratio & interpretatio Legis praeexistentis, de qua in *tract. praamb. cap.3.n.33. & seqq.*

89 Effectus Consuetudinis praeter Legem est, quòd novam obligationem ponat in materiam, quae priùs obligationi non substabat: sive deinde sit obligatio ad solam culpam, vel ad solam poenam, vel ad utramque; ergumentô eorum [illegible] per moltas paginas scripta sunt in *cap. r. sel*[illegible] *er* 101. Clarissimus P. Schmalzgruebar ad *tit. de Consuetud. num.* 19.

Effectus Consuetudinis contra Legem est, quòd 90 illius existentiam & obligationem tollat, aut ex toto, aut ex parte, adimendô scilicèt vel poenam, vel culpam, vel utramque; vel etiam ex Lege irritante faciendô prohibentem, & è contrà. Magnif. P. König ed *tit. de Consuet. n.* 18.

Nec obstrepit *cap. ult. h.t.* ubi Gregorius IX. *li-* 91
cèt, inquit, *longaeva consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen est usque adeò valitura, ut vel Juri positivo debeat prajudicium generare.* Nam, si to- 92
tus legatur textus, ac verba moa sequentie prioribus connectantur, facilè licebit judicare, quòd aliam Consuetudinem non intellexerit Pontifex, quam irrationalem, aut legitimè non introductam, in verb. *nisi fuerit rationabilis, & legitimè praescripta.*

Quaetes: otrùm Consuetudo patiatur extensio- 93
nem de loco ad locum, de persona ad personam, de casu ad casum?

Resp. I. Consuetudinem contra Jus non admittere telem extensionem. Card. de Luca de *Benefic. disc. 83.n.8 disc. 29. n.3. & 30. n.12.* Rota Rom. *in recent. p. 1. decis. 504. num.4. p.4. tom.2. decis 94.n.5. & tom.3. decis. 629. num. 18. & dec. 728. n. 28. p. 5. tom.2. dec.513.num.17.p.5. tom 2. dec.418. n.9.p.18. tom.2. dec.820.num.20.* Ratio est: quae ejusmodi 94
Consuetudo hoc ipsô, qoòd recedat è Jure Communi, nimiùm est odiosa: proindeque non extendenda, sed, quantum est possibile, restringenda *arg. cap. odia 15 cap. quae à Jure 28. de R.J. in 6 l. quod verò contra 24. ff. de LL.* Et in hoc intellectu Ab- 95
bas in *cap. cùm olim 6. h. t. n. 7.* eumque secutus P. Reiffenstuel ad *eund. tit. n.* 164. interpretantur textum in *l. Consuetudinis 2. Cod. Quae sit longa Consuet.* dum enim ibidem dicitur, quòd, licèt Consuetudinis non sit perva authoritas, *non tamen usque adeò valiturâ sit, ut vincat Legem*; per Legem intelligunt universalem seu Jus Commune, quod quoad alia loca manet intactum, esto in uno vel altero per Consuetudinem sit limitatum.

Resp. II. Consuetudinem juxta & praeter Jus 96
Commune, cùm odium Juris non habeat sibi oppositum, eâdem ratione extendi posse, quâ extenditur Lea per *l. praeses 1. Cod. d. t.* ubi praeses provinciae jubetur ad ea, *qua in oppido in eodem controversiarum genere frequenter servata sunt*, attendere. P. König *sub cit. num.* 18. Unde revidenda erunt, quae superiùs in *tr. praeamb. cap.3. à n.59.* dicta sunt. Hèe ratione in *d. cap. cùm olim 6. h. t.* statuitur, ut, 97
si nove erigatur dignitas, officia, eidem assignande, regulentur juxta Consuetudinem vicinarum Ecclesiarum aut Civitatum. Similiter in *cap. super eo 2 s.* 98
de Censib. quoad visitationem & procurationem Canonicam aliarum provinciarum observantie pro norma praescribitur. Pariter in *cap. super eo 3. de Co-* 99
gnat. spirit. pro dignoscendo cognationis spiritualis impedimento Metropolitanae Ecclesiae vel aliarum circumjacentium Consuetudo suadetor. De- 100
mum, si non appareat, quis fuerit moa apud Ecclesias inferiores, totissimè recurritur ad Ecclesiam Romanam *cap. nolue 3. cap. quis nesciat 22. Dist. 11.*

§. II.

De Probatione Consuetudinis.

Consuetudinem, cùm in facto consistet, specifi- 101
cè probandam esse, patesfit ex *d. l. praeses 1 Cod. Quae sit longa Consuet.* & ratione Juris, quae docet, facta non praesumi, sed probari debere *arg. cap. licèt 1. de Constit. in 6.* Rota Rom. *in recent. p.4. tom. 3. decis. 722. num. 8. p. 11. decis. 209. num. 4. &*

102 *dec.355.n.19.p.14. decis.355.num.5.* Probatur au-
tem optimè per actus judiciales, seu præjudicia, &
res judicatas juxta dilucidum textum in *l. cùm de*
34. ff. de LL. ibi: *cùm de Consuetudine civitatis vel*
provinciæ confidere quis videtur, primùm quidem il-
lud explorandum arbitror, an etiam contradictô ali-
quando judiciô Consuetudo firmata sit.

103 In defectum actuum judicialium fit probatio per
testes; qui, si duo saltem, & omni sint exceptione
majores, nec solùm attestentur, se ita vidisse & au-
divisse observari in loco, sed etiam rationem tem-
poris, frequentiæ actuum, & assensus communita-
tis, & eorum, quæ requiruntur ad Consuetudi-
nem, reddant, plenissimè probant. Rota Rom. *in*
recens. p. 1. decis.255. n. 4. p. 3. decis. 454. n.4. p. 12.
dec. 156. num. 31. & seq. & dec. 278. n. 3. p. 15. decis 44.
num. 2. Mascardus de *Probation. Conclus. 424. num. 2.*
& 6. Rottenheusler *cit. quæst. 7. tit. 2. n. 38.* Reiffen-
stuel *h. tit. num.* 178. Clariss. P. Schmalzgrueber
ibid. n. 34.

104 Per unicum testem eò minùs probatur Consue-
tudo, quò minùs est credibile, quòd ex universo
populo, cujus majori parte consentiente debet con-
valescere, nullus alius introductæ Consuetudinis
habeat notitiam; nisi forsitan esset antiquissima, &
hominum memoriam excedens *arg. l. si arbiter 28. ff.*
105 *de Probat.* Schmalzgrueber *d. l.* n. 36. Et licèt te-
stis sit excellens aliquis Doctor; attamen non pro-
bat ampliùs quàm præsumptivè, quatenùs meliùs in-
telligit, quænam conditiones ad Consuetudinem re-
quirantur. Rota *p. 10. decis. 99. num. 14. & p. 16.*
106 *decis. 404. num. 2.* Nam ea, quæ facti sunt, doctus
perinde ac indoctus nescire possunt *arg. l. in omni 2.*
ff. de Jure & facti ignor. neque, ut advertit *cit.* Rot-
tenheusler *cit. l. n.* 41. aliquis Doctor facti, sed Juris
appellari solet.

107 Probatur etiam Consuetudo per scripturas & in-
strumenta authentica, quibus juxta *l. in exercendis*
15. Cod. de Fide Instrum. eadem constat virtus &
efficacia, quæ testibus. Rota Rom. *p* 10. *dec.* 200.
n. 14. Card. de Luca *de Emphyteusi disc. 37. n. 7.*

§. III.

De Impedimento Consuetudinis.

108 Consuetudini, ne nascatur, aut propagetur, im-
pedimentum quandoque causat Jus contrarium, sive
resistentia Juris. Cùm enim ex consensu Legislato-
ris Consuetudo formam & effectum adipiscatur: ne-
quit profectò consurgere, vel continuari, si Legis-
lator per Legem aliquam Consuetudinem impro-
bet, & interdicat *arg. l. ubi Lex 24. ff. de Usur-*
pat. & usucap. Clariss. P. Wiestner *h. tit. num.* 49.
Ad intelligendum verò, quandonam Jus Commu-
ne resistat Consuetudini, præscribo sequentes re-
gulas, &

109 Dico I. Quando Consuetudo Juri Naturali vel
Divino repugnat, Jure positivô improbata est.
Textus notissimus in *cap. ult. de Consuetud.* Ratio
est: quia Jura Naturalia & Divina, cùm ab huma-
nâ Potestate mutari nequeant, nequeunt etiam ab-
rogari Consuetudine, quæ ab humana Potestate
vim omnem participat.

110 Dico II. Quando Consuetudo diminuit, vel tol-
lit immunitatem Ecclesiasticam realem aut persona-
lem, nullô tempore potest convalescere. Textus
urgentissimi in *cap. ad nostram 3. de Consuetud. cap.*
Clerici 8. de Judic. cap. non minùs 4. cap. adversùs 7.
de Immunit. Eccles. cap. quia nonnulli 1. eòd. in 6.
cap. ult. de Reb. Eccles. non alienand. cap. noverit
49. de Sentent. excommunicat. auth. cassa Cod. de SS.
111 *Eccles.* Ratio est: quia Ecclesia non potest approbare
Consuetudinem, quæ ipsimet Ecclesiæ ejusque per-
sonis adversatur. Unde, quantôcunque tempore
contra Immunitatem Ecclesiasticam quidpiam pra-
cticetur, robore caret: cùm Ecclesia continuò re-
clamet, maximè in Bulla Cœnæ, singulis annis re-
novari & confirmari solitâ: quæ, etsi à nonnullis di-
catur in Germania non recepta, attamen virtutem
indubitatam habet interrumpendi & prohibendi
Consuetudinem, quæ consensum Pontificium desi-
derat. Conferatur P. Ægidius Ranbeck in *Panoplia*
disp. 2. cap. 9. per tot. Gonzalez ad *d. cap. ad nostram*
de Consuet. & reliqua paulò ante citata, ac novissimè
Clariss. D. Wenceslaus Gallus Ozenasek *Disputat.*
Canon. de Immunit. Eccles. thesi 9. litt. c.

Dico III. Quando Consuetudo enervat disci- 112
plinam Ecclesiasticam, ac in dispendium Ecclesiarum
vergit, prohibetur ab Ecclesia. Sic in *cap. cùm in-*
ter 5. de Consuet. exauthoratur Consuetudo, quâ
Censuræ Ecclesiasticæ temerariô ausu violantur. Sic
in *cap. cùm venerabilis 7. eòd. tit.* damnatur Consue-
tudo, quâ Abbates propriâ authoritate suas Abba-
tias resignant. Sic in *eòd. cap.* junctô *cap. qualiter*
17. de Elect. non admittitur Consuetudo, quâ sinè
Superioris confirmatione Prælatus noviter electus
administrare præsumit. Sic in *cap. Consuetudinem 1.*
de Consuet. in 6. irrita pronuntiatur Consuetudo, quâ
unus Canonicus in eadem Ecclesia simul duos Per-
sonatus, aut duas Dignitates, Præposituras, Ad-
ministrationes, vel Officia habet. Ratio generalis 113
est: quia Ecclesia non posset bonum & emolumen-
tum commune promovere, si quid admitteret, di-
sciplinæ, prærogativæ, & statui suo contrarium.
Unde *Consuetudines*, ait D. noster Gregorius in *cap.*
1. de Consuetud. quæ Ecclesiis gravamen inducere di-
gnoscuntur, nostrâ nos decet consideratione removere.

Dico IV. Consuetudo quæcunque, quæ fovet 114
occasionem peccandi, bonis moribus adversatur,
aut bono communi, spirituali & politico remoram
facit, generaliter à Jure damnata est. Textus in
inscript. & nigro cap. ex parte 10. de Consuetud. Ra-
tio est: quia tales Consuetudines videntur Naturali
& Divino Juri repugnare; ideóque tanquàm irra-
tionabiles valere non possunt. Confer Passerinum ad
h. tit. in 6. & P. Pirhing ad *h. tit. X. sect. 2. §. 2. per*
tot. ubi plures ejus generis Consuetudines reproba-
tas adducunt.

Dico V. Quando Consuetudo ex alia ratione ge- 115
neralibus terminis est sublata, non censetur esse sub-
lata vel prohibita immemorialis. Rota Rom. in *re-*
cent. p. 4. to. 1. dec. 286. n. 1. & 2. Cravetta de *anti-*
quit. temp. pag. m. 287. num. 43. Covarruv. *lib. 3. Var.*
resolut. cap. 13. num. 5. Panormitan. in *cap. ult. de*
Consuetud. num. 35. Layman. *Theolog. Moral. lib. 1.*
tr. 4. cap. 24. num. 7. Joann. Honorius ad *d. tit. nu. 6.*
D. Braun *cit. l. conclus. 2. pag. 24.* P. Wiestner ad *cit.*
tit. num. 46. Ratio est: quia Consuetudo temporis 116
immemorialis habet vim & effectum privilegii, spe-
cialiter à Principe concessi, *cap. conquestus 8. IX.*
q. 3. cap. super 26. de V. S. l. hoc jure 3. §. 4. ff. de
aq. quot. & æstiv. Adeóque, nisi Princeps speciali-
ter exprimat, Consuetudinem immemorialem pro-
hibere voluisse non præsumitur *arg. cap. licèt de*
Consuetud. in 6.

Dico VI. Quando Consuetudo generalibus ter- 117
minis est reprobata: v. g. *non obstante quavis Consue-*
tudine &c. non censetur esse prohibita Consuetudo
pro tempore futuro, quô desinet ratio, ob quam est
prohibita. Zoës. ad *tit. ff. de LL. n. 81.* Palao *punct.*
4. §. 2. num. 10. Pirhing ad *tit. de Consuetud. num. 68.*
Viviani ad *cap. ult. d. tit.* P. Wiestner ad *eund.*
tit. num. 44. Ratio est partim: quia, cessante ra- 118
tione Legis prohibi[illegible], cessat etiam Lex *arg. cap.*
cùm cessante 60. de [illegible]*las.* partim quia ipsa Lex,
Con-

Consuetudinem reprobans, cùm positiva sit, per no-
119 vam Consuetudinem aboleri potest. Cætera, quæ de Consuetudine ratione objecti disputari possunt: v. g. utrùm in decimis, jure patronatus, jure eligendi &c. valeat Consuetudo? Ex *tract. de Præscript.* cætera paribus emutuanda & applicanda sunt.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Datur vera consuetudo contra Legem.* 2. *Refertur opposita ratio.* 3. & 4. *Refellitur.* 5. *An consuetudo possit introduci viâ præscriptionis? Ratio dubitandi.* 6. *Firmatur sententia negativa.* 7. & *seqq. Enervatur ratio dubitandi.* 10. *Consuetudo per actus formaliter peccaminosos introduci potest.* 11. & 12. *Proponitur duplex argumentum in contrarium.* 13. & *seqq. Utrumque convenienti responsione dispellitur.*

QUÆSTIO I.

An Consuetudo contra Legem sit vera species Consuetudinis?

1 OPinio affirmativa hôc *cap. nu.* 30. insinuata & probata est. Pro cujus confirmatione plurimùm conferunt tum feudales consuetudines, in quibus permultæ reperiuntur contra Leges Juris Civilis introductæ, nominatim in successione testamentaria & ab intestato: tum *cap. ult. de Consuetud.* ubi Pontifex supponit, consuetudini suam vim & authoritatem constare etiam contra Legem, si fuerit rationabilis & legitimè præscripta.

Dices: consuetudinem contra Legem nullum Jus
2 introducere, sed magis Jus præexistens tollere; &, si Jus novum inducat, uti sæpe contingit in consuetudinibus feudalibus, habere mixturam consuetudinis præter Legem, eòque sensu fieri legitimam consuetudinis speciem. Sed

3 Contra est: partim quia consuetudo, etsi Jus nullum positivum de novo introducat, introducit tamen Jus permissivum ac libertatis naturalis restitutivum, quod pro genuina Juris Legalis specie agno-
4 vimus in *cap.* 1. *n.* 73. partim quia, si Jus novum positivum introducat, non assumit in consortium consuetudinem præter Legem, sed manet & operatur tanquam consuetudo contra Legem, dum Jus aliud, priori è diametro contrarium, in Rempublicam invehit, abrogandô v. g. Clericis & fœminis jus succedendi, quod ex dispositione Legum Civilium habeant.

QUÆSTIO II.

Detúrne aliqua Consuetudo, quæ viâ præscriptionis introducitur?

Volunt aliqui, quòd sic: vel quia in *cit. cap. ult.*
5 *de Consuetud.* requiritur, ut consuetudo sit *legitimè præscripta*: vel quia Jus, quod cæteroquin acquiritur mediante præscriptione, acquiritur etiam con-
6 suetùdine. Quia tamen præscriptio multis parasangis distat à consuetudine, uti ostensum in hoc *cap. n.* 12. & *seq.* ac in *tract. seq. de Præscript. cap.* 1. *n.* 39. & *seqq.* non video, quomodò utraque in unam naturam coalescere, & consuetudo viâ præscriptionis consurgere valeat.

7 Nec obest *cit. cap. ult.* quia illa verba *legitimè præscripta*, debent intelligi eôdem modô ac *legitimè introducta*, vel suis conditionibus, à Lege præscriptis, instructa: cæteroquin, cùm verba sint generalia, ad omnem omninò consuetudinem extendi, sicque omnia consuetudo præscriptione introducta dici
deberet. Neque etiam obest adducta ratio: quia 8
cæteris paribus quidem negari nequit, jus, quod paritur præscriptione, etiam consuetudine comparari posse: sed exinde nil minùs conficitur, quàm quòd consuetudo acquiratur viâ præscriptionis: nam etiam unum idemque jus v. g. ususfructus potest acquiri præscriptione, consuetudine, pactô, testamentô, vel successione ab intestato: & tamen nemo inferet, quòd pactum, testamentum, vel successio ab intestato coincidant cum consuetudine vel præ-
scriptione. Profectò ipsimet Authores contrarii 9
vix dicere audent, consuetudinem, viâ præscriptionis acquisitam, esse speciem præscriptionis propriam & strictè talem: indeque, cùm reipsâ non ponant novam & propriam consuetudinis speciem, potiùs de nomine quàm effectu certare convincuntur. Malim igitur novam hanc speciem dissimulare.

QUÆSTIO III.

Utrùm Consuetudo contra Legem possit introduci per actus formaliter malos?

Docui *hoc cap.* à *n.* 48. cum multis, Consuetu- 10
dinem posse introduci per actus formaliter malos; ex ratione autem subjuncta videtur deduci, consuetudinem contra Legem non posse aliter consurgere, quàm si actus formaliter mali præcesserint: utpote cùm exerceri debeant ex scientia Legis præexistentis, cum intentione illam abrogandi: alioquin actus erronei & involuntarii sufficerent ad eam consuetudinem contra dicta *d. cap.* à *n.* 73.

Verùm oppones I. rariùs hôc modô consuetudi- 11
nem contra Legem invalescere: quia rariùs accidit, ut tota communitas aut major ejus pars longô tem-
pore scienter contra Legem peccet. II. non esse 12
necessarium, ut communitas specialem notitiam constitutæ Legis habeat, sed sufficere notitiam generalem aut præsumptam: quippe cùm principaliter ex consensu Legislatoris convalescat, tametsi generalis & non specialis aut personalis sit.

Resp. ad I. non adeò rarum esse, ut tota com- 13
munitas aut major ejus pars longô tempore contra Legem scienter peccet: cùm sæpiùs Legem, quam sibi non adeò convenientem existimant, plurimi de communitate acceptare renuant, studiosè contra
illam agentes. Aliàs non toties Summi Pontifices 14
consuetudines, jam diu observatas, tanquam corruptelas improbâssent: *cùm*, ut loquitur Gregorius IX. in *cap. ult. h. t. tantò graviora sint peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam.*

Ad II. Resp. discrimen esse apertum inter con- 15
sensum Legislatoris & populi: siquidem Legislator, cùm omnes mores & locorum consuetudines scire nequeat, meritò consensum generalem, in Legibus expressum, sufficere censuit: at populi notitiam & consensum specialem vel ideò desiderare potuit, & actu desideravit in §. *fine scripto* 9. *Inst. de J. N. G. & C. l. de quibus* 32. §. 1. *l. sed ea* 35. *ff. de LL.* quia nullus non populus scit aut scire debet, quas Leges sibi præstitutas habeat, quæve sibi commo-
dæ sint aut incommodæ. Nihil in contrarium 16
conferente, quòd populus sit tantùm causa instrumentalis seu conditionata: tamdiu enim Legislator, ceu causa principalis, consuetudinem per generalem consensum approbare non præsumitur, quàmdiu apertô judiciô populi aut consensu utentium recepta aut approbata non fuit; prout ex textibus mox citatis patet.

TRACTATUS II.

DE

PRÆSCRIPTIONIBUS.

Uamquàm titulus Præscriptionis in nostris Decretalibus non in Libro I. sed II. & quidem numerô XXVI. inveniatur; Præscriptionem tamen Consuetudini, in præcedenti *tract. cap. ult.* discussæ, sinè medio subnectere volui, non aliam ob causam, nisi quòd tanta sit Consuetudinis & Præscriptionis similitudo, ut non tantùm Jurium-periti vocabulum unum cum altero sæpiusculè confundant; veluti testatur Rota Romana in *Recentior. p. 3. decis.* 379. *num.* 12. sed etiam Jura subinde Præscriptionem pro Consuetudine, & è contrà Consuetudinem pro Præscriptione ponant, sicuti liquet ex *cap. querelam* 24. *de Elect. cap. cùm contingat* 13. *de Foro Compet. cap. super quibusdam* 26. *de V. S.* Meretur autem Præscriptio specialem tractatum vel ideò, quia in utroque foro quotidianas lites & controversias suppeditat.

CAPUT I.

De Natura & Varietate Præscriptionis.

Naturam & Varietatem Præscriptionis intimiùs & certiùs investigare non licet, ac si illius nomen, definitio, & divisio statim in principio dilucidetur. Idcircò moram non facio, & citra ambages ad rem venio.

SECTIO I.

De Nomine Præscriptionis.

SUMMARIA.

1. *& seq. Explicatur nomen Præscriptionis.* 7. *Synonymia subjicitur.* 8. *& seqq. Differentia, quæ olim inter Usucapionem & Præscriptionem intercesserat, subjicitur.* 21. *& seq. Hæc ferè est hodie sublata.* 23. *& seq. Homonymia Præscriptionis.*

§. I.

Etymologia Præscriptionis.

1 VEteres JCtos Præscriptionis vocabulô exceptionem designâsse, indigitat *tit. de Except. præscript. & præjud.* Vel quia exceptionibus, non minùs quàm actionibus, juxta usitatum quondam Curiæ stylum certa formula à Prætore præscripta fuit, veluti perhibet Covarruv. *in relect. cap. possessor. de*
2 *R. J. in 6. p. 1. init.* Vel quia, dum præscribere idem est, ac anteà scribere, & metaphoricè pro dictare, seu alicui præscribere accipitur, reus excipiendô dictat & præscribit actori, quomodò intentionem concipere, aut actionem sibi dari postulare debuisset, sicuti Donellus discurrit apud D. Emmanuelem Gonzalez *in Comment. ad cap. 3. h. t. n. 5.*
Vel denique quia eâdem ratione, quâ actiones in 3 factum dicuntur actiones præscriptis verbis, eò quòd res ab actore, prout est gesta, in judicium deducatur, id est, actio ex ipso facto sive re gesta præscribatur, etiam exceptiones possunt appellari præscriptiones, quatenùs adversario præscribunt, quid ei faciendum aut omittendum fuisset in actione instituenda, veluti cum Vultejo *lib. 2. de Jud. cap. 7. n. 31.* idem Gonzalez evincere conatur.

Præscriptio, sic explicata, bifariam erat accepta 4 ab antiquis. I. generatim pro omni exceptione, quæ ad elidendas cujuscunque generis actiones opponitur, uti videre est in *l. ult. ff. de Suspect. tutor. l. sed etsi* 52. §. *ult. ff. de Judic. l. prævaricationis* 3. §. 1. *ff. de Prævaricat.* in qua posteriori *l. præscribere accusatori* idem est, ac oppositâ exceptione accusatorem submovere. II. speciatim pro exceptio- 5 ne peremptoria juris, per lapsum temporis, à Lege constitutum, extincti, sicut ex *tot. tit. Cod. de Præscr. long. temp. & Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor.*
abundè liquet. Cujus peremptoriæ exceptionis is 6 effectus dignoscitur, quòd præscribens ratione temporis, à Lege determinati, agentem possit repellere ab instituta petitione rei vel juris, jam præscripti. Andreas Vallensis *ad h. t. §. 1. n. 1. & 2.*

§. II.

Synonymia Præscriptionis.

Non unô duntaxat contenta nomine Præscriptio, 7 varia sibi vocabula in Jure vendicat. Nam I. in *l. nec utilem* 20. *l. eis prætor* 23. §. 1. *ff. Ex quib. caus. major.* & alibi vocatur *usus.* II. in *l. denique* 19. *l. cùm miles* 30. *in pr. ff. eôd.* nuncupatur *possessio.* III. in *l. si inter* 24. *ff. de Donat. inter vir. & uxor.* appellatur *temporis suffragium.* IV. in *l. ult. Cod. ne Rei Domin. vel templor. vindicatio &c.* nominatur

incu-

incubatio diuturna. V. in *tot. tit. Inst. & ff. de Usucapionibus* & passim dicitur *usucapio*; circa quam
8 Adverto I. usucapionem inde sic dictam, quòd
capionem seu acquisitionem per usum denotet, dum
capere in usu Juris nostri est aliquid ita acquirere,
ut nostrum fiat, & sit manforom *l. aliud est 71. in
pr. ff. de V. S.* Clariss. D. Franz ad *tit. 6. Institut. de
Usucap. §. 1. n. 1.*
9 Adverto II. fuisse nonnullos, qui usucapionem
inter & Præscriptionem hanc assignârunt differen-
tiam, quòd illa sit rerum mobilium; hæc verò im-
mobilium duntaxat. Communiter tamen ista opinio
à DD. rejicitur: quia in pluribus Juris textibus usu-
capio ad res mobiles perinde atque immobiles in-
10 distinctè refertur. Sic enim *in pr. Inst. de Usucap.*
Imperator non aliam distinctionem inter res mobiles
& immobiles affert, quàm temporis diversitatem in
11 usucapione complenda. Sic in *l. sequitur 4. §. 22.
ff. eòd.* Paulus ediderit, fundum, propter violen-
tam possessoris expulsionem derelictum, à tertio
12 longò tempore *usucapi* posse. Sic in *l. non solùm
33. §. 3. ff. d. t.* Julianus pronuntiat, *fundum longò
tempore capi.* P. Engel ad *h. t. num. 1. in fine.* P.
Haunold de *J. & J. tract. 5. cap. 2. controv. 1. n. 155.*
Covarruv. *cit. loc. §. un. n. 2. & 3.*
13 Nec adversatur *l. un. Cod. de Usucap. transform.*
quin potiùs suffragatur proposito: quia Justinianus
expressim ibidem meminit, *in Italici soli rebus* usu-
capionem olim admissam fuisse; neque distinguit in-
ter res mobiles & immobiles quoad denominatio-
nem, sed quoad tempus, ut illæ trienniô, istæ de-
cenniô, vicenniô, vel trienniô acquirantur.
14 Adverto III. cum Clarissimo D. Arnoldo Rath.
p. m. in celebri tractatu *de Præscript. cap. 1. assert. 2.*
quatuor olim differentias inter Præscriptionem &
usucapionem intervenisse. Prima erat in rebus pos-
sessis & loco, dum usucapio in rebus mobilibus om-
nibus, & immobilibus soli Italici; Præscriptio au-
tem in rebus immobilibus, provincialibus tantùm;
obtinuit *princ. Inst. de Usucap. l. un. Cod. de Usu-
15 cap. transform.* Cujus rationem & explicationem
suggerit Bachov. *ad pr. J. d. t. nu. 4.* quòd ad po-
pulum Romanum jure quôdam occupationis domi-
nium directum prædiorum provincialium pertinue-
rit, in cujus recognitionem possessores stipendia &
tributa pendere cogebantur, utili tantùm dominiô
16 ipsis relictô. Hæc igitur prædia, quemadmodùm
modis acquirendi dominium ex Jure Quiritum, qui-
bus dominium perfectum seu Quiritarium, ut vo-
cabant, pariebatur, veluti per mancipationem,
cessionem vel nexum &c. non transferebatur; ita nec
per usucapionem eorum dominium quis nancisci po-
17 terat. Et, sicut dominium bonitarium, sive illud
utile sive aliô nomine appellemus, in detentores
transibat; ita simile dominium bonæ fidei possessor
mediante longi temporis Præscriptione acquirebat.
18 Unde altera differentia erat ab effectu: usucapio
enim tribuit verum, perfectum, & Quiritarium do-
minium, & pullulantem ex dominio rei vindicatio-
nem directam per *l. 3. ff. de Usucap.* Præscriptio è
contrà tantùm jus quoddam dominio proximum,
nec actionem directam, sed utilem (prout ex *l. si
quis emptionis 8. in princ. Cod. de Præscr. 30. annor.*
19 elucescit) & simul exceptionem parturiit. Tertia
differentia erat à tempore, quod in usucapione re-
rum mobilium annô ubique unô, & in usucapione
rerum immobilium Italicarum bienniô concludeba-
tur: in Præscriptione verò prædiorum provincia-
lium ad 10. vel 20. annos protendebatur *d. pr. Inst.*
20 *de Usucap. l. un. Cod. de Usucap. transform.* Quarta
erat à contrario, hoc est ab interruptione: nam
usucapio rerum tam mobilium quàm immobilium
non [illegible] interrumpi civiliter: Præscriptio ex
adverso per litis contestationem censebatur inter-
rupta. Sed de interruptione plura in *cap. ult. sect. 1.*
Adverto IV. cum eodem D. Rath. *d. cap. assert.* 21
3. & Bachovio *cit. num. 4. in fin.* post sublatam ho-
die dominii Quiritarii & bonitarii divisionem in *l.
un. Cod. de Nud. jur. Quirit. tollend.* & transforma-
tam à Justiniano usucapionem in *d. l. un. Cod. de
Usucap. transform.* nullam ampliùs differentiam vel
in rebus, vel in loco, vel in tempore, vel in effectu
inter usucapionem & Præscriptionem superesse, ita
ut res immobiles, ubicunque locorum sitæ, unà
cum plenissimo dominio longi temporis possessori
acquirantur: Sacris Canonibus maximè inspectis,
qui, attestante P. Engel, promiscuè de usucapione
& Præscriptione loquuntur; veluti præter alia ex
inscriptione tituli de *Præscriptionibus* tum X. tum
in sexto manifestum evadit. Nisi quòd in propria 22
significatione Præscriptio ab usucapione velut ge-
nus à specie distingui videatur: cùm omnis qui-
dem usucapio dici Præscriptio, non item è contrà
omnis Præscriptio usucapio appellari possit, sed ea
tantùm, quæ rerum est corporalium per *l. servus
43. §. 1. ff. de A. R. D.* ubi Cajus, *incorporales res*,
ait, *traditionem & usucapionem non recipere, mani-
festum est.* Et ideò terminus *Præscriptionis*, tan-
quàm generalior & latiùs patens, in decursu præ-
sentia tractatus continuò ferè applicabitur.

§. III.

Homonymia Præscriptionis.

Præscriptio, quatenùs includit tam exceptionem 23
quàm usucapionem, dupliciter hic accipitur. Pri-
mò *causaliter & incompletè*, pro ipsa nimirum viali
ac causali acquisitione Præscriptionis per antece-
dentem possessionem: quô in sensu Præscriptio *in-
choari, currere, impleri* dicitur in *cap. ex transmissa
10. c. ad audientiam 13. X. h. t. l. justô errore 44. §.
pen. & ult. ff. eòd.* item *interrumpi*; *interpellari,
cessare, dormire cap. cum vobis 14. c. audites 15. d.
t. l. pro donato 1. §. 2. l. qui pro donato 5. ff. Pro do-
nato.* Secundò *formaliter & completè* pro actuali 24
& perfecta dominii acquisitione, vel liberatione ab
alterius exactione, quæ post temporis prædefiniti
cursum, suppositis supponendis, adimpletur.

SECTIO II.

De Definitione Præscriptionis.

SUMMARIA.

25. & seqq. Examinantur aliorum definitiones. 30. Nostra definitio. 31. & seq. Est modus acquirendi. 33. & seqq. Quò jus vel liberationem à jure. 36. Privilegiô temporis nanciscimur. 37. Duplex objectio. 38. Duplex responsio. 39. & seqq. Plures differentia inter Præscriptionem & Consuetudinem assignantur.

§. I.

Aliorum Definitiones.

PRæscriptio definitur à variis variè. Glossa, Al- 25
ciatus, Covarruv. ad *cap. possessor. d. loc. nu. 4.*
ita definiunt: Præscriptio est exceptio, ex tempore
substantiam capiens, quæ actioni aut exceptioni ob-
jiciatur. Hanc tamen definitionem post Joannem
Andream impugnant Felinus in *pr. h. t.* & Panor-
mitanus ad *rubr. ejusd. tit. num. 1.* tum quia non ex

ſolo tempore ſubſtantiam capit Præſcriptio: tum quia cauſa finalis Præſcriptionis non exprimitur.

26 Iſti igitur Authores definiunt aliter, ac dicunt:
Præſcriptionem eſſe jus, ex tempore congruam vim
authoritate Legum capiens, pœnam negligentibus
inferens, & finem litibus imponens: eamque defi-
nitionem, tanquàm communi calculô approbatam,
refert, & ſequitur Franciſcus Balbus *tract. de Præ-*
27 *ſcr. 1. part. Princip. quæſt. 1. n. 3.* Sed iſta quoque
definitio cenſurâ vapulat à Petro Gilkenio *tract. de
Uſucap. & Præſcript. part. 1. cap. 2. num. 22. & ſeqq.*
Didaco Covarruv. *loc. citat.* & aliis I. quia nimium
prolixa & diducta videtur. II. quia principaliter in
pœnam negligentium inducta probatur; quod ple-
rique non admittunt. III. quia non ſolùm authori-
tate Legis, ſed etiam conſuetudinis, conventionis,
decretô Judicis, fatalia introducendæ appellatio-
nis, vel quid cum dilatione conſtituentis, vigorem
accipit. IV. quia nullam dominii aut juris, quod
dominio eſt proximum, ac per Præſcriptionem de-
ferri ſolet, mentionem facit.

28 D. Rath *aſſert. 1.* & plurimi ex modernis ſequuntur Modeſtinum in *l. 3. ff. h. t.* ac defendunt, Præſcriptionem *eſſe acquiſitionem dominii per continuationem poſſeſſionis temporis Lege definiti.* At non deſunt, quibus nec iſta definitio placet, atque inter hos Balbus *loc. cit. n. 1. & 2.* partim quia ad res corporales tantùm reſtricta, non etiam incorporales, non ad jura, non ad obligationes extenſa eſt: partim quia non omnis Præſcriptio poſſeſſionem deſiderat, uti poſteà videbimus.

29 In tanta & definientium & definitionum varietate, ſi candidè liceat aperire, quid ſentiam, dico, quòd neutram quidem harum definitionum improbem, neutram tamen, attentis maximè Juris, poſt tranſmutatam uſucapionem, regulis, recipiam. Prima enim Præſcriptionem, multis velut paraſangis ab uſucapione remotam, ſecundùm antiqui Juris dogmata expendit. Altera falsô laborat ſuppoſitô, quaſi nempe principaliter in pœnam negligentium Præſcriptio fuerit inventa. Tertia ſolam uſucapionem, ceu veteri more à Præſcriptione diſtinctam, explicat. Aliam itaque definitionem concinno.

§. II.

Noſtra Definitio.

30 Nempe Præſcriptio eſt modus acquirendi, quô jus vel liberationem privilegiô temporis nanciſcimur. Ita Clariſſ. Facultatis noſtræ Profeſſores, D. Joſephus Bernardus Gletle p. m. *in Inſtitut. ad h. t. n. 2.* D. Joſephus Bonaventura Franz ad eund. *tit. n. 4.* Bonitas Definitionis ex brevi ejuſdem anatomia eruitur.

31 Dicitur ergo I. *modus acquirendi.* Quæ verba
occupant locum generis, atque Præſcriptionem cum
aliis acquirendi modis pariſicant. Nec ſcrupulum
movere debet, quòd genus multò proximius afferri
potuiſſet, addendô nimirum, *eſt modus acquirendi
civilis* ad mentem Imperatoris *in §. ult. Inſt. de Uſu*
32 *& habitat.* Nam meminiſſe oportet, Juriſperitos
certare, & adhuc ſub Judice litem eſſe, rectiúſne
Præſcriptio ad modos acquirendi civiles, aut natu-
rales referatur? Quæ diſquiſitio cùm propriè ad
cauſam efficientem pertineat, nolui terminum, mo-
dò adhuc ambiguum, Definitioni attexere.

33 Dicitur II. *quô jus vel liberationem nanciſcimur.* Quibus particulis tum objectum, tum effectus Præſcriptionis indicatur, quòd nempe omnis Præſcriptio eò tendat, ut vel jus de novo naſcatur, vel jus ante præhabitum perimatur. Vel enim alterum mihi intendo facere obligatum, idque ſeu mediatè ſeu immediatè, puta rem aut perſonam mihi ſubordinandô: vel ab obligatione, quâ alteri obſtrictus ſum, extricare me cupio? Si prius; actus poſſeſſorios per tempus, à Lege determinatum, exercendô, jus reale vel perſonale pro diverſitate poſſeſſionis acquiro. Si poſterius; creditore jus ſuum quærere, & exſerere negligente, poſt completum Præſcriptionis tempus liberationem ab obligatione conſequor; ſicque in omni Præſcriptionis ſpecie vel jus vel liberatio præſcribenti accreſcit.

Quòd autem per effectum efferatur definitio, non eſt, quòd miretur quiſpiam: nam, ſi Clariſſimo & verè Magno JCto, D. Balthaſaro Braun, adſtipulari libeat, definitiones Juridicæ frequentius à modo vel effectu deſumuntur: cùm in rebus moralibus intimas & eſſentiales rerum differentias ferè ignoremus. Videatur Author iſte de *Juriſprud. p. 1. cap. 3. §. 1. n. 25.* 34

Unicum hic ex P. Engel ad *tit. de Præſcript. d. n. 1.* adnotari velim: in communi loquendi uſu, ne cenſoriâ Priſciani virgulâ caſtigemur, ſequentes phraſes eſſe uſurpandas: ut nimirum, ſi per Præſcriptionem jus alterius extinctum ſit, dativô utamur, dicendô v. g. juri, actioni, ſervituti præſcriptum eſt: ſin verò jus aliquod de novo ſit partum, nominativum vel accuſativum adhibeamus, dicendô v. g. præſcriptum eſt dominium, jus, ſervitus &c. vel præſcripſi juriſdictionem, venationem, ſervitutem &c. 35

Dicitur III. *privilegiô temporis nanciſcimur.* Quibus in terminis ſpecifica Præſcriptionis differentia cernitur, quâ à reliquis acquirendi modis ſecernitur: iſti enim non prærogativâ temporis nituntur, ſed traditione, occupatione, voluntatis conteſtatione, aut actione aliâ, ad producendum jus habili perficiuntur, prout fuſiùs declarant Interpretes *ad tit. Inſt. de R. D. & ad tit. ff. de A. R. D.* 36

Dices I. potiſſimam Præſcriptionis vim in titulo, bona fide, & poſſeſſione ſitam eſſe: adeóque earum conditionum majorem, quàm ipſius temporis, rationem habendam. II. non videri Præſcriptionem à conſuetudine diſtingui: cùm etiam conſuetudo jus vel liberationem privilegiô temporis pariat. 37

Reſp. ad I. prænominatas conditiones collectim ad Præſcriptionem quamlibet de neceſſitate non requiri, ut ſuô locô demonſtrabitur. Ad alterum dico, conſuetudinem juxta præced. *tr. cap. ult. n. 12.* à Præſcriptione ſufficienter diſcriminari per hoc, quòd illa jus legale communitati quà *tali*; hæc jus proprietatis & privatum privatis tribuat. 38

Accedunt aliæ differentiæ I. quòd Præſcriptio 39
ſit modus acquirendi, à Lege introductus; con-
ſuetudo ſit ipſa Lex non-ſcripta, tacitóque Prin-
cipis aſſenſu firmata. II. quòd conſuetudo perfi- 40
ciatur à communitate quà tali; conſtituat uſum
promiſcuum perſonis, etiam incertis & indetermi-
natis; nec alicui magis vel minùs proſit aut obſit: è
contrà Præſcriptio perficiatur à privatis, vel etiam
communitatibus, privatorum inſtar conſideratis;
obſit vel proſit perſonis certis ac determinatis, &
uni magis quàm alteri. III. quòd conſuetudo non 41
requirat tempus eſſentialiter, ſed tanquam condi-
tionem, ſine qua non poteſt in notitiam commu-
nitatis devenire; indeque certo tempori in noſtra &
veriori ſententia non ſit alligata: cùm è diametro
tempus certum ac determinatum eſſentialiter in qua-
libet Præſcriptione requiratur. Videatur Card. de
Luca de *Servit. diſc. 26. n. 7. diſc. 28. n. 6.* & de *Ju-
riſdict. diſc. 34. n. 28. diſc. 96. n. 15.* Balbus de *Præ-
ſcript. 1. p. princ. q. 10.* Covarruv. in *relect. cap. poſ-
ſeſſor. p. 2. §. 3. n. 2.* Gonzalez ad *cap. ult. h. tit. in not.
lit. e.* Gletle *1. p. Pandect. quæſt. 6. object. 5.*

Qua in re proderit duos caſus, à Rota Romana decìſos, 42

decisos afferre. Primus est, quô Capitulum aliquod à longo tempore à jure votandi in electionibus & omnibus aliis actibus Capitularibus exclusit familiares, officiales, & domesticos sui Archiepiscopi, qui dignitates, canonicatus, & portiones in eadem Ecclesia possident. Secundus est, quô Capitulum aliquem vult excludere à distributionibus quotidianis, illas sibi acquirere, & inter Canonicos ac alios Capitulares dividere. In primo casu Rota in una
43 *Hispalensis voti* tenuit, inductam fuisse consuetudinem, ut habetur in *p. 3. recent. dec. 20. per tot.* quia scilicèt non fuit acquisitum aliquod jus privatum in favorem singulorum, sed potiùs jus publicum & commune favore totius Capituli comparatum; nec ademptum est personæ certæ ac determinatæ jus aliquod, sed potiùs in genere ac indeterminatè à voto sunt exclusæ personæ, Archiepiscopo familiares &c. In secundo casu eadem Rota
44 *d. p. dec. 479. in una Burgen. distributionum* censuit, inductam fuisse Præscriptionem: utpote cùm jus privatum, singulari & certæ personæ ablatum, ac singulis de Capitulo quidpiam acquisitum fuerit.

SECTIO III.

De Divisione Præscriptionis.

SUMMARIA.

45. *& seq. Præscriptio alia est positiva, alia privativa.* 47. *& seq. Coincidit cum Præscriptione propria & impropria.* 49. *Hujus exempla.* 50. *& seq. Authores hujus divisionis.* 52. *& seq. Præscriptio alia Legalis, alia conventionalis.* 54. *& seq. Hujus exempla.* 56. *Præscriptio alia memorialis.* 57. *Alia innominata.* 58. *Alia nominata.* 59. *Alia immemorialis.* 60. *De hac moventur aliquot dubia.* 61. *& seq. Concluditur, & probatur, quòd tempus immemoriale non destruatur per notitiam de contrario, ex scripturis acquisitam.* 69. *& seq. Opponuntur aliqui textus.* 71. *& seq. Diluuntur.* 73. *& seq. Alia instantia reprimitur.* 75. *& seqq. Concluditur, & probatur, tempus immemoriale non debere excurrere ultra* 100. *annos.* 83. *& seqq. Ostenditur modus, probandi tempus immemoriale.* 90. *Explicatur, quomodò per scripturam probari possit.* 91. *& seq. Duo collectanea.*

§. I.

Prima Divisio.

45 PRæscriptio, mox definita, dividitur I. in positivam & privativam. *Positivam* voco, cujus adminiculô jus quoddam uni acquiritur, & simul alteri aufertur: sive dein dicamus, jus in altero præexistens in præscribentem transferri; sive asseramus, jus prioris domini penitus extingui, & jus simile in præscribente de novo produci. *Privativam* ap-
46 pello, quâ nullum jus in præscribentem transit, jus tamen creditoris aut domini perimitur. Præ-
47 scriptionem primi generis alii dicunt *propriam*, atque ad ejus complementum possessionem desiderant. Præscriptionem secundi generis baptizant *impropriam*, atque ad ejusdem complementum nullam omninò possessionem, sed nudum temporis lapsum,
48 exigunt. Et hic dividendi modus coincidit haud dubiè cum primo: uti enim in Præscriptione impropria non opus est possessione; ita nec in privativa: dum ad extinctionem juris in alio Jura plus non efflagitant, quàm decursum temporis, ad quod exercitium & usus illius juris erat restrictus. Libentiùs tamen assumpsi priorem loquendi modum: quia etiam Præscriptio privativa est propria illius
species. Huc pertinent plures Præscriptionum spe- 49
cies, actiones, & obligationes personales, pœnales, termini & dilationes judiciales, & denique diversæ Præscriptiones temporales, de quibus agitur *in tit. ff. de divers. temp. Præscript.*

Hanc divisionem, quamvis fortasse nonnulli ve- 50
lut exoticam & exosam explodant, præcipuè ob textus tum Juris Canonici, tum Civilis *in cap. 3. de R. J. in 6. l. sine possessione 25. ff. h. t.* in quibus Præ-
scriptio sinè possessione impossibilis judicatur: alii 51
tamen authoritate & doctrinâ graves commendant, quos inter eminent famosissimus Canonistarum antesignanus Abbas Panormitanus *ad c. ult. h. tit. nu.* 8. Arnoldus Vinnius *select. quæst. lib. 2. cap.* 6. Emmanuel Gonzalez *comment. ad cap. 3. h. t. n.* 5. Clarissimi Facultatis nostræ Collegæ D. Gletle ad *Inst. h. t. n. 3. in 2. p. Pand. q. 29. n. 7.* D. Franz ad *cit. tit. n. 5. & 11.* Horum vel nomina citâsse, pro traditæ divisionis legitimatione sufficiat, donec infrà *cap. 5. sect.* 3. argumentorum robore confirmetur.

§. II.

Altera Divisio.

Secundò dividitur Præscriptio in Legalem & 52
conventionalem. *Legalis est*, quæ ex tempore, Legibus definitô suam capit substantiam; qua de in præsenti nobis præcipuè sermo est. *Conventionalis est*, quæ ex tempore, speciali hominum conventio-
ne determinatô, vires accipit. Definitur à Samue- 53
le Stryckio, qui integrum tractatum hac de materia conscripsit, *Dissert. Francofort. vol. 1. disp. 1. cap. 2. n. 1.* quòd sit pactum contractui adjectum, sub certo temporis spatio, ante cujus lapsum vel quid ab altera parte præstandum, vel post ejus lapsum perimitur obligatio.

Locum habet in omnibus quidem contractibus, 54
sed maximè in emptione-venditione: huic namque frequentissimè adjiciuntur pacta Legis Commissoriæ, nec non Addictionis in diem, quibus individuum quasi comitem se se jungit Præscriptio conventionalis. Enimverò in pacto Legis Commissoriæ, quando partes ita inter se conveniunt, ut, pretiô ab emptore intra certum tempus non solutô, res sit inempta, Præscriptio conventionalis id operatur, ut, si emptor huic conventioni non paruerit, contractus resolvatur, & rescindatur, ac dominium ad venditorem redeat; quam in rem est famosus textus
in l. Æmilius 38. ff. de Minor. Similiter in pacto 55
Addictionis in diem, quando contrahentes ita paciscuntur, ut, si intra definitum tempus alius meliorem obtulerit conditionem, res inempta sit, Præscriptio Conventionalis vel irrevocabile dominium ex parte emptoris progenerat, si melior conditio non fuerit oblata; vel idem dominium ad venditorem transfert, si melior extiterit conditio *l. in diem 1. ff. de Addict. in diem.* Plura, qui exambit, adeat cit. Stryck *d. disp. per tot.*

§. III.

Tertia Divisio.

Tertiò Præscriptionem divido in memorialem seu 56
memorabilem & immemorialem seu immemorabilem. *Memorialem* nomino, cujus origo memoriam hominum non excedit. Hanc subdivido in nomi-
natam & innominatam. *Innominatam* describo, 57
quæ certum ac specificum nomen neque à Jure

neque

neque à Jureperitis accepit, puta quæ die, mense,
58 annô, vel bienniô concluditur. *Nominatam* dico,
quæ certam ac specificum nomen vel à Jureperitis
nacta est. Discerpitur in *Ordinariam*, seu *longi temporis*, quæ in rebus mobilibus decenniô, in rebus
immobilibus decenniô aut vicenniô circumscribitur; & *Extraordinariam*, seu *longissimi temporis*,
59 quæ 30. vel 40. annis absolvitur. *Immemorialem*
nuncupo, cujus initium excedit hominum memoriam. Circa hanc

60 Dubitatur I. an ad ejus substantiam sufficiat, si
hominum, de facto existentium, memoriam excedat; an verò præter hoc necessarium sit, ut etiam
per instrumenta vel aliunde non constet de contrario, quòd scilicèt res ante tot & tot annos ab alio,
quàm præscribente ejusque majoribus, unquam
fuerit possessa? II. an supposito, quòd sufficiat,
originem possessionis ignorari, tempus immemoriale debeat ultra 100. annos excurrere? III. & an
& quomodò Præscriptio immemorialis probari possit? Ut distinctè hæc resolvam dubia,

61 Dico I. Conceptus Præscriptionis immemorialis
non destruitur, tametsi de contraria possessione per
instrumenta vel aliunde constet, v. g. quòd possessio fundi Tusculani ante 200. annos non ad Cajum
præscribentem, sed Mævium spectaverit, dummodò
initium possessionis, modò ad Cajum pertinentis,
62 ab hominibus, modò viventibus, nesciatur. Est
communior sententia, quam post Molinam de *J. & J. l. 2. disp. 76. n. 3.* propugnant Clarissimi Facultatis nostræ Collegæ, Engel ad *tit. de Decim. §. 7. n. 30.* König ad *tit. de Præscript. n. 3.* Blumlacher
de *Servitut. prædial. cap. 3. q. 5. n. 1.* Someting *Semicent. illustr. controv. 1. decad. cont. 10. n. 6.* Franz
Jurisprud. quintupl. q. 6. n. 18. eamque sectantur Besold. *in thes. pract. v. Ritterschafft.* Stryck. de *Jurecons. dissert. 8. cap. 3. n. 14.* Clariss. D. Chlingensperger
ad *Inst. lib. 2. tit. 3. q. 18.* Clariss. P. Schmalzgrueber
63 ad *cit. tit. de Præscript. sub num. 3.* Estque eatenùs
probata à Rota, ut, si actus contrarii sint exerciti
post 100. annos, non officiant immemoriali, ut habetur in *recent. p. 3. dec. 491. n. 9.*

64 Probatur I. tum ex *l. hoc jure 3. §. 4. ff. de Aqua quot. & æst.* in qua tempus immemoriale vocatur illud, *cujus origo memoriam excessit*: tum ex *cap. super quibusdam 26. de V. S.* ubi consuetudo vocatur
immemorialis, *quæ à tempore, cujus non extat memoria, introducta est.* Quæ loquendi ratio satis
indicat, ad tempus immemoriale nihil aliud desiderari, quàm ut ejus origo sit ultra memoriam hominum.

65 Quòdsi dicas: tempus, cujus extat memoria,
non est immemoriale. Atqui temporis, cujus initium per documenta probatur, extat memoria. Ergo &c.

66 Resp. distinguendô major. tempus, cujus extat
memoria per homines, de facto existentes, non est
immemoriale, concedo major. per homines, de facto non existentes, nego major. & sic distinctâ mi-
67 nore conseq. Quando in citatis textibus agitur de
memoria, illa desumitur ab hominibus, de facto
viventibus, *da man sagt, es seye schon über Menschen-oder Manns-Gedenken*: nam homines, jam
mortui, sicut intellectum & voluntatem non habent, in ordine ad commercium humanum; ita nec
memoriam. Libri quoque, cùm æquè pro testibus
mortuis sint habendi, tempus immemoriale, de quo
nobis sermo, destruere non possunt. Id quod ulteriùs &

68 II. probatur ex absurdo. Si ad tempus immemoriale necessarium foret, ut non tantùm modernæ
possessionis initium non sciatur, verùm etiam de possessione contraria nulla penitus habeatur scientia per
libros & scripturas antiquas, sequeretur manifestè,
neque tempus, ab orbe condito præterlapsum, esse
immemoriale; neque Præscriptionem temporis immemorialis ullo in casu esse possibilem: siquidem,
ut eleganter discurrit Stryck *loc. cit.* non tantùm
infallibili Sacræ Chronologiæ testimoniô exordium
procreati mundi edocetur, sed & initia Imperiorum, Principatuum, Ducatuum, feudorum, eorundemque Jura ex vetustissimis documentis quotidie probari videntur. Hæc autem sequela est absurda. Ergo non melioris notæ est antecedens, unde
deducta est.

Inter adversæ sententiæ Fautores novissimè re- 69
censetur Clariss. P. Friderich de *Decim. sub n. 452. & seq. & n. 454.* cui in specie m famulantur partim
textus Canonici in *cap. consuetudinem 1. de Consuet. in 6. & cap. Episcopum 1. de Præscript. eôd. in 6.* ubi
tempus immemoriale dicitur, cujus contrarii me- 70
moria non existit; vel quando in contrarium memoria non existit: partim textus Civiles in *l. si arbiter 28. ff. de Probat.* ubi asseritur, tum *memoriam operis facti non extare, cùm omnium hæc est opinio, nec vidisse, nec audisse, cùm id opus fieret; neque ex eis audisse, qui vidissent, aut audissent, & hoc infinitè sursum versum*; nec non in l. *in summa 2. §. 8. ff. de Aqua pluv. arc.* ibi: *cùm quæritur, an memoria extet super facto opere, non diem, non consulem ad liquidum exquirendum, sed sufficere, si quis sciat factum, hoc est, si factum esse, non ambigitur.*

Verùm ad textus Canonicos facillimè respondet 71
P. Engel *cit. l.* sensum illorum hunc esse, *cujus initii memoria non est in contrarium*, seu *cujus initium ignoratur*, & quidem, ut memoratum in *n. 67.* per
homines, de facto viventes. Hæcque responsio ex 72
textibus Civilibus, in *n. 70.* oppositis, non mediocre sortitur robur: eò quòd memoriam facti operis
non desumant à quibuscunque documentis aut monumentis, sed à testibus seu hominibus illius temporis, quô movetur quæstio, si nempe testari possint, se nec vidisse nec audisse contrarium à suis majoribus, uti in *n. 83. & seqq.* rursus explicabitur.

Dices: quando per documentum vel instrumen- 73
tum probari potest, Jurisdictionem, modò à Sempronio usurpatam, ante annos 200. spectâsse ad Titium, utique præsumptio consurget, satis probabilis, Jurisdictionem vitiosô initiô ad Sempronium
pervenisse, & sic Præscriptioni causam non dedisse.

Resp. præsumptionem longè fortiorem esse, quòd 74
Sempronius Jurisdictionem per tot jam annos exercendô bonô inceperit initio: aliàs quippe Titius
tam longævam patientiam & silentium non exhibuisse. Confer Stryckium & D. Blumlacher *loc. cit.*

Dico II. Tempus immemoriale non debet neces- 75
sariò 100. annos excedere. Ita contra Covarr. *p. 2. relect. c. poss. §. 3. n. 9.* P. Pirhing ad *h. t. sect. 5. §. 7. n. 127.* Molinam, & alios concludunt Cravetta de *antiq. temp. pag. m. 240. & seq.* Card. de Luca de *Jud. disc. 21. n. 43. & seqq.* P. Engel *ubi supra nu. 31. & seq.* Someting *ibid. n. 4.* Schneidewein *ad h. t. §. 6. n. 35.* D. Chlingensperger *cit. loc. q. 17. circa finem.*
Ratio est I. quia Præscriptio immemorialis ex dictis 76
non denominatur præcisè à diuturnitate temporis,
sed potiùs à memoria, quando nimirum initium
possessionis vel quasi-possessionis juris decimandi
v. g. venandi, judicandi &c. superat memoriam &
recordationem hominum grandævæ ætatis, de facto viventium. Atqui initium possessionis potest explicatô modô memoriam hominum, de facto existentium, superare, tametsi necdum 100. annis fuerit
continuata: tum quia humanæ ætatis periodus bre- 77
vi admodùm terminô circumscribitur juxta effatum
coronati Vatis *in Psalm. 89. v. 9. & seqq.* tum quia
viri septuagenariô majores tam expeditâ, fœcundâ,
& expolitâ rarissimè pollent memoriâ, ut eorum,

quæ

quæ tempore infantiæ contigêre, exactè reminiscantur. Ergo 100. anni præcisè ad Præscriptionem
78 immemorialem non requiruntur. Ratio est II. quia, ut bene argumentatur Cravetta *cit. l. n. 6.* neque Jura exposcunt 100. annos, ubi de Præscriptione temporis immemorialis sermo incidit; neque exposcere prudenter voluerunt: quandoquidem Romanæ Ecclesiæ, tanquam speciale privilegium, centenariam Præscriptionem indulserunt: eveniret enim non semel, inferiores Ecclesias magis esse privilegiatas, quàm Romanam, dum contra hanc 100. annorum Præscriptio curreret, contra illas verò in pluribus casibus sola Præscriptio immemorialis, ultra 100. annos protensa, procederet. Ne igitur aut sinè Lege, aut contra Legem etiam loquamur, dicamus, necesse est, Præscriptionem immemoria-
79 lem cum centenaria commune nil habere. Ratio est III. quia plerique DD. ad probationem temporis immemorialis solummodò requirunt, ut testes de 40. annis deponant: quod planè non sufficeret, si tempus immemoriale deberet excurrere 100. annos, ut arguit *cit.* Cravetta *n.* 3.

80 Objiciunt equidem Adversarii I. quòd Præscriptio centenaria requirat titulum per *cap. si diligenti* 17. *h. t.* adeóque quòd immemorialis, cùm tituló non egeat, debeat porrigi ultra centum annos. II. quòd Præscriptio hominum memoriam aliter transcendere nequeat, ac si 100. annos transcendat: cùm in *l. an usufructus* 56. *ff. de Usufructu* centum anni *finis vitæ longævæ hominis* dicuntur.

81 Verùm ad I. Resp. insistendó communibus Præscriptionis regulis in centenaria Præscriptione per se loquendo non requiri titulum: eò quòd & quadragenaria quandoque sinè titulo vim sortiatur *c. 1. h. t. in 6.* Ideóque quod ratione tituli ex *d. c. diligenti* in favorem Ecclesiæ Romanæ decretum allegatur, in consequentiam non trahendum, multò minùs eò applicandum est, ut Præscriptio immemorialis plures quàm 100. annos exposcere dicatur. Ad II.
82 Resp. esse casum ex rarioribus, si quis integrum sæculum supervivat; & ideò, quia aliàs in Jure attenditur id, quod plerumque & ordinariè solet accidere *l. 3. l. 4. l. 5. ff. de LL.* potiùs spectari communiorem vitæ mortalia terminum 50. 60. 70. annorum, quàm rariorem 80. 90. 100. annorum.

83 In eo tamen sensu contrariam sententiam recipere possum, ut, si constet de Præscriptione centenaria, præsumatur immemorialis, ut tenuit Rota *in recent. p. 3. dec.* 224. *n.* 2. quia, si constet de 100. annis, nec tamen initium sit cognitum, habetur tempus supra memoriam hominum. Card. de Luca de *Judic. cit. disc. n.* 48.

84 Dico III. Præscriptio immemorialia potest Juridicè probari; & quidem sufficienter, si 4. conditiones concurrant, quarum prima est, ut testes ad minimùm sint 54. annorum. Secunda, ut saltem per 40. annos de visu & auditu proprio testentur. Tertia, ut asserant, se à suis etiam majoribus audivisse, quòd res in statu præsenti semper extiterit. Quarta, ut asseverent, de contrario usu & observantia sibi non constare. Ita Card. de Luca ubi supra *n.* 58. *& seqq.* Antonell. de *Temp. Leg. lib. 2. cap.* 112. *n.* 1. *& seqq.* P. Engel ad *h. t. num.* 34. P. Haunold. *tract. 5. cap. 8. controv. 4. nu.* 319. Mascard. de *Probat. vol. 2. conclus.* 1042. *num.* 5. *& 6.* Chlingensperger *cit. loc.* Mynsing. *cent. 1. observ.* 30. Itáque sæpiùs pronuntiavit Rota in *recent. p. 3. decis.* 332. *num. 1. p. 4. tom. 1. decis.* 274. *num.* 2. *& tom. 2. decis.* 101. *n. 7. p. 7. dec.* 56. *num. 3. p. 10. decis.* 253. *num.* 7.
85 Ratio primi est: quòd ars, utpote simia naturæ, non deficiat in necessariis; & consequenter debeat in Jure extare modus probandi Præscriptio-
86 nem immemorialem. Ratio secundi est: quia prima, secunda, & quarta conditio videtur ad naturam temporis immemorialis, cujus videlicèt initium hominum mentes subterfugit, pertinere: nam difficulter est credibile, quòd possessio traxerit initium immemoriale, nisi producantur testes, de ejus continua duratione à 40. annis testificantes: & nisi ad minimùm 54. annos attigerint, testimonium de rebus & negotiis, durante impubertate gestis, sublestæ fidei censebitur: cùm impubes, factus pubes, de actis in impubertate non aliter testari possit, ac si tempore peracti negotii pubertati fuerit proximus, & sensum ac substantiam actorum intelle-
xerit. Magnif. P. König ad *tit. de Testib. n.* 4. Quod 87
attinet ad tertiam conditionem, ea vel maximè firmat rationem temporis immemorialis: dum ex hoc, quòd à majoribus acceperimus, possessionem usque & usque in moderno rerum articulo perstitisse, solidè inferimus, possessionis exordium nesciri per textum in *l. si arbiter* 28. *ff. de Probat.*

Quòd si duo concurrant, quorum unus immemo- 88
rialem possessionem probet affirmativè, alter negativè: unus asserat, à tanto & tanto tempore jus decimandi penès hunc Prælatum resedisse; alter id ipsum neget, pernerget; affirmativa probatio erit pluris habenda, quàm negativa. P. Pirhing ad *h. t. n.* 129. Stryckius *d. c. 3. n.* 29. & alii. Est enim axioma vulgatissimum, duobus testibus, affirmativam adstruentibus, magis credendum, quàm centum aliis, pro negativa deponentibus. Schneidewin *d.* §. 6.
num. 38. Idem tamen Stryckius *num.* 30. rectè ob- 89
servat, hoc universaliter non esse recipiendum, atque in casu, quô negativa temporis immemorialis probatio adeò foret tempori & loco coarctata, ut actus possessorius, vel semel exercitus, illos latere non potuisset, sententiam pro affirmantibus & testantibus de actibus possessoriis non præcipitandam, sed testium qualitatem ante oculos ponendam esse; monetque Judicem, ut eorum, quos omni exceptione majores perspexerit, suffragio suum conformet judicium.

Quæres: an probatio temporis immemorialis pos- 90
sit fieri per scripturam, & similia documenta?

Resp. cum Card. de Luca *cit. disc.* 21. *de Judic. n. 46. & seq.* Antonell. de *Temp Leg. lib. 2. cap.* 112. *n.* 5. posse fieri, non ut initium possessionis ostendatur, sed illius antiquitas per actus, in instrumento notatos, demonstretur. Ex quibus omnibus

Colliges I. ad Præscriptionem immemorialem duo 91
copulativè postulari: nimirum ut non constet de ejus origine; & ut non constet per homines, eô tempore, quô controversia de re vel jure præscriptibili suscitatur, viventes; nec attendi vel ad scripturas antiquas, vel homines, jam defunctos, qui non ampliùs censentur habere memoriam. D. Blumlacher
loc. cit. II. Præscriptionem immemorialem à cen- 92
tenaria multùm distare: hæc enim, ut dictum, 100. annos absolutè, ac quandoque titulum requirit: illa verò certum sibi præfixum tempus non habet, ac solummodò in vim præsumptionis 40. annorum probationem desiderat. Conferatur Hondedeus *V. 1. cons. 17. n.* 58. *& 59.* & Ockelius in *tract. de Præscript. immemor. cap. 1. th.* 11.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Insinuatur modus, probandi immemorialem.* 2. *& seq. Instantia contra annorum numerum in testibus.* 4. *Retunditur.* 5. *An testes deponere debeant de memoria suorum antecessorum?* 6. *& seqq. Explicatur, & roboratur nostra doctrina, in negativam*

gativam inclinans. 12. *& seqq. Speciatim exponitur celebris Glossa in* cap. 1. h. t. in 6. vers. memoria. 16. & 17. *Authoritate extrinsecâ firmatur nostra opinio.* 18. *& seqq. An & quo sensu requiratur probatis de fama communi?* 21. *& seqq. An admittatur probatio per scripturam?* 25. *An præscriptio immemorialis debeat excedere centum annos?* 26. *& seqq. Adducuntur verba Card. de Luca.* 29 *& seqq. Afferuntur objectiones.* 33. *& seqq. Refutantur.*

QUÆSTIO I.

Quomodò probetur Præscriptio immemorialis?

1 INd cavi modum in *hoc cap.* à *num.* 89. & in specie in testibus, de immemoriali deponentibus,
requisivi, ut sint ad minimum 54. annorum.
2 Hanc esse communem Doctorum, non inficiatur
Clariss. P. Pichler in *manipulo casuum Juridicorum*
casu 2. *prænot.* 3. nihilominùs advertit, non deesse,
qui putant sufficere, si testes sint 52. vel 51. cum
dimidio annorum: cùm ex una parte pubertati vicini, v. g. 12. annos nati, jam possint satis aliquid co-
3 gnoscere, & meminisse; ex altera verò parte Jura non disponant, ut testes de tempore immemoriali pro toto tempore, de quo ferunt testimonium, sint puberes, sicut disponunt de testibus, in
testamento solenni adhibendis, ut jam actu sint pu-
4 beres. Verùm ad hanc instantiam respondet Cardinalis de Luca *de Jurisdict. disc.* 3. *num.* 5. *&* 6.
quòd, licèt testis, major factus, possit de illis deponere, quæ cadunt sub sensum corporis, non tamen possint de aliis deponere, quæ cadunt sub judicium intellectûs, & quæ juris sunt, circa quæ
testes, quamvis non interrogati, assignare debent
concludentem scientiæ causam. Eôdem modò respondent Covarruv. *in reg. possessor. part.* 2. §. 3. n. 8.
& Hieronymus Rocca *Select. disputat. tom.* 2. *cap.*
167. *n.* 26. *& seqq.*
5 An verò testes præcisè teneantur deponere,
quòd à suis etiam majoribus audiverint, rem in statu præsenti semper extitisse? Communissimè DD.
affirmant cum *cit.* Cardinale de Luca de *Judic. disc.*
21. *num.* 60. & *de Benefic. disc.* 38. *nu.* 6. & Rocca
d. cap. num. 82. inter quos me etiam recenset P.
6 Pichler *d. casu* 2. *pag.* 45. Sed reverà id absolutè
non docui, uti patebit inspicienti mea verba in *d.*
cap. n. 89. ubi ita scripsi: „ Præscriptio immemo-
„ rialis potest juridicè probari, & quidem sufficien-
„ ter, si quatuor conditiones concurrant, quarum
„ tertia est, ut testes asserant, se à suis etiam ma-
„ joribus audivisse, quòd res in statu præsenti sem-
7 „ per extiterit &c. Et de hac conditione dixi in
„ *num.* 87. quòd ea vel maximè firmet rationem
„ temporis immemorialis, dum ea hoc, quòd à
„ majoribos acceperimus, possessionem usqoe &
„ usque in moderno rerum articulo perstitisse, so-
„ lidè inferimus, possessionis exordium nesciri per
8 „ textum in *l. si arbiter* 28. *ff. de Probat.* En!
nullibi asserui præcisam necessitatem hujus conditionis, sed, quòd in concursu aliarum conditionum sufficiat ad probandum tempus immemoriale,
juxta receptissimam opinionem, ostendi; abstrahendô ab altera qoæstione, an non etiam sufficienter probetur immemorialitas, si testis saltem deponat negativè, nempe se à majoribus suis contrarium
9 nunquam audivisse? Quin imò semper magis inclinavi in eam sententiam, quæ etiam cum negativa
depositione contenta est: partim quia persæpe accidit, ut testis, tametsi 60. vel plurium annorum sit,
neque cum majoribus suis, neque cum aliis grandævæ ætatis hominibus jam defunctis aut tempus
aut occasionem habuerit, de re, jure, vel actu, super quo ratione temporis immemorialis vertitur
quæstio, loquendi: partim quia ex labilitate memo- 10
riæ, post longam adeò intercapedinem, facilè potest
oblivisci eorum, quæ in ætate adhuc minorenni
cum senioribus ea de materia sermocinatus est: par- 11
tim quia textus Juris Canonici & Civilis, quoties
de tempore immemoriali sermo est, plus non requirunt, quàm ut de illius initio non constet, nec
memoria habeatur de contrario, uti liquet ex *cap.*
quid per novale 21. *cap. super quibusdam* 26. *de V. S.*
cap. consuetudinem 1. *de Consuet. in* 6. *cap. Episcopum* 1. *de Præscript. eôdem in* 6. *d. l. si arbiter* 28. *ff. de*
Probat. l. in summa 2. §. 8. *ff. de Aqua & aqua pluv.*
arc. l. hoc jure 3. §. 4. *ff. de Aqua quot. & æstiv.* par- 12
tim quia textus alius ex adverso adduci non potest;
& celebrata alioquin Glossa in *cit. cap. Episcopum de*
Præscript. in 6. *vers. memoria* ex parte præscribentis
non requirit, ut testes positivè de auditu majorum
testificentur: verba enim formalia illius sunt, *quòd*
dicent testes præscribentis (si talē habent conscientiā)
quòd semper viderunt & audierūt, ita esse, nec unquam
derunt vel audierunt contrarium, & quòd communis
est & fuit semper opinio, quòd sic fuerit, & quòd
non extat contrarii vel initii memoria. Id autem, 13
quod subjungit Glossa, non pertinet ad præscribentem aut Præscriptionis immemorialis probationem, sed ad eum, contra quem præscribitur, Præscriptionem improbare conantem: dicit enim: *si autem contra hoc adversarius probare vellet, testes sui*
(si de ipsorum esset conscientia) deberent dicere,
quòd viderunt tali tempore contrarium, & audierunt à suis Superioribus, contrarium ejus fuisse.
Itaque Glossa distinguit inter testes, pro præscri- 14
bente, & contra præscribentem deponentes. Ex
parte illorum requirit depositionem negativam,
quòd nunquam *viderunt & audierunt contrarium*;
ex parte illorum exposcit depositionem affirmativam, *quòd viderunt contrarium, & audierunt à suis*
Superioribus. Neque enim tempus immemoriale, 15
per testes pro præscribente negativè probatum, per
testes adversarii aliter improbari potest, ac si positivè actus contrarii, seu visus vel auditus proprius,
& à majoribus acceptus, demonstretur. Hujusque 16
mentis fuisse Cravettam de *Antiquit. temp. part.* 4.
post initium, materia ista &c. patet ex *num.* 38. ubi
refert Glossam *cit.* & dicit, probationem temporis, cujus initii memoria non extat, fieri, *quando*
testes deponunt, quòd nunquam viderunt, neque audiverunt ipsi, neque audiverunt alios vidisse aut
audivisse, aliter fuisse factum; & NB. è contra, si
agatur de probando affirmativam memoriam extare.
Et hinc Ockelius de *Præscript. temp. immemorial.* 17
cap. 12. *th.* 2. cautum refert de Jure Provinciali
Magdeburgico, ut testes deponant, tam de sua
scientia, quàm de aliorum non auditu per verba *Ordinat. Polit. cap.* 52. §. 1. ibi: *Durch das* tempus
immemoriale *vvird kein anders verstanden, als da*
niemand vvisse, gedencke, noch *von anderen gehört*
und erfahren, dass ein Ding entvveder in solchen,
oder einen anderen Zustand gevvesen, als es sich
zur Zeit dess erhobenen Streits befunden.
An etiam necesse sit, ut testes deponant de fama 18
& voce publica? Apud plerosque conformiter sæpiùs *cit.* Glossæ in *cap. Episcopum* §. *de Præscript.*
in 6. *verb. memoria* affirmativè conclusum reperio
per textum in *d. l. arbiter* 28. *ff. de Probat.* ibi: *cùm*
omnium hac est opinio, nec audisse, nec *vidisse, cùm*
id opus fieret. Verùm hæc verba non ineptè pos- 19
sunt explicari de testibus, collectivè, non verò
singulariter, acceptis, id est, quòd omnes testes,
super tempore immemoriali examinati, communiter dicant, nec audivisse, nec vidisse, cùm id
opus

opus fieret; non verò quòd quilibet in particulari deponere teneatur, esse famam & vocem publicam: cùm enim fama sit specialis modus probandi, ad eum casum pertinere videtur, quô testes nequeunt testificari de sensu proprio, sed unicè se fundant in auditu alieno, seu communi hominum opinione & sermoci-
20 natione. Deinde communiorem hanc opinionem & famam de illis intelligendam vult Stryckius de *Jure sensuum dissert.* 8.*cap*.2. *n*.21. qui verosimilitar hujus rei habuerunt scientiam, vel scire potuerunt; nec requiritur, ut de communi opinione & famâ populi deponant. Mascard. de *Probat. concl.* 1092.*n*.8. Balb. de *Præscript. p.*2. *part*.3. *princip. concl*.6.*n*.24.
21 An tempus immemoriale probetur per scripturam? Respondet idem Stryckius *d. cap*.3. *n*.22. per scripturam posse quidem initium & facti memoriam probari, vita verò non-existentiam memoriæ, ad tem-
22 pus immemoriale requisitam. Scriptura siquidem ultra actum, in ea comprehensum, non extendenda; ideóque nec aliud negotium, quàm de quo est con-
23 fecta, habebit probandi potestatem. Licèt ergo vel ante centum annos fuerit literis consignatum, jus pascendi à Titio semper fuisse usurpatum, affirmativa tantùm facti existentia evincitur, non negativa, id est, memoriam non extare in contrarium: cùm post confectum instrumentum sæpiùs alius quispiam po-
24 tuerit hoc jus sibi vindicâsse, vel usurpâsse. Posse tamen immemoriale tempus per instrumentum, saltem publicum, vel plura instrumenta antiqua probari, si ibi enuntietur immemorialitas, quòd nempe ultra hominum memoriam aliquid observatum fuerit, tenent Cardinalis de Luca de *Benefic. disc*.32.*n*.7. Antonellus de *Temp. leg. lib.* 2. *cap*.112 *n*.7. Nec contrarius esse videtur *cit.* Stryck. *n*.24. *& seq.* tenuitque Rota in *recent. p.* 10. *decis.* 168. *n*. 35. *& seqq.*

QUÆSTIO II.

An Præscriptio immemorialis debeat excedere centum annos?

25 Negativam elegi in *cap. præs. n*.75. & inter alios Authores allegavi Cardinalem de Luca de *Judic. disc*. 21. à *n*.43. Jam verò nonnemo scribere præsumpsit, se non reperire, quòd hic Author id teneat, nam *n*.48. *& seq.* dicit juxta probabiliorem ac magis receptam sententiam efficaciorem esse immemorialem Præscriptionem, quam centenariam, &, qui habet immemorialem bene probatam, dicere potest, habere quoque centenariam & ultra: & quia in hoc cadunt difficultates super principii vitio, vel infectione, magis tutam esse illam, immemorialem scilicèt.
26 Sic ille. Sed minùs rectè. Enimverò Eminentiss. iste Cardinalis *d. n.* 43. dicit, centenariam & immemorialem ab aliquibus DD. confundi, & pro synonymis haberi; attamen (ut scribit *n*. 44.) reverà sunt diversæ: „quoniam centenaria pernecessu exigit „probationem, quæ concludat tempus certum con„tinuatæ ac pacificæ possessionis ultra centum an„nos, quod per testes concludi non potest, unde „(prosequitur in *n*.45.) propterea conjunctas ha„bere oportet alias species probationis per scriptu-
27 „ras, & historias, ac inscriptiones. Immemorialis „autem (verba sunt in *n*. 46.) nullam NB. habet „determinati temporis metam, dum ista potiùs illi „opposita est, dum inter ejus requisita illud est „præcipuum, ut de initio non constet, ac propterea „potiùs abhorreat probationem per scripturas, quæ
28 „illi contrariæ sunt. Quare (subinfert in *n*. 48.) „non modica quæstio est inter DD. quænam ea„rum sit major & efficacior? Pluribus adhærentibus „centenariæ; pluribúsque immemoriali; Verùm ista „posterior opinio probabilior magisque recepta vi„detur: quoniam, licèt dari possit casus possessio„nis, excedentis memoriam hominum, quæ ad me„tam NB. annorum centum adhuc non pertingat; „attaman illa incertitudo seu exclusio principii, „quæ in hac specie Præscriptionis datur, magnum „præsidium est, dum in vi facultatis competen„tis allegandi, quidquid placet, ille, qui habet im„memorialem bene probatam, dicere potest, habere „quoque centenariam & ultra: si enim neganda est „existentia principii, ergo non datur hæc tempo„rum distinctio. E converso autem in centenaria „cadunt difficultates super principii vitio vel infe„ctione, & per consequens magis tuta dicenda est „altera. Ecce sensum Cardinalis de Luca, pro„priis illius verbis luculenter espressum!

Dices I. Jura majus privilegium tribuunt imme- 29
moriali, quàm centenariæ: ad hanc enim requiritur titulus, si præsumptio est contra præscribentem: ad illam neutiquam & nunquam: consequenter immemorialis debet esse diuturnior quàm centenaria. II.
Præscriptio immemorialis procedit etiam in reserva- 30
tis Principi; non item centenaria: proindeque plus
tẽporis concurrat, necesse est. III. juxta Covarru- 31
viam *tom.*1.*p*.2. *relect*.§.3.*n*.9. Præscriptio immemorialis concluditur, si ex adverso probatum sit, contrarium esse actum circa centum annos ante litem motam: ergo prærequirit possessionem continuam
100. annorum ante litem motam. IV. ex communi 32
DD. in *cap. cùm Apostolica de his, quæ fiunt à Prælatis &c.* quasi possessio immemorialis decimarum sufficiens est probatio, quòd ille, qui decimas tempore immemoriali possedit, eas habuerit ante Concilium Lateranense: igitur ex probatione temporis immemorialis constat possessio multò major, quàm sit ea, quæ per 100. annos obtenta fuit.

Resp. ad I. in Præscriptione centenaria, excep- 33
tô fortitan casu, quò contra Romanam Ecclesiam opponitur, titulum minimè desiderari, dum æquè ac immemorialis includit præsumptionem tituli melioris de mundo; imò allegationem tituli in centenaria potiùs dissuaderi, quàm suaderi, nisi ea cum circumspectione fiat, ut titulus non allegetur restrictivè, sed magis exemplificativè, quatenùs compatitur adhuc alium titulum & meliorem, qui, specificati tituli probatione non adimpletâ, à Jure ex cursu tanti temporis præsumatur. Card. de Luca de *Alienat. disc*.3. à *n*.16. & de *Jure Patronat. disc.*
57. *n*.30. Ad II. Resp. eandem esse virtutem Præ- 34
scriptionis immemorialis & centenariæ quoad regalia & reservata Principum jura: quoniam, ut loquitur idem Cardinalis *de Judic. disc*. 21. *n*.44. operatur etiam in iis, quæ impræscriptibilia sunt, ac
vehementem habent Juris resistentiam. Ad III. 35
Resp. doctrinam Covarruviæ *d. p.* 2. *relect. cap. possessor* §. 3. *n*. 9. eò minùs hìc attendi, quòd sit unus ex adversæ sententiæ Patronis: in nostris siquidem principiis immemorialis Præscriptio consurgere potest, etiamsi contrarium fuerit actum intra centum annos ante litem, dummodò de initio statûs vel possessionis modernæ contraria probatio afferri non possit per homines de facto existen-
tes. Ad IV. Resp. etiam ex probatione possessio- 36
nis centenariæ suboriri præsumptionem, quòd decimæ saltem post Concilium Lateranense privilegiò Apostolicô fuerint acquisitæ, si modò titulus aliquis vitiosus non ita adstruatur aut detegatur, ut alius & melior excludatur ex dictis & probatis à Card. de Luca, *cit.* in *n*. 33.

Illud porrò ex sæpe *cit.* Cardinali de *Jure Patron.* 37
d. disc. 57. à *n*. 27. Præscriptio centenaria præ immemoriali præcipuum habet, quòd possit probari per scripturam, uti deducitur in S. Rotæ Rom.
dec. 168. n. 36. *& seq. p.* 10. *recent.* ac prætereà, 38
quòd illius probatio non intelligatur præcisè de 100.

annis,

annis, sed moraliter, ita ut, si deficiant aliqui menses, vel etiam aliquis annus, adhuc adesse dicatur centenaria ex deductis per Lotterium de *Re Benefic lib.* 12. *q.* 7. *n.* 62. *cum seqq.* & de deficientia quatuor annorum, habetur *dec.* 509. *n.* 1. *p.* 5. *recent.* ubi etiam aliæ decisiones referuntur.

CAPUT II.

De Causa Efficiente & Finali Præscriptionis.

Sive, ut illorum palato serviam; quibus ejusmodi phrases Philosophicæ non arrident, Caput secundum inscribo de Jure introductivo Præscriptionis, disquisiturus deinceps, quò Jure, Naturali, Gentium, an Civili Præscriptio sit inventa? Et, quia omne agens intendit finem, eodem in capite indagabo, quæ causa, ratio, vel motivum impulerit Legis seu Naturalis seu Positivæ Conditores, hunc acquirendi modum in lucem educendi? Sit igitur

SECTIO I.

De Jure introductivo Præscriptionis.

SUMMARIA.

1. *& seq. Indigitatur utilitas quæstionis.* 3. *Eligitur sententia, Præscriptionem ad Jus Gentium referens.* 4. *& seqq. Prima illius ratio ex utilitate publica Gentium desumitur.* 8. *& seqq. Altera petitur ex communi Gentium usu & consensu.* 17. *& seq. Tertia ex divisione dominiorum.* 19. *& seqq. Expenditur authoritas Imperatoris Justiniani in* §. ult. Instit. de Usu & habitat. 24. *& seq. Præscriptio inter Regem & Regem, nec non diversorum Regnorum subditos procedit.* 26. *& seq. Præscriptio suapte natura est habilis ad dominium transferendum.* 28. *& seqq. Ante hujus assertionem prænotantur aliqua.* 31. *& seqq. Prima probatio eruitur ex tacita renuntiatione domini.* 37. *& seqq. Obstacula quædam removentur.* 43. *& seqq. Altera probatio desumitur ex titulo pro derelicto.* 50. *& seq. Instantia repellitur.* 52. *& seqq. Tertia probatio ex divisione dominiorum repetitur.* 55. *& seqq. Tres Objectiones formantur, & reformantur.* 66. *Corollarium.* 67. *& seqq. Præscriptio suam determinationem & formam à Jure Civili accepit.* 70. *& seq. Potuisset etiam hôc Jure introduci, si Jure superiori non fuisset introducta.* 72. *Corollarium.*

§. I.

Sitne Præscriptio Jure Gentium introducta?

1 Quæstio hæc non minùs ardua, quàm proficua est: ardua quidem, quia pro utraque parte Doctores, & numerò & pondere graves, reperio; proficua verò: quia ex illa dependet, possitne Rex contra Regem, Respublica contra Rempublicam Præscriptionem opponere? Si enim Præscriptionem Jure Civili introductam dicamus, solummodò inter Romani & Germani orbis subditos, non etiam Regem inter & Regem, habebit vigorem. Quamobrem scriptor quidam Gallicus in *Disser-* 2 *tat. Jurid. Francofurt. vol.* 4. *disput.* 22. *thesi* 22. relatus, intrepidè asseruit, Coronæ Gallicæ nullam omninò Præscriptionem obesse, eo ex capite: quòd Præscriptio, ceu figmentum & commentum Juris Civilis, illos non liget, non obliget, qui se Juri Civili subditos ac subjectos non profitentur. Quòd si originem Præscriptionis Juri Gentium adscribamus, perinde inter Principes atque privatos obtinebit. Meam si mentem exquiras, semper cum 3 illis sensi, qui Præscriptionem Jure Gentium introductam fuisse, docuerunt. Tales post Hugonem Grotium sunt Samuel Puffendorff de *Jure Nat. & Gent. lib.* 4. *cap.* 12. § 9. Gabriel Swederus *Introduct. ad Jus publ. part. special. sect.* 2. *cap.* 20. Joannes Bruhnem. *Comment. ad Pandectas ad h. t. l.* 2. Joann. Wolffgangus Textor in *Synopsi Juris Gent. cap.* 9. *n.* 24. Amadeus Eckoldt *h. tit.* §. 7. Ockel de *Præscript. immem. cap.* 1. *th.* 13. P. Fridericus Ininger *disput. Theolog. de Dom. disp.* 3. *q.* 2. *art.* 2. D. Philippus Braun in *Princip. Juris Canon. ad h. t. p. m.* 190. Sic etiam publicè & privatim in hac Universitate docuit Clariss. D. Collega de Wolleren, cujus ratione & fundamento

Probatur assertio I. Præscriptio est legitimus 4 acquirendi modus de Jure Civili. Ergo etiam est legitimus acquirendi modus de Jure Gentium. Probatur conseq. Ideò Præscriptio est legitimus acquirendi modus de Jure Civili, quia ratio boni publici, partim in dominiorum certitudine, partim in litium amputatione fundata, suadebat in Romano Imperio post longam possessionem certum tandem acquiri dominium. Atqui eadem publici boni ratio à fortiori suadet, inter Gentes quà tales post longam possessionem certum denique dominium acquiri: nisi enim ex diuturna possessione Regnorum, 5 Provinciarum, Urbium, iniquô sæpe titulo, injustô frequenter Marte, violentâ sæpe occupatione acquisitarum, admittamus possessoribus stabilem proprietatem, certè vix Gens, populus, aut natio ab impugnatione & infestatione bellica immunis erit. Ergo, si Præscriptio est legitimus acquirendi modus de Jure Civili, erit quoque de Jure Gentium.

Confirmatur. Salus publica privatorum saluti 6 est præferenda: eaque de causa uni potest attribui dominium, & alteri auferri. Ergo etiam salus omnium Gentium saluti hujus alteriusve Gentis in particulari est præferenda: eaque de causa Præscriptionis interventu uni Genti potest attribui dominium, & alteri auferri. Atqui de facto ex motivo salutis publicæ privatis hôc modô ademptum & adjectum est dominium. Ergo etiam de facto Gentibus inter se eôdem modo adjectum, & ademptum est dominium. Promovetur argumentum. 7 Felicitati Reipublicæ non æquè consulitur per diminutionem litium, atque per aversionem bellorum: ex eo siquidem, quòd vel horrenda vox accusatoris sileat, vel importuna actoris petitio quiescat, tantum non sentit commodum Respublica, ac si conticeant litui, & ingratissimus armorum strepitus non immugiat. Ergo humanæ Reipublicæ magis consulitur, si Præscriptio Gentibus quoque communis sit: quia hôc mediô Bellonæ obstruitur porta; ac si Præscriptio inter privatos tantùm vigeat: quia hoc modô tricis solùm forensibus janua occluditur.

Probatur II. Illud propriè dicitur esse Juris Gen- 8 tium, quod Gentibus quà talibus est commune; seu quod plures Gentes inter se observant ad commune bonum Gentium quà talium, uti supponitur ex *tract.* 1. *cap.* 4. *n.* 12. *& seqq.* Sed Præscriptio est vel omnibus vel plerique saltem Gentibus quà

talibus

talibus communis, & ab ipsis ad commune bonum Gentium quà talium observatur. Ergo &c. min.
9 ostenditur I. ex sacris literis. Nam *Judicum* 11. cùm Rex Ammonitarum terras, inter Arnonem & Jabocum, & ab Arabum desertis ad Jordanem sitas, jamque tempore longissimô ab Israëlitis possessas, vindicare praesumeret, Jephte Israëlitarum Archistrategus, petitionem Regis Ammonitarum enervaturus, in defensionem juris sui non alio quàm Praescriptionis auxiliô fuis usus, replicandô, cur Rex ipsiusque majores & antecessores vindicationem tantâ temporis intercapedine neglexerint?
10 Unde Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis, Jurisprudentiae non minori quàm Theologiae peritiâ excellens *ad d. cap.* 11. hunc ferè in modum discurrit: tempore Jephtis jam in usu & observantia erat Praescriptio: alias & sapientissimus hic belli Imperator erràsset, allegandô titulum, in rerum natura nuspiam existentem; & Rex Ammonitarum facilè elusisset ejusmodi responsionem: cùm tamen de hoc nihil inveniatur in Sacra Historia annotatum. Vel igitur Praescriptio, quâ se tuebatur Jephte, erat Juris Gentium, vel Civilis? Non Civilis: hoc enim, si Romanum intelligas, eô tempore necdum prodierat; &, si aliud subaudias, non poterat Ammonitas obligare: quippe cùm Leges unius Reipublicae careant energiâ & efficaciâ, vinculô obligationis aliam Rempublicam innodandi. Erat igitur illa Praescriptio Juris Gentium, eô suffulta robore, ut res unius Reipublicae potuerit adjicere alteri Reipublicae, suppositâ longaevi tēporis possessione.
11 II. Ostenditur eadem minor testimoniô Scriptorum famâ illustrium. Nam Lacones, referente Hugone Grotiô *de J. B. & P. l.* 2. *cap.* 4. n. 1. tanquàm certissimum, & apud omnes Gentes confessum, ponebant, possessiones publicas, non minùs quàm privatas, multô tempore ita firmari, ut revelli ne-
12 queant. Sulpitius, attestante eôdem Authore, contra Antiochenum disputans, ostendebat, iniquum esse, ut, quòd populi Graeci in Asia aliquando servissent, id jus post aliquot saecula eos revocandi in
13 servitutem quidpiam proficiat. Cicero *lib.* 2. *de Offic. quam autem*, inquit, *habet iniquitatem, ut agrum, multis annis, aut etiam saeculis ante possessum, qui ha-*
14 *buit, amittat?* Plato, prudentissimus Legum & Ordinationum publicarum auspex, ad ejus Reipublicae, quam ipse instituebat, tranquillum regimen *lib.* 12. *de LL.* statuit, *rem mobilem, palàm & publicè possessam, annô usucapi: si clam possideatur ea res, trienniô quidem, sed in urbe: at in agro palàm quin-*
15 *quenniô, occultè verò decenniô usucapi.* Denique refert Covarruv. *in relect. cap. possessor p.* 3. *init. in fin.* nullam planè esse Rempublicam, quae propriis statutis Legibus usucapionem mobilium & immobilium rerum non probaverit.

16 Neque dicas: Gentes, à quibus Praescriptio *in cit. loc.* fuit recepta, id fecisse ob bonum particulare cujusque Reipublicae. ℞. enim hanc limitationem ex Scriptoribus adductis non erui, sed potiùs concludi posse, quòd intuitu boni privati, quod singulae Respublicae ex concessione Praescriptionis percipiunt, pleraeque Gentes fuerint permotae ad jus Praescriptionis, tanquàm vehiculum communis felicitatis, inter se recipiendum. Ergo Praescriptio vel omnibus vel plerisque Gentibus communis, ad bonum Gentium quà talium est à Gentibus recepta. Ergo est propriè Juris Gentium.

17 Probatur III. Distinctio & divisio dominiorum est Juris Gentium. Ergo etiam Praescriptio. Antecedens habetur *in cap.* 9. *dist.* 1. *& l.* 5. *ff. de J. & J.* docetur à Clarissimo D. Braun *de Dom. cap.* 4. §. 1. *n.* 9. *& seqq.* defenditur, ut ait citatus, à Juristis unô ore. Conseq. prob. ejusdem Juris est conservare dominium, cujus erat, dominium introducere. Ergo, cùm jus Gentium dominium introduxerit, illud quoque conservare debuit. Sed aliter conservari 18
vix potuisset, nisi certitudinem aliquam possessoribus statuisset, ut nempe post diutinam possessionem jure Praescriptionis in tuto collocarentur, néve ipsis in perpetuum super de sua possessione controversia moveri posset. Ergo conservatio dominii per Praescriptionem est Juris Gentium.

In castra adversae sententiae transeunt Balbus *de* 19
Praescr. 1. *part. princip. q.* 4 *n.* 4. Schneidewin. *ad h. t. in princ. n.* 10. Magnif. P. König *eôd. tit. n.* 4 Clariss. D. Franz ibidem *n.* 6. *& alii.* Pro quibus militat praecipuè authoritas Imperatoris *in* §. *ult. Inst. de Usu & habitat. in fin.* Praescriptionem inter modos acquirendi Civiles referentis. Existimo tamen, 20
Imperatoris sententiam congruè explicari posse, vel in sensu §. 3. mox subjiciendô, quòd Praescriptio sit modus acquirendi Civilis non quoad originem, sed quoad praesentem formam, quam ab eodem Imperatore accepit; vel in sensu, à D. Franz *ad lib.* 3. *Inst. tit.* 30. *p.* 2. *n.* 5. de acceptilatione in simili quaestione subministratô, quòd nempe Praescriptio sit Juris Civilis quoad usum, hoc est, tam frequens inter Cives Romanos, & quoad conditiones suas ita immutata, ac si Juris Civilis esset. Alium in sensum si quis verba Imperatoris detor- 21
queat, atque Praescriptionis originem Juri Civili in acceptis referre contendat, habebit in contrarium memorata in n. 9. *& seqq.* Authorum testimonia, quae ad minùs probant, Praescriptionem Jure Civili antiquiorem esse. Quod insuper confirmari 22
potest ex iis, quae de origine Juris Civilis eruditè scripsit Clarissimus D. de Wolleren *in quaest. select. Oenipont. edit. q.* 3. *n.* 11. quòd nempe Lex 12. Tabularum, à Romanis Decemviris ex Graecia, tunc temporis ingenii, politices, ac Legum culturâ cum primis florente, petita, in duodecim posteà Tabulis ante rostra publicè proposita, & perpetuitatis causâ aeri denique incisa, omnis Romani Juris caput & scaturigo extiterit. Jam verò alias inter Le- 23
ges, duodecim Tabulis insertas, erat Lex Praescriptionis, hunc in morem concepta: *Lex jubet, usum & authoritatem fundi esse biennium; caeterarum rerum annuus est usus*: quemadmodùm in *fragmentis* 12. *Tabb. tit.* 23. legitur. Ergo Lex Praescriptionis jam priùs in Graecia viruit. Ergo est antiquior Lege 12. Tabb. & Jure Civili.

Colliges ex hactenùs disputatis: & inter duos 24
Populos liberos; & inter duos Reges; & inter Regem ac Populum liberum; & inter Regem atque privatum ei non subditum; & inter duos diversorum Populorum Regumve subditos Praescriptionem eô effectu opponi posse, ut seu palatia seu tuguria; seu urbes seu agros; seu provincias seu villas, tempore saltem immemoriali possessas, velut legitimô acquisitas titulô, possessori relinquere cogantur. Sci- 25
tè & nervosè Bellarminus *l.* 5. *de Pontif. Rom. cap.* 9. (prout refertur *in supra cit. Dissert. Franc. vol.* 4. *disp.* 21. *th.* 22.) probaturus valorem donationis Constantinianae, *etiamsi nihil praetereà extaret*, ait, *abundè sufficeret* 800. *annorum Praescriptio. Nam etiam Regna, & Imperia, per latrocinium parta & acquisita, tandem longô tempore fiunt legitima. Alioqui quô Jure Julius Caesar occupavit Romanum Imperium? Et tamen tempore Tiberii ait Christus Matth.* 22. *Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari. Quô Jure Franci Galliam, Saxones Britanniam, Gothi Hispaniam invaserunt? Et tamen quis hoc tempore Regna, ab illis constituta, illegitima diceret?* Haec Bellarminus.

§. II.

Sitne Præscriptio Juris etiam Naturalis?

26 Authores, qui hac in materia strinxerunt calamum, satis æquivocè, satis intricatè præsentis quæsiti statum proponunt, ut pluribus ostendit Samuel Pufendorff. *d. c.* 12. §. 7. Ego, omissis aliorum explicationibus, quæsitum ita intelligo, utrùm Præscriptio modis acquirendi dominii naturalibus accensenda sit, adeóque præcisò omni Jure positivo habilis sit ad dominium transferendum, eâ prorsus ratione, quâ occupationem Interpretes *ad* §. 12. *J. de R. D.* appellitant naturalem acquirendi modum, quia ad conferendum dominium suâpte vi & natura est habilis? In quo intellectu

27 Assero cum Grotio, P. Ininger, & Pufendorff *citatis locis*, Præscriptionem esse Juris Naturalis. Et fortè plerique DD. quos pro sententia prioris §. laudavi, re ipsâ ab hac minimè dissentient.

28 Ut via sternatur huic conclusioni, faciliùs demonstrandæ, cum citatis Authoribus adnotari debet: naturale esse, quòd juri suo quilibet renuntiare valeat, quando id retinere ampliùs non placuerit: &, licèt ejusmodi renuntiatio ab animo dependeat, effectum tamen juridicum consequi non posse, nisi per certa quædam signa, exterius manifestetur; actus enim internus animi, quàmdiu talis manet, in ordine ad commercium humanum perinde se habet, ac si non esset: cùm is tanquam res insensibilis nequeat effectum sensibilium produce-
29 re. Inter signa autem externa, animi interni manifestativa, & verba, & facta, imò etiam non-facta numerantur. *Verba* quidem, ubi voluntas verbali declaratione abdicationem juris desiderat. *Facta* autem, quando dominus absque verbis ipsô opere commonstrat, nolle se, jus illud suo in patrimonio imposterùm existere. *Non facta*, dum aliquis sciens, volens, & potens, non exercet jus, sibi debitum, aut apprehendit rem, ad se pertinen-
30 tem. Et quamvis signa de actibus animi non faciant certitudinem metaphysicam, sed probabilem tantùm: cùm non verbis tantùm aliud, quàm sentiunt, eloqui, sed factis etiam simulare homines consueverint: nihilo tamen minùs natura humanæ societatis non patitur, ut actibus animi, sufficienter indicatis, nulla sit efficacia; ideóque quod sufficienter est indicatum, pro vero habetur adversùs eum, qui indicavit. Hôc adnotatô,

31 Probatur conclusio I. Stando in Jure naturæ voluntas, signis exterioribus sufficienter manifestata, habet virtutem transferendi dominium in alterum. Sed in circumstantiis Præscriptionis adest voluntas, signis exterioribus sufficienter manifestata. Ergo habet virtutem transferendi dominium. Ergo stando in Jure Naturæ Præscriptio est modus de se
32 habilis ad transferendum dominium. Major videtur indubia, tum Theologis tum Jurisperitis, dum in contractibus & actibus inter vivos & mortis causâ; imò etiam in materia Sacramentorum, & speciatim in Matrimonio admittunt, quòd consensus internus, non tantùm verbis, sed etiam signis externis declaratus, sufficiat ad substantiam hujus Sacramenti; item tradunt in Sacramento Pœnitentiæ, quòd Sacerdos, Jurisdictione Episcopali destitutus, si sciente & permittente Episcopô confessiones excipiat, non tantùm validè, sed etiam li-
33 citè absolvat. Ad hæc eadem major variis exemplis, ex Jure Civili desumptis, roboratur: v. g. quòd creditor, reddendô debitori chirographum, debitum remisisse censeatur *l. labeo* 2. §. *ult. ff. de Pact.* quòd creditor, usuras longô tempore non exigendô, eas remisisse credatur *l. cum quidam* 17. §. 1. *de Usur. & fruct.* Quæ exempla, tametsi ex præsumptione Juris proveniant, attamen satis evincunt, antecedenter ad Juris dispositionem voluntatem, per redditionem chirographi aut non exactionem usurarum declaratam, indicium abdicati juris suppeditâsse. Denique Sacræ paginæ *Num* 30. *v.* 34
5. & 12. indicâsse videntur, principium illud: *qui sciens & præsens tacet, consentire videtur*, tanquàm in Jure Naturæ fundatû, pro indubitato tenendû esse.

Nunc minor propos. primi syllogismi probatur. 35
Qui probabiliter scit, rem suam ab alio possideri, & tamen, cùm possit, eam non repetit, habet voluntatem, sufficienter manifestatam abdicandi se jure, quod illam in rem habuit: neque enim aut silentii aut negligentiæ hoc in casu alia esse causa noscitur,
quam abdicatio juris. Sed in circumstantiis Præ- 36
scriptionis antiquus possessor probabiliter scit, rem suam ab alio possideri, & tamen, cùm possit, non repetit: nam decursu 30. fortè vel 40. annorum aut saltem temporis immemorialis, accuratus rei domesticæ curator utique notitiam & occasionem inveniet, pristinam possessionem recuperandi, aut alterius possessionem interrompendi, maximè in rebus immobilibus, quæ difficulter absconduntur, & occultantur. Ergo adest voluntas, sufficienter manifestata &c.

Oppones: cùm homines se suaque, præsertim si 37
magni sint pretii, impensè ament, non esse præsumendum, quòd suum jactare velint.

Resp. præsumptionem, quâ per tantum tempus jus præhabitum quis dimittere creditur, esse longè fortiorem, præsumptione contrariâ, quòd jus an-
tiquum retinere cupiant. Hôc ipsô enim, quòd 38
amore tam immudico in res caducas ferantur mortales, non est prudenter credibile, quòd per notabile temporis spatium ne minimam quidem significationem, servandi res præhabitas, exteriùs prodant.

Instabis: sæpissimè contingere, ut silentium non 39
ex abdicatione juris, sed ignorantia, impotentia, vel metu pullulet.

Resp. ignorantiam sæpiùs obtendi quàm defendi posse. Vel enim obtenditur post tempus modicum, vel ob longum. Si hoc; repugnat validissima remissionis præsumptio. Si illud; obtendens in sta-
tum pristinum restituetur. Quoad impotentiam 40
res est expedita, quòd in simplicitate & æquitate Juris Naturalis non valenti agere Præscriptio non
officiat. De metu, si gravis reputetur, pariter non 41
est difficultas: etenim quàm diu perdurat, non substernit prudentem conjecturam, judicandi, voluisse illum, qui metum patitur, juri suo cedere. Quia verò periculum ejusque formido potest evanescere, Præscriptio ab eo curret tempore, quò liber à metu jus suum vindicare potuit, & nihilominùs vin-
dicare intermisit. Appositè ad propositum apud 42
Grotium *d. cap.* 4. n. 16. discurrit Josephus contra Judæos, in pristinam se se libertatem asserere volentes: *honestum quidem est, pugnare pro libertate; sed id olim factum oportuit. Atqui victi semel sunt, & longô tempore paruerunt: si jugum excutiant, faciunt, quod desperatarum hominum est, non quod libertatem amantium.*

Probat. II. Conclusio ex fundamento P. Inin- 43
ger, quòd in puncto Præscriptionis res habeatur pro derelicta: utpote cùm ad eum statum devolvatur, ut dominus nequeat ampliùs rationabilem habere spem, repetendi, quod suum erat, esto, quòd ex affectu speciali remaneat quædam simplex
velleitas aut inefficax desiderium. Et certè, si res 44
sit mobilis, tempore completæ Præscriptionis fortasse in tot manus & loca jam devenit, ut in con-
spectum domini reditura non sit. Quòd si verò res sit 45
immo-

immobilis, ea, ficuti longiorem fupponit poffeffionem, ita probationem difficiliorem admittet: potuerunt quippe intereà confenefcere teftes, interire inftrumenta, deficere tabulæ, uti cum tempore pereunt & transeunt omnia. Utrôque igitur cafu fpes repetendi admodùm lubrica & fallax erit.

46 Confirmari poteft hoc argumentum ex P. Haunold *tract. 5. cap. 1. contr. 1. n. 5.* qui in dubio, veltne dominus rem habere pro derelicta, nec ne? non minimam derelictionis conjecturam arbitratur, quando dominus, cùm facilè poffet, non curat inquirere in rem fuam: tunc enim animum derelinquendi prudenter conjicimus.

47 Hoc fundamentum Vir quidam confummatæ Jurifprudentiæ fequenti ariete fubruere eft conatus. Si Præfcriptio in natura rei derelictæ fundatur, vel proficit poffeffori tantùm jufto, vel etiam injufto? Proficere poffeffori injufto, nemo hactenùs afferuit. At evincam, ait ille, id debere à vobis afferi: res enim derelicta abfque delectu cedit occupanti §. 47. *J. de R. D.* Ergo fi res, longô tempore à domino neglecta, cenfeatur ab eo derelicta, finè difcrimine cedit occupanti.

48 Refp. negandô fubfumptum, quòd res derelicta abfque delectu cedat occupanti: nam fi apprehenfor rei derelictæ non habeat vel certam vel probabilem fpem, quòd pro derelicta fuerit habita, non poteft eandem abfque furti vitio apprehendere.
49 Menochius *lib. 5. præfumpt. 30. n. ult.* Pariter, qui poffeffionem rei præfcribendæ bonâ fide juftôque errore ductus, non apprehendit, non poterit præfcribere: quia Jus Naturæ faluberrimum Præfcriptionis remedium noluit vergere aut in detrimentum Reipublicæ, aut in difpendium animæ, permittendô Præfcriptionem cum malâ fide: fic enim laxaretur fibula peccatis; furtis, rapinis, deprædationibus porrigeretur anfa; falus animæ, ex radice rei acceptæ fingulis momentis ad reftitutionem obligatæ, certo damnationis periculo exponeretur.

50 Dices: titulus pro derelicto Præfcriptionem reddit impoffibilem: quia res, pro derelicto habita, ftatim & finè Præfcriptione occupanti acquiritur.

51 Refp. titulum pro derelicto, fi verus fit, impedire Præfcriptionem; non item fi præfumptus fit: hic enim dat caufam Præfcriptioni *arg. l. 1. ff. pro Derelicto.*

52 Probatur III. Diftinctio dominiorum probabiliter eft Juris Naturalis; five probabiliter ab ipfo Jure Naturæ dictata eft bonorum divifio. Ergo etiam Præfcriptio. Anteced. à nobis traditum fuit in *tract. 1. cap. 2. n. 130.* & à tribus Clariffimis Facultatis noftræ Profefforibus, D. Braun *de Dom. d. c. §. 2. n. 7.* D. Gletle *1. p. select. q. 1. n. 10.* D. Franz
53 *ad lib. 1. Inft. t. 2.* n. 8. defenditur. Confeq. prob. Ideò diftinctio dominiorum eft Juris Naturalis, quia ad pacem & tranquillitatem humani generis erat neceffaria. Sed, fuppofitâ dominiorum diftinctione, æquè ad communem pacem neceffaria erit Præfcriptio: ficut enim, fublatâ bonorum divifione, perpetuis contentionum flammis arderet orbis, glifcerent odia, adolefcerent jurgia: fic, admifsâ bonorum diftinctione, & fublatâ Præfcriptione, non fopitur, fed fovetur incendium, atque ad armorum & animorum conflagrationem erumpit; veluti jam in *n. 3.* oftenfum eft. Ergo, fuppofitâ dominiorum diftinctione, Præfcriptio ad confervandam pacem
54 erat neceffaria. Pulcbrè & ad rhombum differit D. Rath de *Ufucap. cap. 1. affert. 6. juftæ caufæ, Juri & æquitati Naturali confentaneæ, ufucapionem introduci poftulârunt, veluti æquiffimum Legis præfidium, & ad tranquillitatem inter cives confervandā* NB. *neceffarium, ne dominiorum incertitudini, ideòque nec perpetuæ evictionis periculo locus amplius relinqueretur, aut lites, nullius aliàs temporis lapfu abbreviandæ, fierent immortales & inextricabiles.*

Contra conclufionem, meô equidem judiciô ex 55
adductis rationibus multùm probabilem; Objicitur I. Si ex rationibus allegatis Præfcriptio in præfumpta voluntate domini, nolentis rem deinceps in fuo retinere patrimonio, fundatur, vel tantùm nocet ipfimet domino, vel etiam liberis, necdum fortè genitis? Primum fi dicatur, parum ad generis humanæ concordiam Præfcriptio conferet, dum actionem, quam refpectu patris exceptio Præfcriptionis fufflaminat, inftaurare poteft filius. Alterum difficulter dicetur: quia iniquitatem redolet, filentium & negligentiam parentia illis nocumentum parere, quibus, per partum in lucem nondum editis, nec fandi nec agendi eft facultas.

Refp. Præfcriptionem completam fucceffforibus, 56
etiam non-natis, perinde nocere ac anteceffforibus. Ratio eft: quia non entis non funt qualitates; & hominis non-exiftentis nullum eft jus: ideóque præjudicium non infertur liberis, qui, necdum
vitæ ufurâ donati, jus non habent. Deinde, fi 57
etiam admittamus, fucceffionem liberorum in bona parentum effe Juris Naturalis, liberis jam procreatis vel ideô non fit injuria per admiffionem Præfcriptionis: quia bona tunc demùm ad liberos pertinere incipiunt, quando parentes eadem poffident ufque ad extremum & ultimum vitæ momentum: nam in vita liberis non ad ceffionem bonorum, fed alimentationem duntaxat ex veriffima opinio-
ne obligantur. Præterea ftandô in Jure Naturæ 58
pater de bonis liberè poteft difponere, per factum & contractum illa alienare, & in alium transferre. Ergo etiam permittere, ut mediante Præfcriptione ad alienas manus tranfeant.

Objicitur II. Quod eft contra intentionem Na- 59
turæ, non poteft Juris effe Naturalis. Sed Præfcriptio eft contra intentionem Naturæ; quippe quæ neminem cum alterius damno locupletat. Ergo &c.

Refp. negandô minorem. Ad probationem dico 60
cum D. Rath *d. c. affert. 7.* Juris Naturalis varia ac diverfi ordinis occurrere præcepta. Primus ordo ad ea pertinet, quæ DEUM refpiciunt. Alter ea continet, quæ generis humani focietatem tuentur, & Juris publici magis funt, quàm privati. Tertius demùm ad ea fpectat, quæ fingulorum homi-
num utilitatem complectuntur. Hæc præcepta, 61
fi eventu quodam & cafu fimul collidi accidat, ita interpretamur, ut inferius cedat fuperiori. Et quia igitur duo præcepta in contingentia Præfcriptionis concurrunt, unum de confervanda humanæ focietatis quiete; alterum de non quærenda, cum detrimento privatorum, locupletatione: hoc pofterius, tanquàm præceptum ordinis inferioris, ad fingulorum utilitatem refpiciens, cedere debet priori, quod eft ordinis fuperioris, ad falutem publi-
cam ordinatum. Poffet quoque negari fuppofi- 62
tum probationis, quafi antiquo poffeffori fieret injuria: nam fcienti & volenti injuriam irrogari non poffe, difcimus ex *cap. fcienti 27. de R. I. in 6.* At, qui rem ufucapi permittit, id fcire & velle præfumitur ex dictis. Ergo &c.

Objicitur III. Illud communiter ad Jus Natu- 63
ræ referri dicitur, in cujus licentiam vel prohibitionem homines, ab Authore Naturæ interrogati, liberè confenfiffent. Sed homines, ab Authore Naturæ interrogati, Præfcriptionem potiùs abrogâffent, quàm rogâffent: utpote cujus occafione res familiaris tam enorme non raró nocumentum patitur. Ergo &c.

Refp. ex doctrina, quam propofui in *tr. 1. cap. 2.* 64
à *n. 68.* ad dignofcendum, fitne hoc vel illud objectum Jure Naturæ licitum, an illicitum, non ad

emolumentum particulare, qood in uno aut altero casu in privatos vel etiam communitatem ipsam redūdat, sed ad commodum universale, quod ex licentia bujus vel illius actionis io Rempublicam dimanat, reflectendum esse: neque attendendum, quid homines, in partieularibus circumstantiis constituti, ac de suo suffragio requisiti, edixissent; sed quid ante omnem easum particulaiem in genere
65 quæsiti respondissent. Ex hoc autem in confirmationem nostræ opinionis ita subsumo: sed licentia Præseriptionis plus boni quàm mali ad communem Reipublicæ felicitatem affert, dum præscindit lites, acuit diligentiam civium, certa reddit dominia: item homines, ante casum particularem de calculo, in examine Præscriptionis ferendô, admoniti, magis in approbationem quàm cassationem Præscriptionis consensissent, dum, quod quisque damnum illius occasione in uno casu sustinet, in alio iterum eidem compensatur. Ergo Jure Naturæ videtur esse concessa. Ex his
66 Colliges I. Præscriptionem à Jure Naturæ partim ex rationabiliter præsumpta derelictione & abdicatione domini, partim ex motivo pacis ac tranquillitatis publicæ exordium accepisse. Secundò: eam rectè allegari inter Populos illos, qui, con temptô vel ignoratô Gentium Jure, solô Naturæ lumine regontur & diriguntur.

§. III.

Quidnam Præscriptio habeat ex Jure Civili?

67 Præscriptio, quam originaliter & Naturæ & Gentium Juris esse, conclusimus, habet suam determinationem ac formam ex Jure Civili; quin & Canonico. Ita DD. *n.*3. relati. Explicator & probatur. Quamquàm enim Præscriptio, ut videre hactenùs licuit, suâpte indole sit nata ad transferendum dominium: quamquàm præterea apud plerasque (moratiores saltem) Gentes civitate fuerit donata: attamen tempus illud, intra quod bonæ fidei possessio in vim dominii convalescat, in individuo neque naturali ratione, neque universali Gentium approbatione determinatum invenitur.
68 Quemadmodùm enim uno in territorio & provincia homines reperias æqui rectique tenaciores, quàm in territorio & provincia alia: quemadmodùm insuper hoc vel illud jus, hæc vel illa res in hac regione & regno pluris æstimatur, quàm in regno & regione ista: ita punctum illud, quô absoluta censeatur Præscriptio, generali sanctione definiri non potuit, sed arbitrio booi viri committi debuit, qui, appensâ ad lancem æquitatis personarum conditione, attentâ rerum mobilium & immobilium differentiâ, inspectis jurium & obligationom qualitatibus, examinatis recuperandi viribus ac mediis, decerneret, tantùmne temporis effluxerit, qood rationabili abdicationis & derelic-
69 tionis conjecturæ sufficiat. Quia verò hæc ipsa boni viri determinatio materiam & fontem litium ac contentionem aperire potuit: hinc Jus Civile (quin & Canonicum) tam Romanorum quàm aliarum Civitatum certos, uniformes, ac fatales terminos præfixit, quibus unumquodque jus, res, & obligatio perimitur. Et hoc sensu Præscriptio determinationem ac formam hodiernam à Jure Civili (& Canonico) indepta est.
70 Quòd si ex supposito, non concessô, Præscriptio nec à Natorali nec Gentium Jure prima accepisset eunabula, potuisset Legislator seu Canonicus seu Civilis illam in commodum Reipublicæ stabilire. Est sententia hodie certa, postquàm utrôque Jure, Pontificio & Cæsareo, Præscriptio non tam
recepta, quàm comprobata fuit. Ratio potissima 71
fondatur in alto & eminenti Principis dominio, vi cujus ex justa causa de bonis ae rebus civium absolutam disponendi potestatem sortitus est, in quantum necessitas & incolumitas Reipublicæ efflagitat.
Colliges ex toto, quem in 3. §§. adornavimus, 72
discursu: ad eum ferè modum, quô D. Braun *d.* §. 2. *n.*7. distinctionem dominiorum ad Jus Naturæ, Gentium, & Civile revocavit, circa Præscriptionis originem philosophandum esse. Potest enim revocari I. ad *Jus Naturæ*, in quantùm ad transferendum dominium non tam accommodata quàm necessaria est. II. ad *Jus Gentium*, quatenùs inter omnes ferè Gentes ad mutuam pacem & quietam territoriorum possessionem invaluit. III. ad Jus Civile (& Canonicum etiam) quod io Orbe Ecclesiastico & Romano temporis & reliquarum conditionum determinationem, novamque planè formam adinvenit; uti per *cap. seqq.* palam fiat.

SECTIO II.

De Causa Finali Præscriptionis.

SUMMARIA.

73. Connexionis ratio. 74. & seqq. Duplex Præscriptionis finis, ultimus & subordinatus; hicque triplex. 81. & seqq. Ostenditur, Præscriptionem in pœnam negligentium principaliter non esse statutam.

§. Unicus.

Enumerantur causæ introductæ Præscriptionis.

CAusas Præscriptionis, in priori sectione pas- 73
sim & propositas & probatas, quòd hic enumerem, non tam necessitas, quàm justi ordinis concinnitas erat, ut nempe methodi causâ striogerem in compendium, quod latiùs paulò ante diffuderam.
Distinguo autem cum Eckoldo ad *h. t.* §. 28. 74
duplicem finem; ultimum unum, subordinatum alterum. Finis *ultimus* Præscriptionis est salus publica: sicut enim omnis alia, ita præcipuè saluberrima Lex Præscriptionis communitatis emolumantum per se respicit *l.* 1. *ff. h. t.* ibi: *bono publico usucapio est introducta.* Finis *subordinatus* prin- 75
cipaliter est triplex: primus, ut dominia rerum aliquando essent firma ac fixa: quod fieri non posset, si noviter io possessionem immissi, in perpetuo ti-
more de avocanda re fluctuarent. Quò etiam per- 76
tinet libertas commerciorum, quæ multùm vacillaret, si contracturus cum alio, nullô unquam tempore de stabili rerum suarum possessione certus fo-
ret. Secundus, ut litibus aliquando esset finis *d.* 77.
l. 1. *ff. h. t.* non parum enim Reipublicæ interest, controversias & lites consopiri *arg. l. si cujus* 13. §.
3. *ff. de Usufructu & l. omnes* 12. *Cod. de Judic.* Ter- 78
tius, ut acueretur civium diligentia in rebus non tantùm inquirendis, sed longè magis ad culturam redigendis, dum spe constantia ac perpetuæ detentionis intentiori baud dubiè oculô, industriâ magis dexterâ proscinduntur agri, impinguantur prata,
ædes excoluntur, exornaoturque. Addo ego, 79
causam non postremam fuisse præsumptam domini voluntatem de rei aut Juris renuntiatione, per silentium tam profusi temporis satis dilocidè manifestatam: quod, præter hactenùs dicta, colligo tum *ex pr. Instit. h. t.* ubi Imperator refert, olim ad Præscrip-

ptionem rei mobilis annum suffecisse unum, & ad rei immobilis usucapionem duos: *eò quod putaverint antiqui, dominis sufficere præfata tempora ad*
80 *inquirendas res suas*: tum ex modo & methodo Juris positivi, tam exactè distinguentis ubique inter res mobiles & immobiles, inter absentes & præsentes &c. ac pro rerum & personarum varietate tempus aut longius aut brevius determinantis, quantum scilicet æstimatione prudentum videbatur sufficere ad rationabilem de rei derelictione conjecturam efformandam.

81 Sunt aliqui, atque ex illis Hugo de Roy *de eo quod justum est l. 3. t. 4.* qui, ut refert Pufendorff *cit. c. 12. §. 6.* Præscriptionem in pœnam negligentium esse statutam pronuntiat; adeóque ex Lege Præscriptionis pœnalem constituit. Sed paucuilis hisce antagonistis uti communior ita solidior opi-
82 nio refragatur. Nam I. idem Puffendorff optimè advertit, exclusionem ab aliquo commodo, quod non nisi vigilantibus & rerum suarum satagentibus permissum est, propriè loquendo rationem pœnæ non habere; ut enim non nemo dixit, *ulcifcuntur ignavos mores sui, & focordibus sui pœnæ est, quòd ab omni bonore exclusi, in obscuro vitam transigere*
83 *coguntur*. II. minùs rectè à quibusdam dicitur, eos in Rempublicam peccare, qui res suas usucapi patiuntur. Enimverò illi quidem peccant in Rempublicam, qui vel rebus suis abutuntur, vel ab aliis corrumpi, destrui, vel deteriorari sinunt: at res, quæ usucapiuntur, nec abusu nec corruptione aut destructione afficiuntur, quin potiùs à bonæ fidei possessore omni follicitudine & industriâ asservatur. Ergo, qui usucapionem permittunt, non peccent in Rempublicam, cujus nil refert, an Cajus an Titius fundum v. g. detineat, si modò desertus, in-
84 cultus, aut neglectus non jaceat. III. quando occasione pœnæ à delinquente ad innocentem promanat aliqua utilitas, læso quæpiam in personam innocentis præcesserit, necesse est. Atqui in negotio Præscriptionis dimanat in præscribentem utilitas, absque hoc, quòd læsio in persona ipsius præcesserit. Ergo occasione pœnæ ille utilitas non resultat. Ergo Præscriptionis Lex ad constitutiones pœnales ineptè reducitur.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Assignatur pro origine Præscriptionis Jus Naturæ & Gentium.* 2. & 3. *Motiva contra Jus Naturæ.* 4. & *seqq. Dissolvuntur.* 7. & *seqq. Plures rationes contra Jus Naturæ & Gentium accumulantur.* 12. & *seqq. Contrariis responsionibus, instantiis, & exemplis evervantur.* 21. *Explicatur textus* in §. ult. Inst. de Usu & habitat.

QUÆSTIO I.

An Origo Præscriptionis Juri Naturæ & Gentium justè adscribatur?

1 AFfirmavi utrumque hôc *cap.* §. 1. & 2. & ampliùs confirmavi in *Jurispr. Publ. univers. lib. 2. cap. 2. à n. 122.* ubi de Præscriptione Summæ Potestatis disserui. Utrobique citavi Grotium, & signanter in posteriori opere à n. 127. luculenter ostendi, quòd mecum sentiat, ut adeò, qui ex adverso sunt, nihil ulteriùs cum fundamento opponere valeant.

2 Contra priùs assertum, quòd Præscriptio dimanet ex Jure Naturæ, objici video, quæ habet P. Pichler ed *tit. de Præscript. sub n. 13.* nempe rationes nostras non esse efficaces ad id probandum: quemvis enim Naturali Juri valde conveniens fuerit, Præscriptionem introduci, non tamen proptereà sequitur, eam necessariò & ab ipso Jure Naturali fuisse introductam, ut patet v. g. in prima rerum divisione, in matrimonio clandestinè contracto &c. Quòd autem ille, qui ignorat, rem 3
suam detineri ab alio, vel quam propter defectum virium repetere nequit, velit illam habere pro derelictâ, non sufficienter probatur: cùm ignorantis sit nullus consensus, & Jus Naturale non patiatur, ut alicui invito res sua auferatur, & Præscriptio currat contra eum, cui vires desunt ad rem suam recuperandam. Sed reverà non opus esse censeo 4
ulterioribus & efficacioribus probationibus, ultra jam propositas in locis adductis, & necdum solidè refutatas. Nec enim conveniens tantùm, sed omninò necessarium & utile pro genere humano videtur, ut jura & dominia, post factam rerum divisionem, aliquando certam & stabilem nanciscantur possessionem: cùm & ipsa rerum divisio eò sensu ed Jus Naturale à pluribus referatur; nihil in 5
oppositum me cogente instantiâ de matrimonio clandestino, ante cujus irritationem per innumera ferè sæcula stetit incolumis Gens & Respublica humene; quæ tamen ab ipsis quasi incunabulis nutâsset, & vacillâsset, nisi Præscriptionis, saltem immemorialis, vinculô ligata & colligata fuisset. Nihil 6
etiam remotante vel ignorantiâ vel impotentiâ: cùm intra tempus, cujus initii memoria non extat, cupidi rerum suarum domini suis juribus invigilare, &, si quæ sibi competere existimâssent, repetere, vel saltem interpositâ protestatione conservare potuissent: quò intermissô, facultetes suas pro derelictis habuisse justâ præsumptione creduntur.

Contra alterum assertum, quod etiam nobiscum 7
amplectitur P. Pichler, imò & contra anterius Clariss. P. Söll de *Præscript. p. 1. cap. 1. §. 3. à n. 40.* multiplicia congerit argumenta. I. quia illa sententia in re sive morali sive canonica, aut etiam juridica censetur moraliter certa, in quam conspirant fermè omnes, iique gravissimi Doctores, præsertim qui eam ex instituto examinârunt: sed in sententiam, quæ negat, Jure Naturali strictè tali sive præceptivò, aut Jure Gentium introductam Præscriptionem, conspirant fermè omnes, iique gravissimi DD. qui eam ex instituto examinârunt: ergo censetur moraliter certa, & consequenter, qui contrarium cum paucis propugnare præsumit, ut prævaleat, potentes sane & convincentes rationes in medium proferat, ac contrarias solidè dissolvat, necesse est, queles tamen nondum allatæ sunt. II. 8
non obtinetur finis, quem nos quæsimus per adstructas conclusiones: cùm enim ex una parte nec Jus Naturale, nec Gentium tempus, titulum, possessionem &c. ad præscribendum requisitum, determinet; ex altera verò parte Reges ac Supremi Principes Legibus Civilibus, quibus eæ conditiones definiuntur, non adstringantur, sequitur, quòd ex Jure Naturali aut tacitô Gentium consensu respectu illorum nulla locum inveniat Præscriptio, neque vi hujus iis proprietas Regnorum, Provinciarum, ac urbium tribuatur. III. Etsi concedatur, 9
quòd, si quidam Principes aut Reges longissimô tempore, præsertim immemoriali, Regna, Provincias, Urbes &c. possideent, nullusque alius unquam reclamaverit, oriatur in simili casu præsumptio derelictionis, quia fortè nulla affulget spes, ea recuperandi; ex hoc tamen non sequitur, quòd Præscriptio fundetur in natura boni derelicti: nam modus acquirendi dominium per derelictionem multùm diversus est à Præscriptione, semperque à

DD. pro diverso agnitus: siquidem derelictio fundatur in propria voluntate abdicante, & deserente rem suam; Præscriptio verò capax ac habilis est ad transferendum dominium ex dispositione Legum. Unde etiam Grotius de *Jure B. & P. lib. 2. cap.* 4. non rectè citatur pro altera sententia: utpote cùm ibidem non agat de Præscriptione, sed derelictione.
10 IV. non potest probari tale pactum mutuum inter Gentes, vi cujus inter personas dominia rerum ab una Gente in alteram titulô Præscriptionis dicantur transferri; imò Gentes, bene institutæ, & quæ ordinatas Respublicas habent, non agnoscunt hoc Jus Gentium, nec contra se admittunt Præscriptiones. Sic Ferdinandus Vasq. *l. 2. cap.* 51. *n.* 37. & 38. contendit, contra Hispaniarum Regem non valere Præscriptionem. Idem testantur alii de Regibus Galliæ; nec eum admittent Imperatores Sinarum, Turcarum, Persarum &c. sicut tamen omnes hi recipiunt Legatos, quorum receptio Juris Gentium est: imò nulla Gens in generé humano Præscriptionem contra se admissura esset, ubi nullæ Leges positivæ de Præ-
11 scriptionibus extarent. V. quòd Præscriptio suam originem debeat Juri Civili, patet tum ex dictis, tum clarè colligitur ex §. *fin. Inst. de Usu & habitat.* ubi Imperator distinguit modos acquirendi, Jure Civili inductos, ab iis, quos Jus Gentium induxit, atque manifestè refert Præscriptionem ad modum acquirendi civilem.

12 Quid jam ponderis aut momenti hisce argumentis insit, paucis indicabo. I. iisdem verbis retorquetur: videlicèt sententiam nostram, quæ tum Naturali tum Gentium Jurè Præscriptionem fuisse introductam docet, tenent longè plures & fermè omnes maximique nominis DD. qui Naturæ & Gentiū Leges funditus rimâtunt, uti non tantùm colligitur ex Authoribus, hôc eôdē *cap. n.* 3. & n. 27. citatis, sed etiam ex multis aliis, in *Jurisprud. publ. univers. d. lib. 2. cap. 2. n.* 126. allegatis, quibus, si necessum foret, adhuc prolixior catalogus annecti posset; contraria verò opinio respectivè à paucis defenditur, & consequenter, si prævalere cupiat, alias & solidiores rationes conquirat, nostrasque fortiter enervet, opus est; quod hucusque præstitum non video.

13 Ad II. responsio accommodissima deducitur ex *cit. Jurisprud. univers. à n.* 157. ubi prolixè ostensum est, Præscriptionis tempus quoad Gentes inter se omnium certissimum & æquale esse illud, quod hominum memoriam transcendit; neque aliquam determinationem Juris Civilis quoad bonam fidem aut titulum efflagitari, ex quo dictamen Naturale aliunde vetat, ne quis rem alienam sine legitima causa apprehendat, aut, quod ad alium pertinere noscit, malâ fide accipiat, vel detineat. Indeque Supremi Principes, etsi Legibus Civilibus non obstringantur, obstringuntur tamen Legibus Naturæ & Gentium, ne alteri, quod suum est, injustè eripiant; aut rem, olim in suo patrimonio existentem, jam verò ab alio ultra hominum memoriam bonâ fide possessam, repetere præsumant.

14 Ad III. rursus perspicua non minùs quàm apposita responsio petitur ex *cit. Jurisprud. à n.* 139. ubi genuinum sensum, quô Præscriptio ad præsumptā seu tacitam derelictionem referri, ac simul Præscriptio à modo acquirendi per derelictionem discriminari possit, & debeat, fusè declaravi: præmissâ jam in *n.* 127. longiori inquisitione in verba & mentem Grotii, pro nostro dogmate scribentis.

15 Ad IV. Resp. nostrô judiciô Præscriptionis originem æquè quoad Jus Naturæ, quàm Jus Gentium per rationes, scriptores celebres, atque exempla abundè probatum esse. Indeque ex *lib. Judic. cap.* 11. monstratum, possessionem longissimi temporis, ab Israëlitis contra Regem Ammonitarum objectam, ab eodem contra se agnitam & admissam; & ab æquis rerum arbitris in controversiis, hac in re diversas inter Gentes vertentibus, longævi temporis usum pro legitimo fuisse habitum. Neque 16
mirandum, si aliquando una vel altera Gens Præscriptionem contra se admittere noluerit; hoc enim sæpissimè accidit in aliis etiam Juris Naturæ & Gentium Capitibus, ut Magni Principes, apud quos non raró vis & Jus pari passu ambulant, veluti Judices in propria causa libentiùs ea, quæ suis commodis serviunt, ac, quæ obstare videntur, recipiant; quibus tamen, cùm Præscriptionis subsidium, ubi agitur pro domo sua, ambabus manibus complectantur, rectissimè occinitur, ut, quod quisque Juris in alium statuit, eôdem & ipse utatur. Neque fidem hactenus adhibere potui, quòd Hi- 17
spani Præscriptionis obstaculum repudient: nam, quidquid dixerit Vasquius, illam dilucidè agnovit magnus ille Hispaniarum Legatus, Didacus Savedra in *præfat. ad Coronam Gotticam*: agnovit etiam Illuminatissimus ille Hispaniarum Episcopus Didacus Covarruv. in *relect. cap. possessor p.* 3. *initr.* n. 1. *propè fin.* nullam inquiens, esse Christianam Rempublicam, quæ propriis statutis Legibus usucapionem mobilium & immobilium rerum non probaverit. Quid Galliarum Regis Legato, Præscriptionem 18
elidere aut eludere volenti, S. R. I. Status & Proceres responderint, in *cit. Jurisprud. Publ. univ. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 125. relatum est. Et cur non credibile 19
sit, etiam Turcarum aut Sinarum Imperatores, famora Naturalis & Gentium principia edoctos, idem in casu eveniente facturos, quod ex *n.* 15. à Rege Ammonitarum actum conspicimus? Nunquid Exi- 20
mius Suarez in *Defens. fidei lib.* 3. *cap.* 2. n. 20. id ipsum confitetur? „Sæpiùs, ajens, contingit oc„cupari aliquod Regnum per bellum immissum, „quô ferè modô clariora orbis imperia amplificata „fuêre; & tunc quidem in principio non acquiri„tur Regnum, nec vera potestas, cùm titulus ju„stitiæ desit; successu verò temporis contingit, ut „populus liberè consentiat, vel ut à Successoribus „Regnum bonâ fide præscribatur, & tunc cessabit „tyrannis, & incipiet verum dominium & Regis „Potestas.

Ad V. Resp. textui Imperatoris in §. *ult. Instit.* 21
de Usu & habitat. in præsenti cap. n. 20. duplici responsione jam satisfactum esse: hanc qui respuit, redarguit ipsum Imperatorem Justinianum, dum post titulum *de Usucapionibus* immediatè ponit titulum *de Donationibus*: cùm tamen donatio, quoad se & substantiam spectata, ex omnium confessione non sit titulus aut modus acquirendi, ex inventione Juris Civilis, sed ipsius Naturæ & Gentium Legibus descendens; consequenter inter modos acquirendi civiles sub nulla alia ratione recenseri possit, nisi juxta formam, à Lege Civili superadditam, ut notat Gottofred. ad *pr. Inst. de Donat. lit. b.*

CAPUT III.

De Subjecto Præscriptionis.

Nomine Subjecti duplicem personam intelligo; videlicèt personam, quæ præscribit, & personam, contra quam præscribitur: illa vocabulo technicô subjectum activum: hæc subjectum passivum salutatur. De utraque breves erimus, longiores in subsequent. *Capit.* futuri.

SECTIO

SECTIO I.

De Subjecto Præscriptionis activo.

SUMMARIA.

1. Præscribere potest, qui est capax juris. 2. & seqq. Etiam filiusfamilias, observatâ peculiorum distinctione, præscribit. 7. & seq. Pupillus, infante major, etiam solus præscribit, si animô possidendi rem apprehenderit. 8. & seq. Infans non præscribit. 11. & seqq. Furiosus, quod, durante furore, apprehendit authoritate curatoris, præscribit. 15. Excommunicatus indistinctè præscribit. 16. Non præscribit, qui est incapax juris, uti. 17. & seq. Servus. 19. & seq. Religiosus; servata tamen distinctione inter jura. 22. Referuntur Authores, qui negant & concedunt, quòd Præscriptioni quis renunciare possit. 23. & seq. Ratio concedentium. 25. & seq. Fundamentum negantium. 27. Non potest renunciari Præscriptioni temporis immemorialis. 28. Sed memorialis.

§. I.

Quinam possint præscribere?

1 GEneratim loquendô potest omnis ille præscri-
bere, qui est capax juris realis vel personalis.
Ratio est: quia Præscriptio est modus acquirendi
vel jus vel liberationem à jure. Ergo, qui juris rea-
lis vel personalis est capax, potest etiam præscribere.
2 In specie non tantùm paterfamilias, sed etiam fi-
liusfamilias, potest præscribere; dummodò obser-
vetur distinctio peculiorum. Prius assertum habe-
tur in *l. sequitur* 4. §. 1. *ff. h. t.* ibi: *usucapere potest*
3 *paterfamilias, filiusfamilias &c.* Posterius inde
constat, quòd filiusfamilias equidem juris realis &
personalis sit capax; attamen cùm idem jus pro
diversitate peculiorum sit diversum, diversam quo-
4 que Præscriptionem expostulet. Cùm igitur in
peculio castrensi vel quasi obtineat plenum domi-
nium, habeaturque fictione juris pro patrefamilias
*t. t. ff. & Cod. de Castrensi pecul. Auth. Presbyteros
& Diaconos. Cod. de Episcop. & Cleric.* quæcun-
que ex causa hujus peculii ab eo, qui dominus
non erat, acceperit, ad instar alterius patrisfamilias
5 præscribere valet *d. l. 4. §. 1. h. t.* Similiter, cùm in
peculio adventitio extraordinario & proprietate &
usufructu gaudeat per *Nov. 117. cap. 1. §. un.* gau-
debit etiam beneficiô Præscriptionis, si rem alie-
6 nam hoc in peculio numeravit. E contrà, cùm in
peculio adventitio ordinario sola proprietas ad fi-
lium, ususfructus autem ad patrem spectet *l. cùm
oportet* 6. §. 5. *Cod. de Bon. quæ liberis &c.* res, eô no-
mine acquisitas, sibi quoad proprietatem, patri
7 quoad usumfructum præscribit. In peculio verò
profectitio, uti proprietas & ususfructus est patria,
ita filius non sibi, sed patri, cujus nomine possidet,
præscribit *l. possessio* 1. §. 5. *ff. de A. vel A. P.* Hen-
ricus Zoës. *Comment. ff. ad h. t. n. 5.*
8 Pupillus, infante major, sive tutore authore, sive
solus, præscribere potest, si animô possidendi rem
apprehenderit *d. l. sequitur* 4. §. 2. *ff. h. t.* Ratio desu-
mitur ex §. *pupillus* 9. *Instit. de Inutil. stipulat.* ubi
pupillus absque tutoris authoritate alium sibi obli-
gare posse dicitur: quia nempe compendio pupilli
non videbatur cedere, ut melioratio quoque &
lucrum manifestum arbitrio tutoris alligetur *l. obli-
gari* 9. *ff. de Author. tut.* ne, quod in favorem ipsius
decretum erat, in dispendium vergeret contra *cap.*
61. *de R. J. in* 6. junctâ *l. non eò minus* 14. *Cod. de
Procurator.* At in casu Præscriptionis pupillus po-
tiùs alium sibi, saltem mediatè, obligat, quàm se
alteri, facitque conditionem suam evidenter me-
liorem. Ergo &c. Quod ipsum à fortiori de mino-
ri concludendum est.
Dixi tamen I. *pupillus, infante major.* Nam si ad- 9
huc infans, sive minor septenniô sit, tunc ob defe-
ctum possessionis, quam sinè tutore non acquirit *l.
quamvis pupillus* 32. §. 2. *ff. de A. vel A. P.* positi-
vè præscribere nequit. Sicut è contrario rem, au-
thoritate tutoris possessam, rectè præscribit. D.
Philippus Braun *ad h. t. p. m.* 187.
Dixi II. *si animô possidendi rem apprehenderit*: ad 10
Præscriptionem positivam quippe requiritur posses-
sio, quæ non nisi animô & corpore initium capit *l.
possideri* 3. §. 1. *ff. eôd.* Unde aliud dicendum in Præ-
scriptione privativa, in qua secundùm dicta *cap. 1. n.*
21. non egemus possessione.
Furiosus non tantùm illud præscribit, quod ante 11
furorem possidere incepit; verùm etiam quod, du-
rante furore, curatore authore, apprehendit. Prius
membrum clarè decisum extat *in d. l. sequitur* 4. §.
3. *h. tit.* Quod, *utilitate suadente*, receptum esse,
asseritur, in *l. justo errore* 44. § *pen. ff. eôd. ne lan-
guor animi etiam in bonis damnum afferat.* Mem- 12
brum posterius est quidem controversum; ast inter
alios Defensores numerat *cit.* D. Braun *cit. loc.* Zoë-
sium *h. t. n.* 8. Balbum 1. *p.* 3. *princip. q.* 9. *n.* 3.
Ratio est: quia, si furioso quidquam obstaret, ne
posset præscribere, obstaret ignorantia possessio-
nis, quam mediante curatore accepit. At hæc non
obstat infanti, quò minus præscribat *l. possessio* 1.
§. 5. *ff. de A. vel A. P.* quia interventu tutoris vel
patria voluntas & animus infantia à Lege supple-
tur *l. quamvis pupillus* 32. §. 2. *ff. eôd.* Ergo nec
obstat furioso, quem inter & infantem omnimoda
ferè similitudo statuitur in §. *sed quod diximus* 10.
Instit. de Inutil. stipul. Ad hæc, si furiosus tunc usu- 13
capere potest, quando ipsius servo res est tradita
per *l. si servo* 28. *ff. h. t.* cur usucapere prohibeatur,
quando curator rem apprehendit? Accedit, quòd 14
eadem æquitatis ratio, quæ Legislatorem moverat,
ut infantibus, qui per ætatem se ipsos regere non
possunt, plenè per tutores prospexerit, movere de-
buerit, ut furiosis & (ex eodem capite) mente cap-
tis, qui rebus suis ob defectum animi præesse ne-
queunt, per curatores prospiceret.
Dico V. Excommunicatus sive majori sive mi- 15
nori excommunicatione potest præscribere. Anton.
Peregrinus *de Jure fisci. lib.* 3. *t.* 11. *n.* 36. Gilcken
de Præscript. part. 3. *c.* 6. *n.* 77. Ratio est: quia ex-
communicatio non infert incapacitatem ad jus rea-
le vel personale, uti post plurimos docuit Panormi-
tanus noster *ad cap. veritatis* 8. *de Dolo & contum.
n.* 35. *& seqq.* cùm pœna medicinalis & spiritualis,
qualis est excommunicatio, spiritualia duntaxat
munera & munia, non etiam jura temporalia &
profana, auferat. Ergo nec infert incapacitatem
ad præscribendum.

§. II.

Quinam præscribere non possint?

Regulam, in præced. *sect.* de subjecto Præ- 16
scriptionis affirmativè conceptam, nunc inverto,
quòd nempe qui non est capax juris realis vel per-
sonalis, non sit capax Præscriptionis. Ratio in pro-
patulo est: quia Præscriptio est modus acquiren-
di juris vel realis vel personalis. Ergo, qui acqui-
rere non potest, Præscriptionis subsidiô non in-
diget. Unde

Deducitur

17 Deducitur I. servos, cùm inhabiles sint ad recipienda jura activa *per l. acquiruntur* 10. §. 1. *ff. de A. R. D. l. quod attinet* 32. *ff. de R. J.* inhabiles esse ad præscribenda jura activa *l. qui in servitute* 118. *ff. eôd.* Esto utilitatis causâ permissum sit, ut dominus, etiam ignorans, ex causâ peculii per servum possideat, & usucapiat *l. labeo* 8. *ff. h. t. l. peregrè* 44. §. 1. *ff. de A. vel. A. P.*

18 Dixi tamen: *ad præscribenda jura activa.* Sicut enim jus passivum seu obligatio naturalis in servum cadit *l. servi* 14. *ff. de O. & A.* ita respectu illius obtinet Præscriptio.

19 Deducitur II. Religiosos, quos seu nexus Voti Paupertatis, seu Jus positivum in particulari inhabiles ad jura activa temporalia reddidit, ex ratione conclusionis inhabiles esse ad similia jura præscribenda in persona particulari. Quemadmodùm verò nomine Monasterii, si bonorum stabilium cæteroquin dominiô gaudent, Religiosus possidere potest; ita eôdem etiam nomine præscribere. D. Philippus Braun *ad h. t. f. m.* 189.

20 Dixi tamen notanter: *jura activa*: sicut enim Religiosus vel ex delicto vel ex contractu obligari potest, & sic recipere jus passivum, seu obligationem saltem naturalem, veluti docet Clarissimus P. Paulus Mezger *p. m. Theol. Scholast. tract.* 11. *disp.* 30. *art.* 6. *n.* 3. sic nullus dubito, quin suppositis supponendis, ab eadem obligatione per lapsum definiti temporis liberetur.

21 Dixi præterea *jura temporalia.* Nam quia jurium spiritualium, ut sunt jus eligendi, jus manendi in tali cænobio &c. verum & propriè dictum dominium Religiosis competit, prout in *lib. 3. instr. de Jure Propriet.* ostendere cupio: negare non ausim, quòd ejusce generis jura præscribere possint.

§. III.

Possitne quis Præscriptioni renuntiare?

22 In diversa placita hîc As. distrahuntur. Affirmant Haunold. *de J. & J. tr.* 10. *cap.* 1. *n.* 205. Gleule *p.* 3. *Pand. cap.* 22. *n.* 4. P. Wiestner ad *tit. de Præscript. n.* 15. Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid. n.* 21. Negant Bartolus, Ripa, Alexander, Tiraquellus, quos referunt & recipiunt Balbus de *Præscript.* 5. *part.* 5. *princ. q.* 6. *n.* 2. & D. Rath de *Usucap. as-*
23 *sert.* 7. *lit. c. & d.* Illorum ratio est: tum quòd Præscriptio non fuerit principaliter & immediatè introducta in favorem publicum, sed privatum; ideóque sub renuntiationem cadat *l. pen. Cod. de Pact.*
24 tum quòd privatâ conventione possit effici, ut actio, Præscriptione temporis alioquin peritura, efficiatur perpetua, & sic impræscriptibilis per *l. quod si nolit* 31. §. 22. *ff. de Ædilit. Ed.*

25 Horum fundamentum est præcipuum, quòd principaliter & immediatè pro bono publico sit introducta Præscriptio, prout innuit JCtus in *l.* 1. *ff. h. t.* qui, dum boni publici meminit, non potuit id mediatè duntaxat & secundariò (quod nihil singu-
26 lare foret) intelligere. Patetque hæc veritas ex toto *cap.* 2. *sect.* 1. ubi, quòd salus & utilitas publica Legem Præscriptionis (utique primariò) extorserit, nec singulorum, sed universorum commodum attendatur, liberali calamò probatum est. Idcircò subintrat regula, Juri publico conventione privatorum renuntiari non posse *l. jus publicum* 38. *ff. de Pact. l. nec ex prætorio* 27. *ff. de R. J.*

27 Ego sub aliqua distinctione quæstionem hanc dirimo. Refert nimirum, utrùm aliquis renuntiare vel omni Præscriptioni, etiam immemoriali; vel tantùm Præscriptioni certi temporis & memorialis. Si prius; sentio cum Authoribus negantibus: quia Præscriptio temporis immemorialis, ex ipso Naturæ Gentiumve Jure primitus in mundum invecta, non tam singulorum utilitatem per se primò respicit, quàm totius orbis salutem, quæ non aliô, quàm Præscriptionis, remediô servari posse videtur. Consequenter extra commercium & potestatem privatorum versatur; nec conventione privata subverti potest. Si posterius; sentio cum Au- 28
thoribus affirmantibus: quia Præscriptio quoad determinationem certi & memorialis temporis à Lege humana non tam in favorem publicum, quàm privatum est statuta: & ideò voluntate partium conveniri potest, ut v. g. actio quædam non tantùm sit juridicè perpetua, duretque 30. annis, sed etiam ultra tricennium ad 40. 50. & 60. annos extendatur *arg. l. sicut* 3. *Cod. de Præscript.* 30. *annor.* ubi Imperator illas solùm actiones continuis 30. annis extingui voluit, quæ *perpetuæ* videbantur; non item alias, quæ antiquis temporibus *limitabantur*; satis innuens, reliquis actionibus, quibus vel ex conventione, vel ex Legis authoritate certum ac determinatum tempus noscitur præfixum, eôdem tempore primùm elapsô, præscribi.

SECTIO II.

De Subjecto passivo Præscriptionis.

SUMMARIA.

29. *Præscriptio contra illos, qui alicujus juris capaces sunt, procedit.* 30. *Et simul agere possunt.* 31. *& seq. Servatâ distinctione inter impedimentum Juris & facti.* 33. *& seqq. Impedimentum Juris obstat Præscriptioni.* 36. *Non item impedimentum facti.* 38. *& seqq. Proponitur difficultas, utrum in feudis & fideicommissis Præscriptio, contra proximiorem ex agnatis completa, noceat remotioribus in gradu?* 42. *Concluditur negativè.* 43. *& seqq. Quia remotiores non valent agere de Jure.* 49. *& seqq. Et quia ipsorum actio est alligata certa diei.* 53. *& seqq. Et quia jus unius ab altero non pendet.* 57. *& seq. Explicatur* Novella 159. cap. 3. 61. *& seqq. Resp. ad l.* Sticho 36. ff. de Usu & usufr. leg. 64. *& seqq. Ostenditur, quòd Præscriptio hac effectu non careat.* 66. *Contra pupillos non currit Præscriptio.* 67. *& seq. Sine distinctione inter res mobiles & immobiles.* 69. *& seqq. Explanatur* l. 4. §. 11. ff. h. t. 73. *& seq. Præscriptio Legalis, contra defunctum cœpta, contra pupillum currit, si compleatur, dum in utero latet.* 75. *Secus, si non compleatur.* 76. *& seqq. Conventionalis contra jam natum quoque pupillum currit.* 79. *& seqq. Contra latentem in utero currit etiam, quando hæreditas est adita à tutore.* 81. *Quando non est adita, currit, sed restitutione infirmatur.* 82. *Eadem ferè de minoribus sunt dicenda.* 83. *Aliàs contra ipsos non currit ordinaria.* 84. *Sed extraordinaria Præscriptio.* 85. *& seqq. Innominata quoque non currit in casibus, in quibus olim restitutio erat concessa.* 88. *De mente captis, sicuti de pupillis, est judicandum.*

§. I.

Contra quos præscribere possimus?

Contra omnes illos præscribere possumus, qui juris activi capacitatem habent, ejusque ju- 29
ris nomine agere, non impediuntur. Rota Rom.

in

in *rec. p. 4. tom. 1. dec.* 315. *n.* 8. Ratio primæ partis liquet ex dictis: qui enim præscribit, Jus quoddam acquirere, aut à jure, quô alteri est devinctus, semet exonerare intendit. Ergo ex parte illius, contra quem præscribit, necessariò prærequiritur jus activum, ne contra Philosopho-
30 rum brocardi on detur privatio sinè habitu. Ratio secundæ partis est: quia Præscriptionis causam non postremam *cap. praced. sect.* 2. *n.* 79. posui in præsumpta domini voluntate, rem aut jus abdicare cupientis. At de illo, qui agere non valet, prudenter nequeo præsumere, quòd rem aut jus abdicare cogitet. Ergo contra illum, qui agere non valet, præscribere quis non potest. Rota Rom. in *recent. p.* 5. *tr.* 1. *dec.* 315. *n.* 8. *p.* 7. *dec.* 21. *n.* 12. *& seqq.*

31 Oportet tamen pro majori conclusionis perspicuitate cum Panormitano *ad cap. ex transmissa* 10. *h. t. n.* 13. Brunnemanno *ad l.* 1. §. 2. *Cod. de Annal. Except. à n.* 15. & aliis distinguere inter impedimentum Juris, seu intrinsecum; & impedimentum facti, seu extrinsecum. *Impedimentum Juris* seu intrinsecum dicitur, quod provenit ab intrinseca inhabilitate, ipsô Jure inhibente, ne quis agere
32 hic & nunc valeat, tametsi vellet maximè. *Impedimentum facti, seu extrinsecum* nuncupatur, quod non ab intrinseca inhabilitate, sed circumstantia quadam extrinseca procedit, ita ut, spectato Jure, aliquis non prohibeatur agere, agere tamen ob distantiam v. g. morbum, defectum pecuniæ &c. de facto non possit.

33 Impedimentum primæ classis impedit Præscriptionem, uti constat I. in filiofamilias, qui totò tempore, quô patriæ potestati subjacet, agere nequit quoad bona adventitia ordinaria, in quibus pater, tanquam legalis usufructuarius, administrationem omnem exercet, intentandô & suscipiendô actiones *l. res quæ ex matris* 1. *Cod. de Bon. matern. l. cùm oporter* 6. §. 2. *Cod. de Bon. quæ liberis &c.* proindeque totô illô tempore Præscriptionem non reformidat *l. super annali* 1. § 2. *Cod. de Annal. Except. quis enim*, ait ibidem Imperator, *incusare eos poterit, si hoc non fecerint, quod, etsi maluerint, minimè adimplere, Lege obviante, valebant?*
34 Constat II. in uxore quoad bona dotalia: siquidem eorundem nomine ob competentem sibi usumfructum solus maritus & agit, & convenitur: ut adeò, stante Matrimoniô, nec major nec minor Præscriptio decenniô contra uxorem permittatur; nisi, durante Matrimoniô, maritus ad inopias delabatur: tunc enim uxor, uti agere potest, ita Præscriptionem adversùm se tolerare debet per textum disertum *in l. in rebus dotalibus* 30. *ff. de Jure Dot.* & ibi Brun. n. 13. *& seqq.* Constat III.
35 In creditore, qui habet jus exigendi debitum, certæ conditioni vel diei adstrictum: huic quippe ante conditionis eventum aut diei existentiam, cùm experiri prohibeatur, Præscriptio non præjudicat *l. cùm notissimi juris* 7. §. 4. *Cod. de Præscr. 30. vel 40. anno.* & ibi *cit.* Brunnem. *n.* 14. *&* 15.

36 Impedimentum secundæ classis non impedit Præscriptionem, ut colligitur *ex tot. tit. ff. & Cod. Ex quibus caus. major.* ubi omnibus, qui Reipublicæ gratiâ absunt, vel aliàs legitima ex causa, à Prætore cognitâ, commodè non possunt adire Judicem, conceditur restitutio contra Præscriptionem. Ex quo rectissimè infertur. Præscriptionem fuisse validam, & de Jure probatam: quia per restitutionem rescindi, aut retractari non potest, quod ante non valuit.

§. II.

Possitne contra illos etiam præscribi, quibus agendi jus non immediatè, sed mediatè competit?

Regulam dedi in *priore* §. contra impeditos agere ob impedimentum Juris, Præscriptionem non currere. In præsenti regulæ vis penitius exploranda est, an & illos includat, qui agere quidem possunt de Jure, non tamen immediatè, sed mediatè? Ut clarior sim, 37

Præmitto I. quando in *cap.* 2. n. 56. respondi, Præscriptionem, contra parentes completam, liberis quoque, nondum progenitis, obesse, me secundum Juris Naturalis, imò etiam Civilis Romani, placita respondisse. Nam quia, inspectô etiam Jure Civili, liberi verum & strictum jus ad bona parentum superstitum non habent, sed improprium tantùm & incertum valde, utpote quod mediante exhæredatione infirmari potest, & non nisi in legitima adimpleri debet: actio non suppetit, quâ Præscriptionem, contra parentes perfectam, infringere valeant. 38

Præmitto II. in pluribus Regnis & Provinciis, præsertim in Imperio Romano Germanico tum universalibus Legibus, tum generali & speciali consuetudine aut statuto receptum esse, ut bona quædam ad integram familiam quoad proprietatem pertineant, relictâ interim uni possessione, ademptâ tamen facultate alienandi bona, nisi familia consentiat. Quòd si, prohibitione non obstante, pos- 40 sessor ad alienationem deveniat, cuilibet de familia jus competit, bona alienata repetendi; servatô nihilominùs ordine, ut unus alteri, senior juniori, proximior in gradu remotiori præferatur. Sic in bonis, fideicommisso obnoxiis; sic in feudalibus accidere solet. 39

Præmitto III. quæstionem nunc enasci, an, si possessor invitâ familia alienationem attentavit, proximior autem per tempus, à Lege statutum, revocare intermisit, sicque ex supposita interim, in *seq. cap.* probanda sententia, Præscriptio contra illum processit, hæc etiam remotioribus agnatis obstaculum pariat, quò minùs alienationem impugnare valeant? 41

Mea sententia est, quòd Præscriptio, in prænominatis bonis contra proximum agnatum completa, reliquis non officiat. Ita quoad fideicommissum Knippschild *de Fideicommiss. cap.* 12. *n.* 91. *& seqq.* Chlingensperger *ad h. t. q.* 20. Rath. *cap.* 4. *assert.* 13 referens pro hac opinione responsum Facultatis Juridicæ Ingolstadiensis. Ita quoad feuda Fachinæus *lib.* 7. *Contr. c.* 12. Struv. *Syntag. Jur. feud. cap.* 13. *aphor.* 18. *n.* 4. P. Engel ad *tit. de feud. n.* 39. Quoad utrumque Hieronymus Rocca *select. disp. tom.* 1. *cap.* 7. *n.* 1. ubi plurimos allegat, & sententiam hanc dicit receptissimam; & Card. de Luca de *Judic. disc.* 21. *n.* 33. *& seqq.* 42

Ratio est I. quia non valenti agere ob impedimentum Juris, non currit Præscriptio. Sed, dum Præscriptio contra proximiorem ex agnatis in bonis vinculatis completur, remotiores in gradu agere nequeunt ob impedimentum Juris: nam in feudis remotior agnatus non habet jus proximum, quàmdiu proximior in vivis est per textum 2. *feud. tit.* 39. *& tit.* 26. §. 5. *V. Titius* ibi: *Titius, filios masculos non habens, partem suam feudi Sejo, partem ejusdem feudi possidenti agnato suo concessit. Sempronius, proximior agnatus, mortuô demum Titiô, partem illius feudi nullo datô pretiô recuperare potest.* Si- 44 militer in rebus, fideicommissô gravatis, juxta viridem 43

ridem hodierni Sæculi praxin remotior in gradu non admittitur ad successionem, quàmdiu proximior præcedit *arg. l. peto Luci* 69. §. 3. *de Leg.* 2. Ergo Præscriptio, contra agnatum propinquiorem absoluta, oon procedit.

45 Neque respondeas I. regulam illam, quòd non valenti agere non currat Præscriptio, perdere vim suam in Præscriptione longissimi temporis.

46 Contrà enim est: quia hæc regula vim habet in Præscriptione tricennaria, centenaria, & immemoriali, prout judicavit Rota Rom. in *recent. p.* 16. *dec.* 291. *n.* 12. *& seqq.* sive enim Jus Naturæ, sive Jos positivum spectemus, non videtur esse conveniens, ut qui rem aliquam, etiamsi vellet, ab ipso Jure prohibetur petere, illius dominiô privetur, tantùm ideò, quòd rei petitionem omiserit; velut in hoc puncto notavit Rota in *recent. p.* 19. *tom.* 1. *dec.* 366. *n.* 3. *&* 4.

47 Neque respondeas II. agnatis remotioribus aliud suppetere remedium, nempe facultatem, interpositâ protestatione Præscriptionem interrumpendi.

48 Contra siquidem est: quia protestatio extrajudicialis in meis principiis non habet virtutem interrumpendi Præscriptionem, præsertim si fiat ab eo, qui jus agendi efficax non obtinet.

49 Ratio est II. quia Præscriptio in rebus & juribus, conditioni vel diei adstrictis, ante conditionis vel diei existentiam non sumit exordium *l. cum novissimi* 7. §. 4. *Cod. de Præscr.* 30. *vel* 40. *annor.* At jus agnatorum in feudo aut fideicommisso est diei aut conditioni adstrictum, nempe, si ultimus & proximior agnatus decesserit *arg. l. si cùm hæres* 4. *in pr. ff. Quando dies leg.* Ergo ante diem Præscriptio non sumit exordium.

50 Nec solutum argumentum esse, tibi persuadeas velim, respondendô, quòd jus agendi in fideicommissis vel feudo statim ab initio competat toti familiæ; licèt exactio non cuilibet, sed uni duntaxat, indulgeatur.

51 Enimverò etiam creditor in diem statim ab initio habet jus agendi, utpote cùm actio quantocyus nascatur, ubi conventio est perfecta: sed, quia exactionem non habet, sive, quod idem est, actio in actu secundo est inefficax: ideò juxta *cit. l. cùm novissimi* §. 4. ante adventum diei non incipit currere
52 Præscriptio. Pariter itaque, tametsi sponte concedatur, actionem in feudo vel fideicommisso toti familiæ; exactionem è contrà tantùm uni competere: nihilo minùs, antequàm singuli possint exigere, & actionem cum effectu movere, Præscriptio suum cursum contra singulos non incipiet.

53 Ratio est III. quia, ut notat de feudis Struvius, & de fideicommissis Knippschildt *d. cap.* 12. *n.* 94. agnati non habent jus ad feudum vel fideicommissum ab agnato, proximo possessore, sed à primo feudi acquisitore, vel fideicommissi institutore, qui totam familiam eô modô & ordine vocavit, ut quilibet proximior vel senior habeat rei feudalis aut fideicommissariæ dominium usque ad mortem, posteà verò alius succedat non in jus ultimi possessoris (quod cum morte illius extinctum erat) sed in jus primi acquirentis aut instituentis, quod penès familiam semper intelligitur durare *d. l. peto luci* 69. §. 3 *ff. de Leg.* 2. Esto igitur jus unius temporis diuturnitate peremptum sit, jus tamen reliquorum fartum & Salvum manet.

54 Si dicas: eô ipsô, quòd unius ex agnatis jus perimatur, perimi quoque jus alterius: ne cæteroquin, cum ingenti Reipublicæ detrimento, Præscriptionem in feudis & fideicommissis aut omninò negemus, aut frustraneam & inefficacem admittamus.

55 Contra est; quia, ubi diversa sunt jura, quorum unum non dependet necessariò ab altero, unô peremptô, non perimitur alterum. Ergo, cùm jura agnatorum in feudo vel fideicommissis sint diversa, nec unum ab altero necessariò pendeat, jure unius, agere valentis, extinctô, jus cæterorum, agere
non valentium, intactum subsistit. Habétque Præ- 56
scriptio nihilominùs effectum respectu illius, contra quem ob potestatem agendi currere potuit; non autem respectu aliorum, contra quos ob defectum potestatis agendi nunquam est cœpta. Et ita resolvit Rota Rom. in *una Auximana fideicommissi in recent. p.* 8. *dec.* 28. *n.* 38. *& seqq. & in una Florentina affrancationis p.* 5. *dec.* 558. *n.* 7. *& seqq. & in una Bonon. Emphyt. p.* 15. *dec.* 143. *n.* 13. *& in una Romana Vineæ p.* 18. *to.* 1. *dec* 51. *n.* 2. *&* 3. ac tot Præscriptiones, quot ex agnatis personæ supersunt, requisivit.

Objicies I. cum dissentientibus, quorum cata- 57
logum exhibet Hieronymus Rocca *ubi supra n.* 3. Possunt agnati posteris, nondum existentibus, fideicommissum alienandô præjudicare per textum in *Nov.* 159. *cap.* 3. in *verb. sibi pariter & Successoribus &c.* Ergo etiam præjudicare valent, Præscriptionem admittendô *arg. l. alienationis* 28. *ff. de V. S.*

Resp. I. in feudis contrarium expressè statutum 58
esse in *supra cit.* 2. *feud. tit.* 26. §. 5. v. *titius*, ubi in casu, quô feudum ab uno ex agnatis est alienatum, proximioribus non præjudicatur, sed ab iis feudum, sic alienatum, post mortem demum alienantis, nullô datô pretiô, recuperari potest. Resp.
II. in fideicommisso quoque, familiæ relictô, per 59
cit. l. peto luci 69. §. 3. *ff. de Legat.* 2. idem dicendum; non obstante *cit. Nov. cap.* 3. utpote cum ibidem aut nullum fuerit tale fideicommissum, aut valde dubium, aut cum agnatorum consensu alienatum, ut constat ex *d. cap.* 3. *& cap.* 1. ejusdem
Nov. Resp. III. faciliùs præjudicari posteris, si 60
descendentes & non-nati sint, quàm aliis, ex latere venientibus & viventibus: præterquam enim quòd non-entis nullæ sint qualitates & jura; insuper ex *tit.* 24. §. 2. v. *denique tit.* 37. *in princip. feud.* 2. patulum est, patrem in feudis liberis, etiam jam natis, delinquendô præjudicare posse: cur non igitur & alienandô?

Objicies II. textum in *l. sticho* 36. *ff. de Usu & 61
Usufr. leg.* ubi permittitur usucapio fideicommissi contra nepótes legatarii, ignorantes qualitatem fideicommissariam, &, quàmdiu usufructuarius vivebat, agere non valentes.

Resp. hunc textum extra oleas vagari. Casus 62
enim est iste. Sticho manumisso ususfructus fundi legatus erat; simulque fidei hæredum commissum, ut post mortem Stichi Lucio Titio fundum darent. At Stichus in suo testamento hunc eundem fundum quoad proprietatem legavit suis nepotibus, quibus etiam ab illius hæredibus est traditus. *Quæsitum extat* (sunt verba JCti) *cùm nepotes legatarii Stichi ignoraverint conditionem supra scripti fundi, priore testamento datam, & plusquàm statuto tempore possederint, an eum fundum sibi acquisierint? Respondit, secundùm ea, quæ proponerentur, legatarios sibi ac-
quisisse.* Ecce! nullum hîc verbulum de fideicom- 63
misso familiæ; quin imò, dum fundus erat Lucio Titio post mortem Stichi restituendus, hoc accidit absque gravamine vel onere, adeò ut plena proprietas ad Lucium Titium spectaret.

Objicies III. vel ille, qui feudum & fideicom- 64
missum præscribit contra proximiorem ex agnatis, acquirit dominium vel non? Si primum; non ampliùs eidem potest auferri *l. id quod nostrum* 11. *ff. de R. J.* Si secundum; Præscriptio nequidem adversùs proximiorem completa poteft appellari.

Resp.

65 Resp. quòd præscripserit contra proximiorem
quoad dominium actuale, ipsi competens; quod tamen,
cùm revocabile sit propter aliorum agnatorum
dominium quasi-habituale, rursus ab illo auferri potest,
ubi post mortem proximioris dominium illud
habitoale respectu aliorum fit actuale.

§. III.

Utrùm & qualiter contra pupillos & minorennes præscribi valeat?

66 Contra pupillos nulla currit Præscriptio, si ducat
initium ex illorum persona. Balbos de *Præscripr.* 1.
p.6.princip.n.29. Rath de *Usucap. assert.* 14. Textus
præclarus *in l. sicut* 3. *Cod. de Præsc.* 30. *vel* 40. *annor.*
ubi fatali Præscriptionis extraordinariæ periodo
omnes prorsus res, personæ, & actiones subjiciuntur,
solâ pupillari ætate ex Imperatoria benignitate
exceptâ. Rota Rom. in *recent. p.7. dec.61. num.13.*
67 Nec distinguitur, uti Cujacius *lib. 24. observ. 14.*
distinguendum existimat, inter res mobiles & immobiles,
sed, quemadmodùm Præscriptione extraordinariâ
res & actiones omnes indistinctè dicuntur
concludi; ita indistinctè res pupillares ab illa Præ-
68 scriptione excipiuntur. Et sanè, si Præscriptio etiam
extraordinaria respectu pupilli exterminetur, quomodò
ordinaria trium annorum in rebus mobilibus
inveniet domicilium?
69 Præsidium distinctionis suæ Cujacius *in l. sequitur 4. §. 11. h. t.*
collocat: videtor siquidem JCtus
ibidem supponere, rem pupilli mobilem usucapi
posse, dum in casu, quô res pupillo (utique mobilis,
quæ sola objectum furti constituit) surrepta
fuit, ad purgationem vitii sufficere censet, *si tutor*
70 *ejus sciat, rediisse eam in domum pupilli.* Sed parum
hôc præsidiô efficit Cujacius: nàm *in d. textu* non
dicitur, rem pupilli mobilem absolutè præscribi posse,
sed determinatur modus, quô res, pupillo sur-
71 repta, à furti mundetur vitio. Potest autem res
pupillo esse surrepta, esto res pupilli non sit, sed
aliena, bonâ tamen fide ab eo possessa; eamque, si
vel à tutore ex auctione, vel ab alio fuerit empta,
Præscriptioni subjacere, dubitare non sinunt textus
in l. pro emptore 2. §. 8. & 15. ff. pro Emptore, & ratio,
quòd res non-pupillaris pupillarium rerum fa-
72 vore non polleat. Brunnem. *ad d. l. n.10.* Rem itaque
alienam, si pupillo auferatur, nec ipse fur, nec
alius præscribit, priusquàm in potestatem pupilli
redierit, qui, tanquàm bonæ fidei possessor in hoc,
sicut in multis casibus aliis, pro domino habetur.
Rath *d. loc. in fine.*
73 Dixi notanter: *si initium ducat ex ipsorum persona.*
Si enim adversùs defunctum fuerit cœpta usucapio,
ad stabiliendam discordantium inter se Legum concordiam,
distinguendum puto inter Præscriptionem
Legalem & conventionalem. Circa Legalem
ulteriùs dispiciendum, possitne compleri, dum pupillus
adhuc in utero existit, an non. Si prius;
continuatur Præscriptio, nec interrumpitur: quia
non tam contra pupillum, quàm ipsummet defunctum
compleri videtur *l. etiam ei 45. ff. de Minor.*
74 Licèt aliàs posthumus, quando de ipsius commodo
agitur, pro nato habeatur *l. qui in utero 7. ff. de Statu hom.*
noluerunt siquidem Jura ob incertum posthumi
nascituri eventum Præscriptionem ipsô factô
impedire, sed beneficiom restitutionis sufficere, cre-
75 diderunt. Rath. *cit. loc. in d.* Si posterius; interrumpitur:
quia, si pergeret, procederet contra pupillum,
quod Jura non ferunt. D. Franz *h. t. num.24. circa fin.*
76 Circa Præscriptionem conventionalem indistinctè
concludendum, quòd cursum immotô pede adversùs
pupillum prosequatur, & quidem sinè spe restitutionis,
si vitalem auram jam aspexerit. Stryck in
supra cit. disp. 1. ad l. Æmilius 38. ff. de Minorib. cap.5.num.5. & seqq. Dissert. Francofurt. Vol.1. Balbus
1. *part.6. princip.num.30.* Gilcken de *Præscript.
part.3. cap.1. num. 25.* ex Oddone Sfortia referens,
hanc sententiam communem esse, & in judicando
ab ea non facilè recedendum. Rationem insinuat 77
Paulus, suô tempore haud infimi subsellii JCtos *in d. l. Æmilius*:
quia non pupillus, sed defunctus conventionem
seu contractum celebravit. Sicut igitur
hæres non potest impugnare factum & contractum
defuncti, & consequenter nec lapsum temporis,
contractui præfinitum, revocare, vel invalidare, per
text. in *l. cum à matre 14. Cod. de R. V. l. quod ipsis
143. ff. de R. J.* ita nec pupillus, si contra defunctum,
cui succedit, ex contractu proprio currere
incepit Præscriptio, poterit contractum impugnare,
vel lapsum temporis revocare. Concessit equi- 78
dem Imperator *in d. l. Æmilius* restitutionem: verùm,
ut solertissimè examinavit Stryckius *d. disp.
cap.6. n.15.16. & 17.* non attentâ stricti Juris ratione,
sed Jure potestatis absolutæ usurpatô.
Quòd si in utero adhuc existat pupillus, aliam di- 79
stinctionem adornat Stryckius *cit. cap. 5. num. 11.*
Vel enim hæreditas adita est ab eo, qui delitescit
in utero, vel non, & sic adhuc est jacens. Illô casu,
si adita sit (quod fieri potest per totorem,
posthumo datum juxta §. *cùm autem 4. Institut. de
Tutelis*) Præscriptio conventionalis currit indiscriminatè
contra nondum natum, absque restitutionis
auxilio. Etenim hôc casu pro nato habetur nascitu- 80
rus, non quidem propter Præscriptionem conventionalem
principaliter, sed propter conditionem
hæreditatis: hæc enim aliàs ei deferri non posset *d.
l. qui in utero 7. ff. de Statu hom.* Et sic quia tutor
contractum defuncti implere potest, obtinet decisio
d. l. Æmilius. Hôc casu, si hæreditas non 81
adita, sed jacens sit, currit quidem Præscriptio
conventionalis, ut est textus expressus *in l. si prædio
15. ff. de Addict. in diem* & *in l. cœptam 40. ff. h. t.*
restitutio tamen non est neganda: cùm à nemine pactum
defuncti possit impleri, aut interrumpi Præscriptio
arg. d. l. etiam 45. pr. ff. de Minorib. Balbus
cit. loc. n. 50.
Quæ nunc de pupillis disserui à *n. 66.* propor- 82
tionaliter etiam de minoribus differenda sunt, quantum
nempe attinet ad Præscriptiones, contra defunctum
jam inceptas. Stryck. *d. cap. 5. num. 5. &
seq.* Verùm de Præscriptionibus, ex persona mino- 83
ris originem nactis, distinctione inter Præscriptionem
nominatam ac innominatam utendum erit: &
quidem Præscriptio nominata, si ordinaria sit, non
currit contra minorem, veluti probatur ex textu apertissimo
*in l. non est 3. Cod. Quib. non objicit. longi 84
temp. Præscr.* currit verò, si extraordinaria sit ob textum
non minùs luculentum tum in *l. sicut 3. Cod. de
Præscr. 30. annor.* ubi habetur, pupillis, adveniente
pubertate sub curatore constitutis, 30. annorum intervalla
æquè ac majoribus præjudicare; tum in *l.
ult. Cod. in quib. caus. in integr. rest. non est necess.*
ubi antiquus Præscriptionis tricennariæ valor respectu
minorennium Imperatoriâ confirmatione consolidatur.
Rota Rom. *in rec. p.10. dec.30.n.32.*
De Præscriptionibus verò innominatis in eadem 85
l. ult. sub nomine *temporalium Præscriptionum* (id
est, quæ specificum ac certum nomen non habent)
sancitum est, quòd in illis casibus, in quibus vetera
Jura earum cursum permiserunt, reservatô restitutionis
subsidiô, non ampliùs currant ex hac ratione:
quia *melius est, intacta jura servari, quàm post causam
vulneratam remedium quærere.* Quem in cen- 86
sum pertinent casus *in l. ult. Cod. si adversus Fiscum,*

quando Fiscus minoris bona sub hasta vendidit; *in l. ea tempore* a. *Cod. de in integr. restitut.* quando minor statutô tempore bonorum possessionem non petiit; *in l. in honorariis* 35. *ff. de O. & A.* quando minor actionem prætoriam, anno adstrictam, præterlabi sinit; item *in l. cum proponas* 2. *Cod. de Ædilit. action.* quando minor actionem redhibitoriam intra 6. menses, & actionem quanto minoris intra
87 annum instituere negligit. In his quippe casibus secundùm generalia Juris principia minores olim restituebantur *per l. minoribus* 8. *Cod. de in integr. restitut.* Hodie verò *post d. l. ult.* restitutione non indigent: cum ipsô Jure contra Præscriptiones innominatas sint muniti.

88 Si quæras: an contra fatuos & mente captos Præscriptio currat?

Resp. Rota Rom. *d. p. dec.* 204. n. 5. negativè: quia pupillis æquiparantur. Card. de Luca de *Judic. dec.* 21. n. 37. Idem de surdis & mutis tenuit Rota *p.* 12. *dec.* 201. *n.* 11. *& seqq.* aut saltem restitutionem indulgere voluit.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Possint inferiores præscribere contra Superiores.* 2. *Saltem quoad aliqua jura.* 3. *Imò etiam contra obedientiam translativè.* 4. *Possint quoque Superiores præscribere contra inferiores.* 5. *Licèt difficultas quandoque sit ratione possessionis.* 6. *& 7. An Episcopus possit præscribere contra exemptionem?* 8. *& seqq. Probatur affirmativa.* 11. *& 12. Exponitur virtus clausulæ irritantis.* 13. *& seq. An requiratur præscriptio centenaria contra exemptionem? Rationes pro- & contra ex Panormitano proferuntur.* 17. *& seqq. Nostra opinio declaratur.* 20. *& seqq. An præscriptioni per impetrationem privilegii tacitè renuntiatum videatur?* 24. *& seq. Cum distinctione respondetur.* 26. *& seq. An talis renuntiatio præjudicet Ecclesiæ?* 28. *An necessarius sit consensus Capituli?*

QUÆSTIO I.

An inferiores contra Superiores, & hi contra illos præscribere valeant?

1 POsse inferiores contra Superiores præscribere, patulum fit ex *cap.* 4. *num.* 394. item *nu.* 505. *& seqq.* ubi traditum cernitur, non solùm contra Episcopos omnimodam exemptionem, sed etiam contra Summum Principem jura Regalia præscribi posse. Balbus *de Præscript.* 1. *p. quinta principal. quæst.* 11.
2 Ockel. *de Præscript. Immemor. cap.* 2. *th.* 47. Et quamvis in *cap. cùm non liceat* 12. *h. t.* contra obedientiam, Superioribus debitam, Præscriptio non admittatur; nihil tamen improbatum legitur de Præscriptione aliarum obligationum, quæ, salvâ alioquin obedientiâ, possunt aboleri. Quin & ipsa
3 obedientia Præscriptionem non detrectat eô sensu, quô non absolutè & penitus extinguitur, sed ab uno Superiore ad alium devolvitur, ita ut, qui v. g. Episcopo immediatè tenebatur obedire, deinceps Soli Pontifici Maximo subjaceat. Gonzalez ad *cit. cap. nu.* 7. Ex regula itaque correlativorum
4 solidè infertur, etiam & multò magis Superioribus contra inferiores Præscriptionem suffragari per *cap. cùm dilecta* 4. *de Confirmat. ut. vel inut.* & ea, quæ notat Abbas ad *cap. ad audientiam de Præscript.*
5 *num.* 12. Quamquàm non rarò accidat, ut in Præscriptione Superiorum contra inferiores interveniant actus, ex metu reverentiali exerciti, qui, quàmdiu tales manent, impediunt quietam possessionem, sinè qua Præscriptio inchoari & continuari nequit *arg. l. nihil consensui* 116. *in pr. ff. de R. J. l. si quis* 10. *in pr. ff. si servit. vindic. l. si cui* 1. *§. ult. v. sanè enim ff. de Aqua & aq. pluv. arc.*

An verò Superior v. g. Episcopus poterit præscribere contra exemptionem subditorum, quando 6
privilegium est munitum clausulâ irritante omnes actus, contra tenorem exemptionis positos aut ponendos? Quòd præscribere non possit, adstruit Clariss. P. Söll de *Præscript. d. p.* 1. *cap.* 2. *§.* 1. *num.* 80. ex ea ratione: quia Præscriptio non datur, ubi deest titulus, & bona fides cum posses- 7
sione; decretum verò irritans inficit titulum & possessionem, ligatque ignorantes, afficitque omnia, quæ sequuntur, ut nec Juris effectum, nec fomentum habeant. Verùm tamen, insistendô meis prin- 8
cipiis, etiam in hoc casu Præscriptionem admittere debeo. Siquidem tanta virtus clausulæ irritantis non est, ut Præscriptionem quadragenariam, aut saltem immemorialem, sustineat: hôc enim non obstante, potest adesse bona fides, partim Juri Communi, Episcopo Jurisdictionem in suos diœcesanos universim tribuenti; partim justæ ignorantiæ specialium privilegiorum innixa: potest etiam 9
concurrere legitima possessio, ex jugi exercitio diversorum actuum Jurisdictionalium elicita, tantôque tempore continuata, ut Præscriptio legitimum complementum acceperit. Et licèt titulus vi ejus- 10
dem clausulæ censeatur infectus aut sublatus; quia tamen in Præscriptione quadragenaria titulus non requiritur, præterquàm si Jus Commune resistat, &, ubi Jus quoque resistit, adhuc vires suas exserit Præscriptio immemorialis *cap. Episcopum* 1. *h. t. in* 6. ideò tituli infectio aut sublatio Præscriptioni nullum ponit impedimentum. Eámque ob causam 11
clausula irritans nihil aliud operatur, quàm quòd actus, contra exemptionem exerciti, ante completum Præscriptionis tempus valore Juris destituantur; sicut & alii actus, sinè legitimo titulo, durante & currente Præscriptionis tempore, exerciti, valorem Juris, saltem stabiliter, haud consequuntur. Pro cujus majori robore multùm conferent 12
dicta in *cap.* 4. *à num.* 107. ubi Præscriptionem in rebus Ecclesiæ immobilibus, perperam alienatis, concedimus; non attentô, quòd in *cap. hoc consultissima* 2. *de Reb. Eccl. alienand. in* 6. habeatur clausula irritans, & alienatio tam severè annulletur, *ut nec Jus aliquod tribuat, nec præscribendi etiam causam paret.*

Sed, an Præscriptio contra exemptionem, nullâ 13
quoque clausulâ irritanti vestitam, debeat esse necessariò centenaria; an quadragenaria sufficiat? Abbas Panormitanus in utramque partem argumenta subministrat. Nam ad textum in *cap. cùm dilecta* 4. *de Confirmat. ut. vel inut. num.* 11. *& seq.* scribit, quòd contra exemptum & Papæ immediatè subjectum possit præscribi spatiô 40. annorum, quatenùs præjudicat ipsi privilegiato; sed, quatenùs præjudicat Papæ, requiratur spatium centum annorum, quô privilegiô Romana Ecclesia gaudet non solùm in rebus privatis ipsius Ecclesiæ Romanæ, sed etiam in omnibus juribus & possessionibus, quæ competunt ratione libertatis datæ. Et hæc opi- 14
nio propiùs accedit ad textum in *cit. cap.* ubi Innocentius III. in simili exemptionis causa, inter Abbatissam Ecclesiæ Gandevensis, & Ecclesiam Hildesiensem agitatâ, Præscriptionem, contra exemptionem oppositam, quoad centum annos solummodò respectu ipsius Ecclesiæ Romanæ agnovisse videtur, dum præfatam Abbatissam in Sedis Apostolicæ procuratricem constituit *in verbis: ne jus Ecclesiæ Romanæ remaneat indefensum, eandem*

Abbatissam

Abbatissam procuratorem ipsius duximus statuendam, ut, cùm adversus Romana Ecclesia possessiones & jura non nisi centenaria currat Præscriptio, ipsa super hoc & aliis vice nostrâ procuret, quæ coram te in judicio fuerint procuranda. Idemque repetit ad textum in
15 *cap. ad audientiam h. t. num.* 12. Et nihilominùs hoc ipsô in locô in opinionem adversam propendet *cit.* Abbas, „ in contrarium tamen, dicens, judi-„ ciô meô nullùm facit, quod notatur in *cap. man-„ datum de Rescript.* ubi concluditur, quòd quis „ potest defendere se ex jure tertii; ex quo con-„ cluditur, actori jus non competere, saltem ubi „ non allegat turpitudinem propriam: facit *cap.* „ *cùm dilectus de Jure Patron.* & *cap. authoritate* „ *Martini de Conceß. præb.* sed certum est, quòd „ contra Ecclesiam Romanam etiam respectu juris, „ quod habet in Ecclesia exempta, non currit Præ-„ scriptio, nisi centenaria ut in *d. cap. cùm dile-„ cta*: ergo potest Ecclesia inferior dicere Episco-„ po: non potes erga me uti Jurisdictione, quia „ sumus immediatè subjecti Ecclesiæ Romanæ, con-
16 „ tra quam non est completa Præscriptio. Addit „ deinde in *num.* 13. & tunc oportet dicere ad *cap.* „ *cùm dilecta* quòd ad majorem cautelam Papa „ constituit illam Abbatissam procuratricem: & „ fortè hæc pars est verior, cùm exemptus non „ possit, etiamsi velit, expresè renuntiare privile-„ gio libertatis, vel in inferiorem Judicem con-sentire ut in *cap. cùm tempore de Arbitr. not.* Joan. Andr.

17 Putem, Abbatem Panormitanum (cujus sententiam præter alios sequitur Clariss. DD. Franz ad *tit. Inst. de Usucap. num.* 38.) si accuratiùs inspiciatur, quadragenariam Præscriptionem contra Ecclesiam exemptam utcunque defendere, utpote quæ non obscurè ex *cap. volumus* 2. *XVI. q.* 4. eruitur etiam in casu, quô in consequentiam Ecclesiæ Ro-
18 manæ præjudicium infertur: exceptionem tamen de jure tertii vel ideò exemptæ Ecclesiæ permittere, quòd, quamdiu contra Ecclesiam Romanam Præscriptio centenaria nondum completa noscitur, non alium Judicem quàm Pontificem Romanum, habeat; adeóque de jure tertii excipere possit, vel ex tacito consensu Papæ, vel ex potestate, à Jure per textum in *cit. cap. cùm dilecta* 4. *de Confirmat. ut. vel inut.* concessâ. Vid. P. Wiest-
19 ner ad *h. t. num.* 91. Interim, si Pontifex, probatâ Præscriptione quadragenariâ, nollet pro Ecclesia Romana urgere probationem centenariæ, aut etiam, ne urgeatur hujusmodi probatio, interdiceret, Ecclesia exempta de jure tertii, veluti abdicato aut remisso ab ipso Summo Pontifice, excipere non posset.

QUÆSTIO II.

Possitne quis Præscriptioni renuntiare?

20 Ventilata hæc quæstio in *præf. cap.* à n. 22. Sed quia ibidem de renuntiatione expressa principaliter actum est; modò indagare juvat: detúrne etiam tacita Præscriptionis renuntiatio? Ansam dubitandi præbet textus in *cap. veniens* 19. *h. t.* ubi Innocentius III. in casu, quô Abbas S. Martini in Hungaria contra Episcopum Vesprinensem exemptionis privilegium simul & Præscriptionem oppo-
21 suerat, ita respondet: *nec obstare poterat Præscriptio, quam idem Abbas in suum subsidium opponebat, quia, si consummata erat, quando ab Alexandro Papa privilegium impetravit, juri Præscriptionis renuntiâsse videtur, præsertim cùm coram nobis privilegiô sit usus, quod suæ intentioni (quantum ad hunc articulum) contradicit. Si verò nondum consummata erat Præscriptio, sed erat in præscribenda, post impetratum hujusmodi privilegium, bonam fidem non habuit, & ideò secundùm Canones non præscripsit.* Collìgit hinc, & concludit Glossa 22
in *verb. renuntiâsse*, privilegium & Præscriptionem sibi invicem esse contraria, ex quo simul haberi non possunt; imò ingressum unius operari exclusionem alterius: indeque alii inferunt, eum, qui completâ jam Præscriptione impetrat privilegium, censeri tacitè Præscriptioni renuntiâsse: quia ex diversis causis non potest haberi dominium *cap. inter dilectos* 6. §. *cæterùm de Fide Instrum. l. possideri* 3. §. 4. *ff. de Acquir. vel amitt. possess. l. & an eadem* 14. §. 2. *ff. de Except. rei jud. l. non ut* 159. *ff. de R. J.* Verùm Panormitano ad *d. cap. veniens* 23
nu. 18. non placet hæc doctrina: quia, licèt quis, „ inquit, dominium ex pluribus causis non possit „ acquirere, tamen potest ad cautelam varios titu-„ los multiplicare, non ad effectum consequendi „ jus ex variis titulis, sed ut ex illis possit se defen-„ dere, ut in *cap. post electionem* 1. *de Conceß. præb.* „ *cap. cùm dilectus* 8. *de Consuetud. cap. cùm personæ* „ 7. *de Privil.* in 6. *l. fundo legato* 4. *ff. ad L. Falcid.*
Meliùs igitur dicendum existimat, quòd in *cit. cap.* 24
veniens ideò per impetrationem privilegii renuntiatum esse videatur Præscriptioni: quia privilegium & Præscriptio se invicem non compatiebantur, dum per Præscriptionem omnimoda libertas competebat, privilegium verò in se habebat moderamen, ut patet ex litera; secus autem dicendum, si privilegium concessisset, quod Præscriptio; & hunc intellectum, eôdem attestante, sequuntur hic communiter Doctores. Concludit deinde Ab- 25
bas generaliter, quòd, ubi privilegium, post Præscriptionem completam impetratum, habet formam Præscriptioni contrariam, impetratio privilegii habeat vim tacitæ renuntiationis, etiamsi quis privilegiô impetratô usus non fuerit, uti in *n.* 19. ulteriùs declarat.

Quomodò autem aliquis Prælatus Ecclesiasti- 26
cus, de quo sæpe *cit. cap. veniens* loquitur, impetrandô privilegium contrarium possit juri, per Præscriptionem jam acquisito, renuntiare, cùm tamen juxta *cap. fraternitatem* 2. *de Donat.* Ecclesiæ conditionem nequeat facere deteriorem? Disputat latiùs Abbas *ibid. num.* 21. ac, præmissis variis solutionibus, tandem concludit: „ aut quæ- 27
„ ritur, an Prælatus possit cum enormi damno Ec-„ clesiæ renuntiare jura Ecclesiæ; & dicendum, „ quòd non, ut in *d. cap. fraternitatem* & in *cap.* „ *constitutus de Elect.* aut quæritur, nunquid pos-„ sit cum levi præjudicio, & dicendum, quòd sic, „ ut in *cap. cæterum de Donat. cap. terrulas XII q.* 2.
Hæcque in *num.* 22. vera pronuntiat, nisi per pa- 28
ctum vel tacitam renuntiationem redeatur ad Jus Commune: tunc enim putat, præjudicari Ecclesiæ, non habitâ distinctione inter præjudicium grave & leve, adducens textum notabilem in *cap.* 1. & 2. *de Pact.* in 6.

An verò in hac renuntiatione Prælati, tacitè 29
vel expresè factâ, requiratur consensus Capituli? Vid. eundem Abbatem *ib. num.* 23.

CAPUT IV.

De Materia seu Objecto Præscriptionis.

Materia seu objectum Præscriptionis latum planè & amplum esse, constat *ex cap. 1. num.* 16. cùm enim ibidem adverterim, jus vel liberationem à jure objectum Præscriptionis constituere; jus verò sit multiplex, publicum & privatum, sacrum & profanum, reale & personale &c. consectaneum est, ipsum objectum, hic explicandum, in longissimum discurrendi campum patere. Ut autem totam materiæ amplitudinem hic constringam, in *prima sect.* res & Jura præscriptibilia in genere; in *secunda* obligationes quasdam & actiones personales; in *tertia* Jura Ecclesiastica; in *quarta* Jura publica & principalia in medium adducam.

SECTIO I.

De Rebus & Juribus Præscriptibilibus in genere.

SUMMARIA.

1. *& seqq. Res omnes sunt præscriptibiles, nisi ostendantur excepta.* 4. *Excipiuntur res extra commercium.* 5. *Sacra, sancta, religiosa.* 6. *& seq. Res tamen sacra, si profanentur, aut ad usum profanum non applicentur, sunt præscriptibiles.* 8. *& seq. Uti jus sepeliendi mortuum.* 10. *&* 11. *Respublica, communes, & universitatis in sensu composito nequeunt præscribi.* 12. *Limites quoque Præscriptionem effugiunt.* 13. *& seq. Si considerentur formaliter.* 15. *Ac certi fini.* 16. *Non item, si materialiter spectentur.* 17. *& seqq. Liber homo non cadit sub Præscriptionem.* 20. *& seq. Sed libertas.* 22. *& seq. Nec Jura Ecclesiastica sub Præscriptionem Laicorum.* 24. *& seqq. Privilegium & Præscriptio immemorialis non æquiparantur, stante incapacitate possessionis.* 27. *& seq. Res vitiosæ non præscribuntur.* 29. *Res furtiva non præscribuntur.* 30. *Neque à fure.* 31. *Neque à bonæ fidei possessore.* 32. *& seq. Tempore ordinariô.* 34. *Usque dum vitium furti purgetur.* 35. *& seqq. Ostenditur modus purgandi vitium.* 44. *& seqq. Agitur de fructibus rei furtivæ.* 39. *& seqq. Res, vi occupata, nequeunt præscribi.* 51. *& seq. Ne quidem à tertio possessore.* 53. *Tempore ordinariô.* 54. *& seq. Donec vitium purgetur.* 56. *Idem asseritur de rebus acceptis contra L. repetundarum.* 57. *& seqq. Corollaria.* 61. *Examinantur actus meræ facultatis.* 62. *& seqq. Describuntur, & declarantur.* 66. *& seqq. Dividuntur in proprios & improprios.* 69. *& seqq. Hi sub dividuntur in affirmativos & negativos.* 71. *& seqq. Proprii respuunt omnem Præscriptionem.* 74. *& seqq. Non item improprii.* 77. *& seqq. Differentia inter actus negativos & affirmativos.* 87. *& seqq. Instantia cum responsione congrua.* 91. *& seqq. Corollare.* 94. *Secundùm aliquos res, alienari prohibitæ, nequeunt præscribi.* 95. *& seqq. Recensentur ejusmodi res, & adducitur textus in* l. 28. in pr. ff. de V. S. 98. *Si prohibitio sequatur alienationem, non impedit Præscriptionem.* 98. *& seqq. Si præcedat, etiam non impedit Præscriptionem simpliciter, nisi præscribens sit incapax possessionis.* 101. *& seqq. Variæ responsiones ad* cit. l. 28. 106. *Status quæstionis.* 107. *& seqq. Res Ecclesiastica, perperam alienata, præscribi valent.* 121. *& seqq. Objecta formantur, & reformantur,* 123. *& seqq. Feuda quoque, illegitimè distracta, Præscriptionem tricennariam admittunt.* 126. *& seqq. Opponitur, & explanatur textus in tit.* 55. Feud. 2. 140. *& seqq. Res, fideicommisso subjecta, pariter recipiunt Præscriptionem 30. annorum, non verò minorem,* 148. *& seqq. Res dotales, mobiles & immobiles, stante matrimoniô, sunt immunes à Præscriptione.* 152. *& seqq. Ponuntur exceptiones.*

§. I.

De Rebus & Juribus, humano commercio exemptis.

PRæ omnibus in principio hujus Capitis admo- 1
nere volo, in materia Præscriptionis pro in-
fallibili & perpetua regula tenendum, quòd res om-
nis, sive corporalis, sive spiritualis; sive mobilis,
sive immobilis; sive publica, sive privata Præscrip-
tioni sit obnoxia, nisi peculiari Legis exemptione
fuerit munita. Desumitur hæc regula ex *l. sicut in* 2
rem 3. *l. omnes nocendi* 4. *Cod. de Præscr.* 30. *vel* 40.
annor. ubi Imperatores Theodosius & Anastasius res
& jura omnia determinatô temporis spatiô circum-
scribunt. Ideóque non abs re objectum Præscri- 3
ptionis ad jus prohibitorium revocari posset, cujus
ea est indoles, quòd omnia videantur permissa, quæ
specialiter prohibita non reperiuntur *arg. cap. cùm
apud* 23. *de Sponsal. l. mutus* 43. §. 1. *ff. de Procu-
rator.*

Prima verò exemptio & exceptio est in rebus & 4
juribus, humano commercio non subjectis: Præ-
scriptio namque, ut pridem indicatum est, vel jus,
vel liberationem operatur. At jus vel liberationem
operari non potest circa res, quarum usus, com-
mercium, & dispositio hominibus est interdicta.
Adeóque res, humano commercio non subjectas,
intra objecti sui latitudinem Præscriptio non com-
prehendit. Et hinc excluduntur à Præscriptione

I. Res sacræ, sanctæ, & religiosæ §. *sed aliquan-* 5
do 1. *Inst. l. usucapionem.* 9. *ff. h. t.* harum quippe
rerum tanta in Jure habetur veneratio, ut neque
actu neque potentiâ liberæ hominum dispositioni
subjectari posse, dicantur. Clariss. D. Collega Franz
ad tit. Inst. de R. D. num. 2. Quoad sacras tamen 6
res doctissimè advertit Magnif. P. König ad *h. t. n.* 7.
eas, si rursus profanarentur, Præscriptioni fore sup-
positas: quia videlicèt primævam qualitatem conse-
crationis, ob quam humanum effugerant commer-
cium, perdiderunt *arg. l. cùm loca* 36. *de Religios.
& sumpt. fun.* Imò, cùm circa res sacras, quate- 7
nùs sunt tales, verum dominium quoad dispositio-
nes pias & non-dedecentes dari valeat, ut ostende-
tur in *tract.* de *Jure Propriet. tom.* 2. *l.* 3. in eo quo-
que sensu Præscriptionem non evitant. Quod res re- 8
ligiosas concernit, cum eodem P. König, Gonzalez,
& Accursio distinguendum inter dominium loci re-
ligiosi seu sepulchri, & jus mortuum ibidem sepe-
liendi: illud sub Præscriptionem non cadit *arg. l.
monumenta* 14. *Cod. de Legat.* ubi, cùm monumenta
ne quidem legari posse ferantur, rectè concluditur,
ea nec præscribi posse: quia nempe illa fundi por-
tio,

tio, cui humanum est illatum cadaver, respuit do-
minium hominis: quô etiam sensu intelligenda ve-
nit *l. longa possessione* 4. *ff. de Mort. infer.* ibi: *longâ*
9 *possessione jus sepulchri non tribui.* Hoc verò Præ-
scriptionem admittit per *l. monumentorum* 6. *Cod. de
Religios. & sumpt. fun.* ubi ita decernitur: *Præscri-
ptio autem longi temporis, si justam causam ab initio
habuit, vobis proficiet* (intellige pro jure sepelien-
di, cujus ab initio fit mentio) & meritò, quia jus
sepeliendi est in continuo usu & commercio homi-
num per *d. l. monumenta* 14. *Cod. de Legat.*

10 *II.* Excluduntur res publicæ, communes, uni-
versitatis; uti sunt mare, aër, littora, flumina, fe-
ræ, lora, viæ publicæ &c. quæ licèt absolutè non
dedignentur humanam subire potestatem, cùm de
facto & maria & flumina & littora eorúmque jura
in dominium Regum, Rerumpublicarum, & Prin-
cipum transierint, veluti pluribus commemorat
Georg. Adamus Struv. *in Syntag. Juris feud. cap.* 6.
11 *th.* 7. attamen, quàmdiu remanent communes, pu-
blicæ, vel Universitatis, à privatis quà talibus præ-
scribi nequeunt *l. usucapionem* 9. *l. Præscriptio* 45.
in pr. ff. de Usurpat. & usucap. ut sic enim privato-
rum commercio quoad proprietatem non subsunt
pr. §. 1. *&* 2. *Inst. de R. D.*

12 III. Excluduntur limites & termini Regionum,
Provinciarum, Diœcesium, & Parochiarum *cap.
quicunque* 4. *cap. licèt* 5. *XVI. q.* 4. *cap. super eo* 4.
de Paroch. ne scilicèt inextricabilis confusio ex con-
fusione vel immutatione limitum aut terminorum
oriatur.

13 Distinguendum tamen est inter limites formaliter
& materialiter consideratos. *Formaliter* conside-
rati, quatenùs sunt ratio formalis terminandi &
discernendi unam Regionem, Provinciam, Diœ-
cesin, aut Parochiam ab altera, nullam admittunt
Præscriptionem juxta citatos textus & rationem
14 datam; cui superaddi potest alia, quòd in limiti-
bus, præter Jus publicum, aliquid sacrum ipsimet
etiam Gentiles agnoverint. Panormitan. *ad cit. cap.
super eo num.* 6. Barbosa *ibidem num.* 10. Gonzalez
ad *cap. ex literis* 3. *de Probat. num.* 5. Hierony-
mus de Monte *in tr. de Fin. regund. cap.* 107. *n.* 2.
15 Suppositò, quòd de limitum certitudine per lapi-
des, testes, vel instrumenta constet propter tex-
tum in *cap. volumus* 2. *d. XVI. q.* 4. *cap. quia indi-
cante* 9. *h. t.* ubi quadragenaria Præscriptio in fini-
bus Ecclesiasticis, si non constet de eorum certitu-
dine, manifestè comprobatur: utpote cùm magis
declarari, quàm præscribi videantur. Barbosa *cit.*
16 *l. n.* 4. P. Wiestner ad *tit. de Paroch. num.* 31. At
limites, *materialiter* spectati, quatenùs sunt pars
fundi & soli, ac subjectum, in quo jura circa res
corporales & incorporales exercentur, præscribi
possunt, ut concludenter eruitur ex *cap. ad aures*
6. *cap. audiris* 15. *h. t. cap. Episcopum* 2. *eod. in* 6.
in quibus stabilitur Præscriptio, quâ unus Episco-
pus vel Parochus jura Parochialia vel Episcopalia
intra fines alterius Diœcesis aut Parochiæ acquirit;
junctô textu in *l. pro tempore* 2. *§.* 6. *ff. pro Emptore.*
Felinus ad *cit. cap. indicante num.* 5. P. Engel ad
h. t. n. 8. Wiestner *d. l. num.* 32. Gietle 2. *p. Pan-
dect. q.* 31. *in f.* Clarissimus P. Schmalzgrueber ad
cit. tit. num. 30.

17 IV. Excluditur liber homo: cùm enim ex una
parte libertas tantâ circumfluat excellentiâ, ut æsti-
mationem non recipiat *l. libertas* 106. *ff. de R. J.* ex
altera verò parte tantâ scateat suavitate & volupta-
te, ut ejus recuperandæ occasionem nemo præ-
sumatur negligere, uti loquitur Pufendorff de *J.
N. & G. sæpe cit cap.* 12. *§.* 2. is, qui diuturnô tem-
pore in servitute perstitit, atque ad libertatem non
proclamavit, potiùs conditionem suam ignorâsse,
quàm recuperationem ejusdem vilipendisse præ-
sumitur, ab omni prorsus Præscriptione securus.
Textus in *§.* 1. *Instit. h. t. l. ult. Cod. de longi temp.
Præscript. quæ pro libert.* Et licèt in hac *l. ult.* 60. 18
annorum meminerint Imperatores; id tamen non eô
sensu exaudiendum, quasi ulterior & major Præ-
scriptio adversùs libertatem concessa sit, sed cum
Arnoldo Vinnio *ad d. §.* 1. ita exponendum, ut 60.
anni, velut communis humanæ vitæ terminus, non
per modum taxationis, sed declarationis tantùm ad-
jecti intelligantur: cùm etiam Præscriptio, quæ
major est 60. annis, ibi: *etiamsi* 60. *annorum curri-
cula excesserit*, luculenter submoveatur. Quòd ve- 19
rò liber homo non semel in Jure pro servo possideri,
asseratur, id non tam ex veritate, quàm ex bona
fide, justô errore munitâ, provenit. Vide D. Rath
de Usucap. cap. 4. *assert.* 2.

Aliud è contrario de Præscriptione pro liberta- 20
te recuperanda dicendum, cujus favore Diocletia-
nus & Maximianus in *l. præstat* 2. *Cod. d. t.* illos
pronuntiârunt liberos & cives Romanos, qui in
possessione libertatis per 20. *annorum spatium sinè in-
terpellatione morati essent.* Quam decisionem non- 21
nulli apud Pirhing *ad h. t. sect.* 1. *§.* 3. de casu ab-
sentiæ interpretantur, Præscriptionem decennii in
casu præsentiæ adstruentes, ea forsitan ex ratione:
quòd tam in *rubricâ* illius tituli, quàm *in princ. d.
l. præstat.* de longo tempore sermo sit, quod ordi-
nariè inter præsentes ad decennium, inter absentes
ad vicennium ascendit. Cui disquisitioni, cùm ver-
tatur in materia jam obsoleta, diutiùs immorari,
non vacat.

V. Excluduntur jura Ecclesiastica, cujusmodi 22
sunt jus eligendi, conferendi beneficia Ecclesiasti-
ca, cognoscendi & judicandi Causas Ecclesiasti-
cas, quæ, tametsi à Clericis præscribi possint, neu-
tiquam tamen à Laicis: utpote quorum commer-
cio non sunt obnoxia per *cap. causam* 7. *h. t. c. de- 23
cernimus* 2. *de Judic.* P. Engel *h. t. nu.* 6. Ut adeò
Laici, etiamsi sint per mille annos in usu ejusmodi
jurium constituti, nihilo minùs præscribere neque-
ant, uti cum Joanne Andrea & Azorio tradit P.
König ad *eund. tit. num.* 12. quoniam lapsus cujus-
cunque temporis jura spiritualia patrimonio & com-
mercio Laicorum addicere non potest. 24

Nec refert, quòd S. Pontifex ex plenitudine po-
testatis Laicos ad jura Ecclesiastica per privilegium
habilitare, & consequenter eadem habilitas Præ-
scriptione temporis immemorialis, quæ privilegio
æquiparatur juxta textum & DD in *c. super qui- 25
busdam* 26. *de V. S.* acquiri valeat. Sciendum
quippe, & probè inscribendum memoriæ, regu-
lam, quæ Præscriptionem immemorialem privilegio
æquiparat, fallere in casu, quô ex persona præscri-
bentis reperitur incapacitas possidendi: licèt enim
privilegium ex non-capaci possit facere capacem
(prout antiquis & modernis temporibus diversa ju-
ra Ecclesiastica fuisse Laicis Principibus concessa,
notant DD. infrà citandi) idem tamen non potest 26
efficere Præscriptio, cujuscunque sit temporis;
quia fundatur super possessione, quæ, cùm præce-
dere debeat Præscriptionem, incapacitatem ex par-
te Laici non tollit, sed facit, fovet, & conservat.
Ita communis DD. opinio sentit cum Panormitano
nostro *ad d. c. causam h. t. num.* 7. Covarruvia *lib.*
1. *Var. resolut. tom.* 2. *cap.* 10. *n.* 14. *& c.* 17. *num.* 6.
Balbo *de Præscrips.* 1. *part.* 5. *princip. q.* 7. *num.* 16.
Qua de re plura inferiùs, ubi de Præscriptione de-
cimarum agendum erit, disputabimus.

§. II.

De Rebus Vitiosis.

27 Altera exceptio & exemptio est in *rebus vitiosis*, quæ noo exinde tales dicuntur, quòd reverà in se vitium aliquod continea nt, sed denominantur ab eo, qui scelere, delictô, & vitiô illas seu contrectavit, seu usurpavit; ita tameo, ut fictione Juris malignâ quâdam infectæ qualitate reputentur, cum qua ad omnes omninò possessores transeunt.

28 Tale vitium reperitur in *rebus furtivis*, *vi possessis*, & *contra Legem Juliam repetundarum* à Magistratu, Judice, Assessore &c. eô fine acceptis, ut aliquid decernerent vel non decernerent, vel aliquid magis aut minùs officio suo facerent, ad qood tamen aliàs vi & virtute sui muneris erant obligati. Pro majori dilucidatione hujus materiæ

29 Dico I. Res furtivæ non tantùm ab ipso fure, sed etiam à bonæ fidei possessore tempore ordinariô præscribi nequeunt, donec vitium fuerit purgatum.

30 Dixi I. *non tantùm ab ipso fure.* Quod & lippis & tonsoribus manifestom credo, lumine rationis cuilibet sanæ mentis dictante, absurdum planè esse, furem afficere præmiô, & summam ioiquitatem inexplicabili subinde commodô remunerari.

31 Dixi II. *sed etiam à bona fidei possessore &c.* Ita enim sub ipsa Juris Romani primordia, uti refertor in §. *furtiva quoque* 2. §. *quod autem* 3. *Instit. l. non solum* 33. *in princ. ff. h. t.* cautum erat, ne rei furtivæ usucapio admittatur. Indignum oempe & absonum primi Jurisprudentiæ Parentes judicàrunt, ut dominus priveiur jure rei, quam neque tractavit negligenter, neque curare intermisit, neque habere voluit pro derelicta; sed fraudulentiâ alterius perdidit machinatione.

32 Dixi III. *tempore saltem ordinariô.* Nam communis & recepta sententia, quam refert Magnificus P. König ad *h. t. num.* 24 res furtivas, à tertio bonæ fidei possessore, v. g. emptore aut furis hærede possessas, extraordinariæ Præscriptioni 30. vel 40.
33 annorum reddit subjectas. Ratio est: quia tanto tempore omnes prorsus actiones, sive reales sive personales, exspirant *l. sicut* 3. *l. omnes* 4. *Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor.* etiam, quæ de re furtiva sunt conceptæ, uti est textus disertus in *l. super annali* 1. §. 1. *Cod. de Annali Except.* Ergo & ipsa res furtiva eôdem tempore Præscriptionis fatalem terminum agnoscat, necesse est: uti enim post 30. annos peti amplius non potest; ita restitui ampliùs neo debet.

34 Dixi IV. *usque dum vitium fuerit purgatum*: hoc est, usque dum res, furiô ablata, in potestatem domini scientis eôdem modô fuerit reversa, quô aote fuit. Unde ad purgationem vitii requiritur

35 I. ut res ad dominum, vel eum, qui locô domioi habetor (qualis est in Jure nostro tutor & curator, ad quos res pupillo, minori, vel furioso ablata, si revertatur, vitium exuit *l. interdum* 56. §. 4 *ff. de Furtis*; nisi ipsemet tutor pupillo furtum intulerit: tunc enim ad purgandum vitium res ad pupillum redire debet: quia tutor in re pupilli tunc domini locô habetur, cùm tutelam administrat, noo cùm pupillum spoliat, uti differit Jolianus *in l. qui fundum* 7.
36 §. 3 *ff. pro emptor.* Zoës. ad *ff. h. t. n.* 20.) revertator, & non ad eum, cui res fuerit sorrepta v. g. commodatarium, depositarium &c. *l. sequitur* 4. §. 6. *ff. h. t.* præterquàm si ipse depositarios aut similis detentor rem, lucri faciendi causâ à se venditam, ex pœnitentia, sive sciente sive ignorante dominô, redeme-
37 rit *d. l. sequitur* §. 10. Nec sufficit, rem, domioo ablatam, ad procuratorem pervenisse: qooniam *captiosum* esset juxta responsum Neratii in *l. si rem* 5. *ff. d. t.* ne fortè, uti advertit D. Rath *cap.* 4. *assert.* 20. *l. d.* procurator cum fure colluderet.

Quòd si pignus ab ipso debitore creditori surre- 38
ptum fuerit, diffident inter se & Leges & Legum Interpretes, ad quemnam redire debeat, ut vitium purgetur. Mihi præ aliis arridet distinctio, quâ Clariss. D. Rath *d. l. assert.* 23. separat dominium rei pignoratæ ab actione hypothecaria, ejus nomine proditâ. Dominium rei pignoratæ vitiô furti non afficitur, si ab ipso debitore creditori ablata, ad alium pervenerit: quia ad rationem furti requiritur, ut res aliena auferatur invito domino; res verò pignoratitia nec est aliena quoad proprietatem respectu debitoris, nec aufertur invito domino: & ideò, deficiente furti vitiô res pignorata potest a tertio præscribi, in quem debitor illam transtulit; sicque intelligo textum in *l. sequitur* 4. §. 21. *ff. h. t. l. si rem* 5. *ff. pro Emptore.* Quando autem in §. *aliquando* 39
10. *Inst. de Oblig. quæ ex del.* Justinianus debitorem, qui pignus creditori subducit, furti *in re sua* commissi damnat, hoc sensu accipiendus est, ut intelligatur quidem in re sua, sive *rei suæ* furtum facere; verùm quatenùs aliena est, nempe quatenùs possessionem alienam interverterit: vel, si Philosophorum more loqui placeat, ita explicabitur Imperator, ut debitor non faciat furtum rei suæ, quatenùs suæ, seu specificativè, sed, quatenùs & sub respectu alienæ, seu reduplicativè. Unde alterum 40
distinctionis membrum suâpte sponte resolvitur quoad actionem hypothecariam, quòd huic ante non præscribatur, quàm pignus ereptum io potestatem creditoris postlimiñiò pervenerit: quò pertinent *l. si quid ult. ff. h. t. & l. cùm sit* 6. *Cod. de Usucap. pro emptor.* dum Præscriptionem rei pignoratæ tum demùm admittunt, quando creditoris manum iteratò subierit: intelligunt enim Præscriptionem rei pignoratæ, in quantùm est affecta jure pignoris, & inde oriundâ actione hypothecaria.

Requiritur II. ad purgationem vitii, ut res ad 41
dominum scientem revertatur *l. si ad dominum* 86. *ff. de Furt.* Unde res peculiaris, servô vel cooperante vel invitô interversa, tamdiu manet vitiosa, quàmdio ejus recuperationem dominus ignorat; quemadmodùm pluribus videre est in *sæpe cit. l. sequitur* §. 7. 8. *&* 9. *ff. h. t.* Res verò, pupillo aut furioso surrepta, vitium amisisse censetur, si modò ejos reditum & restitutionem tutor aut curator resciverit *d. l.* §. 11. *h. t.*

Requiritur III. ut res eô modô, eôdem jure, eâ- 42
dem caosâ ad dominum reversa sit, quô anteà penes illum extiterat, hoc est, ex jure pristini dominii, non verò ex jore novi tituli: si enim dominus, nesciens rem suam esse, eam aut à fure, aut etiam à bonæ fidei possessore redemerit, furtiva esse non desinit *d. l.* §. 12. Id tamen non exigitur, ut corporalem rei 43
apprehensionem vel possessionem dominus nanciscatur: sive enim rei æstimationem acceperit, sive ipsius voluntate & consensu res in alium translata fuerit, ad ipsum per fictionem brevis manûs redusse, & posteà primùm alienata fuisse videtur *d. l.* §. 13. *&* 14. & ibi Brunneman. *num.* 6.

Hæc satis explorata sunt. Utrùm verò rei furti- 44
væ fructus eâdem ratione furti laborent vitiô? In quæstionem vocatur. Et partem affirmativam sustinet Bachovius in *disp.* ad *Treutler. h. t. th.* 3. *lit. B. in fin.* ob textum in *l. qui vas* 48. §. 5. *de Furt.* io cujus fine Ulpianus concludit, *idem & in pecudibus servandum esse, & in fœtu earum, quod in partu*: de parto autem ancillæ furtivæ primùm ante dixerat, eum furtivom esse, sive apod furem edatur, sive apud bonæ fidei possessorem. Ergo fœtus pecudum, & cæteri fructus rei furtivæ vitiô furti sunt imbuti, & consequenter Præscriptionem on admittunt.

Partem

45 Partem negativam tuentur Zoësius ad *h. t. num.* 28.
D. Rath *assert.* 27. P. Pirhing ad *h. tit. num.* 14. P.
Haunold *tract.* 5. *cap.* 2. *Cent.* 5. *num.* 375. & pleri-
que; quibus accedo propter textus urgentissimos
tum in *l. bonæ fidei* 48. §. 2. *ff. de A. R. D.* ibi: *&*
ovium fœtus in fructu sunt, & ideò ad bonæ fidei
emptorem pertinent, etiamsi prægnantes venierint,
vel surreptæ sint: tum in *d. l. qui vas* 48. §. 6. *ff. de*
Furt. ibi: *ex furtivis equis nati statim ad bonæ fidei*
possessorem pertinebunt: meritò, quia in fructu nume-
rantur; at partus ancillæ furtivæ non numeratur in
46 *fructu.* Ratio desumitur *ex §. si quis 35. J. de R. D. d.*
l. bonæ fidei in pr. ff. de A. R. D. l. in pecudum 28 ff. de
Usur. & fruct. ubi dominium fructuum secernitur à
dominio rei frugiferæ; atque illud bonæ fidei pos-
sessori, etiam si res frugifera sit aliena, asseritur.

47 Ad textum, à Bachovio adductum (quidquid sit
de partu ancillæ furtivæ, cujus velutì materiæ jam
abolitæ, pleniori discussi ne supersedeo, interim ad
Struvium *Exercit. ad Pandect.* 43. *th.* 6. me remit-
tens) R. ex textibus, pro sententia posteriore cita-
tis, differentiam inter fœtum pecudum, & partum
ancillæ non obscurè dignosci, eò quòd ille inter
fructus, non iste numeretur: ideóque fœtus nec
furtivus, nec usucapionis indigens esse, sed jure
perceptionis statim in bonæ fidei possessorem tran-
48 si e censeatur, non etiam partus. Quòd autem in
d. l. qui vas §. 5. fœtus & partus ejusdem juris esse
dicantur, id vel cum Arnoldo Rath *d. assert.* 27.
per modum interrogationis explicandum est, quo-
niam *in* §. 6. *immediatè sequenti* contrarium planè
§. 5. adstruitur de natis ex equo: vel cum Zoës.
ubi supra *num.* 28. in sensu non absoluto sed acco-
modo interpretandum, ut sensus sit: partum ancillæ
eò casu, quò apud bonæ fidei possessorem conce-
ptus est & editus, comparari cum fœtu pecudum
quoad furti qualitatem [illegible]mque cessationem.

49 Dico II. Res, vi occupatæ, neque ab ipso occu-
pante, neque à tertio bonæ fidei possessore, tem-
pore ordinariô, præscribi valent, donec vitium vio-
lentiæ purgatum fuerit.

50 Dixi I. *Res, vi occupata*, intellige, aut vi ex-
pulsivâ, aut vi ablativâ: vis enim turbativa vel com-
pulsiva non est hujus loci.

51 Dixi II. *Neque ab ipso occupante, neque à tertio*
&c. quod utrumque decisum extat *in §. quod au-*
tem 3. J. h. t. unô tamen casu exceptô, quando ni-
mirum possessor quidem à possessione fundi violenter
est dejectus, sed fundus ab alio, quàm dejiciente,
malâ nihilominùs fide, occupatus est: tunc quippe
occupans ob defectum bonæ fidei non potest præ-
scribere; si tamen in tertium, horum omnium igna-
rum, transtulerit, poterit iste ex sua persona non
tantùm inchoare, sed etiam consummare Præscri-
ptionem §. *quod autem 7. Inst. l. furtum 37. §. 1. cum*
52 *l. seq. ff. h. t.* Siquidem fundus hoc in casu nec est
vi occupatus, uti supponitur; nec est furtivus: quia
Imperator *in d. §. quod autem* ipsemet confitetur,
explosam esse illorum sententiam, qui furtum à frau-
de vel furvo derivantes, existimârunt, rerum quo-
que immobilium, utpote quæ etiam per fraudem &
clam intercipi possunt, furtum existere.

53 Dixi III. *Tempore ordinariô.* Tempore enim ex-
traordinariô res etiam vi possessas Præscriptionis
jugo submitti, ex dictis in *n.* 32. eruitur.

54 Dixi IV. *donec vitium violentiæ purgatum fuerit.*
Quod fit, si res vi possessa in potestatem illius vene-
rit, qui vi de possessione fuit dejectus, sive is domi-
nus fuerit, sive non, quemadmodùm dilucidè vi-
detur colligi *ex l. certè si 6. §. 3. ff. de Precario*, ubi
ad vitium violentiæ possessionis purgandum plus
non requiritur, quàm ut dejectus permittat, deji-
cientem precariò possidere; nihil addendô, utrùm
dejectus dominium habeat, nec ne. Quin & si de-
jiciens à dejecto possessionem emat, illum etiam
pro emptore posse dominium capere, habetur eôdem
locô: ex quo evidenter elucet, venditorem non
fuisse dominum: quippe cùm aliàs usucapione opus
non foret. Vinnius *ad §. 3. J. h. t.* Neque offi- 55
cit, quòd Imperator *in §. aliquando etiam 8. eod. t.*
dixerit, rem furtivam vel vi possessam aliquando
usucapi posse, *veluti si in NB. domini potestatem re-*
versa fuerit. Etenim Imperatorem non exclusivè,
sed exemplificativè tantùm fuisse locutum, satis in-
nuunt particulæ *aliquando & veluti.*

Dico III. Res, contra Legem Juliam Repetun- 56
darum acceptæ, non solùm ab accipiente, sed etiam
à quolibet bonæ fidei possessore præscribi nequeunt
ante, quàm in dantis, hæredisve ejus redierint po-
testatem. Ita statuitur *in l. quod contra penult. pr. &*
§. un. ff. de L. Jul. repetund. Ex dictis

Colliges I. veritatem Oraculi Imperatorii §. *quod* 57
autem 3. J. h. t. quòd in rebus mobilibus non facilè
procedat & proficiat bonæ fidei possessoribus usu-
capio: vel enim à domino alienantur, vel à non do-
mino? Si à domino; superflua & supervacanea est
usucapio. Si à non domino; ordinariè sunt infectæ
reali furti vitiô; sicque ad præscribendum ineptæ,
esto per centum manus ambulaverint.

Colliges II. duos communiter casus cum eodem 58
Imperatore admitti, in quibus Præscriptio rerum
mobilium perficiatur. Primus enumeratur in §. *sed*
tamen 4. J. d. t. in hærede commodatarii, deposi-
tarii, aut conductoris. qui, si justo errore ductus,
rem depositam &c. in bonis defuncti repertam, ad
se pertinere existimet, ob defectum possessionis &
fictam malam fidem suâ quidem in persona usuca-
pere non potest; tertium verò, cui fortè rem de-
positam v. g. bonâ fide vendiderit, in conditione
usucapiendi constituit. Quis enim furti insimula- 59
bit illum, qui rem tanquam suam ex justo errore
alienat, cùm sine *affectu furandi* furtum non com-
mittatur juxta §. *placuit 7. J. de Oblig. quæ ex del.*
Secundus exhibetur in §. *item si is 5. J. h. t.* in usu- 60
fructuario ancillæ: hic, partum ancillæ suum esse
arbitratus, eundem vendendô, donandô, legandô
&c. furtô se non obstringit, quia animô furandi ca-
ret. Emptorem itaque vel donatarium usucapionis
privilegii reddit capacem.

§. III.

De Rebus & Actibus meræ facultatis.

Tertiam exceptionem à communi Præscriptibili- 61
tatis regula ponunt, & supponunt communissimè
DD. in rebus & actibus meræ facultatis: quorum
indolem & habitum prolixiore nonnihil calamô ad-
umbrare, vel ideò consultum erit: quia continuæ
lites, præcipuè circa Præscriptiones jurium & obli-
gationum, moventur, sitne hic vel ille actus meræ
facultatis, ad Præscriptionem habilis vel inhabilis?
Ea potissimùm, ut opinor, de causa, quòd contro-
vertentes sæpiùs ignorent, quinam & quales sint
actus meræ facultatis.

Observandum itaque I. res & actus meræ facul- 62
tatis rectè describi à Viris Clarissimis, P. Engel *ad*
h. t. nu. 9. P. König *ibidem n.* 14. D Franz *eod. tit. n.*
9. *quos homines citra ullam conventionem vel obliga-*
tionem Jure Naturæ vel Gentium pro suo arbitrio so-
lent facere & omittere. Adeóque ubi ratio proxima 63
& principalis, cur actum vel exercere vel intermittere
liceat, fundatur in jure naturalis libertatis, actus me-
ræ facultatis nuncupatur. Ubi verò ratio proxima
& principalis exercendi vel omittendi actum con-
sistit in principio alio, puta in contractu, pacto,

privilegio, consuetudine &c. actus non dicitor meræ facultatis: quia vim & effectum ex jure naturalis libertatis proximè non sortitur. Ex quo

64 Observandum II. Jus adeundi hæreditatem, acceptaodi legatum, petendi investituram, præsentandi ad beneficium, instituendi in beneficio, agendi in judicio &c. & jura id generis innumera malè ad actus meræ facoltatis revocari: quia ratio ejusmodi jura exercendi noo in jure naturalis libertatis & meri arbitrii, sed in concessione, pacto, privilegio &c. sita est. Unde si is, cui similia jura competunt, illa intra statutum tempus à Legibus exercere neglexerit, Præscriptio locum habet per textus in *l.*
65 *3. & 4. Cod. de Præscr. 30. vel 40. annor.* Enim verò, ut in sequentibus magis apparebit, si oudum agendi vel petendi factum spectetur, id ex jore naturalis libertatis fluit: quia io meo stat arbitrio, utrùm adire Judicem vel Superiorem, ac petere jus & justitiam velim nec ne: at jus agendi cum effectu non ex libero arbitrio, sed liberâ conventione vel concessione alterius promanat, cui ob publicam utilitatem certa tempora, fines, & terminos Leges præscripserunt, quibus non observatis, io profundum oihileitatis recidit.

66 Observandum III. actus meræ facultatis, in *num.* 62. descriptos, optimè dissecari in propriè tales, & impropriè tales. Actus meræ facultatis *propriè* tales vocantur, qui libero cujuslibet arbitrio ita sunt permissi, ut ex jure prohibendi non possit in alterum æstimabilis utilitas redundare. Hojus sortis sunt: ire per viam publicam, adire forum, lavare in flumine publico &c. stante enim naturâ viæ publicæ v. g. non potest tuâ specialiter interesse, ne eam per viam publicam, cùm non obstante meâ abstinentiâ
67 ire possit quivis alius. Actus meræ facultatis *impropriè* tales sunt, qui libero alicujus arbitrio ita sunt permissi, ut ea jure prohibendi possit in alterum æstimabilis utilitas redundare. Hujus farinæ sunt, frumentum huic vel illi molitori frangendum tradere, ex hoc vel illo hospitio vinum emere, ex
68 hoc vel illo Monasterio Abbatem eligere &c. Potest qoippe tuâ non parum interesse, ut tuo in molendino potiùs, quàm in alio frumentum conteratur; tuo in hospitio potiùs, quàm in alio vinum ematur; tuo ex Monasterio potiùs, quàm ex alio Abbas eligatur. Ideóque imprudenter non agis, si tibi vigiles, ac in id curam dirigas, ut libertatem alterius, quam in tuo frumento, vino, electione &c. habet, utili prohibitionis vinculô toum io favorem obstringas.

69 Observandum IV. Actus meræ facultatis improprios in duplici esse differentia constitutos. Qoidam sunt affirmativi, ad hoc ordinati, ut jus quoddam activum personæ præscribentis acquiratur: v. g. si per aliquot annos vel hospitali vel alteri causæ piæ ex libera voluntate obtulisti 10. florenos, isti actus vocantur meræ facultatis affirmativi: quia ex illis hospitali vel causæ piæ jus activum & de facto acquiritur qooad florenos jam oblatos, & in futurum fortassis acquiri potest ad petendos deinceps singulis annis 10. si Præscriptionem admitta-
70 mus. Alii sunt negativi, eò directi, ut jus, ab altero jam possessum, extinguatur: v. g. si per decem annos vel plures ædes tuas ex mero beoeplacito altiùs non ædificâsti, ista omissio ædificandi vocatur actus meræ facultatis negativus: quia, admissâ etiam Præscriptione juris altiùs non tollendi, quod ex decurso tanti temporis vicinus adipisceretur, id tamen non tam jus activum, quàm negativum foret, impediens nempe & negans, ne alter jure suæ libertatis imposterum frui posset. His observatis,

71 Dico I. Actus meræ facultatis propriè tales nullô unqoàm tempore præscribuntur. Sic quoad substantiam omnes docere videntur, quorum longum catalogum pro more recenset Antoo. Gabriel *commun. conclus. lib. 5. conclus. 10. num. 1.* Docetur 72
etiam clarissimè *in l. viam publicam 2. ff. de Via publ. & itin. publ. refic.* ubi Javolenus, *viam publicam*, inquit, *populus non utendô amittere non potest*, etlo, subjungit Brunneman. *ad h. l. num. 2.* mille aonis non fuerit usus. At jus utendi viâ publicâ, sive eundi per viam publicam est actus meræ facultatis propriè talis, utpote cujuslibet libero arbitrio ratione Naturalis & Gentium Juris permissus. Ergo &c.
Et ratio est: quia, ut Præscriptio coosurgat, debet in præscribentem quædam utilitas derivari; 73
præcisâ namque utilitatis spe possessio joridica inaniter occupatur, eò quòd ineptè qois desideret possidere tanquàm proprium, quod nec est, nec esse potest ipsi utile. Sed ex jure prohibendi actus meræ facultatis propriè tales nullum penitus emolumentum in præscribentem derivari potest ex *num. 66.* Nisi fortè sint homines invidi & malitiosi, qui aut vulturum ad instar alienis pascuntur & delectantur exuviis; aut viperarum in morem oon nisi aliorum morsibus & mortibus recreantur, odiô certè non favore digni joata *l. in fundo 38. ff. de R. V.* ibi: *malitiis non est indulgendum.* Ergo ex actibus meræ facultatis propriè talibus non potest consurgere Præscriptio.

Dico II. Actus meræ facultatis impropriè tales 74
rectè præscribuntur, servatâ tamen in modo præscribendi distinctione inter actus affirmativos & negativos. Prima pars conclosionis probatur I. Res omnes caduot sub objectum Præscriptionis, quæ speciali exceptione non sunt firmatæ. Sed oullibi exceptionem legeris de actibus & rebus meræ facultatis impropriè talibus. Ergo &c. II. Res meræ 75
facultatis impropriè tal[illegible] sunt ita comparatæ, ut ex earum Præscriptione [illegible]mmodum in præscribentem transfundatur; p[illegible]untque omnes conditiones, aliàs requisitæ, in eadem Præscriptione reperiri. Nam si quis, justô errore ductus, Titium sibi 10. florenos annuos debere, quos ea pia liberalitate hactenùs solverat, illum, solvere aut nolentem aut negligentem, non solùm admoneat, sed etiam urgeat, isque seu admooitioni seu ursioni acquiescat, omnia Præscriptionis requisita, nempe titulus, bona fides, & possessio concurrunt. Ergo nil impedit, quò minùs dictæ res præscribantur. III. Jus ædes 76
proprias altiùs ædificandi est res meræ facultatis: quia stat in arbitrio domini, velitne ædes habere in altum porrectas, vel in profundum depressas; jus tamen hoc Præscriptione potest perimi, & vicino servitus altiùs non tollendi, juris altiùs tollendi suffocativa, acquiri *arg. l. ult. Cod. de Præscr. longi temp. in fine*, ubi in genere de servitutibus concludi videtur, quòd ad oormam rerum immobilium præscribantur. Ergo &c. Sicque non semel resolvit Rota Rom. præsertim *p. 2. dec. 11. n. 9. p. 4. tom. 1. dec. 396. num. 7.*

Altera conclusionis pars explicatur & probatur. 77
Actus negativi sunt ita dispositi, ut Præscriptionem non recipiant, nisi accedat prohibitio unius & patientia seu acquiescentia alterius, veluti conclusit Rota in *recent. p. 5. decis. 265. n. 36. & p. 7. decis. 226. num. 33. & seq.* Covarruv. *p. 2. relect. cap. possess. §. 4. num. 6.* Ratio est: quia possessio in 78
ejusmodi actibus dari vix potest, nisi præscribentis prohibitio, & illius, contra quem præscribitur, acquiescentia conveniant; quæ duo præscribentem io quasi-possessione juris contrarii constitount, ut tradont Layman. *Theol. Moral. lib. 3. tr. 1. c. 8. num. 8.* Rath *cap. 4. assert. 5.* P. Kónig *h. t. n. 14.* D. Franz *cit. loc.* In exemplo: ad hoc ut ego jus 79
altiùs

altiùs non tollendi in urbano vicini prædio acquiram, vi cujus in gratiam ædium mearum nequeat ædes suas elevare & erigere, non sufficit, quòd ille huc usque non elevaverit aut erexerit ædes, quia id ex jure libertatis naturalis, neutiquàm sibi nocivo, fecit: debeo itaque altiùs fortè ædificare volentem, prohibere & impedire; &, si is prohibitioni morem gesserit, incipio possidere jus altiùs non
80 ædificandi, idque tractu temporis præscribo. E contrario actus affirmativi, quamvis præmissâ prohibitione & secutâ patientiâ tutiorem & firmiorem efficiant possessionem & Præscriptionem, uti de subditis, imperanti Superiori obtemperantibus, nec longô tempore contradicentibus, demonstrant Authores magni nominis apud Klockium *tom. 1. consf. 29. num. 576. & seqq.* quòd Superiorem in quasi possessione constituant: nihilo minùs possessionem & præscribendi conditionem tribuere possunt absque
81 prohibitione unius & acquiescentia alterius. Et primò quidem, sicut docet cum Laymano *cit. loc.* P. König, actus ejusmodi cessant esse facultativi, & præsumuntur obligatorii, si concurrat eorum multiplicitas & continuatio per longum tempus. Rota Rom. in *rec. p. 2. dec. 365. num. 3. & 6.* & *dec. 397. n. 3.* Idem attestantur plures apud Klockium
82 *cit. consf. 29. n. 575.* Deinde post Felinum, Joannem Andream & alios tenet Balbus *de Præscript. 4. part. 5. princip. q. 1. num. 2.* in prædictis actibus saltem immemoriali Præscriptioni locum esse. Ro-
83 ta *p. 3. dec. 389. num. 4.* Quæ doctrina, licèt à quibusdam rejiciatur, non improbabiliter sustineri potest, si cum Decio, Saliceto, & aliis apud Covarruviam *d. loc.* ita explicetur, ut ex decursu temporis immemorialis & legitimum initium, & causam, & titolum, & possessionem intervenisse, præsumamus. Card. de Luca de *Judic. disc. 21. n. 70.*
84 Ad hæc habetur in *l. cùm de in rem verso 6. ff. de Usuris*, usuras eo solùm ex capite deinceps esse solvendas, quia longô jam tempore fuerant præstitæ; non obstante, quòd ex parte solventis opponi potuisset, solutionem usurarum fuisse actum meræ fa-
85 cultatis. Ratio autem horum est: quia una præsumptio elidit aliam, & fortior enervat infirmiorem; atque adeò, licèt nullus præsumatur, donô gratuitô obligationem imponere sibi voluisse; attamen, si diuturnô tempore præstationes uniformes faciat, ac singulis annis certam pecuniæ quotam determinatæ personæ vel loco pendat, alia succedit præsumptio, & quidem violentior, quòd similes pensitationes non ex nudo beneplacito, sed putativâ obligatione processerint secundùm expressa Juris placita in *l. cùm de indebito in pr. 25. ff. de Probat.*
86 ubi in dubio, num pecuniæ solutæ debitæ fuerint, an indebitæ, si accipiens dicat, fuisse debitas, *præsumptionem pro eo esse, qui accepit*, Paulus pronuntiat: *qui enim solvit, nunquam ita resupinus est, ut facilè suas pecunias jactet.*

87 Neque obstat dictis, si opponas: quod nullam continet obligationem, non parit ullam obligationem. Sed actus meræ facultatis non continent ullam obligationem: quòd enim tuum v. g. molendinum accedam, quòd huic vel illi loco certas pecunias quotannis consignem, non obligatio, sed liberum arbitrium, non necessitas, sed mea libertas fuit. Ergo &c.

88 Resp. enim cum distinctione: quod nullam continet obligationem nec veram nec existimatam aut præsumptam, non potest parere obligationem, concedo majorem; quod nullam continet obligationem, hoc est, non veram, sed tamen existimatam aut
89 præsumptam, nego majorem. Omnes ferè Præscriptionis species, in acquirendo constitutæ, præsupponunt ex parte illius, contra quem præscribitur, putativam aliquam & existimatam obligationem, uti in *cap. 2. à num. 28.* probatum est. Aliquæ tamen citiùs, aliæ seriùs ejuscemodi obligationem præsumunt, prout nempe actus suôpte ingeniô sunt magis vel minùs gratuiti, magis vel minùs habent præjudicii. Nam molendinum v. g. alterius adire, 90
hospitem certis temporibus excipere, sunt actus magis gratuiti, minorisque præjudicii, quàm certam pecuniæ quantitatem annuatim solvere: & ideò actus prioris generis Præscriptionem immemoriali minorem vix agnoscunt; actus verò posterioris generis, si accedat titulus, vel exprimatur aut præsumatur causa debendi & solvendi, 30. vel 40. annorum Præscriptionem non refugient; de quo *in sect. seq. §. 1.* & in *tom. 2. lib. 3. tract. de Jure propriet. cap. ult.* in materia possessionis plura dicemus.

Colliges ex decursu & discursu hujus §. modos 91
loquendi, hac in materia aliis usitatos, re ipsâ à nostro non differre. Nam Balbus *4. part. 5. princip. q. 1. nu. 3.* ad dignoscendum, quando aliquid dicatur esse meræ facultatis, distinguit ex Bartolo, utrùm Lex permittat alicui facere aliquid pro conservatione sui juris, jam quæsiti; an verò pro acquisitione alicujus juris de novo: prius ait, non esse jus, sed meram facultatem, ideóque impræscriptibile: posterius ad jura pertinere, neque præscribi posse, asseverat. Angelus & alii apud eundem Balbum *eô-* 92
dem num. secernunt facultatem, ex qua per explicationem actus quæritur novum jus, ut actio vel exceptio ab ea facultate, ex qua per explicationem actus nullum jus, nulla actio, nulla exceptio quæri potest, sed solùm insurgit explicatio ejus, quod in libero explicantis arbitrio consistebat, sicut est ire ad Ecclesiam: illam facultatem Præscriptioni substernunt; hanc eximunt. Alii apud Gabrielium 93
cit. l. 5. concl. 10. à n. 8. distinguunt inter facultatem, quæ deducit jus in judicium deducibile, & quæ non deducit: item inter facultatem, quæ expressè est reposita in libera & pura voluntate ejus, cui competit, & quæ simpliciter sinè tali collatione conceditur: item inter facultatem, quæ datur ratione juris quæsiti, & quæ ex mera libertate oritur. In facultate primæ qualitatis affirmant; in facultate secundæ qualitatis negant Præscriptionem. Atque adeò omnes declarationes, distinctiones, & explicationes eò recidunt, quòd res meræ facultatis appellitentur, quæ non ex alio, quàm libertatis naturalis principio, scaturiunt.

§. IV.

De Rebus alienari prohibitis.

Quartam exceptionem à regula Præscriptionis 94
non pauci, quos ordine recenset Antonius Gabrielius *commun. conclus. lib. 5. conclus. 13. num. 1.* adstruunt in rebus alienari prohibitis: quæ utrùm & quatenùs Juribus sit consentanea? Impræsentiarum discutiendum erit. Priùs tamen

Sciendum est I. res alienari prohibitas tales esse, 95
vel ex Lege, uti sunt Ecclesiasticæ, feudales, dotales; vel ex dispositione hominis per actum inter vivos aut per ultimam voluntatem factâ, quales sunt res primogenii, fideicommissi, aut majoratûs vinculo alligatæ: de quibus omnibus & singulis certant Juris Interpretes, utrùm à Præscriptione non sint exemptæ, ob textum generalem in *l. alienationis 28. in pr. ff. de V. S.* ubi, cùm *alienationis ver-* 96
bum etiam usucapionem continere referatur, legitimè deduci videtur, prohibitâ alienatione etiam usucapionem esse prohibitam. Quod ampliùs confirmatur ex *l. si contra 2. Cod. de Usucap. pro empt.* & *l. ult. §. 3. Cod. Commun. de Legat.* in quibus loci res, fidei-

fideicommisso obnoxiæ, aut alienari interdictæ, ab
usucapione excipiuntur.

97 Sciendum est II. diversimodas Doctorum opinio-
nes hac in parte reperiri, quas inter, meô quidem
judiciô, eminet doctrina Panormitani in *cap. cùm
non liceat* 12. *h. t. n.* 7. 8. & 9. commendata etiam à
Balbo 5. *part.* 5. *princip. q.* 4. *n.* 2. recepta à D. Brun-
nem. ad *l.* 2. *Cod. pro Empt. n. ult.* & aliis, distinguen-
tis, utrùm qualitas prohibitæ alienationis exordium
Præscriptionis antecesserit, vel supervenerit: &
hôc quidem casu non sistitur cursus Præscriptionis,
jam inchoatæ per *l. si fundum* 16. *ff. de Fundo do-
tali*, ubi Tryphoninus negat, possessionem longi
temporis interpellari in fundo, qui, antequàm do-
98 talis erat effectus, possideri cœptus est. Illô au-
tem casu ulteriùs perpendendum, sitne res simpli-
citer alienari prohibita, puta quia ejus commer-
cium aut possessio vetatur, sicut in Ecclesiasticis
juribus respectu laicorum, ex dictis in *num.* 22. an
verò certô respectu, &, ut loquitur Brunnem. *cit.*
sub modificatione, hoc est, sinè forma, modo &
ritu præscriptô, quâ ratione rerum Ecclesiastica-
99 rum & feudalium alienatio legitur prohibita. Res
primi generis ob generalem inhabilitatem, *d. n.* 22.
declaratam, præscribi nequeunt. Res posterioris
generis, si adsint cætera requisita, à Præscriptione
non sunt immunes.

100 Nec refert, utrùm ex Legis, vel hominis disposi-
tione interdictum alienationis emanaverit: utrôque
enim casu Panormitanus Præscriptionem concedit,
dum *d. n.* 9. postquàm retulerat sententiam Barto-
li, negantis, in prohibitione alienationis, per con-
tractum factâ, Præscriptionem, ob impeditam do-
minii translationem, eandem in dubium vocat,
addducendô rationem in contrarium, quòd, cùm
pacta privatorum nequeant ordinationes, ob favo-
rem publicum promulgatas, immutare, Præscri-
ptio, utpote in favorem publicum introducta, pri-
vatorum pactis impediri non possit. Ut adeò mi-
ret, Balbum *cit. loc.* scripsisse, quòd Panormitanus
contrarium tenuerit, quando prohibitio fieret in
contractu.

101 Sciendum III. ad textum in *l. alienationis* 28. *de
V. S.* I. *ex num.* 99. responderi posse, nomine alie-
nationis contineri etiam Præscriptionem, si illa sim-
pliciter & absolutè fuerit concepta, secus si certô
102 respectu & cum modificatione vetita. II. cum
Gonzalez ad *cap. de quarta* 4. *h. t. n.* 7. Præscriptio-
nem esse alienationem necessariam, quæ regulari-
ter, prohibitâ alienatione, inhibita non censetur.
103 III. cum Covarruv. in *c. poss. p.* 3. §. *ult. n.* 6. & Brun-
nem. ad *d. l.* 2. *Cod. pro emptor. num.* 2. prohibitio-
ne alienationis Præscriptionem ordinariam tantùm,
non etiam extraordinariam censeri exclusam, veluti
ex *ipsa l. ult.* §. 3. *Cod. Commun. de Legat.* suprà in
contrarium citatâ, probatur. Quam responsionem
esse communem, perhibent citati apud Gabrielium
104 *d. concl.* 13. *num.* 9. Ratio est: quia Præscriptio
ordinaria titulum desiderat; extraordinaria verò
non desiderat secundùm dicenda in *cap. seq.* Sed
prohibitâ alienatione vix est, ut titulus adesse pos-
sit. Vel enim ille, in cujus gratiam res alienatur,
scit, alienationem esse vetitam, vel non scit? Si
scit; nec titulum nec bonam fidem habet, utpote
notorius alienæ rei, ex contractu invalido, posses-
sor. Si non scit; plerumque versabitur in errore
Juris, alienationem inhibentis, qui ad Præscriptio-
105 nem ordinariam neutiquàm prodest. Dico *plerum-
que*: quia prohibitionem, ex dispositione hominis
oriundam, cùm si facti, inculpabiliter potest igno-
rare. Interim si res immobilis fuerit, & alienator
saltem prohibitionem alienationis sciverit, tempore
ordinariô ea ex causa non præscribet; quia in alie-
natore tali casu requiritur bona fides per *Auth. ma-
læ fidei Cod. de Præscr. long. temp.*

Sciendum IV. licèt tradita in *n.* 103. ad res om- 106
nes, alienari vetitas, pertineant, ita ut illæ extra-
ordinariô saltem tempore sint præscriptibiles: spe-
ciales tamen adhuc difficultates superesse, primò
circa res Ecclesiasticas; secundò circa res feudales;
tertiò circa res fideicommisso subjectas; quartò cir-
ca res dotales; utrùm non obstante, quòd cæteris
paribus à Præscriptione non sint privilegiatæ, in ca-
su alienationis, contra Legem institutæ, Præscrip-
tionem admittant? Singulas singulorum sententias
hic referre, longum; improbare, improbum; re-
futare, inconsultum foret. Dicam solummodò,
quid in qualibet controversia ego sentiam; addu-
cam rationes, solvam contraria. Primum igitur
quæstionem aggressurus.

Dico I. Res Ecclesiæ, malè alienatæ (id est sine 107
præscriptis conditionibus) à possessore bonæ fidei
præscribuntur. Ita Rota Rom. in *rec p.* 4. *tom.* 3. *dec.*
535. *num.* 10. *p.* 19 *tom.* 2. *dec.* 494. *num.* 43. Ita Panor-
mitanus ad *d. cap. cùm non liceat h. t. n.* 9. D. Rath
d. cap. 4. *assert.* 2. *lit. A.* P. Engel ad tit. 13. *lib.* 3. *De-
cret. num.* 22. Clariss. P. Jacobus Wiestner de *alie-
nat. rer. Eccles. part.* 2. *art.* 8. *num.* 18. contra quos-
dam, existimantes, posse res malè alienatas, non
obstante Præscriptione, à possessore revocari. Pro- 108
batur. Res Ecclesiæ sunt absolutè præscriptibiles,
uti *ex cap.* 4. *c.* 6. *c.* 8. & *tot. hoc tit. X.* & *in* 6. ne-
mini non apertum & apricum esse debet. Ergo etiam
tunc, quando perperam fuerunt alienatæ: partim,
quia alienatio juxta *n.* 101. nisi absoluta & simplex
sit, non impedit Præscriptionem ordinariam: par-
tim quia in alienatione, etiam injusta, omnes præs-
cribendi conditiones adesse possunt: partim deni-
que, quia cæteroquin vel nulla, vel rara esset Præ-
scriptio in rebus Ecclesiæ. Si enim alienatio sit va- 109
lida ac justa, statim in possessorem dominium trans-
fertur; ac per consequens Præscriptione non est
opus. Sin verò invalida sit, dominium, quod per
actum alienationis transferri non potuit, per auxi-
lium Præscriptionis comparari debet.

Neque dicas: Præscriptionem posse extra casum 110
illicitæ alienationis occurrere, si nempe res Eccle-
siæ non propria sed aliena debitis cum solennitati-
bus væneat. Nam, ut omittam, quòd res aliena 111
propriè loquendô non sit Ecclesiastica: quærere li-
cet, quomodò res Ecclesiæ aliena evaserit, nisi per
alienationem, jam ab anterioribus possessoribus in-
justè interpositam? Aliâ enim viâ nunquàm aut ra-
rò res ab Ecclesia ad alium devolvitur, quàm viâ
alienationis. Ergo, ne titulum de Præscriptionibus
in cassum Decretalibus insertum; ne tot constitutio-
nes Pontificias dicis tantùm gratiâ editas fuisse ad-
mittamus, affirmemus oportet, dari in rebus Ec-
clesiasticis, sinistrè alienatis, Præscriptionem.

Oppones I. *In cap. hoc consultissimo* 2. *de Reb.* 112
Eccles. non alien. in 6. Gregorius X. alienationes re-
rum Ecclesiæ, sinè forma præfinita attentatas, ita
annullavit, *ut nec jus aliquod tribuant, nec præscri-
bendi etiam causam parent.* Cui sanctioni affinis est
Bulla Pauli IV. quæ incipit *injunctum*, *pridie Idus
Julii* 1555. publicata, prohibens ac vetans, ne ex-
ceptio Præscriptionis contra repetitionem rei malè
alienatæ opponatur. II. Res pupilli, malè aliena- 113
tæ, neque ordinariam neque extraordinariam Præ-
scriptionem recipiunt per *l. sicut* 3. *Cod. de Præscr.*
30. *vel* 40. *annor.* Ergo nec res Ecclesiasticæ: quia
Ecclesiæ utuntur jure pupillorum *arg. cap.* 1. *de Re-
stit. in integr.* & eorum, quæ habet P. Engel:
Privil. Monast. Privil. 38.

Respondent ad I. aliqui I. decisionem *cap.* 2. acci- 114
piendam esse de possessore, qui est in errore Juris,
igno-

ignorans, ad legitimam rerum Ecclesiæ alienationem certas solennitates requiri: & quia error Juris officit Præscriptioni saltem ordinariæ, Ecclesia verò aliam non agnoscit, quàm extraordinariam, res Ecclesiasticas cum simili errore 40. annis præscribi
115 non posse. Sed Resp. meliùs II. cum P. Engel, solam Præscriptionem, malâ fide vitiatam *in d. c.* proscribi, quando nempe in rerum Ecclesiasticarum alienatione utroque contrahentium sciente & consentiente omissæ quidem fuerunt solennitates, justum tamen pretium, & reliqua, de Jure Gentium & Naturæ ad valorem contractûs requisita, intervene-
116 runt. Et, ne responsionem hanc quasi Domitianam suspiceris, utpote de casu non dubitato redditam, dum aliàs Præscriptiones cum malâ fide jam in *cap. ult. h. tit.* ex urbe & orbe fuerunt relegatæ: rescire te velim, in sententia, quam *capite seq. sect.* 2. §. 3. amplectemur, non aliam Præscriptioni malam fidem nocere, ac quæ peccato injustitiæ est involu-
117 ta. Jam verò plures & Theologi & Canonistæ, in specie Navarrus, Sylvester, Azorius, Panormitanus, Laymannus apud Magnif. P. König ad *tit.* 13. *lib.* 3. *Decret. n.* 30. contendunt, alienationem non solennem, Ecclesiæ tamen utilem, esse validam in foro conscientiæ, ac à restitutione tamdiu liberam, donec per Judicem Ecclesiasticum ut nulla fuerit declarata: eamque sententiam, quamvis non sequatur, non tamen improbat P. Engel *eôd. tit. num.* 19. Ergo non improbabiliter dici posset, malam fidem in casu utilis, sed tamen illicitæ alienationis, Præ-
118 scriptioni neutiquam reluctari. Huic itaque sententiæ obviaturus Pontifex, decrevit, alienationem, cum utriusque contrahentium scientia illegitimè peractam, non tribuere causam præscribendi, esto fortassis possessor ante sententiam Judicis rem alienatam licitè retineret.

119 *Bullam* Pauli IV. quod attinet, illa inprimis tantùm loquitur de Præscriptione longi temporis; deinde, cùm multæ ex illa suborirentur querelæ, fuit à Pio IV. in sua *Bulla*, quæ incipit *Provida*, 3. *Idus Septembris* 1560. editâ, ad terminos Juris communis etiam in puncto Præscriptionis revocata.

120 Ad secundum R. negandô conseq. & paritatem. Utitur Ecclesia jure pupillorum, ubi est causæ & rationis paritas; at causa & ratio eximendi res pupillares ab omni Præscriptione erat imbellis & imbecillis ætas pupilli, alienô, & ideò periculosô ductu & imperiô gubernanda; quæ causa & ratio in Ecclesia, utpote à Prælato, qui propter identitatem & connexionem ac incorporationem cum Ecclesia, cujus est Caput, res Ecclesiæ velut proprias curare præsumitur, administrandâ, non reperitur.
121 Præterea cùm res pupillares solummodò durante pupillari ætate, quæ respectivè compendiosô ambitu concluditur, privilegiô immunitatis gaudeat; sufficit, Ecclesias, dum per obitum vel resignationem Prælati vacant, sicque pupillorum in modum patre & pastore carent, in tantum esse privilegiatas, ut Præscriptio interim dormiat, usquedum
122 novus in Prælatura successor substituatur. Sufficiet quoque, Ecclesias in tantum esse privilegiatas, ut Præscriptio dormiat tum eô tempore, quô Prælatus malè alienans vel in vivis, vel in regimine est constitutus *cap. si Sacerdotes* 10. *XVI. q.* 4. tum eô spatiô, quô Prælatura sive per mortem sive resignationem sive depositionem vacat *cap. de quarta* 4. *h. t.* Secùs Ecclesiæ in perpetuum immunitatis privilegiô fruerentur, quod Jura minimè ferunt, dum etiam contra Ecclesiam Romanam indulgent Præscriptionem centenariam. Hæc de rebus Ecclesiasticis. Jam de feudalibus

123 Dico II. feuda, absque consensu domini & agnatorum malè alienata, tam quod dominium utile quàm directum à bonæ fidei possessore 30. annorum spatiô præscribi possunt. Conclusio est contra multos, Harpprechtium, Zasium, Clarum, Andream de Isernia, Fachinæum *lib. 7. controv.* 61. Vultejum de *Feud. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 22. Hornium *Jurisprud. feud. cap.* 11. § 11. D. à Someting *in Manip. Controv. p.* 2. *contr.* 6. *num.* 6. Æquè tamen à multis propugnatur, è quibus legi *Glossam in cap.* 1. §. *præterea de cap. corradi.* Menochium *consil.* 143. *num.* 20. Balbum *de Præscript.* 4. *part.* 4. *princip. quæst.* 12. *n.* 10. Struvium *Syntag. Jur. Feud. cap.* 13. *aphor.* 10. *n.* 4. Haunoldum *de J. & J. tr.* 9. *cap.* 5. *contr.* 8. *n.* 693. *in fine.* Gailium *l.* 2. *O.* 160. Rosenthal de *feud. cap.* 9. *concl.* 97. *num.* 19. qui duo ultimi de communi deponunt.

Probatur I. ex regula generali in *n.* 1. positâ, omnes res ac jura Præscriptioni esse vectigalia, quæ peculiarem Legis exemptionem non habent. Sed feuda nullibi specialem exemptionem habent, præterquàm *in* 2. *feud. tit.* 40. §. *præterea & tit.* 55. ut volunt Adversarii, cujus tamen contrarium patebit à *n.* 130. Quin imò *in* 2. *feud. tit.* 26. §. *si quis* 4. Feudista absolutè in feudis Præscriptionem concedit, si quis nempe rem aliquam ut feudum possedit, & servitium præstitit, quamvis de illa re non sit investitus. Neque distinguit, utrum per alienationem aut modum alium feudum acquisiverit. Ergo nec nostrum erit distinguere. Ergo feudum absolutè potest præscribi. 124
Probatur II. extra casum alienationis potest in feudo non tantùm dominium utile, sed etiam directum præscribi, fierque ex bono feudali allodiale: si enim vasallus aut ipsemet bonâ fide feudum ut allodium possideat, atque domino, servitia petenti, deneget, ifque per 30. annos acquiescat; aut si vasalli hæres bona feudalia ut allodialia vendat bonâ fide, & emptor in possessione tricennaria persistat, utrumque dominium, utile ac directum, consolidatur, fitque ex feudo allodium, prout isti & alii casus pro indubitatis habentur à Panormitano *ad cap. ad audientiam* 13. *h. t. n.* 17. Balbo *cit. loc. & quæst. n.* 15. Struvio *ubi supra cap.* 15. *aphor.* 3. *num.* 5. 6. 7. 8. & 9. Ergo etiam, interveniente alienatione, potest res feudalis quoad dominium utile ac directum præscribi: uti enim extra alienationem omnes Præscriptionis dotes accedere possunt; ita eam alienatione: nisi ipsam alienationem Præscriptionis impedimentum & obstaculum ex natura sua nominaveris, quod tamen jam superiùs in *n.* 101. recantatum est. 125

Objiciunt Ad. eorum textum, suâ opinione insolubilem ex 2. *feud. tit.* 55. *in princ.* ubi Fridericus Imperator disertissimis verbis omnem in feudis, malè alienatis, Præscriptionem è medio tollit: *nos autem*, inquit Augustissimus Legislator, *pleniorem Regni utilitatem providentes, non solùm imposterum, sed etiam hujusmodi alienationes illicitas hactenus perpetratas hâc præsenti sanctione cassamus, & in irritum deducimus, nullius temporis Præscriptione impediente: quia, quod ab initio de jure non valuit, tractu temporis convalescere non debet.* 126

Neque juvat dicere, hujus Imperialis sanctionis vigore solummodò Præscriptionem ordinariam fuisse sublatam, quasi recitatorum verborum: *nullius temporis Præscriptione*, sensus foret: *nullius ordinarii temporis Præscriptione.* 127

Contra enim instat I. Fachinæus, quòd alienatio & Præscriptio feudorum jam ante tempora Friderici *ex Lege Corradi* 2. *Feud.* 40. §. *præterea*, ibi: *liceat omnes alienationes feudi factas nulla obstante Præscriptione revocare*, fuerit irritata; ideóque constitutio Fridericiana, ut aliquid operetur, de Præscriptione longissimi temporis exaudiri debeat: maximè cùm subjuncta ratio, *quod ab initio non valet &c.* tam 128

longi

longi quàm longissimi temporis Præscriptioni accommodari valeat. Instat II. Vultejus de *feud. d.* 129 *lib. 1. c. 9. n.* 20. Longobardis, quibus origo feudorum in acceptis referri solet, Præscriptionem non aliam quàm 30. annorum fuisse cognitam; proindeque textus feudales de non alia quàm 30. annorum Præscriptione accipiendos. Nihilominùs

130 Resp. I. communem responsionem, quæ constitutiones feudales, mox relatas, ad Præscriptionem ordinariam restringit, ratione non destitui: in dubio namque, ubi de mente Legislatoris certò non constat, interpretatio potiùs secundùm quàm adversùs Jus commune facienda. Sed secundùm Juris Communis regulam omnia Jura publica & privata Præscriptioni tricennariæ subsunt. Ergo secundùm hanc juris regulam interpretandæ constitutiones feudales, quarum proximè meminimus: cùm ipse Feudista 2. *feud. tit.* 1. id non ambiguè insinuet, ubi ait: *Strenuus autem Legisperitus, sicubi casus emerserit, qui consuetudine feudi non sit comprehensus,*

131 *absque calumnia uti poterit Lege scripta.* Neque enim credendum est, voluisse Imperatorem totam extraordinariæ Præscriptionis, à suis Antecessoribus ad universale Reipublicæ emolumentum tot vigiliis excogitatæ, vim ac vigorem unô quasi ha-

132 litu ac verbulô enervare. Ut taceam, quòd ex mente Menochii *lib.* 3. *præsumpt.* 130. *nu.* 6. *& seqq. & præsumpt.* 132. *per totam*, Præscriptio longissimi temporis vim Legis obtineat, & consequenter, nisi expressa ejusdem mentio afferatur, in dubio exclusa non videatur.

133 Ad primam instantiam dico, stante etiam nostrâ sententiâ, suam Fridericianæ ordinationi operationem esse, dum, præter confirmationem Corradianæ Legis, insuper declarat, quinam contractus & actus vocabulô *alienationis* veniant; simul robur ac pondus etiam ad negotia jam præterita, & alienationes retrò celebratas, easdem uti futuras invalidan-

134 dô, extendit. Ad secundam permitto equidem, Longobardorum, sive, ut abbreviatè vocant, Lombardorum populis, eorumque in Italiam irruptionibus feudorum natales adscribi, quam opinionem communem, & quasi canonizatam pronuntiat Clariss. & Colend. D. Collega de Wolleren *in Quæst. select. Oeniponti edit. q.* 4. *nu.* 22. nego tamen, solam 30. annorum Præscriptionem Longobardis in usu extitisse: cùm *in feud. tit.* 9. §. *donare* etiam an-

135 nalis Præscriptionis vestigium appareat. Et quid interest, Longobardis solam hujus temporis Præscriptionem placuisse, quando indubium est, allegatam constitutionem, sicut & alias plures, non à Longobardis promanâsse, sed ab Imperatore, qui Juris Romani & communis notitiam in scrinio pectoris sui habere *arg. cap.* 1. *de Constit. in* 6. & magis secundùm principia ac terminos proprii quàm alieni Juris statuere censetur?

136 Resp. II. conformiter ad *num.* 41. cum Struvio *d. cap.* 3. *aphor.* 10. *num.* 4. in *dd.* constitutionibus non bonæ, sed malæ fidei Præscriptiones casari: nam præsumendum de Legislatore non est, quòd impensiùs negligentiæ domini, non vindicantis, quàm bonæ fidei possessoris, qui ignorans feudum

137 fortè emerat, favere studuerit. Quod ampliùs enitescit ex subjunctâ ratione, in *d. tit.* 55. *quod ab initio de jure non valuit, tractu temporis convalescere non debet*: loquitur enim Imperator de Præscriptione, in qua solus lapsus temporis attenditur, cujus-

138 modi est ea, quâ possessor malæ fidei utitur: imitaturus forsitan hac in re non antecessores suos, qui Præscriptionem cum mala fide permiserant, sed coætaneum suum, Alexandrum III. Sanctissimum Ecclesiæ Romanæ Gubernatorem, qui in *cap.* 5. *h. t.* ejusdem notas Præscriptiones proscriptionis poenâ notavit. Certè huic Principi insolitum non erat, 139 Sacros Canones imitari: quia testibus Contio & Giphanio, à Struvio allegatis, Authenticam *Sacramenta Puberum*, quæ & ipsa inter Friderici I. Imperatoris constitutiones 2. *feud.* 53. §. 3. refertur, ex Jure Canonico emutuavit; & in Authent. *statuimus Cod. de Episcop. & Cleric.* expressè *Canonicarum sanctionum* meminit. A feudo ad fideicommissum transiturus,

Dico III. res, fideicommissô gravatæ, seu testi- 140 tutioni ex fideicommisso obnoxiæ, in casu injustæ alienationis non quidem longô, longissimô tamen tempore præscribuntur. Conclusio est bimembris; cujus probationi præmittendum, fideicommissorum, sive majoratus, sive primogenituræ sint, eam esse naturam, ut, tametsi ab institutore expressè non sint prohibita alienari, alienationem nihilominùs refugiant, per textum in *l. ult.* §. 3. *Cod. Commun. de Leg.* Covarruv. ad *cap. possessor p.* 3. §. 3. *n.* 6. Cùm 141 enim possessori nunquam plena dispositio ab institutore sit permissa, sed potiùs obligatio imposita, rem fideicommissariam post obitum vel cessionem certis personis relinquendi, vel ob conservationem familiæ, vel specialem institutoris affectum: alienatio in fraudem & præjudicium agnatorum seu illorum, qui ad fideicommissum sunt vocati, non tenebit *l. nihil proponi* 120. §. 1. *ff. de Leg.* 1. *d. l. ult.* §. 2. *Cod. Commun. &c.* Quô præmissô,

Primum conclusionis membrum, esto Jure Veteri 142 potuisset in dubium vocari propter *l. fructo* 36. *ff. de Usu & usufr. leg.* ubi usufructus fideicommissarius, contra prohibitionem testatoris in alium translatus, ac plusquàm statuto tempore possessus, adjudicatur possessoribus; de Jure tamen noviori non tantùm ab omnibus ferè Juris utriusque Interpretibus receptum, veluti Covarruv. *cit. l. concl.* 1. refert, sed etiam indubitatum videtur, uti probat *l. sicut* 1. *Cod. pro Empt.* & cumprimis *d. l. ult.* §. 3. *Cod. Commun. de Legat.* cujus hæc est sententia: *Sin autem* (hæres fideicommissô gravatus) *avaritia cupidine propter spem conditionis, minimè implenda, ad* 143 *venditionem vel hypothecam prosilierit*: *sciat, quòd, conditione impletâ, ab initio causa in irritum devocetur*: *& sic intelligenda est, quasi nec scripta nec penitus fuerit celebrata*: *ut nec usucapio nec longi temporis Præscriptio contra legatarium vel fideicommissarium procedat.* Quæ Lex, cùm sit una ex 50. deci- 144 sionibus Justiniani Imperatoris, sicut tam ex inscriptione *ad Joann. PP.* quàm subscriptione post *Consul. Lamp. & Orestis VV. Consul.* 531. item ex verbis initialibus *dubitabatur inter veteres &c.* liquet, & tenet Clariss. D. Dominicus Bassus in præclaro opere *de* 50. *Decisionibus Decis.* 40. utique potuit & voluit Juris antiqui, si fuisset contrarium, placita abrogare.

Nolim tamen cum Covarruvia *d. loc.* distingue- 145 re, an res fideicommissaria alienata à primo & immediato possessore retineatur, an à secundo & mediato, ac Præscriptionem ordinariam in prima tantùm, non secunda facti contingentia approbare: velim potiùs cum Philippo Knippschildt *tract. de fideicommiss. famil. Nobil. cap.* 16. *nu.* 89. indistinctè omnem longi temporis Præscriptionem in quacunque alienatione exulare: quia in *d. l. ult.* §. 3. *Cod. Com-* 146 *mun. de Leg.* in §. 2. absolutè interdicitur rei fideicommissariæ, ceu alienæ, alienatio; ita ut ex doctrina citati Authoris prohibitio ipsimet rei inhæreat; & in §. 3. immediatè *seq.* rei forsan alienatæ, longi temporis Præscriptio, fideicommissario objicienda, excluditur; & in fine datur fideicommissario generalis potestas, rem vindicandi & sibi assignandi; *nullô obstaculô ei à detentoribus opponendô*: neque distinguitur, quis ille detentor fuerit, an in illum immediatè vel mediatè res per alienationem deve-

deveneriti: ergo nec nostrum erit distinguere.

147 Alterum conclusionis membrum, quod amplectitur idem Knippschildt *d. cap.* 12. *num.* 9. cum pluribus ibidem nominatis, Covarruv. *cit.* §. 3. *num.* 6. *concl.* 2. P. König ad *h. t. num.* 23. Arnoldus Rath *cap.* 4. *assert.* 11. qui hanc sententiam vocat communissimam & verissimam; præter dicta *in num.* 103. probatur ex eo, quòd Præscriptio, utpote regulariter in omni re & jure concessa, in tantum sit abolita, in quantum est expressa. Sed in *d. l. ult.* §. 3. tantùm est expressa Præscriptio longi temporis. Ergo tantùm Præscriptio longi temporis est abolita, non etiam Præscriptio longissimi temporis, ut quæ aliàs ad omnia jura porrigitur. Et quamvis *in d. l. ult.* in fine *omnis licentia* vindicandi tribuatur fideicommissario, *nullô obstaculô ei à detentoribus opponendô*, eàque ex consideratione pro contraria sententia Anno 1640. à Tubingensibus responsum fuisse datum, memoret D. Rath *cit. assert.* 11. idem tamen ibidem contrariam huic sententiæ decisionem à Facultate Juridica Ingolstadiensi repositam referri; & meritò: cum nec incivile, nec insuetum sit, generalia textûs verba ex specialibus limitare & explicare; & ideo *ly omnis licentia*, & *ly nullo obstaculo in d.* §. 3. ad casum Præscriptionis ordinariæ, de qua sermo fuerat, coarctare, recta interpretandi ratio suadeat.

148 Dico IV. Res dotales, tam immobiles, quàm etiam mobiles, nullam Præscriptionem admittunt, durante matrimoniô inchoatam. De rebus immobilibus conclusio est indubia apud omnes, propter *l. in rebus dotalibus* 30. *Cod. de Jure dot.* ubi dicitur: *omnis tẽporalis exceptio, sive per usucapionem inducta, sive per decẽ, sive per* 20. *annorum curricula, sive per* 30. *vel* 40. *annorum metas, sive ex alio quocunque tempore majore vel minore sit introducta, ea mulieribus ex eo tempore opponatur, ex quo possint actiones movere, id est, opulentis quidem maritis constitutis, post dissolutum matrimonium, minùs autem idoneis, ex quo hoc Infortunium*

149 *eis illatum esse claruerit.* De rebus verò mobilibus conclusio quidem est controversa inter DD. à pluribus tamen approbata, speciatim Brunnem. ad *d. l.* 30. *num.* 13. & 14. Rath *assert.* 10. Clariss. D. Franz ad *h. t. num.* 29. contra Baldum, Bachovium, & alios: Cujus ratio est I. ex eadem *l.* in qua perspicuè omnis exceptio cessare dicitur, sive major sive minor sit decenniô. Atqui Præscriptio minor decenniô est triennalis, spectans ad solas res mobiles. Ergo &c.

150 II. In *d. l.* in principio Imperator constituit, in *rebus dotalibus, sive mobilibus sive immobilibus vindicandis, post dissolutum matrimonium mulierem omnem habere prærogativam*; & parvô post intervallô omnis Præscriptio excluditur, adversùs mulierem, stante matrimoniô opponenda, absque ulla expressione, sitne res mobilis, vel immobilis. Ergo æquè in rebus mobili-

151 bus ac immobilibus est exclusa. III. Est omnimoda paritas inter res mobiles & immobiles: ideò enim quoad illas mulier non format Præscriptionem; quia stante Matrimoniô agere impeditur *d. l.* 30. *V. ex quo possint actiones movere.* Sed etiam quoad illas, seu mobiles, agere impeditur: cùm perinde ac immobiles in dominium mariti transeant. Ergo &c.

152 Limitanda tamen est conclusio I. ut solùm in rebus mobilibus procedat, quæ servandô servari possunt, quales sunt vasa aurea argentea, artificiosa, margaritæ, cimelia, uniones &c. non item in illis mobilibus, quæ fungibiles vocantur, seu pondere, numerô, & mensurâ constant: sicut enim probabiliter atque inter veteres & novos practicos teste Brunnem. ad *l. res in dotem data* 42. *ff. de J. D.* receptior sententia est, res fungibiles posse à marito licitè & liberè alienari, non etiam servandô servabiles per *d. l. res in dotem*, ubi specialis rerum fungibilium expressio infert cæterarum exclusionem, quoad potestatem alienationis;

ita probabilius etiam videtur, quòd rerum fungibilium, non item cæterarum, plenum dominium ad 153
maritum pertineat; & consequenter ob defectum rationis tertiæ, primum adductæ, res fungibiles nullô
quoad Præscriptionem favore potiantur. II. ut non 154
obtineat in rebus paraphernalibus, seu extra dotem consistentibus: harum enim dominium absolutum, cùm penes uxorem remaneat, earùmque nomine & agere & conveniri possit, exemptionem à Præscriptione non meretur. Covarruv. *lib.* 1. *var. resol. c.*
8. *num.* 8. III. ut aliud statuatur tam in rebus mo- 155
bilibus quàm immobilibus, quando, labentibus facultatibus, maritus incipit vergere ad inopiam: nam uxor, cui pro illa circumstantia plenissima experiendi licentia legitur indulta in *l. ubi adhuc* 29. *Cod. de J. D.* extraordinariô Juris privilegiô digna non videbatur *l. in rebus dotalibus* 30. *Cod. ebd.*

SECTIO II.

De Obligationibus & Actionibus quibusdam personalibus.

SUMMARIA.

156. & seq. Transitus ad præstationes annuas. 158. & seqq. Si continuentur uniformiter, certa ex causâ per longum tempus, operantur præsumptionem tituli. 165. & seqq. Non autem Præscriptionem. 169 & seqq. Si continuentur expliciô modô per tempus longissimum, Præscriptionem inducunt. 172. & seq. Si continuentur per tempus immemoriale, Præscriptionem sinè expressione causæ pariunt. 174. & seqq. Duo collectanea. 179. & seqq. An etiam obligatio Missas applicandi per Præscriptionem introduci valeat? Rationes dubitandi proponuntur. 183. & seqq. Asseritur, & probatur negativa. 189. & seqq. Rationes dubitandi refutantur. 194. Digressio ad extinctionem præstationum annuarum. 195. & seqq. Adducitur l. 7. §. ult. Cod. de Præscr. 30. annor. *& referuntur diversa DD. placita. 199. & seqq. Concluditur, quòd unicâ Præscriptio sufficiat, si præstationes annuæ debeantur ex actu inter vivos. 203. & seqq. Prima probatio ex generali regula in* l. 3. Cod. d. t. *210. & seqq. Altera probatio ex* l. 26. Cod. de Usur. *unà cum relatione & enervatione responsionum contrariarum. 218. & seqq. Tertia ex paritate ususfructûs. 224. & seqq. Quarta ex unitate actionis. 230. & seqq. Quinta ex decisione Juris Canonici 239. & seqq. Eadem conclusio tenetur & probatur in obligationibus annuis ex ultima voluntate. 242. & seqq. Dilucidatur d.* l. 7. §. ult. *250. & seqq. Tres objectiones aliæ moventur, & removentur. 261. & seqq. Progressus ad jus luendi pignoris. 265. & seqq. Admittit Præscriptionem, debitô necdum solutô. 271. & seqq. Argumentum contrarium, quòd actio non sit nata, prosternitur. 284. & seqq. Alterum argumentum de defectu possessionis rejicitur, & ostenditur, quòd debitori remaneat rei vindicatio. 291. & seq. Agitur de jure retractûs. 293. & seqq. Non refugit Præscriptionem tricennariam, quando simpliciter est reservatum. 296. & seq. Imò etiam, si in perpetuum reservetur. 298. & seqq. Objecta diluuntur. 305. & seqq. Examinatur Præscriptio in delictis.*

§. I.

Dee aequisitione annuarum præstationum per lapsum temporis.

156 POsteaquàm de rebus ac juribus præscriptibilibus
in genere præcedentem Sectionem absolvimus,
lubet modò ad res & jura præscriptibilia in specie
transire, ac primò quidem de acquisitione annorum
redituum seu præstationum, vulgò *von Einnemmung
Jährlicher Rendten, Zinsen, Pachten, Schuldigkeiten,
&c.* quæstionem, æquè in theoria difficilem, ac in
praxi frequentem ad stateram Juris appendere, possit-
ne solò & quàm diuturno temporis intervallô com-
157 parari? Ubi plurimùm interest, præscire, fuerintne
præstationes uniformes, puta, quòd singulis annis
eadem quantitas sit præstita, nec ne? Item proces-
serintne præstationes illæ ex causa certa ac speci-
fica, v. g. ex jure conventionis, transactionis, subje-
ctionis, an verò ex causa incerta? Ex hac enim præ-
scientia definiendum erit, quantum temporis spatium
ad ejusmodi Præscriptionem requiratur. Definio
itaque, &
158 Dico I. Annua præstatio, uniformiter & certa ex
causa longô tempore continuata, inducit præsum-
ptionem veræ causæ & tituli. Ita post Bartolum,
Salicetum, Alexandrum, alios Balbus 1. *p.* 3. *princip.
q.* 10. *num.* 20. Covarruv. *p.* 2. *Relect. cap. possess.* §.
4. *num.* 2. Gilcken *de Præscr. p.* 2. *M.* 1. *cap.* 4. *à n.*
17. Menochius *lib.* 3. *præsumpt.* 131. *num.* 58. & 59.
Vasquius *controv. Illustr. lib.* 2. *cap.* 61. *num.* 3. &
159 *cap.* 84. *à num.* 31. Ita Imperator Antoninus *in l. cùm
de in rem verso* 6. *in pr. ff. de Usur. & fruct.* determi-
nat, dum de usuraria præstatione ita loquitur: *cùm de
in rem verso cum hærede patris vel domini ageretur:
Imperator Antoninus ideo solvendas usuras judicavit,
quòd eas ipse dominus vel pater longô tempore NB.*
160 *præstitisset.* Sensus est: cursum longi temporis suffi-
cientem præbere conjecturam, usuras non ex libera-
litate, sed necessitate fuisse præstitas: eò quòd ex di-
ctis in *n.* 58. *& seq.* nemo suum prodigere, nemo tam
grande sibi onus gratuitò imponere, sed potiùs ex
præcedente causa & titulo debitum exsolvere, præ-
sumatur. Ita Rota Rom. in *recent. p.* 4. *to.* 2. *dec.*
153. *num.* 19. *& seqq. & p.* 7. *dec.* 57. *num.* 1. 2. &
161 3. Quod confirmari potest tum *ex l. litibus* 20. *Cod.
de Agricol. & censit. lib.* 11. ubi ex præstatione an-
nua, per longum tempus prorogatâ, infallibilis desu-
mitur præsumptio, quòd accipiens dominium, dans
162 verò obligationem coloni habeat: tum ex allegato
Menochio, qui *num.* 60. quadriplicem rationem *d. l.
cùm de in rem verso* adducit. I. respicit solventem, &
sic causam: quia nemo præsumitur jactare suum:
solvens ergo præsupponit, & affirmat obligationem.
II. respicit finem: nam solutio hæc decennalis facta
est ad liberationem obligationis; atque ita illam sup-
ponit. III. respicit materiam sive causam: cùm enim
solverit ut debitum, præsupponit materiam & causam
debiti. IV. ratio respicit formam: nam reiteratio
frequens inducit frequentem recognitionem, cui
contravenire non licet *arg. l. generaliter* 13. *Cod.
de N. N. P.* Rectè igitur ex annua præstatione,
uniformiter & certa ex causa longô tempore con-
tinuatâ, præsumptio veræ causæ & tituli indu-
citur.
163 Dixi *uniformiter & certa ex causa.* Alterutrum
enim si deficiat, deficit fundamentum inferendi seu
præsumptionem seu Præscriptionem. Nam præsta-
tionum difformitas, in hoc constituta, quòd unô
annô 10. in altero 13. in tertio 6. præstentur,
reddit possessionem accipientis discontinuam. De-
164 fectus autem certæ ac specificæ causæ, adverten-
te Balbô *cit. quæst. n.* 23. vel ideò officit: quia Le-
gum præsumptiones non adaptantur ad ea, quæ in-
certam habent formam erogationis. Imò, arguit idem
Balbus, præstatio non debet plus operari quàm sti-
pulatio: at hæc sinè expressione causæ non valet *l.
palam est* 2. §. 3. *ff. de Doli mali & met. except.* er-
go nec præstatio.
Dixi insuper in conclusione: *inducit præsumptionē*, 165
non Præscriptionem longi. Nā ad Præscriptionem tē-
poris, ut suô locô audiemus, requiritur titulus, nō qua-
litercunque præsumptus, sed coloratus saltem. At sola
præstatio, etiam uniformiter & certa ex causa, hoc est,
cum expressione obligationis facta, tantùm inducit
præsumptionem tituli seu obligationis, non verò effi-
cit titulum, saltem coloratum, ut explicant Autho-
res laudati. Ergo non inducit Præscriptionem.
Ex quo duæ notabiles consequuntur illationes: 166
prima est, quòd præsumptio, ex decennali præstatio-
ne elicita, cùm sit Juris tantùm, admittat probatio-
nem in contrarium. Menoch. *d. præsumpt. num.* 74.
Vasquius ibidem *n.* 33. & alii communiter. Altera 167
est, quòd ista præsumptio evanescat, quando contra
eum, qui decennalem recepit præstationem, aliqua
Legis dispositio, vel contraria Juris præsumptio pu-
gnat. Rota *d. p.* 7. *dec.* 57. *n.* 12. Exemplum unum
ex Menochio *cit. l. n.* 76. habemus in Laico, qui, et-
si per 10. annos decimas Ecclesiasticas percepit, præ-
sumptione tituli nullatenùs adjuvatur. Aliud ex eodē 168
colligimus in eo, qui decennalem præstationem ex
titulo donationis peractam allegat: donatio quippe
non præsumitur *l. cùm de indebito in pr.* 25. *ff. de Pro-
bat.* Balbus *cit. loc. n.* 21. *in fine*: & quævis causa,
etiam fatua, à donatione excusare dicitur. Quam-
quàm posterius exemplum impugnent Gilcken *d. p.* 2.
M. 1. *cap.* 9. *à n.* 6. & Vasq. *d. l.* 2. *cap.* 84. *num.* 35.
Dico II. Annua præstatio, jure & ratione reditûs 169
perpetui continuis 30. annis uniformiter facta, non
tantùm præsumptionem tituli, sed veram reditûs per-
petui acquisitionem parit. Covarruv. *d. loc. num.* 3.
Balbus *ibidem n.* 27. Menochius *ubi suprà n.* 51. qui
duo posteriores idem in rebus, quæ maximi etiam
præjudicii sunt, asserunt. Fundatur hoc assertum par-
tim in *l. sicut* 3. *& in l. omnes* 4. *Cod. de Præscript.*
30. *annor.* ubi longissimi temporis tractui omnia jura
substernuntur: partim in 2. *feud. tit.* 26. §. *si quis* 4. 170
ubi, dum per servitia, 30. annorum intercapedine
præstita, feudum acquiri posse decernitur, satis in-
nuitur, & vasallo intereà jus feudi, & domino jus pe-
tendi servitia in futurum partum fuisse: partim ex 172
communi doctrina, inferiùs *in cap. seq.* ob oculos po-
nendâ, quæ ad Præscriptionem longissimi temporis ti-
tulum præsumptum duntaxat petit. Unde secundùm
Covarruv. *d. n.* 3. *in fine* tanti temporis Præscri-
ptioni nihil adversatur, licèt ex adverso probetur de
defectu principii.
Dico III. Annua præstatio & uniformis, per tem- 172
pus immemoriale propagata, operatur reditûs annui
acquisitionem, etiamsi specialis causa non allegetur.
Covarruv. *d.* §. 4. *num.* 4. Menochius *d. præsumpt.*
131. *n.* 38. cum numerosa Doctorum turma. Ratio 173
desumitur ex vi & virtute Præscriptionis immemoria-
lis, quæ, ut suô tempore dicemus, tam Legis quàm
privilegii effectum habet. Atqui reditus annuus, ex
Lege & privilegio acquisitus, specialis causæ allega-
tionem non postulat. Ergo nec acquisitus ex decursu
temporis immemorialis. Ex quibus
Colliges I. quænam has inter conclusiones diffe- 174
rentia intercedat. Prima dicit, annuam præstationem,
uniformem, ex causa certa specifica contingentem,
solummodò præsumptionem tituli gignere, in casu
videlicèt, quô quis alterum ad præstationes quas-
dam, singulis annis imposterum faciendas, obstrictum
asserit, atque in probationem tituli uniformes præ-

stationes

stationes, ex certa causa decenniò iteratas, assumit:
tunc enim Jura præsumunt intereà titulum pro asse-
175 rente, donec Adversarius contrarium ostenderit: Se-
cunda verò conclusio amplius aliquid dicit, quòd
nempe 30. annorum lapsu non titulus duntaxat ex
parte accipientis annuas præstationes præsumatur,
verùm etiam Præscriptio pro completa habeatur, ita
ut adversarius titulum impugnare non ausit, ex quo
in simili Præscriptione titulus non alius quàm præ-
176 sumptus desideratur: Tertia demum præter unifor-
mitatem præstationis nihil penitus, ne quidem alle-
gationem causæ, exposcit.

177 Colliges II. paulò aliter philosophandum esse,
quando non de præstatione sed patientia agitur, v.
g. quando is, quem obligatum nobis volumus, non
fecit aliquid, sed passus est tantummodò aliquid in
suo fieri: in hac quippe hypothesi cum grano salis
erunt applicanda, quæ in proximo *cap.* de acquisi-
178 tione servitutum dissèrentur. Intereà videri poterunt
de hac & similibus materiis plenâ manu tractantes
Gilken *d. p.* 2. *num.* 1. *à cap.* 4. *usque ad cap.* 10.
Balbus *cit.* 1. *part. tert. princ. q.* 10. *num.* 7. 12. *&
seqq.* Menoch. *d. præsumpt.* à *num.* 91. ubi etiam in
num. 57. 58. 97. 98. tractat de præsumptione tituli
liberatorii ab obligatione, quâ alteri quis devinc-
tus erat.

179 In facto quæsitus sum: utrùm ex applicatione
Missarum, in favorem fundatorum aut bene-
factorum per longissimum tempus, ex erronea obli-
gatione, à Clerico beneficiato continuatâ, consur-
gat Præscriptio, &, hâc adminiculante, tam ex par-
te beneficiati, quàm successorum nascatur obligatio,
detectô etiam errore, similem applicationem in per-
petuum faciendi?

180 Ratio quærendi & dubitandi sumitur ex dictis:
quia, si quis onus aliquod aut servitium in gratiam
alterius in se susceperit, illudque ea erronea opinio-
ne, quòd obligatus sit, per tempus, ad Præscriptio-
nem complendam definitum, continuaverit, manifes-
tatò postmodùm errore nihilominùs illud onus subire
tenetur. Ergo id ipsum in facto proposito asserendum,
prout asseruit Fraxinell. de *sacerdot. obligat. sect.* 4.
conclus. 4. §. 17. *num.* 1 Thomas Tamburin. de *Sa-
crificio Missæ lib.* 3. *cap.* 7. §. 2. *n.* 1.

181 Accedit, quòd plerique DD. admittant, obli-
gationem, quâ Sacellanus Missam legere, vel ad
intentionem & commodum alterius applicare tene-
batur, per Præscriptionem aboleri posse. Tambu-
rin. *d. l.* §. 1. *num.* 1. Gobat *Theol. experiment.*
3. *num.* 514. Franciscus à Mollazo in *tr. de Cau-
182 sis piis lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 55. Insupèr docet
Carolus Antonellus de *tempore legali lib.* 4. *cap.*
10. *num.* 30. *& seqq.* quòd, ubi agitur de aug-
mento cultûs Divini, ea, quæ ab initio sunt me-
ræ facultatis, ex cursu longissimi temporis, favo-
re cultûs Divini, fiant necessitatis *arg. l. sunt per-
sonæ* 43. *ff. de Religios. & sumpt. fun.* velutì ju-
dicavit Rota in *recent. p.* 4. *to.* 2. *dec.* 54. *n.* 9.
ubi, quòd Clerici per longissimum tempus Eccle-
siæ inservierint, coguntur etiam imposterum servi-
re; & *eâd. p. to.* 3. *decis.* 701. *num.* 15. id ipsum
tenuit de Missis, quæ per longissimum tempus in ali-
qua Ecclesia decantari consueverunt. At, hisce ra-
tionibus non remorantibus

183 Respondi cum Suarezio, quem citat & sequitur
Clariss. P. Wex in *sua Adriane p.* 4. *decad.* 2.
casu 9. *num.* 2. negativè, approbante sic & con-
firmante Facultate nostrâ. Ratio præcipua est: quòd
Præscriptio, si positiva sit, atque jus aliquod in
præscribente de novo pariat, ex parte illius præ-
primis requirat bonam fidem & possessionem vel
quasi. Atqui non potest in præsenti casu ex parte
præscribentium, qui sunt beneficii fundatores aut
benefactores, bona fides vel possessio concurrere.
Nam, si fundatores aut benefactores à beneficia- 184
tis exigerent, ut Missam de se liberam ad ipsorum
intentionem & salutem ex obligatione applicarent,
agerent profectò non bonâ, sed malâ fide: utpo-
te cùm ille, qui scit jus exigendi sibi nullum com-
petere, & tamen exigit, agat illicitè. Possessio 185
quoque iisdem suffragari nequit: partim quia, ta-
metsi Missas, pro se lectas, non recusaverint, at-
tamen ob defectum tituli non potuerunt habere vo-
luntatem, obligandi beneficiatum, ut ejusmodi lectio-
nem cum obligatione continuet: partim quia, si be- 186
nefactores aut fundatores jam decesserint, non pos-
sunt ampliùs animum efficacem habere, acquirendi jus
proprietatis, & obligandi beneficiatos in suum com-
modum: sicut enim, ex deductis in *cap.* 1. *num.* 91.
mortui non ampliùs censentur habere memoriam in or-
dine ad commercium humanum, ita nec intellectum
aut voluntatem.

Confirmatur duplici paritate. Imprimis enim, 187
licèt Clericus aliquis per annos plurimos reditus
superfluos & non-superfluos erogaret in paupe-
res, erroneè credens, se ex justitia ad talem erogatio-
nem obstrictum esse, pauperes tamen nullatenùs con-
tra ipsum præscriberent, ut etiam deinceps, errore
cognitô, talem erogationem ex justitia facere tenea-
tur. Deinde, licèt quis ex errore putaverit, se vovis- 188
se annuatim certas Missas, in solatium Defunctorum
legendas, ac longissimô tempore eum in finem sacra
persolverit, animæ purgantes jus contra ipsum, auxi-
liante Præscriptione, non acquirunt. Ergo idem in
nostra facti specie concludendum.

Ad I. rat. dubitandi Resp. posse utique tam onus 189
aut servitium aliud, quàm obligationem applicandi
Missam alicui per Præscriptionem imponi, suppositâ
bonâ fide & possessione, quæ utraque deficit in præ-
senti.

Ad II. Resp. assignandô discrimen inter Præscri- 190
ptionem, quâ aboletur obligatio vetus, & inter Præ-
scriptionem, quâ nova producitur: hæc enim, ut in-
sinuatur in *n.* 183. est positiva; illa verò est privati-
va, possessionem ex parte præscribentis non deside-
rans. Authores, in contrarium allegati, debent intel- 191
ligi de Præscriptione, suis conditionibus ritè vestitâ.
Quin imò Tamburin. in *d.* §. 2. *num.* 6. opinionem
suam, antehàc disputationis gratiâ propositam,
declarâsse, vel (quod certius est) revocâsse vi-
detur.

Ad III. Resp. dupliciter I. quòd actus meræ fa- 192
cultatis fiant actus necessitatis, quando agitur de aug-
mento cultûs Divini, & simul manifestè non constat
de contrario: in claris enim & perspicuis non est opus,
quærere conjecturas aut præsumptiones, sed ipsa præ-
sumptio debet veritati cedere. II. quòd favor Divi- 193
ni cultûs aliquid singulare operetur, quando per ac-
tum necessitatis ille singulare robur & incrementum
capit: id quod neutiquàm in casu nostro contin-
git, ubi Divino cultui perinde vel magis est prospe-
ctum, si beneficiatis libera relinquatur intentio, Sa-
crificia sua omni meliori modô applicandi.

§. II.

*De extinctione præstationum annuarum
per lapsum temporis.*

Egimus de acquisitione præstationum annuarum: 194
agemus modò de earundem extinctione, quæstio-
nem, verissimô D. Rathii calculô in Judiciis fre-
quentissimam, ad examen Juris revocaturi: u-
trùm & quatenùs præstationibus seu obligatio-
nibus annuis præscribi possit extinctivè: utrùm
scilicèt is, qui obligatus ad centum quot annis pen-

denda, 32. annis nullâ nunquam interpellatione
factâ, solvere cessavit, omnibus pensionibus, non
tantùm duabus primis, ante 30. annos cessis, sed
etiam reliquis, adhuc ante 3. 4. 5. &c. annos debitis,
præscripserit?

195 Occasionem celeberimæ huic quæstioni dedit fa-
mosa *l. cùm notissimi juris* 7. §. *fin. Cod. de Præscr.*
30. *annor.* cujus formalia sunt sequentia: *In his etiam
promissionibus vel legatis, vel aliis obligationibus,
quæ dationem per singulos annos, vel menses, aut ali-
quod singulare tempus continent, têporum memoratarum
Præscriptionum non ab exordio talis obligationis, sed
ab initio cujuscunque anni, vel mensis, vel alterius sin-
gularis temporis computari, manifestum est.* Diversæ
hujus Legis explicatiores in diversas Doctorum
196 mentes abstraxerunt sententias. Aliqui docent, Im-
peratorem in *cit. l.* pro singulis annis singulas exegis-
se Præscriptiones, ita ut post 32. annos primis tan-
tùm duobus annis præscriptum esse, sicque Præscri-
ptionem obligationum præteritarum ad futuras non
197 extendi, defendant. Alii, & quantum hactenùs videre
licuit, plurimi opinioni è diametro contrariæ insis-
tunt, posse nimirum obligationibus annuis intra tri-
cennium simpliciter tam quoad præteritas quàm fu-
turas præscribi, eô effectu, ut creditor, debitorem
posthac interpellare volens, non audiatur. Multi viâ
198 distinctionis incedunt, ac in obligationibus, quæ ex
actibus inter vivos, stipulationibus, conventionibus
&c. oriuntur, generalem & absolutam Præscriptio-
nem admittunt; at in obligationibus, quæ ex actu
ultimæ voluntatis, legato vel fideicommisso nascun-
tur, tot Præscriptiones, quot anni interveniunt,
requirunt. Ego, apponderatis cujuslibet senten-
tiæ momentis, duabus conclusionibus sensum meum
explico, &

199 Dico I. In actibus inter vivos tota Præscriptio
annuarum præstationum quoad præteritas & futuras
30. annis expeditur. Ita jam olim post Bulgarum an-
tiquum Glossatorem docuerunt Jacobus de Arenis,
Petr. Cyn. Alberic. Salyc. Jacob. But. Paulus Ca-
strensis *ad l. de pupillo* 5. §. *si in pluribus ff. de N. O.
N. num.* x. Alexander de Immola ad eandem *l.* & *ad
l. cùm notissimi* §. *in his etiam.* Angelus *ibid.* Barto-
lus *eôd. lôc.* Maynus *Consil. Juris Vol.* 1. *consil.* 7. *n.*
7. (ubi etiam veram & communem hanc sententiam
pronuntiat) Hieronymus Schurff. *cent.* 1. *consil.* 10.
num. 8. & *seqq.* Nicol. Everhardi Senior *consil.* 187.
in fin. Franciscus Balbus *de Præscript.* 4. *part.* 4. *prin-
cip. q.* 4. *num.* 2. Panormitanus *ad cap. olim de Cen-
sib. num.* 5. & *ad cap. auditis h. t. num.* 36. Joannes
Andreas *ad idem cap.* Barbosa *in collectan. ad Jus
Pontif. ad d. cap. olim de Cens. num.* 1. Cardinal. Tus-
cus *conclus. practic. concl.* 545. *lit. P.* Vasqulus *Illustr.
controv. lib.* x. *c.* 83. *num.* 39. eamque sententiam
200 communiter docere modernos, tradit Boër. *decis.*
336. n. 1. & tenent etiam Arnoldus Rath *c.* 4. *assert.* 8.
lit. d. P. Haunold. *tr.* 5. *cap.* x. *contr.* 5. *n.* 358. Brun-
nem. *ad d. l. cùm notissimi. num.* 6. (ubi etiam in pun-
cto Juris opinionem hanc veriorem judicat) Svven-
dendorffer *in notis ad Eckoldi tit. de annuis & Menstr.
leg.* Clariss. D. Chlingensperger *ad h. t. q.* x4. Cla-
rissim. D. Philippus Braun *ad eund. t. pag. mihi* 193.
Struvius *Syntagm. Juris Civ. Exercit.* 43. *th.* 16. contra
Martinum antiquum Glossatorem, Hostiensem in *sum-
ma ad h. t.* §. *quæ res præscribi &c.* Surdum, Mat-
201 hiam Coler. Fachinæum *lib.* 8. *Contr. cap.* 99. Myn-
singerum *cent.* 3. *observ.* 13. Andream Gail. *lib.* 2.
observ. 73. qui duo ultimi sententiam suam multis
Cameræ præjudiciis confirmatam referunt. Hancque
202 sententiam, in Rota Romana receptam esse, quando
obligatio provenit ex contractu absoluto, in terminis
est decisum in *recent. p.* 4. *to.* 1. *dec.* 315. *num.* 1. &,
si quæ decisiones in contrarium afferantur, debent in-
telligi de oblatione conditionata, veluti dicitur in *p.
9. dec.* 373. *num.* 19. & *seqq.* & *p.* 15. *dec.* 330.
num. 19.

Probatur conclusio I. ex generalitate textuum in 203
sæpe hactenùs adductis *l. sicut* 3. & *l. omnes* 4. *Cod.
de Præscript.* 30. *annor.* ubi omnes omninò actiones,
reales & personales, jugi 30. vel 40. annorum silentiô
extingui dicuntur. Neque assignari potest Lex aliqua
quæ à communi hac regula obligationes annuas cla-
rè & perspicuè excipiat. Ergo standum est regulæ
universali, donec evidenter probetur exceptio.

Si dicas: obligationes annuas ab ordinaria Præ- 204
scriptionis regula ex eo sufficienter censeri exemptas,
quòd singulis annis nova renascatur actio: nil dicis,
nisi apertum hujus exceptionis & renascentiæ tex-
tum ostendas, quem nemo Adversariorum hucus-
que ostendit. Imò, si in obligationibus annuis an- 205
nuam actionis resuscitationem adstruamus, in ple-
risque juribus & actionibus aliis id ipsum adstru-
amus, oportet: neque enim actio petendi equum
ex empto, actio pro socio, actio communi dividun-
do, actio petendi pecunias ex mutuo, primô sta-
tim annô non intentata, vitam perdit juridicam,
sed singulis quasi annis legalem resumit spiritum.
Et tamen hoc absurdum esse, liquidè deducitur 206
ex *l. super annali* 1. §. 1. *Cod. de Annali Except.* ubi
Imperator, *nemo itaque audeat*, dicit, *neque actionem
familiæ herciscundæ, neque communi dividundo, ne-
que finium regundorum, neque pro socio, neque furti, ne-
que vi bonorum raptorum, neque* N. B. *alterius cujus-
cunque personalis actionis vitam longiorem esse 30. an-
nis interpretari: sed, ex quo ab initio competit & semel
nata est, & non* N. B *iteratis subinde sæpe recreata,
quemadmodum in furti actione dicebatur, post memo-
ratum tempus finiri.*

Confirmatur. Nil tam naturale est quàm unum- 207
quodque eô modô dissolvi, quô fuit colligatum *l. ni-
hil* 35. *ff. de R. J.* Sed jus exigendi præstationem an-
nuam spatiô 30. annorum acquiri potest *num.* 169.
Ergo eôdem quoque tempore potest amitti; præ- 208
sertim cùm aliunde Jura sint proniora ad tollendas
quàm inducendas obligationes *l. Arianus* 47. *ff. de O.
& A.* Promovetur argumentum. Non magis dici po- 209
test, pro qualibet præstatione annua particularem
esse actionem de Jure proditam in casu omissæ præ-
stationis, quàm in casu exhibitæ præstationis: uti e-
nim in priori casu creditor habet jus ad petendas præ-
teritas vel futuras pensiones; ita in posteriore putati-
vus debitor habet jus ad repetendas per conditionem
indebiti pensiones, sinè causa præstitas: & tamen,
non obstante isthâc actionum regeneratione, potest
quis præscribere intra tricennium jus exigendi præ-
stationes annuas in futurum. Ergo etiam intra idem
temporis curriculum eôdem jure poterit privari.

Probatur II. *ex l. eos qui* 26. *in princip. Cod. de* 210
Usuris, ubi constituitur, quòd unô eôdemque tem-
pore ipsi actioni principali & usuris ac fructibus præ-
scribatur; adeòque 30. annis, si actio fuit personalis.
At nemo dubitat quin obligatio usurarum sit obliga-
tionibus annuis accensenda. Ergo obligationi annuæ
præscribi potest 30. annis.

Respondet Fachinæus ubi suprà, singularem hujus 211
L. rationem in ipso contextu insinuari, quòd nempe,
peremptâ obligatione principali, *supervacuum sit, su-
per usuris vel fructibus adhuc Judicem cognoscere*:
ideòque in reliquis obligationibus annuis, ubi similis
ratio non suffragatur, aliud observari, hoc ipsô: quia
Imperator rationem dubitandi, ex renascentia obliga-
tionis annuæ ab initio propositam, universaliter non
rejecit. Sed

Contra est I. quia, concessâ semel unicâ Præscri- 212
ptione in obligationibus annuis, nulla apparet ra-
tio, cur idem semper & pro semper non sentiamus: si
enim

enim vel semel admittatur ut possibile, unicâ Praescriptione omnes obligationes & actiones, quotannis redivivas, suffocari posse, non obscurè colligitur, ex natura rei in obligationibus annuis non requiri tot Praescriptiones, quot sunt anni; quod tamen unicum ferè Adversariorum est fundamentum.

213 Contra est II. quia usurae ordinariè debentur vel ex natura contractûs propter moram aut compensationem, vel ex pacto, contractui in continenti adjectô: sicque eâdem actione, quâ res principalis, etiam accessoria seu usurae petuntur. Dum agitur Imperator in *d. l.* statuit, actiona principali submotâ, supervacaneè de usuris controverti, dicere voluit: actione quoad objectum principale submotâ, frustrà de objecto accessorio & minùs principali quaestionem institui. Cur ita? Quia unica actio unicam duntaxat Praescriptionem efflagitat. Sed ex dictis una est actio pro sorte principali & usuris. Ergo unicam duntaxat Praescriptionem efflagitat. Unitas
214 igitur actionis, non verò connexio rei principalis & minùs principalis Imperatoriam constitutionem extorsit: nec enim quispiam tam hospes est in Jure, qui nesciat aliam sanctionem, contentam in *d. l. cùm notissimi 7. §. 1. Cod. de Praescr. 30. annor.* ubi, non attentô, quòd actio principalis 30. vel etiam paucioribus annis extingui possit, actionem hypothecariam, velut accessoriam, adversùs debitorem ejusque haeredem ad 40. annos prorogavit.
215 Eadem autem videtur ratio de caeteris obligationis annuae speciebus: nam de his etiam cum P. Engel ad *tit. de Decimis num.* 48. dici potest, quòd duplicem obligationem, principalem & minùs principalem (seu duplex objectum) contineant: unam, quâ substantia totius obligationis petitur; alteram, quâ singulae obligationes singulis annis exiguntur: praescriptâ jam obligatione principali per 30. annos, obligatio etiam minùs principalis, utpote ea eadem radice promanans, praescripta censetur.

216 Contra est III. quia usurae etiam seorsim ac independenter à debito principali longô tempore possunt praescribi quoad partem, hoc est, ut in quantitate majori promissae, in minori deinceps solvantur per *l. qui semisses 13. in pr. ff. l. adversùs creditorem 5. Cod. de Usuris*; nec requiruntur tot Praescriptiones,
217 quot sunt anni. Quod profectò neque in connexionem sortis principalis cùm minùs principali, quae hic est nulla; neque in odium usurarum praecisè referendum est: cùm etiam usurae ex eo solo capite, quòd longô tempore fuerint solutae, deinceps solvi mandentur in *l. cùm de in rem verso 6. ff. eôd.* veluti in priore §. declaratum est. Ut praeteream, quòd aliqui apud Klockium *tom. 2. consil. 40. num. 2.* reditus annuos, veterum usurarum succedaneos, ac magna cum illis affinitate connexos, doceant.

218 Probatur III. Jus servitutis, praesertim personalis, qualis est ususfructus, decennii vel vicennii Praescriptione perimitur; quò faciunt textus in *l. corruptionem 16. Cod. de Usufr. l. pen. & ult. Cod. de Servitut. & aqua.* Sed jus servitutis, praesertim personalis, qualis est ususfructus, est jus annuum. Ergo jus annuum Praescriptione decennii vel vicennii in totum potest perimi. Ergo unicâ Praescriptione opus
219 est. Minorem negare si audeas: quaero, quomodò jus annuum definias? Si respondeas, uti respondere debebis, esse jus percipiendi singulis annis aliquod commodum ex re alterius: infero ego, jus servitutis, v. g. ususfructûs, esse jus annuum, quia est jus percipiendi singulis annis fructus & emolumentum
220 ex re aliena in commodum usufructuarii. Quòd si replices: jus servitutis esse reale, jus verò annui reditûs personale, non satisfacis: tum quia jus percipiendi reditus annuos quandam servitutis speciem habere videtur, maximè respectu tertii possessoris, qui nullâ personali actione potest conveniri, uti optimè notavit Rath *d. assert. 8. lit. d.* tum 221
quia ratio fundamentalis negantium unitatem Praescriptionis in obligationibus & reditibus annuis radicatur in multiplicitate actionis, quotannis renascentis; sicque non est differentia inter actionem realem & personalem, cùm & illa & ista resurgere valeat: tum quia in usufructu quoque actio & obliga- 222
tio personalis competere noscitur *ex d. l. corruptionem de Usufructu*, eò collimans, ut dominus patientiam exhibeat: tum quia ad Praescriptionem nihil interest, 223
possitne aliquis vi juris realis propriâ authoritate colligere fructus ex alieno agro, uti potest usufructuarius; an verò alter obligatus sit personaliter, creditori singulis annis certos fructus subministrare: utrôque enim casu jus & obligatio annua intervenit; eò solùm discrimine, quòd in primo persona domini tantùm mediatè, in altero verò persona debitoris immediatè sit obligata; quod certè non est ad rhombum.

Probatur IV. fundamentaliter. Una actio & obli- 224
gatio unâ tantùm Praescriptione deletur. Sed in reditibus & praestationibus annuis una est actio & obligatio. Ergo &c. min. probatur I. ex *l. si stichum 16. §. un. ff. de V. O.* ubi Pomponius, *stipulatio*, ait, *hujusmodi, in annos singulos, una est, & incerta, & perpetua.* Sed una stipulatio unam producit obligationem & actionem, sicut una emptio unam obligationem & actionem ex empto. Ergo in obligationibus annuis est obligatio & actio una.

Nec contradicit Pomponio Paulus *in l. pluribus* 225
140. in pr. ff. eôd. ubi, *si pluribus*, inquit, *rebus praepositis ita stipulatio facta est, ea omnia, quae supra scripta sunt, dari? propius est, ut tot stipulationes, quot res sint.* Nam sciendum est ex *l. scire debemus 29. in pr.* 226
eôd. tit. quotiescunque multiplicatur objectum specificè, hoc est, res diversae speciei in stipulationem deducuntur, toties multiplicari stipulationem, quia actus distinctionem ex objecto recipit: at stipulatio annua, uti suppono, ad unam duntaxat speciem, seu, ut aliàs loquuntur Juristae, ad unum genus, v. g. certam pecuniae, frumenti, olei &c. summam ordinariè est restricta. Ergo non multiplex, sed una.

Probatur eadem minor II. quando omnes praesta- 227
tiones annuae, tam praeteritae quàm futurae, simul repeti possunt, tunc earum nomine unica tantùm actio competit: ad quid enim contra naturae & artis principia multiplicamus entia, & ad id, quod unô actu expediri potest, plures actiones requirimus? Atqui omnes praestationes annuae, tam praeteritae quàm futurae, simul repeti possunt *l. libertis 18. §. 2. ff. de Aliment. & cibar. leg. & l. si probaveris 1. Cod. de Fideicommiss.* Ergo earum nomine unica tantùm actio competit.

Censet equidem Fachinaeus, ex hoc argumento 228
non probari unitatem Praescriptionis, quoniam pro toto tempore non alia de causa agi potest, ac quia absurdum est, ut quis pro singulis pensionibus peculiarem processum instituat; quae tamen res, pergit Fachinaeus, non immutat naturam obligationis, & multò minùs Legis sanctionem circa ipsam obligationis annuae Praescriptionem, tam apertè positam *in d. l. cùm notissimi &c.*

Verùm hâc responsione argumentum non esse so- 229
lutum, quis non advertit? Non contendo ego, sitne in favorem creditoris vel aliam ob causam concessum, quòd in annuis reditibus etiam in futurum agi possit, sed, hôc concessô, habeo, quod probare conatus eram, nempe unitatem actionis, ex qua manifestè unitatem Praescriptionis concludo; simul adversae partis fundamentum everto, quòd & actio & Praescriptio in reditibus annuis non multiplicetur.

Probatur V. De Jure Canonico est certum 230

quòd in præstationibus annuis una tantùm Præscri-
ptio sit necessaria. Ergo idem de Jure Civili dicen-
dum: cùm juxta tritissimum *cap. 1. de N. O. N.* in-
ter Jus unum & alterum sinè causa urgentissima di-
vortium non sit faciendum; quin potiùs ex unanimi
Canonistarum & Civilistarum doctrina Jus Civile
dubium ex Jure Canonico claro, & vicissim, expli-
231 candum. Antecedens probatur I. *ex cap. de quarta*
4. h. t. ubi ad Præscriptionem quartæ decimarum,
quotannis Episcopo debitam, unica 40. annorum
232 Præscriptio desideratur. II. *ex cap. ad aures 6.*
X. cap. 1. eôd. in 6. ubi jus decimandi, quod utique
est annuum, intra spatium 40. annorum prorsus extin-
233 gui dicitur. III. *ex cap. auditis 15. h. t.* ubi indiscri-
minatim de juribus Episcopalibus, intra quæ sinè
dubio aliqua ad jura annua referri possunt, statuitur,
234 quòd 40. annis ab Episcopo amitti valeant. IV. *ex*
cap. ad audientiam 13. d. t. unde non obscurè col-
ligitur, jus annui census unicâ Præscriptione, nempe
contra Ecclesiam Romanam centenariâ, contra
inferiorem autem ordinariâ perimi. V. *ex cap. olim*
causam 20. de Cens. cujus summarium, nigro minimè
contrarium, est hoc: *solvendi sunt census ad anti-*
quam monetam, in qua instituti fuerint, nisi sit in alte-
rius moneta solutione (quamvis vilior ac minor fue-
rit) *præscriptum*: tenentque idem placitum Abbas
ad d. cap. num. 1. & 5. Fagnanus *ibid. num. 1. 14.*
235 15. 16. Gonzalez in *not. ad id cap. lit. E.* Ex quo
cum D. Rath *cit. loc.* ita argumentari licet: si in
censu annuo admittatur Præscriptio ex parte, sive
quoad certam speciem monetæ, cur non similiter in
toto, sive quoad universum jus extinguatur? Ergo
de Jure Canonico non minùs clarum, quàm certum
est, in obligationibus annuis unicam sufficere Præ-
scriptionem.

236 Memini tamen, à JCto quodam, æquè in Theoria
expertissimo, quàm in praxi famigeratissimo, (cui,
non ita pridem defuncto, beatam requiem precor)
hoc argumentum dolô bonô inversum, ac in præsi-
dium oppositæ sententiæ hunc in modum applica-
tum fuisse: Jus Civile clarum in materia adiaphora
præferendum est Juri Canonico, quoad illam mate-
riam obscuro. At in Præscriptione annuarum præs-
tationum, velut materia adiaphora, quoad compu-
tationem temporis Jus Civile est clarum, Jus verò
Canonicum est obscurum, aut omninò deficit, quia
nullibi quidpiam de hac computatione statutum re-
peritur. Ergo hac in parte Jus Civile est præfe-
237 rendum. Sed, meô judiciô, hæc inversio & appli-
catio neutiquàm subsistit: enimverò quis clarum
dixerit Jus Civile quoad computationem tempo-
ris, cùm ne verbulô quidem in *l. cùm notissi-*
mi &c. Imperator asserat, pro singulis an-
nis singulas Præscriptiones exposci, sed priva-
tâ aliquorum interpretatione, contra communio-
rem aliorum explicationem, sensus iste exprimatur?
Quis econtrà Jus Canonicum eodem in puncto ob-
scurum esse, aut omninò deficere affirmaverit,
si textus, paulò ante citatos, ad considerationis
trutinam suspenderit, in quibus, dum contra Ec-
clesiam in juribus & obligationibus annuis, perin-
de ac in aliis præscribendis 40. anni expetuntur,
manifestè innuitur, unicam, & non plures Præscri-
ptiones esse necessarias. Si enim plures forent ne-
cessariæ, multùm ultra annos 40. & juxta quorun-
dam ex Adversariis calculum ultra mille etiam an-
nos excurrerent. Manet igitur firmum & certum,
obligationes annuas eôdem tempore & ratione de
Jure Canonico exspirare, quô tempore & ratione
obligationes & jura alia exspirant.

239 Dico II. In obligationibus annuis, ex actibus ul-
timæ voluntatis provenientibus, tota etiam Præscri-
ptio 30. annis completur. Ita ex citatis Baldus, Pa-
normitanus, Nicolaus Everhardi, Albericus, Boërius,
Rath, Haunold, & alii contra Balbum, Schurflium,
Tuschum, Jasonem, Accursium, Cumanum, & alios.
Probari potest conclusio I. iis argumentis, quæ ad co-
borandam priorem conclusionem adduximus: nã obli-
gationes annuas, ex ultima etiam voluntate, legato,
vel fideicommisso oriundas, unicâ actione peti pos-
se, discimus *ex l. si probaveris 1. Cod. de Fideicom-*
miss. quid nî igitur unâ quoque Præscriptione illas
aboleri, doceamus? II. specialiter ex *d. l. cùm notis-* 240
simi juris 7. §. in his etiam 6. Cod. de Præscr. 30. an-
nor. ubi legata, quæ dationem per singulos annos,
tempora, aut aliquod singulare tempus continent, in
ordine ad Præscriptionem cum aliis promissionibus
& obligationibus annuis comparantur. Unde inferri
videtur, quod de uno comparatorum dicimus, de al-
tero etiam dicendum esse: rejectâ distinctione Ac- 241
cursii, qui dictam comparationem ad initium, & non
ad modum Præscriptionis coarctat: cùm neque tex-
tus hanc distinctionem suggerat, neque solida ratio
suadeat, sed potiùs dissuadeat: hôc ipsô enim, quòd
tota Præscriptio annuæ pensionis ex legato & con-
tractu eôdem tempore initium ducat, quô videlicet,
uti mox dicemus, à solutione primitus est cessatum,
eôdem etiam tempore & modô tota absolvitur: id,
quod ex objectionum propositione & solutione abun-
dantiùs constabit.

Objicies itaque contra primam conclusionem *l. l.* 242
cùm notissimi 7. §. ult. Cod. de Præscript. 30. annor.
ubi Imperator in promissionibus annuis *tempora Præ-*
scriptionum non ab exordio talis obligationis, sed
ab initio cujusvis anni vel mensis, vel alterius tempo-
ris singularis cõputari jubet. Quibus verbis, ait Fachi-
næus, indicavit Justinianus, & statuit, in annuis præs-
tationibus tot esse Præscriptiones, quot sunt anni. Et, 243
si respondeas cum Bartolo & aliis nostræ opinionis de-
fensoribus, mentem Imperatoris hanc esse, quòd Præ-
scriptio in ejuscemodi præstationibus non ab exordio
obligationis, sed à tempore, quô primâ vice à solutione
cessatum erat, numeretur, absque eo, quòd sin-
guli anni singulas Præscriptiones efflagitent: dice-
ris à Fachinæo, album exponere pro nigro: si e-
nim una Præscriptio sufficeret pro toto tempore
futuro, non essent tempora Præscriptionis metien-
da ex singulis mensibus.

Verùm, quidquid obloquatur Fachinæus, insis- 244
tendum est responsioni Bartoli & sequacium, quam
non magis propriô Bartoli ingeniô inventam, quàm
menti Imperatoris concordem ac conformem esse,
declaratur I. quia, spectandô & trutinandô ipsam con-
structionis Grammaticalis seriem, videtur Impera-
tor voluisse oppositionem inducere inter ly *ab exor-*
dio obligationis, & ly *sed ab initio cujusque an-*
ni. At, nisi posteriora verba explicemus cum Bar-
tolo, inter illa & priora non inducitur oppositio:
nam Præscriptionem *computari ab exordie obligatio-*
nis; &, *tot Præscriptiones esse, quot sunt anni*, si-
bi nullatenùs opponuntur: utpote cùm utraque pro-
positio simul & semel verificari possit. Econtra Præ- 245
scriptionem *computari ab exordio obligationis, & com-*
putari ab illo primùm die, quô solutio fuit primitùs in-
termissa, utique oppositionem & contrarietatem ha-
bent: quia secunda propositio est negativa primæ,
habens hunc sensum: *Præscriptio non computatur ab*
exordio obligationis. Neque ridicula aut nugatoria vi- 246
deri ista debet interpretatio, quasi videlicèt antehàc
jam notissima, Imperatoriâ declaratione non eguisset:
ipse enim Imperator satis superque indigitat, se hoc
in passu nihil novi statuere, sed Juris veteris ac com-
munis statuta etiam in obligationibus annuis retine-
re voluisse, dum his utitur terminis: *manifestum*
est, id est, notorium jam, & nemini non perspectum.
Quæ tamen verba potiùs in sententia contraria
redde-

redderentur nugatoria, si Imperator manifestum diceret, quod perspicacissima etiam ingenia & obscurum, & durum, & vix non imperceptibile judicabant.

247 Declaratur II. quia in tota *l. cùm notissimi Juris* agitur tum de exordio tum de interruptione Præscriptionum; neque aliud ad exordium petitur, quàm actionis instituendæ potentia, ut nempe actio jam fuerit quoad efficaciam nata, uti ex *§. 1.* ibi: *ex quo competere cæpit*; & ex §. 4. ibi: *post conditionis exitum, vel post instituta diei certæ vel incertæ lapsum initium acceperint &c.* videre est: quod ipsum mox in §. *in his etiam seu ult.* ad obligationes annuas extenditur, ut nempe in his *etiam* (notetur particula conjunctiva,) obligationibus Præscriptio non præcisè ab exordio obligationis exordium ducat, sed ex eo tempore, quô quis agere debuisset & potuisset, nimirum postquàm debitor præstationem intermitterre consuevit. In qua sanè explicatione Jura cum Juribus, & Leges, *à num.* 224. allegatæ, cum *d. l. cùm notissimi* §. *in his etiam*, amicissimè componuntur; cujusmodi compositionibus præprimis studere oportet *cap. cùm expediat* 29. *de Elect. in* 6.

248 Dices: Imparator in *d.* §. *in his etiam &c.* exemplum subjicit de emphyteuta, quòd nullô temporis curriculô rem emphyteuticam præscribere possit. Obligatio autem Emphyteutæ est annua. Ergo signum est, quòd obligationes annuas è numero rerum præscriptibilium excluserit.

249 Resp. cum P. Engel ad *d. tit. de Dec. num.* 48. illo Imperatoris exemplô potiùs confirmari quàm infirmari nostram sententiam: voluit quippe indicare, emphyteutam, non obstante, quòd obligationi annuum præstandi canonem præscripserit, prætendere non posse, quòd rem etiam quoad dominium directum præscripserit, ex defectu scilicèt possessionis, quam non habuit ut dominus directus, sed ut emphyteuta. Aliter si textus ille efferatur, non video, quô pactô cum reliquo contextu connecti valeat.

250 Objicies II. Actioni, nondum natæ, non præscribitur. Sed in præstationibus annuis actio pro futuris temporibus nondum est nata: etiamsi enim ponamus, solutionem à creditore primô vel secundô annô non exactam, sicque post triginta unum & duos annos hujuscemodi præstationibus fuisse præscriptum; attamen non sequitur, quòd eôdem tempore solutioni, quæ tertiô vel quartô primùm annô fieri debuisset, præscriptum sit: nam pro solutione, tertiô vel quartô annô faciendâ, primô vel secundô annô necdum actio est nata; ideòque necdum extingui potest, ne priùs feretrum quàm cunas inveniat.

251 Resp. ex *num.* 207. negandô *minorem*, & dico, actionem in debitis annuis à principio obligationis quoad omnes pensiones statim exsurgere: cùm juxta *l. si probaverit* 1. *Cod. de Fideicommiss.* tam pro præteritis quàm futuris pensionibus agere liceat; non quidem, ut omnes simul & semel, sed singulæ pensiones singulis annis præstentur.

252 Objicies III. In obligationibus in diem Præscriptio ante diei adventum non currit sæpe *cit. l. cùm notissimi* §. *illud autem* 4. Sed obligationes annuæ sunt obligationes in diem: quia ante diei adventum præstari non debent. Ergo in illis non currit Præscriptio, antequàm dies advenerit.

253 Resp. I. cum Bachovio & Schwendendorffer *loc. cit.* distinguendô majorem: in obligationibus in diem Præscriptio ante diei adventum non currit, si dies fuerit ab initio adjectus, tanquàm terminus, à quo incipit obligatio, concedendô majorem: secus, negandô majorem. Atqui in obligationibus annuis dies non est adjectus, tanquàm terminus, à quo incipit obligatio. Ergo Præscriptio in illis securè procedit. Ratio distinctionis est: quòd terminus *à quo* 254
suspendat obligationem & actionem, producatque
impedimentum Juris, quô Præscriptionis cursus intercipitur. At terminus *ad quem* vel *intra quem* nec obligationem nec actionem suspendit, si eò collimet, ut pensiones dividantur, veluti docet D. Gletle p. m. *ad tit. Inst. de V. O. n.* 21. ideòque mirum non est, quòd nec Præscriptionem suspendat.

255 Resp. II. cũ D. Rath negandô minorem, quòd obligationes annuæ propriè loquendô sint in diem: non minùs enim unitatem quàm puritatem habent, ut etiã *ad cit. tit. Inst. de V. O.* advertit Clariss. D. Franz *num.* 63. quia post contractum perfectum illico producunt obligationem & actionem efficacem *d. l. si probaverit. Cod. de Fideicommiss.* licèt quoad effectum seu ipsam præstationem in plures annos sint divisæ: obligationes verò in diem obligationem & actionem efficacem non statim producunt.

256 Objicies IV. contra secundam conclus. Legatum annuum est multiplex per *l. si in singulos annos* 4. *ff. de Annuis Legat.* ibi: *si in singulos annos alicui legatum sit, Sabinus plura legata esse,* ait; *l. si stichum* 16. §. *un. ff. de V. O.* ibi: *stipulatio hujusmodi in annos singulos una est & incerta, & perpetua, non quemadmodum simile legatum morte legatarii finiretur.* Ergo legatum annuum non unâ, sed multiplici Præscriptione submoveri debet.

257 Resp. cum D. Rath legatum annuum esse multiplex quoad transmissionem in hæredes, ex tacita subintellecta conditione, *si legatarius vixerit*: quæ conditio singulis annis verificari debet, si legatum in hæredes transmittendum sit *d. l. si in singulos annos* 4. *de annuis Leg.* aliter quàm in reditu annuo, ex contractu debito, qui singulorum annorum purus est ac perpetuus, & ad omnes hæredes transitorius, quandocunque creditor moriatur: 258 ex ea forsan rationis differentia, quòd contrahens sibi & hæredibus prospexisse præsumatur *l. veteris juris* 13. *Cod. de Contrah. stipulat.* legans autem speciali affectione ad legatarium respexisse credatur: cùm legata annua plerumque disciplinæ, alimentorum, aut amictûs nomine relinquantur. Struvius ad *ff. Exercitat.* 35. *th.* 31. Hæc 259 tamen pensionum differentia, cùm solummodò se teneat ex parte subjecti, seu etiam causæ efficientis; ex parte verò objecti jus annuum legatô quæsitum, æquè sit unum, ac jus annui reditûs, titulô contractûs comparatum, quia incorporale: hinc in ordine ad Præscriptionem nullum parit effectum, neque obstaculum causat ullum, quò minùs jus unum sicut alterum 30. annorum Præscriptione tollatur. Quò etiam 260 collimâsse videtur JCtus *in d. l.* 16. §. *un. ff. de V. O.* ubi legatum annuum à stipulatione annua non ex capite unitatis, sed ex ratione durationis eatenùs distinxit, quatenùs stipulatio in singulos annos est perpetua, legatum verò simile *morte legatarii finitur*: quia personalia cum persona exspirant.

§. III.

De Jure luendi pignoris.

261 Recepti ubique moris est, ut creditores, pecunias mutuas erogantes, in securitatem crediti pignoris constitutionem à debitoribus exigant & recipiant, cum obligatione restituendi, ubi debitum per solutionem expunctum fuerit. Nascitur exinde actio pigneratitia, directa & contraria. *Directa* competit debitori adversùs creditorem, ad pignus, solutô debitô, repetendum. *Contrariam* movet creditor adversùs debitorem, ut ratione pignoris servetur indemnis. Utraque actio est personalis, eôque nomine certam temporis metam, ad instar aliarum personalium, præstitutam habet *in l. sicut* 3. *Cod. de Præscript.* 30. *annor.* 262

Q 4 Quæ-

Quæstionis modò est, inter DD. admodùm controversæ, præscribatùrne actioni directæ, seu, ut alii scribunt, juri luendi pignoris intra 30. annos, qoando videlicèt debitor intereà nec debitū creditori obtu-
263 lit, nec ex consequenti pignus luere curavit? Partem oegativam tuentur Zoësius *ff. h. t. num.* 41. Schambogen *Instit. eôd. tit.* §. 4. *f. m.* 301. Rath *cap.* 4. *assert.* 6. P. Pirhing ad *h. t. num.* 17. Clariss. D. P. Joan. Bapt. Ebberth *p.* 1. *Select. Controv.* 9. *num.* 3. eamque in Camera Imperiali practicari, docent Mynsing *cent.* 1. *Observat.* 16. & Gail. *lib.* 2. *Observ.* 18. *n.* 4.
264 Affirmativæ patrocinantur Bachovius de *Pignor. cap.* 20. Vinnius *select. quæst. Jur lib.* 2. *cap.* 6. Antonius Negusantius *de pignor. part.* 5. *membr.* 3. *num.* 52. & *part.* 6. *membr.* 2. *num.* 19. Clariss. D. Franz *h. t. num.* 10. quam etiam, velut communem inter Legistas & Canonistas, post moltos apud Gabriel. *commun. conclus. lib.* 5. *conclus.* 7. *n.* 1. recensitos, assumit Immola *ibidem citat.* & in quam inclinat Rota Rom. in *rec. p.* 19. *ta.* 2. *dec.* 483. *n.* 17. Assumo & ego.

265 Ratio principalis est: quia omnes actiones personales jugi 30. annorum silentiò in perpetuum quiescere, & silere jubentur in *d. l. sicut* 3. Textum autem luculentum hactenùs reperire non fuit, quô actio pignoratitia directa à generali constitutione sit excepta. Ergo secundùm generalis constitutionis re-
266 gulam ambulare debet. Confirmatur. Jus creditoris adversùs debitorem, uti & adversùs tertium extraneum pignoris possessorem; item jus primi creditoris adversùs secundum, atque è contrario jus secundi adversùs primum nunc 30. nunc 40. annis excluditur *l. cùm notissimi juris* 7. §. 3. *Cod. de Præscr.* 30. *annor.* Ergo etiam jus debitoris adversùs creditorem, in jure luendi pignoris constitutum, tanto temporis cursu excluditur.

267 Neque sufficit, dicere, inter debitorem respectu creditoris, & inter secundum creditorem respectu primi creditoris disparitatem esse: quia jus offerendi, quod habet debitor adversùs creditorem, competit per modum facultatis, cui non præscribitur: illud verò jus offerendi, quod habet secundus creditor contra primum in eadem re, secundo loco sibi oppignoratâ, competit per viam actionis & juris, ideòque eidem rectè præscribitur.

268 Contra enim est: quia jus offerendi, quod habet debitor, etiam per viam actionis & joris competit: si enim ponamus, creditorem oblatam pecuniam nolle acceptare, is non per facultatem, sed per actionem pignoratitiam, ex præcedenti contractu & obligatione offerendi luendique pignoris exortam, compellendus erit: ex quo deducitur, jus offerendi nou per modum facultatis, sed joris competere. Deinde est
269 creditori secundo perinde liberum & arbitrarium, velitne primo creditori offerre debitum, ac liberum & arbitrarium est debitori: neuter anim ad hoc adigitur, neuter obligatur. Ergo respectu unius perinde ac respectu alterius vires suas exseret
270 Præscriptio. Ad hæc jura facultatis abusivè dicuntur, quæ ex præcedente contractu, & non ex mero naturalis libertatis arbitrio derivantur, ut diximus in *num.* 63. & mox repetemus. Ergo jus offerendi, cùm ex præcedente contractu pignoris derivetur, abusivè dicitur facultatis. Ergo disparitas est nulla.

271 Objicies I. Non valenti agere non currit Præscriptio. Sed debitor ante solutionem non potest agere: quia *omnis pecunia exsoluta esse debet, aut eô nomine satisfactum esse, ut nascatur pignoratitia actio l. si rem alienam* 9. §. 3. *ff. de Pignorat. act.* Ergo ante solutionem debitor non potest agere.

272 Resp. distinguendô majorem: non valenti agere ob impedimentum Juris, non currit Præscriptio, concedo majorem; non valenti agere ob impedimentum facti, non currit Præscriptio, nego majorem, & sic distinctâ minore conseq. Debitor de Jure potest agere, quandocunque velit, modò de pecunia sibi provideat; hanc si non babeat, impedimentum facti, noo
Juris est. Probationem minoris ex *l. si rem alie-* 273
nam itidem distinguo: omnis pecunia exsoluta esse debet &c. ut nascatur actio pignoratitia quoad substantiam nego, quoad effectum concedo. Actio pignoratitia *quoad substantiam* illico nascitur, postquàm contractus traditione pignoris est perfectus: quia, dum ponitur obligatio tanquàm causa, nascitur etiam actio, tanquàm effectus. Sed obligatio restituendi pignus illico nascitur, postquàm contractus est perfectus §. *ult. Inst. quibus mod. re contr. oblig.* ibi: *creditor quoque, qui pignus accepit, re obligatur (quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur) actione pignoratitia.* Ergo &c. *Quoad effectum* 274
verò, seu quoad facultatem agendi efficaciter, post factam demum solutionem actio debitori competit: quia creditor ad redditionem pignoris anteà compelli nequit. Fundatur hæc distinctio in *l. solutum* 11. 275
§. 3 *ff. eôd.* ubi Ulpianus actionem pignoratitiam *cessare*, asserit, *quàmdiu quid debetur*: supponit ergo, actionem quoad substantiam jam esse natam, cùm effectu tamen moveri non posse: quomodò enim *cessare & desinere* potest, quod nunquàm incepit; aut quomodò mori, quod nunquam vixit? Instantiam 276
dat Vinnius ubi suprà in actione empti, quæ in substantia, sive ut ille discurrit, quoad actum primum statim exsurgit, simul atque de pretio inter partes convenit *pr.* & §. 3. *Inst. de Empt. Vendit.* nisi tamen emptor pretiom offerat, cum effectu agere non potest contra venditorem *l. Julianus* 13. §. 8. *ff. de Action. empt.* Quo non obstante, neminem se legisse, ait Vinnius, qui actionem empti adversùs emptorem priùs currere negèt, quàm pretium fuerit oblatom.

Instabis I. Creditor, cui obligatus est debitor in 277
diem, habet jus agendi quoad substantiam *arg. l. cedere diem* 213. *in pr. ff. de V. S.* & tamen contra illum Præscriptio ante diei eventum non militat. Ergo nec coutra debitorem pignoratitium militabit ante oblationem debiti, licèt actio fuerit nata quoad substantiam.

Resp. discrimen esse, quòd creditor cum obliga- 278
tione in diem impedimentô Juris laboret: quia, sive velit, sive nolit, existentiam diei exspectare debet, nec à Jure eventum diei ad agendum cum efficacia admittitur. At debitor pignoratitius solummodò impedimentô facti distringitur, quod suâ operâ potest amovere, si modò de pecunia sibi prospiciat. Ille igitur 279
Juris præsidium in Præscriptione meretur, quia remotionem impedimenti in potestate non habet: iste verò non meretur, quia impedimentom per se loquendô suâ potest industriâ removere. Confirmari 280
potest responsio ex eo, quòd obligationes conditionatæ in ordine ad Præscriptionem obligationibus in diem assimilentor in *l. cùm notissimi* §. 4. *Cod. de Præscr.* 30. *annor.* & tamen, si conditio fuit potestativa, ejusque implementum in arbitrium creditoris reposita, couditio pro pura & purificata habetur, & consequenter Præscriptioni locum facit *arg. l. præter.* 1. §. 8. *ff. Si quis omissa causa testam.* & ibi egregiè Brunneman. *n.* 16. & Balbus 5. *part.* 5. *princip. quæst.* 3. *n.* 1. Ergo, cùm in caso proposito debitor habeat conditionem, in proprium arbitrium quoad implementum repositam, ea habetur pro pura, & locum facit Præscriptioni.

Instabis II. Quàmdiu liberum est actori, utrùm ve- 281
lit agere vel non agere, tamdiu actio non est nata *quoad substantiam*, ut eidem Præscriptio noceat. Sed debitori est liberum, velitne creditum offerre vel non. Ergo ante oblationem actio non est nata &c.

Hanc

281 Hanc instantiam, tametsi ex Adversariis quidam magni faciant, D. Rath, cæteroquin adversæ opinionis patronus, parum æstimat: quia nempe actus libertatis seu meræ facultatis aliam longè naturam habent ex *num.* 63. Claritatis tamen gratiâ juxta *num.* 65. distingui potest inter nudum offerendi factum, & effectum, qui obligationem consequitur. *Nudum offerendi factum* est utique actus meræ facultatis, sicut facultas adeundi Judicem pro intentanda actione commodati v. g. eoque titulo nullâ Præscriptione extinguibilis: quia, quæ facti sunt, infirmari à Jure nec possunt, nec debent: cùm ex eorum frequentia, millies repetitâ, nec turbatio in Republica, nec damnum credito-

283 ri inferatur. *Effectus* autem, qui oblationem comitatur, seu efficax jus agendi, non est meræ facultatis: cùm non ex arbitrio debitoris, sed ea conventione simul ac approbatione Legis proveniat; eaque de causa Præscriptione sit extinguibilis: quia Lex ex motivo boni publici ejusmodi juribus & actionibus se immiscet, certumque iis terminum præstituit, intra quem non intentatæ pereunt, evanescunt.

284 Objicies II. Sinè possessione, quâ rem aliquis detinet ut suam, non datur Præscriptio. Sed creditor pignus non possidet ut rem suam, sed nomine & vice debitoris. Ergo pignus non præscribi; ergo nec actioni pignoratitiæ officit Præscriptio.

285 Resp. concedendò totum syllogismum, & negandò ultimam sequelam, utpote à statu nostræ quæstionis exorbitantem. Nunquam hactenùs diximus, quòd creditor pignus præscribat, quasi deinceps res pignorata in dominium ipsius transiret: cùm huic Præscriptioni defectus non possessionis tan-

286 tùm, sed etiam bonæ fidei obstaret. Imò cum Negusantio *part.* 6. *membr.* 2. *num.* 24. post Præscriptionem, contra jus offerendi completam, debitori adhuc rei vindicationem adstruimus ad pignus, jure dominii, quod penes eundem semper

287 remansit, repetendum. Verùm de jure offerendi & luendi pignoris seu actione pignoratitia cardo rei vertitur, eàmque 30. annorum fatali terminò constringi, nec aliquid ampliùs desiderari, constan-

288 ter defendimus. Nec gratis ista & ita defendimus uti primâ forsan facie videri posset, quasi videlicèt inanis esset Præscriptio, si, actione pignoratitia expulsâ, adhuc remaneret rei vindicatio, quâ idem omninò, quod pignoratitiâ, quis petere valet: enimverò, uti Jura actionem pignoratitiam prætet rei vindicationem gratis non produxêre; ita eandem finè rei vindicatione gratis interire, non

289 sinunt. Scimus præter alia, rei vindicationem ob difficultatem probandi dominium minùs esse favorabilem, quàm actionem pignoratitiam, in qua nil aliud, quàm rei oppignoratio, probandum venit. Præjudicium itaque non minimum debitori infertur, si, actione favorabili sopitâ, minùs favorabilis relinquatur salva. Ut omittam intereà quod aliàs debitor vi actionis pignoratitiæ à creditore possit exigere multa, quæ non possit exigere in vindicatione. Videantur textus *in l. quamvis convenerit* 6. §. *un. l. creditor* 42. *ff. de Pignorat. act.* & Struv. *cum addit. Milleri ad eund. tit. Exercit.* 19. *th.* 48.

290 Resp. II. *ex cap.* 1. *num.* 21. Præscriptionis duas esse species, positivam & privativam; ad illam diximus, possessionem esse necessariam; ad hanc non etiam, ex ratione differentiæ *ibidem* jam indicatâ. At Præscriptio, quâ debitor jus luendi pignoris excludit, est privativa. Ergo non habet opus possessione.

§. IV.

De Jure Retractûs.

Jus Retractûs est facultas redimendi rem venditam, eôdem oblatô pretiô. Dividitur in Legale & Conventionale. *Legale* est, quod ab ipso Jure, vel Scriptô vel Consuetudinariô, certis personis tribuitur. *Conventionale* est, quod ex speciali conventione promanat. Potest autem conventio dupliciter institui; I. ut simpliciter paciscentes inter se conveniant, quòd liceat venditori rem venditam, quando placuerit, redimere. II. ut expressa conditio addatur, quòd liceat venditori quoties & quandocunque & in perpetuum rem venditam redimere. Utrôque casu celebris movetur controversia, possitne juri retractûs 30. annorum intervallô præscribi? In qua 291 292

Dico I. Juri retractûs 30. annis præscribitur, quando jus redimendi simpliciter fuit reservatum. Ita præter Authores, pro secunda conclusione adducendos, Stryckius *de Cautel. contractuum sect.* 2. *cap.* 8. § 57. Menochius *Consil.* 726. n. 62. & *consil.* 1169. n. 41. Ratio est: quia in jure retractûs, uti in jure offerendi & luendi pignoris duo consideranda sunt, merum videlicèt agendi factum, & ipsum jus agendi, seu retrovenditionem exige di. Illud, cùm res purissimæ facultatis sit, omnem prorsus respuit Præscriptionem. Hoc, cùm sit jus personale, non minùs quàm cæteræ actiones & jura personalia certum vivendi & movendi habet terminum, nempe 30. annorum *per l. sicut* 3. *Cod. de Præscr.* 30. *annor.* quô præterlapsô, nulla ampliùs agendi licentia superest. 293 294

Quâ ratione jam est præclusa via communi objectioni, quòd nempe jus redimendi sit meræ facultatis; nec non & alii objectioni æquè communi, quòd, antequàm venditor offerat idem pratium pro revenditione, necdum sit nata actio: nam, uti actiones reliquæ eô ipsô nascuntur momentô, quô contractus est absolutus; ita jus redimendi eôdem suboritur momentô, quô pactum redimendi completum est: implicat enim, ait D. Gletle mox citandus, causam absque effectu suo consurgere. Et hinc, si à tempore pacti interpositi 30. anni decurrerint, jus redimendi ad exemplum aliorum jurium emoritur. 295

Dico II. Juri retractûs 30. annis præscribitur, esto nominatim convenerit, quòd liceat venditori quoties & quandocunque & in perpetuum redimere. Hanc Conclusionem tenent Covarruv. *lib.* 1. *Var. resol. c.* 9. Balbus 4. *part.* 5. *princip. quæst.* 3. *n.* 2. Rath *d. cap.* 4. *assert.* 7. Haunold *de J. & J. tr.* 10. *c.* 1. *n.* 205. Gletle *in quæst. select. ex* 3. *p. pand. cap.* 22. *n.* 4. Clariss. D. Franz *h. t. n.* 12. Clariss. P. Melchior Friderich *in insigni tractatu de Empt. Vendit. part.* 4. *cap.* 2. *art.* 5. n. 481. &, ut colligit ex Menochio Stryck. *cit.* Authores 41. Ratio est: quia, non obstante clausulâ de perpetuitate retractûs, jus redimendi manet jus personale. Sed jus personale perditur 30. annis, esto sit perpetuum, uti colligitur ex *tot. tit. Instit. de perpet. & temporalib. action.* ubi omnes actiones personales civiles dicuntur perpetuæ, quamvis ultra 30. annos non excurrant *d. l. sicut* 3. ibi: *hæ autem actiones* 30. *annis extinguantur, quæ perpetuæ videbantur.* Ergo, non obstante clausulâ de perpetuitate retractûs, jus redimendi ultra 30. annos non excurrit. Et ita decidit Rota Rom. *in una Rom. Fideicom. p.* 10. *dec.* 31 1. *n.* 2. *& seqq. in rec.* & p. 13. *dec.* 322. *n.* 7. 296 297

Divortium ab hac sententia faciunt Fachinæus *lib.* 2. *controv. c.* 23. Gail. *lib.* 2. *observ.* 18. *n.* 5. Mynsing *cent.* 1. *obs.* 56. & juxta horum assertum praxis Cameræ. Pro quibus ultra objectiones, in præcedenti conclusione præoccupatas, militat I. quòd Jure communi jus redimendi rem venditam, simpliciter conceptum; 298

ptum, duret tricenniô, ut *in cit. concluſ.* probatum eſt : adeòque jus redimendi cum clauſula *quandocunque & in perpetuum*, ne fruſtranea & otioſa ſit, diu-
299 tiùs durare debeat. II. quòd cenſus redimibilis ſinè ullo Præſcriptionis incommodo omni tempore poſſit redimi juxta conſtitutionem Pii V. quæ incipit : *cùm onus &c.* §. 11. & hoc non ex alia ratione, ac quia in hoc cenſu apponitur pactum redimendi *in perpetuum*: ideòque idem judicium de omni pacto redimendi *in perpetuum* ſit ferendum.

300 Sed reſponſio non eſt adeò difficilis. Ad primum enim cum D.Gleile nego ſequelam: quia jus redimendi plerumque ad tempus brevius, annum v. g. biennium, vel decennium coanguſtari ſolet ; & ideò ſi contrahentes de perpetuitate redimendi injiciant mentionem, ſatis exprimunt , in metam breviorem ſe neutiquàm conſentire, ſed velle, ut redemptio eò uſque porrigatur, quouſque perpetuitas in acceptione Juris communis porrigitur, hoc eſt ad 30.annos : unde pactum cum clauſula de redemptione perpetua
301 non eſt otioſum. Præteréà clauſulæ in contractibus ſemper aliquid ſpeciale operentur, neceſſe non eſt , ſed frequenter interpretationem ex Jure communi recipiunt *arg. l. non rectè* 3. *Cod. de Fidejuſſor.*

302 Ad ſecundum Reſp. duplicem eſſe diſparitatem. Nam I. in cenſibus annuis jus redimendi eſt conjunctum exceptioni : quia, dum emptor agit ad ſolutionem cenſûs, venditor excipit quoad futuros ſaltem reditus, offerendò pretium redemptionis : ſicut autem natura exceptionis eſt perpetua, & nullâ temporis Præſcriptione tollitur *l. purè mihi* 5. §. *ult. ff. de Dol. mal. & met. except.* ita etiam jus redimendi, exceptioni conjunctum. Covarruv. *d. cap. 9. n.* 8. II.
303 pactum redimendi ſingulis annis in ſolutione cenſûs renovatur : dum enim venditor ſolvit , & emptor accipit, venditio prior de novo approbatur , obligatio revendendi agnoſcitur, ſimulque Præſcriptio , ſi exordium etiam habuiſſet, interrumpitur. Idem ibidem. Sed Præſcriptio adversùs jus redimendi rem venditam ex parte venditoris exceptionem nullam ſupponit ; neque factum interruptivum Præſcriptionis occurrit. Ergo non eſt paritas.

304 Sed quid, ſi inter contrahentes pactum revendendi expreſsè ac reflexè ultrà 30. annos fuerit extenſum, an nihilominùs Præſcriptio tricennalis vel alia ſuum habebit effectum ? Reſponſio ex *cap.* 3. *à n.*27. cum diſtinctione, ibidem inſinuatâ, reſumenda eſt.

§. V.

De obligationibus ex Delicto.

305 Delictum dividitur in ordine ad præſens inſtitutum *in privatum*, in quo ſolummodò attenditur læſio privati, ſeu, ut alii differunt, de quo civili potiſſimùm actione experiuntur ii, ad qoos agendi jos pertinet ; & *publicum*, in quo principaliter attenditur læſio Reipublicæ, ſive in quo potiſſimùm experiuntur actores
306 ſeu accuſatores criminaliter. Ex delictis privatis oritur obligatio perſonalis, civilis vel prætoria , coi è diametro reſpondet actio perſonalis civilis vel prætoria. Ex delictis publicis emanat obligatio perſonalis ad ſuſtinendam pœnam, Legibus publicis dictatam , cui ex adverſo reſpondet actio criminalis ſeu potiùs accuſatio ad debita contra reum ſupplicia expeten-
307 da. De obligationibus & actionibus prioris ſpeciei non eſt, quod circa Præſcriptionem controverſum ſcio : dicam tamen aliquid, ubi ad tempus Præſcriprionis ,
308 in ſingulis actionibus requiſitum, devenero. De obligationibus & actionibus ſeu accuſationibus poſterioris ſpeciei præter determinationem temporis , infrà commodiùs faciendam, tria hîc diſcutienda ſe offerunt. I. eſt, utrùm Præſcriptio in cauſis criminalibus ſolummodò contra accuſatorem, an etiam contra Judicem currat ? II. eſt, utrùm Præſcriptio adversùs actorem, & Judicem procedat, eſto ignoraverint ; crimen eſſe admiſſum ? III. eſt, utrùm reus, elapsô Præſcriptionis tempore, crimen confeſſus, poſſit adhuc pœnali judiciò percelli ? Sequor in reſolutione potiſſimùm veſtigia profundiſſimi JCti D. Gleile *in Jurisprud. terribili tom. 1. part. cap. un.* §. *n.* 20. 21.& 22. & Sabelli in *ſumma* §. *delictum n.* 7. Et

Dico I. Non tantùm accuſator, ſed etiam Judex 309
Præſcriptione in cauſis criminalibus repellitur. Probatur tum ex *l. anni ſpatium* 2. §. *un.* & *l. quamcunque* 3. *ff. de Requir. vel abſent. damnandis*, in quibus, dum abſolutè deciditur, quamcunque quæſtionem , fiſco occaſione criminum competentem, Præſcriptione vicennali ſubmoveri, deducitur, etiam Judicem , qui plerumqoe jura fiſcalia tuetur, ſubmovendum eſ-
ſe : tum quia etiam in civilibus actionibus Præſcri- 310
ptio tam contra actorem, quàm contra Judicem vim ſortitur : ut adeò nec in criminalibus aliud dicendum videatur : cùm ratio boni publici ſuadeat, ut æquè accuſatoribus atque actoribus poſt diuturnum ſilen-
tium os obſtruatur : tum quia parum prodeſt Præ- 311
ſcriptio, ſi accuſatori ſolùm vocem, & Judici non etiam manus liget, ut, qui humanâ fragilitate in ſcelus eſt prolapſus, inter ſacrum & ſaxum continuò pendere debeat.

Si ingeras : iniquum eſſe, reum lapſu temporis ab 312
omni pœnarom metu liberari : regeto ego , uti in civilibus iniquum non eſt , reum aliquando ab omni exactionis metu liberari ; ita nec in criminalibus iniquum eſſe , reum aliquando à ſuppliciorum timore abſolvi.

Dico II. Judex unà cum accuſatore iu cauſis cri- 313
minalibus excluditur , licèt crimen uterque ignoraverit. Colligitur ex *l. mariti* 29. §. 5. *l. quinquennium* 31. *ff. ad L. Jul. de Adulter.* ubi quinquennium, ad accuſationem adulterii conceſſum, dicitor eſſe continuum & non utile. Ergo etiam contra ignorantem currit. Ergo nec Judex nec accuſator poſt tempora Præſcriptionis quidpiam juris habent in crimi-
ne, licèt ignoraverint. Et ratio eſt : quia in cauſis civi- 314
libus quoque non attenditur ignorantia vel ſcientia adverſarii, uti trademus ſuô locô. Ergo nec in criminalibus erit attendenda.

Dico III. Reus, poſt elapſa Præſcriptionis tempo- 315
ra crimen confeſsus, nequit pœnali judiciô percelli. Probatur : quia, poſt elapſa Præſcriptionis tempora crimen perimitur, ac perinde habetur, ac ſi non fuiſset admiſsum *arg. dictorum in n.* 309. Sed qui crimen , nunquam admiſsum, eſt confeſsus, nequit pœnali judiciô percelli. Ergo reus crimen, Præſcriptione per-
emptum , confeſsus nequit percelli &c. Confirmatur 316
à paritate, ex cauſis civilibus deſumptâ : ibi enim, non attentâ confeſſione, reus poſt lapſom requiſiti temporis ad ſolutionem compelli non poteſt. Ergo poſt eundem terminom neque in cauſis criminalibus ad ſupplicium poterit condemnari.

SECTIO III.

De Juribus Eccleſiaſticis.

SUMMARIA.

317. *Digreſſio ad Jura Eccleſiaſtica.* 318. *& ſeqq. Epiſcoporum Poteſtas eſt duplex, Ordinis. & Juriſdictionis.* 320. *& ſeqq. Præſcriptio poteſt fieri cumulativè, vel privativè.* 322. *Præſcriptio quoad jura Epiſcopalia potiſſimùm in Prælatis procedit.* 324. *& ſeqq. Jus ordinandi & cōfirmādi eſt impræſcriptibile.* 330. *& ſeqq. Etiā jus conſecrandi cum unctione præſcribi* veta-

vetatur. 333. *& seqq. Non verò jus consecrandi sinè unctione.* 337. *& seqq. Jura Episcopalia jurisdictionalia sunt præscriptibilia.* 339. *Et quidem omnia collectivè.* 340. *& seqq. In specie jus instituendi.* 349. *& seqq. Jus visitandi.* 351. *& seqq. Jus exigendi procurationem est dubium.* 355. *De aliis Juribus remissivè.* 356. *Transitus ad jura parochialia.* 357. *Sunt præscriptibilia.* 358. *& seqq. De jure decimandi varia præsupposita.* 363. *& seqq. Potest præscribi à personis Ecclesiasticis seorsim absque cæteris juribus parochialibus.* 367. *& seqq. solvuntur objecta.* 377. *& seqq. Potest etiam à Laicis præscribi, quando ad Laicos legitimè pervenit.* 380. *& seqq. Diluuntur opposita.* 386. *& seqq. Aliàs ne quidem immemoriali tēpore etiam jus utile duntaxat à Laicis præscribi valet.* 400. *& seqq. Satisfit argumēto contrario.* 405. *& seqq. Sunt tamen in quasi possessione temporis immemorialis manutenendi.* 413. *& seqq. Ostenditur discrimen inter præsumptionem & Præscriptionē.* 415. *& seq. Corollare.* 417. *& seqq. Jus decimandi passivum etiam a Laicis rectè præscribitur.* 424 *& seqq. Dummodò Parochis congrua maneat sustentatio.* 427. *& seqq. Prosecutio materia ad decimas novalium.* 430. *& seqq. Qui præscripsit decimas ordinarias, præscripsit decimas novalium impropriè talium.* 434. *& seqq. Non autem propriè talium.* 439. *& seqq. Adversa fundamenta evertuntur.* 446. *& seqq. Eadem resolutio de jure decimandi passivo quoad novalia ponitur.* 452. *& seqq. Jus patronatûs à Clericis indubitatè præscribitur.* 454. *& seqq. Etiam à Laicis, si Ecclesia non sit libera.* 458. *& seqq. Explicatur Concil. Trident.* Sess. 25. de Ref. cap. 9. 461. *& seqq. Etiam in Ecclesia libera.* 476. *& seqq. Etiam in Ecclesia Collegiali.* 472. *& seqq. Instantia de jure eligendi supprimitur.* 478. *Proponuntur Concordata Germaniæ.* 479. *Agitatur quæstio de Præscriptione, Concordatis contrariâ.* 480. *& seqq. Sententia negativa refertur, & probatur.* 484. *Responsio ad hanc probationem insinuatur.*

§. I.

De Juribus Episcopalibus.

317 DEvenio ad Jura Ecclesiastica, quæ pro objecto vel mediato vel immediato habent aliquid supernaturale seu ad vitam æternam promerendam ordinatum, solisque personis Ecclesiasticis, nec tamen omnibus, ab Ecclesia sunt concessa; dispecturus in *hac sect.* quid & quantum in iis Præscriptio respectu Clericorum possit. Hæc inter Jura primatum tenent Episcopalia, de quibus

318 Præmittendum I. Sicut potestas Episcoporum est duplex, Ordinis videlicèt & Jurisdictionis; pariter jura Episcopalia esse duplicia, alia, quæ fluunt ex potestate Ordinis; & alia, quæ fluunt ex potestate Jurisdictionis. Potestas Ordinis dependet essentialiter à consecratione & charactere Episcopali, triaque potissimùm jura secum fert, jus ordinandi, consecrandi, & confirmandi; & hæc in vestibus & ornamentis Pontificalibus exerceri solent. P. Engel *ad tit.* 33. *lib.* 1. *Decret. n.* 36.

319 Potestas Jurisdictionis confertur in actu primo per electionem, & in actu secundo per confirmationem S. Pontificis, eaque de causa etiam ante consecrationem exerceri potest, uti patebit ex *tr. seq.* Jura exinde deducta enumeramus in *cap. conquerente* 16. *de Offic. Ordinarii*, in præsenti §. explicatiùs examinanda.

320 Præmittendum II. Præscriptionem in juribus Episcopalibus dupliciter reperiri posse, *privativè* & *cumulativè*. Vel enim præscribens totô Præscriptionis tempore solus in usu & exercitio juris Episcopalis extitit, Episcopô intereà quiescente &
abstinente; vel præscribens unà cum Episcopo intermediô Præscriptionis tempore jura Episcopalia
promiscuè exercuit. Priore casu jus Episcopale 321
præscribitur *privativè*, hoc est, eô effectu, ut
Episcopo non ampliùs supersit facultas, actum
similis juris in eo loco exercendi. Secundô casu præscribitur *cumulativè*, hoc est, eô effectu, ut Episcopus
unà cum præscribente deinceps in exercitio juris
præscripti concurrat. Panormit. *ad cap. auditis* 15.
h. t. Fagnanus *ibid. num.* 6. Barbosa *de Off. & pot.*
Episc. p. 3. *alleg.* 127. *num.* 18. Ratio est: quia tan- 322
tum præscriptum, quantum possessum. Ergo, si
possessio juris Episcopalis fuit privativa, vel cumulativa, Præscriptio quoque privativa vel cumulativa erit.

Præmittendum III. Quæstionem hîc potissimùm 323
agitari de Prælatis, Episcopô inferioribus, maximè
verò usum Pontificalium habentibus: cùm enim ex
una parte actus Ordinis ex una parte actus Ordinis
ex *num.* 318. in vestibus Pontificalibus exerceri soleant; ex altera verò parte actus Jurisdictionis simplicibus Sacerdotibus, nullâ Jurisdictione fori externi præditis, rarò aut nunquàm hactenùs permissi fuerint: de aliis quàm Prælatis Ecclesiæ, & maximè de
Infulatis, multa disputare, tempus modò non sinit.
Pono jam 4. conclusiones, & præmissâ distinctione
in actibus Ordinis, quoad jus Ordinandi, Confirmandi, & Consecrandi; & in jure Consecrandi cum vel
sinè unctione,

Dico I. Jus Confirmandi & Ordinandi à Prælatis, 324
Episcopo inferioribus, præscribi nequit. Sic ex communi docere videtur Covarruv. *lib.* 1. *Var. resolut.*
cap. 10. *n.* 14 Panormitanus *ad cap. quanto* 4. *de Consuetud. n.* 2. & *ad d. cap. auditis h. t. n.* 23. 33. 34.
Gonzalez *ibid. n.* 7. Et decisa habetur conclusio sa- 325
tis manifestè *in d. cap. quanto*, ubi Innocent. III. ab
initio generaliter facit mentionem de consuetudine
quorundam simplicium Sacerdotum, Sacramenta, solis Episcopis reservata, administrare præsumentium;
& deinde exemplum subdit de Sacramento Confirmationis, à solis Episcopis conferendô; moxque illam consuetudinem tanquàm corruptelam & peccati
nutritivam damnat. Ratio est: quia consuetudo vel 326
Præscriptio cujuscunque temporis nemini suffragatur, qui sinè speciali privilegio & delegatione Summi
Pontificis possidere non potest secundùm dicta *in n.*8.
Sed quicunque Prælati, Episcopô inferiores, sinè
privilegio aut delegatione Pontificis jus Confirmandi aut Ordinandi possidere non possunt. Ergo &c. 327
min. probatur imprimis universaliter ex *cap. aqua* 9.
de Consecrat. Eccles. ubi Gregorius IX dum ea,
quæ Ordinis sunt Episcopalis, negat, inferioris gradûs Clericis demandari posse, tacitè insinuat, privilegiô vel delegatione Papali ad eorum possessionem
opus esse. Deinde de Jure confirmandi non solùm in 328
cap. manus quoque 4. *de Consecrat. Dist.* 5. dicitur,
quòd ab aliis quàm Episcopis administrari nequeat,
cum addito: *si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum; & inter Ecclesiastica nunquàm reputabitur Sacramentum*: verùm etiam in Trid. Concil.
Sess. 7. *de Sacram. Confirm. Can.* 3. decernitur: *Si
quis dixerit, sanctæ Confirmationis Ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quamvis simplicem
Sacerdotem, anathema sit.* De Jure autem Ordinandi 329
in eod. Trid. Sess. 23. *de Sacrament. Ord. Can.* 7. statuitur: *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris
superiores, vel non habere potestatem Confirmandi &
Ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem &c. anathema sit.* Sicut ergo ex
recitatis S. Synodi Decretis jus Confirmandi & Ordinandi Sacerdotes simplices ab Episcopis distinguit,
adeòque etiam Episcopos quà tales constituit: cùm
idem sit constitutivum, quod est distinctivum: ita
ejus-

ejusdem juris inferiores Sacerdotes & Prælati erunt
incapaces, quemadmodùm gneraliter constituti in
Ordine inferiori incapaces sunt exercendi jura & ac-
tus Ordinis superioris.

330 Dico II. Jus Consecrandi cum adhibitione sacræ
unctionis à Prælatis inferioribus, standò in Jure com-
muni, acquiri nequit. Ita præter citatos *priori num.*
qui indistinctè volunt, Præscriptionem in actibus,
potestatem Ordinis comitantibus, non dari, cum Syl-
vestro & Alvino P. Layman in *Quæst. Canon. de Præ-
lat. Ecclesiast. Elect. cap.* 17. *quæst.* 217. *resp.* 2. Pa-
331 tet I. ex *cap. quamvis* 4. *Dist.* 68. ubi Leo I. inde-
finitè Chorepiscopis & Presbyteris unctionem, bene-
dictionem, altarium erectionem vel consecrationem
interdicit, veluti munera, solis Episcopis convenien-
tia. II. ex *c. nullus* 25. *de Consecrat. Dist.* 1. ubi
Presbyteris altarium erectio sub pœna degradationis
prohibetur. III. ex *cap. interdicimus* 10. *XVI. quæst.* 1.
ubi etiam Abbatibus generatim vetitū legitur, ne un-
ctiones faciant, sed chrisma, oleum, & consecratio-
nes altarium ab Episcopis propriis accipiant. Ratio
332 est: quia, licèt consecratio cum unctione non sit ex
Jure Divino Episcopatui indispensabiliter annexa,
attamen, ut pulchrè docet Gonzalez ad *d. cap. quan-
so n.* 9. ex ipsa Apostolorum institutione, & secun-
dùm Layman proximè nominatum, ex Ecclesiæ tradi-
tione, Episcopali Ordini cognata est. Ergo Prælati
Episcopò inferiores, cùm Ordine & charactere Epis-
copali careant, non possunt ejusmodi munia præscri-
bere.

333 Dico III. Jus consecrandi seu potiùs benedicendi
sinè unctione à Prælatis inferioribus, standô etiam in
Jure communi, præscribi valet. P. Engel de *Privil.*
49. *n.* 5. Layman *d. quæst.* 217. *resp.* 3. cum Glossa
super *cap. Abbates* 3. *de Privil. in* 6. Sylvestro, Al-
334 vino, Sa, & *aliis*. Ratio est: tum quia in Sacris Ca-
nonibus tales benedictiones non reperiuntur ita ap-
propriatæ Episcopis, sicuti illæ, quæ chrismatis un-
335 ctionem habent: tum quia Prælati, ab Episcopo so-
lenniter Benedicti, nancisuntur jus conferendi Ordi-
nes Minores *cap. quoniam* 1. *Dist.* 69. *cap.
cùm contingat* 11. *de Ætat. qual. & Ord. præf.*
sicque cùm habiles efficiantur ad administranda
Sacramenta, efficiuntur quoque habiles ad per-
336 agenda Sacramentalia: tum denique quia ex anti-
quissima consuetodine plerique Germaniæ Abbates
paramenta, ornamenta, & corporalia solent benedi-
cere, uti Engel & Laymao testatum faciunt; quæ
consuetudo non tantùm non improbata, sed etiam re i-
psà approbata videtur à S. Pontifice, per Declaratio-
nem Cardinalium, his verbis conceptam: *Abbas, qui
est Benedictus, vel ex privilegio Sedis Apostolicæ ha-
betur, Pontificalia exercere possit, ac si esset Benedictus,
potest omnia Sacra benedicere, illis exceptis, in qui-
bus unctio requiritur.*

337 Dico IV. Omnia Jura Episcopalia, ex potestate
Jurisdictionis promanantia, à Prælatis inferioribus
præscribi possunt. Panotmitanus ad *cap. audiris* 15.
& cap. cùm olim 18. *h. tit.* Fagnanus *eôd. loc.* Gon-
zalez *ibid. n.* 8. P. Pirhing ad *h. tit. n.* 28. P. Engel ad
eund. tit. n. 7. Balbus 1. *part.* 5. *princ. quæst.* 11. n. 2.
ac novissimè Clariss. P. Schmalzgrueber ad *h. t. n.* 52.
Reperitur conclusio clarissimè *in d. cap. auditis* 15. &
338 *cap. cùm olim* 18. *h. t.* Rationem dat Gonzalez: quia
in materia Præscriptionis pro regula observandum,
omnia illa esse præscriptibilia, quorum Præscriptio
non est apertè prohibita; qoam regulam ab initio *hu-
jus capit.* pro fundamento collocavimus. Sed Præ-
scriptio jurium Episcopalium Jurisdictionalium tan-
tum abest, ut reperiatur apertè prohibita, ut etiam in
dd. cc. & alibi reperiatur apertè concessa. Ergo &c.
Ex qua conclusione

339 Deducitur I. totum jus Episcopale in aliqua Ec-
clesia v. g. Parochiali ab Abbate posse præscribi, ita
ut Ecclesia illa plenissimô jure Abbati sit subjecta:
haud secus, ac si plenissimò jure ex privilegio Pontifi-
cio fuisset Monasterio incorporata *d. cap. auditis*: ibi:
*probantur per testes Abbatibus tantò tempore plenò ju-
re possessæ, ut videantur in eis jus Episcopale legitimè
præscripsisse.* Panormit. ad *d. cap. cùm olim & ad cap.
cum non liceat* 12. *num. ult. h. t.* Fagnanus ad *cap.
auditis num.* 1. *& seqq.* P. Engel de *Privil. Monast.
priv.* 46. *de unione pleno jure* n. 9.

Deducitur II. jus instituendi Parochos, & 340
consequenter etiam jus providendi Parochias, si-
ve per Religiosos, sive per Sæculares, ad nu-
tum amovibiles, Præscriptioni Prælatorum esse
subjectum, veluti in terminis quasi olim decidit Pa-
normit. ad *d. cap. cùm non liceat h. t. n. ult.* cui etiam
assentit Barbosa *part.* 3. *de off. & pot. Episcopi alleg.* 72.
n. 184. *& alleg.* 124. *n.* 12. P. König ad *tit. de Institut. n.*
19. Balbus *d. q.* 11. *n.* 6 Gilcken de *Præscript. p.* 3. *cap.*
10. *n.* 10. Textus pro hac deductione est *in cap. cùm* 341
olim. 18. *h. t.* ubi institutio & ordinatio plebanorum Ab-
bati jure Præscriptionis adjudicatur. Cui etiam con-
sonare videtur textus in *Clem. un. de Excess. prælat.
V. quidam præterea.*

Neque adversatur I. *cap. ex frequentibus* 3. *de In-* 342
stitut. quod sub pœna excommunicationis Clericis in-
hibet, ne ad beneficia sinè institutione Canonica Epis-
coporum vel Officialium accedant. II. *cap. cùm satis*
4. *de Offic. Archidiac.* quod consuetudinem, cujus
prætextu Archidiaconus quidam sinè mandato Epis-
copi curam committere solebat, tanqoàm institutio-
nibus SS. PP. contrariam, rejicit. III. Trident. *Sess.*
23. *de reformat. cap.* 15. quod omnia privilegia &
consuetudines etiam immemoriales, exercendi curam
animarum independenter ab approbatione Episcopi,
abrogat.

Resp. enim ad I. cum Gonzal. ad *d. cap. auditis h.* 343
t. n. 9. *in eôd. cap.* non gratis fuisse adjectas particulas,
sinè institutione Canonica Episcoporum vel Officia-
lium, NB. *qui hoc de jure possunt*: voluit namque Ale-
xand. III. indicare, dari adhuc modos alios; nempe
privilegium aut Præscriptionem, quibus jus institu-
endi ad alios, quàm Episcopos vel eorū Officiales, spe-
ctet. Ad II. Respondent Barbosa, Gilcken, & alii, solam 344
consuetudinem reprobari, quâ aliquis nomine propriô
instituere intendit, secus, si nomine & vice Episcopi
instituere proponat: quam responsionem colligunt ex
verbis *d. c. cùm satis*: ibi: *sinè mandato Episcopi.* Alii
verò inter consuetudinem & Præscriptionem distin-
guunt, uti apud Barbosam & Gonzalez *cit. loc.* vide-
re est. Alii denique de consuetudine, suis requisitis
non instructâ, textum intelligunt. Omnes bene. Addo 346
solùm, nomine consuetudinis aut Præscriptionis, ge-
neraliter aut indefinitè prohibitæ, immemorialem non
comprehendi. Ad III. Responderi potest, inde ad 347
summum inferri, quòd non possit præscribi institutio
authorizabilis, id est, approbatio ad curam animarum:
de hac enim, non de altera, seu libera beneficii colla-
tione, loquitur Concilium. Imò sunt, qui & institutio- 348
nem authorizabilem Præscriptioni censent substratam,
ac textum Concilii vel de sola consuetudine, de qua
meminit; vel de consuetudine solùm antecedente (quæ
de Leges abrogatoriæ communiùs intelliguntur) non
subsequente interpretantur. Barbosa de *Off. & pot.
Episc. d. p.* 3. *alleg.* 72. n. 185. *& alleg.* 127. *n.* 14. König
cit. loc. Panormit. *supra cit.* sicut Lex posterior intro-
duci, & prior abrogari potest, etsi in ea fuerit repro-
bata. Panormit. in *cap. fin. de Consuet. n.* 24. P. Kö-
nig *ibid.* n. 18. *℣. deduco* 3.

Deducitur III. contra jus visitandi, Episcopo com- 349
petens, Præscriptionem valere, si nempe Præscriptio
non sit penitus extinctiva, sed tantùm translativa,
hoc est, ut vel Summo Pontifici, vel ejus Dele-
gato,

gato, aut alii Prælato Ecclesiastico competat. Pa-
normitanus ad *cap.* 12. *h. t. num.* 13. 14. 15. Gonza-
lez *ibid. num.* 7. P. Engel ad *h. t. num.* 7. P. Mezger
Theol. Scholast. tract. 11. *disp.* 27. *art.* 3. §. 2. *num.*
7. P. Reiffenstuel ad *h. t. n.* 53. Barbosa *d. p.* 3. *al-
leg.* 129. *num.* 11. qui ibidem *n.* 13. subjicit, in hac
350 explicatione omnes convenire. Quamquàm enim
Præscriptio illa, quâ ab omni visitatione aliquis se
eximeret, & rationi communis felicitatis, & nervo
disciplinæ Ecclesiasticæ repugnaret; eòque sensu
per cap. cùm non liceat 12. *c. cùm ex officii* 16. *h. t.*
non subsisteret: attamen, ut quis libertatem suam
contra jus visitandi, certo Episcopo vel alteri com-
petens, præscribat, ita tamen, ut alteri cuidam
Prælato quoad visitationem & correctionem subsit,
non est inconveniens propter textus prægnantes *in
c. dilectus* 2. *de Capell. Monach. cap. cùm olim*: 4.
¶. quia verò evidenter de Privileg. c. cùm personæ 7.
eôd. in 6. in quibus locis habetur, omnimodam
exemptionem ab Episcopi Jurisdictione rectè præ-
scribi.

351 Deducitur IV. à communi regula de præscriben-
dis Juribus Episcopalibus excipi in *d. cap. cum ex
officii* 16. *h. t.* jus exigendi procurationem Canoni-
cam, id est, victum & sustentationem, tempore vi-
sitationis Episcopo debitam, adeò ut ex communi
Canonistarum interpretatione ne immemorialis qui-
dem Præscriptio cuiquam opituletur; ne, procu-
ratione denegatâ, visitatio, tanquàm efficacissimum
pro conservando Religionis Orthodoxæ nitore ac
vigore antidotum, dispendium patiatur. Quia verò
352 Tridentina Synodus *Sess.* 24. *de reformat. cap.* 3. sta-
tuit, ut *in iis locis, ubi consuetudo est, nec victua-
lia, nec pecunia, nec quidpiam aliud à Visitatoribus
accipiantur, sed omnia gratis fiant, ibi id observe-
tur*: ideò Augustinus Barbosa *in Collectan. ad d. cap.*
3. *num.* 35. *& de Off. & pot. Episc. p.* 3. *alleg.* 73. *n.*
48. post Ugolinum, Stephanum Gratianum, Piase-
cium, ibidem laudatos, docet, de Jure novo ejus-
dem Concil. Trid. Præscriptionem æquè ad procu-
rationem Canonicam quàm ad alia Episcopi jura ex-
353 tendi: quia forsitan concessâ consuetudine à fortio-
ri concessa videtur Præscriptio (saltem immemo-
rialis, ut novissimè docuit Clariss. P. Schmalzgrue-
ber ad *tit. de Cens. num.* 115.) non solùm ex eo,
quòd in ordine ad acquisitionem consuetudo &
Præscriptio passim confundatur ad mentem Emanue-
lis Gonzalez ad *tit. de Decim. cap.* 20. *num.* 2. uti
jam *in* 1. *cap. num.* 20. significatum est; sed etiam
ex speciali ratione, quòd Præscriptio, utpote inter
singulares duntaxat personas recepta, uti plerum-
que minus inducit præjudicium, quàm consuetu-
do; ita præcipuè in materia procurationis: siqui-
dem finis & effectus visitationis, ad quem dirigi-
tur procuratio, magis obtinetur, si ab ejus solu-
tione pauci solùm auxiliante Præscriptione liberen-
tur, quàm si integra communitas patrocinante con-
354 suetudine exoneretur. Miror tamen, eundem Bar-
bosam, hujus doctrinæ, duobus locis assertæ, im-
memorem, oppositum docuisse de *Off. & pot. Ep.
alleg.* 130. *num.* 9. *&* 10. ac textum Tridentini, ve-
lut correctorium Juris veteris, ad solam consuetu-
dinem de qua loquitor, restrinxisse. Judicium verò
& arbitrium ea super re aliis libenter relinquo.

355 Deducitur V. Prælatum inferiorem longâ Præ-
scriptionis manu (ut ita dicam) jus habendi in Ec-
clesia baptismum, celebrandi alibi solenni ritu Divi-
na Officia, absolvendi, censurandi &c. sibi vendica-
re posse per apertum textum *in d. c. auditis* 15. *h. t.*
omnia denique jura, quæ ex potestate Jurisdictionis
Episcopalis derivantur, de quibus brevitatis studiô
præ aliis consulendos suadeo Abbatem *in d. cap.*
cùm olim n. 5. 6. *&* 7. Balbum *cit. loc. num.* 6. *& seqq.*
Fagnanum ad *idem cap. per tot.*

§. II.

De Juribus Parochialibus; & in specie de Jure Decimandi ordinario.

Juribus Episcopalibus succedunt Parochialia; in- 356
ter quæ præcipua videntur ea, quæ pertinent ad
collationem & receptionem Sacramentorum; jus
sepulturæ; jus percipiendi quartam funeralium, de-
cimas, primitias, & oblationes. Hæc autem & simi- 357
lia jura, tum collectivè, tum sigillatim & separatim
considerata, Præscriptioni esse obnoxia, scrupulum
omnem eximunt textus prægnantes in *cap. de quarta*
4. *cap. ad aures* 6. *cap. cùm olim* 18. *h. t. cap. Epis-
copum* 1. *eôd. in* 6.

Sed quia vix aliud jus, ex Parochialibus, est ce- 358
lebrius & crebrius quoad Præscriptionem, atque
jus decimandi: de eo largiùs agendum, & suppo-
nendum est I. quòd sit directum vel utile; ordina-
rium, vel extraordinarium, seu jus percipiendi no-
valia; Ecclesiasticum vel Laicale; activum vel pas-
sivum.

Supponendum est II. Jus decimandi directum, 359
cùm fundetur in titulo spiritualis ministerii, Laicis
nunquam competiisse, nec etiam, suffragante tem-
poris immemorialis possessione, competere potuisse,
prout omnibus in confesso esse, testatur Clariss. P.
Wex in *manip. Decim. q.* 5. *n.* 1. *& seqq.* Sicut enim 360
ministerii spiritualis sunt prorsus incapaces; ita etiam
incapaces sunt juris decimandi directi, in spiritualis
ministerii titulo fundati; proindeque, cùm illud
possidere nequeant, etiam præscribere non valent
ex *n.* 22.

Supponendum III. jus decimandi utile Laicis an- 361
te Concilium Lateranense sæpenumerò à Prælatis
Ecclesiasticis in feudum aut emphyteusim fuisse con-
cessum; post memoratum verò Concilium ejusmodi
infeudationes & emphyteuses non ampliùs valere per
cap. decimas 1. *XVI. q.* 7. *cap. prohibemus* 19. *de De-
cim.* quô tamen non obstante, authoritate S. Ponti-
ficis ad idem jus habilitari possunt.

Supponendum IV. quinque hîc locorum con- 362
troversias complanandas esse. Prima est: possintne
Clerici vel Religiosi non-Parochi jus decimandi di-
rectum præscribere separatim à juribus Parochiali-
bus? Secunda: possintne Laici jus decimandi uti-
le, quod jam sæcularizatum quasi, & Laicis aliis
ex privilegio Pontificio ante vel post Concilium La-
teranense certò obtentum noscitur, præscribere?
Tertia: possintne Laici jus decimandi utile tempore
saltem immemoriali præscribere, quando nec infeu-
dationem aut emphyteusim, ante Concil. Latera-
nense factam, nec privilegium Apostolicum exhi-
bere possunt? Quarta: possitne immemoriale juris
decimandi exercitium tantum operari, ut Laici in
quieta deinceps decimarum perceptione relinquen-
di sint, esto nec privilegio nec infeudatione nec em-
phyteusi ante Concilium Lateranense gaudeant?
Quinta: num eadem, quæ circa Præscriptionem de
jure activo decimandi sunt asserta, etiam de jure pas-
sivo sint asserenda?

Dico I. Omnes Clerici & Religiosi non-Parochi 363
jus decimandi, etiam directum, separatim à juri-
bus Parochialibus præscribere possunt. Est, Zoë-
sii ad *tit. de Decim. num.* 43. testimoniô, recepta sen-
tentia, eamque, ut referunt Gonzal. ad *cap. ad au-
res* 6. *h. t. num.* 3. & Fagnanus ad *cap. nuper* 34. *de
Decim. num.* 37. tenent ferè omnes, repetentes in *d.
cap. nuper.* & teste P. Wex *cit. quæst.* 5. *n.* 23. pleri-

que hoc asserunt contra Hostiensem *in summa tit.*
de Decim. §. *an præscribi possit*, & Abulensem in *cap.*
364 13. *Matth. q.* 188. Probatur I. ex variis textibus in
cap. cùm sint 18. *cap. ad Apostolicæ* 20. & præser-
tim *in cap. cùm contingat* 29. *de Decim.* in quibus
jus percipiendi decimas ad alias personas Ecclesia-
sticas, quæ titulô Parochi non potiuntur, vel con-
suetudine vel Præscriptione pertinere posse, statui-
365 tur. II. *ex d. cap. ad aures* 6. *h. t.* ubi inter duas
Ecclesias frequens erat litigatio super decimis, quas
Ecclesia A. in Parochia Ecclesiæ B. per 40. annos
perceperat: præfata quippe Ecclesia A. ex cursu
tanti temporis Præscriptionem obtendebat; econ-
trà Ecclesia B. jure Parochiali se tuebatur. Consul-
tus Alexander III. in favorem Ecclesiæ A. res-
pondit, ea ex ratione: *quia Divino & humano Jure*
melior est conditio possidentis; & quia quadragena-
ria Præscriptio omnem prorsus actionem excludit.
Atqui in hac facti specie jus decimandi separatim à
Parochia & juribus Parochialibus fuit præscriptum.
Ergo potest absolutè præscribi. Ergo etiam à Cle-
ricis & Religiosis non Parochis, utpote jurium spi-
366 ritualium non incapacibus. III. quia nec jus deci-
mandi directum commerciô Clericorum invenitur
exemptum; nec ejus Præscriptio Clericis aut Reli-
giosis alicubi prohibita; quin potiùs ex sola exclu-
sione Laicorum, per argumentationem ab excep-
tione ad regulam in casibus non exceptis, apertè de-
prehenditur permissa. Ergo occurrit nihil, quod Cle-
ricos aut Religiosos non-Parochos à præscribendo
decimandi jure directo removeat.

367 Dices I. sinè possessione non inchoari, nedum
consummari potest Præscriptio positiva. Sed Reli-
giosi jus decimandi possidere non possunt *c. pervenit*
9. XVI. q. 1. Ergo &c.

368 Resp. negandô minorem; cujus probatio ex *d.*
cap. pervenit minimè educitur: quippe in quo Mo-
nachi ad jura Parochialia possidenda non inidonei
declarantur, sed in aliena Parochia decimas aut alia
jura Parochialia usurpare prohibentur; quod æquè
de Clericis tam simplicibus quàm curatis atque de
Religiosis, imò etiam Episcopis verificatur, qui-
bus falcem in alienam mittere segetem & munia ac
munera Episcopalia extra suam Diœcesim exercere
369 non licet. Quòd si ad alium sensum idem *cap.* de-
torqueas, ad P. Engel de *Privil. Mon. Privil.* 45. *n.*
10. te remitto, & interim textus alios & clariores &
meliores, in eâdem *caus. XVI. & quæst.* 1. à *capit.*
doctos 21. usque *ad cap. presbyteros* 38. trutinandos,
commendo.

370 Dices II. Ea, quæ in recognitionem supremi de-
bentur dominii, Præscriptionem omnem aversantur
arg. l. competit 6. Cod. de Præscript. 30. annor. Sed de-
cimæ in recognitionem supremi debentur dominii,
principaliter quidem DEO, ministerialiter verò seu
DEI nomine Parocho *cap. tua nobis* 26. *de Decim.*
Ergo &c.

371 Resp. I. hoc argumentô nimium, adeoque nihil
probari: probatur enim quòd etiam jus decimandi
passivum neque Præscriptione, neque privilegiô
Summæ Sedis comparari valeat, cùm tamen assertum
prius dicendis in *n.* 417. posterius autem textui in
cap. cùm contingat 29. *de Decimis* ac absolutæ S.
Pontificis quoad jura Ecclesiastica dispensandi fa-
cultati refragetur: ea namque, quæ in recognitio-
nem supremi dominii præstanda sunt, non tantùm
privatus non præscribere, sed neque Princeps re-
372 mittere potest. Resp. II. cum Gonzalez ad *cap. ad*
aures h. t. n. 3. distinguendô majorem: ea, quæ
debentur in recognitionem supremi dominii, *Præ-*
scriptionem omnem aversantur, si juris sint publici, &
debeantur personæ publicæ, concedo majorem: si
debeantur personæ privatæ, nego majorem. Atqui
decimæ, quamquàm respectu DEI sint juris pu-
blici, sunt tamen respectu Parochi, ceu personæ
non-publicæ, juris privati, & consequenter ad in-
star aliorum jurium, ad privatos spectantium, præ-
scriptivæ. Certè nil impedit, quò minùs decimæ ad 373
contestandum supremi Numinis dominium præstari
dicantur, esto non Parocho, sed ejus loco Clericis,
& Religiosis, velut DEI ministris, præbeantur:
cùm DEUS ter Opt. Max. non tam attendat,
quid, quantum, & cui, quàm ea quanto aliquid
pendatur.

Instabis: hôc ipsô, quòd Parochis decimæ pro 374
administratione Sacramentorum offerantur, Religio-
sis aut aliis, qui Sacramenta non administrant, offer-
ri non debent.

Resp. vel negandô suppositum, quòd Religiosi 375
Sacramenta non administrent, dum contrarium non
solùm quotidiana experientia cum summo fidelium
utriusque sexûs solatio demonstrat, sed ipsamet sa-
cra pulpita, Divina tribunalia, mensæ Eucharisti-
cæ, me quoque tacente, eloquuntur, vel dicen-
dô, Parochis quidem offerendas esse decimas pro
Sacramentorum administratione, sed eatenùs, qua-
tenùs ad congruam sustentationem sunt necessariæ
juxta illud Doctoris Gentium oraculum 1. *Cor.* 9.
qui serviunt altari, vivant de altari; ut adeò, si
Parochorum sustentationi ex aliis reditibus & obven-
tionibus prospectum sit, æquitati minimè contrave-
niat, decimas ad Monasterium aliquod vel Colle-
gium spectare. Quam in rem accommodatè scrip- 376
sisse fertur D. Arnoldus Carnotensis *Epist.* 192. apud
Gonzalez *d. loc. licèt decimæ & oblationes principa-*
liter debeantur Clericali militia, potest tamen Eccle-
sia omne, quod habet, cum omnibus pauperibus habe-
re commune, quantò magis cum his pauperibus, qui, re-
lictis facultatibus propriis, in angaria bajulantes
Christi Crucem sequuntur?

Dico II. Quando decimæ semel ad Laicos legi- 377
timâ viâ devenerunt, æquè ac aliæ res Laicorum à
Laicis præscribuntur. P. Engel ad *tit. de Decim. n.*
39. Zoës. *ibidem num.* 52. Ferdinandus Vasquius
Illustriss. controv. lib. 2. *cap.* 89. *n.* 3. Gilcken de *Præ-*
script. part. 3. *cap.* 8. n. 1. & *seqq.* Balbus 1. *p.* 5. *princ.*
quæst. 7. *n. ult.* Clariss. P. Schmalzgr. ad *tit. de Decim.*
n. 45. Probatur. Decimæ, ad Laicos viâ legitimâ se- 378
mel translatæ, amittunt qualitatem spiritualem, &
transeunt in patrimonium Laicorum. Ergo possunt
à Laicis, æquè ac aliæ res Laicorum, præscribi:
stante enim decimarum sæcularisatione, nulla obstat
ampliùs prohibitio de illis non præscribendis. Ante- 379
cedens probatur. Tota spiritualitas decimarum pro-
venit ex radice spiritualis ministerii, & non ex obje-
cto, quod ex se aliquid merè profanum & tempora-
le est. Sed in Laicis non reperitur illa ministerii spi-
ritualis radix, utpote qui ex privilegio etiam habili-
tati ad decimas colligendas, Sacramenta tamen non
administrant. Ergo decimæ, ad Laicos translatæ,
amittunt qualitatem spiritualem, & transeunt in pro-
prium ipsorum patrimonium.

Dices I. Decimæ, à Laicis detentæ, sine periculo 380
animarum non possunt in alios Laicos transferri *cap.*
prohibemus 13. *de Decim.* Ergo nec præscribi.

Resp. I. *d. cap. prohibemus* hunc esse sensum: de- 381
cimas, quas Laici *cum periculo animarum*, hoc est,
sinè legitimo feudi, privilegii, vel alio titulo (quod
enim ex simili titulo detinetur, utique periculum
animarum non inducit) detinent, in alios Laicos
transferri non posse; hinc Vasquium *cit. cap.* 89. *num.*
2. & alios non ineptè argumentari, alienationem
decimarum, quæ sinè periculo animarum seu ex legi-
timo titulo à Laicis possidentur, non esse vetitam.

Qua-

382 Quare antecedens io sensu objectionis negatur cum eodem Vasquio *cit. loc.* ubi etiam tradit, pro hac parte esse universam Hispaniæ consuetudinem; nec posse ab hac opinione discedi absque ingenti animarum damnatione & innumerorum contractuum eversione.

383 Resp. III. transmissô etiam anteced. rectè negari conseq. ob dicta *à n.* 101. ubi Ecclesiasticarum rerum & aliorum jurium Præscriptionem propugnavimus, non obstante alienationis interdictô. Disparitatem assignat Zoës. *d.n.*52. quòd non magna subsit Ecclesiæ injuria in Præscriptione, utpote cujus res oon alienatur, sed tantùm à Laico ad Laicum migrat, absque eo, quòd Ecclesiæ intersit, rem apud unum Laicum magis quàm apud alterum existere.

384 Dices II. Licèt Ecclesia unum Laicum v.g. habilitet ad jus eligendi; attamen ex eo noo coovincitur, quòd alius Laicus sit habilis ad illud possidendum, & præscribendum. Ergo etiam, licèt Ecclesia unum Laicum habilitet ad jus decimandi, non tamen ex eo convincitur, quòd alius Laicus sit habilis ad illud possidendum & præscribendum.

385 Resp. negandô conseq. & paritatem. Ratio disparitatis est: quia, dum Laico jus eligendi conceditur, id quoad se manet spirituale, solaque Laici persona pro se habilitatur ad illud exercendum. At, si Laico jus decimandi concedatur, id separatur à radice & titulo spirituali, & incipit esse jus temporale: consequenter à quovis Laico, non secus ac alia jura temporalia, præscribi potest.

386 Dico III. Quando Laici nec infeudationem aut emphyteusim aote Concil. Lateranense, nec privilegium Apostolicum exhibere possunt, jure Præscriptioois defendi nequeunt, esto per tempus immemoriale decimas etiam jure dominii utilis tantùm detinuerint. Ita habet communis Canonistarum sententia, etiam in Rota probata *p. 7. recent. dec.* 56. *num.* 1. *in cap. causam* 7. *h. t.* cum Panormit. *ibid. num.*2. Gonzalez *Comment. ad id cap. num.*6. Balbus *d.* 1. *part.* 5. *princ. quæst.* 7. *num.* 14. Covarruv. *Var. resol. cap.* 17. *num.* 6. Gilcken *d.p.* 3. *quæst.* 8. *n.*16. Zoës. de *Decim. num.*51. P.Engel ad *eund.tit.num.* 26. & 39. Gletle in *assert. Jurid. assert.* 78. Clariss. D. Laurent. Abb. Verlohner in *Certam possess. contr.* 9.

387 Probator I. ex *d. cap. causam* 7. *h. t.* ubi dicitur, quòd decimæ à Laicis *nullâ ratione* præscribi possint. Unde sic argumentari licet cum *cit.* D. Glétle. Decimas à Laicis nullâ ratione præscribi posse, aliud non est, quàm Laicos ad præscribendas decimas esse inhabiles. Sed inhabiles ad præscribendum non juvantur decursu temporis immemorialis. Ergo
388 &c. Confirmatur. Tempus immemoriale non tollit inhabilitatem personæ, quia intactam relinquit Legem, à qua provenit inhabilitas. Ergo, si Laici sunt inhabiles ad præscribendas decimas, ne quidem tempore immemoriali possunt easdem præscribere.

389 Neque respondeas I. incapacitatem, quæ *ex d. cap.* infertur, ad jus decimandi directum constringendam esse. Nam incapacitas illa ad tale jus est extendenda, de quo S. Pontifex cogitâsse præsumitur. Sed non potest præsumi cogitâsse de jure decimandi directo, cujus Laici tam apertè incapaces sunt, ut citra insaniam non possint id sibi arrogare. Ergo de jure decimandi utili, & non directo, cogitavit.

390 Neque respondeas II. ex Gabriel. *commun. concl. lib.* 5. *concl.* 1. *n.* 21. iocapacitatem personæ non obsistere Præscriptioni immemoriali, quando non omni tempore fuit uniformis, sicut incapacitas Laicorum primùm à Concil. Lateran. & non ante fuit inducta. Siquidem & doctrina illa Gabrielis oon multorum sed paucorum est; & intentio Pontificis fuit, Laicôs imposterum saltem efficere decimarum incapaces. Hæc igitur incapacitas tantum operari potest de futuro, quantum operata fuisset de præterito, si priùs adfuisset.

Probatur II. Laici non possunt præscribere jus 391
decimandi directum. Ergo nec utile. Antecedens, tanquàm certum aut probabilissimum, suppono: cùm, ut sæpe jam repetitum est, jus directum fundetur in titulo ministerii spiritualis, videlicèt administratione Sacramentorum; qui sanè titulus Laicis nullô Jure aut consuetudine accommodari po- 392
test. Conseq. prob. partim quia *d. cap. causam*, & *cap. ad hæc* 15. *de Decim.* non distinguit inter jus decimandi directum & utile, sed indefinitè à decimarum perceptione Laicos repellit: partim quia, ut paulò ante notavimus, incapacitas ad jus decimandi directum in Laicis aliunde nimis est manifesta; sicque Lex Pontificia, ut non verbis sed rebus sit scripta, de jure utili est accipienda: partim denique, quia jus decimandi utile post Concil. Lateran. à jure directo non ampliùs potest separari, nisi dependenter à privilegio Apostolicæ concessionis: ubi itaque privilegium exhiberi non potest, manet jus utile decimandi conjunctum directo; ideóque unum sinè altero non præscribitur.

Si dicas: ex tempore, cujus initium ignoratur, 393
nasci præsumptionem privilegii, uti in *concl. seq.* ipsimet fatebimur, ejusque privilegii præsumpti potestate jus directum ab utili separari. Contra est: quia privilegium præsumptum non operatur nisi præsumptionem. Atqui, ut re ipsà separetur jus decimandi utile à directo, post Concil. Lateran. præsumptio non sufficit, sed ipsum privilegium ostendi debet. Ergo privilegium præsumptum non operatur separationem juris utilis à directo. Confir- 394
matur. Quando Ecclesia, contra quam præscribit Laicus decimas, probat evidenter, nullum ipsi privilegium quoad jus decimandi suffragari, probabit simul, jus directum ab utili segregatum non fuisse, & consequenter in illa hypothesi præsumptio cedet veritati. Sed potest facillimè contingere, ut Ecclesia, contra quam Laicus præscribit decimas, etiam post tempus immemoriale probet nullitatem privilegii & vitiosum initium. Ergo probabit etiam, jus directum ab utili fuisse segregatum; & consequenter præsumptio cedet veritati. Neque enim verum est, quod quidam conten- 395
dunt, ex immemorialitate temporis oriri præsumptionem Juris & de Jure, cootra quam non admittatur probatio in contrarium: etenim nulla est præsumptio Juris & de Jure, nisi quæ expressè in aliquo Canone vel Lege continetur; quod de immemorialitate temporis nuspiam reperimus. P.Engel *d. tit. n.* 29.

Probatur III. Sinè possessione nulla currit Præ- 396
scriptio *cap.* 3. *de R. J. in* 6. Sed Laicis in decimis non conceditur possessio *d.c.causam* 7.*h.t.* ubi Pontifex rationem, cur Laici non possint præscribere, in defectum possessionis refundit; *d.cap.ad hæc.* 15. *de Decim.* ubi decimæ vocantur *sanctuarium DEI*, additurque, quòd Laici jure hæreditariô easdem possidere nequeant. Ergo &c. Confirmatur I. Tempus 397
immemoriale non supplet defectum possessionis, quia hæc prærogativa nullibi legitur tempori adscripta. Ergo tempus immemoriale non promovet Præscriptionem, quando adest defectus possessionis. Con- 398
firmatur II. Tempus immemoriale non operatur Præscriptionem, quando abest bona fides; quia sioè bona fide nulla currit Præscriptio *cap. ult. h. t.* Ergo neque operatur Præscriptionem, quando abest possessio, quia etiam sioè possessione nulla currit Præscriptio *d. c.* 3. *de R. J. in* 6. *d. c. causam*

§. 1. imò quia sinè possessione ne quidem bona fides
haberi potest, dum scientiâ rei alienæ carere nequit,
qui animum possidendi cum opinione domini non
399 habet. Unde non valet hîc responsio Vasquii, in
sententiam contrariam discedentis *d. c.89. n.7.* quòd
tempus immemoriale aut possessionem suppleat &
retrò trahat, aut possessionem naturalem tantùm
requirat: neutrum enim communibus Præscriptio-
nis regulis concordat, quæ in acquirendis rebus
& juribus indispensabiliter possessionem efflagi-
tant.
400 Oppones. Non obstante, quòd regalia de Jure
positivo soli Supremo Principi sint reservata, nihilo
minùs tempore immemoriali præscribuntur *cap. su-
per quibusdam 26. v. præterea de V.S.* Ergo etiam,
non obstante, quòd decimæ de Jure humano Ca-
nonico solis Clericis fuerint reservatæ, nihilo mi-
nùs à Laicis Præscriptione, hominum memoriâ an-
tiquitate, præscribi poterunt: uti enim incapaci-
tas possidendi regalia in persona privata non impe-
dit Præscriptionem immemorialem; ita nec incapa-
citas possidendi decimas in persona Laica Præscri-
401 ptionem immemorialem impedit. Confirmatur.
Jus exigendi tributa & collectas est unum ex
præcipuis regalibus, & tamen ab inferioribus præ-
scribitur, uti *in sect. seq.* deducemus. Ergo etiam
decimæ, esto regalibus, ut sic loquar, Clerico-
rum annumerentur, à Laicis præscribi possunt *arg.
cap. tua nobis 26. & cap. cùm non sit 33. de Decim.*
ubi ipsemet S. Pontifex tributa & decimas inter se
confert.
402 Resp. I. Retorquendô argumentum. Regalia,
Summo Pontifici in signum supremi dominii reser-
vata, non possunt ullâ Præscriptione ab inferioribus
acquiri. Sed decimæ sunt regalia, in signum supre-
mi dominii Divini in creaturas Clericis velut Mini-
stris DEI reservata. Ergo non possunt à Laicis, tan-
quàm Clericis in suô ordine inferioribus, ullâ Præ-
403 scriptione acquiri. Resp. II. Sicut regalia minora,
non reservata Principi in typum supremæ eminentiæ,
ab inferioribus præscribuntur; sic etiam decimæ,
quas S. Pontifex Clericis non reservat, sed à titulo
spirituali separatas in proprietatem Laicorum com-
migrare permittit, à Laicis præscribuntur per su-
404 periùs conclusa in *num. 377.* Ad Confirmat. Resp.
tributa, in contestationem Principalis Majestatis
præstari solita, nullâ temporis Præscriptione tolli;
& ideò decimas, eundem in finem ministrari consue-
tas, quâcunque Præscriptione à Clericis auferri non
posse.
405 Dico IV. Quando Laici tempore immemoriali
perceperunt decimas, absque eo, quòd infeudatio-
nem vel emphyteusin ante Concil. Lateran. aut pri-
vilegium Romani Pontificis exhibere possint, in pos-
sessione sua relinquendi sunt, donec vitiosum ini-
tium probetur. Ita cum DD. pro *præced. conclus.*
nominatis sentit Menoch. *lib. 6. Præsumpt.* 86. Mas-
cardus *de Probat. conclus.* 1377. Clariss. P. Wex *cit.
quæst. 5. contr. 5. num.* 15. in cujus fine subdit, Ci-
vilistas, Canonistas, & Theologos quoad hoc con-
sentire; consentiente etiam Rota in *recent. p.3. dec.
698. n.2. & dec. 715. num. 1. & p. 7. dec. 56. à n. 1.*
si concurrat fama alicujus privilegii in genere. Pro-
406 batur conclusio. Potuerunt Laici ante Concilium
Lateranense jus decimandi utile independenter à
privilegio Pontificis ex infeudatione vel emphyteu-
si, Episcopi concessione factâ, adipisci; & hodie-
dum illud dependenter à privilegio Pontificio pos-
sunt adipisci. Ergo, si tempore immemoriali perce-
perunt decimas, in sua possessione vel quasi relin-
quendi sunt, esto nec infeodationem vel emphyteu-
sin ante Concil. probare, nec privilegium post Con-
407 cil. monstrare queant. Prob. conseq. Tanta est vis ac
virtus temporis immemorialis, ut præsumptionem
tituli, privilegii, & concessionis Principalis opere-
tur, ac tituli, privilegii, & concessionis Principa-
lis munus intereà sustineat, donec contrarium elu-
cescat, prout unô calamô scribunt expositores in-
frà in *cap. 6.* referendi. At, si Laici decimarum vel
infeudationem vel emphyteusin vel concessionem
Apostolicam monstrare possent, sinè dubio in quie-
ta possessione decimarum relinquendi essent. Ergo
etiam relinquendi sunt, quando solam immemoria-
lem perceptionem probare possunt: quia, ut di-
ctum, tempus immemoriale vim & munus Aposto-
licæ concessionis &c. sustinet. Neque procedit hic, 408
si cum Hostiensi, adversæ opinionis sectario, per
defectum possessionis vim præsumptionis elidi, re-
ponas. Privilegium siquidem Pontificis, aut in-
feudatio, vel emphyteusis Episcopi, ante Concil.
Lateran. facta, potuit Laicum ad possessionem de-
cimarum reddere idoneum. Ergo etiam tempus im-
memoriale potuit Laicum præsumptivè reddere ido-
neum ad persistendum in possessione: quia tempus
immemoriale sustinet intereà munus privilegii, do-
nec vitium aut absentia tituli probetur. Confir- 409
matur. Est ab æquitate Canonica & Christiana ju-
stitia alienum, quempiam de possessione dejicere,
cujus majores ob insignia in Ecclesiam merita vel
ante Lateranensia Comitia ab Ecclesiarum Præla-
tis in utili decimandi jure per modum feudi vel
emphyteusis investiti, vel post illa Comitia gratio-
sis Pontificiæ concessionis litteris fuerunt instructi.
At hoc non rarò continget, nisi Laicus, tempo-
re immemoriali in exercitio juris decimandi consti-
tutos, in quieto hujus juris usu & fructu permitta-
mus, etsi nec privilegium nec alium titulum pro-
ducere queant: uti enim indubitatum est apud Au- 410
thores, Laicos non paucos tam ante Lateranensem
Synodum in decimis infeudatos, aut jure emphy-
teuticô munitos, quàm post Bullis Pontificis fuis-
se donatos: ita non minùs certum videtur, intra
spatium tam longævi temporis plurimas tam infeu-
dationis vel emphyteusis quàm privilegiorum lite-
ras ob varias causas & casus, bellorum expilatio-
nes, incendiorum devastationes, malignorum ho-
minum invidias, & ipsas denique omnia excedentis
vetustatis injurias, corruptas, deperditas, ablatas, &
extinctas fuisse. Ne igitur Ecclesiam aut iniquitatis
aut injustitiæ insimulemus, Laicos in quieta imme-
morialis decimarum collectionis persistentia tolere-
mus, oportet.
Excipies: æquè absurdum aut iniquum esse, ut 411
Laicos in possessione toleremus, quam per vim, frau-
dem, & temeritatem invaserunt: & tamen non so-
lùm parentes nostri lugubri documentô experti sunt,
sed etiam nos posteri cum gemitu & legimus & vi-
demus, à tempore, quô hæresis ordinem & tran-
quillitatem Ecclesiæ perturbavit, eò audaciæ per-
ventum esse, ut jura & reditus Ecclesiastici liberè
quasi in utilitatem Laicorum, præsertim Patrono-
rum & Advocatorum Ecclesiarum, convertantur.
Eamque ob causam magnoperè optandum censet P.
Engel *de Decim.* n. 24. *ut quidam Laici, saltem opu-
lentiores, ad eligendam viam tutiorem, & exoneran-
dam suam suorúmque majorum conscientiam, induci
possent, ut decimas aliaque jura Ecclesiis Parochiali-
bus restituerent.*
Resp. in concursu plurium præsumptionum infir- 412
miorem vinci à potentiore, uti in *cap. 2. n. 37.* ad-
vertimus. At, spectandô & pensandô præsumptio-
nes Juris, in nostra facti specie concurrentes, utique
major præsumptio militat in favorem quàm odium
Laicorum: præterquàm enim quòd delicta à Jure
non præsumantur; imò in dubio quis bonâ fide pos-
sidere præsumatur: insuper illa præsumptio censetur
esse

esse fortior, quæ stat pro valore actûs, quæ est benignior, quæ est pro reo, quæ deducitur à possessione. Ergo in nostra facti specie ex lapsu tanti temporis, de cujus initio non constat, præsumendum est, jus decimandi à Laicis legitimô modô fuisse acquisitum.

413 Quæres: quid intersit: utrùm possessio immemorialis Præscriptionem decimarum operetur, an nudam tituli præsumptionem?

Resp. cum D. Gletle & P. Engel *d. loc.* n. 57. multùm referre. Nam si possessio illa Præscriptionem induceret, Laicus tutus foret, licèt posteà constare inciperet, quòd majores ipsius decimas injustô titulô acquisierint. Ea enim est authoritas Præscriptionis immemorialis, ut nullum planè titulum requirat *per cap. 1. h. t. in 6.* Et ideò nil interest, justus an in- 414 justus titulus a principio subfuerit. At nudam præsumptionem tituli si operetur, tenetur Laicus possessione suâ decedere, ac decimas Ecclesiæ relinquere, si posteà appareat, à majoribus ipsius injustè fuisse acquisitas: præsumptionis siquidem tanta authoritas non est, ut veritati prævaleat.

415 Colliges ex 2. posterioribus conclusionibus, quæ de jure decimandi ejusque Præscriptione de Laicis disseruimus, ad cætera spiritualia jura cum proportione applicanda esse: si enim jura hujus ordinis ita sint comparata, ut ex causa aliqua veluti privilegio S. Pontificis Laicis concedi possint, & soleant, veluti est jus eligendi &c. tunc nulla quidem Præscriptio, etiam immemorialis, ob defectum possessionis habebit locum; attamen ex lapsu temporis immemorialis orietur præsumptio tituli & privilegii, cujus munimine Laicus in exercitio juris spiritualis tamdiu erit relinquendus, quàmdiu de nullitate ti- 416 tuli aut privilegii non constat. Causa hujus applicationis & extensionis ex paritate rationis desumitur, ex qua DD. communiter illa, quæ de jure decimandi, utpote notiore & in praxi frequentiore, in Legibus Canonicis statuta sunt, ad reliqua jura spiritualia extendunt.

417 Dico V. Immunitas à solvendis decimis, seu jus decimandi passivum, indiscriminatim à Clericis & Laicis præscribitur. Covarruv. *d. l. 1. Var. resolut. c. 17. n. 10.* Zoës. *ad tit. de Decim. n. 38.* Canis. de *Dec. cap. 17. num. 16.* Moneta de *Decim. cap. 5. num. 106.* P. Engel *eòd. tit. num. 47.* Magnif. P. König *ibid. n. 9.* Clariss. P. Wex *cit. loc. q. 9. n. 9.* Rath *c. 4. assert. 4.* 418 Probari potest conclusio ex *cap. de quarta 4. h. t.* ubi Clericus contra impetitionem Episcopi, quartam decimarum urgentis, 40. annorum Præscriptione securus pronuntiatur. Et licèt nulla ibidem commemoratio fiat Laicorum, attamen æqualis ratio 419 æquale jus in Laicis desiderat. Enim verò immunitas à decimis, sive Episcopo sive Parocho solvendis, tam ex parte Clericorum quàm Laicorum, non est jus spirituale, sicuti nec obligatio solvendi decimas est aliquid spirituale, utpote cùm alias in Laicum cadere non posset. Est igitur jus temporale, seu usurpatio naturalis libertatis, colligendi integros fructus ex agro proprio, quatenùs, dum Parochus vel Episcopus jus decimandi exercere intermittit, Laicus non intendit jus illud exercere, sed tantùm jure libertatis naturalis uti. Et quia igitur jus libertatis naturalis seu immunitas à Clericis respectu Episcopi præscribitur, præscribitur etiam à 420 Clericis & Laicis respectu Parochorum. Confirmatur. Immunitas à solvendis decimis potest acquiri consuetudine, dummodò Parochis aliunde de congrua sustentatione provisum sit *per cap. ad Apostolicæ Sedis 20.* ibi: *quoniam à diversis diversa tenetur consuetudo; cap. in aliquibus 32. §. illæ quippe de* 421 *Decim.* Gonzalez *ad idem cap. 20. cum citat.* Ergo etiam Præscriptione acquiri potest: tum quia consuetudo & Præscriptio in ordine ad acquisitionem plerumque æquiparantur *arg. cap. super quibusdam 26. de V. S.* tum quia Præscriptio, utpote à privatis ut plurimùm introduci consueta, minus Parocho præjudicium generat, quàm consuetudo, à tota communitate, quà tali introduci solita. P. Engel *de Decim. n. 47.* tum quia *in d. cap. 20.* consuetudo probabiliter pro Præscriptione accipitur: quotiescunque enim jus proprietatis aufertur uni, & confertur alteri, Præscriptio est, non consuetudo; sive deinde à singularibus, sive ab universitate (quæ tunc personam privatorum assumit) id contingat. Gonzal. *cit. loc. per longum.*

Neque dicas: idem jus acquirunt Laici, præscri- 422 bentes immunitatem à solvendis decimis, quod habebant decimatores Parochi. Sed Parochi habebant jus decimandi spirituale. Ergo idem jus spirituale Laici acquirunt.

Resp. enim cum dist. major. idem jus acquirunt 423 Laici privativè, conced. major. positivè, neg. major. &, concessâ minore, sub eadem dist. neg. & conced. conseq. Præscriptio siquidem privativa non producit jus in præscribente, sed jus in eo, contra quem præscribitur, existens, perimit.

Contrarium docuit Rebuffus *quæst. 13. num. 55.* à 424 P. Wex *d. q. n. 10.* relatus, cum aliis, quos tacitô nomine refert Covarruv. *loc. cit.* eà persuasus ratione, quòd decimæ sint Juris Divini, adeóque nullâ unquàm Præscriptione vel consuetudine auferibiles. Sed quia in *tr. de Pers. Reb. & Jur. Eccles. 10. 2. lib.* 425 3. docebimus, decimas solùm *materialiter*, prout sustentationi Parochorum deserviunt, esse Juris Divini: hinc etiam in eo duntaxat sensu Præscriptio submota foret. In casu autem, quô salva manet 426 Clericorum alimentatio, contra Covarruviam *ubi suprà* Præscriptionem immunitatis non solùm inter particulares, sed ipsam quoque communitatem concedimus. Ratio namque, quæ Virum consummatæ Jurisprudentiæ ad statuendam distinctionem inter particulares & communitatem permovit, quòd nimirum, admissâ generali à contribuendis decimis exemptione, tollatur recognitio, Sacerdotibus, spiritualia ministrantibus, debita, Arnoldo Rath sufficiens non videtur: cùm passim consuetudine probatum sit, ne de certis fructibus, v. g. pomis, fœno, herbis &c. decimæ solvantur; ut adeò & in reliquis fructibus idem fieri possit. D. Rath *loc. cit. lit. a.*

§. III.

De Jure decimandi extraordinario, seu quoad Novalia.

Novalia aliquando propriè, aliquando impro- 427 priè accipiuntur. Novalia *propriè* accepta dicuntur loca, quæ priùs omninò sterilia, modò ad culturam sunt redacta, ut puta, si ex sylva extirpata, vel palude exsiccata ager fiat; aut si fundus, qui ab hominum memoria jacuit incultus, denuò colitur *cap. quid per Novale 21. de V. S.* Novalia *impropriè* accepta nuncupantur loca, quæ nullô quidem tempore fuerunt sterilia, alios tamen fructus olim tulerunt, ac modò ferant: v. g. si ex vinea & prato ager; aut econtra ex agro vinea aut pratum ortum fuerit.

De Novalibus, in utraque acceptione considera- 428 tis, disceptatur, an eorum decimæ tum activè tum passivè, seu quoad perceptionem & solutionem unà cum ordinariis decimis prædiorum fertilium præscribantur? E. g. percepit aliquis per tempus, à Lege definitum, ex omnibus prædiis frugiferis competentes decimas, absque eo quòd decimas novalium

unquam collegerit, fortè quia tunc temporis nulla colebantur: quæritur, an cum decimis prædiorum,
429 noviter cultorum, censeantur præscriptæ? Item alius per 40. annos nunquam persolvit decimas ex prædiis frugiferis, absque eo, quòd habuerit novalia: quæritur, an si post 40. annos loca infœcunda ad fœcunditatem reducat, sicque erigat novalia, quoad illa & ista prædia immunitatem à solvendis decimis præscripserit?

430 Dico I. Qui præscripsit jus decimandi activum in prædiis, fructuum decimalium feracibus, eò ipsò præscripsit etiam decimas novalium impropriè dictorum. Ita post alios Covarruv. *alleg. loc. num.* 13. Fagnanus *ad cap. cùm contingat de Decim. n.* 14. P. Engel *ibidem n.*11. Clariss. P. Jo. Bapt. Ebberth. *in*
431 *Bello Jurid. certam.* 8. *n.* 7. Constat I. *ex cap. commissum* 4. *de Decim.* ubi Adrianus Papa Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo rescribens, *sicut de pascuis*, inquit, *olim decima persolvebatur; ita nunc de eisdem, ad frugum fertilitatem translatis, decimas*
432 *volumus absque diminutione persolvi.* II. *ex cap. cùm in tua* 30. *eod.* ubi Innocentius III. in sua Epistola ad Episcopum Beluacensem, *quòd si fructus, ex prædicti de terra illa provenient, de qua Monasteria, seu Conventuales Ecclesiæ, aliquos percipiebant ratione decimarum proventus, eis procul dubio debentur deci-*
433 *mæ fructuum eorundem.* Et ratio est: partim quia, ut dicitur *in eod. cap. cùm in tua, una eademque Ecclesia non debet diversò jure censeri*: partim quia, non obstante, quòd terræ cultura mutetur, antiqua tamen substantia, quæ antecedenter non ad determinatum, sed indeterminatum genus fructuum suò modò erat devincta, remanet: partim quia, qui possidet genus, possidet omnes species, sub eodem genere contentas *arg. l. possideri* 3. §. 1. *ff. de A. vel A. P.* ubi dicitur, non utique requiri, *ut qui fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet, sed sufficere quamlibet partem ejus fundi introire, dum mente & cogitatione hac sit, ut totum fundum usque ad terminum velit possidere.* Addatur textus in *cap. nunc autem* 1. *de Rel. Dom.*

434 Dico II. Qui præscripsit jus decimandi activum, decimas de novalibus propriè dictis non præscripsit. Ita præter citatos in *anteced. conclus.* Abbas ad *cap. contingat* 29. *de Decim. n.* 1. Gonzalez ad *cap. cùm in tua* 30. *eôdem.* Balbus de *Præscript. 4. part. princ. quæst.* 2. *n.* 17. & 19. D. Ernest Frider. à Someting *in semi-*
435 *centur. controv. decad.* 1. *contr.* 19. Textus est in *cap. cùm contingat* 29. *d. t.* ubi decimatoribus, quibus ab antiquo (hoc est, interprete Panormitano *cit. loc. num.* 2. ex Præscriptione) jus decimandi in Ecclesiis Parochialibus competebat, denegatur facultas percipiendi novalium, si posteà surrexerint, decimas.
436 Ratio est I. quia non entis nullæ sunt qualitates. Sed in casu, quô aliquis in certis agris frugiferis præscripsit decimas, supponuntur novalia nondum extitisse. Ergo illorum decimæ nondum fuerunt.
437 Ergo non poterunt præscribi. Ratio est II. quia omnis Præscriptio strictam recipit interpretationem, atque ad non possessa non extenditur per *cap.* 3. *de R. J. in* 6. *l. fin.* 25. *ff. h. t. l. prætor ait* 1. §. 3. *ff. de Itin. actuque priv.* ubi verò decimæ ex certis, & jam antea cultis agris fuerunt præscriptæ, dici non potest, quòd decimæ novalium de agris, completâ jam Præscriptione primùm colendis, fuerint possessæ. Ergo etiam dici non potest, quòd fuerint præscrip-
438 tæ. Ratio est III. quia actioni, nondum natæ, non præscribitur. Ergo neque actioni decimas novalium repetendi, quæ de Jure communi ad Parochum pertinet *d. cap. cùm contingat*, præscribitur ante, quàm fuerint exculta novalia: cùm novalia, necdum existentia, uti non ferunt fructus, ita ad decimas obligari nequeant.

439 Objicies I. Qui habet jus decimandi ex privilegio Apostolico, habet etiam decimas novalium. Ergo etiam, qui habet jus decimandi ex Præscriptione præsertim immemoriali, habet decimas novalium. Antecedens, quod plerosque Veteres Canonistas tenuisse, ex Barbosa refert P. Engel *cit. tit. de Decim. num.* 10. etiam ego in *tom.* 2. *lib.* 3. quando agam de decimis, admittam. Consequentia fundatur in sæpe decantato hactenùs principio, quòd privilegium & Præscriptio immemorialis pari passu ambulent.

Resp. magnam inter privilegium & Præscriptionem hoc in eventu disparitatem reperiri. Ideò namque privilegium, præsertim Apostolicum, in concessionem decimarum in genere comprehendit novalia, quia S. Pontifex, velut Supremus rerum Ecclesiasticarum dispensator, potest utique privilegium de percipiendis novalium decimis impertiri; & si de facto privilegium de decimis in genere impertiatur, jus percipiendi omne emolumentum, quod nomine decimarum continetur, concedere voluisse censetur: nomine autem decimarum tam decimæ de prædiis præsentibus quàm futuris continentur *arg. l. si servitus* 23. *ff. de Servit. præd. Urban. l. fin. Cod. Quæ res pignor. oblig. poss.* Ergo in concessione decimarum etiam novalium decimæ censentur esse comprehensæ. At Præscriptio decimarum innititur possessioni, 441
sine qua Præscriptio, uti frequenter jam monuimus, non procedit: & quia præscribens non possedit decimas ex prædiis, quæ priùs erant infœcunda, sed tantùm ex prædiis, quæ jam erant frugifera; idcirco ad illas Præscriptio non porrigitur. Fagnan. *in d. cap. cùm contingat n.* 9.

Objicies II. Qui præscripsit jus decimandi activum, præscripsit etiam novalia impropriè dicta per 442
n. 430. Ergo & novalia propriè dicta præscripsit: non magis enim quis potest fructus, imposterum ex prædio nascituros, possidere quoad suam speciem, ac quoad genus: ergo non magis potest præscribere decimas fructuum, qui completò jam Præscriptionis terminò succrescere incipiebant, quàm decimas novalium, quæ post expletum Præscriptionis curriculum aperta sunt.

Resp. ex *num.* 433. in novalibus impropriè dictis, 443
qui possidet fructus unius speciei, etiam fructus alterius speciei possidere censetur, quia possidet rem, non prout est in se, sed prout est decimabilis, seu affecta onere persolvendi decimas de omnibus fructibus, quos ferre potest. Itaque præscribendò in una fructuum specie in altera etiam meritò præscribit, ne una eademque res diversò jure censeatur. At in 444
novalibus propriè talibus, qui possidet fructus unius fundi, fructus alterius fundi ex hac præcisa ratione non possidet: tum quia, qui fundum decimabilem non possidet, neque fructus decimabiles possidere videtur: tum quia fundus eatenùs detinetur à præscribente, quatenùs est affectus onere decimandi: fundus autem sterilis, posteà per culturam ad fertilitatem & novale proprium commutatus, non est affectus onere decimandi: & hinc eò titulò non potest possideri. Unde hic non sequitur absurdum, eandem rem diversò jure censeri: quia fundus sterilis & fœcundus non unam, sed duas res constituunt. Abbas 445
in cap. cùm in tua te Decim. n. 4. Fagnanus *d. loc. n.* 15. dicentes, Præscriptionem non extendi ad diversam speciem in diversis subjectis seu prædiis, sed in eodem subjecto seu prædio.

Dico III. Qui præscripsit jus decimandi passivum, seu immunitatem à solvendis decimis prædiorum fertilium, videtur etiam immunitatem à decimis novalium, non propriè, sed impropriè talium, præscripsisse. Ratio utriusque partis in genere est: quòd regulariter contrariorum eadem sit ratio, disciplina, & judicium; & ideò, quæ de jure percipiendi decimas 446

cimas Novalium dicta & scripta sunt, ad immunita-
tem quoque à solvendis ejusmodi decimis pertinere
videantur.

Ratio primæ partis specialis est: quia qui medisn-
447 te Præscriptione ab obligante pendendi decimas ex
prædiis fructuariis se liberavit, non plus de immu-
nitate & libertate sua acquisivit, quàm alter, hoc
est decimator, de jure suo deperdidit. Atqui iste
non perdidit jus, nisi quod jam habuit; & jus aliud
non habuit, quàm jus decimandi in prædiis deci-
mabilibus seu ob fructuum feracitatem decimationi
obnoxiis: jus enim colligendi decimas novalium aut
in potentia tantùm existit, aut ex defectu objecti &
termini planè nullum fuit. Ergo ille non potuit se
liberare, nisi ab obligatione pendendi decimas ex
448 prædiis, jam ad culturam dispositis. Confirmatur.
Non valenti agere non currit Præscriptio. Ergo
decimatori, qui ante exculta novalia pro novalium
decimis agere non potest, non currit Præscriptio.
Sed curreret decimatori, agere non valenti, in dato
casu Præscriptio, si ille, qui immunitatem pendendi
decimas in prædiis frugiferis præscripsit, in novali-
bus etiam prædiis eandem immunitatem præscripsis-
se censeretur. Ergo.

449 Ratio secundæ partis specialis est: quia obliga-
tio solvendi decimas in debitore non potest lon-
giùs durare, quàm facultas petendi in creditore
persistat. Sed facultas petendi decimas novalium
impropriè talium in creditore, seu decimatore, in-
tra 40. annos non exercita exspirat: quia, dum de-
cimas viliorum fructuum in fundo colligere negli-
git, nobiliores fructus, eodem in fundo posteà pro-
genitos, petere nequit, ex quo una eademque res
diversô jure censeri nequit. Ergo etiam obliga-
tio solvendi decimas novalium impropriè talium
diutiùs non perdurat, quam facultas seu jus deci-
matoris.

450 Neque obstat priori conclusionis parti *cap. quia
circa* 22. *de Privileg.* ubi privilegium immunitatis
à decimis solvendis, Religiosis ab Episcopo indul-
tum, non tantùm ad possessiones acquisitas, sed
acquirendas etiam, adeoque ad novalia protrahitur.
Exinde enim ad Præscriptionem immunitatis vel
ideò argumentum non valet: quia, uti in *num.*440.
respondimus, decimarum vocabulô & præsentis &
futuri temporis fruges comprehenduntur; & conse-
quenter privilegium, de non-solvendis decimis con-
cessum, inspectâ verborum proprietate, tam præ-
451 sentes quàm futuras possessiones complectitur. Id
verò in Præscriptione, quæ mensuratur à posses-
sione, fallit: ista enim, si positiva sit, tantum pro-
ficit præscribenti, quantum possedit; &, si priva-
tiva sit, tantum liberat debitorem, quantum cre-
ditori ex amissione juris, actionis, & possessionis
derogat.

§. IV.

De Jure Patronatûs.

452 Jus Patronatûs (quod impræsentiarum nihil aliud
est, quàm jus seu potestas præsentandi Clericum
ad beneficium Ecclesiasticum) à Clericis & Reli-
giosis præscribi posse, extra omnem controversiam
est positum: siquidem *in cap. cura* 11. *de Jure Pa-
tronatûs* id perspicuè asseritur in *Verb. nisi longa fue-
453 rit Præscriptione munitus.* Quæ verba, tametsi, pa-
raphraste Gonzalez, non referantur ad jus Patro-
natûs (quippe de quo ibidem non agitur) sed ad
unionem Ecclesiarum, Monasteriis sinè Episcopi
consensu factam; intentum nihilo minùs probant: si
enim Religiosi, ejusdem Gonzalezii assertione, Ec-
clesias, suis Monasteriis illegitimè incorporatas,
Præscriptionis beneficiô sibi acquirunt; à fortiori
Jus Patronatûs acquirere poterunt: cùm id, incon-
sultô etiam Episcopô, locis Religiosis donare va-
leant Laici *per cap. illud* 8. *eôd. tit.* & *ibid.* idem ipse
Gonzalez.

Hæc cùm ita habeant; non levis exoritur con- 454
certatio I. an jus Patronatûs a Laico præscribi va-
leat in Ecclesia non-libera, seu quæ Patronatum ha-
bet? II. an idem dicendum in Ecclesia libera, seu
quæ Patronum non habet? III. an pari modô con-
cludendum in Ecclesia Collegiata, in qua plures Cle-
rici vel Religiosi, habentes commune sigillum, sub
unius Prælati directione commorantur? Qua in con-
certatione, ut distinctè appareat, quasnam partes
teneam, tres pono declarationes, &

Dico I. Jus Patronatûs à Laico in Ecclesia non- 455
libera præscribi potest. Hanc opinionem asseruisse,
& probâsse omnes Authores, unô demptô Archi-
Diaconô, testatum facit Covarruvias *in relect. cap.
possessor de R. J. in 6. part.* 2. §. 10. *num.*8. Probatur.
Jus Patronatûs à Clerico potest præscribi in Eccle-
sia non-libera, secundùm dicta in *num.* 452. Ergo
etiam à Laico. Conseq. prob. Si Clericum inter 456
& Laicum occurreret aliqua disparitas, illa ex spi-
ritualitate hujus juris proflueret. Sed hæc dispari-
tas non est attendenda; quandoquidem ex generali
S. Pontificis privilegio Laici quoque ad juris Patro-
natûs possessionem elevati sunt, veluti in *cap.* 1. 2. &
3. *de Jure Patronat.* supponitur, & ex *cap. decerni-
mus* 32. *cap. Monasterium* 33. *XVI. quæst.*7. *cap. Ab-
batem* 4. *XVIII quæst.* 2. colligitur. Ergo æquè à
Laico quàm à Clerico jus Patronatûs præscribitur.

Confirmatur I. ex Concil. Trident. *Sess.*25. *de Re-* 457
format. cap. 9. ubi ex multiplicatis præsentationi-
bus, per antiquissimum temporis cursum, qui homi-
num memoriam excedat, continuatis, præsumitur
titulus fundationis aut dotationis; sicque in effectu
admittitur Præscriptio juris Patronatûs: neque ibi-
dem distinguitur, sitne Ecclesia libera vel non-libe-
ra; sitne Patronus Clericus, vel Laicus; quin potiùs
in principio illius capitis S. Synodus generaliter de
fidelibus, jus Patronatûs instituentibus, loquitur.
Ergo nostrum non erit distinguere, vel generalem
Concilii dispositionem in particularem commutare.
Confirmatur II. quia, quæcunque possunt acquiri 458
quoad dominium vel aliud jus reale aut personale,
sunt obnoxia Præscriptioni. Revideantur dicta à *n.*
1. *hujus cap.* Sed jus Patronatûs potest transire in
dominium Laicorum *per cap. ex literis* 7. *cap. cùm
Laici* 10. *cap. cùm sæculum* 13. *de Jure Patronat.* Er-
go etiam præscribi.

Neque dicas: in Concil. Trident. *d. cap.*9. *de ref.* 459
*Sess.*25. sub pœna excommunicationis prohiberi, *ne
jus Patronatûs venditionis aut aliô quôcunque titulô in
alios contra Canonicas sanctiones transferre quis præ-
sumat*: unde videtur inferri, omne commercium in
jure Patronatûs, & consequenter etiam Præscriptio-
nem hodie sublatam fuisse.

Resp. enim, per dicta verba nihil esse novi dispo- 460
situm, sed jus antiquum dontaxat renovatum *in Verb.
contra Canonicas sanctiones*; nempe ut jus Patrona-
tûs vel venditionis vel aliô onerosô titulô separatim
in alium non transferatur; remanente interim facul-
tate, illud jus vendendi cum universitate bonorum,
aut aliô titulô gratuitô in alium transferendi: cùm id
Canonicis sanctionibus non repugnet. Conferatur.
Barbosa in *Collectan. ad d. loc. Trid. n.* 81. & *de Off. ac
pot. Episcopi alleg.*71. à n. 35.

Dico II. Jus Patronatûs etiam in Ecclesia libe- 461
ra à Laico præscribi potest. Hæc conclusio videtur
equidem contra torrentem DD. navigare; per ea,
quæ habet Covarruv. *cit.* §. 10. & *num.*8. docetur
tamen à Joanne Andrea *in cap. querelam* 24. *de Elect.*

supponitur ab Emanuele Gonzal. *ad id cap. in not. n. 4.* recipitur à Barbosa de *Off. & pot. Episcopi alleg. 72. n. 68.* Card. de Luca de *Jure Patron. disc. 56. à n. 25.* Schambog. *ad h. t. n. 18.* pronuntiatur verior ab ipso Covarruv. imò in praxi recipienda suadetur, eô saltem casu, quô dubium est, an Ecclesia à parochianis vel extraneis fuerit extructa: tunc enim propter obsequia, quæ parochiani Ecclesiæ impendunt, & alia onera, quæ ad ejus utilitatem in dies præstare & portare solent, Præscriptionem in persona Laico-
462 rum non improbandam censet. Probatur conclusio, cùm ex *n. 455. & seqq.* ubi rationes propositæ perinde quadrant in Ecclesia libera & non-libera; tum ex *cap. querelam 24. de Elect.* ubi contentione ortâ inter Cardinalem quendam & Clericum, ab aliqua communitate ad beneficium Ecclesiasticum præsentatum, Innocentius III. pro decisione interpellatus, pro Clerico respondit: *quia populus quasi in possessione præsentandi Clericum ad illam* (Ecclesiam) *existebat, quando prædictum Clericum ad illam elegit*, non obstante, quòd Cardinalis Ecclesiam, in qua est institutus Clericus, liberam esse, utpote plebano jure sibi subditam, prætenderit.

463 Unde non quadrat responsio Adversariorum, qui cum Fachinæo *lib. 8. Controv. cap. 24. n. 8.* præfatum textum de consuetudine interpretantur, moti ob verba sequentia in *principio d. cap. querelam* posita: *sed ipse per electionem populi, ad quem de antiqua consuetudine pertinet electio.* Quòd enim textus iste non de consuetudine, sed Præscriptione accipiendus sit,
464 patet I. quia Clericum in beneficio confirmat ratione quasi-possessionis juris præsentandi, penes communitatem existentis: possessio autem in Præ-
465 scriptione, non in consuetudine, desideratur. II. quia controversia inter Cardinalem & Clericum ex contextu *d. cap.* tantùm in possessorio & non simul in petitorio vertebatur: cùm quæstio proprietatis, tanquàm separatim tractanda, fuerit reservata. Ergo de consuetudine propriè dicta textus intelligi nequit: utpote cùm Jus Patronatûs, consuetudine legitimâ introductum, quæstioni proprietatis
466 non ampliùs subjaceat. III. quia toties judicatur esse Præscriptio, quoties jus aliquod uni adimitur, & alteri (sive persona sit privata, sive persona sit publica, sive integra communitas) acquiritur: sola namque Præscriptio tendit ad extinctionem juris proprietatis in uno, & acquisitionem in alio; consuetudo autem ad castationem vel introductionem Legis in genere, absque respectu ad unum aut alterum in particulari ordinatur, ut pluribus adstruit Gonzalez *in n. 461.* allegatus; & in præsenti casu optimè declarat Balbus *de Præsc. 1. part. 5. princ. quæst. 9. n. 7.* cum Abbate *in cap. cùm Ecclesia Sutrina 3. de Caus. poss. & propriet. n. 46.* Revideatur *cap. 1. à num. 39.*

467 Dico III. Laicus potest Jus Patronatûs etiam in Ecclesia Collegiata præscribere. Sic in formalibus concludit Covarruv. *loc. cit. n. 4.* secutus Joannis Andreæ opinionem, quam esse communiorem proloquitur. Concludunt id ipsum Barbosa de *Off. & pot. Episc. p. 1. cap. 3. n. 33. & seq.* & Tamburin. de *Jure Abb. to. 1. disp. 7. q. 5. num. 2. & seqq.* Proba-
468 tur. Potest Laicus in constructione aut dotatione Ecclesiæ Collegiatæ jus præsentandi Prælatum sibi reservare, saltem accedente Episcopi consensu per *cap. nobis fuit 25. de Jure Patron.* ubi Laico Patrono quidem aufertur potestas, in Ecclesiis Conventualibus eligendi pastorem, sed cum limitatione, *nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractanda*; quæ verba no-
469 bilissimus Commentator Gonzalez *ad cap. Sacrosancta 52. de Elect. n. 10.* ita explanat, nisi ex jure dicto & lege conventa in ipsa Ecclesiæ fundatione aut dotatione Patronus jus habeat, partes suas interponendi in electione, id est, præsentandi Prælatum in ipsa Ecclesia, non ut videatur per eode illum eligere, sed tantùm præsentare, ut instituatur vel eligatur: neque enim Laicus tempore erectionis vel fundationis Ecclesiæ, accedente quoque Episcopi consensu, jus eligendi sibi reservare potest: cùm illum habilem reddere ad spiritualia obtinenda tantùm possit Romanus Pontifex *cap. bene 1. Dist. 96.* & *d. cap. Sacrosancta.* Et sic etiam exponi debent textus in *cap. decernimus 32. XVI. quæst. 7. cap. Abbatem 4. XVIII. quæst. 2.* dum de electione Laicorum mentionem faciunt.

Confirmari potest conclusio: quia Laici genera- 470
liter sunt habilitati ad jus Patronatûs, non habitô respectu ad Ecclesias Collegiatas seu Conventuales, aut non-Collegiatas seu non-Conventuales; suitque eadem ratio pro utroque Ecclesiarum genere, ut videlicèt Laici magis magisque excitentur ad fundandas, ædificandas, & dotandas Ecclesias, dum vident, ex earum fundatione, ædificatione, & dotatione, non tantùm copiosa in cœlis merita, verùm etiam prærogativas non spernendas in terris sibi re-
servari. Quod etiam ex Concil. Trid. *d. Sess. 25. de* 471
Reform. cap. 9. colligitur, ubi, dum ab initio jus Patronatûs absolutè admisit ex fundatione vel dotatione Ecclesiæ, vel possessione têporis immemorialis, posteà omnes alios acquirendi hujus juris modos in Ecclesiis prohibet, *exceptis Patronatibus, super Cathedralibus Ecclesiis competentibus &c.* Laici adhuedum habiles ad jus Patronatus in Ecclesia Collegiata (qualis solet esse Cathedralis) reputantur. Stante autem Laicorum habilitate, nil obstare agnosco, quò minùs jus præsentandi in Ecclesiis Collegiatis præscribere valeant.

Apparebit fortassis ex ipsa ratione decidendi *in* 472
num. 469. ratio negandi conclusionem. Dum enim ibidem jus eligendi à Laicis removimus, videtur eòdem, si non majori titulô, jus præsentandi ad Ecclesias Collegiatas à Laicis removendum esse: cùm in effectu nihil intersit, præsentaverit, an elegerit Laicus; imò ex præsentatione, quam solus instituit, majorem ostendat authoritatem, quàm in electione, quæ ex plurium suffragio substantiam capit.

Sed, re penitiùs inspectâ, magnum utique discri- 473
men inter electionem & præsentationem invenitur: electio namque (ut verbis doctissimi Gonzalezii utar) est longè potentior & fortior, jusque magis spirituale quàm præsentatio tribuit: electio enim dirigitur proximè ad electum, ipsique jus ad rem confert *cap. in caus. 30. §. quia vero de El.* unde inter electum & Ecclesiam, ad quam eligitur, spirituale Matrimonium initiatur, & inchoatur *cap. cùm inter*
21. eôd. tit. At verò præsentatio ad Ordinarium di- 474
rigitur, à quo præsentatus omne jus per institutionem assequitur *cap. quod autem 5. cap. relatum 21. de Jure Patron.* & per præsentationem non inchoatur aliquod Matrimonium spirituale inter præsentatum & Ecclesiam, ad quam præsentatur, sed omne jus
spirituale ex institutione Episcopi provenit. Item 475
per electionem, publicatô scrutiniô, electo ita jus acquiritur, ut eligentes ampliùs variare nequeant *cap. publicato 58. de Elect. cap. quàm sit 6. eôd. in 6.* quod non contingit in præsentatione: nam Patronus Laicus, etiam publicatâ jam præsentatione, potest variare, alium præsentandô *d. cap. quod autem 5.*
de Jure Patron. Deinde electio intimatur electo, 476
antequàm à Superiore confirmetur, ut cognoscatur, utrùm admittere, an repudiare illam velit *d. cap. quàm sit.* quod in præsentatione non procedit, quæ directè ad institutorem dirigitur; & ita nihil refert, utrùm præsentatus consenserit ante institutionem: cùm per hujusmodi consensum nullum

ipsi

ipsi jus acquiratur. Cùm ergo ita differat præsentatio ab electione, licèt ratione Juris Patronatûs Laici præsentare possint (in Ecclesiis Collegiatis) tamen eligere non possunt: sicut ex eo, quòd possunt in aliis Ecclesiis præsentare, non sequitur, quòd possint eligere. Hactenùs ferè Gonzalez *ad d. cap. sacrosancta* 51. *de Elect.n.*3.

477 Ex hac conclusione colligit Covarruv. *d. loc. n.* 5. Catholicos Hispaniarum Reges, etiamsi à Romanis Pontificibus nullum accepissent privilegium præsentandi Episcopos ad Ecclesias Cathedrales, posse titulò optimò jus illud sibi asserere ex titulo Præscriptionis: dum nempe in Ecclesiis Cathedralibus, à se aut ædificatis,aut dotatis, per plures annos Episcopos præsentârunt.

§. V.

De Concordatis Germaniæ.

478 Concordata Germaniæ ratione objecti, nimirum beneficiorum Ecclesiasticorum, circa quæ versantur, non immeritò inter res spirituales numerari, & describi possunt, quòd sint pactio solennis inter Nicolaum V. Pontificem Maximum ex una, & Imperatorem Fridericum III. cæterosque Germaniæ Proceres tum Ecclesiasticos tum Sæculares ex altera parte, de dignitatibus & præbendis Ecclesiarum Germaniæ concepta, ad bonum & tranquillitatem Nationis Romana-Germanicæ.

479 De his unicam, & instituto nostro non absonam quæstionem enodabo:utrùm Præscriptio quidpiam circa illorum abrogationem vel immutationem valeat? Casus enim non unus evenire potest, ut Episcopus aliquis per immemoriale tempus omnes Canonicatus, in Ecclesia sua Cathedrali, etiam in mensibus Papalibus, vacantes; vel præbendas, & dignitates eorum Canonicorum, qui actuales S.Pontificis erant Officiales, adeoque secundùm Concordata Germaniæ post vacaturam Summæ Sedi reservatas, conferre consueverit: ubi quæstio enascitur, an eò temporis lapsu facultas ejusmodi præbendas & Canonicatus liberè conferendi censeatur præscripta?

480 Affirmativè respondent Zypæus *lib.* 3. *consul.* 3. *num.* 38. *ad tit. de Prabend.* P. Engel *ibid. numer.* 54. P. Wiestner *ibid. num.* 71. ac novissimè Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid. num.* 257. Rationes pro hac conclusione sunt istæ. I. quòd Præscriptio contra Germaniæ Concordata nullibi Gentium videatur proscripta: ut proinde ad communem Præscriptionis regulam confugiendum, ac definiendum

481 sit, eandem esse permissam. II. quod indubiè S. Pontifex in Concordatis Germaniæ, quantùm in favorem proprium tendunt, dispensare, & Episcopis Germaniæ privilegium de conferendis dignitatibus & præbendis sibi reservatis, indulgere possit, veluti de facto per primas preces Imperatoribus est concessum, etiam ad beneficia, Sedi Apostolicæ in Concordatis reservata, personas idoneas nominandi. At, quæ privilegiò in alios transmittuntur, etiam Præscriptione transferuntur. Er-

482 go &c. III. quia in contrarium unica stat ratio, quòd talis Præscriptio in præjudicium Supremæ Potestatis vergeret; quæ tamen vel ex eo non subsistit: quia Præscriptio centenaria contra Sedem Apostolicam ab ipsis Romanis Antistitibus est concessa, per textus clarissimos *in cap. ad audientiam* 13. *cap. cùm vobis* 14. *cap. si diligenti* 17. *h. t.*

483 Negativè respondent Branden ad *Concord. Germ. q.* 2. *& seq.* Nicolartz *ib. tit.* 3. *dub.* 2. §. 3. Pithing ad *tit. de Præb. num.* 363. Reiffenstuel *ibid. num.* 541. quorum præcipuum argumentum est, quòd propter decretum irritans, Concordatis annexum, seu clausulam, quâ omnes actus contrarii irritantur, neque titulus, neque bona fides, neque possessio, ceu necessariæ ad præscribendum conditiones, possint convenire. Verùm hoc argumentum imprimis quoad titulum non procedit de Præscriptione immemoriali; deinde etiam in Præscriptione adversùs Concordata tam titulus, quàm cæteræ conditiones adesse possunt: utpote cùm aliquis putativum privilegium S. Pontificis ostendere, & illius vigore prudenter existimare valeat, sibi competere jus, beneficium aliquod Apostolicum conferendi. 484

SECTIO IV.

De Rebus & Juribus Publicis & Principalibus.

SUMMARIA.

485. *Explicantur jura publica.* 486. *& seqq. Eorum varietas.* 491. *Indicatur status quæstionis.* 492. *& seqq. Præmittitur illius resolutioni distinctio inter Jura Majestatis intrinseca & extrinseca.* 495. *& seqq. Intrinseca non possunt à subdito quâ tali ullô tempore præscribi.* 500. *& seqq. Bene tamen à subdito, ut desinat esse subditus.* 505. *& seqq. Extrinseca possunt à subdito quâ tali præscribi.* 514. *& seqq. Solvuntur obstantia.* 519. *& seqq. Adducitur jus supremæ provocationis.* 521. *& seqq. Affertur ratio pro illius Præscriptione.* 523. *& seqq. Concluditur adversùs Præscriptionem.* 527. *& seqq. Respondetur ad rationem contrariam.* 529. *& seqq. Insinuatur jus imponendi tributa & vectigalia.* 531. *& seqq. Utrumque est præscriptibile.* 534. *& seqq. Objectiones diluuntur.* 540. *& seqq. Etiam immunitas ab eorum exactione præscribi valet.* 543. *& seqq. Resp.* ad l. 6. Cod. de Præscript. 30. annor. 544. *& seqq. Explicatur & dividitur Jurisdictio.* 547. *& seqq. Asseritur, & demonstratur, quòd possit in tota sua latitudine præscribi.*

§. I.

De Juribus & Rebus Principis in genere.

RES & Jura, quibus præsentem Sectionem consecramus, non eò titulò, quò in *prima Sectione hujus cap.* dicuntur publica, puta ab usu, ad quem sunt destinata; sed à persona publica, Principe videlicèt, cui debentur. D. Henric. Canisius *in disp. Jurid. de usucap. & præscr. cap.* 4. *th.* 80. 485

Hasce Res & Jura in quinque Classes distinguunt Authores cum Covarr. *d. part.* 2. §.2. *num.* 7. In prima constituunt res, Principis fisco aut jam illatas, aut delatas tantùm; quò pertinent bona vacantia, bona proscriptorum, bona reorum criminis læsæ Majestatis &c. In secunda collocant res & jura, quæ Principi in recognitionem Supremæ Potestatis & Majestatis reservata sunt: qualia sunt jura Majestatis intrinseca, de quibus statim; item Corona, Sceptrum, Pomum Imperiale &c. In tertia ponunt jura, quæ Principi quidem non in signum potestatis supremæ reservantur, attamen in typum dignitatis & præeminentiæ Principalis competunt, qualia sunt in nostra sen- 486 487 488

489 sententia jura Majestatis extrinseca. In quarta sedem assignant rebus & juribus, quæ Principis ut Principis sunt, nihilo minùs de Jure communi privatorum esse possunt, uti v. g. pascua, sylvæ, 490 agri &c. In quinta demum classe residentiam tribuunt illis rebus, quæ Principes non quà tales, sed quà privati possident: fortè quia ex successione legitima, donatione, aut aliô titulô acceperunt.

491 Quòd primæ, quartæ, & quintæ classis bona ad objectum Præscriptionis referri debeant, non credo, quempiam ex Jureperitis dubitâsse, propter textus in §. *res fisci* 9. *Inst. l. jam pridem* 2. *Cod. Commun. de Usucap. l. omnes* 4. *l. competit* 6. *Cod. de Præscr.* 30. *vel* 40. *annor.* Solummodò in temporis determinatione aliqua superest controversia, quam in *cap. seq. sect.* 4. complanabimus. De bonis verò, in secunda & tertia classe numeratis, disceptatur, an Præscriptionis imperium penitus dedignentur? Ubi

492 Notandum est, bona illa ab aliis vocari jura Majestatis, quia nempe Principi, aut alteri, Supremam in Republica Potestatem habenti, competunt. Dividuntur in jura Majestatis intrinseca & extrinseca. Jura Majestatis *intrinseca* sunt, quæ à persona Supremæ Potestatis ita dependent, ut ab eadem, salvâ illius substantiâ, & (si loqui fas est) in sensu composito separari, ac communicari aliis nequeant. Talia sunt jus ferendarum Legum publicarum, jus creandi Reges, Duces, Marchiones, jus supremæ Advocatiæ, jus restituendi famam & natales pro to-
493 to saltem Imperio &c. Jura Majestatis *extrinseca* nuncupantur, quæ, salvâ Majestate & Potestate Supremâ, in alios derivari possunt. Ejus generis sunt jus creandi Magistros & Baccalaureos, jus aggratiandi seu relaxandi pœnas facinorosis hominibus debitas, jus imponendi collectas, jus territoriale cum omnibus inde sequentibus juribus &c. de quibus Publicistæ.

494 Ab aliis Jura Majestatis *Regalium* nomine insigniri solent, vel quia Majestas omnium optimè in Regno & Rege est conspicua; Regnumque omnium Rerumpublicarum antiquissima & laudatissima est species; vel quia Regalium Jura exercere quis illico potest, simul atque ad Regalem dignitatem evectus fuerit. Henricus à Rosenthal de *Jure feud. cap.* 5. *conclus.* 1. *n.* 4. Gabriel Sweder *Introduct. in Jus publ. part. spec. sect.* 1. *cap.* 4. *n.* 2. Et quod nos per jura Majestatis intrinseca, illi per Regalia majora intelligunt: pariter quod nos per jura Majestatis extrinseca, illi per Regalia minora comprehendunt. Videatur cum citatis Sixtinus de *Regalibus cap.* 2. *à n.* 2. Jam ut è diverticulo ad viam redeam,

495 Dico I. Jura Majestatis intrinseca à subdito quà tali nullius temporis, etiam immemorialis, Præscriptione acquiri possunt. Ita passim DD. cum Covarr. *cit.* §. 2. *n.* 8. Brunnem. ad *l.* 2. *Cod. commun. de usucap. n.* 4. Balbo de *Præscr. sec. p.* 5. *princ. q.* 1. *n.* 3. Einsidel de *Regal. cap.* 4. *n.* 69. Carpz. de *Regal. cap.* 4. *aph.* 5. Schambogen ad *h. t.* §. 4. *f. m.* 300. D. Franz *ibidem n.* 28. D. Ertl in *Palat. Aulico-Jurid. de Juribus Princip. Exercit.* 80.

496 Ratio est I. Implicat, subditum non esse subditum. Ergo etiam implicat, jura Majestatis à subdito quà tali præscribi. Conseq. prob. Jura Majestatis intrinseca per *num.* 492. nequeunt à Majestate separari, atque, ut nonnemo scripsit, sunt sacra sacrorum; sunt affixa Principi, velut stellæ firmamento, aut ossa corpori; sunt coronæ & sceptro annexa, velut gemma annulo. Ergo non possunt à subdito usurpari, quin subditum exuat, & in partem aut consortium Supremæ Potestatis ad-
497 vocetur. Ergo nequeunt à subdito quà subdito præscribi. Confirmatur. Jus exigendi collectas publicas nequit ullâ Præscriptione, etiam immemoriali, abrogari *l. competit.* 6. *Cod. de Præscr.* 30. *vel* 40. *annor.* non alia de caussa, ac quia est jus Majestatis intrinsecum, & in signum Supremæ Majestatis Summo Principi reservatum. Balb. *d. l. n.* 2. Abbas in *cap. ad audientiam* 13. *h. t. n.* 18. Ergo eadem censura de aliis Majestatis juribus intrinsecis est ferenda.

Ratio est II. Lex Præscriptionis, sive ab ipsa- 498
met Natura, sive à Gentibus, sive alio Legislatore nata & creata dicatur, non potest evertere principem Principis Potestatem: neque enim aut Natura in Principe vanum sinè Potestate simulacrum effingere aut effigurare voluit; aut Gentium consensus authoritatem Imperantis in discrimen præcipitare intendit; aut Princeps ipse Legem Præscriptionis, seu recipiendô seu condendô, delatam sibi à Republica Majestatem alteri cedere potuit. Ergo Lex Præscriptionis efficere non potest, ut jura, quæ Majestatem in sua essentia constituunt, ad unum ex subditis perveniant.

Ratio est III. Nulla Præscriptio positiva currit 499
cum mala fide. Ergo à subdito quà tali jura Majestatis præscribi non possunt: qui enim se agnoscit subditum, non potest salvâ justitiâ & fide bonâ sibi talia arrogare jura, quæ cum statu & conditione subditi consistere nequeunt.

Notanter autem hactenùs *de subdito quà tali* dis- 500
putationis series texebatur. Utrùm enim subditus ita valeat præscribere Summam Potestatem, seu jura Majestatis intrinseca, ut non ampliùs maneat subditus, sed ipse evadat Supremus? Non minùs arduam, quàm ambitiosam quæstionem vocat Clarist. D. Braun de *Imp. mero & mixto cap.* 2. §. 1. *num.* 24. Quo in puncto cum eodem D. Braun, Covarruv. *ubi suprà num.* 10. Balbo *cit. loc. quæst.* 2. *num.* 4. 5. & 6. Vasquio *Illust. controvers. cap.* 82. *per tot.* Vitriario *Instit. I. P. l.* 2. *tit.* 4. *num.* 1. affirmativæ suffragium meum dedico. Ratio est: 501
quia, tametsi hæc Præscriptio Juri forsan Civili ignota & incognita esset, Jus tamen Gentium ob boni publici stabilimentum exegit, ut, qui tempore saltem immemoriali in Regno aut Provincia Summæ Majestatis jura exercuit, transactô illô tempore, supremum dominium & regiam potestatem præscripsisse censeatur: quemadmodùm plura & Regna & Provincias ab Imperio Romano, cui anteà erant tributaria, hâc viâ fuisse separata & avulsa, pro certo mihi persuadeo. Et ratio ulterior est: 502
quia in simili Præscriptione omnes omninò conditiones concurrere possunt. Potest enim imprimis locum habere possessio, utpote cujus neminem quoad jura Majestatis incapacem esse, colligo ex illis, quæ idem D. Braun *d. l. num.* 22. habet, quòd nempe ad hoc, ut res aliqua dicatur extra commercium humanum versari, debeat extare Lex certa, extrahens eam ex commercio. Atqui nulla talis est assignabilis, neque Civilis, neque Gentium, quæ jura Majestatis extrahat humanô commerciô. Ergo &c. Deinde si Princeps, dissimulatâ potesta- 503
tis suæ præeminentiâ, cum subdito velut æquali agat, tractet, & transigat, titulus & opinio probabilis ex parte subditi consurgit, Principem juri, quod in subditum habuerat, cessisse: quô titulô subsistente, bona fides fundamentum nanciscitur, in quo pedem figat.

Atque ita explicandos credo *cit.* Vasq. *Illust. Con-* 504
trov. cap. 22. *num.* 19. Pruckmann *de Regal. c.* 5. *num.* 98. Henric. à Rosenthal *d. cap.* 5. *concl.* 16. *n.* 3. Ockel de *Præscr. immem. cap.* 5. *th.* 1. aliosque, dum etiam in Regalibus reservatis in signum Supremæ Potestatis, seu in juribus Majestatis intrinsecis Præscriptionem admittunt immemorialem: quòd nem-

pe

pe de Præscriptione, à non subdito peragendâ, loquaotur. Alio in sensu nobiscum coneiliari non possunt.

505 Dico II. Jura Majestatis eatriofeca à subdito quà tali rectè præscribuntur. Sic tenent Authores primæ conclusionia; iisque accedunt à fortiori Rosenth. *d. concl.* 16. *n.* 3. Pruckmann *d. c. n.* 95. Gabrieliua *lib.* 5. *cammun. concl. de Præscr. eancl. n.* 1. Einsidel *d. l. n.* 68. Carpz. *d.* Probatur I. ex *l.* 4. *Cod. de Præscr.* 30. *annor.* ubi jura omnia tam publica quàm privata Præscriptioni redduntur subjecta. Ergo etiam Jura Majestatis extrinseca Præseriptioni subjiciuntor: cùm & ipsa in censum jurium publicorum pertineant.

506 Neque dicas: textum hunc ita effusè accipiendum non esse, ne alias ipsa quoque Majestatis jura intrinseca, contra superiòs conelusa, suâ latitudine contineat. Contra enim est: quòd oporteat textus ita explicare, ut singula verba & significationem habeant & operationem. At, nisi admittamus Præscriptionem in juribus Majastatis extrinsecia, non video, quam aut sigoificationem aut operationem habeaot illa verba *in d. l.* 4. *nullumque jus publicum*: cùm, exceptis Majestatis Summæ prærogativis, via appareat jus aliquod, quod in sortem publicorum jurium de-
507 putari valeat. Quòd verò sub ista terminorum generalitate Imperator noluerit comprehendere jura Majestatis intrinseca, partim in *l. competit* 6. *Cod. eôd. tit.* ipsemet ostendit; partim ex rationibus, pri-
508 mùm allegatis clarissimè deducitur. Confirmari potest conclusio ea Recess. Imp. *de Anno* 1548. *Augusta habitô*, ubi in §. *und soll unser* 54. contra collectas Imperii, quas Jure Majestatis & Regalium Imperatorem percipere, non ambigo, luculenter Præscriptio conceditur. Idemque ex §. *aber die* 63. & §. *Wo aber* 64. deduci videtur.

509 Probatur II. ea *cap. super quibusdam* 26. *de V. S.* ubi S. Pontifex institutionem pedagiorum & guidagiorum, utpote ad Regalia spectantium, non minùs immemoriali consuetudini (seu veriùs Præscriptioni) quàm Imperatorum coocessioni attribuit: censuit igitur, jura Majestatis extrinseca, quale dicimus jus instituendi pedagia &c. immemoriali tempore præscribi posse. Consulatur Abbas ad *d. cap. num.* 5. & 6.

510 Probatur III. Præscriptioni memoratorum Jurium neque legalis voluntas Principis, neque personalis refragatur. Ergo à communi Præscriptionis regula non sunt libera. Antecedens quoad primum membrum de consensu legali stabilitur ex textibua,
511 moa recensitis. Quoad alterum verò probatur ex concessione privilegiorum & Regalium, quam Status S. R. I. partim eapressâ Principis Lege obtinuerunt; partim hodiedum obtinent; partim ab initio ex connivenstia Imperatoris mediante Præscriptione ac-
512 ceperunt. Si enim credimua Nicolao Myllero ab *Ehrnbach de Princ. & Stat. Imp. part.* 1. *cap.* 6. *n.* 3. de origine Principum & Statuum Imperii eorumque jure & potestate in Territorio ipsis competente, verè hoc dici potest, quod JCtus Cajus in *l. adeò* 7. §. 1. *ff. de A. R. D.* de alluvione tradit, quòd sit incrementum latens, paulatim prædio nostro accedens, motu fluminis, *ut intelligere vix possimus, quantum quô quô momentô temporis adjiciatur*: eâdem quippe ratione Principum ac Statuum Imperii dignitas, libertas, & potestas crevisse, sicque successivô usu & exercitiô iovaluisse videtur.

513 Promovetur argumentum. Quæcunque possunt acquiri privilegiô, possunt acquiri Præscriptione. Sed jura Majastatis extrinseca possunt acquiri privilegiô. Pruckmann *cit. loc. num.* 1. *cum relatis ibidem*; & constat ex *d. cap. super quibusdam*. Ergo &c.

Opponet I. Via publica non utendô non amittitur, esto per centum annos non-usus continuaverit 514
l. viam publicam 2. *ff. de Via publ.* & ibi Glossa. Ergo jura publica, qualia sunt jura Majestatis, nullô
temporis cursu amittuotur. II. Si privatus pote- 515
statem, jus, aut imperium sibi non competens usurpet, obstringitur crimine læsæ Majestatis *l. Lex duodecim* 3. *ff. ad Leg. Jul. Majest.* Sed qui exercet jus Majestatis extrinsecum, usurpat jus, potestatem, & imperium, sibi noo competens. Ergo &c.

Resp. ad I. viam publicam seu potentiam eundi 516
per viam publicam, propriè loquendô oon jus, sed meram facultatem esse, cui ne immemorialis quidem Præscriptio officit. Pruckmann *d. loc. n.* 103. Resp.
ad II, totum argumentum transmitti, si intelligatur 517
eô modô, quô juxta mentem & verba recitatæ *L.* intelligi debet, nempe de possessore malæ fidei, de quo ibidem JCtus Marcianus disserit, dum io fine ait: *quive privatus pro potestate magistratuve quid*
sciens dolô malô gesserit. Talis enimverò non favo- 518
rem Præscriptionis, sed Legis indignationem commeretur, ooo ideò, quòd potestaa & jus Majestatis extrinsecum existat impræscriptibile; sed quòd bonâ fide, velut Præscriptionis primariâ causâ, destituatur. Brauo *alleg. loc. num.* 20.

§. II.

De Jure ultima cognitionis & extrema provocationis.

Jus ultimæ cognitionis & extremæ provocationis 519
(*die höchste Justiz, und Gerichtbarkeit in dem ganzen Römischen Reich*) est reservatum Imperatoria, vi cujua ipse injustitiam sententiarum, in Principum ac Ordinum Imperii Judiciis latarum, in casu, quô pars gravata ad eum provocavit, inquirit, easque vel refigit, atque corrigit, vel confirmat; de sententiis autem, quæ ipsius nomine latæ, nemo sibi facultatem cognoscendi arrogare valet. Swederus *dict.*
sect. 1. *cap.* 11. *n.* 1. Dixi: *Jus ultimæ provocationis esse* 520
reservatum Imperatoris. Num verò tam strictè reservatum, tamque arctè colligatum sit Majestati, ut immemorialia saltem Præscriptionis authoritate ab ea separari nequeat? Controversum est.

Negativa sententia, quòd videlicèt tanta non sit 521
connexio hujus juris cum Majestate, ut divortium Præscriptio efficere non possit, seqoenti argumentô suadenda videtur. Jus ultimæ provocationis speciali Imperatoris privilegiô ad Principes Inferiores dimanare potest. Ergo etiam, Inspectis principiis huc-
usque usurpatis, titulô Præscriptionis. Antece- 522
dens demonstratur ex Legibus Imperii fundamentalibus, Aurea Bulla scilicèt *cap.* 8. & 11. ubi Serenissimis S. R. I. Septemviris à Carolo IV. privilegium, ne ab ipsorum vel Officialium sententiis appelletur, concessum legitur. Quod ipsum Serenissimis Archi-Ducibus Austriæ, Burgundiæ, Wür-
tenbergiæ, Lotharingiæ, & aliis fuisse indultum, 523
tradit Swederus *d. l. n.* 2. Hôc tamen argumentô non obstante, indubitanter arbitror cum Covarruv. *d. part.* 2. §. 2. *num.* 10. Clariss. D. Hermes *Fasciculi Juris Publ. cap.* 11. *n.* 158. sententiam affirmativam esse probabiliorem. Ratio est I. quia jus extremæ provocationis & appellationis est jus Majestatis intrinsecum: is namque, qui Majestate fulget, ex natura Majestatis non tantùm est Princeps Principum, sed etiam Judex Judicum; adeóque sicut omnes Principes certô respectu Supremæ Majestati subordinatos sese agnoscunt; pariter omnes Judices eidem se submittant, necesse est. At non omnes Judices eandem submissionem profiterentur, nisi eorum

acta

acta & conclusa in causis injustitiæ censuram Maje-
statis Cæsareæ metuerent. Ergo, sicut alia Maje-
statis intrinseca jura præscribi non possunt, ita jus
524 provocationis supremæ præscribi non potest. Con-
firmatur I. Suprema Jurisdictio in toto Imperio
soli cohæret Imperatori, neque ab ipso avelli po-
test. Ergo etiam suprema causarum provocatio &
dijudicatio: hæc enim, cum sit actus Jurisdictio-
nis, quæ in administratione Juris & justitiæ con-
sistit, quasi individua est comes Jurisdictionis: ut
adeò vel utraque vel neutra à persona Summi Prin-
cipis dismembrari debeat. Unde D. Hermes *cit. loc.*
appositè scripsit: sicut à Majestate Cæsarea, tan-
quàm à fonte, omnis Jurisdictio per concessiones
& investituras fluit; ita ad eandem refluit per ap-
525 pellationem. II. Implicat cum persona subditi, ut
ab eo nulla ratione possit provocari: nam, qui
prætendit, non esse Judicem, ad quem detur ap-
pellatio, eô ipsô prætendit, non esse aliquem,
quem velut Superiorem se revereri teneatur (quid
enim aliud appellatio, quàm devolutio causæ ad
Superiorem? & quid aliud negatio appellationis,
quàm negatio judicii & Judicis Superioris, ad quem
causa devolvatur?) Ergo implicat Præscriptio su-
premæ appellationis in eo, qui Summô Principe est
inferior.

526 Ratio est II. Ea, quæ competunt Principi in sig-
num supremæ potestatis & Jurisdictionis, ab infe-
rioribus præscribi non valent ex *num.* 495. Sed jus
ultimæ cognitionis competit Principi in signum Su-
premæ Potestatis & Jurisdictionis, per ea quæ do-
cet Baldus *ad Auth. quas actiones Cod. de SS. Eccles.
num.* 14. allegatus à Covarruvia; ita quidem, ut pro-
ximè citatus Hermes asserat, Summum Principem,
tametsi vellet, hoc jus à se abdicare non posse:
quia in hac Summa Potestate hæret humidum ra-
dicale & facultates ipsius animæ Principatûs. Er-
go &c.

527 Ad argumentum contrarium Resp. eô modô,
quô solet ab Imperatoribus communicari privile-
gium de non-appellando, dari etiam Præscriptionem
de non appellando. Sed quando Imperator Electo-
ribus aliisve Principibus simile privilegium imper-
titur, jus supremæ provocationis nihilo minùs per-
sistit intactum, quatenùs non tantùm ipsi Principes
authoritate & nomine Imperatoris eôdem privilegiô
utuntur, quemadmodùm olim Præfecti Prætorio
Romæ ante constitutionem Diocletiani in *l. un. Cod.
de Sent. Præf. prætor.* usi fuerant; sed etiam Impe-
ratori reservatur jus audiendi querelas nullitatis,
nec non causam protractæ vel denegatæ justitiæ.
Relegantur de hac materia Sweder *d. c.* 11. *n.* 8. Her-
528 mes *cit. loc.* Gail. 1. *Observ.* 135. *per tot.* Igitur &
Præscriptione plus obtineri non potest, quàm jus
non-appellandi, salvâ semper aliquâ provocatione
per supplicationem aut alium modum. Estque hæc
opinio, si fidem tribuimus Covarruviæ, in Hispania
expressâ Lege recepta, quòd nempe Dux, Marchio,
aut Comes nullus Præscriptione acquirere possit, ne
ab eo ad Regem appelletur.

§. III.

*De Jure imponendi tributa & vectigalia; & de eo-
rum immunitate.*

529 Jus imponendi tributa & vectigalia ad Jura Ma-
jestatis referri, inde probatum manet: quia non tan-
tùm jus imponendi collectas & tributa activè in Ju-
risdictione, quâ toto in Imperio Imperator effulget,
& passivè in subjectione fundatur, adeò ut colle-
ctarum solutio infallibilis quasi tessera sit subjectio-
nis, ac superioritatis recognitæ certum testimonium
cap. omnis 2. *de Censibus.* Nicol. Myller de *Princ. &
Stat. Imp. part.* 2. *cap.* 62. n. 2. Verùm etiam jus im- 530
ponendi vectigalia originaliter ex Jurisdictione ma-
nat, & specialiter Imperatori reservatur, *gehört zu
der Kayserlichen Hochheit und* Reservaten R. I. *zu
Regenspurg* 1576. §. *dardurch dann nicht allein* 119.
Unde suborta est quæstio: an non ista reservatio ef-
ficiat, ut jus imponendi tributa & vectigalia sit Præ-
scriptionis incapax?

Dico I. Utrumque jus, & imponendi tributa, & 531
exigendi vectigalia, à Principibus inferioribus præ-
scribi potest. Prima conclusionis pars extra dubium
videtur posita: quia de facto Principibus & Statibus
Imperii concessa est facultas non solùm collectas pro-
vinciales indicendi, sed etiam ob collectas generales
subditos suos sub-collectandi, prout apud Publici-
stas, nominatim *cit.* Nicol. Myller, & Sweder *part.
spec. sect.* 1. *cap.* 26. *n.* 7. & 8. videre est. Et hanc par-
tem præ cæteris amplectitur D. Ertl *laudato tract. de
Juribus Princip. Exercit.* 80.

Altera conclusionis pars, quæ majori est diffi- 532
cultate circumsepta, probatur I. argumentô com-
muni, quòd ea jura, quæ sunt comparabilia privile-
giô, obstetricante Præscriptione nobis pariantur:
jus verò exigendi vectigalia est comparabile privile-
giô, cùm in confirmatione Privilegiorum Austria-
corum à Carolo V facta *art.* 35. cautum sit, *das die
Ertz-Hertzogen von Oesterreich in ihren Furstenthu-
men, Mauth und Zoll, zu gleicher Weis, als die Rö-
mische Kayser, und Könige im Reich machen, und
auffsetzen mögen*, uti refert Joannes Braun in *lib. Va-
riar. Amænit. thes.* 37. Ergo jus exigendi vectigalia
obstetricante Præscriptione paritur.

Probatur II. singulariter ex famoso *cap. super qui-* 533
busdam 26. *de V. S.* ubi Innocentius III. jus consti-
tuendi pedagia & guidagia (quô nomine vectigalia
intelligi, constat ex iis, quæ ad *cap. innovamus* 10. *de
Censib.* annotavit Gonzalez) æquiparat, si habeatur
ex concessione Principali aut consuetudine seu Præ-
scriptione immemoriali: eôque ex *cap.* communiter à
DD. deducitur regula, quòd Regalia Præscriptio-
nem non effugiant; quódve privilegium & Præscri-
ptio immemorialis eundem habeant valorem. Huic
parti præ aliis adstipulatur Regnerus Sixtinus de
Regalibus cap. 8. *n.* 18. Braun *citat.* Einsidel de *Regal.
cap.* 3. *n.* 25.

Dices I. Jus erigendi vectigalia est Imperatoriæ 534
Majestati specialiter reservatum ex *num.* 530. imò est
proprium Majestatis juxta nonnullos apud memora-
tum Braun; & secundùm Card. Tuschum *concl.* 33.
n. 6. *V. Vectigal.* maximi Imperii. Ergo nequit salvâ
Majestate in alios transferri.

Resp. I. negandô conseq. primùm enim diximus, 535
idem jus ex privilegio Imperatorio ad Principes, Im-
peratore inferiores, spectare posse.

Resp. II. distinguendô antecedens, jus erigendi
vectigalia est Imperatoriæ Majestati specialiter re- 536
servatum, ita ut ad Jura Majestatis intrinseca perti-
neat, nego antecedens; ut ad jura Majestatis ex-
trinseca spectet, concedo antecedens, & nego con-
seq. Ratio est: quia, ut habet Klockius in *disp. de
Vectigal.* §. 25. apud *cit.* Joannem Braun, vectigalia 537
non tam in typum eminentiæ, quàm ad objiciendum
repagulum multorum Magistratuum avaritiis, nec non
ad fiscum (cui opus sunt opes, sinè quibus non fiet,
quod opus, ait Lips. *Civil. Doctr. lib.* 4. *cap.* 9.) augen-
dum, Principi fuerunt reservata.

Dices II. Nova vectigalia sinè speciali Imperato-
ris licentia institui non possunt *l. non quidem* 1. 2. & 538
3. *Cod. Vectigal. nova institui non posse.* Ergo, cùm
in Præscriptione specialis Imperatoris licentia neu-
tiquàm inveniatur, illa ad institutionem novorum
vectigalium non sufficit.

Resp.

539 Resp. negaodô consеq. Nam Præscriptio saltem
immemorialis æquivalet speciali Imperatoris conces-
sioni *d. cap. super quibusdam de V. S.* Unde, quæ
tempore, cujus initii memoria non habetur, pos-
sessa sunt vectigalia, censentur Imperatoria conces-
sione fuisse acquisita.

540 Dico II. Immunitas tam à solvendis vectigalibus,
quàm præstandis collectis & tributis, quæ non pe-
tuntur in recognitionem supremi domini, præscri-
bi potest. De immunitate à solvendis vectigalibus
res clara videtur: quia videlicèt & de facto variæ
ejusmodi immunitates variis reperiuntur indultæ;
& jus exigendi vectigalia magis ad Cameram quàm
Majestatem ordinatur.

541 De immunitate à collectis, mecum sentiunt Co-
varruv. *cit. loc.* n. 8. Einsidel de *Regal. cap.* 3. n. 300.
Brunnem. ad *l. competit 6. Cod. de Præsc. 30. annor. n.* 6.
D. Franz *h. t. n.* 17. D. Erdl *d. Exerc.* 80. Eamque sen-
tentiam in R. J. de Anno 1548. suprà in *num.* 508.
542 memoratô, approbatam credo. Ratio est partim:
quia, datâ hujuscemodi Præscriptione, jus Ma-
jestatis in sua integritate perdurat: partim quia ip-
sa Superioritas, in qua jus collectandi radicatur,
Præscriptionem non abhorret: partim quia isthæc
immunitas privilegiô acquiri potest, quale privile-
gium (licèt cum onere) nostrum Monasterium
Ottoburanum ab Ottone Magno, cum consensu
Procerum Imperii accepit, & accedente subse-
quentium Imperatorum Confirmatione ad moder-
na usque tempora salvum retinuit, eàque de cau-
sa titulô Liberi & Exempti Monasterii hodiedum
gaudet.

543 Cui proinde non obstat vulgata *l. competit* 6.
Cod. de Præscript. 30. annor. quæ omnem Præscrip-
tionem in publicis functionibus & collectionibus
interdictum cupit. Communiter enim accipitur de
illis collationibus & contributionibus, quæ in si-
gnum Supremæ Potestatis Imperatori exsolvuntur:
ad reliquas verò collectas & tributa, quæ ratione
& respectu bonorum & prædiorum pendi solent,
non extenditur. Panurmitan. ad *cap. ad audientiam*
13. *h. t. num.* 18.

§. IV.

De Jurisdictione.

544 Inter Jura principalia & publica non ultima, sed
prima tenet subsellia Jurisdictio, quæ nihil est aliud
quàm potestas publica jus de causa aliqua dicendi
vel reddendi; abitque (si expendatur secundùm re-
gulas Juris communis) in *Jurisdictionem in specie,*
quæ in simplici rei cognitione & dijudicatione; in
Imperium, quod principaliter in potestate gladii, si
merum sit; vel in jussione & coërcitione civili, si
545 *mixtum* sit, consistit. Sin verò ad mores hodiernos
examinetur, discerpitur in Jurisdictionem *Summam*,
quæ vel pro potestate regendi Rempublicam, sic-
que pro ipsa Majestate, accipitur; vel pro pote-
state jus dicendi, in Summo Principis Dicasterio
exercitâ, sumitur; & in Jurisdictionem *Subalter-
nam*, quæ dicitur analoga quædam Majestas,
seu participatio Summæ Jurisdictionis seu Maje-
statis, vocaturque usitatô hodie vocabulô in no-
stro Imperio Jurisdictio seu *Superioritas Territo-
546 rialis.* Præterea dividunt hodie practici Jurisdi-
ctionem in *Altam*, cui pro objecto statuunt cau-
sas criminales; & *Bassam*, ad cujus objectum re-
ferunt causas Civiles. Verùm de hac materia ex
instituto agetur in *tract. 5. de Jurisdict.*

547 Cognitâ Jurisdictionis indole, tum veteri tum
hodiernâ, inquirendum incumbit, an eàdem, quâ
recentiùs hactenùs Majestatis Jura, facilitate Præ-
scriptionem sufferat? Et quidem Jurisdictionem
Summam, quæ Majestatem constituit, præscribi
non posse, ex ante dictis jam liquet. Quoad reli- 548
quas verò species variârunt DD. antiqui, ac in quin-
que diffidentia inter se placita divisi sunt, ut me-
minit Fachinæus *lib. 8. controv. cap.* 23. Ego unâ
conclusione mentem meam declaro, quòd nempe,
si Jurisdictio secundùm Jus commune & hodiernum
spectetur in tota sua latitudine, quatenùs etiam Ju-
risdictionem Territorialem comprehendit, præscribi
posse. Ita de Jurisdictione in genere concludunt
Fachinæus citatus, Brunnem. ad *tit. 60. Cod. lib.* 12.
de Div. Offic. num. 8. Bravo in *tract. de Magistr. cap.*
7. §. 4. *num.* 1. *& de Imperio mero cap.* 1. §. 5. *num.* 19.
Covarruv. *d. p.* 2. §. 3. *n.* 1. affirmans, conclusionem cer-
tò communem esse. P. Engel ad *tit. de Off. Jud. num.*
23. D. Clemens Glassmann *disp. de Jurisdict. th.* 51.
In specie autem de Jurisdictione Territoriali sustinent
ex Publicistis Vitriar. *Inst. J. P. l.* 3. t. 20. *n.* 1. Swederus
part. spec. sect. 2. *cap.* 10. *n.* 9. Myller ab Ehrnbach *p.* 2.
cap. 90. *n.* 3. cum relatis. Probatur I. ex *cap. irrefra-* 549
gabili 13. §. *excessus de Offic. Ordin. & ex cap. cùm
contingat* 13. *de Foro compet.* quorum textuum sum-
ma est, Jurisdictionem tum simplicem tum Imperium
rectè acquiri per consuetudinem. Unde, idem infe-
rendum est de Præscriptione: quia consuetudo, de
qua in *dd. text.* loquitur S. Pontifex, propiùs & ap-
tiùs est nominanda Præscriptio, uti Covarruvias so-
lertissimè observavit: quotiescunque enim, ut sæ-
piùs repetitum est, jus ex parte unius infringitur,
idque alicui certo, & non omnibus promiscuè, ac-
quiritur, Præscriptionem meliùs, quàm consuetu-
dinem adfuisse, concludimus. In præfatis autem
textibus Jurisdictio Ordinarii infracta, & alicui ter-
tio acquisita erat, ideóque verius ex Præscriptione
quam consuetudine promanâsse judicatur. Similis
ferè textus est in *l. viros 8. Cod. d. t. de Div. Offic.*
ubi milites tam limitanei quàm præsidiarii Magistro
Officiorum subesse jubentur, reservatâ tamen Ma-
gistro militum Jurisdictione, si quam ex *consuetudi-
ne & longô tempore* obtinuit.

Probatur II. Jurisdictio, quatenùs reperitur in 550
S. R. I. Principibus & Magnatibus, Imperatore in-
ferioribus, uti de facto est pluribus & omnibus Im-
perii Statibus in tota latitudine, hoc est alta &
bassa, civilis & criminalis, cum Superioritate &
Jure Territoriali concessa, ita imposterum aliis ad-
huc concedi potest. Ergo nil impedit, quò minùs
etiam præscribi possit.

Probatur III. quia, non obstante, quòd Princi- 551
pes & Status Imperii altive omnimodam Jurisdictio-
nem in suis Territoriis exerceant, Summus Imperii
Monarcha Majestatem nihilo minùs servat illiba-
tam: nam etiam Territorialis Superioritas, ut di-
ctum *n.* 545. huic subalternatur, atque eidem subor-
dinatur, velut accidens accidenti, nec destruit
vel consumit. Ergo omnimoda Jurisdictio cum di-
cta subalternatione & subordinatione non est Jus
Majestatis intrinsecum. Ergo non est impræscripti-
bilis ex *n.* 505. Confirm. quia, non attentâ Jurisdi- 552
ctionis plenitudine, in Statibus Imperii existente,
persistit in Imperatore jus supremæ cognitionis,
provocationis, & appellationis ex §. 2. vi cujus
acta & facta Statuum, si æquitati reperiantur ad-
versa, ad debitam rectitudinis reducere valet. Er-
go jus Majestatis seu Summæ Potestatis, stante Ju-
risdictionis Territorialis Præscriptione, illæsum
perseverat.

Porrò num præscribens Jurisdictionem altam aut 553
bassam Territorium habet nec ne, parum interest:

quia Jurisdictio, ut talis, abstrahit à Territorio, ac potest esse sine Territorio, veluti ex Bartolo deducit D. Glassmann *cit. disp. de Jurisdict. th.* 32.
554 Cujus evidens exemplum habemus in Rectoribus Universitatum, qui, esto Territoriô careant, nihilo minùs vigore *Auth. habita Cod. ne filius pro patre* non tantùm Jurisdictionem Civilem, sed juxta nostram sententiam in *tract. de Jurisdict.* stabiliendam, probabiliter etiam Jurisdictionem Criminalem in studiosos exercent. Id quod de nostra Archi-Episcopali Universitate indubitatum est, utpote quæ inter alia Privilegia etiam Jus gladii obtinuit, uti ex ejusdem statutis & Legibus fundamentalibus *sub tit. de Judicialibus* constat.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Jus exigendi tributa, operas &c. non est actus meræ facultatis.* 2. *Admittit propterea præscriptionem positivam;* & 3. *Privativam.* 4. & *seqq. Instantia contraria cum distinctione solvitur.* 7. & *seqq. In præscriptione privativa non requiritur contradictio & acquiescentia.* 10. *In obligationibus annuis, etiam quoad causas pias, unica Præscriptio sufficit.* 11. & *seqq. Leges oppositæ non sunt authenticæ.* 16. & 17. *Explicatur Concilium Tridentinum.* 19. & *seq. Ostenditur æquitas præscriptionis, quando onera sine commodo forent portanda.* 21. & *seq. Ostenditur probabiliter id etiam in casu, quô commoda adhuc durant.* 24. & *seqq. Emphyteuta potest præscribere contra annuum canonem.* 29. & *seq. Retunditur objectio.* 32. & *seq. An etiam dominium directum præscribere possit?* 34. & *seqq. Cum distinctione deciditur.* 37. & *seq. Jus luendi pignoris subjacet præscriptioni.* 39. & *seq. Enodatur* l. 21. Cod. de Evict. *cum disparitate inter evictionem & luitionem pignoris.* 44. & *seqq. Satisfit aliis objectiunculis.* 49. & *seq. Afferuntur duo argumenta contra præscriptionem juris redimendi.* 52. & *seqq. Utrumque repellitur; adjunctâ in num.* 54. & *seqq. retorsione de actione empti.*

QUÆSTIO I.

Utrùm jus exigendi tributa, operas, aut servitia sit actus meræ facultatis & impræscriptibilis?

1 SI consideratè perpendantur, quæ in hoc *cap.* à *n.* 62. tradidi, levi operâ quæstio, hic mota, resolvi poterit. Cùm enim actus meræ facultatis ille solus dicatur, qui ex mero libertatis naturalis principio exerceri valet; jus exigendi tributa, operas, aut servitia illue revocare eò minùs licebit, quò manifestius est, illud non ex libertatis naturalis principio, sed ex fonte alio, puta Superioritate, Regalium concessione, aut alio speciali privilegio scaturire: alioquin, cùm naturalis libertatis favore omnes liberi homines potiantur, nemini non concessum esse deberet jus imponendi aliis tributa &
2 similes alias præstationes. Ex quo suâpte sponte deducitur, ejusmodi jus obnoxium esse Præscriptioni, tum positivæ, vi cujus vicinus v. g. qui à subditis vicini Domini Territorialis statuto tempore collectas aut operas exegit & recepit, deinceps eosdem obligatos reddit ad talia onera in perpetuum præstanda, per ea, quæ *d. hoc cap. num.* 529. & *seqq.* deducta sunt; tum privativæ,
3 cujus adminiculô subditi vel alii, ad collectas aut operas exhibendas obligati, si longævo tempore talia onera nunquam præstiterint, immunitatem à collectis & operis acquirunt ex decisis *ibid.* à *numer.* 539.

Neque dicas: esse in mero alicujus arbitrio, 4
utrùm jus suum exercere, & collectas vel operas exigere velit: consequenter hìc agi de actu meræ facultatis, nullam Præscriptionem sufferente.
Enimverò huic instantiæ jam anticipatò occurri- 5
mus in *præs. cap. num.* 65. esse quidem in mero alicujus arbitrio, utrùm jus suum exercere velit, si nudum exercitium seu nudum agendi vel petendi
factum spectetur; secus, si consideretur cum effe- 6
ctu sibi correspondente, petere enim de facto collectas, vel non petere, pendet à libera cujuslibet voluntate; at cum effectu correspondente non aliter petere licet, quàm intra tempus & terminum, à Lege præscriptum: indeque, qui intra præfixa à legibus tempora jus suum exercere negligit, eô in perpetuum privatur juxta perspicuos textus in *l. sicut in rem* 3. & *l. omnes nocendi* 4. *Cod. de Præscript.* 30. *vel* 40. *annor.*

Neque replices: ad hoc, ut immunitas à colle- 7
ctis & ejusmodi præstationibus acquiratur, non sufficere, quòd non fuerint longævo tempore exactæ, sed insuper requiri, ut, si Dominus Jurisdictionalis illa exigere voluerit, subditi contradixe-
rint, & ille acquieverit. Nam, etsi ejusmodi con- 8
tradictio & acquiescientia desideretur in Præscriptione positiva juris alicujus negativi contra actum meræ facultatis, v.g. servitutis altiùs non tollendi; non tamen exigitur in Præscriptione privativa adversùs actum positivum, qui non sit meræ facultatis, sed habeat annexum jus ex parte illius, contra quem præscribitur, & obligationem ex parte
alterius, qui præscribere intendit: Præscriptio 9
privativa siquidem, cum possessionem haud exposcat, solô non-usu juris, per tempus legitimum continuatô, perficitur, & sic contra Dominum Jurisdictionalem, collectas per longissimum tempus non exigentem, à subditis præscribitur; uti in hoc *tract. cap.* 5. à *num.* 348. & signanter in *num.* 359. assertum, & probatum fuit.

QUÆSTIO II.

Utrùm in obligationibus annuis una detur Præscriptio, vel plures requirantur?

Unicam Præscriptionem in ejusmodi obligatio- 10
nibus requisivi, sive ex actu inter vivos, sive ex ultima voluntate profluant; latéque defendi in hoc *cap.* à *num.* 499. Oritur tamen quoad præstationes annuas, quæ causis piis debentur, specialis difficultas ex *l. sancimus* 46. §. 9. *Cod. de Episcop. & Cleric.* ubi Imperator Justinianus disertè ordinavit, eos, qui ad tales præstationes annuas sunt obligati, *manere perpetuò obnoxios hujusmodi donationibus, nulla temporis Præscriptione opponendâ, quantumcumque quis numeraverit tempus*, ex ea ratione, *cùm per unumquemque annum talis nascatur actio.*
Sed (ut taceam, hanc L. cum *l. super annali* 1. 11
§. 1. *Cod. de Annali except.* in qua expressè rejicitur renascentia actionum per annos singulos, in eo sensu combinari non posse) optimè huic difficultati occurrit Clariss. Rath *in tract. de Usucap. & Præscript. cap.* 4. *assert.* 9. *num.* 6. dicendô, præfatam constitutionem Justiniani à Gottofredo ex notis & manuscriptis primùm à Jacobo Cujacio inventis exemplaribus Corpori Juris insertam, in reliquis verò Corporibus omissam, consequenter etiam

omni

omni Juris authoritate destitutam esse: qua de cau-
sa non modò Bartholi, Baldi, & aliorum, in Ju-
stinianeum Codicem commentantium ad jam *d. l.*
12 *sancimus* de ea altum planè est silentium; verùm
etiam Interpretes multi, qui aliàs in præstationi-
bus ex ultima voluntate debitis Præscriptionem in
futurum rejiciunt, nominatim tamen & in specie
eam admittunt, si ejusmodi annuæ præstationes
fuerunt Ecclesiæ, Monasterio, vel alteri piæ cau-
sæ legatæ, ea hac ratione, quòd tunc legatum
sit unum & perpetuum, ideòque unâ Præscriptio-
ne tollatur. Caspar Rodriquez *de Annuis reddit.*
13 *lib.1.q.17.num.*103. Ita D. Rath. Cui suffragatur
Brunn. in *comment. ad l. repetita* 41. *Cod. d. t. num.*
5. ita scribens: hic omittuntur nonnullæ Leges
(inter quas est *cit. l. sancimus*) loquuntur enim
de Electionibus Episcoporum, & iis, quæ in Ju-
re Canonico meliùs proponuntur; nec hæ Leges
sunt authenticæ, sed à Recentioribus restitutæ,
& latinitate donatæ, quæ in decisionibus causarum
non admittuntur.

14 Non nescio, *cit. l. sancimus* allegari, & confir-
mari in *l. præsens* 57. seu *ult. Cod. d. t. de Episcop.
& Cleric.* At, præterquàm quòd in hac *l.* nihil di-
catur de Præscriptione, sed tantum agatur de con-
ventionibus, aliisque negotiis voluntariis, quibus
aliquæ res aut præstationes annales causis piis in
perpetuum relinquuntur, ac, quòd valorem non
habeant, disponatur; cùm tamen de Jure Canoni-
co res etiam immobiles qualescunque, servatis
debitis solennitatibus, justâque interveniente cau-
15 sâ, distrahi valeant: prior responsio assumi, &
dici potest, hanc ipsam quoque *l. ult.* à Gotto-
fredo noviter Corpori Juris sub *cit. tit. Cod.* au-
thoritate privatâ annexam fuisse: utpote cùm
æquè in antiquioribus Codicibus, manuscriptis
& impressis, non reperiatur; indeque forsitan à
citato Brunnemanno nullâ annotatione illustrata le-
gatur.

16 Dices: in legatis annuis ad pias causas nulla da-
tur Præscriptio; sicut universim contra fundatio-
nes pias, iisque anneaas conditiones & onera Præ-
scriptionem non admitti, tradit Clariss. P. Soll de
*Præscript. p.1. cap.2. num.*158. præcipuè quòd Con-
cil. Tridentinum *sess.* 25. *de Reformat. cap.*5. ordina-
verit, ut, *quando ex beneficiorum quorumcumque
erectione, seu fundatione, aut aliis constitutioni-
bus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis
onera sunt adjuncta, in beneficiorum collatione,
seu in quacunque alia dispositione eis non dero-
getur.*

17 Resp. sententiam contrariam, à nobis in hoc *cap.
num.* 181. relatam, quòd nempe in ejusmodi lega-
tis & oneribus piis admittatur Præscriptio, si con-
currant omnia requisita, teneri à multis, & pro
indubitata supponi à Francisco à Mostazzo in *tract.*
18 *de Causis piis lib.* 2. *cap.* 6. à *num.* 55. non obsisten-
te Concil. Tridentinô *d. l.* utpote quod tantùm
loquitur de derogatione fundationum, quæ fit
authoritate hominis, non autem de derogatio-
ne per Præscriptionem, quæ fit authoritate Le-
gis & Juris.

19 Instabis: Præscriptionem in ejusmodi legatis &
fundationibus neque pro bono publico utilem esse,
cùm impediat bonum spirituale, honorem DEI,
salutem animarum, & sanctas Fundatorum inten-
tiones; neque etiam concedi posse hôc ipsô,
quòd ea, quæ tam nobilia & sublimia opera im-
pediunt, nullâ etiam Ecclesiasticâ authoritate
tolli aut diminui valeant, nisi reditus, inde
provenientes, deperditi aut diminuti esse suppo-
nantur.

Resp. ex hoc argumento id saltem evinci, quòd, 20
si reditus deperditi aut diminuti esse supponantur,
indeque Missæ v. g. anniversaria, aut alia opera pia
per tempus legitimum omissa fuerint, Præscriptio
locum habeat: quippe cùm neque bono publico,
neque honori DEI, neque intentioni fundatorum
adversetur, ut, si deficiant emolumenta tempo-
ralia, quorum intuitu in fundatione certa onera
sunt imposita, deficiant quoque servitia spiritualia
ex regula, in æquitate naturali roboratâ, quòd,
qui commodum non sentit, nec onus subire de-
beat. An verò, si Beneficiatus v. g. universos 21
reditus, pro legendis & applicandis per hebdoma-
dam certis sacrificiis in fundatione assignatos, per-
cipiat, mediante Præscriptione ab obligatione, le-
gendi & applicandi illa sacrificia, liberari possit?
Major est difficultas; in qua tamen pro affirmati-
va faciunt, quæ tradit Gobat *Theol. experimental.
tract.* 3. *num.*514. ubi refert Tamburinum de *Sacrif.
Missæ lib.* 3. *c.* 7. §. 1. „Ratio est, inquiens, quia
„constat ex Jure Canonico ac Civili, itemque con-
„sensu non minùs Theologorum quàm Juristarum
„contra nonnullos, illum, qui bonâ fide ac de-
„terminato tempore omisit præstare officium, ser-
„vitutem, debitum, quô alteri obstrictus erat, ra-
„tus, se minimè obstrictum, denique ob hanc
„suam bonam fidem, opinionem, ac tanti tempo-
„ris decursum evadere ita liberum, ut, licèt posteà
„manifestum fiat, eum fuisse verum debitorem,
„attamen possit dicere, nihil planè deberi à se.
„Cùm igitur ab hac generali doctrina & regula
„neque Jus neque DD. excipiant obligationes,
„tot & tot, hæc & illa sacra, hoc aut illo die
„& loco celebrandi, videtur privilegium Præscrip-
„tionis æquè locum hic habere, quàm in aliis obli-
„gationibus. Consentit apertè Pellizarius *tr.* 5. *cap.*
„9. *num.* 92. Hactenùs Gobat, exemplificans hanc 22
doctrinam in *num.* 515. de Capellano, qui obliga-
tus per hebdomadam facere quinque sacra, per
decem annos solummodò legit tria, bonâ fide du-
ctus, se ad plura non obstrictum, sicut & ante-
cessor ipsius per viginti annos plura non legit,
licèt adsint reditus sufficientes pro quinque, illum-
que juxta hanc sententiam excusans, detectô etiam
postmodùm errore, productisque claris literis, in
quibus quinque Missæ erant fundatæ. Et quis 23
nescit, posse bona Ecclesiæ temporalia, quæ
quondam donata & concessa erant, cum obliga-
tione legendi Sacra, largiendi eleemosynas, can-
tandi horas Canonicas diu noctuque, alendi Mini-
stros &c. Præscriptioni esse obnoxia.

QUÆSTIO III.

*An contra annuum canonem, ex emphyteusi debitum,
admittatur Præscriptio?*

Qui in negativam deflectunt, fundant se po- 24
tissimùm in duplici ratione, quòd nempe in an-
nuis præstationibus non currat Præscriptio, vel
saltem tot Præscriptionibus opus sit, quot an-
ni sunt; quódve emphyteuta, quàmdiu talis ma-
net, non possit detrectare canonem, ex emphyteu-
si ob recognitionem dominii directi necessariò re-
sultantem. Sed priorem rationem in nostra sen- 25
tentia nullatenùs stringere, patet ex antecedenti-
bus: posteriorem tamen, quæ magis urgere vi-
detur, hôc modô dilui posse, sentio, quòd qui-
dem obligatio solvendi canonem necessariò resultet
ex emphyteusi, quando ab initio constituitur; quin
tamen ex obligatio successu temporis aboleri valeat,

 tan-

tantò minùs sit mihi ambiguum, quantò verius est, eandem ab ipso domino directo, constitutâ jam emphyteusi, remitti posse: quemadmodùm accidit etiam in emptione-venditione, in qua conventio de pretio ad ipsam ineundi contractûs substantiam est necessaria, etsi venditor emptori, post rem traditam, pretium condonare non prohibeatur. Ita-
26 que, sicuti emptor, non obstante obligatione de pretio, cæteris paribus contra venditorem, post 30. annos pretium urgere volentem, præscribere potest; ita etiam emphyteuta, non obstante obligatione solvendi canonem, contra dominum directum, post 30. annos canonem, huc usque nunquam solutum, prætendentem, cæteris paribus
27 Præscriptionem opponere potest. Atque hujus opinionis præter P. Ludovicum Engel ad *tit. de Decim. num.* 48. & Clariss. DD. Franz ad *tit. Inst. de Act. Sect. 7. num.* 35. esse videtur Balbus *de Præscript. 4. part. 4. principal. quæst.* 8. ubi in *num.* 1. *&* 2. refert Speculatorem, Bartolum, & Petrum Philippum Corneum, dicentes, quòd, si emphyteuta per 30. vel 40. annos (prout nempe est emphyteusis sæcularis aut Ecclesiastica) non solverit canonem, censeatur præscripsisse liberationem à pensione solvenda pro tempore tam præterito quàm futuro; solùmque hanc conclusionem limitat in casu, quô
28 emphyteuta est in mala fide: quæ mala fides etiam tunc concurrit, quando emphyteuta, à domino directo pro solutione canonis nunquam interpellatus, obligationis suæ tamen conscius fuit: quippe cùm dies interpellet pro homine, & sic emphyteutam in mala fide constituat per *cap. ult. de Locato & conducto.*

29 Oppones: contra illas præstationes, quæ exhibentur in signum subjectionis, nunquam præscribi *l. comperit* 6. *Cod. de Præsc.* 30. *annor.* hujus autem tenoris est canon, ab emphyteuta in recognitio-
30 nem dominii directi solvendus. Resp. *cit. l.* ex communi Interpretum sensu exaudiendam de præstationibus, quæ exhibentur in signum subjectionis respectu Supremi Dominii, penes Summum Principem residentis; qualis subjectio nunquam censeri debet, quam habet emphyteuta adversùs dominum directum, qui ex natura solius emphyteuseos privatorum locô habetur.

31 Num autem amphyteuta, annuum canonem per 30. aut 40. annos non solvendô, non tantùm contra canonem præteritum & futurum privativè præscripserit, sed etiam ipsum dominium directum positivâ Præscriptione acquisiverit? Latet sub dubio. Enimverò, ut Clariss. quidam Professor arguit: quando emphyteuta omisit annuum canonem solvere 30. annis ex ignorantia probabili, quia v. g. fuit hæres, & ignoravit, rem esse emphyteuticam, possidet illam ex titulo pro suo; & sic dominium directum præscribit non minùs, quàm ille, qui vasallum se negat, dum reverà emphy-
32 teutam se esse negat. At fortiter reclamat *l. cùm notissimi* 7. § *ult. Cod. de Præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* ubi Imperator decidit *nullam ei dandam licentiam, qui jure emphyteutico rem aliquam per quadraginta vel quoscunque alios annos tenuerit, dicendi, ex transacto tempore dominium sibi in iis-*
33 *dem rebus quæsitum esse.* Cui accedit ratio Juris, quòd nemo sibi causam possessionis mutare possit *l. possideri* 3. §. 19. *ff. de A. vel A. P.* & hæres aliam possessionem non habeat, quàm defunctus, in cujus jura & vitia succedit *l. cùm hæres* 11. *ff. de Diversf. temporal. Præscript.* adeóque, cum defunctus veram possessionem respectu dominii directi nunquam habuerit, eamque ad hæredem suum transferre non potuerit, nec ille nec iste præscribat per *l. non solùm* 33. §. 1. *ff. h. t.*

Ego totum litigium mediâ distinctione sopiri 34
posse, arbitror. Refert nimirum, an fundus emphyteuticus possideatur ab ipso emphyteuta, vel à tertio. Si posterius; omnes, ut opinor, consentiunt, dominium directum ab eo præscribi: cùm enim dominium plenum Præscriptioni subjaceat; quis ibit inficias, dominium directum solitariè præscribi? Balboa *d. 4. p. quarta princip. q.*
8. *num.* 4. Si prius; ulteriùs videndum, an dominus directus ante completa Præscriptionis tempora nunquam exegerit canonem; an verò exegerit, & emphyteuta sub prætextu, quòd plenô dominiô potiatur, recusaverit, eique dominus directus acquieverit. Primò casu Præscriptio dominii directi locum non habet ob textum & rationem in *num.* 32. *& seq.* allegatam: quia nempe emphy- 35
teuta dominium directum nunquam possedit. Posteriore casu Præscriptio convalescit: quia per exactionem canonis, ac secutam ex parte emphyteutæ contradictionem, negationemque dominii directi, junctâ domini directi patientiâ & acquiescientiâ, emphyteuta in quasi possessione dominii directi ex novo titulo constituitur *arg. l. hæc autem jura* 6. *in pr. ff. de Servit. præd. urban.* & sic, completô ad præscribendum tempore, præscribit. Hæcque & non alia est mens Carpzovii *Jurisprudent. Forens. p.* 2. *constit.* 3. *def.* 17. *numer.* 5. 36

QUÆSTIO IV.

An juri luendi pignoris, solutione à debitore intra 30. annos non factâ, præscribatur?

Contra resolutionem affirmativam, in hoc *cap.* à 37
num. 264. firmatam, præcipuum argumentum est, quòd actio de luendo pignore, antequàm debitor solverit, non sit nata *l. si rem alienam* 9. § 3. *ff. de Pignorat. act.* & ita: contra non valentem agere non
currat Præscriptio. Ad quod argumentum in *num.* 38
227. *& seqq.* responsum est, actionem quoad substantiam nasci, quam primùm contractus pignoratitius est initus; cum effectu tamen, ante solutionem, moveri non posse, utpote per exceptionem non factæ solutionis elidendam.

Verùm in contrarium ulteriùs movere licet pari- 39
tatem ex *l. empti actio* 21. *Cod. de Eviction.* ubi ponitur hic casus. Emi à te mancipium, & possedi per 30. annos: posteà mancipium primùm in libertatem proclamat. Ago igitur contra te de evictione: tu opponis exceptionem Præscriptionis 30. annorum, quià actiones personales extinguuntur. Quæritur an rectè? Respondet Imperator in *d.*
l. quòd non. Nam, ut benè ratiocinatur Brun- 40
neman ad *d. l. num.* 3. Præscriptio 30. annorum solummodò nocet actionibus jam natis *l. super annali* 1. §. 2. *Cod. de Annali except.* at hæc actio ad evictionem, antequàm res evinceretur, nondum nata est: competit enim sub conditione, si res evicta sit. Ergo tum demum, cùm mancipium liberum proclamaretur, incipit actio competere: atque adeò prius actioni huic non præscribitur. Ergo idem dicendum de actione pignoratitia seu jure luendi pignoris.

Puto tamen, inter casum unum & alterum no- 41
tabile discrimen intercedere. Actio quippe ad evictionem potest etiam nata dici quoad substantiam unà cum contractu emptionis-venditionis, cui obligatio præstandi evictionem ex parte venditoris ex natura ipsius contractûs inest; sed sub conditione, si res evicta fuerit: consequenter ante eventum conditionis, sicuti absolutam substantiam non habet, sic Præscriptionem haud reformidat. Econtra

42 tra actio pignoratitia unà cum contractu pignora-
titio nascitur quoad substantiam absolutè, aut sal-
tem conditio solutionis non est propriè, sed planè im-
propriè talis, pendans unicè ex voluntate debito-
ris: ergo, sicuti statim moveri, & jus luendi exer-
43 ceri, sic etiam Præscriptione aboleri potest. Vel,
si hæc disparitas alicui displiceat; do aliam, re ipsâ
tamen non novam. Nempe actio de evictione, ante-
quàm res evincatur, supponit impedimentum Juris
seu intrinsecum, quod emptor, etsi velit, remove-
re non valet: actio autem pignoratitia, antequam
fiat solutio, supponit duntaxat impedimentum fa-
cti seu extrinsecum, cujus remotio stat in ipsius de-
bitoris facultate, ut nempe de pecunia sibi pro-
videat, debitóque soluto, rem oppignoratam
recipiat. Revideantur dicta in *cap. 3. numer. 31. & seqq.*

44 Restarent adhuc alia argumenta, ab uno & al-
tero Neoterico adversùs nostram sententiam fabri-
cata. Sed, quia non loquuntur juxta terminos ar-
tis, aut saltem non in eo sensu, quô ego eandem sen-
tentiam defendo, discurrunt, nolo me ulteriùs de-
tinere, sed exempli locô unum duntaxat produce-
re, formatum ex textu in *l. pignori 13. ff. de Usur-
pat. & usucap.* ubi creditori contra debitorem usuca-
pio denegatur, quia creditor pro alieno prorsus
possidet; id quod ampliùs adbuc patescit ex *l. non
solùm 33. §. 4.* & *§. ult. eôd.* ubi dicitur, illum usu-
capere, qui pignori dedit, quàmdiu res apud cre-
ditorem est: hic enim non sibi, sed debitori possi-
det. Sicut ergo commodatarius, & depositarius
nunquam præscribit rem depositam, aut commo-
datam, nisi possessionem interverterit; sic neque
creditor rem in pignus acceptum: nam, licèt secu-
ritatis causâ possessionem habeat, non tamen possi-
45 det *l. sciendum 13. §. 2. ff. qui satisdare cog.* Sed,
quàm procul extra rhombum! Ego nunquam docui,
quòd creditor post 30. annos rem oppignoratam præ-
scribat, imò contrarium expressè conclusi in hoc
cap. num. 285. & seqq. de qua sola Præscriptione *d.
l. pignori 13. in pr.* concepta est in verbis: *pignori
rem acceptam usu non capimus: quia pro alieno pos-*
46 *sidemus*; tota autem disputatio est de jure offeren-
di debiti, luendique pignoris, ratione cujus debi-
tori adversùs creditorem competit actio pignorati-
tia directa; huicque juri & actioni tricenniô præ-
scribi posse, asserui, & etiamnum assero confor-
miter meis principiis, juxta quæ Præscriptio pri-
vativa, qualis est ista, cujus virtute actio perso-
nalis triginta annorum spatio extinguitur, non de-
siderat ullam possessionem, sed nudô temporis lap-
47 su perficitur. Quô non remorante, manet debitor
rei oppignoratæ dominus, potestque etiam post tri-
ginta annos eandem rei vindicatione petere, dum
creditor ob defectum bonæ fidei & possessionis rem
48 ipsam positivè nequit præscribere. Ad cujus ex-
planationem valdè congruit instantia de commoda-
tario & depositario: nam uterque secundùm *l. 3. &
4. Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor.* contra actionem
commodati & depositi, utpote personalem, post 30.
annos præscribit privativè; non tamen rem commo-
datam aut depositam præscribit positivè, ob defe-
ctum scilicet possessionis & bonæ fidei; idémque
commodans & deponens, per rei vindicationem aut
actionem publicianam rem suam repetens, etiam post
30. annos auditur, & commodatarius aut depositarius
illam restituere obligatur. Quódve hæc differentia
non careat suô effectu, patet ex *hoc cap. n. 288.*

QUÆSTIO V.

An juri redimendi rem venditam præscribatur 30. annis, si nominatim convenerit, quòd liceat venditori, quandocunque & in perpetuum eam redimere?

Lubet contra sententiam affirmantem, quæ & 49
nostra fuit in *hoc cap. à num. 291.* sequens argu-
mentum, quod hisce diebus legi, sub examen vo-
care. Actioni nondum natæ non præscribitur: at-
qui actio personalis ad redimendam rem venditam
in terminis motæ quæstionis, antequàm re ipsa pla-
cuerit venditori rem venditam redimere, non est na-
ta: quia, ut actio nascatur, priùs necesse est, ut ven-
ditor eligat, offeratque pretium emptori, & ille
renuat. Ergo &c. Confirmatur. Sicut impossibile est, 50
dari jus passivum sine aliquo jure activo; ita vicis-
sim non potest dari jus seu actio, quin correspon-
deat ex parte cujusdam alterius obligatio: atqui in
nostra hypothesi obligatio retrovendendi rem emp-
tam non datur, antequàm eligatur redemptio, ut
per se est manifestum, dum emptor retrovendere
non tenetur, nisi petatur: ergo neque datur jus
& actio anteà: actio autem, quæ nondum existit,
præscribi non potest: nam, sicut causa conditio-
nata, quamdiu talis est, nullum producit effectum,
sic etiam obligatio conditionata nullum parit jus,
nullamque actionem; nisi placeat dicere conditio-
natam, quæ tamen absolutè ac in effectu nulla est,
sed erit, ubi poneretur conditio.

Argumentum hoc admodùm debile & fragile 51
esse, nullus dubitabit, qui ad Juris trutinam illud
paulisper appenderit. Quæso enim, quonam tem-
pore nascantur actiones juridicæ, an, dum in effe-
ctu moventur contra reum in judicio, an verò,
dum ponitur contractus aut pactum legitimum seu
vestitum? Utique respondendum erit, actionem
nasci, quando ponitur illius causa, quæ est con-
tractus aut pactum, seu legitimum, seu vestitum,
& contractui in continenti adjectum, cujus im-
mediatus effectus est obligatio, & mediatus actio.
Ita enim ex ipsis Institutis apertum & manifestum 52
fit ex *§. item is 2. §. prætereà 3 & §. ult. Quib. mod.
re contrab. obligat.* ubi obligatio & actio in con-
tractibus realibus statim consurgit, quando res est
tradita. Idem de obligatione & actione ex contra-
ctibus consensualibus statuitur in *pr. & §. ideo
autem 1. Instit. de Oblig. ex cons.* Quomodò ergo 53
cum veritate dici potest, actionem personalem ad
rem venditam redimendam non nasci, priusquàm
venditori placuerit, rem venditam redimere? Nun-
quid enim eâdem ratione dici posset, condictio-
nem ex mutuo, actionem commodati, depositi, lo-
cati, pro socio &c. tunc primùm nasci, quando
mutuanti, commodanti, deponenti, locanti, aut
socio placuerit, agere in judicio? Sicut ergo in
aliis contractibus, sic etiam in præsenti actio re-
dimendi illicò natales suos accipit, quando emptio-
venditio sola contrahentium consensu perfecta, &
pactum de retrovendendo, quod partem contra-
ctûs constituit per *l. Juris Gentium 7. §. 5. ff. de
Pact.* in continenti fuit adjectum.

Nec majoris ponderis est adjecta confirma- 54
tio. Nam, si stylum vertere placeat, ita ar-
guere licebit. Ubi datur jus passivum seu obli-
gatio ex parte unius, datur jus activum & actio
ex parte alterius. Sed, ubi pactum de retro-
vendendo in emptione-venditione adjectum sup-
ponitur, ex parte emptoris datur jus passivum seu
obli-

obligatio rem emptam retrovendendi, antequàm a venditore eligatur redemptio, dum emptor post completum contractum in actu primo, uti dicere amamus, illicò tenetur ad rem retrovendendam, licet in actu secundo non compellatur retrovendere, priusquàm à venditore petatur: ergo ex parte venditoris in actu primo quantocyus & illo momentô, quô contractus est absolutus, datur jus activum & actio in actu primo ad rem venditam redimendam, quæ etiam, quandocumque ipsi pla-
55 cuerit, in actum secundum deduci valet. Instantiam suppeditat ipsa actio empti ad recipiendam rem emptam, quæ, sicuti competit emptori, emptione venditione mutuò consensu perfectâ, etiamsi ex illius beneplacito pendeat, an & quando illam velit petere; ita etiam in venditore supponit jus passivum & obligationem, rem venditam traden-
56 di, quandocumque emptor petierit. Neque respondeti potest, obligationem emptoris quoad retrovendendum esse conditionatam: alioquin etiam reponi poterit, obligationem venditoris quoad traditionem esse conditionatam; nisi dicere velimus, esse conditionatam impropriè, cujusmodi conditio, cùm actui per se insit, illum non suspendit, sed purum ac absolutum relinquit per *l. conditiones* 99. *ff. de Condit. & demonstrat. l. Titio* 22. §. 1. *ff. Quando dies legat.*

CAPUT V.

De Requisitis ad Præscriptionem.

Satis diu in latissimo Materiæ Præscriptibilis campo discurrimus. Sub occulos modò veniunt requisita seu conditiones Præscriptionis (vocantur aliàs forma) quarum nonnulli ex antiquioribus quinque statuunt, juxta tritos Versiculos:

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque:
Bona fides; justus titulus; res non vitiosa;
Ut res tradatur, tempus quoque continuetur.

Verùm in rigore tot conditiones per se necessarias ad præscribendum non agnoscimus: uti enim providè advertit P. Engel ad *h. t. n.* 5. traditio non est per se necessaria ad præscribendum, sed tantùm ex consequenti, in quantum justa possessio, bona fides, aut titulus absque illa haberi nequit. Ad hæc possessio, bona fides, & titulus in ea acceptione, quâ utuntur isti Authores, non in omni Præscriptione requiruntur; eamque ob causam in definitione Præscriptionis in *cap.* 1. *num.* 30. solius temporis memoriam fecimus: atque hujus rei veritatem in præsenti capite pluribus comprobare, parati sumus.

Hinc methodicè, hac super materia tractaturi, ita distinguimus: vel Præscriptio consideratur in genere vel in specie. Si consideretur in genere; tunc pro essentiali requisito solum tempus adstruimus. Si spectetur in specie; tunc vel erit positiva vel privativa. Si *positiva*; præter tempus etiam bonam fidem, possessionem, & titulum regulariter exigimus. Sin *privativa*; solam temporis prærogativam desideramus.

Oportebit itaque de his conditionibus per quatuor Sectiones disserere, an & quibus in casibus earundem præsentia efflagitetur? Ubi erit

---

SECTIO I.

De Bona fide.

SUMMARIA.

1. & seq. Diversa bonæ fidei significatio. 3. & seqq. Diversa aliorum descriptiones. 6. Nostra. 7. & seqq. Alia potest admitti respectu corporalium; alia respectu rerum incorporalium. 11. & seq. Alia est Theologica; alia Juridica. 13. & seq. De Jure Civili bona fides non requiritur absolutè. 15. Secus est de Jure Canonico. 16. & seqq. Confictæ quorundam interpretationes ad cap. ult. h. t. *rejiciuntur 23. Rejicitur quoque textus in* cap. 15. § potest XVI. q. 3. *24 Genuina doctrina. 25. Agitur de scientia juris alieni. 26. & seq. Non constituit malam fidem in immissione in possessionem ex secundo decreto. 28. Non etiam in actionibus pœnalibus. 29. Non in servitutibus rusticis. 30. Sed Urbanis. 31. Non in actione redhibitoria. 32. & seq. Non in præstatione legati. 34. Non in jure quærendo. 35. Non in jure redimendi. 36. & seq. Non in usufructu. 38. & seq. Utrùm in cæteris actionibus personalibus, ex obligationibus, indefinitè contractis? Referuntur Authores utriusque sententia. 40. & seqq. Eligitur negans, & probatur ex defectu peccati. 45. & seqq Ex paritate enim recensitis juribus, & refutatione disparitatis. 53. & seqq. Ex paritate, desumpta ex* cap. 1. h. t. *57. & seqq. Quatuor argumenta, nobis repugnantia, prosternuntur. 77. Ubi obligatio est certo tempori coarctata, sententia nostra haud obtinet. 78. & seq. An dubium constituat malam fidem? 80. & seqq. In dubio speculativo superveniente negatur, & probatur. 85. & seqq. Negatur & probatur etiam in dubio speculativo antecedente. 89. & seqq. Affirmatur & probatur in dubio practico antecedente. 100. & seqq. Imò & in dubio practico superveniente. 107. & seqq. Objecta proponuntur, & infringuntur. 117. & seqq. Præmittuntur aliqua de Juris errore. 121. & seqq. Error Juris dubii non impedit Præscriptionem. 124 Error Juris clari Præscriptionem ordinariam excludit. 129. & seqq. Ratio opposita supprimitur. 134. Exceptio fit in personis, quæ absolutè Jus ignorare possunt. 135. & seqq. Error Juris non obstat Præscriptioni extraordinariæ. 140. Explicatur varietas authorum. 141. Bona fides authoris prodest successori. 142. & seqq. Mala fides authoris nocet universali successori in ordinaria Præscriptione. 145. & seqq. Ponuntur duæ limitationes. 150. & seq. Repellitur tertia. 152. Solvitur* l. penult. ff. pro hæт. *153. & seqq. Mala fides authoris non obest universali successori in Præscriptione extraordinaria. 163. & seqq. Successori singulari tantùm obest in rebus immobilibus. 167. Coacervantur varia quæsita. 168. & seq. Mala fides non potest esse respectiva. 170. Mala fides tutoris pupillo non nocet. 171. Nec mala fides Prælati Ecclesiæ. 172. & seq. Refelluntur contrarium sentientes. 174. & seqq. Panormitani doctrina profertur. 178. & seqq. Mala fides antecessorum successoribus in communitate non obest. 184 & seqq. Fundamenta Adversariorum appenduntur. 188. & seqq. Agitur de mala fide servorum. 191. & seqq. Item de mala*

fide

fide procuratorum. 194. *& seqq. Bona fides præsumitur.* 199. *& seqq. Objecta removetur.* 202. *& seqq. Hinc ne quidem allegari debet.* 206. *& seqq. Limitatur conclusio.*

§. I.

Quid & quotuplex sit bona fides?

1 BOna fides variis in Jure significationibus circumfluit. Aliquando accipitur pro benigna interpretatione Judicis, defectum & simplicitatem partium supplentis quoad ea, quæ ab ipsis forsitan omissa sunt, & tamen ex æquitate præstari debent. Et in hac acceptione dicimus, contractus vel actiones esse bonæ fidei §. *actionum autem* 28. & §. *in bonæ*
2 *fidei* 30. *Inst. de action.* Aliquando sumitur pro sinceritate animi in contrahendo, quatenùs hæc excludit fraudem, calliditatem, & dolum *l. bonam fidem* 4. *Cod. de O. & A.* Aliquando denotat illæsam conscientiam rei vel juris alieni; quæ notatio est hujus loci, & in illa

3 Definitur bona fides diversimodè. Quidam dicunt, bonam fidem esse *sinceram rei alienæ ignorantiam*, dum nempe possessor probabili ex causa cre-
4 dit, rem ad se pertinere. P. Engel *h. t. n.* 12. Alii sentiunt, bonam fidem esse *bonam conscientiam circa possessionem rei alienæ ut suæ*; atque adeò supponunt, abesse debere scientiam alicujus circumstantiæ aut conditionis, quâ cognitâ quis sciret, rem non ad se sed alium pertinere, adeòque jam peccaret, volendò possidere ut suam. P. Haunold. *de J. & J. tract.* 5. *cap.* 2. *contr.* 2. *num.* 189. Multi docent:
5 *bonam fidem esse credulitatem animi judicantis, rem alienam non esse.* Clariss. D. Gleile *Inst. h. t. num.* 8. Clariss. D. Franz *ibidem num.* 26.

6 Videntur equidem & illæ & aliæ, ab aliis formatæ definitiones, in re convenire; ultima tamen valdè conformis est textui in *cap. ult. h. t.* ibi: *unde oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ*; &, si particulæ quædam superaddantur, quòd nempe sit credulitas animi judicantis, rem alienam non esse, aut non injustè à se detineri; mihi quoque probatur.

7 Bonam fidem dividit J. Clariss. D. Frideric. Ernast. à Someting *Inst. h. t. n.* 8. in eam, quæ requiritur ad Præscriptionem rerum corporalium; & quæ exigitur ad Præscriptionem rerum seu jurium incorporalium. Illam describit, quòd sit *sincera conscientia, credentis, rem alienam, propriam esse.* Istam definit, quòd sit *conscientia, quâ quis novit, se nihil obligationi contrarium egisse, quâ alteri est adstrictus.* Prius membrum ex *num.* 6. declarandum opinor. Posterius membrum divisionis approbare vide
8 tur Clariss. P. Melchior Friderich de *Empt. Vendit. part.* 4. *cap.* 1. *a.* 5. *n.* 485. dum ad objectionem illam de scientia juris alieni, quòd constituat malam fidem in Præscriptione adversùs facultatem & jus redimendi rem venditam, negat, emptorem in mala fide esse positum propterea, quòd sit conscius suæ promissio-
9 nis & obligationis. Rationem dat: quia, etiamsi omnis possessio requirat bonam fidem; non tamen omnis bona fides requirit ignorantiam juris alieni: bona enim fides est, quâ ego judico, me nihil agere contra jus alterius, seu quâ agnosco me nihil omittere
10 eorum, ad quæ teneor. Ad objectionem verò ex *cap. si virgo* 5. *XXXIV. quæst.* 1. ubi is dicitur esse in mala fide, qui habet scientiam juris alieni: respondet, absolutè ac universaliter verum non esse, sed solùm procedere in casu citati canonis aliisque similibus, quando videlicèt alienum quia detinet sine titulo, sciens esse alienum: tunc enim eô ipsô malam fidem habet, quia judicare non potest, se nihil contra jus alterius agere, quod tamen ad bonam fidem requiritur. Huc usque P. Friderich. Ejusdem doctrinæ est Card. de Luca de *Empt. disc.* 7. *num.* 4. & 5.

II. Potest dividi bona fides in bonam fidem Theo- 11
logicam & Juridicam. *Theologica* est, quando aliquis in conscientia sincerè credit, se non possidere alienum, aut nihil agere contra suam obligationem. *Juridica* est, quando aliquis etiam à Jure taliter
possidere præsumitur. Unde advertis, posse quem- 12
piam Theologicè versari in bona fide, & simul Juridicè in mala: si enim hæres, ignarus malæ fidei, quam defunctus habuit, accedat ad possessionem rerum, in hæreditate inventarum, erit Theologicè in bona, Juridicè in mala fide: quia Jura fingunt, hæredem esse unam personam cum defuncto; & consequenter malam vel bonam fidem defuncti imputant, & attribuunt hæredi per textum *in l. cùm hæres* 11. *ff. de Diversf. temporal. Præscript.*

§. II.

De necessitate bonæ fidei.

Circa necessitatem bonæ fidei aliter discurrendum 13
de Jure Canonico, aliter de Jure Civili. De Jure Civili in Præscriptione longi temporis sufficit, bonam fidem ab initio possessionis adfuisse, tametsi ex post facto in malam fidem degeneret *l. bonæ fidei* 48.
§. 1. *ff. de A. R. D. l. un. Cod. de Usucap. transform.* 14
Imò in Præscriptione longissimi temporis potest Præscriptio cum mala etiam fide inchoari per *l. sicut* 3. *l. omnes* 4. *Cod. de Præscript.* 30. *annor. l. super annali* 1. §. 1. *Cod. de annal. Except.* in quibus generaliter de actionibus personalibus & realibus statuitur, eas 30. annorum fatô exspirare. Rath de *Usucap. cap.* 2. *assert.* 9.

De Jure Canonico bona fides in Præscriptione 15
positiva tam in exordio quàm decursu adesse debet *cap. ult. h. t.* ita quidem, ut dispositio Juris Civilis hac in parte penitùs cassata & sublata sit per *cap. vigilanti* 5. *cap. si diligenti* 17. *d. cap. ult. h. t.* Ratio, quæ Summos Pontifices ad reformationem Juris Civilis permovit, est periculum animæ, occasio peccandi, origo injustitiæ, quæ ex admissione Præscriptionis cum mala fide succrescit: dum non tantùm furtis ac rapinis laxatur frænum, verùm etiam malefactores, fures, & raptores supplicii locô præmium reportant, cum non modica jactura innocentis domini.

Reperiuntur quidem aliqui, quos refert Arnol- 16
dus Rath *d. cap.* 2. *assert.* 24. probare volentes, Leges Civiles in terris, Summo Pontifici tantùm subjectis, fuisse abrogatas, in terris verò Imperii etiamnum valere. Ducuntur hi Authores verbis *d. cap. ult. h. t. Canonica & Civilis*, rati, per ly *Canonicam* intelligi rem spiritualem; & per ly *Civilem* subaudiri rem temporalem; & ita Præscriptionem rerum Ecclesiasticarum & Sæcularium in foro Ecclesiastico interdici.

Alii, quorum citatus Rath *assert.* 25. & Covarruv. 17
in *cap. possessor. d. part.* 2. §. 11. *n.* 4 rectò nomine meminerunt, arbitrantur, ejusmodi constitutiones in foro Civili hôc duntaxat sensu servandas, nec Jure Canonicô correctas esse, quòd prior dominus, adversùs quem malâ fide præscriptum est, in foro Sæculari minimè audiatur, oppositâ Præscriptionis exceptione repellendus; at in foro animæ & in conscientia nihilominùs obligatus maneat ad faciendam rei malâ fide possessæ restitutionem: quemadmodùm & in pacto nudo, & in læsione infrà dimidiũ Leges actionem denegant, absque eo, quòd obligationem in foro interno ex parte debitoris submoveant.

18 Sed neutra interpretatio assensum meretur. Non prima: quia verus & genuinus sensus illorum verborum *Canonica & Civilis*, est, nullam Præscriptionem valere sine bona fide, sive de Jure Canonico sit permissa aut approbata, sive de Jure Civili. Qui sensus perspicuè desumitur ex *d. cap. ult.* ubi S. Pontifex rationem, cur Jus Civile antiquaverit, subjungit: *quòd omni constitutioni derogandum sit, quæ*
19 *absque mortali peccato non potest observari.* Non secunda: tum quia S. Pontifex dicit, Præscriptionem *non valere*: quod idem est, ac nullum habere effectum, nullamque producere exceptionem, præscribenti in Judicio utilem, tum quia Leges Civiles non videntur distinguere inter forum externum & internum, sed plenam securitatem possessori malæ fidei tribuere: tum denique quia saluti animarum, cui præprimis studere debent SS. Canones, nec dum plenè consultum; nec occasioni peccandi, quam præscindere voluerint Pontifices, ex integro via præclusa foret, si in foro profano Præscriptitu cum mala fide securô pede ambularet: nam homines protritæ frontis aut deperditæ mentis parum attendunt, quid intùs loquatur conscientia, quando in foro fori se à restitutione sciunt immunes.

20 Nec urget adducta paritas de actione ex pacto nudo, nec non læsione infra dimidium: siquidem aliud est, actionem negare ex aliqua justa causa, quæ absque dolo contigerit; aliud, fomentum exhibere patrandi furta, rapinas, dolos &c. Quando Jura denegant actionem in pacto nudo, id faciunt extra casum, quò dolus est admissus, ex defectu nempe solennitatum, quas contrahentes non observârunt; & quidem ob causam justam, ut videlicèt litium
21 fomes & fomentum sopiatur. Similiter quando Jura læsum infra dimidium ab agendo repellunt, id ex justa causa statuunt, ne videlicèt contractus, in commercio humano frequentissimi, cum non modico Reipublicæ detrimento, rescindantur; & quidem tunc solùm, quando læsio non est facta ex dolo: si enim ex dolo processerit, actionem dari ex *l. Julianus* 13. §. 4. *& 6. ff. de Act. empti.* cùm sententia
22 communissima deducit, & probat Clariss. P. Friderich *cit. loc. p 6. num.* 923. At permittendô Præscriptionem cum mala fide Jura ansam delinquendi præberent, dolum, fraudes, rapinas soverent, imò tranquillitatem Reipublicæ non modicùm turbarent. Unde eôdem titulô & colore, quô denegatio actionis ex pacto nudo, vel læsio infra dimidium, excusari nequeunt. Covarruv. *d. p.* 2 §. 11. *n.* 6.

23 Dices: Juris Civilis sanctionem etiam in Jure Canonico comprobatam inveniri *in cap. placuit* 15. §. *potest XXVI. q.* 3.

Resp. hunc textum non authenticum, sed à Gratiano Corpori Juris Canonici insertum esse.

24 Communiter igitur jam docent Theologi & Jurisperiti, correctionem Juris Civilis juxta Canonici Juris sancita in puncto malæ fidei tam in terris Pontificiis, quàm in terris Imperii observandam esse: quoniam generaliter in materia, concernente conscientiam, non ad Jus Civile, sed Canonicum respicitur *per cap. navis* 13. *de Judiciis.* Covarruv. *dec. p.* 2. §. 11. *num.* 6. Haunold *d. controvers.* 2. *num.* 191. Engel *d. l. num.* 12. Gonzalez in *Comment. ad cap. ult. h. t. num.* 10. Rath *d. cap.* 2. *assert.* 22. Gail 2. *observ.* 18. *num.* 7. *& seqq.* Mynsing. *cent.* 4. *observ.* 6. *num.* 3. *& seqq.*

§. III.

An scientia juris alieni inducat malam fidem impeditivam Præscriptionis?

25 Præmissâ descriptione, divisione, & necessitate bonæ fidei, mox controversia sese ingerit, æquè subtilis ac periculosa, tangens nimirum forum conscientiæ: num scilicèt sola alieni juris scientia bonam fidem impediat, eique malam, cum exclusione Præscriptionis, substituat? Ut hujus controversiæ decisio meliori decurrat ordine, certa ab incertis separanda veniunt. Itaque

Certum videtur I. in missione in possessionem bo- 26
norum rei contumacis ex secundo decreto Præscriptionem cum scientia juris & rei alienæ permissam esse. Cùm enim actori, in bonorum possessionem immisso, dominium (Civile saltem) non statim acquiratur, sed reo contumaci eousque reservetur, donec tempus, ad præscribendum alioquin sufficiens, effluxerit per textus in *cap. ult.* §. *in aliis. Ut lite non contest. l. prætoris* 5. *in pr. l. si finita* 15. §. 16. *ff. de Damno inf. l. & generaliter* 28. *ff. de Noxal. act.* consequens est, quòd præscribat cum rei alienæ
conscientia. Abbas in *cit. cap. &* §. *n.* 33. Rationem 27
& explicationem suggerit Gonzalez ad *cap. placuit* 1. *h. t. num.* 3 quòd non illico quis in malam incidat fidem, si rem sciat alienam esse: quoniam scientia rei alienæ debet accipi non pro quavis scientia, sed pro ea tantùm, quæ conscientiam lædit, aut conjunctam habet notitiam vitiosæ possessionis. At, si quis sciat, rem alienam esse, justè nihilominùs à se detineri, suffragante Judicis aut Legis authoritate, læsam non habet conscientiam *arg. l. justè* 11. *ff. de A. vel A. P. l. qui authore* 137. *ff. de R. J.*

Certum videtur II. actiones pœnales Præscriptio- 28
ne tolli, etiamsi reus sciverit, se ad pœnam Judici vel parti solvendam obligari: neque enim delinquens tenetur ultrò ad pœnam sese offerre, sed satisfacit, si post latam sententiam ad executionem a Judice vel parte compellatur. Ita post Glossam *in cap fraternitas* 11. *XII. q.* 2. & Navarrum Pax Jordan *t. lucubrat. divers. tom.* 3. *lib.* 14. *tit.* 28. *num.* 22. Haunold. *d. contr.* 2. *num.* 183. Rath *d. c.* 2. *assert.* 12. Covarruv. *d.* §. 11. *n.* 8.

Certum videtur III. libertatem adversùs *servitu-* 29
tes rusticas ob solum non-usum domini prædii dominantis rectè præscribi à domino prædii servientis, esto jus servitutis, itineris v. g. aut viæ non ignoraverit, dominus quippe prædii servientis, ut patientiam duntaxat adhibeat, non ut moneat alterum de jure suo, obstringitur. Pax Jordan *d. l. num.* 27. Haunold *num.* 184. Rath *assert.* 13. *&* 14. Lessius *lib.* 2. *cap.* 6. *dec.* 6. *in fine.* Gleile *part.* 2. *select. quæst.* 29.

Dixi tamen: *adversùs servitutes rusticas*: nam 30
servitutes urbanæ non amittuntur, si dominus prædii servientis scientiâ constitutæ servitutis non careat: quia, ut non-usu pereant ejusmodi servitutes, factum requiritur, quod argumentum interruptæ patientiæ præbeat v. g. in servitute tigni immittendi obstructio illius foraminis, cui tignum exemptum immittendum foret *l. hac autem* 6. *in princ. ff. de S. P. U. l. si quis* 18. §. 2. *ff. Quemad. servitut. amitt.* At salvâ conscientiâ & justitiâ ad factum simile dominus prædii servientis decurrere non potest, si notitiam juris alieni habeat. Ergo nequit bona fide præscribere. Consule citatos, & P. Illsung *Theol. pract. T.* 4. *D.* 2. *num.* 296.

Certum videtur IV. tam *actionem redhibitoriam*, 31
quâ emptor, qui sciens rei venditæ vitium eam empturus non fuisset, agere potest intra 6. menses ad redhibitionem & venditionis rescissionem; quàm *actionem quantò minoris*, quâ emptor agere potest intra annum utilem, ut, quantò minoris res ob aliquod vitium æstimatur, venditio rescindatur, & ea tenùs pretium restituatur; si intra statutum tempus non moveantur, interire, licèt venditor non nesciat, damnum ex contractu emptori fuisse illatum:

quia

quia videlicèt emptorem non tenetur urgere ad pro-
sequendum jus quod habet. Haunold. *cit. loc. num.*
185. Rath *assert.* 18. Interim in foro animæ ad dam-
ni illati restitutionem obligari; imò, si dolosè
egerit, etiam in foro contentioso conveniri pos-
se, idem Rath *assert.* 19. & 20. cum allegatis
docet.

32 Certum videtur V. legatum, Titio v. g. reli-
ctum, ab hærede sciente præscribi, saltem si lega-
tarius rei, sibi legatæ, habuerit notitiam, & pe-
tere neglexerit: ex una enim parte, cùm legatarius
legatum pro libitu repudiare valeat, ex 30. anno-
rum silentio repudiasse præsumitur; ex altera au-
tem parte hæres non tenetur alterum reddere me-
morem juris sui, minùs ad exercitium juris excitare.
Hanc sententiam communi DD. suffragiô probatam
docet Rath, & post Decium, Tiraquellum, Ancha-
ranum, Baldum, Socinum, cum Balbo *2.p.3.princ.q.*
3.n.9. Card. de Luca de *Empt. disc.7.n.4.* ipsemet
33 amplectitur *assert.21.* Dixi: *saltem si legatarius sci-*
verit: si enim ignoraverit, legatum sibi relictum
esse, multùm subsistit D. Rath *d. assert.lit. F.* scrupu-
lôque non carere, dicit, an hæres ignorantem le-
gatarium non teneatur legati certiorem facere?
priorem tamen sententiam nec hôc casu improba-
bilem judicat.

34 Idem porro de jure adeundi hæreditatem vel pe-
tendi illius divisionem, & universim de jure quæ-
rendo & nondum quæsito tenendum esse, decidit
Rota in *una Romana divisionis p.3.recent. decis.153.*
num.26.& seqq. quia nimirum si quis negligat, quæ-
rere vel acquirere jus aliquod, sibi competens, stat
probabilis conjectura, quòd illud agnoscere vel ac-
ceptare nolit.

35 Certum videtur VI. jus redimendi rem venditam
pariter obnoxium esse Præscriptioni, quantumvis
emptor v.g. sciat, id venditori competere. Card.
de Luca *cit.disc.*n.5. P. Melchior Friderich, ubi su-
pra in n. 8. laudatus: quoniam emptor non tenetur
venditorem, ut jure, quod habet, utatur, urge-
re, sed potiùs ex longissimo silentio juris abdica-
tionem præsumere valet.

36 Certum videtur VII. D. Rath *assert.15.* usumfru-
ctum, jam constitutum, & actionem inde fluentem
Præscriptione longi temporis extingui, non atten-
tâ scientiâ proprietarii de usufructu constituto *per*
l. placet 25. ff. Quibus mod. ususfruct. amitt. l. pen.
Cod. de Servit.& aqua: in his quippe Legibus aper-
tè dicitur, usumfructum per non-usum fructuarii amit-
ti, absque eo, quòd aut titulus aut bona fides ex
parte proprietarii desideretur. Nec ullibi legitur pro-
prietario imposita obligatio, fructuarium ad colligen-
37 dos fructus adhortandi. Haunoldus tamen *d.l.n.186.*
idem placitum non aliter admittit, quàm si, usu-
fructuariô negligente, nec ille nec proprietarius
fructus colligeret; vel certè proprietarius non alio
ex titulo ac pro derelictis occuparet, quod bonâ
fide posset facere.

38 Verùm incertum valdè, ac magnoperè contro-
troversum est, an universaliter in actionibus perso-
nalibus, sive de faciendo sive de patiendo sint, scien-
tia juris alieni non inducat malam fidem, impediti-
vam Præscriptionis, ita ut qui ante 30. annos à
Sempronio 100. accepit mutuos, absque determi-
natione certi temporis aut interpellatione ex parte
creditoris Sempronii intereà temporis motâ, ab actio-
ne ex mutuo in conscientia sit liber? Negant innu-
meri, ut loquitur, & relatione Authorum pro mo-
re ostendit Antonius Gabrielius *commun. concl.lib.5.*
*concl.3.n.1.*è quibus legi Covarruv. *d. l.*§ 11. *num.5.*
& 6. P. Engel ad *h.t n* 18. D Rath *assert.*28. Gonza-
lez *comment.ad cap.vigilanti 5.h.t.num.9.* Balb. *in 2.*
part.3.princ.q.13.num.1. & seqq. Haunold. *num.*191.

Clariss. P. Mezger *Theol. Schol. tr.11.disp.27. a 3.n.*
12. Gail. *lib.2. observ.* 18. *n.* 7. Mynsing *cent.* 4. *ob-*
serv.6. qui duo posteriores præjudiciis Cameræ Im-
perialis sententiam suam confirmant.

Affirmant ex adverso quàmplures, veluti idem 39
Gabrielius testatur, & docet; inter quos vidi Pa-
normitanum ad *cap. ult. h. t.* ubi à *num.13.* usque ad
21. discussis utriusque sententiæ momentis, *in num.*
15. fatetur, se ponderandô textum in *d. cap. ult.* ad-
hibitô longô præsertim studiô nocturnô, incepis-
se multùm fluctuare; reperisse tamen pro sua sen-
tentia præter Bartolum Hostiensem *in summa h. t.*
§. *qua res*: & tandem *in num.21.* ultimatè pro opi-
nione affirmativa concludit. Huic accedunt Vas-
quius *Illustr. contr. lib.2. cap.76. n.3.* ubi ait, mul-
tos esse, qui hanc sententiam veram sicut Evange-
lium pronuntient; Pax Jordan *cit.l.n.24.* Guido Pa-
pæus *q.190.* n.2. qui eandem doctrinam in Concilio
Gratianopolitano prævaluisse scribit; Clariss. Facul-
tatis nostræ Collegæ, D.Gletle in *assert.Jurid.76.* D.
à Someting in *sementent. controv. illust.controv.7.n.4.*
D. Franz ad *h. t. n.* 10. *& seqq.* Petrus Barbosa in *l.*
sicut Cod. de præscr. 30. annor. n.43. & Joannes San-
chez in *select. disput.* 48. *numer.* 59. apud Gonzalez
ubi suprà, eô saltem usu, quô Lex disponit, ut
transcursu alicujus temporis tollatur actio, diri-
gendô verba in ipsam actionem, non verò in præ-
scribentem: quod de plerisque actionibus perso-
nalibus dispositum esse, ex *d. l. sicut* manifestum fit.

Mihi in theoria posterior sententia semper præ- 40
placuit, si, ut insinuavi in *n.* 38. ad actiones &
obligationes, ex debito indefinitè contracto oriun-
das, restringatur. Itaque

Probatur I. Scientia juris alieni in actionibus ex 41
debito, indefinitè contractô, non involvit pecca-
tum injustitiæ. Ergo non inducit malam fidem,
Præscriptionis impeditivam. Ergo locum habet Præ-
scriptio. Utraque consequentia est certa: quia de
Jure Civili scientia juris alieni non impedit Præ-
scriptionem, ut passim agnoscunt DD. de Jure au-
tem Canonico Jus Civile in tantum est correctum,
in quantum fovet peccatum injustitiæ. Ergo, si
scientia juris alieni in præfato debito non involvit
peccatum injustitiæ, non impedit Præscriptionem.
Antecedens probatur: qui nihil agit contra obliga-
tionem, quâ alteri est obstrictus, non peccat peccatô
injustitiæ: cùm peccare peccatô injustitiæ nihil sit
aliud, quàm jus alterius violare. Sed in debito, in-
definitè contracto, debitor, tametsi ante interpella-
tionem non solvat, non agit contra obligationem,
quâ creditori est obstrictus. Ergo &c. minor pro-
batur: qui nec à die nec ab homine interpellatur,
non tenetur solvere *arg.l.quod te 5.ff.de R.C.* ubi, cum
ad moram culpabilem requiratur justa causa, ob quam
aliquis solutionem facere teneatur, satis datur intel-
ligi, neminem ad solvendum teneri, quem justa non
urget causa; & ideò nec debitorem debere solve-
re, nisi à die, vel homine interpelletur *l.debitores*
10. Cod. de Pignor. Sed debitor in debito indefinitè
contracto neque à die interpellatur: quia dies cer-
tus non est adjectus; neque ab homine, uti suppo-
nitur. Ergo &c. Confirmatur. Qui prudenter ex- 42
istimat, se ante debiti exactionem non esse obli-
gatum ad solvendum, non peccat differendô solu-
tionem. Sed, qui debitum indefinitè contraxit, pru-
denter existimat, se ante exactionem debiti ad sol-
vendum non esse obligatum: videtur namque ea
de causa sine præfinitione temporis contraxisse, ne
ad ultroneam solutionem se obstringeret. Ergo qui
debitum &c.

Probatur II. Qui probabiliter sibi persuadet; 43
debitum sibi remissum esse, non solvendô non pec-
cat contra Justitiam, quamquàm de cætero obliga-
tio-

tionis pristinæ bene sit conscius. At, quando creditor per tempus longissimum debitum non exigit, probabiliter sibi persuadet debitor, debitum sibi remissum esse: quemadmodùm ex *l. cùm quidam* 17.§.1.*ff. de Usuris* probari potest, ubi creditor, qui per longum solummodò tempus exigere distulit usuras, illas in gratiam debitoris remisisse censetur. Ergo non peccat.

44 Neque dicas: textum memoratum in odio usurarum fundari: contrarium quippe Imperatoris ratio prodit, qui *parum justè præteritas usuras* a creditore *peti*, respondit, *quas eum omisisse* (hoc est remisisse) *longi temporis intervallum indicat*. Pluribus hoc argumentum prosequitur Vasquius *cit. cap.* 76. *num.* 5. *& seqq.*

45 Probatur III. Communior & probabilior, si non certa est sententia, in servitute rustica, in actione pœnali, in juribus & actionibus aliis, à *num.* 25. enumeratis, Præscriptionem ex scientia juris alieni non interimi. Ergo idem generaliter concludendum in actionibus personalibus. Conseq. probatur I. Ideò in prænominatis juribus procedit Præscriptio, non obstante scientiâ, quia vel debitor non tenetur ultrò ad solutionem aut satisfactionem se offerre; vel non obstringitur, creditorem admonere juris sui. Sed neque debitor in actione personali explicatô modô tenetur se ultrò ad solutionem of-
46 ferre, aut creditorem monere. Ergo &c. II. Ratio generalis, cur prætactis juribus cum scientia eorundem præscribatur, in eo consistit, quòd ita sint restricta ad usum, ut, nisi intra certum tempus exerceantur, evanescant & pereant. Sed actiones personales indiscriminatim ad usum ita restrictæ sunt, ut intra 30. annos non intentæ evanescant, & pereant *sæpe cit. l. sicut* 3. *& l. omnes* 4. *Cod. de Præscript.* 30. *annor. l. super annali* 1. §. 1. *Cod. de annali Except.* Ergo &c.

47 Arnoldus Rath *d. cap.* 2. *assert.* 36. fatetur, difficilem esse rationem differentiæ, cur minùs Præscriptio actionis personalis, quàm libertatis contra servitutem rusticam cum scientia juris alieni procedat; nullamque affert disparitatem, „nisi quòd actio per„sonalis, veluti ex natura sua perpetua, non ali„ter intereat, quàm ex causa aliqua, ex parte de„bitoris interveniente, v. g. solutione, acceptila„tione, Præscriptione; servitus verò rustica, quâ „dominus per decem annos non est usus, hôc ipsô „extinguatur, non tam per debitoris Præscriptio„nem, quàm ex sua natura, & per simplicem non„usum, quasi eò ipsô saltem ex Juris interpretatio„ne pro derelicto habita, & tacitè remissa, sive de„bitor sciverit, eam competere, sive ignoraverit. Ita hic præclarissimus quondam Professor respondit. Sed pace tanti viri in contrarium

48 Argumentor I. Certum est, æquè de actionibus personalibus atque de servitutibus dari Præscriptionem, uti tam ex rubrica *& l. ult. Cod. de Præscr. longi temporis*, quàm *ex t. t. & præsertim l.* 3. *&* 4. *Cod. de Præscr.* 30. *annorum* ad oculum demonstrari potest. Sed æquè de actionibus personalibus, atque de servitutibus dicitur, eas non-motas, in judicium non-deductas, atque adeò per non-usum dissimulatas, intra 30. annos *extingui*, *sopiri*, *vivendi ulteriùs non habere facultatem*, uti *in cit. text.* perspicere est. Ergo in modo præscribendi non est diversitas inter servitutes & actiones personales.
49 Hinc data responsio continet id, quod erat in quæstione. Quærebatur enim, cui præscribatur libertas adversùs servitutes rusticas cum scientia constitutæ antehàc servitutis, & non etiam libertas adversùs actiones temporales cum scientia actionis, cùm tamen usus utriusque juris sit ad certum tempus restrictus, ut non tam præscribatur, quàm suâpte naturâ intereat? Et responsio est, hanc esse disparitatem, quòd servitus rustica non tam per debitoris Præscriptionem, quàm ex sua natura extinguatur. II. Nullus textus assignari potest, 50
quô demonstretur, servitutem rusticam ex interpretatione Juris propter non-usum haberi pro derelicta & tacitè remissa: & tamen potest assignari textus, quô ostendatur, aliquam saltem actionem personalem, eam nempe, quæ tendit ad petendas usuras, haberi pro derelicta & tacitè remissa *d. l. cùm quidam* 17. §. 1. *ff. de Usur.* Ergo potiori jure de actionibus personalibus, quàm de servitutibus tenendum, illas per non-usum censeri remissas.

P. Haunoldus *d. contr.* 2. *cap.* 2. *tr.* 5. *n.* 194. præ- 51
ter discrimen, ex D. Rath proximè adductum, aliud profert, quòd videlicèt in servitutibus nulla sit obligatio agendi, sed patiendi duntaxat, sive dominus urgeat, sive non; in debitis verò personalibus vix non omnibus occurrat obligatio agendi seu faciendi aliquid in gratiam creditoris. Sed hoc ipsum discrimen meum in favorem sic applico. Sicut in servitutibus nulla est obligatio exhibendi patientiam, si dominus prædii dominantis servitute non utatur; ita in debitis, indefinitè contractis, nulla est obligatio actu solvendi, si creditor, exigendô debitum, jure suo non utatur. Ergo si in servitute, etiam in tali debito currit Præscriptio. Præterea in actione 52
pœnali, noxali, pro legato &c. debitor est obligatus ad aliquid faciendum, & tamen præscribere non prohibetur. Ergo nec debitor alius quicunque, ad aliquid faciendum sine determinatione certi temporis obligatus, præscribere prohibetur: quia & ille & iste non tenetur spontaneam solutionem aut satisfactionem offerre.

Probatur IV. Licèt unus Episcopus alterius Diœ- 53
cesin vel Cathedram occupare, aut invadere nequeat, eaque ex ratione ipsa finitum Diœceseos Præscriptio sit vetita; nihilominùs *in cap. placuit* 1. *6. r.* constitutum est, si unus Episcopus plebem alterius Episcopi ministeriô prædicationis ad Catholicam unitatem perduxerit, plebem conversam ad Episcopum convertentem quoad jurisdictionem pertinere, si proprius Episcopus intra triennium eam repetere potuerit, & neglexerit. Ergò multò magis poterit debitor contra actionem creditoris præscribere, si is intra 30. annos debitum repetere omiserit: cùm majus utique vertatur præjudicium in amissione integri vel dimidii Episcopatûs, quàm in jactura debiti 100. v. g. florenorum. Et sicut Episcopo convertenti non obstat scientia juris alieni, ita nec debitori obstabit.

Neque evades, dicendô: hoc in favorem fidei, 54
& odium Episcopi, prædicationem negligentis, constitutum, non esse trahendum in consequentiam. Enimverò nec favor fidei, nec odium negligentis Episcopi præponderare posset peccato injustitiæ, si quod esset in eo, qui cum scientia juris alieni contra alterius actionem Præscriptionis auxiliô se tueri cupit; nisi authoritas Legis Canonicæ intercederet, & jus repetendi plebem conversam certo temporis spatio annecteret. Quin, datô etiam, rationem *cit.* 55
cap. in fidei favore & odio negligentis Episcopi consistere, id non tam sistit, quàm promovet cursum argumenti & paritatis: si enim favor fidei & odium negligentiæ uni jus eripere, & alteri adjicere valeat; valebit quoque favor boni publici, ex litium ac controversiarum naufragiô emergentis, nec non & odium negligentiæ creditorum jus suum per 30. annos intermittentium, hos jure petendi privare, & debitores ab onere solvendi liberare. Accedit, quòd notante Pufen- 56
dorff *de Jure Nat. & Gent. lib.* 4. *cap.* 12. *n.* 2. intra 30.

annos

annos humanum genus aliam faciem induat: ideóque Legum protoparentibus inconveniens, bonoque communi minùs expediens, visum fuerit, ob qualecunque factum sequens sæculum litibus posse inquietari; cùm præsertim intereà defensionis copia, testium depositio, instrumentorum fides, documentorum valor aut intercidat, & intereat, aut saltam cum primæva facilitate non subsistat.

57 Objicies I. Nulla Præscriptio, sive Canonica, sive Civilis, procedit cum mala fide *cap. ult. h. t.* Ergo etiam nulla procedit cum scientia juris alieni: hæc quippe re ipsâ non distinguitur à mala fide, cum idem sit, scire rem alienam, ac scire jus alienum *l. rei 23. ff. de V. S.* ibi: *rei appellatione & causæ & jura continentur.*

58 Resp. I. sicut bonam; ita malam fidem in rebus corporalibus & incorporalibus diversam esse. In illis mala fides habet conjunctam scientiam rei alienæ; in istis supponit scientiam violatæ obligationis, quâ quis alteri est devinctus. Unde non est idem, scire rem alienam, ac scire jus alienum: quia cum scientia rei alienæ semper est conjuncta mala fides, nisi titulus adsit, qui tribuat jus possidendi; econtra cum scientia juris alieni jamdiu stat bona fides, quàmdiu quis non meminit, se juri alieno suæque obligationi contravenisse.

59 Resp. II. negandô conseq. & ad ejus probationem dico, scientiam rei alienæ & juris alieni multùm differre: qui enim in fundo meo habet servitutem itineris, non eô ipsô habet proprietatem fundi, sed nec habere potest: cùm res sua nemini serviat *l. quidquid 10. ff. communia præd.* Ego itaque fundi dominus, si constitutæ servitutis notitiam habeam, utique habeo scientiam juris alieni, & ta-
60 men non habeo scientiam rei alienæ. Similiter qui ex mutuo debet Mævio ducentos, habet scientiam juris alieni, vi cujus Mævius ducentos illos repetere potest; non tamen habet scientiam rei alienæ: quia nummi, mutuò dati, statim fiunt accipientis *l. mutuum 2. §. 1. 2. & 4. ff. de R. C.* qui propterea non debitor speciei, sed generis vulgò dicitur. Sicut ergo cum scientia servitutis constitutæ sine mala fide servituti præscribitur; sic etiam præscribitur actioni cum scientia obligationis sine mala fide.
61 Quando autem in *cit. l. rei de V. S. sub rei appellatione & causæ & jura continentur*, id non generaliter & in omni Legis vel hominis dispositione ita accipiendum, sed juxta materiam subjectam est interpretandum: alias quæcunque de Præscriptione *rerum* in Jure sunt ordinata, ad Præscriptionem *jurium* extendenda forent; quod tamen sine absurdo fieri nequit, uti consideranti, & expendenti textus *in l. sequitur 4. §. 6. & seqq. l. naturaliter 5. l. pignori 13. & passim. ff. h. t.* patebit. Cùm igitur in *cap. ult. h. t.* non eadem sit ratio rerum & jurium, eadem appellatio utrisque non est tribuenda.

62 Resp. III. ex Abbate *ad d. cap. ult. num. 19.* distinguendô conseq. ergo etiam nulla Præscriptio procedit cum scientia juris alieni, si hæc scientia conjuncta sit cum peccato injustitiæ, concedo; secus nego conseq. Ratio distinctionis est: quia S. Pontifex in *eod. cap.* ideò solùm escludit in Præscriptione *scientiam rei alienæ*, quia involvit peccatum injustitiæ, veluti contextus totius capituli indicat: at scientia juris alieni ex *num. 40.* in actionibus personalibus non involvit peccatum injustitiæ: hinc in earum Præscriptione non videtur exclusa rei seu
63 potiùs juris alieni scientia. Ratio autem, cur magis in rebus corporalibus quàm incorporalibus scientia juris alieni involvat peccatum injustitiæ, hæc ab Abbate allegato traditur: quia in rebus alienis (corporalibus) legitimè possessis requiritur regulariter, ut interveniat titulus legitimus seu traditio; & in dubio non præsumitur dominus consentire, ut res sua ab alio possideatur; imò præsumitur potiùs contradicere *arg. l. qui vas 48. §. 3. v. vetare ff. de Furt.* & ideò possidens rem alienam scienter sine domini consensu vitiosè possidet. Econtra 64
in incorporalibus, seu actionibus personalibus præscribendis non requiritur, ut debitor credat se non debitorem, imò quantùmcumque sciat, nihilo minùs præscribit: quia in istis regulariter oritur obligatio à principio ex consensu partium, ut puta, quia mihi mutuâsti *l. sicut 5. Cod. de O. & A.* unde si non solvo, per hoc non sum in mala fide seu peccato: quia ex quo tu non repetis, possum probabiliter præsumere, quòd aut vis donare, aut majorem gratiam in exspectando facere *arg. cap. un. de Commod.* & si stas per tantum tempus, ut Præscriptio compleatur, potiùs est tuæ negligentiæ imputandum, quàm facto meo. Ita in formalibus ferè differit nominatissimus iste Interpres, quem citat & probat Rota coram Emerix *dec. 26. numer. 5. 6. 7.*

Instabis dupliciter I. quòd hæres in Præscriptione 65
legati non tantùm scientiam juris alieni, sed etiam rei alienæ habeat; adeóque contra *num. 31.* præscribere non debeat. II. quòd ex nostris responsioni- 66
bus sequatur, jus eligendi, aut quodcunque aliud incorporale ab aliquo præscribi posse, esto is habeat scientiam juris alieni, seu sciat, quòd jus eligendi ad alium, Collegium nempe aut Monasterium, pertineat. Hoc verò repugnat non tantùm æquitati, sed etiam communissimæ DD. opinioni, etiam in præscribendis juribus incorporalibus bonam fidem exigenti.

Resp. ad I. hæredem non habere scientiam rei 67
simpliciter alienæ, quando habet scientiam rei legatæ: nam legatum ex sua natura tacitam habet conditionem, si legatarius acceptet, ac proinde ante acceptationem jus legatario non quæritur *l. quædam sunt 15. ff. de Rebus dubiis l. legatarius 38. §. 1. l. servum 44. §. 1. ff. de legat. 1.* Et quia legatum non acceptatum perinde habetur, ac si legatum non fuisset *dd. ll.* hinc, legatariô non petente, hæres probabiliter existimare potest, legatum à legatario repudiatum esse, & ad se spectare.

Ad II. dico, punctum controversiæ huc usque 68
in præscribendis actionibus personalibus privativè, seu in extinguendis ejusmodi obligationibus constitisse, in quibus, cùm nulla possessio requiratur, scientia juris alieni peccatum non operatur. At verò in acquirendis juribus incorporalibus, seu positivè præscribendis, requiritur possessio, eaque, si vitiosa sit, ac justô titulô destituta, ex scientia juris alieni peccatum inducit; eâque propter sufflaminat omnem Præscriptionem.

Objicies II. *cap. vigilanti 5. h. tit.* ubi Alexander 69
III. Præscriptionem actionum dilucidè vetat, dum refert, & statuit, *Præscriptionem tricennalem vel quadragenalem ab Ephesino Legislatore* (quis iste fuerit, mirè altercantur Expositores apud *cit.* Gonzal. *in not. ad idem cap. num. 3.*) *solùm propter vitandam miserorum segnitiem & longi temporis errorem & confusionem primitùs introductam, deinceps non ampliùs valituram.* Atqui Præscriptio tricennalis & quadragenalis solùm erat introducta contra actiones personales, ita demonstrante Gonz. *d. loc. in comment. n. 3. & seqq.* & *ad cap. de quarta num. 5. ebd. tit.* Ergo Præscriptio actionum personalium per *cit. tit.* dilucidè est vetita.

Resp. negandô minorem. Cujus oppositum, 70
quòd nimirum Præscriptio tricennalis vel quadragenalis contra solas personales actiones inventa non fuerit, constat ex sæpè adducta *l. sicut & l. omnes Cod. de Præscript. 30. annor.* ibi: *sicut in rem*

spe-

speciales; *ita de universitate ac personales actiones*
71 *&c.* item *nullum jus publicum & privatum &c.* Dicendum potiùs, *in d. cap. vigilanti* Præscriptionem tricennalem quoad reales duntaxat fuisse sublatam. Etenim in materia correctoria tantum censetur abolitum, quantum expressum: sed correctio *d. cap.* tantùm exprimit actiones reales, utpote cùm de iniquis prædiorum possessoribus, contra quos actio realis ser vindicatio competit, loquatur. Ergo de his tantùm accipienda est.

72 Objicies III. vel debitor, obligationis suæ non ignarus, habuit animum solvendi, vel non? Si habuit; non fuit in quasi possessione libertatis, sed creditori suam obligationis activæ quasi-possessionem reliquit; consequenter non fuit in conditione præscribendi: quia Præscriptio sine possessione claudicat. Si non habuit; non egit bonâ fide: *omne autem, quod non est ex bona fide, peccatum est.*

73 Resp. I. retorquendô argumentum: dominus prædii servientis, conscius servitutis, in eodem prædio constitutæ, vel habuit animum præstandi patientiam, si dominus prædii dominantis servitute fuerit usus, vel non? Si prius; non fuit in quasi possessione libertatis, sed domino prædii dominantis suam servitutis activæ possessionem fartam reliquit; sicque non fuit in conditione præscribendi &c. Si posterius; non egit bonâ fide &c.

74 Resp II. debitorem in debito, indeterminatè contracto, habere animum solvendi, si creditor exegerit: attamen ex hoc nullatenus inferri, quòd creditor remaneat in possessione juris activi: partim quia ex dicendis & decidendis *in 3. sect.* in Præscriptione privativa possessio ex parte debitoris non est necessaria: partim quia creditor possessioni suæ renuntiâsse præsumitur, dum jus exercere negligit, cujus possessionem usui & exercitio alligatam esse vel scit, vel scire debet.

75 Objicies IV. Si Præscriptio cum scientia juris alieni modò hactenùs explicatô suum haberet effectum, haberet etiam in casu, quô v. g. aliquis Sempronio vendidit equum, & tradidit, pretium verò totra 30. annos nec petiit, nec recepit. Atqui consequens dici non potest: quia Sempronius absque violatione juris proprietatis & justitiæ commutativæ non potest equum venditum retinere, & pretium conventum non solvere. Ergo &c.

76 Resp. negandô seq. major. Cùm enim emptor mox ad numerandum pretium obligetur, postquàm accepit mercem: eò quòd jus interpellet pro homine, & statim in mora cum obligatione solvendi usoras emptorem constituat: salvâ conscientiâ, cum scientia juris alieni, non potest obtendere Præscriptionem.

77 Colliges hinc: Præscriptionem cum scientia juris alieni toties esse sublatam, quoties obligatio debitoris est definita & restricta ad certum tempus, vel ex hominum conventione, vel ex Legis constitutione: quia, si debitor, præscribere volens, præfixô tempore non solvat, propter interpellationem Juris, quæ æquivalet interpellationi hominis *cap. ult. de Locato & Cond. l. magnum 12. Cod. de contrah. & commit. stipulat.* committit moram culpabilem, & peccat: cum peccato autem non currit Præscriptio, uti sæpiùs jam repetitum est. Contrarius equidem est Hostiensis in *Summa* apud Abbatem *cit. loc. num. 20.* allegatus; sed ex dictis jam sufficienter refutatus manet.

§ IV.

An dubium constituat malam fidem?

Dubium communiter dividitur in practicum & speculativum. *Dubium speculativum* est, quando animus fluctuat de ipso rei dominio, num videlicèt res ad se vel ad alium pertineat? *Dubium practicum* nuncupatur, quando animus præter fluctuationem de rei dominio, de ipsa etiam actione vel omissione circa possessam aut possidendam suspensus manet; puta, cùm hæsitat, num rem hic & nunc emere, vendere, distrahere, possidere, usurpare, concessum sit? Utrumque dubium vel ab exordio Præscriptionis, vel in ejus decursu advenire potest: illud dubium *antecedens*; hoc *superveniens* appellari solet. 78

De utroque dubio molestum ac perplexum instituitur dubium; an non malam fidem constituat, & Præscriptionem vel impediat à principio, vel postea interrumpat? Diversa DD. placita referre, non vacat. Do resolutionem, & 79

Dico I. Dubium speculativum superveniens Præscriptioni, jam cœptæ, non constituit malam fidem, Præscriptionis impeditivam. Magnific. P. Kónig *h. t. num.* 38. Engel *ibid. num.* 14. Covarruv. *cit. p.* 2. §. 7. *num.* 3. Schambogen *ad pr. J. h. t. pag. m.* 286. Rath *assert.* 35. & communissima DD. Probatur: quia cum dubio speculativo potest stare bona fides, seu credulitas animi, opinantis, rem alienam non esse: cùm enim in dubio melior sit conditio possidentis *cap. in pari* 65. *de R. J. in 6. l. in pari* 128. *ff. eôd.* is, qui cœptâ possessione & cœptâ Præscriptione dubitat, num res sua, an aliena sit, potest prudenter se resolvere, quòd practicè hic & nunc possit rem tanquàm propriam possidere: quia ipsô Jure illius causa tanquàm melior approbatur. 80 81

Confirmatur partim ex *num.* 26. ubi diximus, possessionem bonæ fidei etiam tunc censeri, quando quis scit rem esse alienam, sed tamen authoritate Legis possidet; qualiter reverà possidet, qui post Præscriptionem cœptam incipit dubitare speculativè de rei dominio per citatas Juris Regulas: partim ex *n.* 40. ubi probavimus, solam fidem malam, peccatô injustitiæ infectam, obstare Præscriptioni; sed dubius speculativè non habet malam fidem, peccatô injustitiæ infectam: quia ex possessione potest sibi firmare & formare dictamen practicum de licita rei detentione, usu, & dispositione: partim denique ex *l. ult. Cod. de R. V.* quæ non vult possessorem rei alienæ priùs ad restitutionem compelli, quàm adversarius suam intentionem probaverit. 82 83 84

Dico II. Neque dubium antecedens probabiliter impedit Præscriptionem. Ita contra plurimos sentiunt P. Engel *ubi supra* & Vasquius *Illustr. Contr. l.* 2. *cap.* 77. *num.* 3. 4. & 5. Probatur I. Dubium speculativum superveniens non impedit Præscriptionem. Ergo nec antecedens. Prob. conseq. quia etiam cum dubio antecedente potest stare bona fides seu credulitas animi, opinantis rem alienam non esse: eò quòd emptor v. g. prudenter possit credere, venditorem fuisse dominum: partim quia scit, venditorem fuisse in possessione, & sic meliorem quôcunque non-possidente conditionem habuisse: partim quia Juris præsumptio non permittit, ut emptor in dubio venditorem arguat possessorem malæ fidei *arg. l. penult. Cod. de Evict.* Stante autem tali opinione, sequitur judicium practicè certum de honestate contractûs & traditæ ex contractu possessionis. 85

Probatur II. Sinè dubio speculativo rarissimè incohatur Præscriptio. Ergo dubium speculativum 86

non

non impedit Præſcriptionem, necdum cœptam. Conſeq. patet: quia Præſcriptio in utroqua foro eſt frequentiſſima; proindeque, ſi per dubium ſpeculativum redderetur aut rariſſima aut difficillima, oportet admittera initium Præſcriptionis cum dubio ſpeculativo. Antecedens probat. rariſſimè contingit, ut emptor v. g. certò & infallibiliter credat, rem emptam fuiſſe in vero venditoris dominio: nam ſi quis fundum emit à Titio, Titiuſque à Sempronio, & Semproniua à Mævio, adhuc etiam per interventum iſtorum omnium totque titulorum non ſequitur, nec probatur neceſſariò, in emptorem fundi dominium tranſiiſſa: quia non apparet, an Titiua, qui vendidit, dominus fuerit; nec apparet, quòd Sempronius, qui Titio priùs vendidit, dominus extiterit, & ſic de ſingulis. Ergo, qui fundum emit à Titio, non juſtè deſinet dubitare, an dominium fundi comparaverit: quandoquidem quòd Titius fuerit dominus, eidem conſtare non poteſt. Quamobrem in amptione-venditione ordinariè exiguntur & præſtantur cautiones de evictioue, certè non alia ex cauſa, ac quia emptor de rei dominio non eſt certus. Ergo ordinariè ab initio Præſcriptionis concurrit dubium ſpeculativum.

87 Probatur III. Vel dubium antecedens eſt negativum, vel poſitivum? Si negativum, hoc eſt, ſi rationes pro utraque contradictionis parte appareant, ſed non ſufficientes; rectiùs quis ſanè judicat, rem, quam apprehendere cupit, illius eſſe, à quo accipit: quia ex *n.* 85. quilibet in dubio bonæ fidei poſſeſſor præſumitur. Si poſitivum ſit dubium, hoc eſt, ſi rationes probabiles pro utraque contradictionis parte ſufficientes ad prudentem aſſenſum ſe ſe prodant; profectò judicium prudens exinde deducitur, quòd author, à quo rem accipio, ſit dominua aut ſaltem bonæ fidei poſſeſſor: ſicque prudenter & licitè poſſeſſionem arripio.

88 Confirmatur ex diſcurſu, quem adornat præfatus Vaſquius, quòd nempe credulitas, quâ quis judicat, rem alienam non eſſe, non debeat eſſe nimia: nam & is, qui emit à pupillo, quem puberem eſſe putabat, uſucapere dicitur *in l. pro emptore* 2. §. *ſi à pupilla* 15. *ff. pro empt.* neque ſupponitur, quòd adhibuerit exactam adeò diligentiam, ut noſceret, pupillúſne eſſet an pubes? Item qui à furioſo emit, quem ſanæ mentis exiſtimabat, præſcribit *d. l. pro emptore* §. *ſi à furioſo* 16. nec ſimiliter exacta ibi diligentia requiritur, per quam appareat, eum juſtiſſimam cauſam errandi habuiſſe. Adhæc, qui rem à ſervo vel procuratore, cui mandatum de emendo dederat, accipit, præſcribit, licèt ille reverà non emiſſet, ſed tantùm emiſſe ſe fuiſſet mentitus *l. quod vulgò* 11. *ff. eôd.* quamvis de mendacio magis inquirere potuiſſet. Sufficit igitur talis credulitas, quâ prudenter quia ſibi perſuadet, rem præſcribendam non eſſa alienam; quam facilè poteſt formare, qui dubios hæret ſpeculativè.

89 Dico III. Cum dubio practico non poteſt inchoari Præſcriptio. Quoad hanc partem omnes fortè DD. in re conveniunt. Probatur I. ex *l. ſi fur.* 32. §. 1. *ff. h. t.* ubi JCtus, *ſi quis*, inquit, *id, quod poſſidet, non putat ſibi per Leges licere uſucapere; dicendum eſt, etiamſi erret, non procedere tamen ejus uſucapionem; vel quia non bonâ fide videatur poſſidere; vel quia in Jure erranti non procedat uſucapio.* Sed, qui practicè dubitat, non putat, ſibi per Leges licere uſucapere: alioquin dubium excuteret, & per dictamen practicum ad licitam rei detentionem ſe determinaret. Ergo cum dubio practico non poteſt inchoari Præſcriptio.

90 Et quamvis *alleg. text.* de dubio ſuperveniente, non antecedente, videatur loqui, majori tamen argumentô ad propoſitum conducit: quia, ſi Præſcriptio, jam inchoata, per ſuperveniens dubium practicum compleri nequeat, multò minùs necdum cœpta exordium capiet.

91 Probatur II. Dubium practicum, antecedens Præſcriptionem, tollit bonam fidem. Ergo etiam initium tollit Præſcriptionis, ut pote quæ, bonæ fidei adminiculô deſtituta, radices agere non valet. Antecedens prob. quia cum dubio practico non poteſt haberi credulitas ſeu judicium ac prudens opinio, rem poſſeſſam alienam non eſſe: eò quòd practicè dubitans non judicet, rem alienam non eſſe, vel uſum illius rei ſibi non eſſe vetitum, hôc ipſô, quòd in dubio perſeveret. Ergo dubium practicum, antecedens Præſcriptionem, excludit bonam fidem.

92 Promovetur diſcurſus. Implicat, ſuſpendere judicium, & ſimul non ſuſpendera. Sed, qui dubitat practicè, ſuſpendit judicium; qui autem in bona fide eſt, tollit ſuſpenſionem, & actu judicat, rem alienam non eſſe. Ergo implicat, dubitare practicè, & ſimul habare bonam fidem.

93 Imò, inquies, qui eſt in bona fide, judicare non debet, rem alienam non eſſe, modò rei alienæ conſcientiam ſeu ſcientiam certam non habeat per *cap. ult. h. t.* jam toties adductum, ubi ſolummodò poſtulat Jus Sacrum, *ut, qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ.* Sed

94 Contra eſt I. quia ex eo, quòd præſcribens non debeat habere conſcientiam rei alienæ, rectè infertur, quòd debeat habere conſcientiam, quæ judicet, rem alienam non eſſe: ex eo enim, quòd ſcientia rei alienæ conſtituat malam fidem, legitimè deducitur, quòd ſcientia ſeu judicium, dictans, rem alienam non eſſe, conſtituat bonam fidem. Ergo, qui dubitat practicè, non eſt in bona fide: quia non habet ſcientiam ſeu judicium dictans, rem alienam non eſſe. Hinc, licèt dubitans practicè fortè non ſit in mala fide propriè dicta, attamen nec eſt in bona fide: ſed *ſinè bona fide nulla valet Præſcriptio d. cap. ult.*

95 Contra eſt II. quia, dum Pontifex vult præſcribentem carere conſcientiâ rei alienæ, vel ſimul petit judicium & dictamen prudens in operando ex parte præſcribentis, vel non? Si hoc; fruſtra tam anxiè caſtigat Jus Civile, quòd admiſerit Præſcriptionem cum peccato, ſi & ipſe admittat Præſcriptionem cum dubio practico, quo cum operari ſinè peccato non licet, ut habet communis Theologorũ cum Clariſſ. P. Mezger *Theol. Schol. tract.* 5. *diſp.* 12. *art.* 1. *n.* 6. Si illud; non tantùm conſcientiam certam de re aliena, ſed etiam practicè dubiam eliminet, neceſſe eſt: quia illa operatio non eſt prudens & honeſta, cui deeſt proxima prudentialis regula honeſtatis juxta Apoſtolum, ab eodem P. Mezger citatum, & aptè huc citandum, qui, *quod non eſt ex fide*, hoc eſt, actuali conſenſu & credulitate, quòd aliquid ſit licitum, *peccatum* eſſe, pronuntiat. Sed operationi, quæ exercetur à practicè dubitante de honeſtate ipſius, deeſt illa regula proxima. Ergo &c.

96 Contra eſt III. quia de Jure Canonico in ordine ad bonam vel malam fidem præſcribentis non poteſt dici plus conceſſum, quàm de Jure Civili: alioquin nulla ſuaſiſſet ratio, ut Pontificiô calamô Leges Civiles obliterentur. At de Jure Civili non conceditur Præſcriptio, niſi quis judicet, licere ſibi per Leges uſucapere ex *n.* 89. Ergo de Jure Canonico non erit conceſſa Præſcriptio, niſi tale judicium præſcribens ſibi conſtituat.

97 Urgebis! etiam ſpeculativè dubius ſuſpendit aſſenſum: adeóque non poteſt ſecum compati judicium prudens ſeu credulitatem, rem alienam non eſſe. Sicut ergo, non obſtante hujus judicii defectu, præſcribit; ſic dubius practicè præſcribere valebit.

98 Reſp. magnam intercedere diſcrepantiam inter

casum unum & alterum. Qui dubitat speculativè, potest simul in praxi & actu exercito de honestate operationis prudenter judicare, se licitè & honestè operari: licèt enim (loquor cum P. Mezger *cit.*) dubium practicum regulariter & per se loquendô oriri soleat ex dubio speculativo, tanquàm proprietas ex essentia; nihilominùs ex speciali ratione, titulo, & circumstantia dubium speculativum ejusve influxus in practicum per accidens tollitur, ita ut judicium practicè certum de honestate operationis
99 sequatur. Ita miles, non obstante dubiô speculativô de justitia belli, ex speciali ratione, quòd, cùm ipsius non sit, hoc dubium determinare, stare possit judicio Principis vel Reipublicæ, format certum judicium, sibi hîc & nunc esse licitum, bellare. Ita præscribens (ut ad scopum redeam) quamquàm speculativè ambigat, fueritne author, a quo fundum v. g. accepit, dominus? ex speciali ratione, quòd communiter habitus sit pro domino; quódve difficile sit, certò scire verum rei dominum; & quòd in dubio quilibet censeatur bonâ fide possidere, potest sibi facere judicium certum, hîc & nunc sibi licere, fundi possessionem arripere. Sed, qui practicè dubitat, eô ipsô, quòd fluctuet de honestate operationis, non potest habere judicium practicè certum, licere sibi hîc & nunc agere, disponere, possidere &c. Ergo non tam facili modô præscribit, quàm præscribere potest dubitans speculativè.

100 Dico IV. Cum dubio practico, probabilius ne quidem continuari potest Præscriptio, nisi dubium à præscribente deponatur. P. Konig *d. n.* 38. P. Mezger *tr.* 11. *disp.* 27. *art.* 3. *n.* 14. Dominicus de Soto *de J. & J. lib.* 4. *q.* 5. *n.* 4. *p. m.* 334. Fachinæus *l.* 1. *controv. cap.* 65. *prope finem.* Rachi *d. cap.* 2. *assert.* 36. & *assert.* 37. ac novissimè Clariss. P. Schmalzgrueber ad *cit. tit. n.* 65. & alii quàm plures. Probatur I. Conclusio ex rationibus, pro 3. conclu-
101 sione primùm adductis. II. Ex speciali ratione, quæ etiam roborandæ eidem conclusioni inservit, puta ex peccato, quod sequitur necessariò ex operatione cum dubio practico ex *n.* 95. Atqui cum peccato non potest consurgere Præscriptio. Ergo nec cum dubio practico. Minorem fortassis nonnemo distinguet, dicendô: cum peccato non consurgere Præscriptionem, si sit peccatum injustitiæ, conceditur, si aliud sit peccatum, nega-
102 tur. Atqui (subsumo ego) cum dubio practico in præscribente necessariò concurrit peccatum injustitiæ. Ergo Præscriptio non consurgit. Prob. subsumptum: qui exponit se periculo peccandi, peccat eô genere peccati, cujus periculo se exponit, veluti ex traditione Theologorum, in specie P. Mezger *in n.* 52. relati, nec non P. Layman. *Theol. Moral. lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 5. §. 1. *n.* 3. certum arbitror. Sed, qui cum dubio practico de licititate possessionis præscribere intendit, exponit se periculo peccandi contra justitiam: quia insistendô possessioni injustæ violat jus alterius. Ergo peccat peccatô
103 injustitiæ. Minorem si rursus distinguas, & dicas, præscribentem cum dubio practico exponere se periculo peccandi *affectivè* tantùm, non verò *effectivè*: utpote cùm in dubio melior sit possidentis conditio; adeóque & eô sensu, id est, *affectivè* non *effectivè* peccare contra justitiam: id verò non obesse Præscriptioni; alioquin pari jure inferendum, usucapionem impediri, si rem alienam animô avarô aut arroganti possideam.

104 Sic insto: *quod non est ex fide, peccatum est*, & impedit Præscriptionem *d. cap. ult.* Sed possessio, quæ continuatur cum dubio practico, non est ex fide, seu, non fit cum actuali consensu & credulitate, quòd insistentia seu continuatio possessionis sit licita. Ergo est peccatum, licèt affectivum, & impedit Præscriptionem. Ad hæc Jus Civile eatenùs 105
à Canonico est correctum, quatenùs fovet peccatum, & lædit animam, admittendô Præscriptionem cum dubio practico, sive dicatur peccatum injustitiæ affectivum, sive effectivum: quoniam in ordine ad DEUM & læsionem animæ peccatum jam est perfectum. Ergo, quatenùs Præscriptio est infecta etiam dubiô practicô, est prohibita.
Prætereà jus non fovet peccatum, esto permittat 106
Præscriptionem ex parte illius, qui avarô aut arroganti animô possidet: quia affectus ille inordinatus habet se planè per accidens in ordine ad Præscriptionem. Sed fovet peccatum, si permittat Præscriptionem ex parte dubitantis practicè: quia dubium de licititate & honestate possessionis per se influit in Præscriptionem, afficiendô & inficiendô unum ex principalibus requisitis, nempe bonam fidem, eamque secundùm probata à *n.* 80. penitus destruendô. Ergo cum peccato injustitiæ, saltem affectivè ex dubio practico scaturiente, non continuatur Præscriptio, esto cum peccato alterius generis continuetur.

Oppones I. cum dissentientibus, quorum ve- 107
xilla sequuntur P. Engel *ad h. t. num.* 14. Gletle *in assert. Jurid. assert.* 74. Molina apud Pirhing hic *numer.* 57. qui non habet conscientiam rei alienæ, præscribere non prohibetur, *arg.* à contrario sensu *cap. ult. h. t.* Sed qui dubitat practicè, non habet conscientiam rei alienæ. Ergo &c.

Resp. distinguendô majorem: qui non habet 108
conscientiam rei alienæ vel certam vel dubiam, concedo majorem: certam tantùm, nego majorem. Sed, qui dubitat practicè, non habet conscientiam rei alienæ, dubiam, nego minorem; certam, concedo minorem, & nego conseq.

Sed conscientia dubia, subsumis, non est pro- 109
priè, sed reductivè tantùm conscientia. Ergo cum illa Præscriptio non prohibetur: quia in materia odiosa, qualis in præsenti est correctio Juris termini in propria significatione sunt accipiendi. Resp. 110
transmittendô subsumptum, & negandô conseq. & ad probat. dico, etiam in materia odiosa terminos secundùm intentionem & mentem Legislatoris esse accipiendos: cùm non *debeat intentio verbis, sed verba intentioni deservire cap. secundò requiris* 41. *de Appellat.* & *scire Leges non sit verba callere, sed vim & potestatem l. scire* 17. *ff. de LL.* junctâ *l. scire* 13.
§. 2. *ff. de Excusat. Tut.* Sed spectatô fine Legislato- 111
ris in *d. cap.* nomine conscientiæ voluit etiam comprehendere dubiam: partim, quia conscientiam rei alienæ *illæsam* petiit, atque à peccato immunem, uti ex antecedentibus colligere est: partim quia noluit Præscriptione, quocunque injustitiæ peccatô maculatæ, propensiùs favere, quàm Legislator politicus, qui in *supra alleg. l. si fur* 32. §. 1. *ff. h. t.* dubium de rei possessione favore Præscriptionis indignum judicavit: partim denique, quia ex connexione & discursu *in d. cap.* videtur Summus Pontifex totô Præscriptionis tempore bonam fidem exegisse, & conscientiam rei alienæ in tantum proscripsisse, in quantum bonæ fidei est contraria. Sed etiam conscientia dubia bonæ fidei est contraria ex dictis. Ergo &c.

Oppones II. Tamdiu quis bonæ fidei possessor 112
est, quamdiu ignorat alienum, ut inquit D. Augustinus in *cap. si virgo* 5. *XXXIV. quæst.* 2. Sed dubitans practicè ignorat, rem possessam esse alienam. Ergo est bonæ fidei possessor.

Resp. I. Covarruv. *d. p.* 2. §. 7. *n.* 4. verbum 113
ignorat. in d. cap. „ intelligendum esse de ignoran-
„ tia *positiva*, quâ quis errat, credens rem, quam possi-

„ possidet, proprium esse, cùm sit aliena; non verò „ de ignorantia negativa, quâ quis dubitat, rem esse „ suam: hic enim intellectus patet ex similitudine, „ quâ utitur ille textus prioris casûs ad sequentem „ de illô, qui reo carnalem habuit cum illa, quam „ ignorat ante cum alio matrimonium contraxisse. „ Nam, si posterior hic casus de dubitante esset in„ telligendus, procul dubiô mortale adulterii cri„ men esset hæc fornicatio, quod ille textus negat. „ Unde uterque casus non de dubitante accipien„ dus est, sed de ignorante verâ quidem & positivâ „ ignorantiâ. Sic Covarruvias, cujus authoritas & doctrina singularis est.

114 Resp. II. breviter cum distinctione majoris: tamdiu quis bonæ fidei possessor est, quàmdiu ignorat alienum, ignorantiâ illæsâ, & à peccato liberâ, concedo majorem; ignorantiâ læsâ, & à peccato non liberâ, nego majorem. Sed prolixè hactenùs demonstratum est, ignorantiam cum dubio practico de illicita rei retentione non esse illæsam, nec à peccato liberam. Ergo non potest constituere, aut conservare possessorem in bona fide. Unde citatus Sotus bene dicit, bonam fidem esse idem, quod sanam & quietam; sanam verò non esse & quietam, quæ vulnus habet conscientiæ.

115 Dixi tamen in conclusione: *nisi dubium practicum à præscribente deponatur.* Est enim communissima, non Juristarum solummodò, sed Theologorum etiam judiciô comprobata sententia, quòd possessor dubius de jure dominii seu proprietatis, si nequeat adhibitâ diligentiâ dubium vincere, nihilo minùs ex titulo possessionis certam conscientiam, depositô dubiô, formare possit, quòd sibi licitum sit, rem possessam retinere, illâ uti, alienare &c. ex regula, quæ enuntiat, in pari causa meliorem esse conditio-

116 nem possidentis *cap. in pari 65. de R. J. in 6.* Potest quippe possessor ita secum ratiocinari: *qui præsumitur dominus rei, estque melioris conditionis præ omni alio competente, rectè retinet rem illam, eâque utitur: sed ego jure possessionis præsumor esse dominus hujus rei, & sum melioris conditionis præ omni alio competente: ergo licite retineo, & utor re ista.* Imò P. Engel, paulò ante pro sententia contraria commendatus, *plerumque*, scribit, *dubitans, & non dimittens possessionem, practicè se resolvit, solô dubiô speculativô retentô.*

§. V.

De Errore Juris.

117 Excussô & resolutô dubio de dubitante in Præscriptione, nova emergit de bona fide quæstio: an & quomodò error Juris eam impediat, sicque Præscriptionem suô effectu defraudet? Ubi

118 Sciendum I. hîc non agi de errore facti, quem, nisi aliud obstet, cum Præscriptione esse compatibilem, de concordi omnium sententia testatur Haunold *cit. tr. 5. cap. 2. n. 195.* Estque res decisa *in l. Juris ignorantiam 4. ff. de Juris & facti ignor.* Sed agitur de errore Juris, qui tunc intervenit, quando aliquis sibi imaginatur, hoc aut illud negotium, hunc vel illum actum à Jure permissum esse, cùm tamen permissus non sit.

119 Sciendum II. errorem Juris posse versari vel circa Jus clarum, vel circa Jus controversum & dubium: v. g. si quis existimaret, pupillum se solô posse vendere, esset in errore Juris clari, certi, & à nullo hactenùs impugnati. Quòd si alius sibi persuaderet, relicta sibi in testamento imperfecto, posse securâ conscientiâ acceptari, foret in errore Juris dubii, controversi, & ut loquuntur alii, multipliciter intelligibilis.

120 Sciendum III. reperiri homines, quibus & ignorantia & error in Jure permittitur. Hinc in censum referuntur minores 25. annis, & milites, quibus ignorantia & error in Jure prodest, non tantùm, ne damnum sufferant, sed etiam ut compendium ferant *l. regula 9. in pr. & §. 1. ff. eôd. tit.* Fœminis quoque ignorantia Juris favet, si certent de vitando damno, ut habetur *in l. ult. Cod. d. t.* in compendiis tamen, non nisi in casibus expressis juvantur *d. l. regula in pr. & l. quamvis 11. Cod. eôd.* In rusticis præterea ignorantia in quibusdam materiis toleratur, toties nempe, quoties damnata ad silvas capita (uti in *3. part. ff. cap. 7. n. 10.* succinctè prologuitur Glosle) commiseratione digna Judex æstimaverit *per l. quâ quisque 1. §. ult. ff. de Edendo l. ult. Cod. de Testam.* His præcognitis,

Dico I. Error Juris dubii & controversi nunquam impedit Præscriptionem. Panormit. *ad cap. de quarta 4. h. t. n. 12.* P. Engel *eôd. tit. n. 15.* D. Rath *assert. 46.* ubi duplex Inclytæ Facultatis Juridicæ Ingolstadiensis responsum allegat. Ratio est: quia 121
error Juris, de quo inter ipsos quoque Legis peritos est controversia, utique non pœnam sed excusationem meretur; præsertim cùm ex varietate opinionum in rebus moralibus circa intellectum alicujus Legis non tam mala fides quàm judicium probabile de honestate actus exoriatur. Qua etiam ex ratione factum arbitror, quòd ex communi DD. calculo (ita perhibet D. Rath, solô ferè, ut ait, Harpprecht, frustrà & improbabiliter dissentiente) error Juris dubii errori facti sit æquiparatus. 122

Dico II. Error Juris clari & certi impedit Præscriptionem ordinariam tam in foro interno quam externo, illis personis exceptis, quibus ignorantia Juris nec in damno nec in lucro obest. Ita post Molinam, Lessium, Laymann, Magnif. P. Konig *h. t. n. 36.* Haunold n. 198. Rath *assert. 44.* & communior contra Medinam *tract. de Contract. quæst. 17.* & P. Pirhing ad *h. t. sect. 2. §. 5.* existimantes, errorem Juris non aliter obstare Præscriptioni, ac si cum peccato fuerit conjunctus. Ratio est I. quia 123
Præscriptio, quamquàm & Naturæ & Gentium authoritate juxta nostram sententiam inventa, nequit illis prodesse, quibus prodesse noluit Lex positiva Civilis: quemadmodùm enim hæc ex præeminentia & amplitudine suæ potestatis quosdam, ex Naturæ & Gentium Jure habiles ad dominium, certis ex causis universaliter inhabilitare valet; ita longè majori titulô efficere potest, ne dominium alicui in casu particulari ob defectum certæ conditionis acquiratur. Atqui Lex positiva Civilis noluit, Præscriptionem illis prodesse, qui errant in Jure claro & certo, veluti evincit textus rotundus *in d. l. 4. ff. de Juris & facti ignor.* ibi: *Juris ignorantiam in usucapione negatur prodesse.* Cui adstipulatur textus æquè stringens in *l. 31. pr. ff. h. t.* ibi: *nunquam in usucapionibus Juris error possessori prodest.* Et meritò noluit: 124
ut nempe homines ad Jura, præsertim negotium, quod ipsis agendum incumbit, concernentia, addiscenda, & intelligenda, vigilantiores & diligentiores fierent; sicque facilius & feliciùs politica vitæ societas propagaretur. Ergo reverà Jus ignorantibus Præscriptio non prodast. 125

Neque satisfaciet Medina *alleg. LL.* de præsumptione malæ fidei interpretandô, quasi Leges ex allegatione erroris in Jure, scientiam Juris intervenisse, præsumant. Nam refellitur hæc interpretatio ex *l. pro emptore 2. §. 15 ff. pro Empt.* ubi ista statuitur: *quòd si scias, pupillum esse, putes tamen, pupillis licere, res suas sine authoritate tutoris administrare, non capies usu, quia error Juris non prodest.* Supponitur itaque in casu hujus *L.* vera Juris manifesti ignorantia, nec præsumitur pal mala 126 127

ejus scientia; ideóque responsio Mediniana non subsistit.

128 Ratio est II. Qui titulô destituitur, nec in foro interno nec externo præscribit, etsi Theologicè in bona fide existat: ideò scilicèt, quia, quos Jura reddunt incapaces dominii sive in genera siva in particulari, nequeunt dominium aut exercere aut acquirere, sive forum internum, sive externum spectemus. Sed, qui errat in Jure, destituitur titulô, ut patet in eo, qui cum pupillo sinè authoritate tutoris contrahit juxta *d. l. pro emptore* 2. contractus enim invalidus est, & per consequens inutilis ad conferendum titulum. Ergo cum errore Juris nec in foro externo nec interno quispiam præscribit.

129 Objicies cum P. Pirhing: ex ignorantia Juris præsumitur à Jure mala fides *cap. qui contra* 82. *de R. J. in* 6. ibi: *qui contra Jura mercatur, præsumitur bonam fidem non habere*: quia in foro externo ignorantia Juris non præsumitur esse inculpabilis, sed culpabilis juxta aliam Regulam in *d. l. Juris* 4. *ff. de Juris & facti ignor.* ubi habetur, quòd *ignorantia facti non Juris excusat*: & tamen in foro externo etiam ignorantia Juris, si sit invincibilis, excusat à culpa & pœnis spiritualibus. Ergo à potiori si in foro conscientiæ cellet ea præsumptio Juris, & præscribens inculpatè & invincibiliter ignoret Juris constitutionem, & à pœna excusabitur, & Præscriptionis beneficiô gaudebit.

130 Resp. I. transmittendô totum discursum, & ultimam illationem negandô: nam ex invincibili Juris ignorantia potest aliquis liberari à culpa & pœnis spiritualibus, sicut & à pœnis temporalibus per *l.* 7. 8. *&* 9. §. 3. *ff. d. t.* sed lucrô non afficitur, uti in iisdem *LL.* continetur. At beneficium Præscriptionis est indubitatè lucrosum. Ergo errantibus & ignorantibus in Jure non prodest.

131 Resp. II. negandô suppositum objectionis, quòd
Leges, reprobantes Præscriptionem cum errore Ju-
ris, se fundent in præsumptione culpabilis & quæ-
sitæ ignorantiæ, adeóque malæ fidei: nam, ut ve-
rissimè sentit P. Engel *cit. n.* 15. potiùs in fictione
quàm præsumptione hæ *LL.* consistunt, dum er-
rantem in ficta mala fide constituunt, & nolunt, ut
error Juris ad lucrum & commodum præscribentis
132 conducat. Rationes hujus fictionis suggerit Hau-
nold *n.* 202. inprimis ut lites faciliùs terminaren-
tur. Deinde ut hujusmodi litium multiplicatio præ-
scinderetur, quæ utiqua plures nascerentur, si
spes esset, in judicio vincendi beneficiô ignoran-
tiæ Juris; quàm si constet, hanc non admitti.
Denique ne fraudibus & peccatis ansa daretur;
quod tamen fieret multipliciter, si ignorantia Juris
non obstaret Præscriptioni &c. Vide ipsummet Au-
thorem. Ingens verò inter *præsumptionem* Juris
& *fictionem* discrimen esse, demonstrat idem Engel
ad *tit. de Præsumpt. num. pen. & ult.* & nos in *tom.*
133 2. *lib.* 2. *tr.* 3. *cap.* 8. Huc facit *l. ubi Lex* 24. *ff. h.*
t. ubi liquidò pronuntiat JCtus, *bonam fidem nihil*
operari, ubi Lex inhibet usucapionem. Ad eundem
finem collimat *l. quemadmodùm* 7. *Cod. de Agricol.*
censitis &c. lib. 11. ubi dicitur: *malæ fidei possesso-*
rem esse, nullus ambigit, qui aliquid contra Legum
interdicta mercatur.

134 Dixi tamen in conclusione: *illis personis exceptis, quibus ignorantia Juris nec in damno nec in lucro obest*: uti enim alia Juris beneficia participant; ita dubium non est, quin Præscriptionis commodô potiantur.

135 Dico III. Error Juris certi & clari non impedit Præscriptionem extraordinariam. Magnif. P. König *d. n.* 37. Brunnem. ad *l.* 31. *ff. h. t. n.* 3. Covarruv. *d. p.* 2. §. 7. *n.* 6. Haunold *n.* 203. Rath *assert.* 43. Gilcken de *Præscr. part.* 2. *membr.* 2. *cap.* 3. *n.* 8. P. Illsung *Theol. Pract. disp.* 2. *n.* 291. Clariss. P. Schmalzgrueber ad *cit. tit. sub n.* 68. contra Molinam *disput.* 64. Fachinæum *lib.* 8. *Controv. cap.* 28. Engel *cit. loc.* & alios. Probatur. Si ignorantia Juris certi impediret Præscriptionem extraordinariam, id proveniret ex determinatione vel Juris Civilis, vel Canonici? Neutrum dici potest. Non
primum: quia in Præscriptione extraordinaria ne
vera quidem mala fides impedimentum creat, ut
quæ solâ temporis diuturnitate vires capit. Non 136
secundum: quia Jus Canonicum in materia ad-
iaphora non dedignatur Leges imitari, si eâdem
in materia peculiare disponat nihil. Est autem
materia adiaphora, utrùm cum errore Juris (sup-
ponitur esse inculpatus) valeat Præscriptio? &
Jus Canonicum eadem in materia nihil disposuit.
Ergo &c.

Dices I. Error Juris in Præscriptione nunquam prodest. *l. nunquàm* 31. *ff. h. t. cum concord.* Ergo neque in Præscriptione extraordinaria. 137

Resp. I. negandô suppositum, quòd error Juris in Præscriptiona extraordinaria quidpiam prosit: magis siquidem tenendum, quòd non obsit. Ex quo enim in tali Præscriptiona de Jure Civili, unde desumitur objectio, nec bona fides, nec titulus requiritur, error Juris in veriori significatione non prodesse, sed non obesse, dicendus est.

Resp. II. dictionem *nunquam* ultra intentionem Legis operari non posse: intentio autem *d. l.* 31. non fuit, submovere Præscriptionem extraordinariam, ut quæ de Jure Digestorum, in quibus eadem *L.* comprehenditur, non erat cognita. Gilcken *d. c.* 3. *n.* 17. 138

Dices II. Etiam Jure Codicis in *d. l. quemadmodùm* 7. *de Agricol. censit. &c.* de errore Juris statuitur, quòd Præscriptioni obicem ponat. 139

Resp. in memorata *L.* sermonem esse de Præscriptione longi temporis; adeóque argumentum, exinde fabricatum, non tam nocere quàm favere intento nostro. D. Rath *assert.* 42. *L. B.*

§. VI.

Quidnam operatur bona vel mala fides Authoris respectu Successorum?

Nomine *authoris* intelligitur ille, à quo rem habemus; nomine autem *successoris*, qui rem ab alio habet. Et hic duplex est; alius *universalis*, qui succedit in universitatem quandam, puta in hæreditatem, quæ continet universitatem jurium, corporalium & incorporalium, activorum & passivorum &c. unô verbô, successor universalis est hæres, vel bonorum possessor, sive deinde in tota hæreditate sive in parte tantùm succedat. Alius est *singularis*, qui in re singulari, certa & determinata, ex titulo particulari, emptionis, donationis, legati &c. succedit. De utroque successore nunc enodanda erit quæstio, in titulo §. proposita. Hinc 140

Dico I. Bona fides authoris prodest successori tam singulari quàm universali, ita ut accessione temporis uti, illudque tempus, quô author in possessione fuit, ad complendam Præscriptionem computare valeat. Conclusio est certa ex §. *diutina* 12. *Inst. h. t.* Ratio est: quia author vult & potest omne jus, quod habuit, in successorem transferre. Sed inchoatio possessionis & Præscriptionis cum bona fide est jus, quod author habuit. Ergo vult & potest illud in successorem transferre. Quòd si vult & potest, re ipsâ transfertur. 141

Dico II. Mala fides authoris in tantum nocet successori universali, ut nec accessione temporis uti, nec Præscriptionem (saltem longi temporis) à se 142

ipso

ipso inchoare possit. Ita communiter doceri solet contra Corvinum, Vultejum, & alios paucos. Adstipulatur Rota Rom. in *recent. p.* 18. *tom.* 1. *dec.* 17. *n.* 13. Probatur I. ex *l. cùm hæres* 11. *ff. de Divers. tempor. Præscript.* ubi disertè cavetur, *ignoratione hæredis*, qui in omne jus defuncti succedit, *defuncti vitia non excludi*, & ideò *usucapi ab ipso non posse, quod defunctus* ob malam fidem *usucapere non potuit.* Ergo mala fides authoris in tantum nocet successori universali, ut ne quidem à se ipso Præscriptionem inchoare possit: alias malè dixisset JCtus, hæredem usucapere non posse, quod defunctus ob malam fidem non potuit. Æqualem huic textum præbet Imperator in *d.* §. *diutina Inst. h. t.* ibi: *quòd si ille* (defunctus) *initium justum non habuit, hæredi & bonorum possessori, licèt ignoranti, possessio non prodest.*

143 Probatur II. Tantum operatur mala fides ficta in hærede in ordine ad Præscriptionem de Jure Civili, quantum vera mala fides in defuncto: quia ob moralem utriusque unitatem *vitia possessionum à majoribus contracta perdurant, & successorem authoris culpa comitatur*: sunt verba *l.* 11. *Cod. de A. vel A. P.* Sed mala fides vera in defuncto operabatur, ne possit longô tempore præscribere. Ergo mala fides ficta in hærede operabitur, ne & ipse tantô tempo-
144 re præscribere valeat. Certè, si quis hanc L. ita explicare vellet, quòd mala fides defuncti tantùm non prosit, non verò quòd etiam noceat hæredi, isque Præscriptionem à se ipso cum bona fide auspicari possit; redderet eandem *L.* elusoriam, utpote de casu conceptam, de quo anteà dubitaverat nemo.

145 Ista tamen conclusio in quibusdam casibus est limitanda. Primus est, si hæres ex alio superveniente titulo possideat rem, à defuncto malâ fide possessam; tunc enim à puncto acquisiti tituli possessionem computandô, potest habere initium Præscriptio *l. an vitium* 5. §. 1. *ff. de Divers. temp. Præscript.* cujus est hæc facti species & decisio. *Ex facto propositum est, quendam, cùm rem pignori dedisset, eandem distraxisse, hæredemque ejus redemisse: quæritur, an hæres adversùs pignoris persecutionem exceptione longæ possessionis uti possit?* Dicebam (respondit Ulpianus) *hunc hæredem, qui pignus ab extraneo redemit, posse exceptione uti: quia in extranei locum successit, non in ejus, qui pignori dederat: quemadmodum si ante redemisset, sic deinde hæres extitisset.* Haunold *n.* 213. Vasquez *lib.* 2. *cap.* 73. *n.* 17.

146 Alter casus est in hærede *mediato*, seu hæredis hærede: huic siquidem nec mala fides defuncti, nec immediati hæredis officit. Non mala fides defuncti: quia, ut socii mei socius meus socius non est *l. nam socii* 20. *ff. pro Soc.* ita nec hæres hæredis censetur primi hæres defuncti esse: ut adeò *l. hæredis* 65. *ff. de V. S.* propter odium alienæ culpæ huc trahenda non
147 sit. Non etiam mala fides hæredis immediati: quia hic est tantùm in mala fide ficta, in qua si & hæres mediatus constituatur, dabitur in una & eadem persona duplex fictio, nempe fictio hæredis & fictio malæ fidei, quod Jura non ferunt. Covarruv. *d. p.* 2. §. 9. *n.* 7. Haunold *n.* 209. Pirhing *n.* 70. *h. t.* Engel *ibid. n.* 16. Vasquius *cit. loc. num.* 19. P. Schmalzgrueber ad *cit. tit. n.* 74.

148 Nec turbat, quod Card. de Lugo *disput.* 7. *sect.* 5. *n.* 61. objicit, hæredem, etiam mediatum, teneri ad resarcienda damna omnia, à primo defuncto
149 illata, si hæres immediatus non satisfecerit. Enim verò hæc duo possunt facillimè simul stare, acquirere dominium rei cujusdam hæreditariæ per Præscriptionem, & simul obligatum manere ad exonerandam defuncti conscientiam. Secus ne eô quidem casu Præscriptio progressum faceret, quô hæres ex titulo alio rei, malâ fide à defuncto possessæ, adipiscitur possessionem contra *n.* 145. cùm obligatio compensandi damna aut debita defuncti sit indelebilis. Haunold *n.* 210. Lustrentur dicenda *sub n.* 160.

Tertius casus à quibusdam ponitur in confec- 150
tione inventarii, quasi nempe hæc solennitas efficiat, ne mala fides defuncti in hæredem redundet: cùm hic nolit, ut ajunt, uti defuncti titulô, nec quoad proprietatem nec quoad possessionem. Reclamant 151
tamen Covarruv. *cit.* §. 9. *n.* 6. Arnoldus Rath *assert.* 59. Vasquius *d. cap.* 73. *n.* 15. partim quia confectio inventarii nihil immutat de conditione hæredis, qui defuncti vitium traduce successione in universum jus defuncti contraxit: partim quia beneficium inventarii eò non pertinet, ut hæredi cum injuria tertii emolumentum afferat, sed ut à periculo duntaxat & damno eundem liberet: partim quia ipsâ inventarii confectione profitetur hæres, se res sibi relictas tanquàm hæreditarias & titulô hæredis occupaturum, sicque non potest à repræsentatione defuncti abstrahere.

Quartus casus ab aliis ponitur, quando defunc- 152
tus ab initio fuit in bona fide, deinde supervenit mala fides: tunc quippe, cùm neque Civili Jure impediatur Præscriptio; nec impedietur de Jure Canonico ex dicendis in *n.* 154. *& seqq.*

Objicitur tamen contra secundam conclus. *l. pe-* 153
nult. ff. pro Hær. ubi Pomponius, *plerique*, inquit, *putaverunt, si hæres sim, & putem, rem aliquam ex hæreditate esse, quæ non sit, posse me usucapere.* Sed meô judiciô ex hac *L.* contra conclusionem nihil concluditur: cùm nullam faciat mentionem malæ fidei, quâ defunctus rem illam possederit. Aliam solutionem dat Vinnius ad *§. 7. Inst. h. t. n.* 5. quæ tamen dicendis in *sect. seq.* non concordat.

Dico III. Mala fides authoris nec Civili nec 154
Canonico Jure nocet successori universali in Præscriptione longissimi temporis. Rota Rom. in *recent. p.* 6. *dec.* 270. *n.* 8. *& seqq. p.* 17. *dec.* 4. *n. ult.* Defensores hujus opinionis sunt Covarrùv. *d.* §. 9. *n.* 5. Vasquius *d. cap.* 73. *n.* 9. *& seqq.* Magnif. P. Konig *h. t. n.* 40. Clariss. D. Chlingensperger *Inst. cád. tit. q.* 13. Someting *ibid. n.* 13. P. Illsung *Theol. pract. D.* 2. *n.* 308. Probatur. Non est probabile aut credibile, malam fidem fictam esse deterioris conditionis & majoris odii de Jure Civili, quàm malam fidem veram. Sed cum hac datur Præscriptio longissimi temporis. Ergo & cum illa. Quòd- 155
ve eôdem modô discurrendum sit de Jure Canonico; inde conjiciendum erit: quia Jus Canonicum non attendit in correctione Juris Civilis malam fidem, nisi quatenùs est peccatô imbuta. Card. de Luca de *Judic. disc.* 21. *n.* 15. *& seqq.* Sed ficta mala fides non est imbuta peccatô. Ergo &c.

Dissentiunt Fachinæus *lib.* 8. *Controv. cap.* 27. 156
Rath *assert.* 58. Haunold *n.* 214. Zoës. *ff. h. t. n.* 63. P. Engel *loc. cit.* I. quia hæres saltem in judicio animæ pro viribus hæreditariis tenetur ad sublevandam defuncti conscientiam *cap. ult. de Sepult. cap. in literis* 5. *de Raptor.* Quod cùm facere nequeat, nisi rem ipsam, adhuc extantem, restituat, nullô unquàm tempore præscribet. II. quia, inspe- 157
ctô Jure Canonicô, defunctus ob malam fidem ne longissimô quidem tempore potest præscribere. Ergo, cùm hæres censeatur eadem cum defuncto persona, majorem favorem non sentiet.

Sed fundamenta hæc tantô non constant pon- 158
dere, ut in sequelam contrariæ opinionis pertrahant. Primum enim ipsemet D. Rath non magni facit, dicendô, bene simul consistere in foro externo tam Sæculari quàm Ecclesiastico, per Præscriptionem dominium à bonæ fidei possessore acquiri, &

tamen ad ejusdem restitutionem ex alio capite obli-
159 gari. Instantiam subdit, quòd in probabili non pau-
corum sententia feræ, ita laqueô alterius implica-
tæ, ut se moraliter extricare nequeat, dominium
eximenti, & ut, putant, occupanti, attribuatur,
esto is ad restitutionem domino laquei faciendam
160 obligetur. Aliam instantiam colligo ex *l. adeo qui-
dem 7. §. 5. ff. de A. R. D.* ubi decernitur, quando
flumen, extra naturalem foveam excurrens, novum
planè occupavit alveum, atque ab eo ad priorem
rursus unô quasi impetu recessit, alveum novum ac-
quiri vicinis: & tamen ex æquitate idem alveus ve-
teri domino, ad quem ager in alveum conversus
spectabat, restitui jubetur *d. l. 7. §. 5. in f. & l. ergo si
30. §. 3. ff. d. t.* Clariss. D. Franz *lib. 2. Inst. tit. 1. n.* 83.
161 Adde ex Vasquez *cit. n.* 21. „non bene sequi,
„restitui rem: ergo exoneratur conscientia de-
„functi. Quid enim si modò res longè deterior
„facta est? Certè per ejus restitutionem non esset
„exonerata conscientia defuncti. Quid rursum,
„si longè melior facta est, expensis fortè hæredis
„per sumptuosa ab eo ædificia superaddita, aut
„per sumptuosas picturas & similia, quæ abradi &
„separari nequeunt, nonne tunc hæredem talem
„rem restituere, si cogeres, injustissimum & inhu-
„manum esset? Ergo longè justius est, & Juris
„menti ac sententiæ proximius, non solùm rem
„semel jureque præscriptam esse, sed etiam irra-
„vocabiliter præscriptam apud hæredem perman-
„suram. Vasquius *d. loc. n.* 11. ubi ex Socino tra-
dit, cùm primùm rei Præscriptionem hæres per-
fecit, sicque ejus dominium quæsivit, jam evanuis-
se, & cessâsse obligationem restitutionis; sicque
162 conscientiam defuncti exoneratam fuisse. Præter-
eà (subjungit idem Author) „quod semel factum
„est, infectum esse non potest; sicque peccatum,
„à defuncto semel commissum, facere hæres non
„potuit. Ad restitutionem rei præscriptæ defun-
„ctus non tenetur: quia ipse nec ejus dominium
„abstulit vero domino, nec etiam cæpit eam præ-
„scribere, sed demum post mortem illius & aditam
„hæreditatem & apprehensam possessionem ab hæ-
„rede, initium cæpit Præscriptio, & progressum
„& consummationem; sicque per longi (dicerem
„ego, longissimi) temporis taciturnitatem ipse-
„met dominus eam rem abjecisse videtur, aut alie-
„nâsse: ergo jam quasi accedere videtur domini
„voluntas; sicque omnis mala fides omneque vi-
„tium præcedens purgari.
163 Ad secundum fundamentum negatur conseq. &
& ad rationem ibidem insinuatam Resp. hæredem
censeri unam personam cum defuncto potiùs Juri-
dicè quàm Theologicè ex dictis *h. cap. n.* 12. Jus
verò Canonicum, dum malam fidem in præscribente
rejicit, potiùs Theologicè, quàm Juridicè (in sensu
cit. n. 12.) processisse videtur: quippe cùm rationem
peccati tantùm, non respectus & considerationes
politicas præ oculis habuerit. Aliter respondet
citatus Vasquius *n.* 10. quem, si lubet, inspice.
164 Dico IV. Mala fides authoris de Jure veteri
nunquam obfuit successori singulari, quò minùs à
propria persona inchoare Præscriptionem potuerit:
Jure tamen novissimô obest quidem in rebus immo-
bilibus, sed probabiliùs in sola Præscriptione ordi-
naria. Prima pars est liquida ex *l. an vitium 5. in
pr. ff. de Diverſ. temp. Præſcr.* & ratione: quia suc-
cessor particularis authorem quoad personam non
repræsentat. Licèt igitur author jus omne, quod
circa rem obtinuit, successori communicet; atta-
men vitia personalia à persona ad personam eò ip-
sò non transfert.
165 Secunda pars non minùs est indubia ex *Nov.* 119.
cap. 7. & inde desumpta *Authent. malæ fidei Cod.
de Præſcr. longi temp.* in qua Præscriptio ordinaria
quoad res immobiles tollitur, si author malâ fide
rem translatam possederit, ibi: *cessat longi temporis
Præſcriptio*; Præscriptio autem extraordinaria in
suo vigore stabilitur per verba: *spectatur ergo tri-
ginta annorum defensio.*
Imò non desunt, qui hanc ipsam Novellam haud 166
aliter recipiendam existimant, ac si res immobilis
ignorante dominô alienata, & proximus possessor
in vera mala fide fuerit: siquidem, cùm Novella
sit correctoria, atque expressam memoriam tam ma-
læ fidei ex parte authoris, quàm ignorantiæ ex par-
te domini faciat, subintrat regula de Jure correcto-
rio, nempe terminum *malæ fidei* in stricta significa-
tione accipiendum, ipsamque correctionem ad non-
expressa ampliandam non esse. Rath *assert.* 50.

§. VII.

De reliquis malæ fidei effectibus.

Non unam, sed plures quæstiones ventilandas 167
in hunc §. constringo. Prima est: utrùm mala fi-
des respectu unius, impediat Præscriptionem re-
spectu alterius; ut si credam v. g. rem esse Titii,
cùm tamen sit Sempronii, saltem quoad Sempro-
nium præscribam? Secunda est: an mala fides tu-
toris præjudicet pupillo? Tertia: an & qualiter fi-
des Prælati noceat Ecclesiæ? Quarta: an & quali-
ter mala fides antecessorum noceat successoribus
de communitate, in bona fide existentibus? Quin-
ta: an mala fides servi officiat domino? Sexta: an
mala fides procuratoris nocumentum afferat princi-
pali? Singulis quæstionibus singulæ assertiones ser-
vient. Itaque
Dico I. Mala fides respectu unius impedit Præ- 168
scriptionem respectu alterius. Ratio est. Sinè bo-
na fide nunquam rectâ incedit semitâ Præscriptio.
At, qui malam fidem habet respectu unius tantùm,
non est in bona fide: nam sicut frequentissimè jam
repetitum, bona fides est credulitas animi judican-
tis, rem alienam non esse; ille autem, qui credit,
rem esse Titii, cùm sit Sempronii, non judicat,
rem alienam non esse. Ergo &c.
Aliud verò tenendum cum Engel *h. t. n.* 13. & 169
König *ibid. n.* 39. quando bona & mala fides non
respectu diversarum personarum, sed diversorum
jurium conveniunt, ut puta, bona fides quoad pro-
prietatem, quando quis v. g. credit, rem quoad
dominium alienam non esse: & mala fides respectu
ususfructûs, qui dignoscitur ad alium pertinere:
quin etenim proprietas sinè usufructu tunc præ-
scribatur, hærere nolim.
Dico II. Mala fides tutoris non præjudicat pu- 170
pillo. Rath *assert.* 66. Balbus 2. *part.* 3. *princip. q.* 16.
n. 1. cum citatis. Colligitur ex *l. is qui in puteum*
11. §. 6. *Quod vi aut clam* & *l. neque in interdi-
cto* 198. *ff. de R. J.* in quibus locis docemur, dolum
tutoris pupillo non præjudicare. Quidni ergo idem
doceamus de mala fide, quæ non nunquam, imò
fortassis nunquam non, cum dolo connectitur? Quin
& ipse pupillus malam fidem habere non potest,
nisi sit doli capax per eundem Balbum *d. quæſt.* 16.
n. 2. & Vasquium *Illuſtr. Contr. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 4.
Dico III. Mala fides Prælati Ecclesiæ non nocet. 171
Ita post Immolam, Felinum, & Abbatem in *cap.
ult. h. t. n.* 41. & 42. Rath *d. assert.* 66. Haunold *n.* 2.
Probatur. Mala fides tutoris non obest pupillo per
concluſ. 2. Ergo nec mala fides Prælati nocet Eccle-
siæ: uti enim tutor est defensor & administrator pu-
pilli, nec potest conditionem illius efficere pejorem;
ita Prælatus est defensor & administrator Ecclesiæ,
nec potest illius sortem reddere duriorem.

Ex

172 Ex adverso latere stant P. Pirhing *h. t. assert.* 78.
& Schambogen *eôd. tit. n.*12. Præsidium sibi ex eo
mutuant, quòd bona fides ex parte Prælati & ma-
joris partis de Capitulo requiratur; & quòd aliàs
Præscriptio, præter Jus Naturale introducta, tan-
quàm odiosa restringi debeat.
173 Sed unicâ negatione hoc præsidium destruitur:
eâdem quippe facilitate, quâ asseritur, ex parte
Prælati & majoris partis de Capitulo desiderari
bonam fidem copulativè, idem negatur. Quod
verò annectitur de Præscriptione, eam præter Jus
Naturale introductam esse, pugnat contra *Caput
secundum* hujus tractatûs.
174 Duo tamen hic observatu digna subnecto. Pri-
mum est: id, quod de Prælato respectu Ecclesiæ vel
Capituli asseruimus, pari si non majori jure de Præ-
lato antecessore respectu successoris observandum
esse: hic namque, quia titulum ab illo non habet,
velut hæres à testatore, non obstante antecessoris
malâ fide, Præscriptionem à semetipso inchoare (si
175 bonâ fide nitatur) & perficere potest. Secundum
est: Prælato, mala fide laboranti, consilium Pa-
normitani in *d. cap. ult.* n. 42. amplectendum esse,
hôc modô. „Aut notoriè constat, rem alienam
„esse; & tunc solus Prælatus potest, & debet il-
„lam restituere per *cap. generalis* 12 *Dist.* 54. non
„enim debet Prælatus vel Ecclesia detinere alie-
„num, ut in *cap. per tuas* 5. *de Donat.* & *cap. sæpe*
„18. *de Restit. spoliat.* Nec dicitur solus Prælatus
„hôc casu alienare rem Ecclesiæ, cum notoriè con-
„stat, quòd non est Ecclesiæ, sed potiùs dicitur
„procurare negotia Ecclesiæ, cujus infamia purga-
176 „tur restitutione rei alienæ. Aut non constat no-
„toriè, & tunc aut solus Prælatus scit, nec aliter
„potest probari; & debet tacere: quia soli sibi non
„crederetur *cap. si tantùm* 2. *cap. placuit* 3. *VI. q* 2.
„nec detinendô Prælatus peccat: quia hoc facit
„ut persona publica, & conscientiam habet ut pri-
177 „vata. Aut posset probari per alios, & tunc con-
„silium hujus Glossæ est servandum (Glossæ autem
consilium, uti apud eundem Abbatem *n.*41. legi-
tur, est, ut Prælatus intimet illi, cujus rem esse
credit, ut illam petat) „Nec credo, quòd Præla-
„tus cum Capitulo sufficeret ad illam rem restituen-
„dam, ex quo notoriè non constat, rem illam alie-
„nam esse: quia, sicut directè, causâ non apparente,
„non potest Prælatus cum capitulo alienare *cap. si-
„nè exceptione* 52. *XII. q.* 2. ita nec indirectè, aliàs
„posset confingi fraus: notoria enim esse debet cau-
„sa alienationis faciendæ *cap. dudum* 1. *de Rebus
„Eccles. non alienand. in* 6.
178 Dico IV. Mala fides antecessorum non nocet
successoribus alicujus Communitatis, Provinciæ,
Civitatis, Collegii &c. Hæc sententia adscribitur
Innocentio, Hostiensi, Antonio de Butrio, Baldo,
Socino: propugnatur à Balbo 2. *part.* 3. *princip.
quæst.* 7. Gilcken *p.*2. *membr.*2.*cap.*6.n.21. Vasquio
*Illust. Controv. cap.*71.n.5. P. Wiestner ad *h. t.* n. 56.
Probatur I. Mala fides antecessorum non nocet suc-
cessoribus de Jure Civili. Ergo nec de Jure Cano-
nico. Ergo nullô modô. Antecedens prob. Si de
Jure Civili noceret, tunc ideò, quia successores
alicujus Communitatis cum antecessoribus consti-
tuunt unam Universitatem, unum Collegium, unum
Corpus; & quia Universitas semper est ac manet
eadem, quantumvis singuli successivè moriantur,
atque in eorum locum alii succedant *l. proponeba-
tur* 76. *ff. de Judic.* Unde videtur inferri, quòd
mala fides antecessorum adhuc inhæreat successo-
179 ribus. Sed hæc ratio nihil probat, saltem in Præ-
scriptione longissimi temporis: nam mala fides, quæ
propter antecessores in successoribus continuari
dicitur, non est mala fides vera, sed tantùm ficta;
eáque propter de Jure Civili, quod etiam Præscri-
ptionem longissimi temporis cum vera mala fide
permittit, successoribus afferre nocumentum non
potest ex *n.* 153. Pr. h. nunc prima conseq. Se- 180
cundùm placita Juris Canonici tantummodò mala
fides Theologica, quæ ex radice peccaminosa pro-
dit, Præscriptionem corrumpit: quia ergo succes-
sores in Communitate de præsenti bonam fovere
fidem supponuntur, secundùm placita præfati Ju-
ris optimè præscribent.
Probatur II. Bona aut mala fides est facti *l. bo- 181
næ fidei* 48. §. 1. *ff. de A. R. D.* Ergo incidere in ig-
norantem non potest mala fides: cum illud, quod
non est, qualitatem aut determinationem recipere
nequeat *arg. l. Celsus* 27. *ff. h. t.* Sed successores
alicujus Communitatis in nostra hypothesi igno-
rant, rem, ab antecessoribus possessam alienam es-
se; & justè quidem: quia, qui in jus alterius suc-
cedunt, justam habere ignorantiam censentur *l. qui
in alterius* 42. *ff. de R. J.* Ergo malam fidem non
habent: ergo præscribunt.
Probatur III. Durum valde, atque humanitati 182
& æquitati videtur dissonum, paucorum malitiam,
plurimorum virtuti prævalere; & severius castiga-
ri 10. v. g. Religiosorum aut Clericorum malam fi-
dem, qui ante annos centum in Monasterio vel
Collegio vixerunt, quàm præmiari bonam fidem
centum aliorum, qui interruptâ serie bonâ erant fi-
de informati: & tamen in sententia opposita id ac-
cidit, dum magis consideratur antecessorum, qui
fuerunt respectivè paucissimi, mala fides ad damnum
innocentûm; quàm successorum, qui sunt & fue-
runt numerô plures, bona fides ad eorum emolu-
mentum. Cur non invertimus argumentum, & in 183
favorem ita arguimus: antecessores & successores
in aliqua Communitate constituunt unum corpus.
Ergo, sicut mala fides antecessorum ob moralem
identitatem in tantum obest successoribus, ut il-
lorum possessionem injustam ad complendam Præ-
scriptionem computare nequeant: ita è contra-
rio bona fides successorum ob eandem identita-
tem utrique parti in tantum prodest, ut, incipien-
dò à propria possessione, exordiri, & consummare
valeant Præscriptionem.
Ex his decidendi rationibus per se diluitur uni- 184
cum & præcipuum Adversariorum (quibus inter
alios se associant Fachinæus *lib.* 8. *Contr. cap.* 25.
& Rath *assert.*66. adducens pro se responsum Facul-
tatis Juridicæ Ingolstadiensis, Clariss. P. Schmalz-
grueber ad *h. t.* n.77) argumentum: dum enim op-
ponunt, populum cujusque Communitatis eundem
semper esse; adeóque uti primos ita etiam secundos
& ulteriores cives vel membra ejusdem communi-
tatis præscribere non posse: vel negatur conseq.
vel distinguitur: uti primi ita nec secundi & ulte-
riores possunt præscribere, si eodem modô sint in
mala fide, conceditur; secùs negatur conseq. Ex-
plicatio distinctionis eruitur ex dictis.
In eo adhuc ipsimet nostræ opinionis propug- 185
natores differunt: utrùm ad hoc, ut antecessorum
mala fides purgetur, omnes debeant esse rebus hu-
manis exempti, qui malâ fide erant infecti; an verò
sufficiat, majorem illorum partem ab hac luce sub-
tractam esse? Plerique ex citatis in n. 178. volue-
runt omnes habere mortuos. Unus Gilcken *d. loc.
n.* 24. majorem dumtaxat partem extinctam petit.
Nec absque fundamento. I. enim constat, læsam 186
Prælati conscientiam causam Ecclesiæ non subver-
tere *ex n.*171. Si igitur contaminata religio ipsius,
qui principalem in Collegio locum habet, non re-
dundat in detrimentum totius Collegii aut Civita-
tis vel Municipii, cùm tamen Municipes intelligan-
tur scire ea, quæ sciunt, quibus summa Reipu-

blicæ est commissa *l. municipes* 14. *ff. ad Municipalem*: cur unius aut alterius præsumpta scientia af-
187 fligere causam totius Collegii possit? II. est regula Juria: referri ad univarsos, quod publicè fit per majorem partem *tot. tit. de his quæ fiunt à majore parte cap.* & *l. 1. ff. quod cujusque Universitatis &c.* Quod cùm ita sit, consequens esse videtur, ut observetur, non quid pauci numerô cogitent, sed quid præcipua pars totius Civitatis aut Collegii sentiat.
188 III. interest inter singulos homines, & ipsam Civitatem sive Collegium: cùm illud, quod Universitati debetur, non singuli vindicare possint; neque id, quod debet Universitas, singuli debeant, sed ipsum corpus Universitatis *l. sicut* 7. §. 1. *ff. d. t.* unde non videtur consentaneum rationi, ut factum paucorum jus ipsius universitatis labefactet, aut convellat. Plura fundamenta adstruit Gilcken, quibus sententiam suam multùm efficit probabilem.

189 Dico V. Mala fides servi eatenùs officit domino, ut rem alienam, scienter à servo emptam, ne quidem si suo nomine, peculiô ademptô, eandem velit possidere, præscribat. Ita reperio sancitum in *l. pro emptore* 2. §. 10. & 12. *ff. pro Emptore.* Et ratio est: quia, dum servus non domini mandatô instar procuratoris, sed authoritate propriâ tanquàm administrator peculii emit, sibi quodammodò emit, & in ejus persona jus emptionis est positum: Et quia insuper res, per servum empta cedit domino: & servi & domini fides spectatur, cùm ab utrô-
190 que jus contractûs pendeat. Quòd autem dominus ne quidem à propria possessione Præscriptionem incipere queat, inde provenit: quia in locum servi succedit, nec novam possessionem nanciscitur, sed in eam ipsam, quam ille habuit, ingreditur; & consequenter vitium injustæ possessionis imbibit. D. Rath *assert.* 62.

191 Dixi superiùs in ratione conclusionis, *dum servus non mandatô domini &c.* dum enim mandatô domini instar procuratoris rem alienam scienter comparat, observanda erit sequens conclusio, in qua

192 Dico VI. Mala fides procuratoris, mandatô domini rem alienam scienter ementis, dominum, in bona fide versantem, non damnificat. Rath *assert.* 63. Deducitur ex *l. quod vulgò* 11. *ff. pro Empt.* ubi dicitur, quòd principalis, cui procurator falsò persuaserat, se rem emisse, cùm tamen non emisset, nihilominùs præscribat: supponitur itaque in *cit. l.* procuratorem rei alienæ habuisse notitiam, cùm sinè modis transferendi dominium res ab uno ad alterum transire nequeat. Quòd si ita habeat, probabiliùs longè asseritur, principalem præscribere, quando contractus est quidem à procuratore celebratus, sed sciente, rem alienam esse: iniquissimum siquidem reputat Terentius in *l.* 5. *ff. de Juris & facti ignor. cuiquam scientiam alterius, quàm suam nocere.*

193 Quòd à diametro bona fides procuratoris nil conferat, si principalis malam habeat, de Jure Canonico ob propriæ conscientiæ offendiculum non est trahendum in controversiam. Cùmque Jus Civile nullibi in diversam abiisse semitam, deprehendatur, non est temerè aliquod discerniculum statuendum. Videatur D. Rath *assert.* 64. prolixiùs hunc articulum discutiens.

§. VIII.

De probatione & allegatione bonæ fidei.

194 Dico I. Bona fides in præscribente præsumitur, & probari non debet. Ita P. Haunold *tom.* 5. *tr.* 4. *n.* 664. & DD. turmatim apud Gilcken *p.* 2. *memb.* 2. *cap.* 1. Rota Rom. *p.* 1. *dec.* 91. *n.* 2. in *recens.* & *p.* 10. *dec.* 9. *n.* 25. Ratio est: quia homo qnilibet à Jure bonus esse præsumitur *arg. cap. fin. de Præsumpt.* & *l. merito* 51. *in princ. ff. pro Socio.* Nam, 195
ut ex Cicerone refert Vasquius *Illustr. contr. cap.* 70. n. 4. & *seqq.* homo simul ac nascitur, & generatur, habet innata virtutum semina, quæ, si adolescere liceret, ipsa nos natura ad beatam vitam perduceret: unde par est, ut bona etiam fides in homine præsumatur: cùm, qualia sunt principia, talia sint principiata. Jam verò notorium est, ab onere probandi relevari, cui præsumptio Juris suffragatur per *l. quingenta* 12. *ff.* & *l. sive* 16. *Cod. de Probat.* Ergo præscribens bonam fidem probare non debet.

Confirmatur tum ex *l. verius* 21. *ff. d. t.* ex qua 196
colligitur, ignorantiam præsumi, atque adeò præscribentem non scivisse rem alienam: tum ex *l. quoties* 18. §. 1. *ff. eôd.* unde desumitur, quòd dolus non præsumatur, & consequenter nec mala fides, dolo ordinariè conjuncta: tum ex *l. penult. Cod. de Evict.* ubi, cùm ad probationem malæ fidei non quælibet indicia sufficere dicantur, non obscurè concluditur, bonam potiùs quàm malam fidem præsumendam esse.

Quam conclusionem non eô tantùm casu reci- 197
piendam velim, quando adest titulus in præscribente, sed etiam quando titulus non adest, tam in Præscriptione longi quàm longissimi temporis. Adstipulantur mihi præ aliis Covarruv. *d. p.* 2. §. 8. n. 3. Schneidewin *ad Inst. h. t. n.* 21. Vasquius *d. l. cap.* 79. n. 15. Dissert. Francofurt. sub Friderico Rhetio *Vol.* 4. *disp.* 22. *th.* 17. contra Fachinæum *Lib.* 8. *controv. cap.* 32. Wiestner *h. t. sub n.* 63. & alios, ab iis citatos. Adstipulari quoque videtur Rota
in recent. p. 5. *to.* 1. *dec.* 11. *n.* 10. Ratio est: quia 198
bona fides potest haberi sinè titulo, prout inter alia exempla demonstrat Covarruv. *d.* §. 8. *n.* 2. in eo, qui rem possidet, existimans, fuisse propriam parentum, quibus jure hæreditariò succedit, creditque alicui viro fide digno, id asserenti. Talis enim habet justam credulitatem, etiamsi nullô titulô, de jure approbatô, suffultam. Item, qui rem possidet, credens, eam à vero domino legatam vel donatam, quæ tamen legata vel donata non sit, existit in bona fide, & tamen caret titulô. Ergo, ut præsumatur de Jure bona fides in præscribente, titulus concurrat, non est opus.

Dices: Jura non præsumunt aliquem bonæ fi- 199
dei possessorem, nisi ex justa causa possideat per text. in *l. Celsus* 27. *ff. h. t.* ubi *Celsus*, *errare eos*, ait, *qui existimarent, cujus rei quisque bonâ fide possessionem adeptus sit, pro suo usucapere eum posse, & nil referre, emerit nec ne, donatum sit nec ne, si modò emptum vel donatum sibi existimaverit.* Ergo sinè titulo non præsumitur bona fides.

Resp. negandô conseq. Potest aliquis esse bo- 200
næ fidei possessor ex justa causa, etsi titulô spoliatus sit, ut exempla primùm relata indicant. Neque aliud in *d. l. Celsus* innuit, utpote quæ apertè supponit, posse quempiam possessionem rei bonâ fide adipisci, licèt nec donationis, nec legati, nec aliô titulô munitus. Quòd verò solâ bonâ fide quis præscribat, id necdum propugnavimus, nec propugnabimus deinceps, non immemores eorum, quæ in *Sect. seq.* pleniùs explananda decrevimus. Eò solùm tendit nostra assertio, bonam fidem præsumi, esto nullus allegetur titulus.

Limitant tamen defensam assertionem Covarruv. 201
d. §. *n.* 4. & Vasquius *d. cap.* 79. *n.* 15. *circa fin.* in casu, quô quis rem aliquam non ab alio accepit, sed ab alio possessam propriâ authoritate apprehendit: tunc enim posterior possessio præsumitur clandestina, nisi cursu 30. annorum firmata sit per textum

in

in *l. ult. Cod. Unde vi.* Plures limitationes ponit Schneidewin *cit. loc. n.* 23. *& seqq.*

202 Dico II. Bona fides non tantùm non probari, sed nec allegari debet à præscribente. Panormitanus ad *cap. ult. h. t. n.* 34. Vasquius *d. cap.* 70. *n.* 15. *& seqq.* Ratio est: quia, quod est notorium ex Jure, non debet allegari; quin imò Judex illud ex officio supplere, & attendere debet per *cap. Raynutius* 16. *de Testam.* Sed bona fides ex dictis est ex Jure notoria, quia in liquida juris præsumptione fundata. Ergo &c.

203 Confirmatur ex eodem Vasquio. Tres sunt modi, quibus præscribens potest facere mentionem bonæ fidei. Primus est, quando explicitè eam allegat, veluti si agenti rei vindicatione opponit, se per tempus legitimum rem bonâ fide & justô titulô possedisse, sicque præscripsisse: & hôc casu omnes
204 conveniunt, talem allegationem sufficere. Secundus est, quando implicitè tantùm bonam fidem adducit, veluti si contra agentem rei vindicatione, excipit, se præscripsisse: & hoc etiam sufficere, docet proxima conclusio; quia intelligi debet exceptio, præscribentem ritè & rectè, sicque cum omnibus requisitis, præscripsisse: qui enim dicit, se præscripsisse, de perfecta Præscriptione loquitur, quæ omnibus constat partibus *arg. l. facturus* 1. *ff. de O. J.* ne inutiliter egisse videatur: cùm nihil & inutile paria sint *arg. §. ex eo 7. Inst. quibus mod. test. infirm.* Ad quod confirmandum egregiè faciunt textus in *l. qui usumfructum* 58. *l. sciendum* 30. *ff. de V. O. §. ult. Inst. de Fidejuss.* quos Lectori ponderan-
205 dos relinquo. Tertius modus est, quando nec implicitè nec etiam explicitè bona fides allegata fuit à præscribente, sed dictum duntaxat, se eam rem per tempus ad præscribendum legitimum possedisse: atque hunc etiam casum ad allegationem bonæ fidei sufficientem agnoscimus: quia, ut diximus, in notoriis supervacanea est ea allegatio, neque à Jure desideratur *arg. l. hac stipulatio* 14. §. 1. *ff. Ut legat. nom. caveat. l. verba hac* 12. *ff. de Condit. institut.* Hinc etiam in *cap. auditis* 15. & *cap. cùm olim* 18. *h. t.* non fuit allegata bona fides explicitè, sed tantùm implicitè per hoc, quòd reus dixerit, se præscripsisse. Ergo in nullo casu expressa bonæ fidei allegatio facienda est.

206 Hæc tamen præsumptio, pro bona fide militans, cùm non sit Juris & de Jure, non spernit probationem in contrarium, etiam per conjecturas & indicia. Rota Rom. *in recent. p.* 4. *to.* 2. *decis.* 615. *n.* 9.
207 Tales conjecturæ & indicia sunt I. si præscribens in manibus habeat instrumentum, possessioni vel juri, quod prætendit, adversum: præsumitur enim scire contextum instrumenti, ac possessionis aut prætensi juris injustitiam agnoscere *arg. l. non est ferendus* 12. *ff. de Transact.* Rota *d. l. num.* 7.
208 II. si præscribens rem possessam comparaverit absque solennitatibus, aliàs de Jure requisitis *arg. l. quemadmodum* 7. *Cod. de agricol. & censit. cap. qui contra* 82. *de R. J. in* 6. III. si eô tempore, quô
209 præscribens rem v. g. emit, tertius aliquis interveniat, & emptori denuntiet, rem ad se pertinere, nec venditori jus vendendi competere *l. si fundum.* 17. *Cod. de R. V.* ubi Brunn. *n.* 1. *& seqq.* Mascard. de *Probat. Conclus.* 1004. Pax Jordan *lib.* 14. *tit.* 14. *à nu.* 49. P. Wiestner ad *h. tit.* n. 64. *& seqq.* P. Reiffenstuel *ib.* 1. *n.* 84. Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid. sub n.* 80.

SECTIO II.

De Titulo.

SUMMARIA.

210. *Explicatio tituli.* 211. *& seqq. Illius multiplicitas.* 218. *Ad Præscriptionem ordinariam & positivam rerum corporalium exigitur.* 219. *& seqq. Non sufficit titulus non-translativus dominii.* 222. *Titulus verus magis obest, quàm prodest.* 223. *& seqq. Titulus præsumptus est idoneus.* 224. *& seq. Sicut & titulus existimatus, ortus ex errore facti proprii.* 231. *& seq. Ortus ex errore facti alieni quadrat.* 233. *Titulus coloratus est optimus.* 234. *& seqq. Præscriptio extraordinaria non requirit titulum.* 238. *& seqq. Nisi Jus commune resistat præscribenti, & alteri, contra quem præscribit, assistat.* 242. *In Præscriptione immemoriali titulus non exigitur.* 243. *In Præscriptione privativa titulus nunquam efflagitatur.* 244. *Variæ sententiæ de titulo in servitutibus.* 245. *Negatur illius necessitas, sive Præscriptio ducat initium à vero domino.* 246. *& seqq. Sive à non-domino.* 251. *& seqq. Rationes oppositæ retunduntur.* 259. *Refertur duplex sententia de scientia & patientia adversarii.* 260. *& seqq. Eligitur & probatur sententia, solam exigens patientiam.* 264. *& seqq. Objecta rejiciuntur.* 270. *& seq. Etiam in aliorum jurium Præscriptione non opus est scientiâ domini.* 272. *& seq. Opus tamen est titulô in ususfructûs Præscriptione.* 274. *Uti & in aliis, in quibus agitur de notabili præjudicio.* 275. *& seq. Declaratur titulus pro suo & soluto.* 277. *& seqq. Ostenduntur casus, in quibus obtinet titulus pro suo.* 281. *Declaratur hypothesis, in qua titulus pro soluto Præscriptionem efficit.* 282. *Ulterior declaratio.* 283. *& seq. Titulus pro hærede & possessore dilucidatur.* 285. *Rationes dubitandi, utrùm pro hærede præscribat hæres suus?* 286. *& seqq. Asseritur, & probatur affirmativa.* 288. *& seqq. Rationes dubitandi tolluntur.* 293. *Proponitur quæstio & diversæ opiniones, utrùm res, defuncto commodata, possit ab hærede præscribi?* 294. *& seqq. Concluditur, & demonstratur negativa.* 301. *& seqq. Argumenta pro affirmativa adducuntur, & relegantur.* 308. *& seqq. Explanatur titulus pro emptore.* 313. *& seq. Titulus pro donato.* 315. *& seq. Titulus pro legato.* 317. *Titulus pro dote.* 318. *& seqq. Titulus pro derelicto.* 325. *Titulus pro judicato.* 326. *Titulus pro transacto.* 327. *Titulus pro permutato.* 328. *& seq. Titulus pro diviso.* 330. *& seq. Titulus superveniens promovet usucapionem.* 332. *& seq. Ignorantia tituli Præscriptionē non remoratur.*

§. I.

Quid & quotuplex sit Titulus?

ALtera qualitas, quam ab initio præsentis *Cap.* 210
ad Præscriptionem exegimus, est Titulus, qui, in genere acceptus, dicitur *causa, ex qua rē habemus.*

Dividitur I. & principaliter in translativum do- 211
minii, & non-translativum dominii. Ille est causa de se habilis ad transferendum dominium, & comprehendit sub se donationem, permutationem, emptionem, legatum, stipulationem &c. Iste non est causa de se habilis ad transferendum dominium, sed jus solummodò personale, à dominio longè diversum:

diversum : quò pertinet depositum, commoda-
tum, locatio-conductio &c.
212 Titulus translativus dominii subdividitur in ve-
rum, & non-verum. *Verus* est causa, ex qua domi-
nium de facto transfertur, suppositô quòd transfe-
rens dominium habuerit. *Non-verus* alius est colo-
213 ratus, alius existimatus, alius præsumptus. *Titu-
lus coloratus* est causa, suâpte naturâ ad dominium
transferendum idonea, esto hîc & nunc ob defec-
tum, tenentem se ex parte tradentis, non transfe-
ratur. E. G. si equum emerim à non domino, eum-
que traditum acceperim; habeo titulum colora-
tum, emptionis scilicèt, venditionis, quia hîc con-
tractus suâpte indole est aptus ad transferendum
dominium equi : defectus autem non translati in
hoc casu dominii, tenet se ex parte tradentis, quòd
dominus non fuerit, sicque tradere plus nequive-
214 rit, quàm ipsemet habuerit. *Titulus existimatus*
dicitur causa, ad transferendum dominium accom-
modata, quam subesse credimus, cùm tamen non
subsit. Quod contingere potest vel ex errore fac-
ti proprii, vel ex errore facti alieni. Exemplum
primi habemus in eo, qui existimat, librum v. g. si-
bi venditum esse, cùm tamen commodatus sit.
Exemplum secundi extat in procuratore, qui do-
mino persuadet, catenam auream eidem esse ven-
215 ditam, cùm tamen vendita non sit. *Titulus præ-
sumptus* appellatur, qui, tametsi non intervenisset,
intervenisse tamen à Jure præsumitur, quando ni-
mirum diutina præcessit possessio. Hunc titulum
cum colorato à quibusdam Theologis per abusum
vocabuli confundi, advertit Haunold *d. t. contr.* 3.
*n.*221. ubi ait : *licèt titulus coloratus possit vocari
præsumptus hôc sensu, quatenus habens titulum colo-
ratum ex empto v. g. prudenter & bonâ fide præsumit,
venditorem fuisse dominum mercis, non tamen voca-
tur à Juristis titulus iste simpliciter & absolutè præ-
sumptus.* Et rectè ait : nam præsumptus, ut dixi,
titulus est, quem Jura ex temporis diuturnitate
præsumunt.
216 Secundò dividitur titulus principaliter in gene-
ralem & specialem. *Generalem* nuncupant, qui cum
aliis ferè omnibus potest concurrere, ut accidit
in titulo *pro suo & soluto* : quisquis enim possidet
pro empto, pro donato, simul etiam *pro suo* possidet,
217 cùm rem suam & propriam esse credat. *Specia-
lem* vocant, qui ad unam duntaxat speciem est li-
mitatus, v. g. titulus pro empto, legato, donato,
dote &c. etenim titulus *pro empto* non habet lo-
cum, quando nulla emptio, sed donatio est facta;
& vicissim non attenditur titulus *pro donato*, quan-
do celebrata est venditio, & nulla donatio.

§. II.

*Qualis Titulus ad Præscriptionem rerum
corporalium necessarius?*

Explicatâ Titulorum varietate, necessitatem
ostendo, &
218 Dico I. In omni Præscriptione positiva ordina-
ria rerum corporalium aliquis titulus est necessarius.
Ratio est : quia possessio, titulô destituta, quam-
quàm, ut ex n. 198. elucescit, justa esse possit, ad
Præscriptionem tamen pro sufficienti non agnosci-
tur à Jure : id quod dilucidè probant textus in *l.
improba* 7. *Cod. de A. & R. P. nullo* 24. *Cod. de R.
V. l. ult. Cod. Unde vi. l. diutina* 4. *Cod. de Præscr.
longi temporis.* ibi : *diutina possessio, tantùm jure suc-
cessionis sinè justo titulo obtenta, prodesse ad Præ-
scriptionem hâc solâ ratione non potest.*
219 Dico II. Ad Præscriptionem positivam rerum
corporalium non sufficit titulus non translativus
dominii. Ratio est : quia, ubi agitur de dominio
aut alio jure, dominio simili, titulus non translati-
vus dominii perinde se habet, ac si intervenisset
nunquam. Ergo non sufficit ad Præscriptionem po-
sitivam, in qua ordinariè dominium aut aliud jus
reale acquiritur.
Dices contra has conclusiones : tametsi donatio 220
inter conjuges sit prohibita, ideóque ex ea vel nullus
vel non translativus dominii titulus oriatur : atta-
men res aliena, à marito uxori donata, potest ab ea
usucapi *l. sed etsi* 25. *ff. de Donat. inter virum & uxor.*
Ergo vel prima vel secunda conclusio corruit.
Resp. negandô suppositum antecedentis, dona- 221
tionem esse invalidam, quando maritus uxori, aut
vice versâ uxor marito donat rem alienam : nam, ut
loquitur JCtus *in d. l. sed etsi &c.* prohibitio dona-
tionis ad eas tantùm liberalitates pertingit, in qui-
bus donans pauperior, & donatarius fit locuple-
tior : hoc autem in donatione rei alienæ non verifi-
catur : *quia non videntur rem amittere, quibus pro-
pria non fuit.*
Dico III. Titulus verus potiùs destruit, quàm 222
promovet Præscriptionem. Ratio est : quia ex titu-
lo vero dominium actu transfertur : igitur conditio
usucapiendi, in defectum dominii, actu non trans-
lati, inventa, & superflua est, & impossibilis : *quod
enim nostrum est, nostrum ampliùs fieri non potest* §.
sed si rem 10. *Inst. de Legat.* §. *sic itaque* 14. *Inst.
de Action.*
Dico IV. Titulus præsumptus ad Præscriptio- 223
nem ordinariam & positivam rerum corporalium
non sufficit. Ita communissimè DD. cum Covarruv.
d. p. 2. §. 5. n. 2. Brunneman. *ad l.* 24. *Cod. de R. V. n.*
7. Mascardo *de Probat. concl.* 1220. n. 2. Clariss. D.
Franz *h. t. n.* 31. contra Vasquium *lib.* 2. *Illustr. con-
trov. cap.* 61. Desumitur ex textu satis prægnante in
d. l. 24. *Cod. de R. V.* ibi : *nullô justô titulô præcedente
possidentes ratio Juris quærere dominium prohibet* :
item ex textu non minoris ponderis in *d. l. diutina* 4.
Cod. de Præscr. ubi sinè justo titulo negatur pos-
sessio ad Præscriptionem proficere. Item ex *l. Cel-* 224
sus 27. *ff. h. t.* ubi Celsus, ad Sabinum scribens, er-
roris damnat illos, qui existimârunt, *cujus rei quis-
que bonâ fide possessionem adeptus sit, pro suo usucape-
re eum posse, & nihil referre, emerit nec ne, donatum
sit nec ne, si modò emptum vel donatum existimaverit :
quia neque pro legato, neque pro donato, neque pro do-
te usucapio valet, si nulla donatio, nulla dos, nullum
legatum sit*; concordante *cap. placuit* 15. v. *Præscrip-
tionum XVI. q.* 4. Requiritur itaque & probari de-
bet titulus à præscribente, & non præsumitur : aliàs
contra *cit. LL.* sufficeret, si præscribens diceret, se
per longum tempus bonâ fide possedisse.
Dices : in cujus favorem se inclinat Juris præ- 225
sumptio, is ab onere & munere probandi est exemp-
tus ex n. 194. Sed in favorem præscribentis se incli-
nat Juris præsumptio, quòd nempe ob longi tem-
poris cursum justum possessionis titulum obtineat,
per ea quæ in *Cap. præced.* n. 158. de annua præsta-
tione, longô tẽpore continuatâ, conclusa sunt, quòd
nempe præsumptionem veræ causæ & tituli pariat.
Ergo titulus à præscribente probari non debet.
Resp. ad minorem in *d. cap. n.* 165. reflexè annota- 226
tum esse, ex annuis præstationibus uniformiter cer-
ta ex causa longô tempore præstitis titulum præsu-
mi, eum tamen ad Præscriptionem pariendam in-
sufficientem esse : quia Jura in Præscriptione lon-
gi temporis nominatim requirunt titulum. Hinc,
qui in Præscriptione longi temporis suam intentio-
nem fundat, atque ad tituli justificationem præ-
sumptionem Juris pro se allegat, non auditur ad eum
finem, ut per sententiam præscripsisse judicetur,
nisi titulum probaverit. Cæterùm, transmissâ 227
etiam

etiam veritate minoria in sensu, quô fuit objecta,
adbuc superesset disparitas inter præstationes an-
nuas, quoad acquisitionem consideratas, & inter
res corporales: in illis enim occurrit factū proprium
in persona illius, contra quem præscribitur, non
unum aut alterum, sed iteratum & longô tempo-
re instauratum; in istis silentium duntaxat, patien-
tia & connivencia, unô verbô, non-factum reperi-
tur. At, ubi non factum, sed negligentia tantùm
illius, contra quem præscribitur, intercedit, præ-
sumptio Juris ex cursu decennali præscribentem
non juvat: cùm multæ & innumeræ possint cau-
sæ emergere, ex quibus aliquis quiescere & dissi-
mulare, aut in aliud magis idoneum tempus rei
exactionem differre velit, aut debeat *arg. cap. ex
ratione 8. de Appellat.* & *l. fin. Cod. de Præscript.*
228 *30. vel 40. annor.* E contra ubi factum posi-
tivum intervenit, potest quand que in momen-
to introduci, quod aliàs Præscriptio per tempo-
ris diuturna intervalla introducere debuisset per
l. cùm fidem 4. Cod. de N. N. P. Cujus etiam exem-
plum extat in Lege positiva, quæ solâ expressa Le-
gislatoris voluntate in momento vigorem accipit:
cùm consuetudo ex tacita Principis eàque legali
tantùm approbatione per tractum temporis vim ca-
piat. Itaque in rebus corporalibus, de quibus con-
clusio proxima erat concepta, præsumptio, ex de-
cursu decennali eruta, magis dominum quàm pos-
sidentem adjuvabit. Videatur Gucken *p. 2. M. 1.
cap. 4. n. 99. & seqq.*
229 Dico V. In Præscriptione ordinaria rerum cor-
poralium titulus existimatus, ortus ex errore facti
proprii, non sufficit. Clariss. D. Franz *ad Inst. h.
t. n. 32.* D. à Someting *ibidem* n. 14. Confert huc I.
textus in *d. l. Celsus 27. ff. h. t.* II. in §. 11. *Inst. eôd.*
ubi Justinianus *error falsa causa*, ait, *usucapionem
non parit, veluti si quis cùm non emerit, emisse se exi-
stimans, possideat; vel cùm ei donatum non fuerit,
quasi ex donatione possideat.* III. textus in *l. pro do-
nato 1. in p. ff. pro Donato in l. possideam 2. l. non ma-*
230 *gis 3. ff. pro Legato.* Ratio est: quia ignorantia fa-
cti proprii reputatur de Jure intolerabilis, atque ad
commodum exinde percipiendum planè inidonea
per *l. quamquam 7. ff. ad SC. Vellejan.*
231 Dico VI. Ad Præscriptionem ordinariam rerum
corporalium sufficit titulus existimatus, in errore
facti alieni fundatus. Habetur in *l. quod vulgò 11.*
232 *ff. pro Emptore l. usucapio 5. § un. ff. pro suo.* Ra-
tio est: quia ignorantia facti alieni est probabilis:
eò quòd interpretatio facti alieni prudentissimos
quoque fallat *l. in omni parte 2. ff. de Jur. & fact.
ignor.* ideóque Præscriptionem non moratur: cùm
nec damnum afferat, nec lucrum intercipiat *l. error
8. ff. eôd.*
233 Dico VII. Titulus coloratus ad ordinariam Præ-
scriptionem rerum corporalium est idoneus. Con-
stat ex integris titulis, infrà enumerandis, *pro em-
ptore, pro donato, pro legato &c.* qui omnes dicun-
tur causæ de se habiles ad transferendum dominium,
licèt illud ob defectum tradentis, qui dominiô ca-
rebat, hîc & nunc non transferatur.
234 Dico VIII. In Præscriptione extraordinaria tam
in rebus corporalibus quàm incorporalibus utrò-
que Jure titulus à præscribente probari non debet,
sed præsumitur, nisi gravis Juris præsumptio unà
cum prohibitione adversetur. Ita resolutum vi-
detur in Rota Rom. *p. 2. dec. 222. n. 4. in recent.* & co-
ram Emerix *dec. 22. n. 23.* docentque Theorici &
Practici sinè numero, Covarruv. *d. §. 5. n. 2.* Hau-
nold *d. cap. n. 229.* Rath *cap. 3. assert. 33.* Brun-
nem. ad *l. 24. Cod. de R. V. n. 8.* Mascardus *cit. con-
clus. 1220. n. 3.* P. König *num. 33.* D. Franz *n. 33.*
235 Ratio est: quia ex diuturnitate tanti temporis Ju-
ra præsumunt, rem vel jus legitimâ ex causâ fuisse
acquisitum; imò ipsa possessionis antiquitas tituli
vice fungitur, ac plenissimam possessori securita-
tem tribuit. Quò pertinet I. trita *l. omnes 4. Cod.* 236
de Præscr. 30. annor. quæ liberum ac saluberrimæ
Legis plenissimâ munitione securum pronuntiat,
qui per 30. vel 40. annos jus aliquod inconcus-
sum ac sinè contentione judiciaria possederit. II.
cap. Episcopum 1. h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII.
disertè pronuntiat, in Præscriptione rerum Eccle-
siasticarum, quæ non nisi tempore longissimô 40.
annorum præscribuntur, sufficere bonam fidem, *nisi
Jus commune non sit in contrarium, vel contra præ-
scribentem non habeatur præsumptio.* Quò etiam 237
ex *cap.* & textu stabilitur appendix conclusionis:
*nisi gravis Juris præsumptio cum prohibitione adver-
setur.* Enimverò in rebus & juribus, quæ ex dis-
positione Legis aut Canonis certis duntaxat perso-
nis competunt, atque adeò ubi præsumptio Juris
est contra præscribentem, quòd nempe res illas aut
jura possidere vel exercere non debeat, præter
tempus longissimum etiam titulus, aut in defectum
tituli immemorialis possessio vel quasi-desideratur
per allegatum textum.
Ubi non obiter memoriæ inscribi cupio I. non 238
quamlibet & generalem præsumptionem Juris hîc
intelligendam esse, sed vehementem ac specialem,
cum gravi prohibitione conjunctam, prout sapien-
ter traditum reliquerunt cum Rota Rom. coram
Emerix *dec. 764. n. 10.* Covarruv. *lib. 1. Var. resol.
cap. 17. n. 7* Rath *d. assert. 33.* Engel ad *tit. de Elect.
n. 2.* Passerin. ad *cit. cap. n. 36.* Alias quippe in servi-
tutibus Præscriptio difficulter procederet: quando-
quidem ex eo, quòd omnia prædia præsumantur
libera per *l. altiùs 8. & seqq. Cod. de Servit. & aqua,*
contra præscribentem Juris præsumptio semper
pugnaret. Et colligitur id ipsum ex *cit. cap. Epis-* 239
copum 1. ubi ponitur casus de Episcopo, qui deci-
mas in aliena diœcesi perceperat, ac propterea titu-
lum allegare jussus erat: quia decimæ cujuslibet
diœcesis ex Juris dispositione non tantùm ad Cle-
ricos, Parochos, & Episcopos illius diœcesis perti-
nent, verùm etiam graviter inhibetur, ne unus alte-
rius Ecclesiæ jura & res violare & usurpare præsu-
mat *cap. Ecclesias XIII. quæst. 1.* II. probabiliorem 240
longè sententiam esse, quòd non tantùm Juris resi-
stentia contra præscribentem, sed etiam Juris assi-
stentia pro eo, contra quem præscribitur, requiratur,
velut contra citatum Covarruviam, Francum, Feli-
num, & alios docent Passerin. *ubi supra n. 37. inf.* P.
Pirhing ad *h. t. n. 88.* P. Wiellner *ibidem n. 80.* Reve-
rendiss. Petrus Guetrather ad *cit. cap. Episcopum 1.
n. 13.* & decidit Rota coram Emerix *dec. 731. n. 10. &
11. & d. dec. 764. n. 8. & 9.* Id enim colligitur tum ex 241
cit. cap. ubi, ut statim est explicatum, contra Epis-
copum, decimas in aliena diœcesi præscribentem,
graviter pugnabat Juris resistentia; & simul Episco-
po, contra quem currebat Præscriptio, fortiter Ju-
ris assistentia favebat: tum ex ratione, quòd, si Jus
specialiter non assistat ei, contra quem præscribi-
tur, ille non sit majori dignus favore, quàm præ-
scribens, qui jam possessione longissimâ, quàm com-
munibus Præscriptionis regulis defenditur. Ut
proinde in casu, quò vel Episcopus in loco nullius
diœcesis præscribit jus Episcopale; vel jus deciman-
di in aliena diœcesi ab alio & extraneo Episcopo
contra Ordinarium jam præscriptum erat, absque
titulo præscribere valeat.
Dico ultimò: In Præscriptione immemoriali nul- 242
lus omninò titulus est necessarius, sive Jus commu-
ne assistat, sive resistat. Ita statuitur disertè in *d. cap.
Episcopum 1. h. t. in 6.* & aliquando in facti contin-
gentia consulit Panormitanus *part. 2. Consilia 37.*
n. 2.

n.2. ac sæpiùs judicavit Rota in *recent. p.2. dec.11.n. 2. p.5. dec.249. n.2. & seqq. p.6. dec. 267. n. 11.*

243 Dicta huculque spectant ad Præscriptionem positivam. Præscriptio siquidem privativa vel ideò titulum non expetit: quia titulus in eum duntaxat finem expeti videtur, ut illius vigore possessio reddatur & probetur justa: consequenter, cùm Præscriptio privativa non requirat possessionem ex dicendis in *sect. seq.* neque titulum requiret, sed cursu solius temporis erit contenta *arg. cap. de quarta 4. h. t.* Rota Rom. *in rec. p. 4. tom. 3. dec. 547. n. ult.*

§. III.

Utrùm in Præscriptione rerum incorporalium seu jurium requiratur Titulus; & utrùm scientia & patientia adversarii exigatur?

244 Egimus de Titulo quoad res corporales. Subintrant res incorporales seu jura, & præprimis servitutes, de quibus propositæ quæstiones in utramque partem acriter disputantur. Et primam quæstionem attendendô, invenio tres distinctas sententias. Prima simpliciter & indistinctè requirit titulum; eamque cum Treutlero, Hottomanno, Carpzovio & aliis tuetur Eckoldt ad *ff. de Servitut.* §. 2. Lauterbach ad *ff. h. tit.* §. 20. Secunda simpliciter & indistinctè titulum non requirit. Huic subscribunt Haunold *cit. cap. 2. contr. 3. n. 225.* Harpprecht ad *pr. Inst. h. t. n. 111.* Struv. *Exercit. ad Pandect. 13. th. 39.* Rath *d. cap. 3. assert. 29.* Gletle *p. 2. select. quæst. 28. n. 5.* D. Franz ad *tit. Inst. de Servit.* n. 37. Gilcken *d. p. 2. M. 1. cap. 10. n. 12.* Tertia distinctionem adhibet, ac referre existimat, utrùm possessio initium duxerit à domino, vel à non-domino? Seu, quod idem est, an fundus serviens possideatur ab eo, qui est verus fundi dominus; an verò ab eo, qui fundi dominus non est? Priore casu titulum non requirunt, sed posteriore. Sic distinguunt Vinnius *select. quæst. lib. 1. cap. 31.* D. Christophorus Blumblacher *de Servitut. prud. cap. 3. q. 4. n. 1.* Schwendendorffer *in not. ad* Eckoldt *d.* §. 2. Ut dilucidè appareat, quid & cum quibus sentiam,

245 Dico I. Quando possessio servitutis initium traxit à vero domino, titulus non requiritur. Ratio est: quia titulus in tali casu magis impedit, quàm perficit Præscriptionem: servitus enim ex causa donationis, emptionis, aliôve titulo à vero domino constituta, plenô statim jure in accipientem transit per §. *per traditionem 40. Inst. de R. D. & l. nunquam 31. pr. ff. de A. R. D.* § *si quis 4. Instit. de Servit. præd.* Ergo Præscriptio, tanquam medium ad dominium pariendum, locum habere nequit.

246 Dico II. Quando possessio servitutis initium traxit à non-domino, nihilominùs ad Præscriptionem titulus non exigitur. Textum pro hac conclusione fortissimum suppeditat *l. si quis 10. in pr. ff. si servit. vindic.* ubi Ulpianus, *si quis*, edisserit, *diuturnô usu & longa quasi possessione jus aquæ ducendæ nactus sit, non est ei necesse, docere de jure, quô aqua constituta est, veluti ex legato, vel aliô modô, sed utilem habet actionem, ut ostendat, per annos fortè tot usum se non vi, non clam, non precariò possedisse.* At, qui non debet docere de jure seu titulo, quô servitus est constituta, non eget titulô. Ergo titulus non est necessarius in Præscriptione servitutis, sive exordium à domino, sive à non-domino habuerit: quia
247 textus non distinguit. Textum alium, robore non inferiorem, suggerit idem Ulpianus in *l. si cui 1. § ult. v. sanè enim ff. de Aqua & aq. pluv. arc.* ubi definit, *in servitutibus hoc idem sequimur, ut, ubi servitus non invenitur imposita, is velut jure*, hoc est, ex legitimo titulô, *impositum habere servitutem videatur, qui diu usus est, nec vi, nec clam, nec precariò.* Neque hic de initio possessionis discrimen statuitur. Denique 248
ejusdem tenoris textum habemus in *l. apparet 5. §. 3. ff. de Itin. actûque priv. l. si quas 1. Cod. de Servit. & aqua.* ubi sinè distinctione initii generalis traditur regula, longam possessionem & consuetudinem in servitutibus vicem tituli obtinere.

Confirmatur conclusio I. Textus in Jure expli- 249
candi sunt de casibus dubitatis. At, nisi adductos textus explicemus de casu, quô fundus serviens possidetur à non domino, explicamus de casu minimè dubitato: siquidem ex *n. 245.* Juris certi & indubitati videtur, ad Præscriptionem opus non esse titulô, quando servitus à vero domino constituitur: titulus enim tunc magis submovet, quàm promovet Præscriptionem. II. Patientia veri domini 250
secundùm communem sufficit ad constituendam servitutem absque titulo alio, quando fundus serviens ab ipsomet domino possidetur. Ergo etiam sufficit, quando possidetur à non-domino: quia utrôque casu præscribens uti potest servitute non clam, non vi, non precariò.

Objicies I. suprà *alleg. l. 24. Cod. de R. V.* ubi ab 251
Imperatoribus sinè discrimine statuitur, nullô justô titulô præcedente, à ratione Juris prohiberi, ne dominium in possidentes transeat.

Resp. textum hunc, non attentâ constructionis 252
generalitate, ad res corporales esse limitandum. Ratio est: quia in toto *d. l.* contextu occurrunt termini, qui rebus incorporalibus non adeò quadrant, veluti *possidere, usucapere, dominium quærere, vindicare*: res enim incorporales in rigore nec possidentur, nec veniunt in dominium, nec usucapiuntur, nec vindicantur per *l. servus 43. §. 1. ff. de A. R. D. l. possideri 3. in pr. ff. de A. vel A. P.*

Instabis tamen I. Jura expressim eadem volunt ob- 253
servari in Præscriptione rerum corporalium & incorporaliū, queadmodùm in *l. si aquam 2. Cod. de Servit. & aq.* ibi: *servitutem exemplô rerum immobilium tempore quæsisti; & in l. ult. Cod. de Præsc. longi temp. in fin.* ibi: *eôdem observandô, & si res non soli sint, sed incorporales, veluti servitutes*, evidenter sancitum est. Ergo in Præscriptione non est facienda differentia inter res corporales & incorporales.

Resp. comparationem, quæ in memoratis *LL.* 254
inter res corporales & incorporales instituitur, non esse absolutam & universalem, sed accommodam & particularem, scilicèt in solo tempore & ejus computatione: nam in priori *L.* dicitur, servitutem exemplô rerum immobilium tempore quæsitam, hoc est, eôdem tempore, quô præscribuntur res immobiles, acquisitam censeri; in posteriori autem agitur ab initio de computatione & differentia temporis inter præsentes & absentes, in rebus immobilibus faciendâ, & sub finem eadem computatio & differentia in Præscriptione servitutem observari jubetur.

Instabis II. *In l. diutina 4. Cod. de Præscript. lon-* 255
gi temp. indefinitè constituitur, diutinam possessionem ad Præscriptionem absque titulo non prodesse.

Resp. modum loquendi in *d. l.* equidem indefinitum esse, nisi quòd possessionis, quæ, ut diximus in *n. 252.* strictè ad res corporales solummodò spectat, memoria injiciatur; interim non unam extare rationem, quæ distinctionem suadeat. Et I. ne inter 256
hunc & alios textus statuatur contradictio. II. quòd res corporales in eo dissimilitudinem habeant ab incorporalibus, quia in illis vicem tituli supplet nihil; in istis verò diuturnus usus unius & patientia alterius tituli munus sustinet, atque ad conditionem

tionem usucapiendi prodest, uti post Franckium annotavit Brunnem. ad *d. l. si quis* 10. *ff. si serv. vind. n.* 14. III. In Præscriptione rerum corporalium majus longè præjudicium domini vertitur, dum integrô, quod habuerat, jure excidit; quàm in Præscriptione servitutum, quæ libertatem duntaxat prædii cum impositione cujusdam oneris diminuunt, salvâ interim proprietate. Quâ ratione in *l. si cui simpliciter* 9. *ff. de Servitut.* cautum est, ut servitutes quàm minimô fundi servientis detrimentô constituantur.

257 Objicies II. Præscriptio debet initium sumere à bona fide. Sed, nisi titulus præcedat, vix est, ut initium à bona fide ducatur: cùm titulus ex triviali parœmia mater bonæ fidei dicatur. Ergo &c.

258 Ad hanc objectionem responsio mutuanda est ex *n.* 198. ubi ex Covarruvia ostensum, bonam fidem absque tituli adminiculo coalescere posse. Exemplum huic materiæ opportunum subjicit D. Gletle *cit.* in eo, qui fundum emit, ac in prædio contiguo invenit semitam, commeantium vestigiis impressam: hic, si ex vicinis intellexerit, quòd author ipsius per semitam illam decurrere consueverit; atque, itinere semel ac iterum tentatô, expertus fuerit, dominum prædii contigui non obloqui, prudenter existimat, fundum servituti esse obnoxium: est igitur in bona fide, licèt titulô donatus non sit. Servit huc textus in *l. ait prætor* 1. §. 10. *ff. de Aqua quot. & æstiv.*

259 Expedita est prima quæstio. Expedienda nunc altera, in qua locô tituli præter patientiam etiam scientiam domini postulant Rath *loc. cit.* Brunnem. ad *l. si aquam* 2. *Cod. de Servit.* Covarruv. *initio relect. cap. possess. part.* 2. *n.* 8. Glicken *cit. loc.* Solâ autem patientiâ contenti sunt Clariss. DD. Salisburgenses, Blumblacher *d. loc. n.* 2. Gletle ibidem *n.* 8. Franz *n.* 38. ubi sup à. Cum quibus

260 Dico III. In Præscriptione servitutum sola domini patientia absque scientia sufficit. Ratio quadruplex est. Prima: quia scientiam domini ne ipsa quidem Jura exigunt, dum, ut ex textibus, in *n.* 243. recitatis, relucet, præter usum diuturnum, non clam, non vi, non precariò exercitum, nil ampliùs exigitur. Hoc autem evenire potest absque scientia domini per *l. aut qui aliter* 5. §. 3. *ff. Quod vi, aut clam.* Ergo profusi sumus, si absque Lege ulteriùs quid-
261 piam urgeamus. Altera: quia scientia domini, patientis & non contradicentis, si reverà interveniat, arguit animum constituendæ servitutis: ubi autem animus constituendæ servitutis apparet, citra Præ-
262 scriptionem servitus acquiritur. Tertia: in rebus corporalibus non attenditur scientia vel ignorantia domini *l. ult. Cod. de Præscr. longi temp.* Ergo nec in rebus incorporalibus: quia, quod Imperator in *d. l.* constituit de rebus corporalibus,
263 in *fine* ad incorporales pariformiter extendit. Quarta: quia, si quis actum exerceat in publico, aut tali loco, ut possit in notitiam hominum devenire, præsumitur adversarii scientia. Rota Rom. in *rec. p.* 5. *dec.* 533. *num. ult.* Idem judicavit eadem Rota *p.* 2. *dec.* 686. *n.* 4. & *p.* 5. *dec.* 225. *num.* 4. quando concurrit actuum multiplicitas aut diuturnitas temporis.

264 Dices I. *In d. l. si aquam* 2. *Cod. de Servit.* servitus aquæ ducendæ acquiri tempore perhibetur, si *domino sciente* ducatur. Ergo, si dominô ignorante ducta fuerit, acquisita non videtur.

265 Resp. negandô conseq. quia in LL. Codicis argumentum à sensu contrario parum stringit: neque enim Imperatores in LL. Codicis regulas adeò generales, quemadmodùm JCti in *ff.* semper præscripserunt; sed ad casum & causam propositam juxta exigentiam materiæ rescripserunt. Cùm itaque in *cit. l.* supplicans in sua narratione proposuisset, se per possessionem Martialis, *eô sciente*, aquam duxisse, Imperator eadem verba in suo rescripto reassumpsit, simulque declaravit, jus aquæ ducendæ longô tempore præscriptum esse. Ut adeò verba Principis in hac *l.* non statuentis, sed narrantis; non concludentis, sed repetentis censenda sint. Notat etiam D. 266
Blumblacher *d. quæst.* 4. *num.* 2. mentionem scientiæ ideò factam, ut doceretur, aquam à præscribente clam ductam non esse. Ergo quia, ignorante etiam dominô, aqua non clam duci videtur, si modò ducens animum celandi non habuerit *d. l. aut qui aliter* §. 3. potest etiam jus aquæ ductus ignorante dominô præscribi.

Dices II. In Præscriptione servitutum opus est 267
patientiâ domini, uti ipsimet concedimus. Ergo etiam scientiâ, utpote quæ sinè patientia haberi non potest: cùm pati non dicatur, qui ignorat.

Resp. distinguendò antecedens: opus est patien- 268
tiâ domini, *negativâ* concedo; *positivâ*, nego antecedens. Volo dicere: in Præscriptione servitutum opus esse, ut dominus non reclamet, aut contradicat; non verò, ut approbet, & ratum habeat, quod geritur: nam talis patientia, ut aliquoties tetigimus, potiùs officit quàm auxiliatur Præscriptioni. Quod 269
verò additur de ignorante, quasi is pati non dicatur, non est ad rem: quia in *l. alienationis* 28. *ff. de V. S.* JCtus dicere non veretur, *vix esse, ut non videatur alienare, qui patitur usucapi.* Sed, qui patitur usucapi, neque scit necessariò, neque approbat: cùm etiam contra ignorantem vires exserat usucapio *d. l. ult. Cod. de Præscr. longi temp.* Ergo potest aliquis habere patientiam negativam, etiamsi ignoret usucapionem. Ergo etiam cum tali patientia locum habere usucapio & Præscriptio.

Colliges ex dictis I. quod in 3. *conclus.* de servitu- 270
tibus decisum, idem ad reliqua jura incorporalia pari jure applicandum esse, ut nempe in illorum præscriptione patientia domini absque scientia sufficiat. Rationem ita colligendi præbet *d. l. ult. Cod. de Præscript. longi &c.* quæ, dum ad Præscriptionem nullam scientiam vel ignorantiam exspectandam esse decernit in rebus immobilibus, idem decretum mox ad omnia jura incorporalia extendit, dicendô: *eôdem observandô, & si res non soli sint, sed incorporales, quæ in jure consistunt, veluti ususfructus, & cæteræ servitutes.* Ita Longovallius *in repetit. L. Imperium ff. de* 271
Jurisd. omn. Jud. 4. *part. art.* 2. apud sed contra Covarruv. *cit. init. part.* 2. *n.* 9. Ita etiam Cœpolla, Ripa, Antonins de Butr. Paulus de Castris apud Gabriel *lib.* 5. *conclus.* 1. *n.* 63. Ita etiam Card. de Luca de *Jure Patron. disc.* 63. *n.* 32. in casu, quô titulus coloratus vel putativus adest; prout etiam sentit Rota Rom. in *recent. p.* 1. *decis.* 533. *n.* 3. *p.* 5. *dec.* 23. *n.* 3. & *p.* 8. *dec.* 87. *n.* 3.

Colliges II. quæ in 2. *conclus.* definita sunt, ad 272
usumfructum non rectè ampliari & applicari, ut sinè titulo præscribi valeat. Enim verò est regula generalis in *d. l. diutina* 4. *Cod. d. t. l. nullo* 24. *Cod. de R. V. l. Celsus* 27. *ff. h. t.* Præscriptionem longi temporis sinè titulo incrementum aut progressum non sortiri; & in textibus, pro 2. *conclus.* allatis, solummodò excipiuntur servitutes reales, ut consideranti patebit. Ergo servitutes personales, qualis est ususfructus, manebunt sub regula, quæ titulum in Præscriptione ordinaria desiderat. Nec refert, quòd *cit.* textus, 273
sicut anteà declaravimus, in sensu strictiori de rebus corporalibus differant. Nam & ususfructus, si emolumentum ejus spectemus, ad res corporales & dominium proximè accedit; eaque de causa *in l. Mævius* 66. §. *pen. ff. de Legat.* 2. Papinianus non immeritò advertit, quòd ususfructus, *etsi in jure non in parte consistit, emolumentum rei contineat*; & in *l. cùm*

filius 76. §. 2. *ff. eôd.* usumfructum à cæteria prædiorum servitutibus distinxit, quòd dominii portionem contineat. Sic cum Arnoldo Rath *d. cap.* 3. *assert.* 3. (ubi de communi DD. sententia testatur) sentit Gilcken *d. cap.* 10. *n.* 32. *& seqq.*

274 Colliges III. idem, quod de usufructu, de cæteris juribus incorporalibus, quæ quàm proximè ad jura proprietatis & emolumentum totius rei accedunt, ut de jure pascendi, lignandi, venandi &c. dicendum esse. Nam regula illa nemini, ut reor, non perspecta & probata est, idem jus amplectendum in casu, ubi eadem ratio versatur *l. non possunt* 12. *& seqq. ff. de LL.* Et hinc in illis rebus incorporalibus, in quibus simile præjudicium versatur, non minùs quàm in usufructu titulus ad Præscriptionem efflagitatur. Gilcken *d. n.* 32. *& seqq.*

§. IV.

De Titulo pro Suo & Soluto.

275 Diximus in §. 1. hujus Sectionis, titulum esse vel generalem, vel specialem. Ad generalem revocamus titulum pro *suo & soluto*: quia plerumque cum titulis aliis convenire solent. Ut modò natura & effectus utriusque patentior fiat, gemina sunt prænotanda. Unum est, quòd titulus *pro soluto* interveniat, quando res aliena, nullâ aliâ expressâ deben-
276 di causâ, in solutum traditur. Alterum est, quòd titulus *pro suo* ordinariè tunc concurrat, quando quia, justô errore ductus, possidet rem ut suam & propriam, quæ tamen re ipsa est aliena; vel quia causa possessionis, alias quidem ad dominium conferendum suopte ingeniô comparata, id tamen in casu illo non transtulit; vel quia causa justa seu titulus non intervenit, cùm tamen intervenisse probabiliter & justè, alterius fortè persuasione accedente, crederetur *l.* 1. *& passim ff. & Cod. d. t.* Rath *d. cap.* 3. *assert.* 3. Nunc

277 Dico I. Titulus *pro suo* per se est sufficiens ad Præscriptionem, si, omni aliô titulô deficiente, res eô modò ad nos devenit, quô alioquin sinè causa & titulo prævio ea naturali ratione dominium acquiritur. Explicatur, & probatur. Si gemmam, ab alio perditam, in littore maris inveniam: si hostem justè aggressus inter alia spolia deprehendam res civium, quas pro hostilibus habebam: si pecuniam, alicubi defossam, effodiam, ac pro thesauro possideam: si cervum, jam ab aliquo mansuefactum, & casu in sylva repertum, tanquàm feram bestiam apprehendam, sicque pro meo incipiam possidere: post triennium
278 rectè præscribo. Nam inventio, occupatio bellica, thesauri effossio, venatio &c. sunt modi, suâpte naturâ habiles ad transferendum dominium, vel saltem, uti in prætactis casibus ob defectum rei alienæ usuvenit, prudens argumentum pariunt credendi, res ita occupatas esse proprias. Pariunt igitur titulum *pro suo*, eumque satis habilem ad perficiendam Præscriptionem. Videatur *l. pro suo* 1. *in pr. l. est species* 2. *ff. pro Suo*, & ibi Brunnem. Gilcken *p.* 2. *Membr.* 1. *cap.* 22. *n.* 5. Stryck in *usu mod. pand. ad cit. tit.*

279 Similiter si res mea ab alio, me ignorante, & forsitan absente, præscripta, completâ Præscriptione ad me revertatur, eam titulô *pro suo* absque omni alia causa speciali præscribo: quasi eô ipsô, quòd rei dominium habuerim, ejusque Præscriptionem, ab alio perfectam, nesciverim, justam possidendi causam obtineam. Gilcken *d. cap. numer.* 6. Rath *cit. cap. assert.* 5. Balbus *de Præscr.* 2. *p. princ. q.* 12. *num.* 1.

280 Item si Prælatus in exordio sui Regiminis diversa jura, bona, & res, ab antecessore relictas, inveniat, neque sciat, eas esse alienas, ex titulo *pro suo* præscribit *arg. l. fin.* §. *un. ff. d. t.* ubi dicitur, probabilem errorem possidentis usucapioni non obstare, *veluti si ob id aliquid possideam, quòd servum meum, aut ejus, cujus in locum hæreditariô jure successi, emisse id falsò existimem; quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error est.* P. Engel *h. t. n.* 23.

Dico II. Etiam titulus *pro soluto* potest esse suffi- 281
ciens ad Præscriptionem, quamquam titulus alius non occurrat. Declaratur conclusio. Putas, te mihi ex legato v. g. equum debere, & mihi in solutum tradis, sed alienum, non significans mihi specialem debendi titulum, sed tantùm dicens, te debitorem equi esse: hâc possessione in me translatâ, equum præscribere possum titulo *pro soluto*: quia justè credo, equum mihi tradendum non fuisse, si ex parte tradentis non subfuisset debitum; & tamen titulus alius quàm generalis pro soluto non adest. P. Haunold *d. loc. n.* 240. Stryck. in *usu mod. pand. ad tit. pro Soluto* §. *un.* Gilcken *cit. l. n.* 1.

Prudenter tamen observat D. Rath *assert.* 9. Præ- 282
scriptionem in hoc casu solummodò contra verum rei dominium procedere, non etiam contra solventem: quoniam usque ad 30. annos actio personalis, nempe condictio indebiti, eidem competit ad repetendum, quod ex errore solutum erat.

§. V.

De Titulo pro Hærede & Possessore.

Titulos generales excipiunt particulares; quos in- 283
ter maximè celebris est titulus *pro hærede* vel *possessore*. Hic bifariam in Jure accipitur. Primò enim *pro hærede* vel *possessore* possidere dicitur, qui se hæredem vel possessorem falsò professus, nullô justô titulô munitus, hæreditatem vel bonorum possessionem occupavit; qui interrogatus, cur possideat, vertit interrogationem in responsionem, ac reponit: quia possideo, ut dicit Ulpianus in *l. qui interrogatus* 12.
ff. de Petit. hæredit. Secundò dicitur *pro hærede* vel 284
possessore possidere, qui vel à Lege vel à Prætore ad hæreditatem vel bonorum possessionem aut vocatus est, aut vocatum se ex justo errore credit, atque rem alienam, in massa hæreditatis inventam, tanquàm propriam possidet. Prima acceptio non est hujus loci, sed altera, in qua

Quæritur I. An non solùm extraneus, sed etiam 285
suus hæres ex titulo *pro hærede* possit usucapere? Ansam quærendi & dubitandi suppeditârunt varia Juris effata. Nam I. *in l.* 2. *Cod. de Usucap. pro hærede* legitur: *nihil pro hærede usucapi, suis hæredibus existentibus, magis obtinuit.* II. *in l. in suis* 11. *ff. de Lib. & posthum. hær.* hæres suus tantùm impropriè & abusivè hæres nominatur; & consequenter titulum pro hærede non meretur. III. *in l. qui legatorum* 2. §. *fin. ff. pro Hærede* negat Julianus, filium rem, à patre donatam, pro hærede usucapere posse. IV. *in l. Celsus* 27. *ff. h. t.* ad usucapionem talis requiritur titulus, per quem dominium in usucapientem migrare queat; in hæredem verò suum rerum hæreditariarum dominium migrare nequit: vel enim res est propria, vel aliena? Si propria; hæres suus jam in vita parentis dominium habuit *d. l. in suis* 11. *de Lib.* Si aliena; dominium acquirere non potuit. Et hi textus Donellum, Hunnium, Wesenbecium, & plures Interpretes ad sententiam negativam rapuêre. Sed contra illos

Dico I. Non tantùm extraneus, sed etiam suus 286
hæres ex titulo pro hærede usucapit. Ita Rath *assert.* 22. Haunold *n.* 244. Harpprecht ad *princ. Inst. h. t. num.* 116. Eckoldt *ad tit. ff. pro Hærede cit.* §. 2.

Schwendendorff *ibid. in not.* Zoëſ. *ad tit.n.* 2. Proba-
tur I. Qui eſt verus hæres, indubitatè uſucapit ex
titulo pro hærede. Sed ſuus hæres eſt verus hæres,
imò verior, quàm extraneus *arg. rubrica princ.* §. 1. 2.
& 3. Inſt. de Hæred. qual. & diff. quódve ex ſpecia-
li Juris favore inſuper *ſuus* dicatur, non tam nocere
quàm favere debet, ne, quod in privilegium eſt con-
ceſsum, in odium detorqueatur contra *cap.* quod
ob gratiam 61. *de R.J. in* 6. *l. quod favore* 6. *Cod. de
LL.* Ergo &c.

287 Probatur II. dilucidè ex *l. ſi ancillam* 4. §. 1. *ff. pro
Suo*, ubi diſponitur, poſt factam à patre bonorum
diviſionem, poſse res diviſas, ſi alienæ ſint, à filiis
uſucapi *pro ſuo*. Unde ſic arguo : non obſtante,
quòd filii ſint hæredes ſui, poſsunt tamen bona, à
patre diviſa, uſucapere pro ſuo. Ergo ſimiliter non
obſtante, quòd filii ſint hæredes ſui, poterunt bona
aliena, ex teſtamento patris vel ab inteſtato ad ſe de-
voluta, uſucapere pro hærede : in utroque enim ca-
ſu filii reputantur una cum patre perſona, & do-
minium non tam in illos transfertur, quàm conti-
nuatur.

288 Textus oppoſitos facilè diluo. Ad I. Reſp. ſen-
ſum legitimum *d. l.* 2. non eſse, quòd ſui hæredes
non habeant facultatem uſucapiendi pro hærede,
ſed quòd in concurſu hæredum ſuorum, quamdiu
tales exiſtunt, extranei nihil poſſint uſucapere pro
hærede: vel quia unam cum defuncto perſonam con-
ſtituunt, & ideò pater adhuc in illis ſpirare cenſetur:
vel quia extraneus, in ſimili eventu pro hærede ſe
gerens, videtur in mala fide verſari, utpote cùm tam
craſſi judicii ſit nullus, qui non intelligat, ſe fruſtra
ad hæreditatem alterius, ſaltem ab inteſtato, aſpi-
rare, quando adſunt liberi, quibus ipſa natura pa-
rentum ſubſtantiam addicit *l. cùm ratio* 7. *ff. de Bon.*
289 *damnat.* Ad II. dico, liberos potiori titulô debere
abuſivè vocari bonorum paternorum dominos,
quàm abuſivè hæredes : quia dominium illud eſt fi-
ctum duntaxat, eſt labile, & per exhæredationem
omninò extinguibile, aut per inſtitutionem cohære-
290 dis extranei multùm conſumptibile. Ad III. nego
ſuppoſitum, quòd uſucapio in *cit. l. qui legatorum* ve-
tetur ex defectu tituli pro hærede : vetatur enim
ideò, quia donatio inter patrem & filium in tantum
eſt invalida, ut nec uſucapionem pro donato tribuat
l. 2. §. 1. *ff. pro Donato*; nec uſucapionem pro hærede:
quia cauſa poſseſſionis naturalis, quam filius in re
donata vivente patre habebat, non videtur immuta-
ri, ideóque nec conditio uſucapiendi locum invenire
arg. l. non ſolùm 33. §. 1. *ff. h. t.* Et licèt donatio inter
patrem & filium morte patris confirmetur, id tamen
non ex ordinatione Digeſtorum, ſed ex ſingulari
diſpoſitione Juſtiniani in *l. donationes* 25. *Cod. de Do-
nat. int. vir. & uxor.* factum eſt. Gilckeu *d. p.* 2. *M.* 1.
291 *cap.* 16. *n.* 17. *&* 18. Quin ex hac ipſa L. magis ro-
boratur, & confirmatur intentum : quia, dum JCtus
quærit, an filius rem, à patre in vivis ſibi donatam,
uſucapiat pro hærede ? Supponit, uſucapionem
pro hærede in cauſis & caſibus aliis ex parte filii
292 non eſse ſublatam. Ad IV. Reſp. rerum, quæ pa-
tri erant propriæ, dominium verè & propriè in fi-
lios tranſire poſt mortem patris : rerum autem alie-
narum dominium, ſicut in extraneos ſic in hæredes
ſuos tranſire non poſse, ſed potentiam duntaxat
uſucapiendi.

293 Quæritur nunc II. & quidem difficiliùs : an res,
defuncto commodata, locata, depoſita &c. aut aliàs
impropriè & alienò nomine poſseſsa, titulô pro
hærede uſucapi valeat ? Ita enim voluerunt non
pauci, in ſpecie Bachovius tum *in Inſt. ad h. t.* §. 4.
tum in *Diſput. ad Treutler.* Vinnius *ad* §. *diutina
Inſt. eôd.* Tuldenus ibidem. Idemque placitum non
improbabile judicat P. Haunold *n.* 252. Alia tamen
mens eſt Arnoldo Rath *aſſert.* 25. Brunnem. *ad l.* 2.
n. 1. *& l.* 3. *n.* 2. *ff. pro Hæred.* Covarruv. *cit. p.* 2. §. 9.
n. 3. Stryck in *uſu mod. pand. ad d. t. pro hærede* §. 2.
Gierle 2. *p. ſelect. q.* 20. *num.* 6. Clariſs. D. Chlin-
genſperger *ad Inſt. h. t. quæſt.* 16. Quibus & ego aſ-
ſentior, &

Dico II. Res, à defuncto impropriè & alienô no- 294
mine poſseſsa, titulô *pro hærede* nequit præſcribi.
Probatur I. ex *l. diutina* 4. *Cod. de Præſcript. longi
temp.* ubi apertè negatur, diutinam poſseſſionem
tantùm *jure ſucceſſionis* abſque titulo alio ad Præſcri-
ptionem ſufficere : ſufficeret autèm, ſi titulus pro
hærede prodeſset quidpiam, quando defunctus rem
ex nullo titulo, ad conferendum dominium habili,
poſsedit. Probatur II. *ex l. ult. Cod. pro Hærede*, 295
ubi aſseritur, neque tenentem, neque ejus hære-
dem uſucapere, ſi nullô titulô juſtô præcedente poſ-
ſederint ; nihil valente illô prætextu, quòd res ut
hæreditaria bonâ fide poſſeſſa fuerit. Atqui res, à de-
functo alienô nomine poſſeſſa, eſt poſſeſſa injuſtô ti-
tulô. Ergo &c. Probatur III. *ex* §. *ſed tamen* 4. *Inſt.* 296
h. t. ubi Imperator concedit uſucapionem rei, defun-
cto commodatæ, ſi hæres eandem vendiderit. Ergo
videtur negare uſucapionem, ſi hæres rem illam de-
tinuerit.

Neque dicas cum Vinnio ubi ſupra, ſatis ad pro- 297
poſitum Imperatoris fuiſſe, uſucapionem tunc con-
cedere, quando res hæreditaria venditur : nam
exemplum duntaxat afferre voluit, quô liquidè oſ-
tendat, rerum mobilium uſucapionem aliquando
procedere. Contra enim eſt, quòd, ſi hæres faculta-
tem uſucapiendi habere ſupponeretur, Imperator
venditionem ad facilitandam uſucapionem non præ-
ſcriberet.

Probatur IV. *ex l. cùm hæres* 11. *ff. de Diverſ. temp.* 298
Præſcr. cujus hæc eſt definitio : *cùm hæres in jus om-
ne defuncti ſuccedit, ignorantiâ ſuâ defuncti vitia non
excludit, veluti cùm ſciens alienum, vel precariò poſ-
ſedit : quamvis enim precarium ignorantem hæredem
non teneat, tamen uſucapere non poteſt, quod defunctus
non potuit.* Ecce ! rationem, cur hæres rem, precariò
acceptam a defuncto, uſucapere non poſſit, JCtus
hanc aſſignat : quia eſt una cum defuncto perſona ;
quia eôdem, quô defunctus, jure poſſidet. Sicut er-
go defunctus ob defectum poſſeſſionis nequit uſu-
capere : ita & hæres, qui eôdem poſſidet jure, me-
lioris conditionis non erit.

Neque reſpondeas cum Haunoldo *n.* 251. *in fin.* al- 299
legatam L. eſſe intelligendam de poſſeſſore malæ fi-
dei, ſi nempe defunctus malâ fide rem poſſedit, pro-
pter verba in *d.* textu immediatè ſequentia : *neque
enim rectè defendetur, cùm exordium ei bonæ fidei ra-
tio non tueatur.* Hanc enim reſponſionem eſſe lubri-
cam & elumbem, clariſſimè JCtus indicat, dum ca-
ſus alternativè duos ponit : primus eſt, quòd hæres
uſucapere non poſſit, quod defunctus malâ fide poſ-
ſedit, ibi : *cùm ſciens alienum* : ſecundus eſt, quòd
ne illud quidem uſucapere valeat, quod non malâ
quidem fide, ſeu tamen impropriè, quia precariò,
detinuit, ibi : *quamvis precarium ignorantem hære-
dem non teneat, tamen uſucapere non poteſt.* Quod 300
ampliùs patet ex ratione, quâ nititur JCtus ad Præ-
ſcriptionis negationem : quia nempe hæres, cùm par-
ticipet vitia defuncti, nequit uſucapere, quod defun-
ctus non potuit. Sed defunctus non potuit uſuca-
pere, rem precariò poſſeſſam, etſi in bona fide exti-
tiſſe ſupponatur. Ergo nec hæres. Et ideò rectè di-
xit in fine, nihil juvare hæredem, quòd poſſeſſio-
nem bonâ fide exorſus fuerit : ſiquidem in hærede
non propria tantùm, ſed aliena quoque vitia uſuca-
pionem impediunt.

Oppones I. *l. plerique* 3. *ff. pro Hærede*, in qua, ex 301
relatione Pomponii, *plerique putaverunt, ſi hæres ſim,*

*& putem, rem aliquam ex hæreditate esse, quæ non
sit, posse me usucapere.* In hac L. subinfers, ad usuca-
pionem *pro hærede* plus non exigitur, quàm ut aliquis
hæres sit, & simul existimet, rem, quam possidet, fuisse
hæreditariam. Ergo res, defuncto commodata, vel
precariò possessa, usucapi poterit, si modò quis hæres
extiterit, remque hæreditariam esse existimaverit.
302 Resp. ut dispositio hujus L. valeat, ponendos esse
terminos habiles, ac supponendum, ex persona de-
functi nullum omninò defectum in hæredem esse de-
rivatum, qui usucapioni obluctetur: secùs attenden-
da erit dispositio L. immediatè antecedentis 2. §. 1. *ff.
eôd.* ubi responsum est: *neque colonum, neque eum,
apud quem res est deposita, aut cui commodata est, lucri
faciendi causâ pro hærede usucapere posse*; intelligen-
dò per *colonum &c.* non ipsum defunctum, ut qui *pro
hærede* non possidet; sed ejus hæredem, qui ob iden-
titatem personæ non ineptè colonus, depositarius, aut
commodatarius appellitatur.
303 Oppones II. Aut valent quidquam integri tituli
in ff. & Cod. pro Hærede; aut valent nihil? Si primum;
concedatur necesse est, usucapionem coalescere, ubi
res defuncto commodata, & ab hærede bonâ fide
est possessa: quia alius casus, in quo valeant isti ti-
tuli, non potest adduci. Si secundum; tollantur;
non tolerentur in Corpore Juris; deleantur, non do-
ceantur in Scholis.
304 Resp. valorem utique dictis titulis constare, sed
in casibus longè aliis. Casum unum refert Gleile *cit.
loc.* quando aliquis jure sanguinis defuncto ab inte-
stato successit, & alius dein hæreditatem evincere
tanquàm cognatus proximior contendit: huic enim
titulum *pro hærede* meritò obtendi posse, arbitratur
per textum non spernendum *in l. non solùm* 33. §. 1. *v.
hoc amplius ff. h. t.* cùm error justæ causæ alias ad
usucapionem proficiat.
305 Casum alium ponit Rath *assert.* 24. quando versa-
tur dubium, an possessio defuncti justa an injusta,
bonâ aut malâ fide instructa fuerit? Tunc quippe, si
hæres, opinatus, rem ex numero hæreditariarum
esse, tempore legitimô possederit, ex solo titulo
pro hærede usucapiet, tamdiu contra veterem & ve-
rum dominum semet defensurus, quàmdiu injustam
306 defuncti possessionem non ostenderit. Impugnat
quidem Rathium Haunoldus, quasi in relato ca-
su eidem propriæ rationes salvandæ & solvendæ
essent. Meô tamen judiciô Rathius non tam in
Præscriptione quàm præsumptione se fundat;
cùm probationem in contrarium admittat domi-
no.
307 Casum tertium, & forsitan à nemine improban-
dum affert idem Rath *assert.* 25. quando defun-
ctus easdem cum socio ædes pro indiviso inhabita-
vit, aut quando eas incoluit solus, & dominus
ædium fortè unum cubiculum pro rebus suis re-
servavit: si enim hæres postmodùm res aliquas ad
socium, vel dominum ædium, aut tertium ali-
quem pertinentes, ex opinione, quòd ad defun-
ctum, cui successit, spectent, tanquàm hæredita-
rias apprehenderit, justè hôc titulô usucapiet: quo-
niam ex sua persona bonam habere fidem supponi-
tur; ex persona autem defuncti nil apparet, quod
ei noceat.

§. VI.

De reliquis Titulis Particularibus.

308 Ex his offert se I. titulus *pro emptore*; qui, ut
Præscriptionem progignat, sequentia ex Eckoldto
ad tit. pro emptore §. 1. exambit. Primum est, ut em-
ptio sit facta bonâ fide, eaque & tempore contractûs
& tempore traditionis adfuerit *l. 2. in fine princ. ff.
eôd.* Aliter atque in aliis contractibus, ubi bona fi-
des solùm tempore traditionis spectatur *d. l. 2.* Ra- 309
tionem discriminis aliqui in frequentiam emptionis;
alii in conditionem rei alienæ, quæ faciliùs in aliis
contractibus, quàm in emptione præstari potest; alii
in impedimentum aliud refundunt, uti ostendit Gil-
cken *d. p. 2. M. 1. cap. 14. per tot.* Secundum est, ut 310
emptio sit pura & non conditionata *d. l. 2. §. 2. ff.
pro Empt.* nam conditio, emptioni dejecta, & do-
minium & usucapionem suspendit. Tertium est, ut 311
res, quæ in contractum venit, & non alia tradatur:
alia namque, cùm empta non fuerit, pro emptore
non potest usucapi. Quartum est, ut venditor jus 312
vendendi habuerit *l. 1. Cod. de Usucap. pro empt.* nam,
qui à pupillo sinè tutoris authoritate sciens emit,
vel à furioso, quem sanæ mentis putabat, is non
usucapit pro emptore *l. fin. Cod. d. t. l. 2. §. 15. &
16. ff. eôd.*
II. se offert titulus *pro donato*, qui tum usuca- 313
pionem operatur, quando res aliena ex causa donatio-
nis est tradita. Licèt enim apud Veteres contentio
fuerit, an titulus iste pro legitima usucapionis causa
agnosci debeat? Hodie tamen res dubiò caret post
decisionem Justiniani *in l. pen. Cod. de Præscript. longi
temp.* Neque interest, quòd res aliena donari ne- 314
queat, cùm fieri nequeat donatarii: id namque ve-
rum est quoad dominium, non quoad usucapiendi
conditionem.
III. offert se titulus *pro legato*, ad usucapionem 315
producendam fœcundatus, ubi res aliena fuit lega-
ta; & quidem a testatore ignorante, alienam esse.
Quòd si testator sciverit, non usucapitur, sed hæres
eam redimere, aut in defectum redemptionis æsti-
mationem præstare cogitur §. *non solum* 4. *Instit. de
Legat.* Videatur Eckoldt *ad tit. ff. pro Legat.* §. 2. Il- 316
lud non refert, vivátne adhuc legans, an fuerit mor-
tuus; dummodò legatarius crediderit mortuum *l. ea
res* 5. *& seq. ff. d. t.* Secus ac in donatione mortis cau-
sâ: *si enim rem alienam mortis causâ donavero, eaque
usucapta* (à donatario) *fuerit, verus dominus eam
condicere non potest* (hujus siquidem respectu usu-
capio tenet) *sed ego, si convaluero*, ait textus *in l. si
alienam* 13. *in pr. ff. de mort. causa Donat.* nimirum
condictione sinè causa: quia, donatore convalescen-
te, donatio, causâ mortis facta, ipsô Jure resolvitur,
suumque in nihilum relabitur.
IV. se offert titulus *pro dote*, quô maritus rem 317
alienam, pro dote constitutam, usucapit, ad suum
quidem commodum, quàmdiu matrimonium subsi-
stit; eô autem solutô, utilitas & emolumentum
usucapionis redit ad uxorem *arg. d. l. 13. in pr.* &
l. qui alienam 33. *ff. de mort. causa Donat.* Rath *as-
sert.* 15.
V. se offert titulus *pro derelicto*, de quo in 2. *cap.* 318
pleniùs disseruimus, quòd primævam quasi causam
usucapioni subministraverit. Et licèt in *l. si res* 1. *&
seq. ff. pro Derelicto*, res derelicta citra usucapionem
statim occupantis fieri dicatur; id tamen exaudien-
dum de casu, quô res à vero domino fuit abjecta eô
expressô animô, quòd nolit ampliùs in patrimonio suo
rem illam agnoscere. Quòd si à non-domino res de-
relicta sit, ab occupante non acquiritur quoad do-
minium, nisi post usucapionem completam.
Occasione hujus tituli oritur difficilis quæstio: 319
num res in tempestate, navis levandæ causâ ejectæ,
possint ex titulo *pro derelicto* præscribi? Pro Præ-
scriptione stat textus *in l. falsus* 43. §. 11. *ff. de Furt.*
ubi Ulpianus edicit, merces, ex simili causa in mare
projectas, plerumque pro derelictis habendas esse:
quô suppositô, non est, cur usucapionem pro dere-
licto excludamus, si merces projectæ fuerint alie-
næ. Contra Præscriptionem dimicant textus *in l. si* 320
laborante 2. §. *fin.* & *l. qui levandæ* 8. *ff. ad Legem
Rhod.*

Rhod. de jactu, ubi planè oppositum deciditur, ea
subjuncta ratione : quòd jactus mercium magis ad
earum conservationem quàm omissionem contingat.
321 Quibus subvenit *l. 7. ff. pro Derelicto*, quæ ita ha-
bet : *si quis merces, ex nave jactatas, invenisset, num
ideò usucapere non possit, quia non videntur derelicta,
quæritur? Sed verius est, eum pro derelicto usucapere
non posse.*

322 Ex variis conciliationibus, quas Interpretes apud
Rath *assert. 19.* comminiscuntur, mihi probatur il-
la, quæ ex modo & loco jactûs est petita. Refert
nimirum, an quis merces projecerit navigans in flu-
mine, proximus littori in conspectu continentis; an
verò navigans in medio pelago vel Oceano. Prio-
re casu vera est sententia negativa, quòd Præscrip-
tio non procedat : quia merces non derelinquendi
animò, sed, effugiendi periculi causâ, præsumun-
323 tur ejectæ. Posteriore casu dixerim, sententiam,
quæ Præscriptionem admittit, improbandam non
esse : quia, qui merces medio in ponto fluctuans in-
dignanti Nereo consecrat, aut nullam aut exiguam
spem habet, illas recuperandi. Hucque respexisse
videtur Ulpianus *in d. l. falsus §. 11. de Furt.* dum
non otiosè opinioni suæ hæc apposuit verba : *cùm
sciat periturum*, quasi diceret, talem scire, vel scire
debere, merces ejectas perituras; sicque pro dereli-
ctis habere. Hanc conciliationem approbare vide-
tur Brunnem. *ad d. l. falsus n. 9.* & Menochius *lib. 5.
præsumpt. 30. n. 17. & 18.* ubi etiam vocabulum *ple-
rumque*, ab Ulpiano usurpatum, pro *interdum* intelli-
git; quod in Jure novum non est *arg. §. sed istæ 3.
Inst. de Action.*

324 Quidam apud *cit.* Rath *assert. 16.* opinantur, titulum
pro derelicto frustra & sinè effectu locum in Corpo-
re Juris occupare : eò quòd hâc ætate, quæ aliena
potiùs concupiscit, quàm propria derelinquit, ma-
teria deficiat, cujus occasione in usum redigatur.
Num rectè hi judicent? Meum non est judicare.

325 VI. se offert titulus *pro judicato*, qui Præscriptio-
nem operatur non quidem in casu, quô res, ad victum
pertinens, victori fuit adjudicata (sic enim ob effica-
ciam & virtutem rei judicatæ re ipsâ statim transfer-
tur dominium in victorem, ut suô tempore videbi-
mus) sed in casu, quô res ad alium, quàm litigantes,
spectans, uni ex illis addicta fuit per *l. si per errorem
17. ff. h. t.* & ibi Brunn. Gilcken de *Præscript. p. 2. m. 2.
cap. 21. per tot.*

326 VII. se offert titulus *pro transacto*, pariens usuca-
pionem ad instar rei judicatæ, quando ad unum ex
transigentibus res aliena pervenit *l. cum solus 29. ff. h.
t. l. ex causa 8. Cod. de Usucap. pro emptore vel transact.*
Brunn. ad *eand. l. n. 3. & 6.* Latè Gilcken de *Præscript.
d. l. cap. 15. à n. 9.*

327 VIII. se offert titulus *pro permutato*, quando quis
alteri dedit rem propriam, & ab eo recepit alienam
arg. l. sequitur 4. §. 17. ff. h. t.

328 IX. se offert titulus *pro diviso*: si enim in divisione
hæreditaria aut rerum singularium, quasi commu-
nium, uni vel alteri res aliena accesserit, illa pro di-
viso præscribitur per *cit. l. si per errorem 17. ff. h. t.*
329 Sicut enim divisio rei propriæ verum non dominium
pro diviso tribuit *§. eadem 5. Inst. de Off. Jud. l. divi-
sionem 1. l. etiamsi 2. Cod. Communia utriusque jud.* ita
divisio rei alienæ præscribendi conditionem opera-
tur. Baldus de *Præscript. 1. p. 3. princ. q. 4.* & DD. ibi-
dem citati.

330 Quæres I. utrùm, si titulus possessioni, jam cœp-
tæ, ex nova causa extrinsecùs superveniat, ad præ-
scribendum sit sufficiens?

Resp. affirmativè. Textus & casus est in *l. cùm vir
42. ff. h. t.* ubi deciditur, quòd, si vir alicui sive scienti
sive ignoranti, prædium dotale vendiderit, venditio
quidem non valeat; attamen, si posteà, mortuâ con-
juge, dos cedat mariti lucro, venditio convalescat;
quódve prorsus idem sit tenendum, quando fur rem
furtivam vendidit, & posteà hæres extitit domino,
cui rem abstulit. Censetur itaque titulus, possessioni 331
jam cœptæ superveniens, esse sufficiens ad acquiren-
dum dominium : ideoque censebitur etiam sufficiens
ad pariendam usucapionem, uti post alios tenent Gil-
cken *cit. l. cap. 12. num. 2. & 5.* Rath de *Usucap. assert.
17. & 18.*

Quæres II. utrùm, si possessor ignoraverit, se ti- 332
tulum habere, nihilo minùs præscribat?

Resp. affirmativè. Textus in *l. pro emptore 2. §. 2.
ff. pro Emptore.* Harpprecht ad *pr. Inst. h. t. num. 113.*
Fachinæus *l. 8. contr. cap. 32.* Vasquius *illustr. contr.
lib. 2. cap. 69.* eisque consentit Balbus *1. p. 3. princ. q. 2.
n. 4. & seqq.* quando scientia tituli supervenit ante
completam Præscriptionem. Ratio est : quia, tametsi 333
quis ignoret titulum, possidet tamen justè bonâque
fide, dummodò credidit, aut tradentem fuisse do-
minum, aut habuisse facultatem, jus suum in alterum
transferendi. Consequenter nihil ad Præscriptionem
deesse videtur.

SECTIO III.

De Possessione.

SUMMARIA.

§. I.

Quid & quotuplex sit Possessio?

TErtium Præscriptionis requisitum est possessio. 334
Hæc vel est propria vel impropria. Impropria
est detentio rei, animô quidem eandem habendi,
non tamen ut suam, aut sibi; quâ ratione possident
condoctor, commodatarius, depositarius &c. Pro- 335
pria tam varias habet descriptiones, ut Balbus *2. p.
3. princ. q. 1. num. 2.* dixerit, ne prudentes quidem
eam definire ausos fuisse. Describitur tamen con-
venienter ad propositum (nam amplior hujus rei

cognitio ex *l.* 3. *in tr. de Jure propriet. cap. ult.* erit
petenda) quòd sit detentio rei animô eandem sibi
habendi.

336 Possessio propria dividitur diversimodè. Hîc di-
viditur I. in naturalem & civilem. *Civilis* est deten-
tio rei animô eandem habendi ut suam, cum opinio-
ne domini. *Naturalis* est detentio rei animô habendi
ut suam, seclusâ opinione domini, puta si possidens
sciat, aut opinetur, rem alienam esse; uti non tan-
tùm contingit in fure v. g. sed etiam in usufructuario
337 vel creditore pignoratitio. Itaque possessio civilis
aut naturalis hic denominatur ab intentione vel cau-
sa possidendi; non autem à modo. Nam *modò civili*
possidere diceris, si animô solò rem teneas; *modô na-
turali* verò, si actu rei insistas.

338 Dividitur II. possessio in justam, & injustam. *Justa*
dicitur, quæ justô titulô est suffultâ. *Injusta*, quæ
justô titulô destituitur. Unde possessio justa nequa-
quàm cum civili aut confundenda, aut convertenda
339 est; neque naturalis cum injusta. Nam, qui credit,
rem suam esse, & ex errore putat, quòd titulum ha-
beat, cùm non habeat, possidet civiliter, nec tamen
justè. Econtrà, qui opinatur, rem alienam esse, igno-
rans, quòd titulum habeat, cùm tamen habeat, possi-
det naturaliter, nec tamen injustè.

340 Dividitur III. possessio in verè talem, & quasi
talem. Illa pertinet ad res corporales, hæc ad res &
jura incorporalia: quemadmodùm enim incorporalia
jura per se non cadunt sub sensum; ita etiam deten-
tionem & veram possessionem refugiunt. Huc res-
pexisse videtur Paulus in *l. possideri* 3. *in pr ff. de A.
vel A. P.* ubi ait: *possideri autem possunt, quæ sunt*
341 *corporalia.* Quia tamen & ipsa in humano versantur
commercio, & non minùs quam jura corporalia Præ-
scriptioni subjacent, eorum acquisitio per quasi pos-
sessionem fieri, communiter dicitur. Hæc verò qua-
si-possessio nihil aliud est, quàm usus & exercitium
alicujus actûs, aliàs ex jure incorporali promanantis;
sicque non tam in detentione quàm usu & exerci-
tio consistit. Covarruv. *p. 2. relect. cap. possessor. init.
num.* 6.

342 Certamen verò inter DD. oritur, quot actus requi-
rantur, ut aliquis in quasi-possessione rerum & ju-
rium incorporalium constituatur? Nonnulli apud P.
Engel ad *tit. de Elect. num.* 3. plures actus requirunt
arg. cap. cùm Ecclesia 3. *cap. cùm olim* 7. *de Caus. pos-
sess.* & *propriet. cap. querelam* 24. *in fin. de Elect.* in
quibus textibus ad acquirendum eligendi jus, quod
utique etiam est incorporale, pluralitas actuum re-
343 quiri videtur. Quidam econtrà cum Covarruv. *loc.
cit.* & Glossa in *d. cap. cùm Ecclesia.* Balbo *d.* 1. *p.* 5.
princ. quæst. 8. *n.* 2. & aliis communiter volunt, unicum
etiam actum ad constituendam quasi-possessionem
sufficere propter textum in *l. ait Prætor.* 1. §. 21. *ff. de
Aqua quot. & æstiv.* ubi Prætor interdictum seu re-
medium possessorium illi accommodat, qui semel
duntaxat aquam duxerit.

344 Mediâ distinctionis viâ incedit Panormitanus in
d. cap. cùm Ecclesia 3. *de Causa poss. & propriet. n.* 22.
quem sequitur Magnif. P. König ad *eundem tit. part.*
1. *num.* 41. & P. Reiffenstuel *ibid.* à *num.* 155. Se-
cernenda videlicèt jura, quorum exercitium non
facilè solet concedi, nisi quasi-ex debito, v. g. jus
eligendi, præsentandi, decimandi &c. à juribus
aliis, quorum usus ex familiaritate, amicitiâ, vicini-
tate non rarò permittitur, uti v. g. in servitute iti-
345 neris, viæ, actûs &c. contingit. In juribus primi
generis ad quasi-possessionem unus actus sufficit: ex
quo enim is, de cujus interesse agitur, tacet, &
dissimulat, videtur supponere, alterum, qui exer-
cet actum, id jure & justa ex causa facere *d. l. ait*
346 *Prætor.* §. 21. *de aqua &c.* In juribus secundi ge-
neris plures actus ad quasi-possessionem requirun-
tur, ex quibus verosimiliter constare possit, uten-
tem non ex familiaritate, amicitia, aut gratia in usu
persistere *arg. l. Prætor ait* 1. §. 2. *ff. de Itin. actuque
priv.* Hæc distinctio, velut æquitati & Juri con- 347
sentanea, probatur à Posthio in *tr. de Manutenendo
observ.* 18. *num.* 46. nec mihi displicet; ut minimè
dubitem, quin possessio, per unicum actum acqui-
sita, accedente temporis legitimi decursu, sufficiat
ad Præscriptionem, veluti non semel decidit Rota
in *recent. p.* 14. *dec.* 8. *n.* 2. *p.* 15. *dec.* 296. *n.* 8. *p.* 17. *dec.*
295. *num.* 5. *p.* 10. *tom.* 1. *dec.* 314. *n.* 3. *p.* 19. *tom.* 2. *de-
cis.* 589. *n.* 5.

§. II.

Utrùm in omni Præscriptione requiratur Possessio?

Repeto hîc divisionem Præscriptionis in positi- 348
vam & privativam, eamque juxta fidem, in *cap.* 1.
num. 51. datam, unà cum præsenti quæstione de-
claraturus.

Dico I. Præscriptio privativa non requirit pos- 349
sessionem. Probatur I. Jus, ex propria inclinatio-
ne mortuum, finitum, extinctum, non indiget pos-
sessione ad hoc, ut moriatur, finiatur, extingua-
tur: posteaquàm enim vitam amisit juridicam, à
morte non ampliùs excitatur, sive præcesserit ali-
qua possessio, sive non præcesserit. Sed in Præ-
scriptione privativa moritur, finitur, extinguitur jus
ex propria inclinatione; quia ex dispositione Juris
solummodò ad certum temporis spatium vivere per-
mittitur; quemadmodùm ipsimet Imperatores phra-
si juridicâ in textibus, mox citandis, loquuntur.
Ergo &c.

Confirmatur I. Actiones personales, actiones pœ- 350
nales, restitutio in integrum, servitus rustica, ap-
pellatio, & jura ejus conditionis plura, enumerata
à Jurisperitis ad *tit. ff. de Divers. & temporal. Præ-
script.* ita sunt alligata certo tempori, ut, nisi actio-
nes personales moveantur intra tricennium, pœna-
les prætoriæ intra annum, restitutio intra quadrien-
nium, servitus intra decennium, appellatio intra de-
cendium, suâpte indole independenter ab aliqua
possessione debitoris evanescant *l. sicut* 3. *l. omnes* 4.
Cod. de Præscr. 30. *annor. l. super annali* 1. §. 1. *Cod. de
annali Except. l. receptitia* 2. *Cod. de Const. pecun. l. in
honorariis* 35. *ff. de O. & A. l. ult. Cod. de tempor. Re-
stitut. in integr.* Atqui in præfatis juribus datur Præ-
scriptio privativa: quia non acquiritur jus novum,
sed jus, anteà præexistens, perditur. Ergo in Præscri-
ptione privativa possunt creditoris jura citra omnem
possessionem aboleri.

Confirmatur II. Memorata jura non conceduntur 351
absolutè: alioquin nullô non tempore exerceri pos-
sent; sed conditionatè, si nimirum intra tempus legi-
timum fuerint exercita. Ergo, si non exerceantur in-
tra illud tempus, propriâ sponte intereunt; neque
recreantur ampliùs post interitum, secundùm itera-
tas antiquorum fabulas, uti disserit Justinianus in *d.
l.* 1. §. 1. *Cod. de Ann. except.*

Probatur II. Implicat in Præscriptione privativa 352
possessio. Ergo desiderari non potest. Antecedens
prob. Si Sempronius Titio 100. debeat ex mutuo,
atque ab hoc debito se liberaturus, contra actionem
mutui, Titio competentem, præscribere velit, quid-
nam pro objecto possessionis assignamus? an 100.
mutuo datos? Sed isti sunt in dominio debitoris;
cùm mutuum inde dicatur, quòd ex meo tuum fiat
l. mutuum 2. §. 2. *ff. de R. C.* An actionem ex mutuo
seu conditionem certi? At hæc, ut insigniter ar-
guit Panormitanus ad *cap. ult. h. tit. num.* 8. non
dicitur possideri à debitore: cùm detur contra eum,
& sit penes creditorem. An libertatem propriam?
Verùm

Verùm hanc amiſit nunquam, niſi quatenùs, petente & exigente creditore, ad ſolutionem obligatur. Ergo, ſi creditor intra præfixum à Lege tempus exigere & petere intermiſerit, libertas debitoris intacta manet. Cùm igitur aſſignari nil queat, quod debitor in Præſcriptione privativa poſſidere valeat, ſequitur, poſſeſſionem in hac Præſcriptionis ſpecie implicare.

353 Et ex his rationibus juxta noſtram ſententiam concluſit Rota in *recent. p.4.tom.3 decis. 547. num. 11. & ſeqq.* ibi : *reſponſum fuit, tunc eſſe neceſſariam poſſeſſionem, quando quis vult acquirere mediante Præſcriptione novum jus : ſecùs verò, quando quis inducit Præſcriptionem ad ſe defendendum contra alterius actionem: quia tunc perficitur Præſcriptio abſque alia poſſeſſione ex ſolo curſu temporis : cùm aliàs nunquam præſcriberetur contra actionem.*

354 Objicies. Sinè poſſeſſione Præſcriptio non procedit *cap. 3. de R. J. in 6. l. 25. ff. h. t.* Ergo nec procedit Præſcriptio privativa : quidquid enim de genere dicitur, ad omnes ſpecies, ſub genere contentas, pertinet.

355 Reſp. diſtinguendô antecedens : ſinè poſſeſſione Præſcriptio non procedit, quando poſſeſſio eſt poſſibilis, concedo; quando eſt impoſſibilis, nego antecedens. At in Præſcriptione privativa non eſt poſſibilis poſſeſſio juxta *n.352.* Ergo ſinè illa Præſcriptio
356 rectè procedit. Quod additur in ratione conſeq. huc non quadrat : negatur enim, ad Præſcriptionem in genere eſſe neceſſariam poſſeſſionem, ex dictis *cap. 1. n. 38.*

357 Urgebis : ſaltem in præſcribendis juribus negativis opus erit poſſeſſione : hæc ſiquidem non aliter amittitntur viâ Præſcriptionis, quàm per contradictionem ſeu prohibitionem unius. & acquieſcentiam alterius; quæ locô poſſeſſionis æſtimatur per *l. hæc autem jura 6. in pr. ff. de S.P.U.*

358 Reſp. talem contradictionem & acquieſcentiam requiri tantùm in præſcribendo jure negativo adversùs actum meræ facultatis, juxta ſuperiùs dicta in *cap. 4. n. 79.* non item in præſcribendo jure negativo adversùs actum poſitivum, qui non ſit meræ facultatis, ſed habeat annexam obligationem præſcribere volentis, adeò ut cum dicto actu neceſſariò ſit conjuncta actio, quæ facultas juris dicitur : tunc enim Præſcriptio perficitur ex ſolo curſu temporis & negligentia petentis, ut patet in actionibus perſonalibus. Ita in terminis ferè Hieronymus Rocca *ſelect. diſp. lib. 1. cap. 85. n. 13. & ſeqq.*

359 Colliges hinc plura pro praxi, quòd nempe, quoties agitur de præſcribendo vel extinguendo alterius jure, nil aliud deſideretur, quàm non-uſûs ejuſmodi juris, per tempus à Lege ſtatutum continuatus : adeóque quòd, ſi aliquis non exigat collectas, ſervitia feudalia, decimas per tempus 30. 40. vel plurium annorum, mediante Præſcriptione jus ſuum amittat. Cravetta de *Antiq. temp. part. 4. pag. m. 322. à n. 39.* Covarruv. in *cap. poſſeſſor. p. 2. §. 2. n. 9.* Hieronymus Rocca *d. cap. 84. num. 12.* ubi plurimos allegat.

360 Dico II. Ad omnem Præſcriptionem poſitivam requiritur poſſeſſio. Probatur ex textibus, primùm in *num.* 354. allatis. Et ratio diſcriminis præter eam, quam *num.* 355. dedimus, hæc eſſe poteſt inter Præſcriptionem poſitivam & privativam : quia per illam jus aliquod comparatur; per hanc comparatum tollitur. Jam verò, ut jus acquiratur, neceſſaria eſt poſſeſſio, à qua omne dominium primævam duxit originem *l. poſſeſſio 1. §. 1. ff. de A. vel A. P.* Clariſs. D. Verlohner *in cit. Certam. poſſeſſ. Coatr. 1. per*
361 *tot.* Dominium quippe illis non advenit, qui animô dominium accipiendi deſtituuntur. Deſtituuntur verò, vel ſaltem deſtituti eſſe præſumuntur animô accipiendi dominium, qui nullô externô ſignô, nullôve
actu poſſeſſoriô internum animum manifeſtant. Econ- 362
trà, ut jus comparatum tollatur, ſufficit ex parte creditoris omiſſio poſſeſſionis, ſeu potiùs non-uſus juris intra tempus, cui uſus ille adſtrictus erat : ſic enim ſufficienter monſtrat, nolle ſe jus in patrimonio deinceps habere. Ergo alter, cui incumbebat jus paſſivum ſeu obligatio vel patiendi vel aliquid faciendi in gratiam creditoris, deſinit eſſe obligatus ad ulteriorem patientiam aut factum.

§. III.

An impropria Poſſeſſio ſufficiat ad Præſcriptionem poſitivam?

Dico I. Ad Præſcriptionem poſitivam impro- 363
pria poſſeſſio poſſeſſori nunquam proficit ad præſcribendum. Ita Balbus de *Præſcript. p. 4. quæſt. 11.* Perez in *Cod. ad tit. de Præſcript. 30. annor. num. 13.* Brunn. ad *l. malè agitur 2. ibid. num. 2.* Deducitur ex *l. pignori 13. in pr. ff. h. t. l. cùm hæres 11. ff. de Div. temp. Præſcript. l. qui legatorum 2. §. 1. ff.*
pro Hærede. Ratio non una poteſt aſſignari. Inpri- 364
mis enim ſi Præſcriptio ſit ordinaria, requirit titulum translativum dominii ex *num.* 219. At, ubi reperitur impropria poſſeſſio, non poteſt concurrere titulus, dominii translativus ex *num.* 211. Ergo &c.
Deinde cùm impropria poſſeſſio faciat, ut poſſeſſor 365
ſciat, rem detentam non ad ſe, ſed ad alium, cujus nomine eam detinet, ſpectare, faciet etiam, ut conſtituatur in mala fide, & quidem peccaminoſa, ac
Præſcriptionis impeditivâ ex dictis à n. 62. Demum 366
Præſcriptio, tanquàm effectus ac partus legitimæ poſſeſſionis, nequit ab impropria poſſeſſione, tanquàm non legitima, pronaſci; ſed, quemadmodùm improprius poſſeſſor non ſibi ſed alii rem tenet; neque tam poſſidet, quàm inſtrumentum eſt poſſeſſionis, ad alium pertinentis; ita etiam non ſibi, ſed alteri, cujus miniſter eſt, præſcribit per *l. poſſeſſio 1. §. 14. l. poſſideri 3. §. 8. l. ſi ſe eo 4. §. 1. l. poſſeſſio 49. §. 2. ff. de A. vel A. P.*

Dico II. Non tantùm primo poſſeſſori, ſed etiam 367
illius univerſali ſucceſſori ſeu hæredi officit poſſeſſio impropria. Ratio eſt : quia hæres rem, defuncto v. g. locatam, commodatam, depoſitam, vel alia ex cauſa impropriè poſſeſſam, præſcribere ne-
quit; veluti jam antehac in *num.* 294. aſſerumſerat: 368
quia nempe vitium poſſeſſionis, quod defunctum ad præſcribendum reddidit incapacem, etiam in hæredem tranſit per textum diſertum in *l. cùm hæres 11. ff. de Diverſ. temporal. Præſcript. l. vitia. 11. Cod.*
de A. & R. P. Niſi ex novo titulo, extrinſecùs ad- 369
veniente, poſſeſſio impropria vertatur in propriam per textum in *l. poſſideri 3. §. 20. ff. de A. vel A. P.* aliàs enim hæres ex ſola voluntate, ſinè titulo, ab extrinſeco ſuperveniente, cauſam poſſeſſionis ſibi mutare non poteſt *d. l. §. 19. l. non ſolùm 33. §. 1. ff. h. t.*

Dices : mala fides defuncti non nocet hæredi in 370
Præſcriptione temporis longiſſimi, ſi eandem ſuô nomine velit inchoare & perficere. Ergo etiam impropria poſſeſſio defuncti non nocet hæredi in Præſcriptione longiſſimi temporis, ſi eandem ſuô nomine velit inchoare & perficere.

Reſp. negandô conſeq. Ratio diſparitatis eſt: quia 371
mala fides in defuncto non officit Præſcriptioni temporis longiſſimi de Jure Civili ex *num.* 14. Unde nec hæredi poterit nocere, præſertim ubi in bona
fide extiterit. At impropria poſſeſſio nocet deſun- 372
cto non tantùm in Præſcriptione longi vel longiſſimi, ſed etiam immemorialis temporis : ea hac enim ratione laici ne quidem per tempus immemoriale præ-

scribere valent decimas aut alia jura spiritualia:
quia nempe tempus immemoriale non potest sup-
plere defectum possessionis, quæ Præscriptionem
necessariò debet antecedere ex *cap. 4. à n.22. & à n.*
386. Ergo etiam nocet hæredi, in quem vitia de-
functi ex *n.* 368. transferuntur.

373 Quæres: an possessor improprius, & in specie
conductor rei alienæ non possit jus aliquod persona-
le, seu perpetuæ, ut vocant, coloniæ præscribere,
ita quidem, ut, si fundum v. g. aut ædes absque
præfinitione certi temporis conduxerit, & ultra 30.
annos aut fundum coluerit, aut ædes incoluerit, so-
lutâ semper mercede, quam debebat, non ampliùs
exinde depelli valeat?

374 In hac quæstione Brunn. ad *l. malè agitur* 2.
Cod. de Præscript. 30. *annor. num.* 9. Card. Mantica
de *tacit. & ambig. convent. lib.* 5. *tit.* 2. *num.* 57. Go-
thofredus ad *l. item quæritur* 13. *ff. Locati tit.* x.
probabilem judicant affirmativam. Ratio est: quia,
sicuti cæteræ personales actiones, ita actio locati
30. annis extinguitur per *l. sicut* 3. *Cod. d. t.* At,
extinctâ actione locati, locator non potest agere ad
expellendum conductorem. Adeóque post 30. an-
nos conductor non poterit de sua colonia depelli.
375 Accedit, quòd, cùm locatio conductio expressâ
conventione possit in perpetuum contrahi, possit
etiam in perpetuum acquiri Præscriptione 30. an-
norum: hujus enim Præscriptionis ea disputatis
in *cap. 4. à num.* 169. tanta est efficacia, ut etiam
jus annuum, seu jus præstandi quot annis cer-
tam pecuniæ summam aut alia servitia producere
valeat.

376 Verùm pro parte negativa pugnant Perez ad *l.*
malè agitur 2. *Cod. d. t. num.* 13. *in f.* Tuldenus,
Cothmannus, & alii; quibus fortiter assistit *d. l.*
malè agitur, quæ ita sonat: *nemo igitur, qui ad pos-*
sessionem conductor accedit, diu alienas res tenendò,
jus sibi proprietatis usurpet, ne cogantur domini aut
amittere, quæ locaverunt, aut conductores utiles sibi
fortassis excludere, aut annis omnibus super dominio
377 *suo publicè protestari.* Ecce! in hac *l.* non tantùm
Præscriptio quoad jus dominii, sed etiam jus per-
petuæ coloniæ remota videtur: quoniam locator aut
dominus non posset aut rem locatam ad se revocare,
aut alium & sibi fortassis magis utilem conductorem
substituere, si præscribentem in perpetua colonia to-
lerare deberet.

378 Ego cum Balbo de *Præscript. cit. p. 4. princip.*
quæst. 11. *num.* 2. sentio jus perpetuæ coloniæ pos-
se equidem præscribi contra actionem personalem
locati, utpote quæ ex *num.* 174. lapsu 30. annorum
suâpte naturâ exspirat; at non posse præscribi con-
tra actionem realem, quâ locator rem locatam re-
petit ex *cit. l. malè agitur* 2. inclinante huc Rotâ
379 Rom. in *rec. p.* 6. *dec.* 23. *num.* 6. & 7. Cùm enim
deficiat conductori vera possessio, non potest ex-
cludere locatorem, rem suam actione reali vindi-
care volentem; nec enim opponere potest excep-
tionem locationis, eò quòd locatio tacita, ex lap-
su temporis præsumpta, in prædiis rusticis ad an-
num duntaxat, in prædiis autem urbanis usque ad
tempus, de quo in prima locatione convenit, re-
novata censeatur *l. item quæritur* 13. §. *ult. ff. Lo-*
380 *cati.* Rota Rom. *p.* 3. *decis.* 14. *num.* 1. Nihil in-
terim dicendô, quòd conductor, si jus aliquod po-
sitivum suâ Præscriptione comparare, & conse-
quenter positivè velit præscribere, non leve patia-
tur impedimentum ex defectu bonæ fidei, & scien-
tia juris alieni, prout graviter advertit Baldus *cit.*
l. num. 3.

§. IV.

Utrùm Possessio naturalis prosit ad Præscriptionem positivam?

Dico I. Possessio naturalis, à modo sic appellata, 381
seu modus possidendi naturaliter summoperè prod-
est, imò requiritur ad Præscriptionem positivam. Ra-
tio est: quia possessionem ipsam non aliter adipisci-
mur, ac per modum possidendi naturaliter §. *posside-*
re 5. *Inst. de Interdict.* ubi *nec ulla*, Imperator inquit,
dubitatio est, quin animô solô adipisci possessionem ne-
mo possit. Minùs itaque Præscriptionem conseque- 382
mur, nisi possessio à modo possidendi naturaliter,
sive actuali apprehensione & insistentia rei fuerit in-
choata.

Quemadmodùm verò naturali modô possidemus, 383
& ipsam possessionem nanciscimur non tantùm per
nos, sed etiam per procuratores, curatores, tuto-
res, filios &c. pari ratione non licet ambigere,
quin possessio, hòc modò acquisita, conducat ad
Præscriptionem, si modò (extra peculii causam) no-
stra accedat scientia §. *ex his itaque* 5. *Inst. Per quas*
personas &c. l. acquiruntur 10. §. 7. *ff. de A. R. D. l.*
possessia 49. §. 2. *ff. de A. vel A. P. l. si exemptam* 47.
ff. h. t.

Dico II. Possessio naturalis, à causa possidendi 384
taliter nominata, non prodest ad Præscriptionem
dominii, sed alterius juris. Ita Balbus de *Præscript.*
2. *p.* 3. *princip. p.* 3. *n.* 1. & *seqq.* cum pluribus ibidem
nominatis, Covarruv. in *relect. cap. possessor p.* 2. *init.*
n. 7. Paa Jordan *elucubrat. div. lib.* 14. *tit.* 24. n. 109.
Gilcken *de Præscript. p.* 2. *membr.* 3. *cap.* 2. *num.* 1.
& *seqq.*

Ratio primæ partis est: quia possessio naturalis, 385
ex causa possidendi taliter nominata, qualem v. g.
usufructuarius obtinet respectu rei fructuariæ, aut
non habet conjunctum animum, præscribendi do-
minium; aut, si habeat, ob scientiam alienæ rei de-
ficiet bona fides: adeóque Præscriptioni non pro-
dest, sed obest. Confirmatur. Quamdiu verus rei 386
dominus retinet possessionem civilem, tamdiu retinet
dominium, in possessione civili fundatum. Sed quam-
diu præscribens habet possessionem solùm naturalem,
verus rei dominus retinet possessionem civilem: &
ideò dominium non acquirit præscribens, sed anti-
quus dominus retinet per textum in *l. possessio* 1. §. 14.
ff. de A. vel A. P.

Ratio secundæ partis est: quia, si quis usum- 387
fructum v. g. vel aliud jus incorporale velit præscri-
bere, non obstante scientiâ rei alienæ, potest habere
credulitatem, jus ususfructûs, quod per annuam col-
lectionem fructuum ex aliena re exercet, ad se spe-
ctare; ideóque jus ususfructûs civiliter possidere, &
mediante Præscriptione sibi acquirere valet per tex-
tus in *l. qui usumfructum* 3. *ff. si Ususfr. petat. l. ult. ff.*
uti possidetis l. semper 15. §. 8. *ff. Quod vi aut clam &c.*
Revideantur dicta in *n.* 245. & *seqq.* ubi de Præscrip-
tione servitutum & aliorum jurium incorporalium
actum est.

Hæc quamvis unanimi ferè calculô sint compro- 388
bata: controversiam tamen movere non veretur Vas-
quius *Illustr. controvers. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 57. *n.* 5. ac pos-
sessionem naturalem ad Præscriptionem dominii ali-
quando sufficere (quamvis ex propria confessione
contra torrentem) contendit; referens casum, ubi
una eademque res (intellige aliena) duobus ven-
dita fuit, & primo quidem emptori non tradita tra-
ditione verâ, sed ab ipsomet venditore ejusdem
emptoris nomine vel per clausulam constituti vel
precariò possessa; secundò tamen emptori non
solùm vendita, sed etiam (licèt injustè) verâ
tradi-

389 traditione tradita fuit. In hoc casu, ait Vasquius, primus emptor possidet civiliter tantùm, alter verò tantùm naturaliter possidet: aliàs fieret, ut duo eandem rem in solidum possiderent contra *l. possideri* 3. *§. 5. ff. de A. vel A. P.* Jam verò, pergit Vasquius, possessio, naturaliter apprehensa & continuata, magis promovet Præscriptionem, quàm civiliter tantùm continuata: illa enim est magis evidens & corporalis, quàm ista, quæ soli inhæret animo: illa est conformior rationi inductivæ Præscriptionis, ne dominia videlicèt sub incerto fluctuent; quia facit, ut dominia fiant certiora & notiora, quam ista, quæ ansam variis dolis ac fallaciis substernit. Ergo non hanc, sed illam possessionem attendunt Jura. Ergo possessio naturalis se solò sufficit ad præscribendum.

390 Ad hanc Vasquii argumentationem, ex ampliori deductione in compendium redactam, sentio imprimis: in relata facti specie non solùm primum emptorem, sed etiam secundum possidere civiliter & civili possessione. De primo res videtur liquida per *l. clam possidere* 6. §. 1. *ff. d. t.* ubi, qui ad nundinas profectus est, possessionem (utique civilem) retinere dicitur, licèt alius interea possessionem occupaverit. Item per *l. si id* 25. §. 2. *ff. eôd.* ubi eo usque possidere aliquis creditur, donec revertentem
391 alius repellat. De secundo est textus in *l. furtum* 37. §. 1. *ff. h. t.* cujus hæc est sanctio: *fundi quoque alieni potest aliquis sinè vi nancisci possessionem, qua vel ex negligentia vacet, vel quia dominus sinè successore de-*
392 *cesserit, vel longô tempore absfuerit.* Et quòd sermo hic fiat de possessione civili, probatur tum ex *l. seq.* 38. ubi deciditur, quòd rem, ita possessam, is quidem non possit usucapere, *qui intelligit, alienum possidere: sed si alii bonâ fide accipienti tradiderit, poterit is usucapere, quia neque vi possessum, neque furtivum possidet: abolita est enim quorundam veterum sententia,*
393 *existimantium, etiam fundi locive furtum fieri*: tum ex ratione, quia is civilem possessionem habet, qui rem detinet animô habendi ut suam cum opinione domini ex *n.* 326. At secundus emptor rem detinet animô habendi ut suam cum opinione domini: quia supponitur, rem bonâ fide & titulô coloratô accepisse. Ergo &c.

394 Neque formido *d. l. possessori* 3. §. 5. *ff. de A. vel A. P.* quòd duo eandem rem in solidum possidere non possint: præterquàm enim quòd à multis contrarium defendatur, uti perspicere est apud P. Haunold *tr.* 3. *cap.* 3. *contr. n.* 212. nec sinè ratione, cùm in *l. si duo* 3. *in pr. ff. uti possidetis* luculenter supponat JCtus, penes duos ejusdem rei possessionem
395 in solidum dari: insuper illa *L.* communiter explicatur de possessione unius & ejusdem generis; & (ut ego quidem interpretor) nominatim de possessione naturali seu modo possidendi naturaliter intelligi debet, ita ut duo naturaliter eidem rei insistere nequeant, veluti ex fine *d. l.* 3. §. 5. colligitur, ubi Paulos suam sententiam partim declarat, partim confirmat ex hoc, *quòd non magis eadem possessio apud duos esse possit, quàm ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto: vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris.*

396 Sentio II. primum emptorem cæteris paribus in Præscriptione potiorem esse secundô: tum quia jus habet antiquius *arg.* eorum, quæ aliàs de antiquiori possessione traduntur: tum quia tempora, quæ primus bonæ fidei possessor in Præscriptione jam confecerat, proximo & immediato possessori seu primo emptori prodesse dicuntur in §. 7. & 8. *Inst. h. t.* tum denique quia possessio civilis ad complendam Præscriptionem sufficit, & primo emptori ad hoc complementum pauciores anni deficiunt, quàm secundo, qui propter malam fidem vendentis probabiliter ante vicennium non præscribet, secundùm deducta & dicta superiùs in *n.* 9.

Dico *cæteris paribus*, si nimirum habitâ notitiâ, 397
quòd alius possessionem occupaverit, eandem recuperare non omiserit: sive enim noluerit, sive recuperare volens non potuerit, fortè quia à secundo possessore repulsus acquievit, tunc etiam eandem possessionem amittit, adeóque & facultatem præscribendi. Magnif. P. König *ad tit. de caus. possess. p.* 1. *n.* 69. P. Engel *ad h. t. n.* 27. Gilcken *p.* 2. *Memb.* 3. *cap.* 2. *n.* 25. *& seq.* Ita in pluribus Juris nostri locis statui deprehendimus, præcipuè in *l. et si nolit* 7. *l. si id* 25. §. 2. *l. si de eo* 40. §. 1. *ff. de A. vel A. P. l.*
furtum 37. §. 1. *& l. seq. ff. h. t.* Et quamquam in *l. pe-* 398
regrè 44. §. *ult. ff. de A. vel A. P.* & in *l. prætor ait* 1. §. 22. *ff. de Vi & vi arm.* etiam ignorantibus dominis possessio dicatur amitti, si per procuratorem vel colonum possederint, & hi vel dejecti fuerint, vel sponte deseruerint possessionem: illud tamen de naturali possessione, quæ sola per procuratorem aut colonum retinetur, vel potiùs de modo possidendi naturaliter; non autem de civili, quæ pendet ex animo domini, est accipienda *arg. l. si colonus* 31. *ff. de A. vel A. P.* Haunold *d. loc. n.* 241. Clariss. D. Laurentius Alb. Verlohner in *Certam Possess. contr.* 13. *n.* 2. Quantum verò temporis exigatur, ut primus emptor ob repetitionem non interpositam possessione civili privatus censeatur, non una omnium est mens & sententia.

Sentio itaque III. cum Innocent. Alex. Castrens. 399
Angelo, & aliis, quos allegat & sequitur Gilcken *cit. loc. n.* 24. rem arbitrio Judicis esse relinquendam: quotiescunque enim in Jure nil certi est statutum, solemus ad Judicis arbitrium recurrere *arg. l. si servus* 1. §. 2. *ff. de Jure delib.* Sed in præsenti negotio nil certi reperimus in Jure, nisi quòd in *l. furtum* 37. §. 1. *ff. h. t. longi temporis* mentio inferatur: quod tamen non eô fine accipiendum, quasi longô tempore possessio amittatur; sed referendum est ad alium, qui possessionem absentis ingreditur, ut etiam possidere non credatur, si pristinus possessor
longô tempore absfuerit. Nec *per longum tempus* hic 400
10. anni possunt intelligi: partim quia possessio non videtur tam prolixô spatiô, quàm proprietas, concludi: partim quia in *l. quam rem* 38. *mox seq.* conceditur Præscriptio ex parte secundi possessoris; quod fieri non posset, si primus 10. annorum possessione gauderet: quia tunc secundo jus præscribendi & ipsam proprietatem mediante Præscriptione
ne præriperet. Quare temporis determinatio pru- 401
denti Judicis arbitrio committitur, ut juxta rei possessæ, absentiæ, distantiæ, personæ &c. circumstantias litem dirimat. Ex quibus omnibus ultimatò concluditur, veram esse conclusionem nostram in *num.* 384. positam: neque casum effigurari, aut excogitari posse, quô sola naturalis possessio generandæ Præscriptioni, quærendoque domino per se sufficiat.

§. V.

Qualiter Possessio Civilis ad Præscriptionem positivam sit necessaria vel proficua?

Dico I. Possessio civilis, ex causa possidendi sic 402
nuncupata, ad omnem Præscriptionem positivam omni tempore requiritur. Covarruv. in *relect. cap. possessor disp.* 2. *init. num.* 7. Pax Jordan *elucubr. div. cit. l.* 14. *tit.* 24. *num.* 108. Colligitur ex dictis. Ratio est: quia ad Præscriptionem positivam exigitur possessio, conjuncta cum animo acquirendi dominium aut aliud jus, bonâque fide amicta; & quidem per tempus, à Lege definitum continuata

l. usu

l. usucapio 3. ff. h. t. Sed talis est sola possessio civi-
403 lis, si omni tempore concurrat. Debet igitur adesse in principio, ut fundet animum præscribendi & bonam fidem: debet adesse in decursu, ut conservet, quod bene cœpit: debet adesse in fine, ne bonum initium corrumpatur vel interrumpatur in fine *arg. §. possidere 5. Inst. de Interd. l. possideri 3. §. 7. ff. de A. vel A. P.* Interim, sicut vitia possessionis non legitimæ transeunt ad successorem universalem ex *n.* 368. ita etiam virtus legitimæ possessionis proficit successori tam universali, quàm singulari §. *diutina* 12. §. *inter.* 13. *Inst. h. t.*

404 Dico II. Possessio civilis, à modo derivata, quamvis non sufficiat ad Præscriptionem inchoandam, sufficit tamen ad continuandam. P. Engel ad *h. t. n.* 27.
405 Antonell. *de Temp. Leg. lib. 2. cap. 76. n. 2.* Ratio est: quia, ut possessio civilis sit continua, non est opus, ut quis continuò rem naturaliter aut corporaliter teneat, sed satis est, ut animò rem complectatur *l. si id 25. §. 7. ff. de A. vel A. P.* Ergo etiam, ut aliquis præscribat, satis est, ut rem possessam animò retineat *l. possessio 1. §. 14. ff. eod.* quia, ubi continua temanet possessio, legitimè continuatur, & absolvitur Præscriptio.

406 Quid verò, si possessio civilis non acquiratur per veram & actualem apprehensionem seu traditionem, sed fictam duntaxat, à Lege tamen introductam; sicuti contingit, quando aliqua ex clausula constituti vel ex traditione instrumenti, super contractu erecti & confecti, possessionem acquisivit: anne præscribendi conditione potietur? Balbus de *Præscr.* 2. *part.* 3 *princip. q.* 3. *n.* 4. & 5. hoc relinquit indecisum.
407 Sed affirmativam opinionem, tanquàm veriorem, recipit Covarruv. *d. p.* 2. §. 1. *num.* 5. tanquàm receptiorem defendit Vasquiox *cit. l. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 57. *n.* 5. & in eam contra Romanum & Ripam propendet Pax Jordan *Elucubrat. diversf. d. lib.* 14. *tit.* 24. *n.* 111.
408 Ratio, quæ meum quoque suffragium exprimit, est: quia ejusmodi possessio, quamquàm apprehensione vel traditione fictâ solummodò quæratur, nihilominùs est vera possessio civilis, omnesque illius effectus participat *l. quod meo* 18. *in pr. ff. de A. vel A. P. l. emptionem* 1. *Cod. de Donat. cap. contingit* 9. *de Dolo & contum.* Quamobrem nec ulucapiendi conditio, velut effectus possessionis non postremus, deerit, uti relucet ex *n.* 396. & *seqq.*

409 Quæres: quô sensu verificetur illud, in materia Præscriptionis toties usurpatum brocardicon: tantum præscriptum, quantum possessum?

Resp. illud maximè verificari in diversis subjectis, quatenùs Præscriptio non extenditur de subjecto ad subjectum, sicuti possessio de subjecto ad subjectum aliud non extenditur, prout ex Panormitano & Fagnano jam suprà memini in *cap.* 4. *num.* 445.
410 Hàc ratione, qui jus eligendi in una Ecclesia, vel jus decimandi in uno agro, vel jus jurisdictionis in uno pago præscripsit, nequit vel in alia Ecclesia eligere; vel in alio agro decimas colligere; vel in alio pago jurisdictionem exercere: quia scilicèt possessio, intermediô Præscriptionis tempore, ad unam Ecclesiam, agrum, aut pagum coarctata fuit. Postius de
411 *Manuten. obs.* 73. *à n.* 58. II. Idem brocardicon verificari in diversis objectis, adeò ut, sicut possessio non extenditur de objecto ad objectum diversum, v. g. à jure venandi ad jus lignandi, à jure sepeliendi ad jus præsentandi &c. per *l. quod meo* 18. §. *ult. ff. de A. vel A. P. l. Prætor ait* 1. §. 5. *ff. de Itinere actuque priv.* sic etiam non extendatur Præscriptio *cap. auditis* 15. *cap. cùm olim* 18. *h. t. cap. dilectus* 2. *in f. de Capell. Monachor.* Rota Rom. in *rec. p.* 5. *tom.* 1. *dec.* 333. *n.* 26. Pax Jordan *Elucubrat. div. cit. lib.* 14. *tit.* 24. *num.* 112.
412 Latè Gilcken de *Præscript. p.* 1. *cap.* 2 *à n.* 8. Verùm hæc verificatio declaratione majori eget. Videndum siquidem, an objectum Præscriptionis sit aliquod totum, plures sub se continens species, v. g. jurisdictio; aut pluribus partibus constans, v. g. ager, domus; nec ne. Si hoc; verissima sunt, quæ statim asserta dedimus. Si illud; rursus est considerandum, utrùm aliquis alius, quam præscribens, sit in possessione totius, an nullus. Si alius, uti contingit in 413 casu, quô Prælatus inferior contra Episcopum, qui existit in præsumptione & possessione generali totius Jurisdictionis Episcopalis in sua Diœcesi, præscribit unam vel alteram Jurisdictionis Episcopalis speciem; subintrat regula, tantum præscriptum, quantum possessum: adeóque quæ juris species erat possessa tempore currentis Præscriptionis, ea sola, & non alia censetur esse præscripta per textus, in *n.* 411. citatos. Rota Rom. *cit. p.* 5. *tom.* 1. *dec.* 265. *n.* 26. & *seqq.* Lyncker de *Jure rer. indiv. cap.* 3. *aphor.* 6. Quamquam negari vix possit, quin Prælatus, ita 414 præscribens, alios actus in eadem specie consimiles vel minores exercere, ac si v. g. præscripserit facultatem judicandi super divortio in causis matrimonialibus, possit etiam de valore matrimonii vel sponsaliorum cognoscere. Antonellus de *Temp. legali lib.* 2. *cap.* 105. *n.* 8. Gilcken *cit. cap.* 6. *à n.* 65. Rota *cit. p.* 10. 2. *dec.* 561. *à n.* 5. Si nullus alius sit in possessio- 415 ne totius; tunc, sicuti possessio totius potest acquiri per apprehensionem partis, ut patebit ex *tr. de Jure Propriet. cap. ult. tom.* 2. *lib.* 2. traditque Postius *d. l. à n.* 67. sic etiam Præscriptio, in una specie completa, potest ad aliam extendi: utpote cùm in illo eventu non tam attendatur ad speciem particularem, quàm universalitatem causæ per textum in *cap. nunc. autem* 1. *de Religiosf. domib.* ubi Panormitan. *n.* 3. & 4. Rota Rom. in *rec. p.* 4. *tom.* 1. *dec.* 129. *n.* 1. ubi aliæ quoque decisiones allegantur. Antonell. *cap.* 105. *n.* 19. Fagnanus in *cap. cùm olim* 18. *h. t. n.* 31. Pax Jordan *cit. l. n.* 113.

Quòd si petas, an Præscriptio in uno vel altero jure 416 Episcopali v. g. institutione aut destitutione Clericorum procedat, quando Episcopus, etiam Præscriptionis tempore, non destitit instituere, vel destituere, ex ea dubitandi ratione, quòd possessio præscribentis hôc modô non continua, sed interrupta fuerit?

Resp. ex dictis in *cap.* 4. *n.* 321. Præscriptionem non quidem privativè, sed cumulativè procedere. Ita ex instituto Eminentiss. Card. de Luca de *Jurisdict. disc.* 2. *à n.* 324. Ratio est: quia, ex quo nulla est in- 417 compatibilitas, ut duo in eodem territorio vel districtu exerceant idem jus per concursum cumulativum, atque in singulis actibus potior sit conditio præveniens, ut rectè notavit Fagnanus in *cit. cap. auditis* 15. *h. t. n.* 13. & *seqq.* nulla etiam est incompatibilitas, ut unus cumulativè præscribat aliquod jus, remanente Jurisdictionis plenitudine penes Episcopum.

Nec timenda est possessionis aut Præscriptionis 418 interruptio. Nam, ut bene respondet Gonzalez ad *idem cap. n. ult.* non interrumpitur possessio seu Præscriptio cumulativa, sed tantùm privativa, quâ nempe quis solus, exclusô Episcopô, eam jurisdictionis Episcopalis speciem exercere vellet.

SECTIO IV.

De Tempore.

SUMMARIA.

419. *Tempus est præcipuum requisitum Præscriptionis.* 420. *Illius diversa computatio.* 421. & *seqq. In Præ-*

Præscriptione positiva computatur civiliter. 424. *& seqq. In privativa computatur naturaliter.* 429. *& seqq. Res mobiles, etiam pretiosa, trienniô præscribuntur.* 433. *& seq. Res immobiles inter præsentes decenniô, & inter absentes vicenniô præscribuntur.* 434. *& seqq. Largiter explicatur absentia & præsentia ad mentem* l. ult. Cod. de Præscript. longi temp. 445. *& seqq. Explicatur quoque* Nov. 119. cap. 8. *in casu, quô aliquis partim absens, & partim præsens erat.* 456. *& seqq. In controversia præsentia vel absentia præscribens tenetur probare.* 458. *& seqq. Præmittuntur multa de servitutibus.* 467. *& seq. Servitutes reales, licèt discontinuæ sint, tempore longô præscribuntur.* 469. *& seqq. Textus oppositi referuntur, & diluuntur.* 475. *Servitutes reales, etiam discontinuæ, eôdem quoque tempore amittuntur.* 476. *& seqq. Sin verò per mensium aut septimanarum intervalla discretus sit usus, vicennium exigitur.* 480. *& seqq. Etiam ususfructus, usus, & habitatio longô tempore cum titulo comparatur.* 483. *& seqq. Et eôdem tempore rursus extinguitur ususfructus & usus.* 488. *Excipitur ususfructus impropriè talis.* 489. *Et habitatio.* 490. *Recensetur duplex actio personalis, pro usufructu competens.* 491. *Concomitans unà cum usufructu perimitur.* 492. *& seqq. Antecedens durat* 30. *annis.* 495. *& seqq. Argumenta contraria.* 498. *& seqq. Eorum refutatio.* 504. *Dicta de servitutibus ad alia quoque jura applicantur.* 505. *& seqq. Actionum systematica delineatio.* 513. *& seq. Actiones reales naturam suæ causæ sequuntur.* 515. *& seq. Excipitur actio hypothecaria.* 507. *Petitio hæreditatis.* 518. *Querela inofficiosi.* 519. *Actio pauliana.* 520. *& seqq. Non autem publiciana.* 523. *& seq. Actiones personales civiles sunt tricennariæ.* 525. *& seqq. Quò pertinet etiam actio injuriarum ex L. Cornelia.* 528. *Actio de aleatoribus ad* 50. *annos porrigitur.* 529. *& seqq. Actiones prætoriæ, rei persecutoriæ, plerumque sunt perpetuæ; pœnales sunt annales.* 532. *Ponitur exceptio.* 533. *& seq. Accusationes criminales vicenniô concluduntur.* 535. *& seq. Nisi brevius tempus in aliquibus criminibus sit præfixum.* 540. *& seqq. Ultra vicennium nulla permittitur accusatio vel inquisitio.* 545. *& seqq. Jura & bona Principum, nondum incorporata fisco, quadriennii Præscriptionem sustinent.* 551. *& seq. Aliud interdum obtinet, si denuntiata jam fuerint.* 553. *& seqq. Jura & bona Principum patrimonialia Præscriptionem quadragenariam habent.* 556. *& seqq. Idem est de juribus Principum quà Principum, si privatis acquiri valeant.* 559. *& seqq. Jura Majestatis extrinseca vel* 40. *annos cum titulo, vel tempus immemoriale desiderant.* 562. *& seq. Jura Majestatis intrinseca non præscribuntur à subdito quà tali.* 564. *Nomine Principis veniunt etiam Status Imperii.* 565. *Agitur de rebus Ecclesiæ.* 566. *Præscribuntur* 40. *annis, si sint immobiles.* 567. *& seqq. Imò etiam si mobiles sint.* 583. *Nomine Ecclesiæ veniunt omnia loca pia.* 584. *Eadem Præscriptio observatur in juribus aliis.* 585. *Explicatur, quid juris, quando Ecclesia succedit Laico in possessione.* 586. *Jura spiritualia itidem Præscriptionem* 40. *annorum agnoscunt.* 587. *& seqq. Agitur in specie de Jure eligendi.* 591. *& seqq. Item de jure patronatus.* 593. *& seqq. Similiter de jure decimandi.* 603. *& seqq. Declarantur specialia in Præscriptione beneficiorum.* 609. *Ecclesia Romana tantùm patitur centenariam Præscriptionem.* 610. *& seqq. Non item civitates.* 614. *& seqq. Jura, Pontifici reservata, sunt impræscriptibilia.* 617. *& seq. Exempti gaudent centenariâ Præscriptione.* 619. *& seqq. Variorum Ordinum privilegia.* 622. *& plurib. usque ad finem, assignatur tempus in Præscriptionibus innominatis, incipiendô à momentis, horis, diebus &c.*

§. I.

De Computatione Temporis.

QUartum Præscriptionis requisitum, imò, ut 419
memini ab initio hujus *cap.* primum ac præcipuum est Tempus. Hujus tam accurata habetur ratio, ut non tantùm annorum, mensium, hebdomadarum, sed dierum quoque & horarum, imò momentorum calculus subducatur. Unde in hac *sect.* pri- 420
ma se pandit quæstio de computatione temporis, an *naturaliter*, hoc est, de momento ad momentum computari debeat, ita ut possessor eôdem, quô cæpit possessionem, punctô compleat; an verò *civiliter*, ut sufficiat ultimus dies cæptus, adeôque non per momentorum dividendus minutias, sed instar cujusdam individui considerandus, quatenùs totum transegisse diem credatur, qui vel unô ejus momentô in possessione extitit? Puto distinguendum esse inter Præscriptionem positivam & privativam, &

Dico I. In Præscriptione positiva tempus com- 421
putatur *civiliter*, de die in diem, ita ut dies ultimus cæptus habeatur pro completo. Haunold *tr.* 5. *cap.* 2. *Contr.* 4. *n.* 266. & Interpretes communiter. Textus ad hoc probandum non unus extat. Nam in *l. usucapione* 15. *ff. de Diverf. & temporal. Præsc. in princ.* ita disponitur: *in usucapione ita servatur, ut, etiamsi minimô momentô novissimi diei possessa res sit, nihilo minùs repleatur usucapio, nec totus dies exigitur ad explendum constitutum tempus.* Idem decernitur in *l. In usu-* 422
capionibus 6. *ff. h. t.* ibi: *in usucapionibus non à momento ad momentum, sed totum postremum diem computamus. Ideòque* (prosequitur *l. seq.* 7. *ff. eôd.*) *qui horâ sextâ diei Calendis Januarii possidere cæpit, horâ sextâ noctis pridie Calendas Januarii implet usucapionem.* Quam posteriorem *L.* ad faciliorem Germanorum in- 423
telligentiam Rath *cap.* 5. *assert.* 51. *lit. B.* sic dilucidat, quòd sexta noctis hora non secundùm nostra horologia pro sexta vespertina, sed juxta Romanorum morem & computationem pro dimidia nocte accipienda sit, quæ dicitur hora sexta noctis, sicut hora sexta diei vocatur meridies quasi *medidies*. Hinc, qui horâ sextâ seu meridie Calendis Januarii possidere cæpit, post decennium horâ sextâ noctis pridie Calendas Januarii seu post mediam noctem complet usucapionem: quia ultimus dies post mediam noctem cœptus habetur pro completo.

Dico II. In Præscriptione privativa, qualis est in 424
actionibus personalibus, sive perpetuis sive temporalibus, tempus computatur *naturaliter*, ut dies ultimus cœptus non habeatur pro completo, sed ex integro compleri debeat. Haunold *cit. loc. n.* 267. Brunnem. ad *l. in omnibus* 6. *ff. de O. & A.* Rath *assert.* 48. Probatur *ex d. l.* 6. ibi: *in omnibus temporalibus actionibus, nisi novissimus dies totus compleatur, non finit obligationem.* Et licèt hìc solummodò tangantur actiones temporales: quia tamen, uti statim audiemus, est eadem ratio de perpetuis, eadem quoque dispositio procedit.

At quænam sit differentia inter Præscriptionem 425
rerum & actionum, quòd illæ civilem, hæ naturalem computationem admittant? Tam expeditè non dixeris. Plerique discrimen in eo constituunt, quòd in Præscriptione positiva favor, in Præscriptione privativa odium præscribentis intercurrat. Sed non discretè. Enimverò, quia gravius longè præjudicium ordinariè versatur in amissione dominii quàm alterius juris, aut actionis personalis; multùm subsisto, an majori non odiô præscribens rem, quàm

præ-

præscribens seu veriùs extinguens obligationem suam personalem, dignus haberi debeat?

426 Forassis à regia rationis viâ non multùm aberrabit, qui disparitatem ex Lege petit. Nam in usucapione & Præscriptione positiva verba Legis 12. Tabb. ad præscribentem erant directa, hôc modò: *si ipse possederit per annum vel biennium, consequatur rei dominium* (ita refert Connanus apud D. Rath *assert.* 50.) in Præscriptione verò privativa Legis verba non in præscribentem, seu debitorem, sed creditorem tendunt, ita ut actionem certò tempore in judicium deducere teneatur, vel, tempore illô transacto, jus suum
427 amittat. Sicut ergo in casibus aliis, v. g. in electione generis in legato, utrùm legatario vel hæredi conveniat, magni interest, an testator verba ad legatarium vel hæredem direxerit; illeque electionem habet, ad quem verba testatoris sunt directa *l. cùm servus* 39. §. 6 *ff. de Leg.* 1. *l. si ita relictum* 43. §. *ult. ff. de Legat.* 2. Eôdem modô, quia in Præscriptione positiva Legis verba tendunt ad præscribentem, penes hunc est electio, potestque ultimum diem cæptum numerare pro completo: & è diametro, quia in Præscriptione privativa tendunt ad creditorem, potest hic eligere & determinare, ut dies ultimus ad novissimum instans usque consummetur. Rath *d. assert.* 50. *per tot.*

§. II.

Quô Tempore præscribantur res mobiles & immobiles?

428 Perspectâ temporis computatione, ejus diuturnitatem, pro diversitate objectorum diversam, inquirimus. Ubi primô obtutu se objiciunt res mobiles & immobiles, velut magis in sensum occurrentes, de quibus

429 Dico I. Res mobiles, quantumcúnque sint pretiosæ, præscribuntur trienniô. Imperator Justinianus in *princ. Inst. h. t.* & in *l. un. Cod. de Usucap. transform.* Correctum est itaque Jus antiquum, quod Præscriptionem rei mobilis unicô duntaxat annô definierat.
430 Ratio constitutionis & correctionis est: quia ex una parte res mobiles, si bonâ possideantur fide, raro solent occultari; sicque triennium nec nimis angustum nec amplum nimis visum est dominis ad res suas, si velint, recuperandas; &, si malâ possideantur fide, atque occultentur, plerumque furti laborant vitiô, Præscriptionis ordinariæ incapaces: ex altera verò parte incommodum, quod ex amissione rerum mobilium domino infertur, tantum non est, quantum est damnum, quod ex rerum immo-
341 bilium jactura sequitur. Nec refert, quòd res pretiosæ (quas etiam conclusioni inseruimus) quandoque sint majoris pretii, quàm immobiles: id namque rariùs accidit, quàm ut specialem Juris ordinationem mereatur *arg. l.* 3. 4. *& seqq. ff. de LL.*

432 Unicum memori reponendum mente suggero: pignus, in re mobili constitutum, unà cum re mobili trienniô non præscribi *l. usucapio* 7. *Cod. de Pignor.* ibi: *usucapio conventionem pignoris non extinguit; nec mutat usucapio superveniens* (sunt verba JCti in *l. justo errore* 44. §. 5. *ff. h. t.*) *quò minùs pignoris persecutio salva sit, quia nullâ societate dominii conjungitur.* Vult dicere: inter dominium & pignus tam arctam societatem non intercedere, ut unà cum dominio etiam jus pignoris acquiri, necessum sit. D. Rath *d. cap.* 5. *assert.* 16.

433 Dico II. Res immobiles unà cum titulo tempore longô, hoc est inter præsentes decenniô, inter absentes vicenniô; sinè titulo autem tempore longissimô, hoc est, 30. annis præscribuntur. Certa conclusio per textus in *n.* 429. citatos quoad primam partem. Quoad alteram non minori certitudine nititur propter disputata jam suprà in *n.* 223. *& seqq.* Sed termini inter *præsentes* & *absentes* altioris sunt indaginis & strictioris examinis. Itaque pro abundantiori notitia

Sciendum I. præsentiam & absentiam non esse 434
mensurandam juxta res; posseque res, etiam trans mare sitas, rectissimè tanquàm inter præsentes præscribi *l. ult. Cod. de Præscript. longi temp.* Rationem ibidem pandit Justinianus: *quid enim*, inquiens, *prodest, in ipsa provincia esse possessionem, an in alia, cùm jus vindicationis incorporale est, & ubicunque res positæ sint, & dominium earum, & vinculum ad dominum vel creditorem possit reverti?*

Sciendum II. præsentiam & absentiam secundùm 435
domicilia personarum ita æstimanda esse, ut, qui in eadem provincia habent domicilium, sive ibidem habitent, sive non, præsentes dicantur. *d. l. ult.* Quòd si in diversis provinciis domicilia fixerint, esto in una convivant, pro absentibus habentur. Neque at- 436
tenditur, utrùm, si domicilia sint in diversa provincia, res præscribenda habeatur in provincia præscribentis seu adversarii; an verò in provincia illius, contra quem præscribitur, seu actoris, per textum in sæpe jam *d. l. ult.* quæ non ad præsentiam rei sed domicilium respicit. Quamquàm opinionem adversam 437
non improbabiliter defendi posse, doceat Clariss. D. Dominicus Bassua in 50. *Decisionibus Justinian. decis.* 46. n. 4. eô inductus argumentô, quòd actor in tali casu possit reum sive præscribentem ad suum forum & Judicem proprium pertrahere ob titulum & locum rei sitæ *l. ult. Cod. ubi in rem actio &c.* sicque cesset ratio *d. l. ult. Cod. de Præscr. long. temp.* in hoc secundum intellectum communem fundatæ, quòd Jura subveniant absentibus, duplicandô eis tempora pro eo, quia in loco domicilii proprii detentores rerum suarum ad judicium trahere non possunt. Quòd 438
verò dictum sit, sola domicilia personarum aliquem præsentem vel absentem constituere, in illis casibus recipiendum existimat prælaudatus D. Bassus, quando res est in tertia provincia, vel quando domicilia sunt in eadem, & res alibi; non verò ubi res est in domicilio ejus, contra quem præscribitur. Authorem hujus sententiæ allegat Joannem Fabrum ad *h. t. Inst. in princ. n.* 12.

Sciendum III. turbatis hodie provinciarum limi- 439
tibus, eos esse censendos in eadem habere provincia domicilium, qui sub eodem Præside, seu, ut explicant alii, sub eodem Duce, Principe, vel Comite habitant: qui verò domicilium sub diversis Præsidibus, licèt sub eodem Dominio, tenent, quantùm attinet ad Præscriptionem, pro absentibus agnoscendi sunt per tradita ab eodem Clariss. Basso *d. loc. n.* 6. Ex quo consequitur, ut, qui sunt in confinio 440
duarum provinciarum, adeóque unô fortè vel alterô milliari distantes, habeantur pro absentibus; & econtrà qui in una in longum & latum exporrecta provincia domicilium valde dissitum sortiuntur, pro præsentibus habeantur. Quod equidem nonnullis 441
durum videtur, eo ex capite, quia duplum temporis ideò præfixum est Præscriptioni contra absentem, quòd ita dominus ignorantiam rei suæ facilius prætendere possit; & hinc contra eum, qui in eadem sed amplissima habitat provincia, plus temporis requiri deberet, quàm contra eum, qui in angusta, vel aliàs in loco vicino, commoratur. Putem nihilo minùs, ob majorem conveniendi faci- 442
litatem, non ex distantia loci, sed identitate Judicis metiendam, Legem Imperatoriam ab omni tam duritie quàm inconvenientia haud difficulter excusari.

Quantùm ad Clericos, rectiùs asseritur cum præ- 443
fato D. Basso *num.* 7. eos reputari pro præsentibus,

nun

non qui in eadem provincia sub eodem Metropolitano, sed in eadem diœcesi sub eodem Episcopo beneficium habent: nam coram Metropolitano nec agere, nec conveniri possunt præterquàm in casibus, Jure expressis *cap.pastoralis* 11.*de Offic.Ordinarii cap.Romana* 1.*de Supplend.neglig. prael.in* 6. Quod de rebus Clericorum privatis, non de rebus Ecclesiasticis intelligendum velim: hæ namque, cùm non nisi quadragenariam Præscriptionem agnoscant, nec ad præsentiam nec ad absentiam respectum habent.

444 Si quis plura habeat domicilia, in omnibus inter præsentes numerabitur per *l. ejus qui* 27. §. 2. *ff. ad Municipal.* Etsi omninò nullum, veluti vagabundi, obtineat, possessionem tamen alienæ rei occupaverit, ubique locorum erit præsens; ubique propterea conveniendus, velut incola totius mundi, qualem se Socrates nominâsse fertur. D.Rath *assert.* 26.

445 Sciendum IV.quando aliquis partim præsens, partim absens fuit, à Justiniano in *Nov.* 119.*cap.*8.indeque transumptâ *auth. quod si quis Cod.de Prascr.longi temp.*constitutum esse,*ut ei tot anni super decenniū*

446 *adjiciantur, quantos ex ipso decennio absens fuerit.*Quâ constitutione nixi, quam plures censuerunt, tempus absentiæ semper duplicari,eique,qui 8.v.g.annis præsens fuit,& biennio absens, post reditum adhuc biennium aliud ad complendam Præscriptionem superllitare: quin, si consequenter docere velint, ei, qui 9. annis præsens & 9. absens fuit, postquàm redient,adhuc alios 9. ad Præscriptionis absolutionem conce-

447 dunt. Quæ expositio, quamquàm civitate vix non donata, difficultate non destituitur.Sequitur enim I. totum absentiæ tempus non aliter subducendum,ac si Præscriptio interea dormivisset: quod tamen de

448 mente Imperatoris ægrè præsumendum. Neque sufficit, dicere cum Clariss. D.Chlingensperger ad *Inst. h.t.quast.ult.* Præscriptionem illam dormire,quæ est inter præsentes; non item aliam, quæ est inter absentes.Contra enim est, quòd etiam illa Præscriptio, quæ est inter absentes, dormiat tempore absentiæ: quia Præscriptionem dormire, nihil aliud est, quàm cursum temporis non computari: sed cursus temporis absentiæ non computatur,eò ipsò, quod tempus

449 illud post reditum suppleri debeat. Ergo &c Imò, si Præscriptio,quæ est inter absentes,tempore absentiæ non dormiat,infertur, unam eandemque rem diversò tempore præscribi,puta semel inter præsentes & de-

450 inde inter absentes contra *l.ei à quo* 21.*in p ff. h.t.*Sequitur II. ea doctrina explicata, res immobiles præscribi citiùs, si personæ totò Præscriptionis tempore fuerint absentes, ac si absentes non fuerint totò illò tempore: nam,qui totò abfuit tempore,Præscriptionem vicennii patitur; qui autem 9. annis præsens & totidem absens fuit, non nisi Præscriptionem 27. annorum reformidat: quod sanè intentioni Imperatoris neutiquàm conforme judico.

451 Probabiliùs ergo cum *cit.* D.Basso *num.*9. Sylvestro, Tannero *Theol.Schol.tit.*3.*disput.*4.*q.*1.*dub.*6.*n.* 89.ab eodem Authore relatis, Lessio *de J. & J.L.*2. *cap.*6.*dub.*8. n.23. opinor: tempus absentiæ eatenus duplicandum, ut unus annus præsentiæ æquivaleat duobus annis absentiæ; & vicissim duo anni absentiæ conficiant onum annum præsentiæ. Et idaò qui 8.annis fuit præsens, & posteà duobus absens, reversus adhuc unò annò debebit possidere:quia duo anni absentiæ fecerunt unum annum præsentiæ; sicque in effectu 9. annos compleverunt. Pariter, qui 9. annis fuit præsens,& totidem absens, post reversionem non habebit tempus aliud residuum: post biennium enim terminus Præscriptionis jam effluxit, cùm unus duntaxat annus defecerit,quem duo primi absentiæ anni

452 suppleverunt. Et hic explicandi modus non solùm menti,sed etiam literæ *cit.Nov.& authent.* correspondet, utpote quæ non requirit absolutè, ut tot anni

super decennium adjiciantur, quot absens fuerit,sed cum restrictione,quot *ex ipso decennio*; hoc est,quot ad complendum decennii Præscriptionem defuerunt: adeòque non vult, ut tempus absentiæ simpliciter duplicetur, sed illud solummodò tempus, quod ad integrandum decennium supererat.

Sciendum V.circa hunc ipsum textum *d.Nov.*119. 453 *cap.*8.aliud adhuc latere dubium: utrùm de absentia domicilii, an verò de absentia personarum accipienda sit? Ratio dubitandi est, quòd ibidem recenseatur casus,quò aliquibus annis quis præsens,& aliquibus absens fuit; ut credendum non sit, quòd loquatur de absentia domicilii,cùm hoc tam brevi tempore non facilè mutetur.Quæ ratio Paulum de Castro ad *Auth.mala fidei Cod.d.t.in fin.*permovit,ut de absentia personarum textum Novellæ fuerit interpretatus, prout refert sæpè jam nominatus D.Bassus *num.* 11.

Veriùs tamen cum eo *num.* 12. asserendum videtur, 454 textum de absentia domicilii intelligendum esse.Nam Imperatoris scopus non alius erat, quàm dubium illud, quomodò tempus præsentiæ & absentiæ connectendum sit, novâ sanctione extricare: quisnam verò pro absente vel præsente sit habendus? Ibidem indecisum reliquit: quia cogitavit fortè,in *d.l.ult.Cod. de Praescript. longi temp.* jamjam abundè declaratum esse quòd absentia non ex persona, sed ex domicilio dignosci debeat. Licèt proinde non tam facilè contingat, domicilium tam exiguò tempore mutari; ad 455 hunc tamen casum,si quando contingeret, authoritativè decidendum, Imperator ad illam absentiam respexit, *quâ quis alibi larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet*, ut loquitur *l.cives* 7.*Cod.de Incol.* Quare, si Titius & Sempronius domicilium Salisburgi habeant, poterit Titius v. g. 10. annis fundum Sempronii præscribere, esto hic totò decenniò fuerit alibi moratus.

Sciendum ultimò: quando inter præscribentem & 456 priorem dominum circa probationem præsentiæ vel absentiæ, ab alterutro allegatæ, controversia incidit, præscribenti probationem incumbere: esto enim nec absentia nec præsentia, veluti mera accidentia, præsumantur adesse,eamque ob causam quilibet in alterutro se fundans intentionem suam docere habeat necesse: Juris tamen præsumptio, quæ pro domi- 457 no antiquo militat, quòd rei semel dominus fuerit, gravat præscribentem,ut,si dominium decennali Præscriptione in se translatum esse, contendat,fundamentum suæ intentionis,& inter alia decennalis Præscriptionis requisita, præsentiam probet. Rath *assert.* 28. allegans Balbum in *l.emptor ¶. sed pone Cod. de Praescript. longi temp.* ubi dicit, se vidisse, ita de facto & consuetudine millies observari.

§. III.

Quantum temporis in Præscriptione Servitutum realium exigatur?

Servitutes reales Præscriptione non solùm acquiri, 458 sed & amitti, ex antecedentibus non obscurè constabit.Quantò autem tempore aut acquirantur,aut amittantur? Summa hujus est §. Pro cujus explanatione

Præmitto I. servitutes alias dici continuas, alias 459 discontinuas. *Continuæ* dicuntur, quæ, semel constitutæ, semper utiles sunt prædio dominanti, absque ulteriori facto hominis. Huc spectant *servitus oneris ferendi, servitus tigni immittendi, servitus altiùs tollendi &c.* quia columna v.g.in alieno semel posita,continuò sustinet onus ædium nostrarum; adeòque sine facto nostro utilitatem exhibet prædio. *Discontinuæ* 460 vocantur, quæ, semel constitutæ, non semper utiles sunt prædio dominanti, nisi accedat novum factum & exercitium hominis. Cujusmodi sunt *iter*, *actus*, *via &c.* quia utilitatem in actu secundo non aliter

nobis communicant, quàm si eamus, agamus, currum
461 ducamus &c. Gletle *p.2. select. quæst.27. num.2.* Ad-
vertit tamen D. Rath infra citandus, hanc divisionem,
utut concertantibus DD calamis subsignatam, in the-
oria & veritate Juris non absque ratione rejici: eò
quòd servitutes omnes perpetuam habeant causam
l. foramen 28. ff. de S.P.U. ibi: *omnes autem servitutes*
462 *prædiorum perpetuam habere causam debent.* Est quip-
pe cujuslibet servitutis ea natura, ut, nisi pactô, adeó-
que per accidens impediatur, eâ uti liceat, quoties
libuerit *l. ait Prætor 1. §. 2. & l. de interdicta 6. ff. de*
Aqua quot. & æst. quod enim naturaliter fit, & semper,
quandocumque placuerit, fieri potest, perpetuum
ac continuum est, etsi assiduè non fiat.
463 Præmitto II. inter ipsas servitutes, quas vocant dis-
continuas, discrimen reperiri: quædam enim ita com-
paratæ sunt, ut earum exercitium ex arbitrio domini
prædii dominantis dependeat, sicque eidem semper
utilitatem præbeant, si uti semper velit: v.g. servitus
itineris, absolutè mihi constituta, ex meo pendet ar-
bitrio, potestque mihi semper esse utilis, si ire semper
464 placuerit. Econtrà aliæ sunt talis indolis, ut illarum
exercitium ex libera domini prædii dominantis vo-
luntate non pendeat, neque aliô tempore in actu se-
cundo utilitatem conferant, quàm in constitutione
fuerit expressum. E.g. servitus *itineris*, ita constituta,
ut alternis tantùm septimanis, mensibus, aut annis ire li-
ceat, aliô tempore exerceri non potest, quàm convētô.
465 Præmitto III. servitutes reales, quas appellant con-
tinuas, ex infallibili omnium sententia longô tempo-
re, 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes acti-
vè præscribi, ut ex *l. si quis 10. in pr. ff. si Servit. vin-*
dic. & l. ult. Cod. de Præscr. longi temp. ad oculum pro-
batur. Num etiam discontinuæ, *ut* vocant, eōdem
466 tempore activè præscribantur? In bivio est. Idem
tempus definiunt Vinnius *lib. 1. select. quæst. cap. 31.*
Rath *cap. 3. assert. 29.* Struv. ad *ff. Exercit. 13. th. 38.*
Clarissimi DD. Facultatis nostræ Collegæ, Blumbla-
cher de *servitut. cap. 3. n. 7.* Gletle *cit. loc. n. 4* Franz ad
tit. Instit. de Servit. n. 34. Tempus immemoriale requi-
runt Molina *tom. 1. tr. 2. de J. & J. disp. 70. num. 7. & 8.*
Antonell. *de Temp. Leg. lib. 2. cap. 81. num. 8.* Haunold.
tr. 5. cap. 2. Contr. 3. num. 226. Pirhing *h.t. num. 19.* Gail.
2. observ. 66. num. 7. His præmissis
467 Dico I. Servitutes reales, etiam discontinuæ, lon-
gô tempore præscribuntur. Ita decernitur partim in
textibus generalibus in *l. si cui 1. §. fin. ff. de Aqua &*
aqua pluv. d. l. ult. Cod. de Praescr. longi temp. in quibus,
sine distinctione inter continuas & discontinuas, ser-
vitutes longô tempore acquiri dicuntur: partim in
l. apparet 5. §. pen. ff. de itin. actuque priv. ubi disconti-
nuæ servitutis (id est actûs, itinerisve, de quibus ru-
brica tituli est concepta) nomine interdictum ei tri-
buitur, qui possessionis longæ prærogativam habet:
partim & specialissimè in *l. si quis 10. in pr. ff. si Servi-*
tut. vind. ubi acquisitio aquæ ductûs, ceu servitutis dis-
continuæ, diuturno usui & longô tempori attribuitur.
468 Et ratio est: quia secundùm Adversarios hoc unicum
obstat, quò minùs servitutes discontinuæ longô tem-
pore acquirantur, quòd actus interrupti & discontinui
reddant possessionem discontinuam & interruptam:
hoc autem Juri non convenire, patet tum ex eo, quòd
possessio continua non ab actibus, sed ab animo deno-
minationem sortiatur *arg. §. possidere Inst. de Interd.*
tum ex hoc, quòd discontinuitas actuum neque rerum
corporalium neque rerum incorporalium possessionem
faciat discontinuam *l. possideri autem 3. §. 7. & 11. l.*
clam possidere 6. §. un. l. si id 25. §. ult. ff. de A. vel A.P.
Ut adeò non appareat sufficiēs fundamentū, cur diver-
si quidpiam in servitutibus discontinuis adstruamus.
469 Objicitur I. *l. foramen 28. ff. de S.P.U.* ubi non alia
datur ratio, cur servitus fluminis tempore acquiri ne-
queat, ac quia causam non habet perpetuam. Sed ne-
que servitutes discontinuæ causam habent perpe-
tuam. Ergo &c. II. *l. servitutes 14. in pr. ff. de Servitut.*
ubi excluditur usucapio à servitutibus rusticis: *quia*
non habent certam & continuam possessionem. III. *l. hôc*
jure 3. §. 4. ff. de Aqua quot. & æst. ubi servitus aquæ
ductûs, quæ est discontinua, locô constituti habetur,
quando ejus origo memoriam hominum excessit; ut ad-
eò minori tempore quam immemoriali non acquira-
tur. IV. *l. si cui 1. §. ult. ff. de Aqua & aqua pluviæ ar-*
cendæ ubi, lege agri non impositâ, *vetustas vicem le-*
gis obtinere dicitur. V. *l. si aliena 10. §. 1. ff. h.t.* ubi ser-
vitutum Præscriptio per se nusquam longô tempore
procedere, asseritur.
Resp. ad I. textum, & illum claritatis gratiâ expli- 470
co, quòd ibi per *causam perpetuam* non usus & exer-
citium perpetuum, sed natura, jus, & facultas perpe-
tuò utendi & exercendi intelligatur. Quò rectè fa-
cit instantia de servitute fluminis, quæ, cùm eò per-
tineat, ut aquæ pluviæ, in tubo vel canali collectæ,
exonerentur in vicini aream, ut talis longô tempore
acquiri non potest, si proluendi pavimenti causâ
aquæ nullæ de cælo illuc veniant, sed tantùm factô
hominis immitti debeant.
Ad II. Resp. aut textum etiam ad servitutes urba- 471
nas ob varia finalia extendendum; aut de usu servi-
tutis, qui non est continuus, explicandum; aut de
usucapione propria ad Jus antiquum & Legem Scri-
boniam, quâ sublata erat servitutum usucapio, refe-
rendum esse. Ad III. Resp. tempus extremum in- 472
certum ideò positum esse, quia habet vim privilegii:
ex quo non sequitur, tempus intermedium exclusum
esse, sicut is, qui majus dicit, minùs exclusisse non
censetur. In alio sensu si exaudiatur textus, è diame-
tro repugnat textui in *cit. l. si quis 10. in pr. ff. Si Ser-*
vitut vindic. ubi jus aquæ ducendæ *diuturnô usu &*
longâ quasi possessione acquiri manifestè docetur. Ad 473
IV. Resp. ibi per ly *vetustum* tempus longum intelli-
gi, uti indicant verba mox sequentia: *sanè enim &*
in servitutibus hoc idem sequimur, ut, ubi servitus non
invenitur imposita, qui diu usus est servitute neque vi,
neque precariò, neque clam, habuisse longâ consuetu-
dine, vel ex jure impositam servitutem videatur. Ad 474
ult. Resp. textum, cùm indiscriminatim & in genere
de servitutibus agat, ipsis Adversariis solvendum, aut
nobiscum de usucapione propria secundùm Jura Ve-
tera exponendum esse, uti in *num. 471.* diximus. Plura
qui desiderat hac in quæstione, adeat DD. Gletle &
Franz *cit. loc.* Hæc de acquisitione servitutum. Nunc
de amissione
Dico II. Servitutes reales, non solùm continuæ, 475
sed etiam discontinuæ, ob non-usum longô tempore
amittuntur; illis exceptis, quarum usus annorum, men-
sium, vel hebdomadarum intervallô est interruptus,
quæ tam inter præsentes quàm absentes vicenniô in-
tereunt. Prima pars clara est ex *l. pen. Cod. de Servitut.*
& *l. si sic 7. ff. Quemadm. Servit. amit.* ibi: *si verò* (aqua
constituta sit) *alternis diebus, aut die totô, aut tan-*
tùm nocte, statutô legibus tempore amittitur, quia una
servitus est. Antonell. *cit. cap. 81 num. 13.*
Altera pars est contra Glossam *in cap. cùm Ecclesia* 476
Sutrina de Causa possess. & Innocentium apud Abba-
tem *in cap. quarta h.t. num. 31.* volentes, ut tempus
absentiæ in servitutibus, explicatô modô discon-
tinuis, duplicetur, & ita ad 40. annos ascendat; sed re-
cipitur passim à modernis DD. Brunneman. *ad l. ult.*
Cod. de Servit. num. 6. & seqq. Basso in 50. *Decision. ad*
eandem l. ult. n. 4. Stryck *intr. de Action. sect. 6. membr.*
2. axiom. 1. n. 15. Gletle *d. p. 2. quæst. 29. num. 4. in f.*
Franz *d. loc. num. 55.* & colligitur satis ex *l. ult. in princ.*
Cod. de Servitut. ibid. ubi Imperator Justinianus, post- 477
eàquam Veterum sententias retulerat, atque etiam
pristinæ suæ constitutionis, quâ 10. vel 20. annorum
tempus amittendis servitutibus præstituit, mentio-
nem

nem fecerat, simpliciter ac finè distinctione inter
præsentes vel absentes sancivit: servitutem, cujus
usus 5. annorum intervallô interrumpitur, 10. anno-
rum desidiâ amitti.
478 Neque rerret textus in *d.l.si sic 7.ff. Quemadm. Ser-
vitut.* ubi in ejusmodi servitutibus tempus duplican-
dum præcipitur. Potest siquidem commodè explicari
de duplicatione temporis inter præsentes, id est, in
Præscriptione decennii: nam vicennium, quia jam
à Lege est multiplicatum, non est, cur iterum multi-
479 plicetur. Ita Bassus *d.loc.n.5.& 6.* ubi etiam rationem
suggerit, cur in servitutibus, quibus alternis tantùm
annis uti possumus, æquum non sit, ut illarum jure
decenniô privemur: quia videlicèt sola 5. annorum
negligentis nobis imputari potest; reliqui autem tem-
poris cessatio excusationem habet: uti enim prohibi-
tio Legis & pactum obstabat, quò minùs servitutem
exercere liceret; ita Legis favorem justè meretur, ut
dimidiam ex duobus decenniis negligentia totos &
integros decem habeat annos: *quid enim*, inquit Pau-
lus in *l.cùm quidam 17.§.3.ff. de Usur. potest imputa-
ri ei, qui Jure facere quid, etiamsi vellet, non potuit?*

§. IV.

Quot anni in Præscriptione Servitutum personalium requirantur?

480 Dico I. Servitutes personales, uti sunt ususfructus,
usus, & habitatio, *cum titulo* longô tempore; & *sinè
titulo* tempore longissimô præscribuntur. Sic ex com-
muni DD. tradunt Antonell. *d.cap.81.n.11.* Bassus *ad
50. Decis. ad l.corruptionem 16.Cod.de Usufr.decis.11.*
481 Constat non solùm ex *d.l. corruptionem*, sed etiam ex
l.ult.Cod.de Præscr. longi temp. in cujus fine consti-
tutio de rebus immobilibus, quæ inter præsentes de-
cem, inter absentes viginti annis præscribuntur, ad
servitutes, & nominatim ad usumfructum porrigitur.
482 Quæ verò de ususfructu acquirendo sunt statuta,
etiã ad usum & habitationem pertinent *pr. Inst.l. nunc
videndum 1.§.un.ff.de Usu & habitat.* Et quod annexi-
mus de titulo, jam in *n.272.* anticipatò ostensum est.
483 Dico II. Ususfructus (idem est de usu) decem
annis inter præsentes, & viginti inter absentes, amit-
titur, sive in re mobili, sive in re immobili fuerit con-
stitutus. Clariss. DD. Bassus *d.l. Dec.n.14.* Gletle *d.
p.a. q.85. n.1.* Franz *ad tit. Inst. de Usufr. n.34.* con-
tra Haun. *d. tr.5. n.15.* Cujacium, Dicastillum &
484 alios. Probatur efficaciter ex *l.sicut 13. Cod de Ser-
vitut.* ubi in principio refertur constitutio, quâ
distinctio antiquorum, usumfructum in rebus mo-
bilibus annali tempore, in rebus soli autem bien-
niô concludentium, fuit sublata, ejusque locô Præ-
scriptio longi temporis surrogata. Quæ eadem con-
stitutio mox ad omnes servitutes extenditur, ut jam
in Præscriptione servitutum quoad earum amissio-
485 nem sit nulla disparitas. Cùm ergo distinctio inter
res mobiles & immobiles quoad Præscriptionem
ususfructûs fuerit antiquata, & uniforme tempus
tam pro ususfructu quàm aliis servitutibus statutum;
non video, quô fundamentô diversitas temporis in
præscribendo ususfructu rerum mobilium & immo-
bilium sustineatur.
486 Ad *l.corruptionem 16. Cod.de Usufructu*, ubi Im-
perator rescribit, tanti temporis spatiô amitti usum-
fructum, quanti temporis exceptio dominium vin-
dicanti obstaret; ideóque indicare videtur, usum-
fructum rei mobilis finiri trienniô: cùm vindicanti
487 rem mobilem exceptio triennii obstet. Resp. in il-
la *L.* non dici absolutè, tanti temporis spatiô amitti
usumfructum, quanti temporis exceptio vindican-
ti dominium obstaret, sed quanti obstaret *inter
præsentes & absentes*; quæ particulæ sufficienter
exprimunt, sermonem ibi esse de re immobili: cùm
distinctio *inter præsentes & absentes* in rebus mo-
bilibus sit inaudita.
Excipio tamen ab hac conclusione I. *usumfructum* 488
impropriè talem, seu *quasi usumfructum*, qui non
utendô non perditur: fructuarius enim in simili ca-
su efficitur dominus rei, in fructum concessæ; sic-
que instar domini re suâ uti vel non uti potest. Brun-
nem. *ad l. 9. ff. de Usufruct. ear. rer. n. 1.* & *ad l.7.§.
un. ff. Usufruct. quemadm. cav. num. ult.* Franz *cit. loc.
p. a. num. ult.*
Excipio II. *habitationem* per textum in *l. si habi-* 489
tatio 10. in fin. princ. ff. de Usu & habitat. Vel quia
sic alteri constituitur, ut habitet, quoties ipsi com-
modum fuerit: potest autem contingere, ut modò
commodum sit, modò non: unde dies illius toties
cedit, quoties habitare commodum est, licèt quis
anteà non habitaverit. Haunold *tr. 3. cap. contr, a.
num. 148.* Brunnem. *ad cit. l. 10. num. 2.* Vel quia
Legislatores Romani propter frequentiam legato-
rum ususfructûs, usûs, habitationis, voluerunt ali-
quam inducere discrepantiam. Schambogen *ad §.
pen. Inst. d. t. p. m. 280.*
Sic interit ipse ususfructus. Quid autem de actio- 490
ne, pro ususfructu competente, pronuntiandum:
an eódem tempore intereat, tam antecedens quàm
concomitans? Deliberaodum restat. Duplex enim-
verò actio personalis pro ususfructu distingui solet;
una *antecedens* seu primordialis, quæ competit, an-
tequam ususfructus sit constitutus, ac eò tendit,
ut constituatur; altera *concomitans* seu secundaria,
quæ nascitur, ususfructu jam constitutô, ac eò col-
limat, ut patientiam alter exhibeat. Actionem
concomitantem eôdem tempore cum ususfructu ex-
tingui; antecedentem verò 30. annis durare, sunt,
qui propugnent, quorum agmen ducunt Balbus *3.
part. 4. princip. q. 5. num. 2.* Gletle *d. quæst. 25. num.
5. & 6.* Cum his
Dico III. Actio personalis concomitans unà cum 491
ususfructu exspirat; antecedens usque ad 30. annos
pertingit. Prior pars ex *d. l. corruptionem* (quam
multorum ingenia turbâsse, si non corrupisse, scri-
bit D. Bassus, mox allegandus) probatur. Nam de
actione personali, *qua de ususfructu nascitur*, ibidem
dicitur, quòd eôdem tempore cum ususfructu eva-
nescat: hæc autem nequit esse antecedens ex di-
cendis: ergo est concomitans. Cujus ratio est:
quia actio concomitans accedit ususfructui, ac natu-
ram ejus sequitur; & consequenter eôdem spatiô
consumitur. Posterior pars ex generali regula de 492
actionibus personalibus, quæ omnes 30. vel 40.
annis vivere dicuntur, demonstratur: quia actio
personalis ab illa regula nusquam clarè excipitur.
Accedit, quòd Imperator in *d.L. corruptionem* ex- 493
pressè loquatur de ususfructu, jam constitutô in ver-
bis: *quem quis semel acquisivit, & semel possedit*;
sicque de actione, non antecedente, sed concomi-
tante: cùm hæc, non illa, ususfructu jam constitu-
tô, consurgat. Præterea ipsimet Adversarii, & in 494
specie D. Bassus *cit. decis. 11. num. 10.* concedunt,
actionem personalem pro servitute constituenda 30.
annis durare: cur igitur in ususfructu contrarium
statuunt?
Hanc opinionem & distinctionem, quam à sim- 495
plicitate textûs alienam pronuntiat Brunnem. ad ean-
dem *l. num. 10.* Clariss. D. Bassus ubi supra *num. 8.
& seqq.* ita impugnat. I. Justinianus ab initio *cit. l.*
profitetur, se circa extinctionem actionis personalis
Veterum altercationes dirimere voluisse: at Vete-
res non altercârunt, an, extinctô ususfructu, rema-
neat actio concomitans? quia plusquàm manifestum
erat, extinctô principali, extingui accessorium. II. 496
Ex ipsissimis Justiniani verbis liquet, eum de alia
actione, quàm antecedente, non cogitâsse *in verb.
si per annum vel biennium forsitan eundem usumfru-*

ctum non petierit usufructuarius, ut sic personalis actio tollatur &c. quæ verba necessariò ad actionem antecedentem sunt referenda: quia concomitans non competit pro usufructu petendo, sed pro patientia
497 duntaxat accommodandâ. III. Non debet esse melioris conditionis is, qui actionem pro usufructu tantùm constituendo habet, ac qui usumfructum tenet jam constitutum: uti ergo ipse ususfructus non est perpetuus; ita nec actionem esse perpetuam, oportebat.

498 Huic impugnationi solidissimâ responsione se opponit D. Gletle *cit. loc.* cum quo ad I. respon. negandô minorem. Etenim in Jure nihil est insolitum, sublatô principali, remanere accessorium: nam (ut cætera exempla silentiô prætercam) creditor, exclusus ab actione personali Præscriptione 30. annorum, adhuc potest experiri hypothecariâ, quamvis accessio sit obligationis principalis *l. cùm notissimi 7.*
499 *§. 1. Cod. de Præscr. 30. annor.* Imò in ipsos Adversarios argumentum retorqueri posset hôc modô: de illa actione personali loquitur Imperator, de qua inter Veteres JCtos prudens erat dubium. Sed de actione personali antecedente non erat prudens dubium: quia est immotum Juris principium *in seq.* §. adstruendum, actiones personales esse perpetuas. Ergo non de hac, sed de actione concomitante
500 loquitur Imperator. Quia enim ex una parte probè perspexerunt antiqui, sublatô principali, non semper tolli accessorium: ex altera verò parte invictum observabatur oculis dogma, actiones personales esse perpetuas: Imperator *in d. l. corruptionem* scrupulum omnem exemit, decidendô, actionem concomitantem simul cum usufructu perimi. Ad II.
501 Resp. usumfructum etiam actiones concomitante peti non *formaliter* sed *virtualiter*; quatenùs, dum fructuarius prætendit, ut proprietarius exhibeat patientiam, ipsum quoque usumfructum in consequentiam petit; cùm liberum ejus exercitium prætendat.
502 Ad III. Resp. negandô antecedens. Nam & qui dominium habet rei mobilis, deterioris est conditionis, ac qui actionem pro re mobili consequenda tantùm obtinet: & tamen illud trienniô, hæc verò 30. solùm annis amittitur.

503 Urgebis adhuc: Imperator de illa actione personali locutus est, quæ datur usufructu in stipulationem deductô. Ergo ad actionem antecedentem, non concomitantem, respexit: quia stipulatione ususfructus non constituitur *arg. l. traditionibus 20. Cod. de Pact.*

Resp. Imperatorem de stipulatione non qualicunque, sed *completâ*, quam nempe secuta est traditio, fuisse locutum: quô sensu & alibi vocabulum stipulationis acceptum fuisse, innuit textus *in §. ult. Inst. de Servitut.* ibi: *si quis velit vicino aliquod jus constituere, pactionibus atque stipulationibus id efficere debet.*

504 Quæ porrò de tempore Præscriptionis in servitutibus huc usque statuta fuêre, pertinent etiam ad reliqua jura incorporalia & realia per textum manifestum in *l. ult. Cod. de Præscr. longi temp.* nec non *cap. ult. de Reb. Eccl. non alien. in 6.* observanda tamen, quæ dicta sunt *de titulo à n. 270.* Vallensis *ad h. t. §. 6. n. 9.* P. Engel *ib. n. 20.* Schneidewin ad *Inst. eôd. num. 22.*

§. V.

Quô Tempore Præscriptio Actionum compleatur?

505 Actio, ut alibi ex professô dicetur, in genere est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur. Dividitur in Civilem & Prætoriam. *Civilis* est, quæ Juri Civili in specie, puta Legibus, SCtis, Prudentûm Responsis, Constitutionibus Principum suam nativitatem adscribit. *Prætoria* est, quæ præter intentionem Juris Civilis ex benignitate Prætoris in orbem literarium est invecta.

Utraque subdividitur in realem & personalem. 506
Realis dicitur, quæ oritur ex Jure in re, quô nempe res ipsa nobis immediatè subordinatur in ordine ad aliquam dispositionem, circa illam exercendam. Subsecatur in universalem, & particularem. *Universalis* est, quæ oritur ex jure quodam universali, complectente nimirum jura activa & passiva; & hæc est vel *petitio hæreditatis*, *directa* aut *fideicommissaria*; vel *querela inofficiosi testamenti.* *Particularis* vel descendit ex jure rerum incorporalium, vel corporalium. 507
Prior continet *actionem hypothecariam*, quâ rem pignori nexam persequimur; *actionem confessoriam*, quâ servitutem rei nostræ asserimus; *actionem negatoriam*, quâ negamus alteri servitutem in re nostra competere. Posterior oritur vel ex dominio pleno vel minùs pleno. 508
Ex hoc provenit *actio emphyteuticaria*, vel utilis rei vindicatio, quâ rem, cujus utile dominium habemus, à quocunque possessore repetimus. Illud (*dominium plenum*) quandoque est fictum tantùm, quandoque 509
verum est. *Si fictum* tantùm sit, triplicem producit actionem; *publicianam* nempe, quâ res, bonâ fide & justô titulô accepta, repetitur ab eo, qui jure infirmiore eandem possidet; *rescissoriam*, quâ is, cujus res ab altero verè usucapta est, justis de causis intendit, adversarium non usucepisse, cùm tamen usuceperit; *paulianam*, quâ creditores, in quorum fraudem debitor res suas alienavit, adversùs possessores experiuntur. 510
Si dominium sit *verum*, operatur *rei vindicationem*, quâ rem nostram corporalem ab ejus possessore repetimus.

Actio *Personalis* dispescitur conformiter ad præsens thema trifariam duntaxat: 511
puta in actionem rei persecutoriam, pœnalem, & mixtam. *Actio rei persecutoria* dicitur, quâ persequimur id, quod ex patrimonio nobis abest. *Actio pœnalis* nuncupatur, quâ pœnam, à Lege constitutam, persequimur. *Actio mixta* vocatur, quâ partim id, quod nobis abest, partim pœnam persequimur. Unde hæc actio nomenclaturam ex objecto nanciscitur; 512
dantur quippe & aliæ actiones mixtæ ex *subjecto*, nempe *finium regundorum*, *communi dividundo*, *familiæ erciscundæ*; quia utrique litigantium ex æquo sunt concessæ. Statuuntur adhuc aliæ ab aliis ex causâ efficiente mixtæ; sed perperam, ut alibi & aliâ viâ commodiùs dicemus. Habes hic Lector summariam actionum delineationem, quam, ut proposito nostro peraccommodam ostendam,

Dico I. Actiones reales naturam suæ causæ imitantur, 513
eôdemque præscribuntur tempore, quô præscribitur jus reale, unde proficiscuntur. Balbus *1. p. 4. princ. q. 1. num. 3.* Schneidewin *ad h. t. §. 6. n. 7.* Stryck *de Act. sect. 2. membr. 2. axiom. 1.* Gletle *ad tit. 12. Institut. lib. 4. num. 1.* Explicatur & probatur. Amisi rem mobilem v. g. annulum aureum, catenam, calicem &c. Hæc, ab alio bonâ fide per triennium possessa, ex meo dominio ad dominium possessoris transit ex *n. 419.* Actio itaque 514
seu vindicatio, pro repetenda re mobili mihi concessa, eôdem tempore emoritur. Similiter vicino meo servitutem in fundo meo debui: is servitute constitutâ decenniô non fuit usus; amisit igitur jus servitutis ex *n. 475.* & consequenter etiam actionem confessoriam, quâ servitutem ejusque liberum exercitium sibi asserere potuit.

Ab hac tamen regula excipienda est I. *actio hypothecaria*, 515
qua de cum D. Gletle *ad inst. lib. 4. tit. 6. n. 71.* ita distinguendum: vel ipse debitor aut ejus hæres pignus possidet, vel tertius. Si primum; actio hypothecaria lapsu 40. annorum perimitur, esto actio pignoratitia tempore breviori perempta fuerit

Licùm

l. cùm notissimi 7. §. 1. & 2. *Cod. de Præscr. 30. annor.*
516 Si secundum; refert, bonâ fide & justô titulô tertius munitus sit, nec ne? Priore casu decursu 10. vel 20. annorum pro diversitate præsentiæ vel absentiæ perit *l. diuturnum* 1. & *seq. Cod. si advers. credit. Præscr. oppon.* posteriore casu Præscriptione 30. annorum submovetur *d. l. cùm notissimi in pr. Cod. de Præscr. 30. annor.* Verùm de hoc plura in *tr. de Jure propriet. cap.* 5. Stryck *d. l. à n.* 16.

517 II. Excipienda est *petitio hæreditatis*, quæ ob præstationes personales, quas sibi admixtas habet, indistinctè durat 30. annis *l. hæreditatis* 7. *Cod. de Petit. hæred.* Quod de hæreditatis petitione tam *directa*, quàm fideicommissaria procedit per *l. quæ actio* 2. *ff. de Fideicommiss. hæred.* ibi: *quæ actio eadem recipit, quæ hæreditatis petitio Civilis*; intellige, ut explicat Schwendendorff ad Eckoldt *eôd. tit.* §. *un.* per Civilem hæreditatis petitionem directam, seu a Jure Civili in specie inventam, ad distinctionem actionis fideicommissariæ, que ex SCto fuit introducta.

518 III Excipienda est *querela inofficiosi testamenti*, quæ Præscriptione quinquennii, a tempore hæreditatis aditæ computandi, aboletur *l. si quis* 34. *in fin. Cod. de Inoff. testam.*

519 IV. Excipienda est actio *pauliana*, quæ, si possessor ex alienatione lucrum non senserit, annali spatiô concluditur *l. ait prætor* 1. *in pr. l. ait prætor* 10. *in pr.* & §. 24. ubi Brunnem. *n.* 19. *ff. Quæ in fraudem creditor.*

520 V. Excipienda videtur Eckoldto *ff. h. t.* §. 23. *actio publiciana*, eaque unicô circumscribenda annô: eò quòd contra Jus Civile fuerit introducta per textum in *l. in honorariis* 35. *ff. de O. & A in fin. princ.* ubi Paulus, postea quàm edixerat, actionem publicianam actionibus rei persecutoriis annumerandam esse, mox subjungit; *sed, cùm rescissâ usucapione redditur, annô finitur; quia contra Jus Civile da-*
521 *tur.* Verùm hanc exceptionem meritò improbat ipsemet Eckoldt Scholiastes Schwendendorffer *ad dict.* §. 23. partim quia publiciana non contra, sed præter Jus Civile fuit proposita à Prætore *arg.* §. *namque* 4. *Inst. de action.* partim quia in *d. l. in honorariis in princip.* apertè dicitur: *actiones honorarias, quæ rei persecutionem habeant, etiam post annum dari*; & paulò post in censum illarum actionum refertur publiciana *in verb. item publiciana, quæ ad exemplum vindi-*
522 *cationis datur.* Unde ad textum ex *l. in honorariis* reponendum, eum de actione rescissoria explicandum, ut quæ non jam rescissâ quàm completâ usucapione datur ad eandem rescindendam. Quam responsionem etiam amplectitur Gothofredus in *not. ad d. l. lit. q.* dicens: pro *cùm* fortè legendum *quæ*, ut sensus sit: *sed quæ* (intellige actio rescissoria) *rescissâ usucapione redditur, annô finitur, quia contra Jus Civile est.*

523 Dico II. Actiones personales Civiles, sive pœnales, sive persecutoriæ, sive mixtæ sint, Præscriptione tricennariâ eliduntur. Vulgata *l. sicut* 3. & *l. omnes* 4. *Cod. de Præscr. 30. annor. l. super annali* 1. §. 1. *Cod. de annal. Except. l. receptitia* 2. *Cod. de Const. pecun.* Stryck *d. l. axiom.* 1 Rationem alibi jam dedimus: quia intra 30. annos humanum genus plerumque novam induit faciem; ideóque non conveniens erat visum, sæculum futurum ætatis prætetitæ litibus
524 inquietari. Huc pertinent actio *depositi, commodati, mutui, empti-venditi, locati-conducti, mandati, pro socio, pigneratitia, Legis Aquiliæ &c. condictio furtiva*, quæ omnes fatalem 30. annorum metam in *alleg. LL.* præfixam habent.

525 Excipiunt aliqui cum Azore & Gomesio actionem *injuriarum Civilem*, ex Lege Cornelia oriundam, quâ is, qui pulsatum, verberatum, aut domum suam vi introitam esse, conqueritur, petit, ut in pœnam pecuniariam, a se expressam, reus condemnetur §. *sed & Lex* 8. *l. Lex Cornelia* 5. *in pr. ff. de Injur.* Obtendunt textum in *l. sed si unius* 17. §. 6. *ff. d. t.* ubi de actione injuriarum genericè traditur, eam *tempore aboleri*; item textum in *l. si non* 5. *Cod. eôd.* ubi dicitur, *injuriarum actionem annuô tempore præscriptam esse.*

Sed è regione stant Fachinæus *lib. 9 contr. cap. 7.* 526
Gletle *Jurisprud. terrib. tom. 1. p. 2. cap. 5. §. 9. n. 12.* Clariss. D. Joannes Sigismundus Stapf *in quæst. select.* 21. *n.* 9. ob generalitatem textuum in *n.* 066. ubi omnes actiones, in personam Civiles, declarantur perpetuæ, hoc est, tricennales; nec uspiam actio injuriarum Civilis ab hac generalitate certò reperitur excepta. Nam textus in *d. l. sed si unius*, præ- 527
terquàm quòd valde dubius & generalis sit, nullam atrocis injuriæ, ob quam prodita est actio Civilis ex Lege Cornelia, mentionem facit. Textus verò in *l. si non* evidenter loquitur de injuria verbali; & sic uterque ad actionem injuriarum Prætoriam coarctandus est.

Excipitur autem actio de aleatoribus, quâ licet ea, 528
quæ lusu quis perdidit, non tantùm per 30. sed etiam per 50. annos repetere *l. ult. Cod. de Aleator.*

Dico III. Actiones prætoriæ distinctam recipiunt 529
Præscriptionem. Si enim rei persecutionem contineant, nec actum Jure Civili validum impugnent, ad instar Civilium sunt perpetuæ. Sin pœnales sint, seu purè seu mixtè, aut persecutoriæ quidem, actum tamen de Jure Civili validum rescindant, ultra annum vivere & vigere non permittuntur *pr. Inst. de Perpet. & temp. act. l. in honorariis* 35. *in pr. ff. de O. & act.* Et ratio est: quia actiones Prætoriæ non 530
potuerunt longiùs durare, quàm Prætoris Jurisdictio, ex qua pullulârunt: hæc autem tantummodò annalis erat; ideóque & actiones annô concludi debebant, illæ præprimis, quæ aut pœnales extiterunt, aut Juri Civili obstiterunt. Reliquæ verò 531
persecutoriæ, quæ præter & non contra Jus Civile sunt inventæ, ideò eundem cum Civilibus terminum consecutæ sunt, non tantùm quia per Edictum D. Hadriani ad perpetuitatem pervenerunt, verùm etiam quia ex conniventia Populi Romani & successivô usu etiam post annum toleratæ & practicatæ fuerunt *pr. Inst. d. t.* Bachov. ad §. *Prætorum* 7. *Institut. de J. N. G. & C.* Stryck *d. l. membr.* 3. *axiom.* 1.

Non tamen ita universalis hæc est conclusio, ut 532
suis limitationibus circumscripta non non sit. Nam I. *actio doli*, quamvis pœnalis & famosa sit, biennô durat *l. ult. Cod. de Dolo malo.* II. *actio furti manifesti*, licèt quadruplum tanquàm pœnam comprehendat, est perpetua *d. pr. Inst. de Perpet. & temp. act.* III. *actio recepti* adversùs nautas, caupones, stabularios, ad duplum damni præstandum inventa, durat 30. annis *l. fin. §. ult ff. Naut. caup. stabul.* IV. *actio de servo corrupto*, quâ is, qui servi mores quomodò libet deteriores fecit, a domino ad duplum damni dati convenitur, ad 30. annos extenditur *l. hæc actio in pr.* 13. *ff. de Servo corrupto.* Stryck *d. l. axiom. à num.* 16.

§. VI.

Quis terminus Præscriptioni Criminum sit præfixus?

Crimina, seu potiùs accusationes & obligatio- 533
nes criminales Præscriptioni vectigales esse, diximus in *cap.* 4. *à num.* 308. Hic de Præscriptionis tempore

Dico: Omnia crimina seu accusationes criminales 534
vicenniô tolluntur, nisi ex speciali Juris ordinatione ad tempus brevius sint restricta. Communis DD. Pax Jordan *Elucubrat. div. lib.* 14. *tit.* 24. *num.* 357.

& seqq. Antonell. de *Temp. Leg. lib.2. cap.8 1.à n.1.*
Stryck de *action. sect.3. membr. 2. axiom.5.* D.Gletle
cit. tom.1.part.1.cap.un.§.8.*num.*13. & relati ibidem.
Fundatur assertio in *l.querela 12. Cod. ad Leg. Cor-
nel. de falsis l.quamcunque 3. ff. de Requirend. vel ab-
sent. condemnand.* ubi hunc in modum differit Mar-
cianus: *quamcunque quæstionem apud fiscum, si non
alia sit Præscriptio, viginti annorum silentiô præscri-
bi, Divi Principes voluerunt.*

535 Dixi: *quæ ex speciali Juris ordinatione ad tempus
brevius non sunt restricta.* Nam vicennium est illa
Herculis columna, ultra quam facinus nullum ex-
currit, esto infra & intra hanc latitudinem aliquot
crimina breviori intervallô concludantur. Quò re-
ducitur I. *adulterium*, cujus accusatio tollitur quan-
536 doque quinquenniô, quandoque semestri. Ponde-
randum quippe, utrùm ex parte mariti vel uxoris
adulterium sit commissum? Contra maritum adul-
terum quinquennium continuum est præfinitum, ex
die commissi criminis computandum *l.adulter.5.Cod.
de Leg. Jul. de adulter.* Contra uxorem adulteram
sex menses utiles sunt præfixi, à die divortii enu-
merandi; qui tamen excedere non possunt quinquen-
nium continuum, ex die admissi criminis calculan-
537 dum *l. mariti 29. §. 5. & seqq. ff. eôd.* II. huc refer-
tur *stuprum*, & flagitia omnia, Lege Juliâ vindica-
ta, quibus quinquennium est constitutum *d.l. ma-
538 riti 29.§.6.* III. crimen *peculatûs*, cujus accusatio
eôdem terminô definitur *l. peculatus 7. ff. ad L.Jul.
539 Peculat.* IV. accusatio extranei, qui, testatore oc-
cisô, ante quæstionem, de familia habitam, tabulas
testamenti aperuit, cui corripiendo Jura itidem 5.
annos præscripserunt *l. in cognitione 13. ff. de SCto
Silan.* Gletle *cit. loc. num.*18. quem vide.

540 Reperiri nihilo minùs Authores, qui traditam
supra regulam ac conclusionem subvertere conentur,
statuentes quædam crimina, quæ Præscriptione vi-
cennariâ non suffocentur. Moventur I. quia in *l.ult.
ff. de L. Pompeja de Parricid.* accusatio parricidii
semper permittitur. II. quia in *l. qui falsam 19.§.
un. ff. ad L. Cornel. de fals.* asseritur, accusationem
suppositi partûs *nullâ temporis Præscriptione depelli.*
III. quia in *l. apostatarum 4. Cod. de Apostat. in princ.*
ita decernitur: *apostatarum sacrilegum nomen singu-
lorum vox continuâ accusatione incesset, & nullis fi-
nita temporibus hujusmodi criminis arceatur indago.*
Videatur Antonell. *d. cap.* 8a. *num.* 6. & Stryck *cit.
loc. à num.* 12.

541 Horum tamen placito contraveniunt Gletle *cit.
loc. num.*14. Anton. Math. de *Crimin. tit. 14. cap. 4.
num.*2. Schwendendorff ad Eckold *ff. de L. Pompe-
ja de parricid.* §. 6. Zoës. ad *tit. ff. de Accusat. num.*
26. *& seqq.* Clariss. D. Stapf *quæst. select.* 23. & alii.
Nam regulæ generali tamdiu inhærendum, donec
luculenta probetur exceptio. Sed luculenter pro-
bari non potest, præfata 3. crimina à regula ge-
542 nerali in *n.* 534. esse exepta. Quòd enim tempore
non perimi referantur, id in sensu Civili & opposi-
tivè ad illa crimina, quæ breviori spatiô sunt cir-
cumsepta, exaudiendum est; quasi nempe termi-
num breviorem quàm ordinarium, hoc est vicen-
nium, quô omnia crimina extinguuntur, ignorent;
ad eum ferè morem, quô de actionibus personali-
bus enuntiamus, quòd sint perpetuæ, licèt 30. an-
norum Præscriptionem non evadant.

Quam posteriorem opinionem laudatus Gletle
543 vel ideò priori præferendam commendat: quia &
benignitate blanditur, & valde consulit saluti pu-
blicæ: si enim sciant noxii, accusationes criminum
esse immortales metu incumbentis vindictæ deterriti,
ac in desperationem versi, vix ac ne vix quidem resi-
544 piscent. Quòd si spem habeant, fore, ut decursu vicen-
nii liberentur, modis omnibus studebunt, ut tempus il-
lud verecundè transigant, ne per occasionem impro-
bitatis alicujus in suspicionem admissi criminis dedu-
cantur.

§. VII.

*De Tempore, in præscribendis Rebus ac Juribus pro-
fanis & publicis necessario.*

De his priori *Capite à num.*485. varia in medium 545
protuli. Modò de tempore Præscriptionis specia-
tim acturus, juxta distinctiones, ibidem datas, re-
fero meas conclusiones, &

Dico I. Bona & Jura, ad Principem pertinentia, 546
sed nondum ejus Fisco aut Cameræ incorporata, à
bonæ fidei possessore quadrienniô præscribuntur *l.
notum est 1. & tot. tit. Cod. de Quadriennii Præscript.
l. intra 10. §. 1. ff. de Divers. temp. Præscr.* Antonell.
de *Temp. Leg. lib.2. cap.99. num.1.* D. Franz ad *h.t.
num.* 25. Schambogen *ibid. pag. m.* 300. Et licèt in 547
his textibus nominatim de bonis sermo instituatur, ea-
dem tamen de Juribus est ratio *arg. l. bonorum 49. ff.
de V. S.*

Cui non obest textus in *l. quamvis 18. ff. h. t.* ubi 548
dicitur: *quamvis adversus Fiscum usucapio non pro-
cedat, tamen ex bonis vacantibus, nondum tamen
Fisco nuntiatis, emptor prædii ex iisdem bonis extite-
rit, rectè diutinâ possessione capiet.* Unde, cùm JCtus
diutinæ possessionis recordetur, tempus 10. vel 20.
annorum desiderare videri posset.

Resp. enim cum *cit.* DD. *possessionem diutinam* non 549
semper 10. aut 20. annorum tempus importare, sed
juxta materiam subjectam brevius quandoque tem-
pus significare, sicut in *l. sciendum 1.§.13. ff. de Se-
parat.* multum temporis conformiter propositæ ma-
teriæ quinquennium designat. Adde, non sine ra- 550
tione *ly diutinâ in d. l.* indeterminatè positum, quo-
niam usucapio in rebus commissi, quæ etiam, velut
bona vacantia, Fisco aperiuntur, quinquenniô ab-
solvitur *l. neque commissum 2. Cod. de Vectigal.* ut no-
tat Gothofred. ad *d. l. 18. lit. k.*

Hæc obtinent, si bona Fisco nec incorporata, 551
nec denuntiata fuerint. Si enim bona vacantia de-
nuntiata jam fuerint, & lis mota possessori, Præ-
scriptio quadriennii interrumpitur, & actio perpe-
tuatur. Si tamen destiterit nuntiator, Præscriptio re- 552
sumit vires, ac pristino decurrit pede, perinde ac
si nuntiatio intervenisset nunquàm *l. intra quatuor
10. princ. ff. de Divers. temporal. Præscript. & ibi*
Brunnem. *num.*3. D. Franz *d.n.*15.

Dico II. Jura & bona, quæ ad Principem, non 553
quà Principem, sed privatum ejus patrimonium spe-
ctant, non possunt præscribi nisi 40. annorum spa-
tiô. D. Rath *d. c.5. assert.43. lit.C.* D. Franz *d. loc. num.*
16. Nicol. Miller de *Princ. & Stat. Imp. cap.33. num.*
1. contra Covarruv. *in relect. cap. possessor. part.* 2. §. 2.
n. ult. in fin. Schambogen ubi supra *pag. m.*301. Zoës.
*h.t. num.*22. Lessius *de J. & J. l.2. cap.6. dub.12. num.*
41. qui rebus & juribus Principum patrimonialibus
nullam penitus prærogativam tribuunt, sed jure pri-
vatorum illa præscribi censent. Probatur hæc sen-
tentia admodùm fundamentaliter ex *rubr. tit. Cod. Ne* 534
rei dominicæ id est, ne rei Principis privatæ, ut expli-
cat Gothofr. (*ibid. lit.a.*) *vel templorum vindicatio
temporis Præscriptione submoveatur*: quæ rubrica,
cùm sensum habeat completum, & nigro non tan-
tùm non discordet, verùm etiam eôdem in *subseqq.*
3. *LL.* non parùm firmetur, vim Legis obtinet. Nec 555
minoris ponderis est textus in *l. jubemus ult. Cod. de
de Fundis patrimonial. lib.* 11. ubi prædiis Principis
patrimonialibus manifestè adstruitur Præscriptio 40.
annorum. Ut mirum sit, in ejuscemodi bonis & ju-
ribus privilegium Præscriptionis quadragenariæ à
quoquam in dubium vocari.

Dico

556 Dico III. Jura & bona Principis, quà Principis,
sed tamen etiam privatis acquisibilia v.g. jus pascen-
di, venandi, lignandi &c. non gaudent Præscrip-
tione centenariâ, sed quadragenariâ tantùm. Covar-
557 ruv. *cit. loc. n.* 5. Ratio est: quia in *l. omnes* 4. *Cod.*
de Præscr. 30. *annor.* quadragenariæ Præscriptioni
omnia jura, publica & privata, subjiciuntur: nec
textus occurrit, qui bonis & juribus Principis, quæ
privatorum esse possunt, privilegium centenariæ
558 Præscriptionis conferat. Nam in *l. ult. inter* 23. *Cod.*
de SS. Eccles. (in qua se malè fundant Alii, à Co-
varruv. nominati) ubi olim Monasteriis, Civitati-
bus, & aliis piis locis erat concessum privilegium
centenariæ Præscriptionis, altum de rebus Principis
est silentium: neque ex paritate rationis privilegia
extendere licet: cùm, stante rationis paritate, privi-
legium quidem concedi potuerit, sed non debuerit.
559 Dico IV. Jura & bona, Principi reservata in si-
gnum præeminentiæ, seu Jura Majestatis extrinse-
ca, cum titulo 40. annis; sine titulo tempore im-
memoriali præscribuntur. Rota Rom. apud Posthium
decis. 318. *num.* 5. & 6. Magnif. P. Konig ad *h. t. num.*
19. *in fine.* Less. de *J. & J. l.* 2. *cap.* 6. *dub.* 12. a.
560 41. Schambogen *Inst. eôd. pag.* 300. Ratio est: quia
imprimis Jura Principis privata quadragenariâ Præ-
scriptione gaudent; adeóque absurdum foret, jura
Principis quà Principis, ipsique in signum præemi-
nentiæ reservata, minori tempora concludi. Dein-
de, ut tempus 100. annorum statuamus, carentia
561 testûs non permittit. Præscriptionem igitur aut
quadragenariam cum titulo requirimus, aut sine ti-
tulo tempus immemoriale *arg. cap. Episcopum* 1. *h. t.*
in 6. cùm fortissima Juris præsumptio stet contra
præscribentem: eò quòd ejusmodi Jura, Principis
personæ annexa, sine speciali privilegio in alios tran-
sire non possint; simul etiam gravis Juris prohibi-
tio reluctetur in *l. Lex duodecim* 3. *ff. ad L. Jul.*
Majest.
562 Dixi: *Jura Majestatis extrinseca.* Nam *jura Ma-*
jestatis intrinseca frustra hic in disceptationem ve-
niunt, quæ secundùm dicta *in cap.* 4. *num.* 495. à
subdito quà tali nequidem immemoriali tempore
563 præscribuntur. Quòd si tamen non subditus qua
talis, sive manens subditus, sed tanquàm Supre-
mus; vel una Gens, Populus, aut Rex contra alium
similia Jura Præscriptionis viâ quærere & acquire-
re desideret, tempus aliud, quàm immemoriale
non sufficiet.
564 Notat verò singulariter D. Rath *cap.* 5. *assert.* 44.
nomine Principis in præsenti materia non tantùm
Supremum seu Imperatorem, sed omnes Sac. Rom.
Imper. Principes & Status comprehendi: nam isti
omnes suis in territoriis analogâ fulgent Majestate;
ac prærogativis, quibus Imperator in toto pollet
Imperio, in suis provinciis & ditionibus circum-
fluunt. Consentit cum communi, uti ipse testatur
Myller. de *Statib. & Princip. Imperii d. cap.* 33.
num. 1. *& seqq.*

§. VIII.

Quantitas Temporis in Rebus & Juribus Ecclesiæ.

565 Plura hìc in controversiam deducuntur, quæ
ut inoffensò pede percurramus, prænotanda di-
stinctio I. inter res mobiles & immobiles; II. inter
Ecclesiam Romanam & alias Romanâ inferiores;
III. inter jura Ecclesiæ temporalia & spiritualia;
IV. inter jura, quibus Jus commune resistit; &
quibus non resistit. Hæc, inquam, prænotare,
non ampliùs declarare oportet.
566 Dico I. Res Ecclesiarum, Romanâ inferiorum,
non tantùm immobiles, verùm etiam mobiles 40.
annis præscribuntur. Primum conclusionis mem-
brum de rebus immobilibus est canonizatum tam in-
ter Civilistas quàm Canonistas; idque ostendunt
textus, luce meridianâ clariores in *cap.* 4. 6. 8. *&*
9. *h. t. cap.* 2. *eôd. in* 6. *Nov.* 111. *cap. un.* & *Nov.*
131. *cap.* 6
Alterum membrum est contra Civilistas vix non 567
omnes, & plurimos etiam Canonistas, ut perhibent
DD. passim; sed propter Hostiensem, quem refert
& probat P. Engel ad *h. tit. num.* 28. propugnatores
habet Panormitanum ad *cap. requisivit* 1. *de Restit.*
in integr. n. 11. 12. *&* 13. Clariss. P. Josephum Mezger
in *Panacea Juris cap* 4. *num.* 30. Ratio potissima est; 568
quia allegata Juris testimonia non distinguunt inter
res mobiles & immobiles; imò *cap. illud* 8. apertè
dicit, quòd adversùs Ecclesias minorem Præscrip-
tionem quam quadragenariam Romana Ecclesia non
admittat. Ergo nobis distinguere non licebit, aut
asserere, quod Canones non distinguunt, aut asse-
runt *arg. l. de pretio* 8. *ff. de Publician.*
Confirmatur I. In tantum procedit Civilis Præ- 569
scriptio de Jure Canonico in rebus Ecclesiæ, in quan-
tum est recepta. Sed non est recepta Præscriptio
Civilis, seu regula Præscriptionis, ad Jus Civile
commensurata, nisi quatenùs res Ecclesiæ 40. an-
norum intercapedine præscribi voluit *dd. text.* Ergo
&c. II. Saltem res Ecclesiæ mobiles pretiosæ aliô 570
tempore quàm quadragenariô præscribi nequeunt:
istæ enim de Jure Canonico alienari prohibentur
Extrav. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien. inter
commun. Ergo etiam prohibentur tempore ordina-
riô præscribi *arg. l. alienationis* 28. *ff. de V. S.* &
num. 103. *in cap.* 4.
Contraria sententia multum præsidii collocat *in* 571
auth. quas actiones Cod. de SS. Eccles. quæ in rebus
Ecclesiæ immobilibus 40. annos ad Præscriptionem
admittit, *non autem triennii* NB. (quæ datur in re-
bus mobilibus) *vel quadriennii Præscriptione in suo*
robore durantibus.
Respondent Authores nostræ sectæ, præsidium 572
hocce fundamentô non admodùm firmô superstru-
ctum esse: quandoquidem ex *cap. Ecclesia* 10. *de*
Constitut. & *Auth. cassa Cod. de SS. Eccles.* nemini
non apertum & apricum est, Constitutiones Civi-
les, in præjudicium Ecclesiæ promulgatas, autho-
ritate destitui. Quâ responsione interim sepositâ; 573
Resp. Authenticas, Codici insertas, in tantum esse
authenticas, in quantum suo fonti, seu Novellis, un-
de fuerunt transumptæ, concordant. Sed *Auth. quas*
actiones suo fonti seu *Novellæ* 131. *cap.* 6 unde tran-
sumpta est, non correspondet: hæc enim ita statuit:
pro temporalibus autem Præscriptionibus decem & vi-
ginti & triginta annorum Sacrosanctis Ecclesiis & aliis
Venerabilibus locis solam quadraginta annorum Præ-
scriptionem opponi præcipimus; nihil verò de hoc di-
citur, quòd usucapio triennii in suo robore perma-
neat. Ergo non est authentica.
Dices: hôc ipsô quòd Imperator Præscriptioni de 574
cennali, vicennali, & tricennali substituerit quadrage-
nariam, suâpte sponte infertur, Præscriptionem trien-
nalem in suo vigore persistere: tantum quippe de Ju-
re veteri mutatum, quantum expressum: adeó ut cùm
de Præscriptione triennali nil expressum sit, in suo vi-
gore persistit.
Resp I. ex hoc argumento sequi, res Ecclesiæ mo- 575
biles hodiedum Præscriptione centenariâ gaudere;
quod probatur: tantum de Jure Veteri correctum,
quantum expressum. Atqui de Jure Veteri, inhæren-
dô literæ textûs, res Ecclesiæ mobiles gaudebant
Præscriptione centenariâ. uti statim demonstrabo; &
in illius correctione de rebus mobilibus, quæ Præ-
scriptionem triennalem subierunt, nihil est expressum.
Ergo hodiedum gaudent Præscriptione centenariâ,

576 Resp. II. *sub ly temporalibus Præscriptionibus* sufficienter comprehendi Præscriptionem triennalem, ut quæ magis hoc nomine insignienda videtur, quàm cæteræ Præscriptiones, tempore diuturniores. Neque facit in contrarium, quòd illud *ly temporalibus Præscriptionibus* mox explicetur, & limitetur ad
577 Præscriptionem 10. 20. vel 30. annorum: quoniam in fine memorati *capitis* jubet Imperator eandem constitutionem extendi *ad exactionem legatorum & hæreditatum, quæ ad pias causas relicta sunt*; consequenter etiam ad res mobiles & earum Præscriptionem, ut quæ frequentiùs legantur, & unà cum legato rei vindicationem operantur, quemadmodùm paulò infrà magis liquescet.

578 Urgebis: in *Nov. 111. cap. un.* Justinianus solam exceptionem 30. annorum usque ad 40. annorum curricula prolongat, *nihil penitus aliis exceptionibus derogandô, sed tam in aliis quàm trienniô vim roburque tenentibus.* Ergo res mobiles adhuc dum Præscriptionem triennalem subeunt.

579 Resp. I. hoc argumentum vel nimium probare; vel ad triennalem Præscriptionem in rebus Ecclesiæ mobilibus accommodandum non esse: si enim sola 30. annorum exceptio usque ad 40. annorum curricula sit prolongata, profectò res Ecclesiæ immobiles manent sub dispositione Juris Veteris & communis, vi cujus res immobiles Præscriptioni decennali
580 subduntur. Si verò etiam rei immobilis Præscriptio ad 40. annos usque est elevata, tum idem jus ad res mobiles est porrigendum; & textus non ad res & causas Ecclesiasticas, sed negotia profana applicandus propter *ly circa alias personas & causas*, quod evidenter denotat causas & personas, ab Ecclesiasticis diversas.

581 Resp. II. ex hac *Nov.* momentum & munimentum non leve opinioni nostræ adjici. Nam in ejus epilogo Imperator generalem ponit clausulam: *in illis negotiis religiosos contractus memoratô quadraginta annorum privilegiô volumus perfrui, in quibus eis centum annorum prærogativam constitutio nostra contulerat.* Atqui constitutio Imperatoria centum annorum prærogativam non tantùm in negotiis circa res immobiles, sed etiam mobiles Ecclesiis ante contulerat; ve-
582 luti liquidissimè ex *l. ut inter 23. in pr. Cod. de SS. Ecclesiis* probatur, cujus est constructio & constitutio: *sive itaque memoratis religiosissimis locis vel civitatibus hæreditas sive legatum, vel fideicommissum fuerit relictum, sive donatio vel venditio processerit in quibuscunque rebus NB. mobilibus vel immobilibus, vel se moventibus, sive pro redemptione captivorum quædam fuerint relicta vel donata: sit eorum penè perpetua vindicatio, & ad annos centum (secundùm quod jam dictum est) extendatur.* Ergo rebus Ecclesiæ mobilibus ad hodiernam usque ætatem competit quadragenariæ Præscriptionis prærogativa.

583 Dixi: *Ecclesiarum, Romanâ inferiorum*; quarum nomine veniunt non tantùm Ecclesiæ Parochiales, Collegiatæ, Conventuales, Regulares; sed etiam hospitalia & quælibet loca pia, ut decidit Rota Rom. in *recent. p. 4. tom. 1. dec. 171. num. 3. & 4.*

584 Dico II. Jura temporalia, seu quæ versantur circa res & objecta profana, v. g. pascua, prædia, sylvæ &c. ad Ecclesias, Romanâ inferiores spectantia, eôdem cum rebus immobilibus & mobilibus tempore præscribuntur. P. Engel *cit. num.* 30. Balbus *2. p. 4. princip. quæst. 2. num.* 6. & Canonistæ communiter. Ratio est: quia res immobiles & jura incorporalia pari mensurâ à Regulis Juris æstimantur juxta *n.* 545.

585 Excipitur casus, quô Ecclesia Laico, contra quem inchoata erat Præscriptio, succedit: tum enim dividuntur tempora Præscriptionis hunc in modum, ut Ecclesia in præteritum jure privati, in futurum autem propriô utatur privilegio. E. g. aliquis in agro, qui à Laico ad Ecclesiam pervenit, 5. jam annis usucapionem continuavit: hic, usucapionem completurus, adhuc 20. annis debebit possidere: quia 20. anni dimidium tempus Ecclesiasticæ Præscriptionis conficiunt. Pax Jordan *Elucubr. div. d. l. 14. tit. 24. num.* 339. Engel *d. loc. num.* 31. König *ibid. num.* 15. Haunold *tr. 5. cap. 2. contr. 4. num.* 302.

Dico III. Jura spiritualia, ad Ecclesias inferiores pertinentia, eôdem, quô profana, tempore præ- 586
scribuntur; titulus tamen requiritur, si quando Jus Commune resistat; vel, deficiente titulô, tempus immemoriale. Textus luculentus in *cap. Episcopum 2. h. t. in 6.* cujus sensum & significationem jam superiùs *à num.* 231. explanavi. Rota coram Emerix *decis. 105. num. 23.* Hinc

Deducitur I. circa Præscriptionem juris eligendi 587
ita distinguendum. Vel quis intendit præscribere hoc jus *privativè*, ita ut post hàc Capitulum, ad quod jus eligendi spectaverat, ab electione omninò velit excludere; vel cupit præscribere *cumulativè*, ita ut unà cum Capitularibus electioni interesse quæ-
rat. Primô casu aut 40. anni cum titulo, aut tem- 588
pus immemoriale requiritur. Ratio est: quia gravis Juris præsumptio unà cum prohibitione stat contra præscribentem per *cap. nullus 1. de Elect. cap. Ab-
bas 2. cap. Abbatem 3. XVIII. q. 2.* Secundô casu 589
sufficiunt 40. anni sine titulo per *cap. cùm Ecclesia Sutrina 3. de Causa possess. & propriet.* ubi non obscurè videtur Præscriptio in simili casu admitti *in ℣. nisi aliud obtineat de consuetudine speciali*; & in *℣. jus eligendi propter brevitatem temporis usque ad Præ-
scriptionem legitimam non producti.* Ratio est: quia 590
Præscriptio sic non est contra, sed præter Jus: cùm extraneos quidem ad electionem non vocet, sed nec repellat in casu, quô unà cum Capitularibus ad electionem concurrunt. Balbus *1. p. quinta princip. q. 8. n. 5. 6. & 2. seqq.* Schambogen ad *h. t. in Decretal. n.* 17. Fagnanus in *d. cap. cùm Ecclesia Sutrina. à n.* 24. Antonell. de *Tempore Leg. lib. 2. cap. 103. n. 2.* Reverendiss. D. D. Petrus Guerrather in sua *Porta honoris cap. 2. §. 4. num.* 6.

Deducitur II. circa Præscriptionem juris Patrona- 591
tûs ita discurrendum. Vel Præscribitur in Ecclesia libera, vel in Ecclesia non libera, seu jure Patronatûs jam affectâ. Si prius; ex novissima constitutione Concilii Trid. *Sess. 25. de Reformat. cap. 9.* tempus immemoriale desideratur: decernit enim ibidem S. Synodus, *ut titulus Juris Patronatûs sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis Jure requisitis ostendatur: sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat; aliásve secundùm Juris
dispositionem.* Quamquàm ex ultimis hisce verbis 592
aliásve secundùm Juris dispositionem non sine fundamento colligi posset, etiam 40. annorum quasi possessionem unà cum titulo sufficere. Less. *de J. & J. L. 2. C. 6. dub. 10. sub n.* 31. præsertim cùm ex doctrina Eminentiss. Card. de Luca de *Judic. disc. 21. n.* 42. & de *Hæred. disc. 33. sub n.* 13. quadragenaria cum titulo æquiparetur immemoriali. Id quod in hoc punctô docuit
idem de *Jure Patr. disc. 97. num.* 93. & Augustinus 593
Barbosa in *Collectan.* ad eundem Concilii passum *n. 21.* admittit in hominibus privatis, in quos non cadit jus usurpationis seu temerææ arrogationis, sicut in homines Potentiores, integras familias, Universitates, de quibus in *cit. loc.* mox ulteriùs statuitur: *quòd immemoriabilis temporis probatio non aliter eis suffragetur, quàm si præter reliqua, ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem quam quinquaginta annorum spatiô, quæ omnes effectum sortita sint, authenticis scripturis probentur.*

Si posterius obtineat; refert, utrùm jus Patro- 594
natûs ad Ecclesiam, vel Patronum Laicum pertineat.

Si

Si ad Ecclesiam; 40. annis præscribitur per dicta
595 in *num.* 586. Sin ad Laicum; post Rochum Cor-
tium & Joannem Andream apud Covarruv. *p. a. re-*
lect. cap. possessor. §. 10. *n.* 8. Lessius *cit. l. n.* 33. Scham-
bogen ad *h. t. a num.* 18. ac novissimè Clariss. P.
Schmalzgrueber ad *tit. de Jure Patron. num.* 166.
existimant, 10. aut 20. annos sufficere: eò quòd
Laicus nullibi reperiatur privilegium quadragena-
596 riæ Præscriptionis acquisivisse. Verùm *cit.* Co-
varruv. & Card. de Luca de *Jure Patronat. disc.* 56.
num. 22. 40. annos desiderant, ex ea ratione: quòd
circa jus patronatûs, tanquàm Ecclesiasticum, non
attendatur dispositio Juris Civilis, sed Canonici,
cui sola 40. annorum Præscriptio reperitur cogni-
597 ta. Quamquàm, cùm Juris resistentia neque Pa-
trono Ecclesiastico, neque Laico hoc in passu re-
fragetur, titulus non desideretur. Et ita repetitis
vicibus firmavit Rota Rom. in *recent. p.* 2. *dec.* 146. *n.*
5. *p.* 5. *dec.* 291. *n.* 13. *p.* 10. *dec.* 169. *num.* 21. *& seq. &*
dec. 240. *num.* 11. *& seq.*
598 Deducitur III. jus decimandi pro diversa deci-
matorum consideratione diversò quoque tempore
præscribi. Videndum nempe, utrùm ad Laicum vel
Clericum spectet. Si ad Laicum; decennii vel vi-
cennii spatiô perimitur: utpote cùm ex *cap.* 4. *n.* 378.
instar profani juris consideretur. Rota in *rec. p.* 19.
ta. 1. *dec.* 152. *n.* 5. Antonell. de *temp. leg. lib.* 2. *cap.* 37.
599 *n.* 18. P. Engel *ad tit. de Decim. n.* 21. Sin ad Clericum
spectet; ulteriùs discutiendum, an ad Clericum,
quatenùs est persona Ecclesiastica, vel quatenùs est
persona privata, fortè quia ex successione patrimo-
niali decimas acquisivit, pertineat. Posteriore casu,
cùm præ Laicis nullam specialem habeat prærogati-
vam, eandem cum Laicis Præscriptionem patietur.
P. Engel *ibid.* Clariss. P. Schmalzgrueber ad *tit. de*
600 *Decim. num.* 44. Priore casu rursus dispiciendum, un-
denam oriatur jus decimandi, an ex titulo spiritua-
lis officii, puta, quia est Parochus; an ex titulo
alio, v.g. dotatione, permutatione, privilegiô,
Præscriptione &c. Si hoc; 40. anni sinè titulo
Præscriptionem perficiunt. Rebuffus apud & cum
601 P. Engel *cit.* Si illud; vel 40. anni cum titulo, vel
tempus immemoriale debet adesse juxta decisionem
cap. Episcopum 1. *h. t. in* 6. & *cap. ad decimas* 2. *de*
Restitut. spoliat. eôd. in 6. quia videlicèt præsumptio
Juris communis militat pro Parocho, & præscri-
602 benti resistit. Quod meritò cum eodem P. Engel ad
Parochias, Monasteriis incorporatas, ampliari de-
bet, ut earum decimæ non nisi 40. annis cum titulo
aut tempore immemoriali præscribantur: quia per in-
corporationem Monasterium locô Parochi habetur,
uti decidit Rota Rom. coram Emerix *dec.* 473. *n.* 1.
& 2. Limitat tamen assertum posterius de titulo ex
communi sententia Card. de Luca de *Decim. disc.* 1.
n. 25. *disc.* 14. *n.* 9. *disc.* 15. *n.* 10. *disc.* 27. *num.* 8. quando
Præscriptio non tollit jus decimandi ex toto, sed
tantùm ex parte.
603 Excipiantur à superiore conclusione Beneficia
Ecclesiastica, de quibus extat *Regula Cancellariæ*
36. vel secundùm aliorum computum 33. quæ inscri-
bitur *de triennali possessore.* In hac ita statuit Ponti-
fex: *Si quis quacunque Beneficia Ecclesiastica abs-*
que simoniæ ingressu ex quovis titulo, Apostolicâ vel
Ordinariâ collatione, aut electione, aut electionis con-
firmatione, seu præsentatione & institutione illorum, ad
quas ista pertinent, per triennium pacificè possederit
(dummodò in Beneficiis hujusmodi, si Pontifices ex re-
servatione generali in corpore Juris clausâ, reservata
fuerint, se non intruserint) super iisdem Beneficiis, ta-
liter possessis, molestari nequeat. Præterea impetrationes
de Beneficiis, sic possessis, factas, irritas esse, decernit
Pontifex, *lites super illis motas penitus extinguendô.*
604 Qui igitur Beneficium Ecclesiasticum quodcumque
ex titulo colorato (qualem in præsenti habere cen-
setur, qui Beneficium consecutus est originaliter
ab eo, qui jure illud conferre potuit, licèt ex acci-
denti ob impedimentum aliquod extrinsecum excom-
municationis, suspensionis, alteriusve censuræ col-
latio effectum non habuerit, ut explicat Erasmus à
Chokier *Comment. in cit. Reg. n.* 85. Alphonsus in *Glos-*
sem, apud eundem Chokier *n.* 35. *& seqq.*) per trien-
nium sinè contentione judiciaria pacificè possedit,
non tantùm possessionem, verùm etiam stabilem titu-
lum & jus acquirit, prout contra Covarruviam *ad*
Reg. possess. p. 2. §. 10. *num.* 10. *conclus.* 6. probabiliùs de-
cidit *cit.* Alphonsus *num.* 18. Laym. *Theol. Mor. Lib.*
4. *tr.* 2. *cap.* 15. *n.* 4. Engel *ad lib.* 3. *Decret. tit.* 5. *n.* 39.
Haunold *d. tr.* 5. *num.* 284. Less. *cit. l.* 35. consentiente
Card. de Luca de *Benefic. disc.* 91. à *n.* 2. tum quia S.
Pontifex non tantùm omnem molestationem & tur- 605
bationem in tali possessione interdicit, verùm etiam
lites, occasione possessionis de facto motas, penitus
extinguit; quod non verificaretur, si adhuc super-
esset quæstio de proprietate seu titulo Beneficii:
tum quia omnes impetrationes de simili Beneficio 606
declarantur irritæ; utique non alia ex causa, nisi
quia nec de facto, nec de Jure vacat, ex quo om-
ne jus in possessorem transit: tum denique quia 607
aliàs Præscriptio positiva tam dominium utile quàm
directum vel quasi operatur, uti in *Sect. seq.* de-
monstrabitur.
Neque assertum hoc infringit *cap.* 1. *de R. J. in* 6. 608
quod Beneficia Ecclesiastica sine institutione Ca-
nonica obtineri non permittit. Nam institutio, ad
quam titulus coloratus accedit, potest dici Cano-
nica, saltem ex eo tempore, quô Præscriptio, post
expletum triennium, fuit absoluta: hæc enim præ-
cedentem titulum, licèt antehac inidoneum & in-
firmum, ita confirmat & roborat, ac si ab initio
statim in rei veritate Canonicè substitisset.
Dico IV. Res Ecclesiæ Romanæ, tam mobiles 609
quàm immobiles, solam Præscriptionem centena-
riam admittunt. Abbas in *cap. cùm dilecta* 4. *de*
Confirmat. utili &c. Haunold *d. tr.* 5. *num.* 271. Clariss.
D. Franz *hic n.* 22. Eruitur hæc conclusio ex perspi-
cuis & generalibus utriusque Juris sancitis in *cap.*
ult. XVI. q. 3. *cap. ad audientiam* 13. *cap. cùm vobis*
14. *h. t. cap. ult. eôd. in* 6. *Nov.* 9.
Extendunt hanc conclusionem aliqui cum Barto- 610
lo, Jasone, Covarruvia *in relect. cap. possessor. p.* 2. §. 2.
n. 9. l. ad res Civitatis. Sed malè: esto enim in *l.*
ut inter 23. *Cod. de SS. Eccles.* Civitatibus æquè ac
Ecclesiis & Monasteriis privilegium centenariæ Præ-
scriptionis fuerit indultum; quia tamen in *Nov.* 111.
cap. un. idem privilegium quoad Ecclesias & Mona-
steria est revocatum, videtur etiam quoad Civita-
tes fuisse sublatum: partim quia privilegium Civi-
tatibus ad exemplum & normam piorum locorum 611
est concessum: partim quia Justinianus, dum *circa*
alias personas & causas voluit observari Præscrip-
tionem tricennalem, 40. annorum Præscriptione so-
lis Religiosis locis concessâ, satis indicavit, ne quidem
quadragenariam, adeóque multò minùs centenariam
Civitatibus proficere: partim quia ratio, ob quam 612
privilegium quoad Monasteria & Ecclesias est re-
vocatum, suadet similem revocationem quoad Ci-
vitates: *quoniam*, ut ait Imperator in *præf. de Nov.*
in fin. per tantùm sæculi magis quàm temporis spatium,
nec documentis integritas, nec actis fides, nec ætas va-
let testibus suffragari. Ut adeò inconveniens planè 613
& incongruum fuisset, si Imperator ob eandem
prorsus rationem, quâ favorem, locis piis conces-
sum, sustulit, tollere eundem favorem quoad Ci-
vitates noluisset: cùm Civitates aliàs majorem fa-
vorem in Jure non habeant, quàm causæ piæ. Stryck
de *Action. cit. sect.* 3. *membr.* 2. *n.* 6.

Exten-

614 Extendunt alii conclusionem ad Jura Ecclesiæ
Romanæ. Et rectè; modò servetur distinctio inter
Jura, S. Pontifici reservata, & non-reservata, sed
615 inferioribus quandóque concedi solita. Nam Jura
non reservata, uti privilegiò Apostolicò & possunt
obtineri, & sæpius obtenta sunt; ita etiam Præ-
scriptionem non fastidiunt *arg. cap. super quibusdam*
616 *26. de V.S.* Jura autem reservata, uti v. g. est pote-
stas generalis dispensandi in Jure communi, deciden-
di quæstiones Fidei, cognoscendi de omnibus fi-
delium causis &c. cùm privilegiò concedi non so-
leant, nec Præscriptionem centenariam aut imme-
morialem agnoscunt *arg. cap. majores 3. de Baptis-
mò cap. un. de Cleric. ægrot. in 6.* Recapitulentur di-
cta de Regalibus & Juribus Majestatis, in *cap. 4.
sect. 4.* Pirhing ad *h.t. num. 102.*
617 Extendunt alii, & fortè omnes, conclusionem
ad Ecclesias exemptas, hôc sensu, ut, si de ipsa ex-
emptione agatur, non aliam quàm centenariam Præ-
scriptionem procedere existimet P. Engel *ad h.t. cum
618 cit. n. 32.* Nec immeritò. Nam Præscriptio, quæ
contra exemptionem insurgit, tollit in effectu jus
immediatæ Jurisdictionis, Sedi Apostolicæ com-
petentis; adeóque tollit jus aliquod Ecclesiæ Ro-
manæ: unde non minori tempore indiget, quam
Præscriptiones aliæ contra Ecclesiam Romanam.
619 Videatur textus in *cap. cùm dilecta 4. de Confirmat.
utili vel inut. &c.* Verùm, si de juribus aut bonis,
ad ipsas Ecclesias exemptas immediatè spectanti-
bus, agatur, illa de Jure Communi speciali privi-
620 legiô non gaudent. Dico: *de Jure Communi.* Enim-
verò ex speciali gratia per Leonem X. & Pium IV.
omnibus Ordinibus Mendicantibus, tanquàm im-
mediatè S. Sedi subjectis, concessum esse privile-
gium centenariæ Præscriptionis, testatum reliquit
Haunold *cit. tract. 5. num. 300.* Quod ipsum privile-
gium, antecedenter Cisterciensi Familiæ indultum,
cum eodem Haunoldo & D. Rath refert P. Engel *h.
621 t. num. 33.* Ordini autem Benedictino tam ab Euge-
nio IV. quàm à Julio II. privilegium sexagenariæ
Præscriptionis communicatum fuisse, communissimè
affirmant DD. Lessius *de J. & J. lib. 2. cap. 4. dub. 8.
num. 25.* Haunold *d. n. 300.* Engel *d. n. 33.* Pirhing *hic
num. 102.* Illsung *Theol. pr. tr. 4. d. 2. num. 327.* Scham-
bogen *ad h. t. num. 25.*

§. IX.

*De diversis temporibus in Præscriptionibus innomi-
natis.*

622 Præscriptiones innominatæ tam diversis absolvun-
tur temporibus, ut nullâ valeant certâ definiri re-
gulâ, sed in singulis ferè casibus sint diversa: ve-
luti præ cæteris amplissimè demonstrant Pax Jordan
Elucubr. div. lib. 14. tit. 24. à num. 283. Schambo-
gen ad *h. t. p. 200.* Stryck. in *tract. de Act. for.
sect. 4. per tot.*
623 Demonstro & ego breviter, & exordior à mo-
mento, ac per horas, dies, menses, & annos promo-
veo cursum. Et quidem in momento quasi præscri-
bitur juri, quod habet dejectus à sua possessione,
eandem possessionem etiam vi denuò recuperandi per
624 *l. qui possessionem 17. ff. de Vi & vi arm.* Pariter jus
judicandi, quod competit pluribus Judicibus in cau-
sis mixti fori, momentaneâ præventione tollitur *arg.
cap. proposuisti 19. de Foro compet.* quemadmodùm &
jus prioritatis in pignore momentô quoque tempo-
ris acquiritur *t. t. ff. & Cod. qui potior in pignore.*
625 Quoad horas occurrit Præscriptio in *l. capite 25.
in pr. ff. ad L. Jul. de adulter.* ubi potestas, marito con-
cessa, quòd adulterum, cum uxore deprehensum, pri-
vatô carcere valeat detinere, post 24. horas amittitur.

Quoad dies exempla sunt copiosa. Nam I. uni- 626
câ die præscribitur contra Judicem, sententiam à
se latam, quoad accessoria vel appertinentia supple-
re volentem *l. Paulus 42. ff. de Re judic.* II. post bi- 627
duum jus appellandi in causa propria quondam ex-
spirabat *l. siquidem 1. §. 5. ff. Quando appell. sit.* III. 628
post triduum exspirat facultas, errorem Advoca-
torum corrigendi *l. ult. Cod. de Error. Advocat.* item
facultas colligendi fructus, ex meis arboribus in hor-
tum vicini delapsos *l. un. ff. de Glande leg.* post octi-
duum electores excidunt jure persequendi electio-
nem, si eam electo non præsentaverit *cap. cupientes
16. §. cæterùm de Elect. in 6.* IV. post decendium 629
hodie tollitur appellandi licentia *Nov. 23. cap. 1.* uti
& licentia, contra laudum arbitrale petendi redu-
ctionem ad arbitrium boni viri *l. penult. in pr. Cod.
de Recept. arbitr.* V. 15. dies ad probandam excep- 630
tionem spolii sunt præstituti in *cap. frequens 1. in pr.
de Restitut. spoliat. in 6.* VI. indulta tutoribus excu- 631
satio, quando vocantur ad munus tutelæ, post 50. dies
continuos perimitur *§. qui autem 26. Inst. de Excusat.*
Quoad menses perinde frequens habetur Præ- 632
scriptio. Nam 30. diebus (qui mensem conficiunt
juxta *l. ult. §. 1. 2. & 11. Cod. de Jure delib.*) præ-
scribitur exceptioni non-numeratæ pecuniæ respe-
ctu creditoris, apocham emittentis *l. in contract. 14.
§. 2. Cod. de NN. P.* Intra 30. dies petendi sunt Apo- 633
stoli, seu literæ dimissoriæ in appellatione *l. judici-
bus 24. Cod. de Appellat.* Jus vindicandi servum, ad
dignitatem aliquam sæcularem promotum, domino
competens, ipsô sciente, nec contradicente, post
30. dies extinguitur *l. super servis 6. Cod. Qui mili-
tare possunt &c.* De Jure Canonico spatium unius 634
mensis conceditur iis, qui volunt à postulatione vel
electione ad Summum Pontificem appellare *cap. sta-
tuimus 1. in pr. de Elect. in 6.* Conceditur etiam novi-
ter electo mensis ad acceptandam electionem *cap.
quàm sit 6. d. t. in 6.* Post duos menses (seu 60. dies, 635
qui duobus mensibus æquivalent per *l. ubi lex 101.
ff. de R. J.*) emendi prærogativa, quæ domino con-
ceditur in re emphyteutica venali, adimitur *l.
ult. Cod. de Jure emphyteut.* Eodem tempore no-
vis conjugibus aufertur licentia, cæteroquin con-
cessa, de Religionis ingressu deliberandi, & intereà
conjugale debitum recusandi *cap. ex publico 7. de
Convers. conjug.* Post tres menses, à die vacantis 636
Ecclesiæ numerandos, non factâ electione, jus eli-
gendi pro illa vice Capitulo adimitur *cap. ne pro de-
fectu 41. de Elect.* Electus quoque, si confirmationem
intra tres menses à die præstiti consensûs non petie-
rit, jus suum amittit *cap. quàm sit 6. d. t. in 6.* Intra 637
quatuor menses Patronus Laicus Clericum ad bene-
ficium vacans præsentare tenetur, nisi jus præsen-
tandi pro illo casu perdere velit *cap. quoniam 3. cap.
cùm propter 27. de Jure Patronat.* Similiter intra idem
tempus is, qui condemnatus est in actione persona-
li, si velit executionem avertere, tenetur solvere
*cap. quòd ad consultationem 15. de Sent. & re judic. l.
eos qui 2. l. sancimus 3. Cod. de Usur. rei judic.* Ultra 638
quinque menses, si Episcopus, non adeptâ conse-
cratione, Ecclesiam retinuerit, neque ibi neque ali-
bi poterit consecrari, sed Metropolitani judicio de-
poni debet *cap. quoniam 1. Dist. 100.* Sex menses 639
Patrono Ecclesiastico ad præsentandum, & totidem
Ordinario ad collationem beneficiorum sunt præ-
scripti *cap. quia diversitatem 5. de Concess. præb. cap.
un. de Jure Patron. in 6.* Hoc ipsum tempus instituen-
dæ actioni redhibitoriæ præfinitum est in *l. scien-
dum 19. §. ult. ff. de Ædilit. ed. &c.*
Præscriptiones annales occurrunt I. in actionibus 640
prætoriis (si pœnales sint) ex *n. 529.* nec non actio-
ne quanto minoris *d. l. sciendum 19. §. ult.* II. in peten-
da bonorum possessione, quæ parentibus aut liberis
datur

datur §. *sed eas 4. Inst. de Bon. possess.* III. in immissione in possessionem bonorum, in qua reus post annum amittit veram possessionem *cap. constitutis 1. de eo qui mittitur in possess. l. pen. §. pen. Cod. de Præscr. 30. vel 40. annor.* IV. in petenda investitura feudali, quæ, si ultra annum & diem omissa fuerit, feudi privationem inducit *cit. 24. 40. & 57. feud. II.* V. in susceptione Sacerdotii, ad quam intra spatium annale, provisus de beneficio curato, sub pœna amissionis obligatur *cap. licèt 14. de Elect. in 6.*

641 Præscriptio biennalis opponitur I. querelæ non numeratæ pecuniæ respectu putativi debitoris, quatenùs saltem est privilegiata *l. in contractibus 14. in pr. Cod. de N.N.P.* II. Emphyteutæ Ecclesiastico, qui scilicèt intra biennium Ecclesiæ canonem annuum non solvit *cap. ult. de Loc. cond.* III. conductori, mercedem intra bienniom non præstanti per *l. quæro 54. §. 1. ff. eôd.*

462 Præscriptio triennalis locum habet I. in emphyteusi sæculari, quæ, canone per triennium non solutó, fit caduca *l. in emphyteuticariis 2. Cod. de Jure Emphyteut.* II. in jure repetendi servum aut hominem proprium, quando statum Regularem aut Clericalem assumpsit *cap. ult. XVII. q. 2. Nov. 113. cap. 35.* III. in instantia judiciali, quæ triennió perimitur *l. properandum 13. §. 1. Cod. de Judic.*

463 Præscriptio quadriennalis obtinet I. contra remedium restitutionis in integrum, quod ab Ecclesiis, vel minoribus, vel majoribus, extra casus exceptos, intra quadriennium est movendum *cap. 1. & 2. de in integr. Rest. in 6. Clem. un. eôd. l. ult. Cod. de Temporib. in integr. restitut.* II. contra dominum rei, quam Fiscus tertio cuidam vendidit §. *ult. Inst. de Usucap. l. bene à Zenone 3. Cod. de quadriennii Præscript.*

464 Præscriptio quinquennalis attenditur I. in querelis, quæ contra testamenta, dotes, aut donationes inofficiosas sunt proditæ *l. si quis filium 34. in fin. Cod. de Inofficios. testam. l. ult. Cod. de Inofficios. donation. l. un. Cod. de Inofficios. Dot.* II. in querela seu reclamatione contra professionem Religiosam, cui à Tridentino Concilio *Sess. 25. de Regular. cap. 19.* quinquennium legitur determinatum.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *& seqq. Contra nostram opinionem, quòd in debito, indefinitè contracto, cum scientia juris alieni præscriptio currat, aliquot rationes proponuntur. 6. & seqq. Enervantur. 13. & seqq. Contra alteram sententiam, quâ docuimus, dubium speculativum non impedire præscriptionem, rursus aliquæ objectiones adducuntur. 16. & seqq. Tolluntur è medio. 21. Error in facto proprio obstat præscriptioni ordinariæ. 22. & seq. Quin & error facti alieni, conjunctus cum errore Juris. 24. & seq. Exponitur* l. 3. ff. pro Donato. *26. & seqq. Firmatur nostra assertio, quòd præscriptio privativa non requirat possessionem, contra dissentientes. 36. Potest tamen aliquid admitti locô tituli. 37. & seq. Res Ecclesiæ Romanæ mobiles non præscribuntur trienniô de Jure Canonico. 39. An etiam de Jure Civili? Remissivè. 40. Etiam res mobiles Ecclesiarum inferiorum non admittunt præscriptionem triennii. 41. & seq. Formantur oppositiones. 43. & seqq. Reformantur. 47. & seqq. Explicatur* cap. 1. h. t. *& concordatur cum* cap. 15. XVI. q. 4. *50. An eôdem tempore contra Fiscum Ecclesiasticum & Secularem præscribatur? 51. & seqq. Explanatur textus in* cap. ult. h. t. in 6. *56. & seqq. Multifaria argumenta adversùs præscriptionem collectarum coacervantur. 69. & seqq. Ad omnia & singula distinctè respondetur.*

QUÆSTIO I.

An scientia juris alieni inducat malam fidem in debito, indefinitè contracto, si nunquam fuerit exactum?

OPinioni neganti, à nobis in *hoc cap. à numer.* 1
40. propugnatæ, cui etiam cum Clariss. DD.
Franz ad *tit. Inst. de Usucap. num. 91. & seq.* accessit
Clariss. P. Pichler ad *h. t. num. 32.* inter alios novissimè
se opposuit Clariss. P. Söll in *tract. de Præscript.
p. 2. cap. 2. à num. 268.* ductus sequentibus
motivis. I. quia contractu v. g. emptionis initô, 2
& merce ab emptore acceptâ, statim ex justitia
commutativa oritur obligatio, & de se quidem absoluta
& naturalis solvendi, sive pretium venditori
tribuendi: hæc autem obligatio pro foro conscientiæ
non tollitur, etsi nec dies interpellet, nec
debitum fuerit exactum, quia dicta obligatio est
certa ac indubitata: adeóque pariter deobligatio
deberet esse certa, vel saltem probabilior, quàm
obligatio; quæ tamen certitudo, stante contrariâ
& communiore sententiâ, haberi non potest. II. 3
Hæc deobligatio nec evincitur ex verbis Legum,
utpote quæ solummodò forum externum, in quo
creditor, transactô legitimò tempore, non ampliùs
auditur, respiciunt, sicut accidit in pacto nudo;
nec ex mente & fine, dum creditorum diligentia
sufficienter acuitur, litesque minuuntur, si in foro
fori post lapsum certi temporis denegetur actio.
III. Evitatur correctio Juris Naturalis, obligantis 4
debitorem ad solvendum, quod debet, in conscienciencia.
IV. Est communis hominum timoratorum 5
persuasio, se esse obligatos ad debita contracta expungenda,
etsi non exigantur: indeque ejusmodi
debita nequeunt dici conditionata; neque etiam
à debitore sciente contra illa præscribitur: quippe
cùm, si malam fidem declinare velit, debeat habere
animum solvendi, & non possidendi rem debitam
ut suam.

Hæc tamen & alia motiva nullatenùs me mo- 6
vent, ut a præconcepta opinione, quæ Præscriptionem
in debitis indefinitè contractis admittit, in
theoria recedam. Nam I. fundatur in malo supposito,
quasi nimirum obligatio solvendi pretium in
contractu emptionis-venditionis censenda sit indefinita:
quamprimùm enim emptor accepit mercem,
illicò obstringitur ad solvendum pretium, etsi non
fuerit interpellatus à venditore, uti notavimus in
hoc cap. 5. num. 76. siquidem ipsum Jus locô ven- 7
ditoris interpellat, quatenùs emptorem in mora
constituit, eôque titulô ad præstandas usuras adigit,
nisi dilationem solutionis acceperit *l. Julianus
13. §. 20. ff. de Act. empti vend. l. evictis 18. §. un. ff.
de Usur. l. usuras 2. Cod. eôd.*

Ad II. Resp. de Jure Civili tum ex verbis tum 8
ex mente Legum certum esse, quòd Præscriptio
in actionibus personalibus post 30. annos absolutè
procedat, sive debitor sciverit, se esse debitorem,
sive non: cúmque de Jure Canonico æquè certum
sit, Præscriptionem qualemcumque procedere,
si modò præscribens non fuerit in mala fide;
ac insuper à nobis solidè probatum sit, debitorem
in debito, indefinitè contractô, & nunquam à
creditore per interpellationem exactô, non esse in
mala fide, cum peccato conjunctâ: rectè inferri,
quòd etiam de Jure Canonico ejusmodi debitor
præscribat.

Ad III. Resp. controversiam hîc non agitari de 9
Jure Naturali; quamvis & hoc in nostris principiis
non tam obstet quàm faveat Præscriptioni; sed de
Jure Positivo, juxta cujus dictamina toties Præ-
scrip-

ſcriptionem admittimus, quoties non concurrit
mala fides, cum peccato conjuncta. Et quia in
noſtra hypotheſi ejus generis mala fides exulat, Jus
Naturale per Poſitivum non corrigitur, ſed potiùs
unum cum altero conciliatur.
10 Ad IV. Reſp. ad rem præſentem, ubi præcipuè
in theoria diſputamus, parum facere, quid aliqui
homines timorati, Jurium imperiti, ſentiant: ſuf-
ficit enim, quòd juxta *l. debitores* 10. *Cod. de Pig-
nor.* & communem Theologorum ac Juriſperitorum
ſenſum debitor non teneatur in actu ſecundo ſol-
vere, niſi à die vel homine interpelletur. Laymann
Theol. Moral. lib. 3. *tr.* 2. *cap.* 10. *ſub numer.* 1. Ma-
gniſ. P. König ad *tit. de Solut. numer.* 27. Clariſſ. P.
11 Schmalzgrueber *ibid. num.* 7. Neque tamen exin-
de conſequitur, tale debitum eſſe conditionatum,
utpote cujus exactio creditori ſemper eſt libera &
arbitraria; niſi dicere allubeſcat, eſſe conditiona-
tum in actu ſecundo ex parte debitoris, quate-
nùs, ut dictum, ante exactionem in actu ſecun-
do non tenetur ſponte ſolutionem offerre; ſicque
poteſt habere inculpatum ſolvendi animum, ſi
12 creditor exegerit. Quòd verò debeat habere ani-
mum poſſidendi rem debitam ut ſuam; in termi-
nis Juris, ubi de jure ad rem & actione perſona-
li agitur, ſalvari nequit: vel enim eſt debitor ge-
neris; vel ſpeciei: ſi prius; utique omne id, quod
habet in ſuo patrimonio, verè poſſidet, ſicque ani-
mum habet, poſſidendi rem propriam ut ſuam.
Si poſterius; adhuc rei debitæ eſt dominus, ma-
netque talis cum animo eandem poſſidendi ut
ſuam, uſque dum, factâ interpellatione, credito-
ri tradatur.

QUÆSTIO II.

An dubium conſtituat malam fidem?

13 Dixi in *hoc cap. num.* 80. *&* 85. dubium ſpecula-
tivum non conſtituere malam fidem, non tantùm
ſi ſuperveniat Præſcriptioni, jam cœptæ, ſed etiam
ſi antecedat. Video tamen, poſteriorem aſſertio-
nem non omnibus arridere, & contra illam op-
poni I. quòd utrôque Jure ad initium Præſcrip-
tionis requiratur bona fides, qualis non eſt, ſi
14 quis credat, venditorem non eſſe dominum. II.
quòd, ubi poſſeſſionem rei alienæ licitè cape-
re deſidero, debeam probabiliter judicare, eſſe
meam; cujuſmodi judicium nequit conſiſtere cum
dubio ſpeculativo, quod ex natura ſua ſuſpenſio-
15 nem judicii importat. III. quòd dubitans ſpecu-
lativè, & nihilominùs rem alienam ſibi arrogans,
peccet, utpote cujus conditio ante omnem poſ-
ſeſſionem non eſt melior, quàm alterius; adeóque
præſcribere non poſſit.
16 Sed iſta parum aut nihil attendi merentur. Nam
quoad I. nunquam conceſſi, aut concedo, quòd
dubitans ſpeculativè credat, venditorem v. g. rei
poſſidendæ non eſſe dominum; imò potiùs aſſerui
contrarium, quòd poſſit opinari, & prudenter cre-
dere, venditorem juſtè ac cum bona fide rem à ſe
17 emptam aut emendam poſſediſſe. Quoad II. pa-
tet declaratio ex reſponſione mox data. Et licèt
dubium etiam ſpeculativum ſuâpte naturâ ſuſpen-
dat aſſenſum; attamen non impedit, quò minùs
dubitans ſe practicè poſſit reſolvere, & credere,
rem, de cujus juſta poſſeſſione in theſi dubita-
tur, in hypotheſi ſibi poſſidere licere. Quoad
18 III. à vero procul abludit, quòd dubitans ſpe-
culativè, & nihilominùs rem dubitativè alienam ap-
prehendens, peccet, ſi ex principio alio, & jam
explicato, ſe practicè reſolvat, rem illam non eſ-
ſe alienam; veniente quoque in ſubſidium poſſeſ-
ſione, non quam dubitans primùm acquirit, ſed
quam auctor illius v. g. venditor anteà bonâ fide
habuiſſe præſumitur.
Dixi præterea in *eod. cap. num.* 89. *&* 100. du- 19
bium practicum, tam antecedens quam ſubſequens,
obſtare Præſcriptioni. An verò, qui practicè non
dubitat, ſed tamen adeò iniquus eſt, ut vellet con-
tinuare poſſeſſionem, etiamſi injuſtam eſſe ſciret,
adhuc præſcribere valeat? Ex eo dubitari poſſet,
quòd ejuſmodi poſſeſſor nihil agat, juſtitiæ aut
juri tertii contrarium. Quia verò ſaltem in affe- 20
ctu peccat, & quidem peccatô injuſtitiæ, quate-
nùs habet animum, lædendi jus tertii; æquè à Præ-
ſcriptionis commodo repellendus erit, quàm ille,
qui dubium practicum non deponit.

QUÆSTIO III.

An error facti Præſcriptionem retardet?

Negavi in *hoc cap.* 5. *num.* 118. ita tamen, ut, 21
ſi error occurrat in facto proprio, Præſcriptio or-
dinaria locum habere vix queat: eò quòd talis er-
ror ſuffocet titulum, ſine quo Præſcriptio ordina-
ria & poſitiva, ſaltem quoad res corporales, per-
fici non poteſt, uti concluſi infra in *d. cap. num.* 219.
Quid autem ſequendum de errore facti alieni, 22
cui ſimul admiſcetur error Juris? In exemplo. Emit
aliquis abſque præſcitu & conſenſu tutoris à pu-
pillo rem alienam, quam illius propriam exiſti-
mavit, unáque credidit, pupillum res ſuas au-
thoritate propria diſtrahere poſſe: poteritne præ-
ſcribere?
Reſp. eum tempore ordinariò præſcribere non 23
poſſe. Ita cum aliis Clariſſ. D. Franz ad *tit. Inſt.
de Uſucap. num.* 69. Ratio eſt: quia, dum Jura
abſolutè ſtatuunt, quòd error Juris Præſcriptionem
ordinariam ſubmoveat, id etiam in caſu, quô er-
ror facti concurrit, voluiſſe cenſentur: vix enim
error Juris hac in materia ſeparari poteſt ab omni
errore facti, ſicuti patet ex dato exemplo; conſe-
quenter, ut illa Jura poſſint cum effectu applicari,
error facti præſcribentem excuſare nequit *arg. l.
nunquam* 31. *in pr. ff. h. t.*
Neque obſtat *l. ſi vir* 3. *ff. pro Donato*, ubi dici- 24
tur, uxorem poſſe præſcribere rem alienam, à ma-
rito ſibi donatam; ſicque inoui videtur, errorem
Juris, donationes inter conjuges prohibentis, non
obſtare Præſcriptioni, ſi error facti, quô uxor cre-
didit, rem donatam eſſe mariti propriam, concur-
rat. Nam, ut *cit. text.* optimè explicat Brunne- 25
mannus in *Comment.* adeſt quidem error Juris gene-
ralis, quando uxor exiſtimat, donationem inter con-
juges licere; non tamen adeſt error Juris ſpecialis,
quod illas donationes non prohibet, ex quibus al-
tera pars non fit pauperior, cujuſmodi donatio eſt
illa, quâ res aliena donatur. Quæ explicatio etiam
probatur D. Franz *cit. l.*

QUÆSTIO IV.

*Utrùm ad Præſcriptionem privativam requiratur ali-
qua poſſeſſio?*

Nullam poſſeſſionem admiſimus in *præſ. cap.* à 26
num. 394. Quæ tamen ibidem dicta & probata
ſunt, non uſque adeò placere video Viris Clariſſ.
P. Pichler *h. t. num.* 51. & P. Söll de *Præſcript. cap.*
2. *num.* 205. Quamvis enim non audeant adſtruere
veram & poſitivam poſſeſſionem; conantur tamen
exprimere aliquam umbram poſſeſſionis, quam
appellant negativam, quæ nempe habetur per ne-
gationem

negationem actuum, quibus debitum v.g. posset exigere creditor, non tamen exigit; ad eum ferè, uti existimant, modum, quô in Præscriptione positiva rerum & jurium incorporalium non potest dari vera possessio & strictè talis, sed tantùm quasi-possessio.
27 At certè claudicat hæc paritas: nam Jura nostra, Canonica & Civilia in *cap. consultationibus* 19. *de Jure Patron. cap. ult. de Restit. spoliat. in* 6. *l. regulariter* 9. *ff. de Hæredit. petit. l. ult.* §. *ult. in f. ff. si pars hæred. pet. l. de aqua* 1. *ff. Commun. præd. l. sicut autem* 8. §. 3. *ff. si servit. vind.* apertè agnoscunt veram & positivam possessionem rerum & jurium incorporalium; eamque *quasi-possessionem* solummodò vocant comparativè ad res corporales, quæ, sicut incurrunt in sensus, ita etiam sensibili & physicâ apprehensione tangi & occupari possunt; aliter atque incorporales, quæ nonnisi mediantibus actibus, qui ex radice jurium incorporalium prove-
28 niunt, sub sensum cadunt. Econtrà possessio negativa utrique Juri prorsus incognita, & in ordine ad Præscriptionem privativam aut propter defectum objecti impossibilis, aut, cùm effectum nullum producat, planè inutilis & supervacanea est: quia nimirum Jus utrumque singulis actionibus statuit certum terminum, intra quem si motæ non fuerint, absque ulla alia debitoris possessione vel cooperatione, suâpte indole pereunt.

29 Neque regeras: negativam possessionem salvari per hoc, quòd debitor incipiat possidere suam libertatem ab eo tempore, quô creditor jus suum
30 aut actionem movere vel urgere desinit. Enimverò neque hæc libertatis possessio in Legibus, Canonicis, aut Civilibus, fundata, aut aliunde probata reperitur: tum quia jus personale seu actio, quam habet creditor, intimè cohæret ossibus personæ, & remanet eo usque intactum, donec, expletô legitimô tempore, ipsius Legis, Præscriptionem inducentis, authoritate extinguatur; sicque libertas debitoris hôc ipsô, quòd obligatione personali usque ad ultimum instans Præscriptionis constricta maneat, non potest cadere sub possessionem negativam debi-
31 toris: tum quia, si debitor suam libertatem negativè dicatur possidere, quòd creditor jus suum non urgeat, illa possessio deberet statim incipere à tempore contractæ obligationis, si creditor in primo mox momento solutionem non peteret; cùm tamen in terminis implicare videatur, ut debitor simul per contractum obligetur, & simul in possessione liber-
32 tatis ab obligatione existat. Et sanè, cùm debitor etiam postremâ die, quâ Præscriptio completur, à creditore interpellatus teneatur solvere, nullum habebit commodum ex asserta *libertatis* possessione negativa, licèt creditor totô anteriori tempore siluerit.

33 Instabis: per Præscriptionem privativam acquiri liberationem à jure alterius, prout in nostra definitione exprimitur; adeòque dari possessionem negativam seu liberalitatis seu liberationis.

34 Resp. Juxta nostram definitionem liberationem à jure alterius non acquiri mediante aliquâ possessione, sed privilegiô solius temporis, quando scilicèt creditor intra tempus, à Lege præstitutum, jus suum non exercuit, debitor autem intereà nihil egit,
35 quod juri alterius erat contrarium. Acquirit itaque liberationem ab alterius jure non positivè, quasi aliquid in præscribentem transferatur; sed privativè, quatenùs jus, in alio existens, solius temporis decursu, ex Legis dispositione, ipsô factô evanescit; id quod fieri potest absque eo, quòd præscribens ex suo aliquid conferat, aut antecedenter suam liberationem negativè possedisse dicatur. Itàque in terminis ferè respondit & judicavit Rota Rom. in *recent. p.* 4. *decis.* 547. *n.* 11. *& seqq.*

Faciliùs cum DD. Authoribus dissidentibus me 36
conformare possem, si in vicem tituli, quem in Præscriptione privativa haud requiri, conclusi in *cap. præs. num.* 243. patientia creditoris, aut alterius, contra quem privativè præscribitur, jus suum non-petentis aut exercentis, admitterentur quemadmodùm ibidem in *num.* 256. in Præscriptione positiva servitutum realium eandem patientiam locô tituli considerari posse, indicatum est.

QUÆSTIO V.

Utrùm res Ecclesiasticæ mobiles præscribantur trienniô?

Procedit hæc quæstio potiùs de rebus Ecclesia- 37
rum, Romanâ inferiorum, quàm ipsius Ecclesiæ Romanæ. Quamquàm enim aliqui, & inter hos P. Pichler ad *h. t. sub num.* 61. & P. Söll de *Præsc. p.* 2. *cap.* 4. *n.* 338. rebus mobilibus, ad Ecclesiam Romanam immediatè spectantibus, nullum præ cæteris pri-
vilegium tribuant; videtur tamen de Jure Canonico 38
sat clarè decisus casus in textibus, pro sententia contraria à nobis relatis *in hoc cap. n.* 609. præsertim in *cap. ult. XVI. q.* 4 & *cap. ult. h. t. in* 6. ubi generaliter & expressè in rebus & bonis Ecclesiæ Romanæ, sine distinctione mobilium & immobilium, sola Præscriptio centenaria conceditur; solùmque in posteriori *cap.* excipiuntur bona hæreticorum, qui, dum viverent, Catholici putabantur: hæc enim, si ab eorum filiis, nepotibus, aut etiam extraneis spatiô 40.
annorum fuerint bonâ fide possessa, præscripta fuisse 39
dicuntur. Dico de *Jure Canonico*. Utrùm enim de Jure Civili res Ecclesiæ Romanæ mobiles centenariâ Præscriptione gaudeant, vel quadraginta annorum spatiô præscribantur? Longiori examine disquirit Clariss. D. Franz in *Jurisprud. element. ad tit. de Usucap. à n.* 24.

Igitur, ut ad res mobiles, quæ pertinent ad Eccle- 40
siis inferiores, deveniam, illas æquè ac immobiles, spectatô utrôque Jure, quadragenariâ Præscriptione frui, dixi & probavi in *hoc cap. à n.* 567. consentiente mihi laudatô Clariss. D. Franz *num.* 36. *& seq.*

Opponitur autem à dissentientibus, quibuscum sen- 41
tiunt anteà *cit.* PP. Pichler & Söll I. *auth. quas actiones Cod. de SS. Eccles.* ubi, postquàm Ecclesiis & locis piis concessum est privilegium, ut non 10. 20. ac 30. sed primùm 40. annis contra ea præscribi possit, scilicèt in rebus immobilibus, subjungitur: *usucapione triennii, vel quadriennii, quæ tantùm in rebus mobilibus locum habet, suo robore durantibus*; quam dispositionem totidem verbis recepit & approbavit
Ecclesia in *cap.* 16. *in fin. XVI. q.* 4. II. Jus Civile 42
universim ad Præscriptionem rerum mobilium requirit tantùm tres annos; Jus verò Canonicum non excipit Ecclesias. Ergo juxta *cap.* 1. *de N. O. N.* tenendum est, quòd SS. Canones velint sequi quoad hoc Jus Civile.

Resp. ad I. primò, *cit. authenticam* non pollere vi 43
authenticâ, utpote quæ suæ origini, scilicèt *Novellæ* 131. *cap.* 6. (hæc enim, non verò *Nov.* 9. uti malè supponunt Adversarii, ejus origo est) non cor-
respondet, veluti *cit. l.* ostensum est. Secundò, eandem 44
Authenticam, si diceretur authentica, ipsis Authoribus contrariis luculenter obstare: dum enim Præscriptionem triennii quoad loca Religiosa in suo robore confirmat, & immediatè excipit Ecclesiam Romanam, quòd illa sola gaudeat centum annorum spatiô vel privilegiô, satis indicat, Ecclesiæ Romanæ centenariam Præscriptionem, ab istis Authoribus alioquin negatam, etiam quoad res mobiles competere: cùm exceptio soleat & debeat
esse de regula & sub regula. Tertiò, prædictam 45

Authent. nequaquam esse canonizatam per *cit. cap.*
jubemus 16. *XVI. q.* 4. refertur enim, prout est posi-
ta in *Cod. tit. de Sacrosanct. Eccles.* absque ulla ap-
probatione; neque ponitur in ipso *cap.* sed reperitur
primùm in *annotationibus in fine*. Unde, quid robora-
habeat, sciunt omnes Canonistæ, unanimiter scriben-
tes, veras quoque & genuinas Constitutiones Juris
Civilis, in Decretum Gratiani translatas, vim aliam
non habere, præter illam, quam à suis Conditoribus
46 Politicis acceperunt.

Resp. ad II. de Jure Civili in *l. ut inter* 23. *Cod. de*
SS. Eccles. etiam quoad res mobiles Præscriptionem
100. annorum manifestè statui: proindeque verum
non esse, quòd universim ad Præscriptionem rerum
mobilium à præfato Jure tres tantùm anni requi-
rantur.

QUÆSTIO VI.

Utrùm bona Ecclesiæ immobilia, & jura Eccle-
siastica aliquando citiùs, quàm 40. annorum
intervallô, præscribantur?

47 Resp. casum exceptum & specialem extare in *cap.*
placuit 1. *h. t.* ex Concilio Africano, seu potiùs Car-
thaginensi, uti exponit Gonzalez *ibid.* quando Epis-
copus aliquis Catholicus locum, in aliena Diœce-
si situm, ad fidem convertit: hunc enim, si per
triennium pacificè possederit, præscribit, non ob-
stante, quòd sciat, locum illum ad alium Episcopum
spectare. Idque statutum noscitur partim ad exci-
tandam socordiam propriorum Episcoporum, partim
ad suscitandum fervorem conversionis ex parte a-
48 liorum.

Quia verò in *cap. placuit* 15. *XVI. q.* 4. ordina-
tur, ut, si unus Episcopus in officio suo hac in re
fuerit negligens, ab aliis Episcopis vicinioribus
admoneatur; &, ubi similia monita insuper habue-
rit, post sex menses ille, qui negligentis vices
supplevit, locum neglectum acquirat: hinc dubium
enascitur, quomodò uterque textus sit combinan-
dus?

49 Inter diversas interpretationes Eminentissimus
Card. Vincentius Petra in *Commentar. ad Constitutio-*
nes Apostol. tom. 2. pag. 431. *num.* 92. illam ample-
ctitur, quòd, factâ monitione, lapsòque semestri,
quilibet jus habeat, locum neglectum occupandi,
& ibidem Episcopale munus exercendi; salvâ ma-
nente Episcopo negligenti facultate, intra triennium,
postquàm resipuerit, locum eundem repetendi: tran-
sactô autem trienniô, facultas repetendi cesset,
ac titulô Præscriptionis locus ad occupantem per-
tineat.

QUÆSTIO VII.

Quô tempore contra Fiscum Ecclesiasticum præ-
scribatur?

50 Tempus, quô contra Fiscum sæcularem præscri-
bitur, indigitatum est in *hoc cap. num.* 546. *& seqq.*
De tempore, quô contra Fiscum Ecclesiasticum præ-
scribitur, putant quidem nonnulli, pari stylô discur-
rendum esse, prout videre est apud laudat. Vincen-
51 tium Petra *pag.* 429. *n.* 84. Verùm, si textus in *cap.*
ult. de Præscript. in 6. accuratè expendatur, alia pla-
nè sententia erit adstruenda. In prima siquidem parte
decidit Pontifex, quòd, si reus delinquens habeat
bona ab ipsa Ecclesia v. g. in feudum aut emphyteu-
sin, iisque ipsô jure vel per sententiam privatus exis-
tat, contra Ecclesiam Romanam sola centenaria, &
contra inferiorem quadragenaria Præscriptio, cum
exclusione Fisci sæcularis, aut alterius cujuscunque,
subintret, nullâ factâ distinctione, an sit vera confis-
catio, nec ne. In altera parte disponit de bonis hæ- 52
reticorum, quæ juxta *cap. cùm secundùm* 19. *de Hæ-*
ret. in 6. verè confiscantur, dicitque, quòd, si in vi-
vis non putarentur fuisse hæretici, bona ipsorum, à
filiis, nepotibus, aut extraneis quibuscunque, 40. an-
norum spatio bonâ fide possessa, jure Præscriptionis
apud ipsos maneant, licèt ad Ecclesiam Romanam
pervenire deberent; non obstante, quòd postea eo-
rum antecessores detegantur hæretici fuisse. Adeò- 53
que supponitur, hæreticorum, qui tales extitisse scie-
bantur, bona, ad Fiscum Ecclesiasticum devolvenda,
non præscribi aliter à possessoribus, quàm alia bona,
Ecclesiæ jam incorporata; sicque, ubi ad Ecclesiæ
Romanæ Fiscum essent transferenda, necessariam
esse Præscriptionem centenariam. Ut proinde distin- 54
ctio, aliàs recepta inter bona, Fisco jam incorpora-
ta, aut primùm incorporanda, seu delata, respectu
Fisci Ecclesiastici non procedat; quamvis *Le-*
ges humanæ super hoc alia tempora statuere videan-
tur, loquitur Pontifex in *cit. cap.* in prima par-
te. Passerinus in *comment. ad idem cap. ult. nume-*
ro 12.

Equidem Rota Romana apud Emerix juniorem
decis. 656. *num.* 1. *& seqq.* & *decis.* 822. *à num.* 1. 55
in hoc passu nullam differentiam statuere videtur in-
ter Fiscum Ecclesiasticum & sæcularem; poterit ta-
men intelligi de casu, quò v. g. S. Pontifex non quà
talis, sed quà Princeps sæcularis in suo territorio ju-
ra fisci exercet. tunc enim eadem Præscriptionis tem-
pora, quæ in aliis Laicorum Principum confiscatio-
nibus præfinita sunt, observanda erunt. Eminentiss.
Petra *cit. l. pag.* 430. *n.* 88.

QUÆSTIO VIII.

An jus collectandi, seu collectas imponendi, qua-
draginta annis, aut saltem immemoriali
tempore præscribi valeat?

Suppositi in *cap.* 3. *n.* 531. affirmativam non mul-
tùm esse dubitabilem. Inveni autem contradicentem 56
Clariss. P. Söll de *Præscript. p.* 2. *cap.* 4. *n.* 541. *&*
seqq. qui in contrarium arguit I. Vel tributi indic-
tionem exposcit necessitas aut utilitas Reipublicæ,
vel non. Si primum; non opus est Præscriptione, sed
potuerunt subditi aliunde ad collectas adstringi. Si
secundum; obstat mala fides, dum nullô Jure licitum
est, ob commodum privatum subditis nova onera
imponere. II. talis Præscriptio directè pugnat con-
tra finem Legislatorum, Præscriptionem conceden- 57
tium, ex quo rebus & bonis civium per impositionem
novorum onerum malè consulitur. III. cessat in ea
ratio immediata Legis, quæ est, ut acuatur industria 58
hominum, & maximè ut bona non sint incerta, quæ
manent in dominio subditorum, etsi non exigantur
collectæ. IV. magis hæc Præscriptio obesset,
quàm prodesset bono publico: cùm facilè per 59
eandem sub variis ac quæsitis prætextibus sub-
diti iniquè vexari possent. V. jus & potestas impo- 60
nendi tributa videtur potiùs restringenda, quàm ex-
tendenda. VI. Si inferior dominus posset suis subdi- 61
tis indicere tributa, vel supremus dominus idem ad-
huc posset, vel non? Si prius; subditi possent à
duobus obligari & gravari tributis, atque etiam ab il-
lo, cum quo nunquam contraxerunt, & in quem nul-
lam unquam potestatem contulerunt. Si posteriùs;
non posset ampliùs Summus Princeps uti jure suô;
sicque partem aliquam suæ potestatis amitteret,
& subditi ab ejus supremo dominio subduceren-
tur, licèt maneant subditi. VII. non potest
facultas exigendi tributa acquiri privilegiô: cùm 62
non possit supremus Princeps titulô proprieta-
tis disponare de bonis subditorum. VIII. quia 63
jus

jus certum immunitatis flat pro subditis, vi cujus nullô casu collectis onerari possunt, nisi exigat bonum publicum, & Principis ærarium non sufficiat: sed jure certô nemo spoliandus est, nisi ob
64 evidentem & verè convincentem rationem. IX. quia per sententiam adversantem non tantum, quantum per illam, inducitur periculum injustitiarum, ra-
65 pinarum, furtorum, committendorum. X. quia insuper est periculum litium, an possessio, tempus legitimum, aut bona fides adfuerit; nec poterit præscribens, in causa sua propria esse Judex; subditi verò non audirentur, aut, si audiantur, frequentiores erunt lites, dissidia, inimicitiæ inter dominum & subditos, magnô utrinque damnô,
66 maximâque supremorum tribunalium molestiâ. XI. quia Præscriptionis ejusmodi vis & authoritas neque probatur à Jure Naturali & Gentium, cui aliunde incognita supponitur; neque à Jure Civili vel Canonico: cùm in *cap. super quibusdam 26. de V. S.* generaliter damnentur omnia tributa, inferiori, quàm Supremorum Principum potestate, indicta in *verb. ut nemo audeat tales exactiones sta-*
67 *tuere, aut statuta de novo tenere*; imò videtur requirere Concilium ad justitiam tributorum, ut constet authoritate Supremi Principis ea imposita, si sint nova, vel quòd ex consuetudine immemoriali præsumantur, si sint antiqua: de præsumptione autem vel Præscriptione pro potestate imponendi illa nullum extat vestigium; neque ex eo, quòd per consuetudinem aut Præscriptionem comparetur potestas exigendi tributa, aliunde ab habente potestatem imposita, legitimè infertur authori-
68 tas imponendi nova. XII. quia non solùm generalia, ac communia Jura in *tit. Cod. ne rusticani ad ullum officium &c.* item *l. jubemus nullum Cod. de SS. Eccles.* & *per tot. tit. Cod. nova vectigal.* sed etiam particularia Jura resistunt tali Præscriptioni, puta Hispanica, Lusitanica, Gallica, Germanica &c.

69 Verùm prolixior hæc arguendi ratio eò minùs à communissima & receptissima sententia me abstrahit, quò verosimiliùs singula ferè argumenta, si quid probarent, probarent nimiom, ac universim Præscriptionem, nedum in rebus & juribus publicis seu regalibus, sed etiam in rebus & juribus privatis eliminarent. Ne tamen plus dicere, quàm demonstrare videar,

70 Resp. ad I. ibi confundi jus indicendi tributa cum justitia causæ, quæ, ut tributa ab habente potestatem licitè imponantur, requiritur. Poterit igitur jus indicendi tributa à quodam inferiori Principe, Nobili, aut Magnate per Præscriptionem acquiri, ita tamen, ut, nisi communis necessitas aut utilitas exposcat, illud in actum secundum redigere nequeat: quemadmodùm præscribi potest jus jurisdictionis, & conjunctùm cum eo jus impetrandi, judicandi, molestandi; absque eo, quòd illicita imperare, injustè judicare, aut mulctam insontibus dictare liceat.

71 Ad II. Resp. finem Legislatorum, Præscriptionem introducentium, fuisse non bonum particulare unius aut alterius civis aut civitatis, sed genetale omnium Populorum, Nationum, & Regionum, ut, si quod jus legitimô tempore sinè contradictione aut interpellatione bonâ fide fuerit exercitum, legitimè acquisitum censeatur.

72 Ad III. Resp. rationem immediatam introductæ Legis æquè hic servari: acuitur enim industria subditorum, ut rebus suis invigilent, &, quò minùs novis oneribus graventur, intra limites modestiæ obsistant; redduntur quoque eatenùs certa jura & bona, ut sciatur, cui, & in quantum collectis sint obnoxia.

Ad IV. Resp. cuilibet Præscriptioni id objici posse, quòd illius prætextu tum subditi, tum æquales aut vicini possint iniquè vexari; imò & cuilibet alteri modo acquirendi id ipsum opponi posse, quòd ansam præbeat, alios injustè circumveniendi, gravandi, decipiendi. 73

Ad V. Resp. non attentô, quòd obligationes omnes, quibus patrimonium nostrum diminuitur, potiùs restringendæ quàm extendendæ sint, eas nihilominùs mediante Præscriptione induci aut multiplicari possunt. 74

Ad VI. Resp. prodiversitate circumstantiarum accidere posse, ut subditi à duobus obligentur ad solvenda tributa, & tantùm ab uno. Nam, si currente Præscriptionis tempore duobus solverint tributa, hôc transactô, utrique solvere tenentur per dicta & conclusa in *cap. 4. num. 321.* & *cap. 5. num. 416.* 75
Contra quod duplex gravamen, ex diversa causa originem trahens, tantò minùs, completâ jam Præscriptione, conqueri possunt subditi, quò faciliùs illud antecedenter impedire, & à se removere potuissent, velut evenit in aliis onenbus, per Præscriptionem accrescentibus. Quòd si solus præscribens privativè tributa acceperit, Dominus Territorialis, qui contradicere & resistere potuisset, suæ negligentiæ imputare debebit, quòd, absolutò Præscriptionis cursu, à tributorum exactione deinceps excludatur per dicta in *cit. loc.* & *cap. auditis 15. cap. olim 18. de Praescript.* Et si, contra quem præscribitur, fuerit Supremus Princeps, hoc ipsum sibi suisque officialibus adscribere necessum habebit, quòd jura sua vigilantiùs haud custodierint; salvâ interim subditorum obedientiâ & subjectione, quæ in cæteris integra persistere valet, etiamsi tributa alteri præstentur, prout Imperii praxis demonstrat, vi cujus etiam aliqui à tributis sunt prorsus immones, etsi subjectionem quoad Imperatorem & Imperium sanctè profiteantur. 76 77 78

79 Ad VII. Resp. ex *cap. super quibusdam 26. de Verb. signif.* admodùm clarè inferri, jus indicendi tributa à Supremis Principibus vi privilegii aliis concedi posse; patetque evidenter de Statibus Imperii Romano Germanici, è quibus multi similia privilegia ab Imperatoribus impetrârunt; de quo alibi. Neque tunc Supremus Princeps titulô proprietatis disponit de bonis subditorum, sed titulô dominii Jurisdictionis, cujus fructus, proventus, & emolumenta aliis bene meritis ex speciali favore concedere non prohibetur. 80

Ad VIII. Resp. jus certum immunitatis, quod favet subditis, æquè in hac quàm alia materia, superveniente Præscriptione adimi; posseque aut ex conniventia Supremi Principis collectas, illi cæteroquin in casu necessitatis aut utilitatis publicæ debitas, ab inferiori Principe præscribi; aut, si bona fides & cætera concurrant, collectas quoque particulares aut provinciales, suffragante Præscriptione, acquiri. 81

Ad IX. Resp. per sententiam adversaotem majus induci periculum, si non rapinarum, saltem rebellionum, seditionum, aliarumve injustitiarum, si subditi collectas, ab antiquissimo tempore semper præstari solitas, ea solùm de causa imposterum detractare valeant, quòd jure Præscriptionis jus collectandi introduci nequeat. 82

Ad X. Resp. illud motivum contra quamlibet Præscriptionem tam quoad collectas, quàm servitutes, operas, & quælibet onera vel obligationes militare; indeque, si pondus aliquod haberet, omnem Præscriptionem inter Superiores & inferiores omninò fore abolendam: quæ deductio, cùm planè noscatur absona, & Juribus ptaxique adversa, ante- 83

antecedens, unde derivatur, non potest esse majoris considerationis.

84 . Ad XI. Resp. juxta nos Præscriptionem Juri Naturæ & Gentium quàm optimè inniti; eamque in præsenti conclusione neque à Jure Civili, neque à Canonico improbari. Nam in *cit. cap. super quibusdam* 26. §. *præterea de V. S.* illa pedagia, salaria, guidagia (quæ utique tributorũ sunt species) solummodò interdicta decernuntur, *quæ non apparent Imperatorum, vel Regum, vel Lateranensis Concilii largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine à tempore, cujus non extat memoria, introducta.* Igitur tribu-
85 ta, quæ ex antiqua consuetudine à tempore, cujus non extat memoria, sunt introducta, non fuerunt interdicta. Ergo nec illa, quæ à Præscriptione tanti temporis originem sumpserunt, sunt introducta: cùm SS. Canones persæpe consuetudinem pro Præscriptione accipiant; sitque argumentum ab illa ad istam impræsentiarum tantò efficacius, quantò certius est, per Præscriptionem tam grave præjudicium non in-
86 ferri, sicuti infertur per consuetudinem. Num verò, qui per Præscriptionem acquisivit jus exigendi tributa antiqua, possit deinceps imponere nova? Diversa longè est quæstio: cùm & Supremus Princeps nova tributa non tam facilè imponere valeat, quàm recipere antiqua.

87 Ad XII. Resp. id solùm exinde convinci, quòd, cùm Jura Communia & particularia resistant, quò minùs jus collectandi ab inferioribus exerceatur, tempus non minùs quàm immemoriale, vel saltem 40. annorum cum titulo ad Præscriptionem requiratur *arg. cap. Episcopus* 1. *h. t. in* 6. & dictorum *in hoc cap.* 5. *num.* 559.

CAPUT VI.

De Effectu Præscriptionis.

Quem semper hactenùs intendimus & quæsivimus, nunc præ manibus habemus, Effectum Præscriptionis. Iste vel generalis est, vel specialis. Generalis, & cuique Præscriptioni communis est dominium aut aliud jus, si positiva sit; aut liberatio à jure, si privativa sit. Specialis est, qui singulis speciebus sigillatim competit. De illo nonnulla in prima; de isto in altera *Sect.* quædam in medium proferemus.

SECTIO I.

De Generali Præscriptionis Effectu.

SUMMARIA.

1. *& seqq. Ostenditur, quòd Præscriptio suam operationem habeat in foro animæ.* 6. *& seq. Depellitur præsidium Adversariorum.* 8. *& seq. Quorundam distinctio inter acquisitionem dominii directi & utilis.* 10. *& seqq. Rejicitur distinctio, & probatur, quòd utrumque comparetur Præscriptione.* 19. *& seqq. Aliquot argumenta opponuntur, & diluuntur.* 27. *& seqq. Res, semel præscripta, & antiquo domino restituta, revindicari potest.* 29. *& seqq. Quidquid in contrarium objiciatur à quibusdam dissentientibus.*

§. I.

Utrùm Præscriptio præscribentem reddat securum etiam in foro animæ?

SI memori teneantur animò, quæ in secundo *Ca- 1
pite* de justitia & æquitate Præscriptionis disputata sunt, nullò negotiò præsens quæsitum expedietur.

Respondendum quippe sinè hæsitatione affirma- 2
tivè cum communissima & certissima (ut credo) Theologorum & Jurisperitorum traditione. Ratio est 1. Lex justa in foro externo, est justa etiam in foro interno, uti habet brocardicum. Sed Lex Præscriptionis est justa in foro externo, sicuti ex *loc. cit.* copiosè probatum arbitror. Ergo &c. II.
Lex Præscriptionis non à Jure Civili tantùm, sed 3
Naturali & Gentium placitò ex causa publica & suô modò necessariâ fuit introducta. Ergo non tantùm in foro fori, sed etiam in foro poli reddit præscribentem securum: neque enim aut Natura aut Gentes quidpiam prudenter statuunt, quod salvet Rem-
publicam, & simul vulneret conscientiam. III. SS. 4
Canones expressà sanctione non solùm Præscriptionem receperunt, verùm etiam præscribentem in sua possessione in tantum confirmârunt, ut à possessione quadragenaria omnem prorsus actionem, impetitionem, & vindicationem excluserint: quod sanè nec voluissent, nec potuissent constituere, si in judicio tantùm humano, non etiam Divino, præscribentẽ defenderent: siquidem Juris Pontificii Authoribus hactenùs solenne erat, magis tranquillitatem interioris animæ statûs, quàm exterio-
ris Politiæ felicitatem promovere. Qua de causa 5
etiam Præscriptiones illas, quæ malà fide sunt inquinatæ, ideòque sinè dispendio salutis prodesse nequeunt, ad Indos & Garamantas relegârunt: bonô argumentô, Præscriptiones alias, bonâ fide obarmatas, citra conscientiæ nocumentum in foro utroque usurpari posse.

Quæ paucissimi alterius sectæ defensores contra 6
nos adducunt, aut infirmata jam sunt, aut per se infirma. Enimverò quando dicunt: Legem Præscriptionis in præsumptione culpæ & negligentiæ fundari, quasi videlicèt dominus, ob omissam rei suæ inquisitionem vel repetitionem, à Jure puniatur; dicunt aliquid, quod nec textui nec ratio-
ni consonat. Neque subsidium emutare possunt ex 7
Nov. 9. ubi irrefragabili ipsius Justiniani effatò *impium* nuncupatur *præsidium*: id enim non de quavis Præscriptione, sed informi, monstrosa, & peccaminosa accipiendum est.

§. II.

Qualénam Præscriptio dominium tribuat, plenum, an minùs plenum?

Hanc quæstionem non proponerem, aut repo- 8
nerem inter controversias, nisi Doctores non pauci, atque inter hos Balbus 2. *p. princip. q.* 2. *n.* 1. distinctionem adhibuissent inter dominium plenum & minùs plenum, seu directum & utile; & illud quidem in Præscriptione longissimi temporis nunquam acquiri; hoc verò in Præscriptione triennali tantùm juxta plures, quos allegat Vasquez *Illustr. controv. cap.* 54. *n.* 1. juxta alios verò etiam in Præscriptione longi temporis, veluti idem Balbus
loc. cit. contendit, docuissent. Quam distinctionem 9
de glande, ut ajunt, legenda non esse, convincit idem Balbus *d. loc. num.* 8. dum penes eum, qui directum dominium retinet in re præscripta, tres adhuc

adhuc effectus remanere, ostendit. Primus est, quòd, si res à præscribente ad tertium possessorem deveniret, non præscribens, sed dominus directus vindicandi potestatem exercere posset. Secundus est, quòd re, ad antiquum dominum reversâ, præscribens actionem prorsus nullam contra illum haberet. Tertius est, quòd Præscriptio, quæ dominium utile tantum confert, nequeat impedire suis ingressum, respectu domini directi, rem præscriptam re-
10 petere volentis. Sed, missâ hac opinione, firmiter teneo, quòd in omni Præscriptione positiva dominium plenum præscribenti acquiratur. Ex pluribus hujus sententiæ fautoribus numero Covarruv. *p. 3. relect. cap. poss. init. num. 5. & seqq.* Fachinæum *1. Controv. cap. 70.* Haunoldum *tr. 5. num. 168.* Cla-
11 riss. D. Franz *h. t. num. 39.* Probatur I. distinctio, quam confingunt Adversarii, nullò planè Juris textu subnixa est: ubique enim sinè distinctione & differentia dicitur, Præscriptionem tribuere dominium, uti alias inter *LL.* præcipuè commonstrat *l. 3. ff. h. t.* quæ definitionem positivam Præscriptionis per hoc explicat, quòd sit *adjectio dominii.* Idem perhibent textus Juris Canonici in *cap. inter 6. XVI. quæst. 3.* ubi *dominium*, Præscriptione partum, appellatur *æternum*; item in *cap. Clerici 11. ibidem*, tibi jus *proprietatis* (quod cum dominio directo coincidit) Præscriptio-
12 ne acquiri dicitur. Conf. Dominii appellatione continetur dominium plenum & directum *arg. l. agri civitatum 1. §. un. ff. si ager Vectigal.* quia huic soli competit in rigore definitio dominii, quòd sit facultas perfectè disponendi de re. Ergo cùm in *cit. text.* præscribenti addicatur dominium, plenum & directum subintelligitur.
13 Probatur II. Quale dominium præscribenti acquiritur in re mobili, tale acquiritur in re immobili. Atqui in Præscriptione rei mobilis acquiritur dominium plenum, ut fatentur Adversarii. Ergo &c. majorem prob. ex *§. 1. J. h. t.* ubi Imperator eundem prorsus loquendi modum usurpat de dominio rei mobilis & immobilis. Lubet ipsius verba exscribere. *Constitutionem promulgavimus, quâ cautum est, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles verò per longi temporis possessionem usucapiantur; & his modis non solùm in Italia, sed etiam in omni terra, quæ Imperio nostro gubernatur, dominia rerum N. B. justâ*
14 *causâ possessionis præcedente, acquirantur.* Confirm. I. Per traditionem, à domino factam, acquiritur plenum dominium. Ergo etiam per usucapionem, ut quæ in *l. traditionibus 20. Cod. de Pact.* quoad dominii ac-
15 quisitionem traditioni æquiparatur. Conf. II. Longè æquius est, favere possessioni, tempore longiori obfirmatæ, quàm possessionem, breviori durantem intervallô, fovere. Ergo longè æquius est, dominium adjicere longæ & longissimæ, quàm triennali tantùm possessioni.
Probatur III. In Præscriptione nil remanet ex do-
16 minio priori domino. Ergo totum in præscribentem transfertur. Antecedens, cui totam suæ intentionis molem inædificant Adversarii, probatur ex *princ. J. d. t.* & ex *l. un. Cod. de Usucap. transform.* in quibus locis priores domini, usucapione jam completâ, nuncupantur *miseri*, dicuntur *possessione suâ cadere*, feruntur *rebus suis fraudari*, asseruntur *ab iisdem excludi, & nullum habere ad eas regressum &c.* At, si aliquid ex dominio remaneret dominis prioribus, hæc minimè verificarentur: possent quippe ex dictis in *num. 9.* & rem, ad se reversam etiam contra præscribentem retinere; & à tertio possessam actione reali petere, aut super illa litem intentare. Ergo nil
17 remanet de dominio. Conf. ex *l. omnes 4. Cod. de Præscr. 30. annor.* ubi præscribens post 30. vel 40. annos *munitione plenâ securus pronuntiatur*: quod otiosè ac frivolè dictum esset, si res ab antiquo domino extra vel intra judicium evinci posset.
Prob. IV. Ex omnium confessione in singulis Præ- 18
scriptionum speciebus utile dominium quæritur. Ergo etiam directum. Conseq. prob. quia eadem ratio, quæ induxit Legislatorem ad tribuendum dominium utile, inducere debuit ad tribuendum directum: pax quippe, salus, & quies publica necdum firmô consisteret lapide, si propter dominium directum, quod se putat habere fidei bonæ possessor, adhuc quæstio & controversia moveri posset. Ergo ad pacis, salutis, ac publicæ quietis propagationem Legislatores æquè dominium directum ac utile præscribenti conferre debuerunt.
Objicies I. *l. si duo patroni 13. § 1. ff. de Jure Jur.* 19
quæ hunc offert sensum: *Julianus ait: eum, qui juravit, fundum suum esse, post longi temporis Præscriptionem etiam utilem actionem habere debere.*
Resp. hinc penitus nihil concludi. Vel enim Præ- 20
scriptio longi temporis allegatur à jurante, vel ab eo, contra quem juratum est? Si à jurante, prout volunt Bartolus, Jason, & alii apud Covarruv. *d. init. num. 4.* sensus *cit. l.* est: juranti in judicio, rem suam esse, actionem utilem esse proditam ex juramento etiam tunc, quando post juramentum præstitum longi temporis Præscriptio, & cum hac directa actio intervenit. Quæ actio utilis certè non caret effectu, quia facilioris longè probationis est, quàm actio directa ex Præscriptione. Si verò ab eo, contra quem juratum est, 21
allegetur Præscriptio, hæc *d. l.* est sententia: juranti in judicio, rem suam esse, etiam tunc actionem utilem ex juramento competere, quando post juramentum præstitum alter longô tempore in possessione perstitit. In quacunque ergo significatione explicetur textus, non officit conclusioni nostræ.
Objicies II. *l. si quis diuturno 10. in pr. ff. si Ser-* 22
vit. vind. c. ubi in Præscriptione servitutis præscribenti *actio utilis* conceditur; quod signum est, jus, ex Præscriptione natum, solummodò utile, non directum esse.
Resp. jus, ex Præscriptione servitutis natum, ejus- 23
dem esse rationis, cujus est jus, ex servitute, per traditionem constitutâ, natum: sive deinde directum, sive utile velis nuncupare. Quòd verò in oppo- 24
sita *l. actio utilis* non *directa* concedatur, inde provenit: quia servitutes propriè non possidentur, sed tantùm quasi-possidentur. Interim illa actio utilis eundem cum directa habet effectum.
Objicies III. Cui datur actio, datur etiam jus 25
agendi. Sed pristino rei præscriptæ domino datur actio. Ergo &c. minor probatur. Præscriptio subministrat præscribenti exceptionem *l. super longi 11. Cod. de Præscript. longi temp.* Ergo supponit ex parte domini pristini actionem: quia exceptio est actionis exclusio *§. verbi gratia 1. Inst. l. exceptio 2. in pr. ff. de Except.*
Resp. negandô minorem, & ad ejus probat. dist. 26
antecedens. Præscriptio subministrat exceptionem impropriam & facti, concedo; propriam & juris, nego antecedens. Exceptio propria & juris supponit actionem veram, & cum effectu in judicium deducibilem; exceptio impropria & facti nullum agendi jus supponit, sed factum tantùm, seu attentatum jus, quod per exceptionem non aliam quàm facti infringitur. Frustra proinde actio pristino attribuitur domino: cùm nihil intersit, ipsô jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur *l. nihil interest 112. ff. de R. J.*

§. III.

Possimne rem præscriptam præscribens vindicare, si ex ignorantia Juris non usus Præscriptione, rem imprudenter restituit?

27 Respondeo & dico cum Panormit. ad *cap. ad aures h. t. num.* 4. Haunold. *cit. loc. num.* 175. Engel
h. t. num. 3. *inf.* D. Franz *ibid. num.* 41. quòd sic.
Ratio est: quia qui dominium rei tenet, potest illam
à quocunque possessore vindicare. Sed is, qui præ-
scripsit, tenet dominium rei, quamquàm eandem
28 restituerit: tum quia per restitutionem non habet ani-
mum transferendi dominium: tum quia & is, qui
rem suam ignorans pro aliena vendit, non trans-
fert dominium, cùm nemo errans rem suam amit-
tat *l. si procurator* 35. *ff. de A. R. D.* Ergo,
qui restituit rem præscriptam, non transfert, sed
retinet dominium. Ergo vindicationem intentare
non prohibetur.
29 Objicitur. Qui solvit indebitum ex errore Juris,
transfert dominium *arg. 1. r. ff. & Cod. de Condict.
indeb.* Sed, qui rem præscriptam restituit, solvit in-
debitum. Ergo transfert dominium.
30 Resp. cum Haunoldo negandô minorem. Nam
propriè solvit indebitum, qui solvit ea obligatione
putatitia. At, qui rem præscriptam ea errore resti-
tuit, non solvit ea obligatione putatitia, sed rem
alienam, quam nullô titulô sibi deberi opinatur, tra-
31 dit. Deinde est magna differentia inter solventem
& restituentem: ille enim habet animum transfe-
rendi dominium saltem ex præsumptione Juris,
& ideò dominium transfert; iste non habet animum
transferendi: quia nescit, dominium aliquod sibi
competere. Tametsi & in solvente existimet Hau-
nold, dominium Theologicè non transferri, si ani-
mò retineret hanc conditionem & restrictionem: *si
obligatus sum.*
32 Dices: ignorantia Juris nemini prodest. Er-
go nec præscribenti, & rem præscriptam ex erro-
re restituenti.

Resp. cum distinctione: nemini prodest ad quæ-
rendum compendium, transmitto; ad declinandum
damnum, nego antecedens per *l. 7. & passim ff. de
Juris & facti ignor.* ibi: *Juris ignorantia non prodest
acquirere volentibus, suum verò petentibus non nocet.*
At, qui repetit rem præscriptam, suum petit. Ergo
ignorantia eidem non nocet.

SECTIO II.

De speciali Præscriptionis effectu.

SUMMARIA.

33. *& seqq. Præscriptio ordinaria præsumptionem bonæ fidei, non item tituli, operatur.* 36. *& seq. In possessorio tamen defenditur possessio longi temporis.* 38. *Præscriptio extraordinaria præsumit aut supplet titulum.* 39. *Generalibus terminis non censetur interdicta.* 40. *Cum titulo æquivalet immemoriali.* 41. *& seq. Melius est, ex cursu temporis se fundare in præsumptione, quàm Præscriptione.* 43. *& seqq. Recensentur prærogativa Præscriptionis immemorialis.* 51. *& seqq. Operatur etiam in rebus & juribus publicis.* 54. *Centenaria & immemorialis in effectu æquivalent.* 55. *& seqq. Discutitur illa quæstio: num manifestatio tituli vitiosi destruat immemorialem?* 63. *& seqq. Duæ instantiæ proponuntur, & propulsantur.* 69. *& seq. Consultius est, tempus immemoriale solum allegare in vim melioris tituli, non in vim Præscriptionis.*

§. I.

Quid singulare operetur Præscriptio Ordinaria?

Præscriptió ordinaria, seu potiùs ordinariæ Præ- 33
scriptionis tempus, præter acquisitionem dominii,
operatur præsumptionem bonæ fidei, uti in *cap.* 5.
num. 109. decisum reliquimus. At præsumptionem
tituli, sufficientis ad Præscriptionem, non operatur,
veluti ea eodem *cap. num.* 223. probatum manet. 34
Cur tam variè? Quia bona fides est qualitas in-
terna animi, denominans hominem bonum; proin-
deque præsumitur adesse potiùs quam abesse: quia
omnis homo instinctui naturæ, ad bonum dirigenti, 35
sese conformare præsumitur. At titulus est quali-
tas extrinseca, nec ad bonitatem hominis, nec ad
bonæ fidei conditionem necessariò requisita: cùm
quis, nullô etiam suffragante titulo, justus de ju-
re possessor esse valeat *cit. cap. num.* 198. Ergo
potest abesse vel adesse citra corruptionem prædi-
cati bonitatis, à natura indita. Ergo præsumi non
debuit à Jure.
Dixi: *sufficientis ad Præscriptionem.* Quòd enim 36
tempus longum, pro Præscriptione ordinaria deter-
minatum, inducat præsumptionem tituli, sive aga-
tur de obligando, sive de deliberando, clarissimè patet
tum ea *l. cùm de in rem verso 6. ff. de Usur. & fruct.*
ubi ex præstatione usurarum, per longum tempus
continuatâ, earundem obligatio præsumitur; tum ex
*l. qui semisses 13. in pr. ff. l. adversùs creditorem 5.
Cod. d. t.* ubi debitor ab obligatione, usuras in ma-
jori quantitate solvendi, longô tempore liberatur.
Qua de re ea professo agit Menochius de *Præsum-
ption. lib. 3. præs.* 131.
Qui igitur longô tempore rem aliquam possedit, 37
aut jus exercuit, licèt titulum probare, adeòque vi
& virtute Præscriptionis in petitorio vincere non
possit: attamen in sua possessione vel quasi manutene-
tur contra quemcunque, etiamsi Juris assistentiam
pro se habeat, veluti firmavit Rota in *una Nullius
Juris decimandi p. 1. in recent. decis. 685. per tot.* &
apud Possium de *Manutenendo dec.* 513. *n. 3. & 7.*

§. II.

Quid peculiare habeat Præscriptio Extraordinaria?

Præscriptio extraordinaria id habet peculiare, 38
quòd non solùm præsumptionem bonæ fidei, sed e-
tiam tituli, ad Præscriptionem sufficientis, inducat;
nisi contraria Juris præsumptio contra præscriben-
tem pro eo, contra quem præscribitur, vehementer
insurgat ea deductis in *cap. 5. à n.* 234.
Ad hæc juxta Tiraquellum, & alios apud Pruck- 39
mann de *Regalib. cap. 5. num.* 105. & Gabriel
lib. 5. conclus. 1. n. 56. per Legem, generalibus uten-
tem terminis, v. g. *non obstante quâcunque Præscriptio-
ne*, extraordinaria non censetur exclusa; in idem pla-
citum consentiente Clariss. Antecessore P. Placido
Bridler de *claus. rescript. claus.* 29. & allegante Fe-
linum ac Barbosam.
Præterea, si Præscriptio extraordinaria, præter 40
fidem bonam, titulô putativô, vel privilegii famâ
subnixa fuerit, eandem pene operationem efficit,
quam immemorialis aut centenaria *arg. cap. Episco-
pum 1. h. t. in 6.* Rota Rom. in *recent. p. 10. dec.* 169.
n. 5. & 7. Eminentiss. Card. de Luca de *Judic. dis-
cursu 21. n. 42.* Respiciantur dicta in *cap. præced. num.*
234. Interim prælaudatus Cardinalis *d. l. num.* 41. 42
universaliter suadet, ut neque in ordinaria, ne-
que in extraordinaria Præscriptione facilè quis suam
intentionem fundet, sed potiùs in diuturnitate tem-
poris,

42 poris, & longævitate possessionis. Nam, ubi quis in Præscriptione se fundat, illius conditiones ad amussim exactissimè obstringitur probare: sin autem in longitudine possessionis & antiquitate temporis fundamentum intentionis suæ collocet, hôc ipsô titulum præsumptum habet, ac tamdiu defenditur in possessione, quàmdiu validior præsumptio vel probatio non potest ex adverso demonstrari.

§. III.

Quasnam Prærogativas habeat Præscriptio Immemorialis?

43 Præscriptio immemorialis, præterquàm quòd nihil desideret, quàm possessionem, si positiva sit, bonâ fide continuatam, insuper pluribus prærogativis inclarescit. Harum per decursum aliquoties memini, Recenset eas ordine Gabriel. *cit. concl.* 1.

I. est, quòd Præscriptio temporis immemorialis habeat vim privilegii, à Principe legitimô modô obtenti, tantumque possit suâ authoritate conferre, quantum Princeps ex plenitudine suæ potestatis concedere. Textus notissimus in *cap. super quibusdam* 26. §. *præterea de V. S.* Rota Rom. in *recent. p.* 2. *de-*
44 *cis.* 389. *n.* 2. *p.* 11. *dec.* 101. *num.* 4. *p.* 16. *decis.* 330. *num.* 2. Suppositô tamen, quòd præscribens sit capax possessionis: nam incapacitatem possessionis non tribuit tempus immemoriale, sed supponit: eò quòd Præscriptionem antecedere, non subsequi debeat. Cravetta de *Antiq. temp. p.* 4. *pag.* 242. *n.* 9. *& seq.*

45 II. quòd Præscriptio immemorialis habeat vim tituli, ita ut iste nec allegari, nec probari debeat. Textus notabilis in *cap. Episcopum* 1. *h. t. in* 6. *l. hoc jure* 3. §. 4. *ff. de Aqua quot. & æstiv.* Rota *cit. dec. num.* 3. *p.* 11.

46 III. quòd non requiratur scientia illius, contra quem præscribitur, etiam in illorum sententia, qui aliàs scientiam domini in præscribendis juribus incorporalibus desiderant. Sabell. in *Summa* §. *præscriptio* n. 24. quia ex cursu tam vetusti temporis ipsô Jure præsumitur scientia, etiã in Principe, vel ejus officialibus, ut docuit Gravet. *d. l. pag.* 244. n. 15.

IV. quòd ex omnium ferè concordi placito con-
47 tra talem Præscriptionem non detur restitutio in integrum ex capite ignorantiæ. Sabellus *d. l.* nec unquam tollatur, nisi specificè exprimatur. Rota *p.* 4. *tom.* 1. 286. n. 1. & 2.

V. quòd habeat vim Legis; opereturque etiam
48 in illis causis, negotiis, & articulis, in quibus præsumptio & prohibitio Juris cum gravi resistentia stat in contrarium *d. cap. Episcopum* 1. *h. t. in* 6. Rota *dec.* 11. *num.* 2.

VI. quòd eàdem polleat potestate, quam habet
49 Imperator, vel Papa, quando cum causa procedit. Rota *d. dec. n.* 3. & 4.

VII. quòd habeatur pro veritate in omnibus,
50 quæ possibilia sunt. Rota Rom. in *rec. p.* 13. *n.* 4. Hæ sunt principaliores prærogativæ, quas Præscriptioni immemoriali attribuit allegatus Gabrielius & alii plerique cum ipso.

Quibus singulariter annectendum censeo, quòd pri-
51 ma & fundamentalis S. R. I. Lex, Aurea Bulla videlicèt, à Carolo IV. Imperatore condita, in observantia temporis & Præscriptionis immemorialis tota sit fundata; proindeque in Rebus & Juribus publicis maxima & summa ratio Præscriptionis & con-
52 suetudinis immemorialis habeatur. Siquidem, ut quàm elegantissimè deducit Clariss. D. Collega de Wolleren *p. m.* in *Quæst. Select. Salisb. edit. Quæst.* 6. *Sect.* 2. à n. 70. statim ab initio Aureæ Bullæ *cap.* 1. prima allegatio est, *juxta antiquam laudabilem consuetudinem*. Deinde in *cap.* 2. §. 8. legitur: *& quia de antiqua, approbata, & laudabili consuetudine eã in convulse quàm immutabiliter, quod subscribitur, semper extitit hactenùs observatum, ideòque & nos constituimus &c.* Prætereà in *cap.* 4. §. 2. Eminentissimo Electori Moguntino cõpetentem convocandi Coëlectores potestatem perpetuam vult, *quia ita potestatem dignoscitur habuisse ab antiquo*. Idem de prima voce Trevirensis *cit. cap.* 4. §. 4. de judicandi munere Palatini *cap.* 5. §. *ult.* de omnium Electorum Archi-Officiis & exercendis functionibus *d. cap.* 4. *circa fin.* statuitur: nempe deinceps observandum, & faciendum esse, quod solitum est fieri, & observari *ab antiquo. Ut adeò non solùm in Jure Privato, sed etiam Publico-Romano Ger-* 53
manico nullum jus sit firmius, & quotidie in- & extra Comitia proferatur, quàm fundatum in dem uralten Herkommen: sunt verba citati Clariss. JCti *n.* 47. ubi & in *anteced. n.* copiosè probat intentum nostrum.

Quæritur tamen I. utrùm eadem sit virtus Præs-
criptionis immemorialis & centenariæ? 54

Resp. quòd, licèt immemorialis & centenaria cæteroquin differant, ut constat ex *cap.* 1. à n. 75. attamen quoad virtutem & vim acquisitionis ac reliquas prærogativas differentia inter ipsas non intercedat. Card. de Luca de *Judic. disc.* 21. n. 43. *& seq.* & de *Jure Patronat. disc.* 58. *n.* 5. Sabell. in *summa* §. *Præsc. n.* 24. Rota Rom. in *rec. p.* 16. *dec.* 70. *n.* 13. *decis.* 155. *n.* 8. 9. & 10. item *p.* 19. *tom.* 1. *dec.* 105. n. 27. *& seqq. & dec.* 152. *n.* 2.

Quæritur II. utrùm, si titulus vitiosus detegatur,
Præscriptio immemorialis vel centenaria corruat? 55

Pone, quòd Titius à Monasterio A. ante plures quàm 100. annos emerit prædium, & modò literæ emptionis, in quibus exprimitur, contractum solô Prælati consensu modicô pretiô fuisse celebratum, exhibeantur; quæritur, an Præscriptio centenaria vel immemorialis, jam completa, vim perdat? Authores à
potiori, dissentiente tamen Vasquio *Illustr. contr.* 56
lib. 2. *cap.* 81. *n.* 11. affirmativè cum Cravetta de *antiquit. temp. p.* 4. *pag.* 250. *n.* 60. Fachin. *lib.* 8. *contr. cap.* 33. Haunold de *J. & J. tr.* 5. *n.* 232. concludunt, uti videre est apud Card. de Luca de *Judic. cit. disc.* 21. *n.* 48. *& seq.* & de *Alienat. disc.* 3. *n.* 8. *& seqq.* Ratio ipsorum est: quia, dum vitiosum initium, & causa possessionis injusta detegitur, simul etiam
mala fides propalatur: cum mala autem fide Præscri- 57
ptionem non convalescere, cujuscunque sit temporis, unô ore clamitant Canonistæ ad *cap. ult. h. t.* scribentes. Rota in *recent. p.* 9. *dec.* 373. *n.* 9. *& seqq.*

Verùm in hac practica & momentosa materia se-
cundùm principia primùm citati, & praxeos Ro- 58
manæ peritissimi Cardinalis, non absolutè sed distinctè lubet respondere. Refert nimirum, an præscribens nullum alleget titulum, sed præcisè fundetur in cursu temporis immemorialis aut centenarii? an verò titulum alleget. Si primum; neutiquam obstabit vitiosus titulus, licèt ex adverso ab exordio Præscriptionis adfuisse probetur. Ratio est luculenta:
quia, dum titulus in ejusmodi Præscriptione non de- 59
sideratur à Jure, sufficit, quòd præscribens probet cursum temporis immemorialis aut centenarii: ex eo siquidem præsumitur tum privilegium, tum titulus non qualiscunque, sed quô melior, major, aut efficacio de mundo non potest excogitari, prout receptissima & quasi canonizata in Rota habet doctrina, speciatim in *p.* 2. *dec.* 11. *n.* 4. *dec.* 624. *sub. n.* 1. *p.* 4. *tom.* 2. *dec.* 27. *n.* 8. *p.* 5. *dec.* 250. *n.* 4. *& seqq. p.* 11. *dec.* 101. *n.* 5. *p.* 16. *dec.* 136. *n.* 2. *dec.* 330. *n.* 2. *dec.* 413. *n.* 33. Conse-
quenter præscribens non ex titulo vitioso, sed virtuo- 60
so & maximè proficuô, possessionem inchoâsse præsumitur; &, si titulus vitiosus ab altera parte excipiẽdo producatur, replicare potest, quòd non illi, sed alteri titulo, vel antiquiori vel posteriori, à Jure

præsumpto, suam possessionem io acceptis referat.
61 Si secundum; ulteriùs venit perpendendum, utrùm
præscribens alleget titulum vitiosum quasi restrictivè,
taxativè, & exclusivè quoad alium meliorem (quod
sanè non nisi imprudentissimus faciet) vel potiùs ampliativè
& exemplicativè. In casu posteriore respondendum,
sicut in *n.* 58. utpote cùm, non obstante tituli
allegati nullitate, non excludatur alius, de mundo
melior, ea longævitate possessionis jure meritò
62 præsumendus. In casu priore recipienda est sententia
affirmativa, in *n.* 56. relata: quoniam, si præscribens
præcisè nitatur initiô vitiosô, & titulô infectô, satis
apertè demonstrat, Præscriptionem malâ fide inchoatam
fuisse: eò quòd effectus suæ consimiletur causæ,
nec possit ab infecta radice fructus alius quàm infectus
sperari. Et ex his lucem & declarationem accipient
dicta in *cap.* 4. *n.* 413.
63 Nec officit, quòd titulus in ejusmodi Præscriptione
non expetatur. Nam, ut bene *citat.* Cravetta in
pag. 259. *n.* 62. arguit, etiamsi non præscribatur à
Jure, imò dissuadeatur, ut Judex in sententia causam
alleget, utpote cùm aliunde præsumatur, ea legitima
causa fuisse pronuntiata; attamen, si causam exprimat,
eaque minùs legitima vel inepta deprehendatur, sententia
vitiatur per *cap. cùm causa* 8. *de Sent. & re ju-*
64 *dic.* Cujus ulterior ratio est: quòd præsumptio Juris,
quæ cuncta legitimè gesta supponit, evanescat,
ubi versamur in claris: nihil siquidem communius est,
qoàm præsumptionem veritati cedere.
65 Quòd si opineris, distinctionem nostram vel ea eo
non subsistere: quia, si detegatur initium vitiosum,
destruitur immemorialis Præscriptio, eique conjuncta
66 melioris tituli præsumptio. Falleris. Nam, ut patet
ea disputatis in *cap.* 1. *à n.* 61. immemorialis Præscriptio
non destruitur, esto doceatur status contrarius,
dummodò per homines, de facto viventes, non
67 possit initium probari. Audiatur supra nominatus
Card. de Luca de „ *Alienat. disc.* 3, *n.* 21. ita dissee-
„ rens: pluries in facti contingentia de hoc articulo
„ deducere consuevi exemplum Imperii Romani,
„ quod notorium est posedisse pene universum Or-
„ bem, præsertim nostras Occidentales provincias,
„ Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, &
„ alias; & tamen receptum est, plures Italiæ Princi-
„ pes vel Civitates, dictosque Hispaniæ, Galliæ, Ger-
„ maniæ, aliarumve Provinciarum Reges & Princi-
„ pes, omnimodam libertatem ac exemptionem ab Im-
68 „ perio præscripsisse, ex Præscriptione immemoriali,
„ præbente quemlibet titulum meliorem; eô modô,
„ quô idem Romanum Imperium priùs quæsierat, ac
„ præscripserat contra alios antiquiores Monarchias,
„ Medorum, Assyriorum, Persarum, & Græcorum.
„ Ergo contrarium initium, ita genericè sumptum,
„ & de per se, impedimentum non præstat. Sic ille.
69 Interim consilium illud, quod in *n.* 41. insinuatum
est, etiam in immemoriali Præscriptione commendat
Purpuratus hic Doctor *cit. disc.* 3. n. 14. ut nempe
præscribens non recurrat ad solius Præscriptionis
præsidium, ob plura, quæ eandem retardare possunt,
obstacula, puta defectum potestatis agendi in eo, contra
quem præscribitur, subductionem ætatis pupilla-
70 ris aut minorennis, restitutionem in integrum &c. sed
cautiùs agendô, ejusdem temporis beneficiô utatur
ad probationem tituli melioris seu privilegii, concessi
per Principem, aot Pontificem; quem titulum allegare
sufficit, dum antiquissima probatio, quæ memoriam
hominum aut sæculum excedit, probationis locô
stare dicitur.

De hoc capite satis dictum fuit in Tractatu, indeque non reputo necessarium, ut plura addantur.

CAPUT VII.

De iis, quæ Præscriptioni sunt contraria.

Præscriptioni quædam sunt contraria statim ab initio, ne nascatur, si nempe defectus aliquis se teneat vel ex parte præscribentis; vel ex objecto, vel ex bona fide, titulo, vel possessione: alia sunt contraria, ne, postquàm jam nata suum incepit cursum, progredi, valeat aut firma & immobilis consistere; videlicèt, si dormiat, interrumpatur, aut rescindatur. De prioribus in *cap.* 3. 4. & 5. ad abundantiam laxatus erat calamus. De posterioribus ad sufficientiam nunc stringendus erit.

SECTIO I.

De Dormitione, & Interruptione Præscriptionis.

SUMMARIA.

1. *Explicatur dormitio Præscriptionis.* 2. & 3. *Contingit tempore vacantis Ecclesiæ vel schismatis.* 4. & *seq. Item eô tempore, quô vivit Prælatus, perperam administrans.* 6. & *seq. Nec non tempore pestis aut belli.* 8. & 9. *Similiter tempore pupillaris ætatis, & (si Præscriptio sit extraordinaria) tempore minorennitatis.* 10. & *seqq. Non autem tempore absentiæ vel alterius impedimenti.* 14. *Explicatur interruptio naturalis.* 15. & *seqq. Eandem causat mala fides superveniens.* 18. *Ante Præscriptionem completam.* 19. *Resolutio tituli.* 20. *Inhabilitas personæ.* 21. & *seqq. Amissio possessionis civilis.* 26. *Explicatur interruptio civilis.* 27. & *seqq. Aliorum opinio examinatur.* 32. *Defenditur, quòd citatio faciat hanc interruptionem.* 33. & *seqq. Non etiam potestatis extrajudicialis.* 37. & *seqq. Aut prohibitio sinè effectu.* 39. *Perpetuatur hinc actio ad* 40. *annos.* 40. & *seqq. Impeditur hic effectus, secutâ pro possessore sententiâ.* 43. & *seqq. Discrimen inter naturalem & civilem interruptionem exponitur.* 46. & *seqq. Bulla Cænæ non ponit impedimentum Præscriptioni.*

§. I.

De Dormitione Præscriptionis.

DOrmire, seu interquiescere dicitur Præscriptio, quando ejusdem ordinarius cursus sistitur quidem; ita tamen, ut tempora, jam præterita & elapsa, cum futoris & subsequentibus, cessante dormitionis causâ, connectantur, atque una moraliter Præscriptio ex prioribus & posterioribus consurgat. P. Haunold *tr.* 5. *de J. & J. cap.* 2. *contr.* 5. *n.* 349. Ad dignoscendum verò, qoinam sint casus, in quibus dormiat Præscriptio? Pono sequentes assertiones, &

Dico I. Tempore vacantis Ecclesiæ aut exorti schis- 2

schiamatis dormit Praescriptio. Prius membrum cootioetur in *cap. de quarta* 4. & *cap. auditis* 15. *h. t.* Cujus ratio est: quia tempore interregni Ecclesia est viduata tutore & rectore, qui jura & res tam inquàm extra judicium conservet; & hinc non permittebat aequitas, ut, cui patrocinium non suppetit, tempus noceat.

3 Posterius exprimitur in *cap. cùm nobis* 14. *eôd. tit.* & ad Praescriptionem contra Ecclesiam Romanam duntaxat à Gonzalez *ibid. in not. num.* 6. restringitur: quia Coenobium Gandershaimense, contra quod Episcopus Hildeshaimensis in illo *cap.* (cujus integram lecturam exhibet idem Gonzal.) Jurisdictionem Episcopalem se praescripsisse proposuerat, erat Apostolicae Sedi immediatè subjectum; sicque Praescriptio non tam contra Monasterium, quàm ipsummet S. Pontificem, militabat per *cap. dilectus* 2. *de Capell. Monach.*

4 Dico II. Quando Praelatus Ecclesiasticus ex mala administratione Ecclesiae, sibi commissae, damnum intulit, tamdiu dormit Praescriptio, quàmdiu Praelatus vivit. Abbas in *cap. ex transmissa* 10. *h. t. num.* 8. Haunold *d. tr. num.* 352. Franz *h. num. ult.* Nicol. Everhardi *Vol. 2. cons.* 19. *n.* 92. quem nomine Inclytae Facultatis Juridicae Ingolstadiensis ita in facto consuluisse, asserit & approbat Rath *cap.* 5. *assert.* 66. *lit. C.* Textus est in *cap. si Sacerdotes* 10. *XVI. q.* 3. 5 Et ratio est: quia de simili Praelato difficulter praesumitur, quòd contra factum proprium venire, & actum vel contractum, in detrimentum Ecclesiae celebratum, cum sui dedecore velit infirmare. Videtur itaque Ecclesia pro tunc defensore ac pastore viduata.

6 Dico III. Tempore grassantis belli aut pestis dormit Praescriptio *d. cap. ex transmissa* 10. *h. t.* & *ibi* Abbas *num.* 4. R. J. *de Anno* 1654. §. 172. *Verb.* so vil nun. Ratio est: quia his temporibus ut plurimùm horrida vox & actoris & accusatoris silet, tacent Leges, clauduntor tribunalia, lites non examinantur. 7 Unde à contrario infertur, quòd, si justitia volentibus etiam armorum aut contagionis tempore administretur, Praescriptio non quiescat. Abbas *d. loc. n.* 6. Franz *eôd. n. ult.*

8 Dico IV. Tempore pupillaris aetatis & minorennitatis eatenùs dormit Praescriptio, ut contra pupillum nulla, contra minorem non nisi extraordinaria currat. Ita edicit deciditque *l. sicut* 3. *Cod. de Praescript. an-* 9 *nor.* Et ratio est: quia, dum similes personae, ob aetatis fragilitatem & judicii lubricitatem rebus suis consulere, & prospicere non aequè possunt ac alii; ampliorem Juris favorem & provisionem merentur, ne damnum sustineant priùs, quàm avertere aut sciant, aut valeant. Relegantur tamen dicta in *cap.* 3. *à num.* 66.

10 Olim, licèt non ipsô Jure, ope tamen restitutionis in integrum tempus illud, quô vel propter defectum Judicis, vel ob tergiversationem, potentiam, aut absentiam propriam reus conveniri non poterat, 11 subducebatur. Verùm id hodie probabiliter non ampliùs procedit: ex qua enim ratione olim, si absens procuratorem vel alium defensorem, causam ejus & defensionem suscipere paratum, reliquisset, restitutio non habuit locum; ex eadem hodie in ejusmodi casibus semper erit deneganda: quia, si praescribens seu possessor vel absens, vel infans, aut furiosus & curatoribus destitutus, vel potentior extiterit, ut judicialiter citari, & judicium cum eo suscipi non possit, datur ex nova constitutione Justiniani in *l. ut perfectiùs* 2. *Cod. de annal. Except.* licentia adeundi Praesidem provinciae, vel, ipsô absente, Episcopum aut Defensorem Civitatis, & li- 12 bellum porrigendi; iis quoque pariter deficientibus, conceditor facultas publicè, ubi possessor domicilium habet, cum tabellionis, vel, si hic nequeat haberi, cum trium testium subscriptione, voluntatem suam in scriptis manifestandi, & per hoc uniuscujusque Praescriptionis & temporis plenimodam faciendi interruptionem. Rath *d. cap.* 5. *assert.* 68. Unde subintrat regula, quòd remedium ordinarium, quale est, 13 quod ex *d. l.* 2. primùm declaravimus, praecludat viam extraordinario, nempe restitutioni, quae anteà mediante actione rescissoriâ concedebatur. Gletle ad *lib.* 4. *Inst. tit. de Action. n.* 54.

§. I

De Naturali Praescriptionis interruptione.

Interrumpitur Praescriptio, quando cursus illius ita sistitur, ut tempora priora, jam elapsa, cum posterioribus connecti nequeant. Hoc dupliciter contingit: primò *naturaliter*, quoties cunque videlicèt, post Praescriptionem ritè inchoatam, unum ex requisitis substantialibus deficit. Quandónam verò id fiat, ex sequentibus conclusionibus apertum erit. Ideò 14

Dico I. Mala fides, Praescriptioni jam coeptae superveniens, illam adeò interrumpit, ut tempora praeterita cum futuris ne tunc quidem conjungi possint, quando ex alio capite bona fides denuò supervenit. Ita post Rotam in *recent. p.* 7. *dec.* 99. *num.* 34. & alios relatos Covarruv. in *relect. cap. possessor p.* 12. *num.* 2. Balbus 3. *p.* 6. *princ. q.* 3. *n.* 7. contra Immolam, Felinum, Innocentium, & alios. Probatur. Praescriptio, quae non est valida, pro interrupta est habenda. Sed Praescriptio, cui supervenit mala fides, est invalida ex *cap. ult. h.* Ergo pro interrupta est habenda. Confir. I. Mala fides superveniens efficit, ut antiqua possessio nihil conducat per *cap. vigilanti* 5. *h. tit.* Atqui, si mala fides, per aliam bonam rursus purgata, non interrumperet, sed tantùm suspenderet Praescriptionem, uti contenduot Adversarii, non esset verum, antiquam possessionem nil conducere: quippe quae cum posteriori conjuncta prodesset ad complendam Praescriptionem. Ergo &c. Confir. II. Possessio, semel interrupta, tantùm nocet Praescriptioni, ut ne tunc accessioni temporis locus detur, quando possessio ex alio titulo convalidatur, veluti statim concludetur. Ergo etiam bona fides, semel interrupta, in tantum nocebit, ut ne tunc quidem accessioni temporis locus detur, quando bona fides ex nova causa supervenit. 15 16 17

Alius longè casus est, quando, usucapione jam perfectâ, possessor devenit in notitiam, rem, quam possidet, ad alium pertinere: tunc enim illa notitia non ampliùs mala fides sed bona est dicenda, ex quo possessor rem auxiliô Praescriptionis suam fecit; adeòque non tam scientiâ rei alienae quàm propriae instructus est. 18

Dico II. Quando titulus, ab initio justus, postmodùm quacunque ex causa resolvitur, Praescriptio naturaliter interrumpitur. Infertur ex *l.* 1. *ff. h. t.* ubi haec facti species narratur. Titius emit servum sub aliqua conditione resolutiva, ut, si conditio extiterit, servus fiat inemptus. Factâ jam traditione, conditio extitit. Quaesitum ergo fuit: cui possessio intereà profuerit? Resp. JCtus, profuisse venditori: quia in casu existentis conditionis titulus emptionis resolvitur, & perinde habetur, ac si nulla emptio intervenisset. 19

Dico III. Quando res, de qua coepta erat Praescriptio, à persona habili devenit ad inhabilem, Praescriptio naturaliter interrumpitur. D. Rath *d. cap. assert.* 59. ubi hoc probat, & declarat exemplô in feudo nobili, quando in personam ignobilem alienatur; item in mancipio Christiano, quod modò quô- 20

libet

libet ad Judæum devenit *arg. l. DEO nobis* 56. §. *ult. Cod. de Episcop. & Cler. & arg. rubr. ne Christian. Mancip. hæret. vel Judæus &c.*

21 Dico IV. Possessio civilis, ex quacunque causa amissa, sive jure sive alterius injuriâ, sive ad dominum sive ad alium pervenerit, naturaliter interrumpit Præscriptionem. Rota Rom. in *rec. p. 4. tom. 2. dec. 72. num. 7.* Probatur, & declaratur I. quando rem, quam bonâ fide possideo, loco domino, aut pignori vel precariò eidem trado, possessionem amitto *l. non solùm 33. §. 5. h. t.* quia rem, ita traditam, nec rei vindicatione, utpote quæ non competit nisi vero domino, recuperare; nec actione locati aut pignoratitiâ, quæ contra verum dominum non procedit, repetere potest. Interrumpitur itaque usucapio, quæ sinè possessione non currit.

22 Putat tamen Haunold *d. loc. num. 331.* si dominus nescierit, rem locatam, aut pignoratam ad se spectare, penes antiquum possessorem possessionem nihilominùs civilem, & consequenter etiam conditionem usucapiendi, cum tempore explebilem, remanere: quia ex parte domini ignorantis deficit animus, rem locatam aut pignoratam possidendi ut suam.

23 Declaratur II. Quando aliquis ab hostibus captus est, nec per alium v. g. servum aut filiumfamilias ex causa peculiari possessionem retinuit, Præscriptio interrumpitur *l. justô errore* 44. §. *ult. ff. h. t.* nequidem jure postliminii in statum pristinum reponenda per *l. denique si 19 ff. ex quib. caus. major.* ubi dicitur, quòd *possessio plurimùm facti habeat, causa verò facti non contineatur postliminiô.*

24 Declaratur III. Ut strictô Jure etiam tempore jacentis hæreditatis Præscriptio, à defuncto cœpta, vel interrumpi, vel saltem dormire deberet per *l. si dolo malo 1. §. 15. ff. si is qui testam. liber &c.* quoniam possessio tam ex facto quàm animo dependet; sicque ab hæreditate ob defectum animi sustineri nequit. Jure tamen singulari factum possessionis & animus possidendi suppletur à Lege in *l. nunquàm 31. §. 5. ff. h. t. d. l. justô errore 44. §. 3. eôd.* Modò intereà nemo extraneus eandem rem possederit *l. possessio 20. ff. d. t.*

25 Declaratur IV. Ut una eandemque possessio (ut aliquoties jam indicatum est) non necessariò unum eundemque exigat possessorem, sed possit de persona in personam continuari: cùm donatoris possessio donatorio, possessio venditoris emptori, possessio hæredis legatario proficiat *l. pen. §. 1. l. ult. §. 1. ff. de Divers. & temp. Præscr.* §. *inter 13. I. h. t.* P. Engel *ibid. n. ult.*

§. III.

De Civili Præscriptionis interruptione.

26 Secundò interrumpitur Præscriptio *civiliter*, quando nullum quidem ex requisitis deest, Juris tamen authoritate vel potiùs subtilitate deesse fingitur. Quod an per citationem, an per litis contestationem, an denique per sententiam condemnatoriam fiat? Mirè discordant Authores. Causam discordiæ seminârunt varia Juris capita, in speciem sibi repugnantia, ad quorum harmoniam varias distinctiones DD. invenerunt.

27 Antiquiores & quidam Recentiores communiùs in eam inclinârunt sententiam, quòd Præscriptio triennalis per sententiam demùm *l. pro emptore 2. §. ult. ff. pro Empt.* ordinaria seu decennalis & vicennalis per litis contestationem *l. moræ litis 26. Cod. de R. V.* extraordinaria per solam citationem *l. sicut 3. & l. omnes 4. Cod. de Præscr. 30. annor.* interrumpatur. In hanc sententiam novissimè concessit Clariss. P. Schmalzgrueber ad *h. t. à n. 136.*

Dissentit tamen non sinè ratione D. Rath. *d.* 28
cap. 5. assert. 77. & potiùs usucapionem à Præscri-
ptione distinguendam censet, si antiqui Juris placita
velimus cum fundamento enucleare. Nam veriùs huic
Doctori videtur, quòd Jure Veteri nulla penitus usu-
capio per litis contestationem fuerit interrupta: quia
possessio, cùm facti sit, factô aliquô excutienda
erat: at per litis contestationem possessio non excu-
tiebatur per textum generalem in *d. l. pro emptore 2.*
§. *ult. ff. pro Empt.* Neque enim mala fides, ex litis 29
contestatione inducta, sufficiebat ad possessionem in-
terrumpendam: cùm nec vera mala fides super-
veniens eandem interruperit per *l. bonæ fidei 48. in*
pr. ff. de A. R. D. Tenebatur tamen is, qui, lite pen- 30
dente, usuceperat, rem usucaptam restituere post
sententiam Judicis *l. si post acceptum 18. l. præ-*
tereà 20. cum seq. ff. de R. V. quia ex die litis
contestatæ res pro judicata retrò habebatur: eò quòd
actori nihil imputari poterit, qui debitô litem
tempore contestatus erat. Præscriptio econtrà litis 31
contestatione interrumpebatur: quia, cùm domi-
nium (intellige Quiritarium & perfectum, confor-
miter ad *num. 16. cap. 1.*) antiquitus non produ-
ceret, sed exceptionem temporis tantùm ea æqui-
tate bonæ fidei possessori accommodatam, meritò
ad eam acquirendam credebatur tempus prodesse
non debere, quod post actionem institutam fue-
rat elapsum.

Quidquid tamen in hoc puncto de Jure Vete- 32
ri pro & contra disceptari possit; videtur omnis hodie
dubitatio esse sublata, ac sola citatio ad interrumpen-
dum omnem Præscriptionem sufficere, postquàm Ju-
stinianus in *l. cùm notissimi 7. in pr. Cod. de Præscr.*
30. annor. definivit, etiam *solam conventionem* suffice-
re; & in *l. si ex multis 3. Cod. de annali Except.* san-
civit, *temporum curricula esse interrupta, si quis obno-*
xium suum in jus clamaverit (hoc est, glossatore Go-
thofredo ad *d. lit. C.* vocaverit) *& libellum conven-*
tionis eò transmiserit. D. Franz *h. tit. num. 42. in fin.*
D. Schambogen *ibid. pag. m.* 289. Dissert. Franco-
furt. sub Frider. Rhetio *Vol. 4. disp. 13. cap. 3. n. 2.* ubi
hæc opinio praxi modernâ dicitur corroborata. Rota
in *rec. p. 13. dec. 204. n. 9. & p. 18. to. 1. dec. 21. n. 11.*

Eandem verò virtutem interrumpendi Præscri- 33
ptionem extra casum *l. ut perfectiùs 2. Cod. d. t.*
nullatenùs attribuo protestationi seu denuntiationi
extrajudiciali ob textum notabilem in *l. alienam 13.*
ff. pro Emptore. ubi refertur casus, quò quis alienam
aream bonâ fide emit, & ante impletam diutinam pos-
sessionem ædificavit; ac, non obstante denuntiatione
domini soli, intra tempora diutinæ possessionis ædi-
ficare perseveravit. Quæritur deinde: utrùm posses-
sio sit interpellata, an cœpta duraverit? Resp. Scæ-
vola, interpellatam non esse. Et ratio est: quia 34
simplex protestatio non infert malam fidem: neque
enim hanc vim sortitur ex natura sua, cùm præ-
scribens bonâ fide aliunde supponatur informatus,
& ejusmodi contradictione non statim ab eadem fi-
de avertendus reputetur: quippe qui cogitare po-
test, in dubio meliorem esse possidentis conditionem:
neque etiam hanc vim habet protestatio ex disposi-
tione Juris, de quo textus in contrarium afferri nequit.

Neque dicas: in *l. si fundum 17. Cod. de R. V.* sta- 35
tui, quòd, si quis domum emere velit, & ipsi à vero
domino denuntiatum fuerit, ne emeret, per talem de-
nuntiationem in mala constituatur fide. Nam *L.* ista
loquitur de casu, quò denuntiatio possessionis ini-
tium præcessit, ubi non facilè potest oriri bo-
na fides & justus titulus, ad Præscriptionem ne-
cessarius. Nos autem loquimur de casu, quô possessio
bonâ fide & justô titulô fuit inchoata, & dicimus, 36
nudam denuntiationem vel protestationem ad in-
ferendam malam fidem aut injustum titulum non
suffi-

sufficere. Itaque nobiscum loquitur, in eandem
conspirans opinionem Rota Rom. in *rec. p.* 3. *dec.*
120. *num.* 10. & *p.* 18. *tom.* 1. *decis.* 226. *num.* 6. &
tom. 2. *decis.* 285. *num.* 17. Dissert. Francofurt. Ju-
rid. *d. Vol.* 4. *disp.* 13. *cap.* 3. *num.* 15. *&* 16. P. En-
gel *h. t. n. ult.*

37 Similequid usu venit in prohibitione vel impatien-
tia, ut vocant verbali seu extrajudiciali: hæc enim
per se ad interruptionem non sufficit, nisi aut cum
impedimento quodam conjuncta sit, per quod ali-
quis non modò turbatur, sed etiam deturbatur de
quasi-possessione juris; aut prohibitio effectum ha-
buerit *arg. l. ult. ff. de Itin. actuque priv. in* ℣. *sed si*
38 *prohiberetur, non facturus.* Tunc autem prohibitio
habere effectum censetur, quando prohibitus uti ju-
re suò v.g. servitute pascendi in fundo vicino acqui-
evit prohibitioni *arg. l. possideri* 3. *§.* 8. *l. si id* 25.
§. 2. *ff. de A. vel A. P.* Erit tamen hæc interruptio
naturalis potiùs quàm civilis dicenda. Dissert. Fran-
cofurt. *d. loc. cap.* 2. *n.* 6.

39 Hæc, tametsi ita sint; advertendum tamen adhuc
I. si, post interpositam citationem, actor litem non
prosequatur, censeri nihilo minùs Præscriptionem ea-
tenùs interruptam, ut actio perpetuetur ad 40. annos,
à die cognitionis novissimæ numerandos *l. ult. Cod.
de Præscr.* 30. *annor.* ita ut in effectu quandoque ad
70. annos perduret actio. Rath *cap.* 5. *assert.* 79. *n.
ult.* Nisi ex circumstantiis appareat, & Judex pru-
denter arbitretur, litem ex dolo & malitia actoris, rei
vexandi gratiâ, motam fuisse. Haunold *n.* 338. Franz
n. 43. *in fine.*

40 Advertendum II. si sententia pro possessore &
præscribente feratur, interpellationem & interru-
ptionem civilem non aliter æstimari, ac si nunquàm
evenisset *d. l. ult. Cod. de Præscript.* 30. *annor.* Rota
coram Emeria *dec.* 108. *num.* 14. Rath *d. cap. assert.*
80. D. Franz *d. num.* 43. Haunold *num.* 349. Aliàs
facillimè præberetur occasio, Præscriptionem inter-
rumpendi, si litem quomodocunque, etiam temerè
41 motam fuisse, sufficeret. Quin & si pactô vel trans-
actione à lite recessum sit, eadem decisio ample-
ctenda est secundùm Rath & Haunold *cit.* quia id
ipsum in pactum esse deductum censetur, ut quivis
in eo statu habeatur, in quo fuisset, si nulla un-
42 quàm emersisset controversia. Rota *d. l. num.* 6. *&*
15. Quod eo usque ampliandum videtur, ut, si Ad-
versarius postmodùm petitorium intentet, reus meri-
tò Præscriptione se defendat, atque ad illam com-
plendam illud quoque tempus, quod inter moram ju-
dicii possessorii effluxerat, computare possit. Rath
assert. 81. Unde

43 Advertendum III. ingens esse discrimen inter
naturalem & *civilem* interruptionem: quia in illa tem-
pora præterita cum sequentibus nullô unquàm casu
conglutinantur; in illa verò toties, quoties sententia
44 in favorem possessoria promulgatur. Imò & illud
interest, quòd Præscriptio, *naturaliter* interrupta,
respectu omnium interesse habentium evacuetur;
cùm tamen interrupta *civiliter* tantùm illius com-
paratione habeatur pro nulla, qui illam induxit,
aut saltem à possidente causam habuit: nam res ju-
dicata aliis, quibuscum non est actum, neque no-
cere neque prodesse valet *l.* 2. *Cod. quibus res
judicata non nocet.* Rota in *rec. p.* 26. *dec.* 21.
45 *num.* 4. Adeò ut nec contra reum principalem inter-
ruptio, *civiliter* facta, noceat fidejussori; nec vice
versâ: quia reus principalis & fidejussor diversô ju-
re censentur. D. Rath *assert.* 75. Clariss. P. Schmalz-
grueber ad *h. t. n.* 135.

46 Advertendum ultimò: per excommunicationem
Bullæ Cœnæ, quotannis à S. Pontifice contra de-
tentores bonorum Ecclesiæ Romanæ feriâ quintâ in
Cœna Domini renovari solitam, non interrumpi cœ-
ptam à bonæ fidei possessore Præscriptionem. Co-
varruv. *d. p.* 2. §. 12. *num.* 5. Rath *d. cap.* 5. *assert.*
84. Haunold *num.* 343. Ratio mihi videtur convin- 47
cens, quòd ea hactenùs dictis detur aliqua Præscri-
ptio contra Ecclesiam Romanam; adeóque credi-
bile non sit, Præscriptionem, bonâ fide cœptam,
per nominatam Bullam interrumpi: quippe cùm alio-
quin casus figurari non possit, in quo illa Præscri-
ptio effectum sortiatur. Deinde non est præsumen- 48
dum de mente S. Pontificis, quòd fulmen censu-
ræ, inter Ecclesiasticas gravissimæ, in possesso-
res bonæ fidei torqueat: cùm hæc in alios, quàm
mortali crimine obstrictos, vibrari nequeat. Deni- 49
que denuntiatio extrajudicialis (generalis maximè)
tanti non est roboris, ut Præscriptionem interrumpat
ex *n.* 33.

SECTIO II.

De Restitutione adversùs Præscriptionem.

SUMMARIA.

50. *Præscriptioni contraria est restitutio.* 51. *& seq. Datur hæc in casu justa absentiæ.* 53. *& seqq. Varia sententiæ de causa ignorantiæ.* 56. *& seqq. Concluditur & probatur, nullam ex capite solius ignorantiæ dari restitutionem.* 62. *& seqq. Inducuntur & resolvuntur objectiones.* 72. *Pupilli vix opus habent restitutione.* 73. *Minores quoque non egent in Præscriptione ordinaria.* 74. *& seqq. Etiam in extraordinaria negatur illis restitutio.* 77. *& seqq. Adversantes textus enodantur.* 82. *& seqq. Attingitur praxis.* 85. *& seqq. Ecclesiis, perinde ac minoribus, restitutio negatur.* 88. *& seqq.* ℞. ad Clem. un. de Rest. in integr. 90. *Clausula tractatûs.*

§. I.

Utrùm majoribus 25. annis detur Restitutio adversùs Præscriptionem?

TErtia nunc species eorum, quæ Præscriptioni 50
sunt adversa, occurrit; Restitutio videlicèt in
integrum, quæ usucapionem jam completam res-
cindit, ac rem in eum statum, quò ante usucapio-
nem fuerat, restituit. Qua in re variæ se offerunt
personæ, sacræ & profanæ, majores & minores, de
quibus disquirendum: an salubèrrimô Præscriptio-
nis pharmacô gaudeant? Dicemus ab initio de ma-
joribus, circa quos

Notandum I. certum esse, quòd ex capite ab- 51
sentiæ majoribus, qui Reipublicæ vel justæ ne-
cessitatis causâ abfuerunt, restitutio contra Præ-
scriptionem jam completam & actio rescissoria in-
dulgeatur, quâ intendunt, adversarium non usuce-
pisse, quod reverâ usucepit. Textus sunt in *l.* 1.
& passim ff. & Cod. Ex quibus caus. major. An
verò ex causis aliis, & ex quibus restitutio com-
petat? Non vacat, hîc determinare.

Notandum II. actionem rescissoriam olim an- 52
nô utili durâsse *d. l.* 1. §. 1. *ff. ex quibus caus.
&c.* hodie tamen ad quadriennium fuisse prolonga-
tum, ita ut intra hoc spatium & movenda & fi-
nienda sit *l. ult. Cod. de tempor. in integr. Resti-
tut.* Quod tempus quadriennii qualiter computari de-
beat, tradunt Clariss. DD. Facultatis nostræ Collegæ,
P. Josephus Mezger in *Panacea Juris cap.* 6. *q.* 3. *à
n.* 24. & Gletle in *Inst. lib.* 4. *ad tit. de Action. n.* 58.

Notandum III. quæstionem hic valde contro-
versam, & pro utraque contradictionis parte non 53
solùm extrinsecâ sed intrinsecâ etiam authoritate
munitam esse, an contra Præscriptionem ex capi-
te solius ignorantiæ majoribus concedatur restitu-
tio? Prima sententia absolutè est affirmativa, ea-
que tribuitur Felino, Bartolo, Oddo, Gailio, &
alüs,

alius; nec non & usu forensi recepta traditur à
54 Fachinæo *lib. 1. controv. cap.* 69. Altera est ab-
solutè negativa, quam, ceu veriorem & Juribus
conformiorem tuentur Clariss. DD. Antecessores
& respectivè Collegæ, P. König *h. t. num. ult.*
in fin. P. Mezger *cit. loc. cap. 2. quæst. 5. num.*
45. D. Franz *h. t. num.* 40. Fachinæus *cit.*
Rath *cap. 5. assert.* 85 Zoës ad *tit. Ex quibus*
caus. major. Brunnem. ad *l. ult. Cod. de Præscr.*
longi temp. n. 10. *& seqq.* P. Wiestner ad *tit. de in in-*
55 *tegr. rest. num.* 29. Tertia est media, ac Præscri-
ptionem ordinariam separat ab extraordinaria: in
illa admittit restitutionem; in ista negat. Sic inter
alios Covarruv. *p. 3. relect. cap. possessor. §. 3.*
num. 2. Cum altera mihique verissima sententia con-
cludo, quòd nulla Præscriptio, semel completa, ex ca-
pite solius ignorantiæ per restitutionem convellatur.
56 Probatur I. quando contra Præscriptionem, se-
mel completam, nulla ampliùs datur actio, & præ-
scribens plenissimâ securus est munitione, locum
non habet restitutio; utpote quæ petitur median-
te actione rescissoriâ, & præscribentem de inde-
pta securitate dejicit. Sed in *cap. ad aures 6. h.*
t. l. ult. Cod. de Fund. patrimon. l. 11. omnis ac-
tio contra præscribentem negatur; & in *l. 4. Cod.*
de Præsc. 30. annor. plenissima præscribenti securi-
tas conceditur. Ergo &c. Quòd si memoratos textus
de Præscriptione extraordinaria tantùm exponas,
57 Probatur II. ex *l. ult. Cod. de Præscript. lon-*
gi temp. ubi Præscriptio ordinaria contra præsen-
tes decenniô contra absentes vicenniô compleri di-
citur, nullâ scientiâ vel ignorantiâ exspectandâ,
ne altera dubitationis inextricabilis oriatur occasio:
quâ sanè dictione & decisione nescio, an clarius
quidquam in rem præsentem afferri possit:
58 Probatur III. Jam ante tempora Justiniani
Præscriptio in tantum valebat etiam contra *ne-*
scientes, ut miseri rerum domini excluderentur,
nullusque ad eas reservaretur regressus; quemad-
modùm disserit ipse Justinianus in *l. un. Cod. de*
Usucap. transform. Ergo nescientibus non super-
erat restitutio; aliàs non omnis regressus fuisset
præclusus. Atqui hanc ordinationem non sustulit
Justinianus, sed tantùm differentiam in rebus Itali-
ci & provincialis soli cassavit. Ergo hodiedum re-
59 stitutio ignorantibus nulla superest. Ex quo etiam
responsiones Adversariorum refelluntur, dum ajunt,
Præscriptionem quidem obesse ignorantibus, reser-
vatô tamen restitutionis beneficiô: nam in *cit. text.*
non tantùm dicitur Præscriptio ignorantibus obes-
se, sed omnis insuper actio, regressus, & reme-
dium ad rem recuperandam denegatur.
60 Probatur IV. Imperator in *d. l. ult. Cod. de*
Præscr. longi temp. duplicavit tempus absentiæ,
non alia ex causa, quàm ut absentes, in quibus
faciliùs ignorantia reperitur, largiorem & laxiorem
haberent terminum ad hauriendam rei præscriben-
dæ notitiam. Ergo non est credibile, quòd insu-
per antidotum Præscriptionis illis reservârit: quip-
pe cùm Jure communi satis defendantur.
61 Probatur V. Utilissima Præscriptionis Lex non
verbis duntaxat, sed rebus scripta, & rogata
est. Hoc verò non procederet, si ex causa igno-
rantiæ admitteretur Præscriptio: præterquàm enim
quòd per restitutionem omnis Præscriptio suô effe-
ctu, acquisitione dominii scilicèt, privaretur; in-
super dominia rerum perpetuò adhuc fluctuarent,
dicasteria redundarent litibus, & nullus contro-
versiarum esset finis: nam, quia nemo, nisi supi-
nus & stultus, ut loquitur D. Rath, rem suam
apud alium esse, & ab eo (scienter) usucapi pa-
titur, quilibet obtenderet ignorantiam, fundaret-
que se in præsumptione Juris, quod in dubio
potiùs ignorantiam quàm scientiam præsumit.
Objicies nihilominùs I. generalem Prætoris clausu- 62
lam in *l. 1. ff. Ex quibus caus. major.* ubi promittit, se re-
stituturum, si qua justa causa videbitur, qualis utique
est inculpabilis rei suæ, ab alio possessæ ignorantia.
Resp. nullam extare Legem, quæ ignorantiam in- 63
ter justas restitutionis causas numeret.
Replicabis: sufficere, nullam esse Legem, quæ resti- 64
tutionem prohibeat per *l. nec non 28. §. 2. ff. eôd.* ibi:
quâ clausulâ non illud pollicetur, se restituturum,
si Leges permittant, sed si Leges non prohibeant.
Resp. Leges sufficienter prohibere restitutionem, 65
dum omnem regressum claudunt, & ipsam ignoran-
tiam non exspectari volunt.
Urgebis: æquitatem restitutionem suadere *l. sed* 66
etsi per Prætorem 26. §. 9. ff. eôd.
Resp. æquitatem potiùs dissuadere restitutionem: 67
quia omninò justitiæ regulis conforme est, utili-
tatem publicam, ex negatione restitutionis multùm
procurandam, præponderare commodo privatorum.
Instabis: eum, qui damnum patitur, quod aver- 68
tere non potuit, virtute clausulæ generalis restituen-
dum *l. non enim 16. ff. d. t.*
Resp. has & omnes hujus classis instantias tunc solùm 69
habere vires, quando non adest specialis prohibitio, aut
ratio utilitatis publicæ privatorum emolumento ante-
ferri debet, uti respondet D. Franz *cit. loc. n.* 41.
Objicies II. varios textus, apud Fachinæum le- 70
gendos, in quibus datur restitutio contra Præscriptio-
nem ex causa longè minori quàm sit causa ignorantiæ.
Resp. à casibus expressis ad non expressos, imò 71
reprobatos, bonum non duci argumentum. Suadet in
aliquibus casibus æquitas restitutionem, indulgent
etiam Jura: at in causa ignorantiæ nihil concedunt
Jura; æquitas nihil admittit. Hancque sententiam
in Præscriptione, saltem extraordinaria, nonnunquam
probavit Rota, præsertim ubi ignorantia probabilis
& ex omni parte excusabilis concludenter ostendi
nequit, uti colligitur ex *p. 8. dec. 153. num. 39 dec.*
238. *n. 19. & seqq.*

§. II.

Quamdò Pupilli & Minores restituantur?

Diximus in *n.* 8. tempore pupillaris ætatis & mi- 72
norennitatis eatenùs dormire Præscriptionem, ut in
priore casu nulla, in posteriore non nisi extraordina-
ria currat Præscriptio. Unde sequitur I. pupillum,
cùm ipsô Jure sit tutus, non indigere restitutionis sub-
sidiô, præterquàm in casu, quô Præscriptio contra
defunctum, cui pupillus successit, inchoata, adhuc
perficitur, quando pupillus latet in utero: tunc enim
Præscriptio absolvitur, restitutione pupillo nascitu-
ro reservatâ, sed cum variis distinctionibus, supra in
cap. 3. à n. 73. revidendis.
Sequitur II. minori in Præscriptione ordinaria non 73
esse opus restitutione: quia hæc non currit contra
ipsum. At quia contra Præscriptionem extraordina-
riam non est privilegiatus, quæritur: an saltem re-
stitutionis defensione potiatur?
Resp. contra plurimos: contra Præscriptionem ex- 74
traordinariam non dari minoribus in integram resti-
tutionem. Giphanius ad *l. ult. Cod. In quib. caus. rest. in*
integr. Perez ad *eund. tit. n. 6.* Brunnem. ad *d. l. n.* 8. Cla-
riss. P. Mezger de *restitut. cap. 4. n.* 33. Clariss. D. Rath
cap. 4. assert. 18. quorum uterque hanc sententiam in pun-
cto Juris probabiliorem & veriorem judicat. Ratio pri- 75
ma desumitur ex decantata *l. 3. Cod. de Præscr. 30. vel*
40. *annor.* ubi dicitur: *quod pupillis, cùm ad eos annos*
pervenerint, qui ad sollicitudinem pertinent curatoris,
necessariò similiter ut aliis annorum 30. *curricula ser-*
vanda sint. Sed aliis annorum 30. intervalla ita servan-
da sunt, ut beneficium restitutionis sperare nequeant.
Ergo idem de minoribus est definiendum.

76 Ratio secunda eruitur ex *d. l. ult. Cod. in quib. caus. restu. integr. necess. non est*, ubi pro regula traditur, non currere amplius Præscriptiones contra minores in casibus, quibus olim restitutione opus erat; adeóque ubi contra minores ex mente Justiniani currit tempus, non datur restitutio. Atqui Præscriptio extraordinaria contra minores currit tum per *d. l. sicut* 3. tum per *d. l. ult.* in qua Præscriptio extraordinaria nominatim excipitur; utique non excipienda, si eam Imperator non voluisset minoribus officere. Ergo contra Præscriptionem extraordinariam minoribus non datur restitutio.

77 Objicies I. *l. un. Cod. si adversùs Usucapionem* quæ *contra eos, qui res minorum tenent, si usucapione dominium acquisierint, restitutionis eis auxilium decerni jubet.*

78 Resp. textum esse conceptum de Jure antiquo, quô adhuc vigebat differentia inter usucapionem & Præscriptionem; quemadmodùm ex *l. non est* 3. *Cod. quibus non objic. longi temp. Præscr.* conjicitur, quæ, cùm Præscriptionem longi temporis contra minorem non admittat, utique restitutionem, velut superfluam, ea consequentia necessaria rejicit; ideóque *d. l. un.* adversa foret, nisi cum distinctione inter usucapionem & Præscriptionem, antiquitùs receptâ, textus invicem concordemus. P. Jose-
79 phus Mezger addit, in *d. l. un.* tractari de Præscriptione longi temporis, non de longissimi, quæ non venit propriè nomine usucapionis. Addi etiam potest, illum textum per *d. l. ult. Cod. in quibus caus.* esse antiquatum.

80 Objicies II. *l. minoribus* 8. *Cod. de in integr. Restit. minor.* ubi generaliter in his, quæ prætermiserunt, vel ignoraverunt minores, conceditur restitutio.

81 Resp. Præscriptionem ab omni restitutione liberam esse, etiam ex causa ignorantiæ: unde *d. l.* ad Præscriptionem non est trahenda.

82 Interim dissimulare nolo, sententiam adversam in praxi receptam proclamari. Quod equidem non impugno; sed miror tantùm, Gothofredum in *Summa de restit. in integr.* citatum à P. Mezger, scribere, se nunquam vidisse, quòd restitutio sit concessa.
83 Existimo nihilominùs, salubre D. Rathii monitum *cit. asseri.* à nemine spernendum esse; ut, si restitutio in integrum alicubi recepta sit, non aliter contra lapsum tanti temporis concedatur, ac si minor indemnitatem nec à curatoribus nec eorum fidejussoribus consequi valeat *arg. l. properandum* 13.
84 §. *ult. Cod. de Judic.* ubi, cùm favore minuendarum litium & authoritatis, Judicio debitæ, non ante restituantur contra lapsum triennii instantiæ judicialis, quàm si à curatoribus, fidejussoribus, eorumque hæredibus se indemnes ex integro servare nequeant; ob rationis paritatem in Præscriptione id ipsum censeo amplectendum. Consentit Gilcken de *Præscript. p.* 3. *cap.* 1. *à n.* 101.

§. III.

An Ecclesiis detur Restitutio contra Præscriptionem?

85 Dormire quandoque Præscriptionem contra Ecclesias, docet *num.* 2. 3. & 4. Sed Præscriptionem quadragenariam, semel contra Ecclesiam consummatam, rescindi non posse, ob similitudinem Ecclesiæ cum minoribus in *cap.* 1. *de in integr. restit.* captessam, firmiter teneo cum Authoribus prioris sententiæ & Glossâ in *cap. audiis & Clem. un. d.* 1. Probatur. Non solùm de Jure Civili, sed etiam Canonico adversùs Præscriptionem quadragenariam omne remedium submovetur: nam in *cap. volumus* 2. *XVI. q.* 4. post 40. annos jubetur inconcussa possessionis quies omnibus modis procurari; in *cap. inter* 6. *eâd. caus. q.* 3. dominium, Præscriptione partum, nuncupatur perpetuum; in *cap. ad aures* 6. *h. t. quadragenaria Præscriptio omnem prorsus actionem excludere dicitur.* Qui termini prægnantiores & generaliores sunt, quàm ut ad ordinarias tantùm actiones limitentur. Ergo post 40. annos ne quidem Ecclesiæ Jura restitutionem largiuntur.

Conf. I. In *d. cap. audiis* nec petita, nec adjudicata est restitutio; cùm tamen ii, qui ex Jure 86
Parochiali decimas prætendebant, omni modô & mediô jus suum propugnare studuerint. Ergo signum est, nec supplicantes nec rescribentem cogitâsse, quòd hoc remedium competat. Conf. II. 87
quia in aliis *capp.* v. g. *in cap. de quarta* 4. *in cap. illud autem* 8. *cap. quia indicante* 9. *h. t.* & universim, quoties in sacro Jure super Præscriptione mota est controversia, quadragenaria possessio semper defenditur, absque eo quod vel semel à parte adversa reperiatur allegata restitutio.

Nec turbat *Clem. un. de Restitut. in integr.* quæ 88
Ecclesiis sinè limitatione restitutionem contra lapsum temporis attribuit. Optimè namque Resp. P. Mezger, per lapsum temporis intelligi Præscriptiones temporales, potissimùm in judiciis & actibus judicialibus obvenientes. Quod non ineptè dedu- 89
citur ex contextu illius Clementinæ, dum læsus ex lapsu temporis ad tantum solummodò tempus restituitur, in quanto est læsus. At in Præscriptione quadragenaria posset quis lædi totô 40. annorum spatiô; sicque ad novos 40. annos deberet restitui; quod illa *Clem.* nec voluit: cùm quadriennium & petendæ & finiendæ restitutioni præfiniat; nec velle potuit: cùm alioquin in effectu non posset Præscriptio quadragenaria contra Ecclesiam procedere. Plura cùm de hoc argumento, tum de aliis, ad præsentem Præscriptionis materiam pertinentibus, vel ex generalibus hucusque traditis principiis colligi, vel ex Authoribus, per decursum citatis, facilè possunt erui.

De hoc capite, satis dictum fuit in Tractatu; indeque non reputato necessarium, ut plura addantur.

TRACTATUS III.

DE

MODIS ACQUIRENDI

VEL AMITTENDI PRÆLATURAS ECCLESIASTICAS.

Osteaquàm sanctitate non minori quàm eruditione conspicuus Decretalium Collector materiam de Legibus in Libro I. Tit. II. III. & IV. ceu primum Jurisprudentiæ Canonico-Civilis elementum & fundamentum, præmiserat, mox in Tit. V. & sequentibus incipit agere de Modis, quibus Ecclesiarum Præsules creandi sunt. Et prudentissimè. Nam, uti cujuslibet Reipublicæ pars nobilior & præstantior est Prælatus, seu Superior, è cujus, velut Capitis, influxu tota Corporis Mystici sanitas & incolumitas pendet; & ideò, prout Tridentina Synodus in *Sess.* 24 *de Reformat. cap.* I. appositè loquitur, *totius familiæ status & ordo nutabit, si, quod requiritur in Corpore, non inveniatur in Capite*: sic inter primas cujusque Reipublicæ sollicitudines sit, oportet, adinvenire vel definire modos, queis boni Præsules constituantur; uti memorata Synodus *in cit. l.* graviter expendit, dum nihil *ad DEI gloriam & populorum salutem utilius fieri posse*, confitetur, *quàm si boni Pastores & Ecclesiæ gubernandæ idonei promoveantur*.

Coll ectorem Decretalium imitatus, post absolutum Jus Legale, subnexumque (per parenthesin) Jus Præscriptionis, Modos acquirendi Prælaturas quantocyus assumo tractandos; &, quia mortalium conditio non finit, immortales esse Prælatos; occasione *Tit.IX. de Renuntiatione* Modos amittendi Prælaturas adjungo.

CAPUT I.

De Electione.

Inter Modos acquirendi Prælaturas Ecclesiasticas in *Tit. V.* hujus Libri *Postulationi* locus primus tribuitur. Sed, si præstantiam, frequentiam, & utilitatem *Electionis* & *Postulationis* inter se aquâ lance pensemus, primatum *Electioni*, non *Postulationi*, deberi, causæ merita & momenta volunt. Quæ ratio fuit, quòd primum hujatis tractationis *Caput Electioni* sit dicatum; vel ideò longiori manu, quàm Capita sequentia, deducendum, quia reliqui, Prælaturas Ecclesiasticas acquirendi Modi, plurima cum Electione habent communia.

SECTIO I.

De Natura & Origine Electionis.

SUMMARIA.

1. *Etymon Electionis.* 2. *Illius acceptio moralis.* 3. *Et juridica.* 4. *& seqq. Quæ rursum patitur diversas significationes.* 7. *Descriptio Electionis.* 8. *Est assumptio.* 9. *Unius persona.* 10. *Idonea.* 11. *& seqq. Ad Prælaturam vacantem.* 13. *Electio Præpositorum aut Decanorum Cathedralium non est talis in rigore.* 14. *Nec electio Coadjutoris perpetui.* 15. *& seq. Electores debent habere vocem activam.* 17. *Electio canonicè est facienda.* 18. *& seqq. Electio Summi Pontificis est ex Jure Divino.* 31. *& seqq. Primum argumentum dissolvitur.* 34. *& seqq. Secundum enervatur.* 38. *Tertium diluitur, & explicatur* cap. 1. VIII. q. 1. 43. *& seqq. Electio reliquorum Prælatorum est Juris Ecclesiastici.*

§. I.

§. I.

Quid Nominis sit Electio?

1 Electio, si nominis derivationem attendamus, ab eligendo seu seligendo appellata, denotat unius rei ex pluribus delectum *arg. rubr. & text. ff. de Opt. vel elect. leg. & cap. in alternativis 70. de R. J. in 6.*

2 Considerari potest vel moraliter, vel Juridicè. Considerata *moraliter* dicit *voluntariam optionem unius medii præ alio ex consilio præcedenti*, prout ad mentem Aristotelis 3. *Ethic. cap.* 3. Eminentissimus Commentator D. Josephus Saenz Card. de Aguirre
3 in sua *Philosophia Morali* explanat. *Juridicè* considerata rursus aliam acceptionem in Jure Civili, aliam in Jure Canonico sortitur. In Jure Civili Electio significat optionem unius rei, commercio humano sobjectæ, ex pluribus; uti si legatarius unum ex pluribus equis, indeterminatè cum optione sibi legatis, quem magis æstimat, petat per *l. divus 1. l. quoties 2. l. scyphi 4. ff. de Opt. vel elect. leg.* aut si debitor alternativus, qui vinum Austriacum vel Tyrolense solvere ex contractu tenetur, Austriacum solvat juxta *cit. cap. in alternativis 70. de R. J. in 6. l. plerumque 10. §. ult. in fin. ff. de Jure Dot.* In Jure Canonico indigitat assumptionem unius personæ ex pluribus ad Ecclesiam vacantem. Et in hoc sensu

Triplex iterum Electionis significatio est; latissi-
4 ma, strictior, strictissima. *Latissima* est, quâ Electio quemvis modum acquirendi dignitatem Ecclesiasticam, sicque & Postulationem, & Nominationem, & Collationem comprehendit; quò spectant textus in *cap. bona memoriæ 3. de Postulat. cap. querelam 24. cap. cùm Ecclesiæ 31. h. t. de Elect. cap. nobis fuit 25. de Jure Patronat.* quia videlicèt, quiscunque assumendi modus ad Ecclesiastica munera recipiatur, semper verè dicitur, quòd assumptus præ aliis electus existat. Petrus Passerin. *tract. de Elect.*
5 *cap. 1. quæst. 2. n. 25. Strictior* significatio est, quâ Electio solam equidem vocationem personæ idoneæ, per suffragia Collegii celebratam, designat, sed simul ad quæcunque beneficia Ecclesiastica extenditur. Et huc pertinet *cap. dudum 22. h. t.* ubi proponitur Electio cujusdam Præpositi Colocensis, vel (ut accuratiùs legendum existimat Gonzalez in *not. ad d. cap. n. 2. & 3.*) Coloniensis Ecclesiæ, atque de illa, sicut de aliis Electionibus, disponitur. Hostiensis in *Summa h. t. n. 1.* noster Petrus de Murga in *tract. de Benefic. quæst. 3. sect. 3. art. 2. n. 114.* Clariss. P. Wiestner *ad*
6 *h. t. n. 1. Strictissima* significatio est, quâ per Electionem intelligitur sola assumptio personæ idoneæ ad Prælaturam Ecclesiasticam viduatam & vacantem, per suffragia Collegii facta. Authores citati. Rota Rom. in *recent. p. 4. to. 2. decis. 312. n. 39.* In hac

§. II.

Quid Rei sit Electio?

Electio ex communi definitione describitur,
7 quòd sit assumptio personæ idoneæ ad Prælaturam Ecclesiæ viduatæ per eos, qui jus suffragii habent, Canonicè facta.

8 Dixi I. *assumptio.* Ut subnecterem genus, seu rationem communem, in qua Electio cum aliis acquirendi modis convenit. Authores quidam utuntur vocabulô *vocationis*; aliqui vocabulô *provisionis*; nonnulli vocabulô *promotionis*. Sed differunt in solo vocabulo; re ipsâ consentiunt: præterquàm quòd *promotio*, ex opinione Illustr. D. Christiani ab Ising *p. m.* in *tract. politico-Jurid. de Promot. honor. cap. 1. n. 6.* minùs convenienter Electioni adaptetur: cùm Electio de summis plerumque dignitatibus & beneficiis; promotio verò tantum de ministeriis, ad Superiorum obsequium institutis, capiatur.

Dixi II. *personæ*, in numero videlicèt singulari, 9
non plurali. Sic enim Electionem à Nominatione vel Præsentatione distinxi: cùm per Electionem una duntaxat persona; per Nominationem vel Præsentationem autem duæ vel plures assumantur *cap. quòd autem 5. cap. cum autem 24. de Jure Patronat.* Fagnanus in *cap. bonæ memoriæ de Postulat. n. 68. & seq.* Layman in *quæst. Canon. de Prælat. Ecclesiast. Elect. cap. 2. q. 14. & 16.* Clariss. D. Joannes Georg. Spengler in *dissertat. de Processu Canon. Elect. cap. 1. n. 9. & 10.*

Dixi III. *idoneæ.* Quâ notâ Electio discrimina- 10
tur à Postulatione: dum per hanc persona minùs idonea, hoc est, impedimentô Canonicô ligata; per istam persona idonea, id est, omni impedimentô libera, ad solium Ecclesiasticum evehitur. Clarissi. D. Collega Franciscus Ignatius de Wolleren *Quæst. Oenipont. 5. n. 4.* ubi plures alias differentias Electionem inter & Postulationem adornat.

Dixi IV. *ad Prælaturam Ecclesiæ viduatæ.* Ut re- 11
peterem, quòd juxta *n. 7.* Electio in strictissima significatione solùm habeat locum in Prælaturis & Ecclesiis, quarum Rectores sunt sponsi, vel quasi-matrimonium spirituale vel quasi habentes, adeò ut post illorum obitum Ecclesia instar viduæ suô sponsô orbata censeatur per *cap. ne pro defectu 41. h. t. in princ.* ibi: *ne pro defectu pastoris gregem dominicum lupus rapax invadat, aut in facultatibus suis Ecclesia* NB. *Viduata grave dispendium patiatur &c.* Eruditè Gonzalez ad *d. cap. in not. n. 2.* Unde in solis Ec- 12
clesiis Cathedralibus & Regularibus, quarum Superiores Jurisdictionem Ordinariam in subditos suos adepti sunt, ac cum Ecclesiis spirituale matrimonium vel quasi contrahere noscuntur *d. cap. ne pro defectu*, ibi: *ultra tres menses Cathedralis Ecclesia vel Regularis Prælatô non vacet &c.* locum invenit Sylvester *V. Electio 2. n. 2. & 3.*

Quòd si in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus 13
Præpositi vel Decani per Electionem assumantur, erit Electio in strictiori significatione, nec præscripta de Electione cum omnimodo rigore servari debebunt. P. Pirhing ad *h. t. n. 1.* P. Petrus de Murga *cit. loc. n. 115. & seq.* Clariss. P. Wiestner *ib. num. 4.* Reverendiss. D. D. Guetrath, in *Porta Honoris cap. 1. §. 1. n. 14.* Rota Rom. in *rec. p. 6. dec. 289. n. 38. dec. 244. num. ult.* Quòd si etiam contingat, ut, vivente 14
Prælatô, quispiam in Coadjutorem cum spe certæ successionis eligatur; neque tunc Electionis forma accuratè debet attendi: dependet enim admissio hujusmodi Coadjutoris à Gratia S. Pontificis, qui solum Capituli consensum non alium in finem exposcit, nisi ut certificetur de animo & effectu Capitularium, uti discurrit Card. de Luca de *Regular. disc. 53. n. 14.*

Dixi V. *per eos.* Ubi subjectum activum Electio- 15
nis (seu Electores) assignatur; & simul indicatur, Electionem, velut actum Universitatis, non posse celebrari nisi vel per plures, Universitatem constituentes; vel saltem per unum, per quem Universitas repræsentatur *arg. cap. cùm in cunctis 1. de his quæ fiunt à majori part. Capit. cap. cùm olim 12. in fin. de Sentent. & re judic. cap. quia propter 42. h. t.* ibi: *aliquibus viris idoneis committantur &c.* D. Guetrather *cit. l. n. 8.*

Dixi VI. *qui jus suffragii habent*, intellige activi. 16
Nam ad hoc, ut Electio ritè peragatur, non sufficit, aliquem esse de Collegio vel Ecclesia viduata; sed insuper requiritur, ut actu vocem activam & facultatem eligendi habeat, prout in *seq. Sect.* paulò largiùs explicabitur.

Dixi VII. *Canonicè facta*, quod idem est, ac juxta 17
formam

formam & normam, à SS. Canonibua præscriptam, de qua plura in *Sect.* 4.

§. III.

Cuinam Juri suam originem Electio debeat?

Sive, ut aliis terminis hanc quæstionem efferam:
18 utrùm Divinô, an potiùs humanô Jure Electio quoad Prælaturas Ecclesiasticas introducta fuerit? Cujus quæstionis utilitas in eo cernitur, quòd exinde decidi debeat: possitne à Sommo Pontifice Electio vel in totum vel ex parte aboleri? Alii simpliciter affirmant; alii simpliciter negant. Ego distinguendum æstimo inter Summum Pontificatum, & Prælaturas inferiores, &

19 Dico I. Electio respectu Summi Pontificatûs est Jure Divinô introducta. Ita Barbosa *I. E.V. lib.* 1. *num.*41. Passerinus *de Elect. cap.*1.*quæst.*1. *num.*13. Fagnanus in *cap. accepimus* 5. *de Pact. à n.* 29. D. Guetrather *cit. l.* §. 2. *n.* 5. Inclinat in hanc sententiam D. Collega de Wolleren *Quæst. Salisburgens.* 6. *sect.*1. *n.*14.;contra Duvalium, Bonacinam, Turrianum,& plures,quos nominat Barbosa *cit.l. n.*39.

20 Probatur I. Summus Pontificatus quoad primævam sui institutionem est Juris Divini. Ergo etiam medium & modus ad Summum Pontificatum ascendendi est Juris Divini. Anteced. supponitur à Catholicis; docetur in Scriptura *Matth.*16. & *Joan.*21. traditur à SS. Canonibus in *cap. si Romanorum* 1. *cap. sic omnes* 2.*cap. enim verò* 4. *Dist.*19.*cap.in novo* 2. *cap. quamvis* 3. *Dist.* 21. *cap. omnes* 1. *cap. sacrosancta* 2. *Dist.* 22. *cap. cùm ad verum* 6. *Dist.* 96. *cap. sollicitæ* 6. §. *præterea de M.& O. Extrav. unam*
21 *sanctam* 1. *eôd. inter commun.* Conseq. patet: quia, institutô Pontificatu Sommô, tanquàm fine, dubiô procul etiam modum ascendendi ad Pontificatum, tanquàm medium, à DEO institutum esse, credendum est. Jam verò inter modos Petri Cathedram conscendendi non alius erat aptior & rectior, quàm Electio. Ergo Electionem S. Pontificis ipse DEUS ordinavit.

22 Quòd autem aliua modua non fuerit aptior & rectior, sic demonstratur. Neque Collatio neque Adoptio, neque Successio convenit præsenti Ecclesiæ statui. Nam *Collatio* supponit altiorem potestatem, qualis supra Pontificiam in orbe non reperitur *cap. nunc autem* 7. *Dist.*21.*cap. rogamus* 15. *cap. cùm bea-*
23 *tissimus* 16. *XXIV. q.* 1. Supponit quoque in conferente jus, quod per collationem transferendum est; cùm tamen in S. Pontificem non ab homine,sed DEO Jurisdictio conferatur *cap. in nomine* 1. *Dist.* 23. *cap.*
24 *licèt* 6. *in fine h. t. cap. novit.*13. *de Judic.* *Adoptio*, præterquàm quòd naturam hæreditariæ successionis habere videatur; insuper in Papatu nequit ex eo procedere, quia sic fieri deberet à Pontifice vivente, vel ut adoptatua in consortium Potestatis admitteretur; vel ut mortuo demum Pontifici, Coadjutoris instar, succederet. Atqui ejosdem Ecclesiæ duo Supremi Pastores esse nequeunt, uti nec duo ejusdem Regni Regea; nec duo ejusdem Firmamenti
25 Soles. Jurisdictio quoque Pontificis, cùm in persona ipsius radicata sit, nequit ab ipso in successorem transferri per *cap. ubi periculum* 3. *de Elect. in* 6. *Clem. ne Romani* 2. *in princ. eôd.* Alioquin non à DEO, sed homine proveniret contra *d. cap. novit* 13.*de Judic.* & textum in *cap. plerique* 5.*VIII.q.*1.ubi Patres in Synodo Romana substitutiones & adoptiones Sacerdotum propterea damnâsse referuntur,
26 quia, *quæ DEI sunt, ab homine dari non possunt.* *Successio* denique, cùm puritati & continentiæ Clericali, ad nostra usque tempora in Hierarchia Ecclesiastica continuatæ, repugnet; neque *sanguini principatus in populos, sed vita deferendus sit cap. Moyses* 6. *d.* *VIII. q.* 11. sanè non tantùm à Summo Sacerdotio, verùm etiam ab inferioribus ministeriis procul arcenda est, ne, quod in Synodo Romana sub Hilario PP. conscripti quondam deplorârunt, rursus eveniat, ut *Episcopatum, qui non nisi meritis præcedentibus datur, non Divinum munus, sed hæreditarium esse compendium*, existimetur, &, *sicuti res caducas atque mortales, ita Sacerdotium velut legatariô aut testamentariô jure posse dimitti*, credatur. Confer Gonzalez ad *cap. ut nullus de Clero* 1. *de Præbend. nu.* 5. & 16. Cùm ergo nullus alius modus inveniatur, per quem ad apicem Romanæ Ecclesiæ quis sublimetur, quàm Electio, illa creditur à DEO fuisse præcepta.

Promovetur & confirmatur argumentum. Non 27
est salubrior, utilior, & suavior via ad Ecclesiasticum Principatum, Electione. Nam imprimis, ut sapienter olim Imperator Galba perôravit: *generari & nasci à Principibus fortuitum; nec ultra æstimatur: adoptandi* (eligendi) *judicium integrum; &, si velis eligere, consensu monstratur.* Tacitus *lib.* 1. *histor. cap.* 16. Quoties enim accidit, ut Heroum filii sint noxæ, atque ex Antonio Imperatore Philosopho filius planè Reipublicæ incommodus Commodus; aut ex Sapientissimo quôdam Carolo ignavus aliquis Wenceslaus nascatur? Clariss. D. de Wolleren
*d.l.n.*10. Deinde Electio magis eligentibus, & eli- 28
gentes electo conciliat, dum plerumque ardentiùs diligimus, quod ipsimet liberè seligimus; ac gratior est pastor, qui non invitis, sed volentibus ovibus constituitur. Ut verè dixerit Plinius *panegyr. cap.* 7. *imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus.* Ergo non aliam, quàm Electionis, viam ad Apostolatûs culmen parâsse, Divina Sapientia credenda est, utpote quæ aliàs omnia non tantùm *fortiter*, sed & *suaviter* disponit.

Probatur II. Quod ab excessu D. Petri ad no- 29
stra usque tempora sanctissimè servavit Ecclesia, id non humanô ingeniô, sed Divinô judiciô ordinatum esse, piè credendum est: continuata quippe tot sæculorum observantia vim traditionis, aut (si lubet clariùs dicere) vim habet promulgationis, quâ Lex anterior & antiquior fit omnibus palam: quódve non minùs Verbum DEI Traditum, quàm scriptum retinendum & credendum sit, non ita pridem pluribus & exquisitis argumentis contra Sectarios ostendit Clariss. D. P. Cœlestinus Pley in *Basi Universæ*
*Theol. part.*2. *quæst. prælim. per tot.* Sed ab excessu 30
D. Petri ex hoc mundo ad cœlestem patriam nullum alium modum in designando Supremo Capite observavit Ecclesia, quam Electionem, prout testes omni exceptione superiores affirmant Barbosa *cit. lib.*1.*num.*38. Gonzalez ad *cap. licèt* 6. *h. t. n.* 11. & 12. & plurimi, ab his relati. Ergo piè credendum est, hunc morem non ab Ecclesia primitus inventum, sed à Divino dictamine ordinatum fuisse.

Objicies I. Quod in Sacris paginis non extat 31
scriptum, non est Jure Divinô præceptum. Sed Electio S. Pontificis non extat in Sacris paginis scripta. Ergo &c.

Resp. I. hoc argumentum non esse Catholicum: 32
quia, quæ tradita sunt ab Ecclesia, etiam pro Divinis præceptis agnoscenda sunt, uti nuperrimè notavi in *tract.*1. *de Jure Legali cap.*3. *n.* 52. & *cit. loc.* demonstrat laudatus Clariss. D. P. Pley.

Resp. II. licèt directè non habeatur scriptum in 33
Evangelio, quòd visibile Caput Ecclesiæ per Electionem sit nominandum; haberi tamen indirectè & per evidentem consequentiam. Dum enim ex *n.* 20. primatum Ecclesiæ in Petro & illius successoribus fundavit Increata & Incarnata DEI Sapientia, debuit quoque determinare medium, quô primatus ille per non interruptam Pontificum succes-

fionem

sionem stabiliatur. Hoc autem medium ex *n.*22. est Electio, utpote quæ statui Ecclesiæ conformior, utilior, & acceptior est. Ergo &c.

34 Objicies II. Quod in Veteri Lege servatum est, figura erat illius, quod in Lege Nova servandum est. Atqui in Lege Veteri Sacerdotium hæreditariô jure ex Aaron ad filios ejus, & cæteros descendentes, deferebatur, juxta illud *Exodi* 19. ℣. 24. *Aaron & filios ejus applicabis*; & illud *Levitici cap.* 1. ℣.8. *& disponent filii Aaron*; item *cap* 3. ℣.8. *adolebunt filii Aaron.* Ergo etiam in Lege Nova.

35 Resp. I. Moysen fuisse Sacerdotali munere functum juxta *Psalmum* 98. ℣. 6. ibi: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus*; imò juxta D. Nazianzenum *Or.n.*22. Sacerdotem Sacerdotum fuisse: quippe qui Aaronem & filios ejus in Sacerdotes inauguravit, ut patet ex *cap.*29. *Exodi*: & tamen Sacerdotium in posteritatem Moysis jure successionis non esse translatum, ut constat ex *Levit. cap.* 3. & quæ ibidem ad ℣. 1. *col.*1. *lit. B.* notat Cornelius à Lapide. Ergo, si argumentum ex antiquo Testamento ad Novum formare licet, inferre licebit, Sacerdotium Summum jure sanguinis non esse deferendum.

36 Resp. II. cum Gonzalez *cit. ad cap.*1. *de Præbend. num.* 11. multùm interesse inter Sacerdotium Legis Gratiæ & Legis Veteris: nam Vetus ille DEI populus nullô aliô signô, quàm sanguinis, agnoscebatur: solùm enim adscribebantur sub dominica militia, qui ex Jacob originem ducebant: in populo autem novo non sanguis militem Christi designat, sed sinè ulla personarum acceptione omnes mundi nationes per baptismum Christi regenerantur: quô sensu D. Paulus ad *Galat.*3. ℣. 28. scripsit: *non est Judæus ne-*
37 *que Græcus.* Inde in Lege Veteri Sacerdotes uxores & filios habebant, ad quos Sacerdotium jure sanguinis transmittebatur. In nostra autem Lege Gratiæ nihil carnale Sacerdotibus permittitur: ideò Electio potiùs quàm successio admissa fuit. Hactenùs ferè Gonzalez. Adde, in Testamento Novo perfectiora & expeditiora præcepta à DEO fuisse condita, quàm in antiquo: ideò nil mirum esse, quòd jam Electio vigeat in Ecclesia; licèt olim successio invaluerit in Synagoga.

38 Objicies III. Adoptio ad Summum Ecclesiæ Præsulatum jam semel obtinuit, & jure quidem: nam à S. Petro D. Clementem adoptatum fuisse, ac pro Successore destinatum, refert & probat Joannes III. in *cap. si Petrus* 1. *VIII. q.* 1. Ergo hodiedum fieri poterit: cùm nemo meliùs sciverit, quâ ratione assumptio S. Pontificis celebranda sit, quàm primus ab ipso DEO constitutus Pontifex, Petrus.

39 Resp. I. ingens adhuc dubium versari: sitne epistola Joannis III. quam in *cit. cap. si Petrus* recitat Gratianus, ab ipsômet Joanne, vel apocryphâ manu conscripta? Dubium quoque inter ipsos SS. Patres haberi: an Clemens immediatè Petro, an verò Linus Petro, Lino Cletus, Cleto primùm Clemens successerit, juxta notum Versiculum Glossæ in *cit. cap. si Petrus* §. *Clementem.*

Disputat hic mundus, quartus, fueritve secundus.

40 Ecclesia tamen Catholica cum D. Augustino, Milevitano, Ignatio, Irenæo, Eusebio, Nicephoro, &c. huc usque sensit, ac Clementem quartum à B. Petro Pontificem extitisse, credidit, dum in Canone Missæ Clementem post Linum & Cletum recenset. Conferantur Barbosa in *collectan.ad cit. cap. si Petrus* & Gonzalez ad *cit. cap.* 1. *de Præbend. n.* 16.

41 Resp. II. si factum Petri ita habeat, ut asseritur, id nec improbandum, nec imitandum esse: quandoquidem singulari Divinæ inspirationis impulsu motus, non suâ authoritate, sed Numinis voluntate Clementem sui Officii hæredem nuncupavit: aliàs sinè Cœtus Apostolici consensu non deputaturus Pontificem, qui nequidem absque consensu Apostolorum Sanctum Matthiam in Collegium Apostolorum recepit. Glossa in *cap. si transitus* 10. ℣. *non possit Dist.* 79. Gonzalez *cit. l.*

42 Resp. III. denominationem, quam Apostolorum Princeps fecisse dicitur, non tam substitutionis quàm commendationis nomen mereri, adeò ut D. Petrus, quem Spiritu sanctô plenum sciebant universi fideles, de successore sibi denominandô quæsitus, nullum digniorem & aptiorem esse responderit, Sanctô Clemente; qui, licèt ad excellens Petri testimonium à Clero & populo expetitus fuerit, attamen vel demissionis servandæ, vel sequioris existimationis evitandæ studiô, noluit in sui Electionem consentire. P. Wiestner ad *h. t. n.* 348. cum Authoribus, anteà relatis.

43 Dico II. Electio, quoad Prælaturas Papatu inferiores, Juri Ecclesiastico suam originem debet. Passerinus *cit.cap* 1.*q.*1. *num.* 15. Fagnanus ad *cap.nullus* 1. *h. t. num.*13. D. Guetratber *d.cap.*1. §.2.*n.* 16. cum sententia communissima contra Ferretum *cons.* 305. *nu.* 9. Ratio est I. quia, præter Ecclesiam Romanam, nulla immediatè à DEO, sed omnes à SS. Pontificibus erectæ, & confirmatæ sunt *cap. omnes* 1. *Dist.*22. *cap. urbes* 1. *Dist.*80. *cap. provinciæ* 1. *Dist.* 99. *cap. cum ex illo* 1. *de Translat. Episc. cap. sicut unire* 8. *de Excess. Prælat.* Ergo etiam modus providendi hujuscemodi Ecclesiis à SS. Pontificibus est introductus: sicut enim ab eorum arbitrio pendebat, ipsas Ecclesias instituere, ita & modum providendi determinare.

44 Ratio est II. quia in Regimine Monarchico, quale est Ecclesiasticum, creatio Magistratuum, est unum ex Regalibus majoribus, ad solum Summum Principem spectantibus. Illustr. D. ab Ifing. *laud. tract. de promot. honor. cap.*2.*n.*1. Clariss. D. Joannes Balthasar Braun *tractat. de Magistratu cap.* 4. §. 1. *num.* 1. Besoldus de *Jur. Majest. cap.*3. Atqui assumptio Prælatorum ad Ecclesiasticas Dignitates est creatio Magistratuum, seu Judicum, ordinariâ potestate Ecclesiasticâ fulgentium. Ergo ad solum Summum Principem Ecclesiasticum pertinet.

45 Ratio est III. quia à prima exsurgentis Ecclesiæ ætate, ad præsens usque sæculum, Ecclesiis, Romanâ inferioribus, diversâ omninò ratione & formâ provisum est, modò liberâ S. Pontificis Collatione; jam Regum & Principum Nominatione; subinde vel solius Cleri, vel Cleri & populi Electione; veluti in sequentibus dilucidabitur. Ergo, quòd hoc vel illô modô, Collatione, Nominatione, vel Electione quis evehatur ad Prælaturas Ecclesiasticas, Juri Ecclesiastico debet adscribi. Ex quo

46 Colliges: Reservationes, quas circa Beneficia & Dignitates Ecclesiasticas diversi fecêre Pontifices, neutiquam potestati Pontificiæ repugnare: cùm, ut dictum, ratio & forma providendi Juri Ecclesiastico, ejusque Conditori tribuenda sit.

SECTIO II.

De Electoribus.

SUMMARIA.

47. *Electionis status olim diversus erat.* 48. *& seqq. Admittebatur populus.* 52. *& seqq. Per modum optantis aut nominantis.* 58. *& seq. Posteà non ampliùs ex gravibus causis admissus.* 60. *Eligebant Clerici & Religiosi.* 61. *Rursus Clerici suos, & Religiosi suos eligebant Prælatos.* 62. *& seq. De tempore,*

quò populus ab Electione fuit exclusus, DD. non conveniunt. 66. *& seqq. Electio de hodierno Jure competit Ecclesia viduatæ Capitulis.* 68. *Ex privilegio Pontificis etiam Laici possunt eligere.* 69. *& seq. Ex præscriptione Clerici extranei.* 71. *Uti etiam ex consuetudine.* 72. *& seqq. Nec non speciali & unanimi concessione Capituli.* 79. *& seq. Pro una vel altera vice.* 81. *& seq. Item ex fundatione.* 83. *& seqq. Aliqui possunt eligere jure devoluto.* 86. *& seqq. Ubi non totum Capitulum admisit culpam aut negligentiam, pars innocens, etiam minor, eligit.* 90. *& seqq. Si verò totum Capitulum sit culposum aut impeditum, jus eligendi devolvitur ad immediatum Superiorem.* 93. *& seqq. Explicatur* cap. 18. h. t. in 6. *& concordatur cum* cap. 12. de Concess. præb. 96. *In Ecclesiis Cathedralibus & exemptis hodie devolvitur ad S. Pontificem.* 97. *& seqq. Electio post casum devolutionis est irrita.* 100. *& seqq. Absentes possunt procuratorem ex Capitulo deputare.* 104. *& seq. Si legitimè sint impediti.* 106. *& seq. Et quidem unum aut plures.* 108. *& seqq. Procurator mandati fines diligenter custodire tenetur in consignando voto.* 111. *& seq. Generalis non potest subdelegare, sed specialis.* 113. *Ille potest compromittere, non iste.* 114. *Ille, non iste, variare potest.* 116. *& seq. Non revocatur mandatum in effectu, nisi procurator habuerit notitiam.* 118. *& seqq. Votum ab absente potest dari in literis, non autem per literas.* 122. *& seqq. Si per collusionem præsentes nolint agere procuratorem, absentes impugnare possunt Electionem.* 124. *Procurator indiget speciali mandatô ad jurandum.* 125. *& seqq. Discutitur quæstio, an Procurator generalis possit eligere suum principalem?* 129. *& seqq. Aliqui prohibentur eligere propter carentiam rationis.* 132. *Morbum.* 133. *Ætatem.* 134. *& seqq. Defectum Ordinis Subdiaconatûs.* 140. *& seqq Excommunicationem majorem.* 145. *& seqq. Suspensionem ab Officio vel interdictum personale.* 149. *& seq. Ubi tamen observanda Extravag. Martini V.* 151. *& seqq. Irregularitas non ponit impedimentum.* 154. *& seqq. Sed abusus potestatis sæcularis.* 158. *Et infamia Juris.* 159. *De aliis impedimentis remissivè.* 160. *& seqq. Disquiritur, an & quando privatio vocis activa propter delictum ab Electione repellat?* 163. *& seqq. Ostenditur, quòd is, qui in quasi-possessione juris eligendi existit, non possit excludi, lite pendente.* 173. *& seqq. Ventilatur quæstio, an & quando valeat Electio, simul ab habilibus & inhabilibus celebrata?*

§. I.

Quibus ordinariò Jure facultas eligendi competat?

47 Diximus in *num.* 13. Electionem esse actum Universitatis; adeóque causam efficientem, seu Electores, tacitè insinuavimus, quòd nempe Electionem faciant, seu jus eligendi habeant, qui sunt de Universitate vel Collegio, in quo & pro quo facienda est Electio. Quia verò pro temporum varietate variis personis eligendi facultas erat indulta, juvat rem altiùs repetere, ac tempora inter se distinguere, ne aut confusio in Ecclesiis fuisse, aut injuria cuipiam irrogata videatur. Itaque

48 Primis Ecclesiæ sæculis, posteàquam Apostoli terram Cœlo commutaverant, Ecclesiæ Prælatorum Electionibus æquè Clerus ac populus intererat. Probant hoc Eminentissimus Cardinalis Sfondrati in *prælud. ad Regale Sacerdot.* §. 1. *num.* 13. Gonzalez ad *cap. Osius* 2. *h. t. n.*8. Franciscus de Roye *Inst. Jur. Can. lib.*1. *tit.*11. Clariss. D. Joannes Georgius Spengler *tot. cap.* 2. ex multifariis Conciliis & PP.
Probant frequentes & luculenti textus in *cap. plebs*
11. *cap. Episcopos* 13. *cap. lectus* 18. *cap. Metropoli-*
tano 19. & passim *Dist.* 63. Probant variæ con- 49
gruentiæ; quarum prima: quòd populi non parum
intersit, habere Pastorem, quem ipsemet elegerit:
cùm ex *cap. quod omnes* 29. *de R. J. in* 6. quod om-
nes tangit, ab omnibus approbari oporteat. Se- 50
cunda: quòd major affectus inter oves & Pastorem
excitari non possit, nisi & ovium & Pastoris mutua
voluntas in munus Pastorale concurrat: cùm ea,
quæ non ipsimet eligimus vel ordinamus, non facilè
amemus. Tertia: quia summoperè expedit, eli- 51
gendorum vitam esse probatam populo, ne officiô
censeat indignum, cujus merita discutere non po-
tuit. Unde Apostolus in Episcopo non frustra de-
sideravit, ut *habeat testimonium bonum ab iis, qui*
foris sunt. 1. *ad Timoth.* 3.

Putant equidem Vasquez, Bellarminus, Rousse- 52
lius, Diana, quos refert Gonzalez *cit. l. num.* 11.
populo tunc temporis pariformiter, atque Clericis,
eligendi jus competiisse: eò quòd textus in citatis
capp. & aliis locis de Clericorum & Laicorum ad
Electionem concursu pari stylô & tenore loquantur.
Verius tamen cum eodem Gonzalez, Cardinale 53
Sfondrati *cit. n.* 13. *pag. m.* 88. Barbosa *J. E. V. lib.*
1. *cap.* 8. *n.* 56. Francisco de Roye *Instit. Juris Can.*
d. lib. 1. *tit.* 11. judico, diversimodè Electionem
penes Laicos & Clericos extitisse, ita ut illis peti-
tio, postulatio, vel præsentatio; illis Electio, op-
tio, & confirmatio competierit. Idque constat 54
apertè I. ex *cap. nulla ratio* 1. *Dist.* 62. ubi Leo Papa,
nulla ratio, inquit, *sinit, ut inter Episcopos habean-*
tur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus
expetiti, nec à provincialibus Episcopis cum Metro-
palitani judicio consecrati. II. ex *cap. nosse* 12. *Dist.* 55
63. ubi Stephanus, *Sacerdotum est*, ait, *Electio*; &
fidelis populi consensus adhibendus est, quia docen-
dus est populus, non sequendus. III. ex *cap. vota* 27. 56
eâd. Dist. ubi rursus Leo asserit: *vota civium, te-*
stimonia popularum, honoratorum arbitrium, Electio
Clericorum in ordinationibus Sacerdotum exspectatur.

Neque movere debet in adversam partem, quòd 57
textus in *num.* 48. æqualiter de Clericorum & Laicorum concursu ad Electionem disserant. Nam etiam in Scriptura legimus, Pilatum, Turbas, Sacerdotes, & Milites Christum affixisse cruci, qui tamen eôdem omnes modô crucifixisse feruntur. Ergo, tametsi in illis textibus reperiatur, quòd & Laici & Clerici ad Electionem convenerint, non tamen infertur, quòd eôdem omnes modò, sed juxta *num.* 53. Clerici per Electionem in sensu strictiori; Laici verò in sensu latiori.

Successerunt tempora, quibus populus ab Ele- 58
ctione removeri cœpit, partim consuetudine, par-
tim expressis Legibus, cùm Civilibus in *l. omnem*
adhibentes 42. *in pr. &* §. 8. *Cod. de Episcop. & Cleric.*
Nov. 123. *cap.* 1. *& Nov.* 137. *cap.* 2. tum Ecclesiasti-
cis *cap. Osius* 2. *cap. sacrosancta* 51. *cap. Messana* 56.
h. t. Et hoc ex multiplici ratione contigit. I. quia, 59
fidelium auctô numerô, totus populus absque grandi difficultate & tumultu vix poterat convocari. II. quia discordiis ac partium studiis usque ad rixas & bellum cædesque non semel scindebatur. III. quia vota pleromque ex favore & affectu, non merito & virtute, conferebat. IV. quia potentiorum, qui Episcopatus aut sibi, aut suis affectabant, metu & præmiis facilè vincebatur; nec tam eligebat, quàm vendebat. Denique quia judicium volgi inconstans & varium; & ideò vanæ populi voces non merentur audiri per textum opportunum in *l. ad bestias* 31. *ff. de Pœn. l. decurionum* 12. §. 1. *Cod.* eôd. Cardinalis Sfondrati *cit.* §. 1. *n.* 13. *pag.* 91.

Eadem

60 Eâdem tempestate potestas eligendi Episcopos
aliquamdiu penes Clericos & Religiosos totius
Diœcesis erat, ac Electio, exclusis Religiosis, in-
stituta non valebat *cap. obeuntibus* 35. *Dist.* 63.
61 Barbosa *cit. l. n.*68. Gonzalez *ubi supra n.* 9. Posteà
Clerici à Religiosis separati sunt: hisque facultas
eligendi suos Regulares Superiores; illis (& qui-
dem solis Canonicis Ecclesiæ Cathedralis) libertas
eligendi Episcopos indulta est *cap. Abbas* 2. *cap.*
Abbatem 3. *cap. Abbatem* 4. *XVIII. q.* 2. *cap. nullus*
in Ecclesia 1. *cap. cùm inter* 18. *h. t. cap. cùm Ec-*
clesia Sutrina 3. *de Causa possess. & propriet.*
62 Quônam verò sæculô jus eligendi Laicis adem-
ptum, & in solos Clericos translatum sit? Autho-
res non conveniunt. Barbosa *cit. cap.* 8. *num.* 67.
opinatur, id circa annum salutis 340. (quod tamen
anno 347. habitum asserit Bail. in *Summa Concilior.*
*tom.*1.*pag.*182.) in Sardicensi Concilio sub Julio I.
factum esse, prout innuere videtur textus in *d. cap.*
63 *Osius* 2. *h. t.* Alii ex adverso docent, Clerum ac
populum Electionibus Episcoporum in Ecclesiis Oc-
cidentalibus adhuc sæculô undecimô interfuisse;
idque deducunt ex *lib.* 5. *Epistol.* 8. Gregorii VII.
in qua præter alia, contra Episcopum Aurelianen-
sem allegata obstacula, recensetur, quòd *legitimam*
ætatem non habens, contra Decreta Sanctorum Pa-
trum, sinè idonea Cleri & populi Electione Ecclesiam
invaserit. Id ipsum ex *Epist.* D. Bernardi 13. & 27.
eruere conantur, quòd nempe sæculô duodecimô
etiamnum in usu fuerint Electiones, cum assensu ple-
bis celebratæ.
64 Forsassis hoc dissidium, facta distinctione inter
Jus commune & particulare, scriptum & non-scri-
ptum, componi potest, dicendô: Electionem Jure
communi primitus circa quartum sæculum populo
fuisse prohibitam; Jure tamen particulari vel non-
scriptô penes populum in uno vel altero loco re-
mansisse, aut jam ablatam postmodum ad unum
vel plures, maximè Principes & Magnates, rediisse:
quandoquidem memoratus Gregorius VII. in Syno-
do Romana circa annum 1078. usurpationem Lai-
corum in conferendis Prælaturis Ecclesiasticis seve-
rissimè perstrinxit & præscripsit, veluti refertur in
cap. si quis 12. *XVI. q.* 7. Pax Jordan *Elucubrat.*
*divers. lib.*1. *tit.*1. *n.*6.
65 Posthæc Summi Pontifices jus eligendi ex moti-
vis urgentibus ad se trahere, ac plerasque Præla-
turas liberæ suæ collationi reservare cœperunt, uti
videre est in *Clement. in plerisque* 5. *h. t. Extra-*
vag. Sancta Romana 3. & *Extravag. ex debito* 4.
inter comm. Extravag. ad regimen 13. *de præ-*
bend. inter commun. & sparsim in *Regulis Can-*
cellariæ. Inde in pluribus Regnis varii tractatus
cum S. Pontifice; & in Germania specialia Concor-
data à Friderico III. Imperatore cum Nicolao V.
Anno 1447. intercessêre, quibus libera potestas eli-
gendi Capitulis Ecclesiarum vacantium restituta
fuit, manente tamen adhuc aliquâ reservatione pe-
nes Pontificem, sicut in particularibus locis suô
tempore notabitur.
66 Itaque in nostra Germania viget libertas Electio-
nis, eaque secundùm Juris Communis sancita com-
petit Capitulis tum Cathedralibus, tum Regulari-
bus, jus Prælaturæ habentibus; adeò ut illi, qui
de Corpore & Capitulo Ecclesiæ viduatæ sunt,
quoad facultatem eligendi suam intentionem in Ju-
re fundatam habeant, ac contrarium asserenti pro-
bandi munus imponant *cap. ult. XVI. q.* 7. *cap. Ab-*
bas 2. *cum* 2. *seqq. XVIII. q.* 2. *cap. cùm Ecclesia*
Sutrina 3. *de Causa possess. & propriet. cap. nullus* 1.
& passim *h. t.* Rota Rom. in *rec. p.* 19. *tom.* 2. *decis.*
67 518. *n.* 7. Cujus ratio est: tum quia, qui de gre-
mio Ecclesiæ vacantis existunt, exactiùs eligendi
merita & noscere & discernere possunt: tum quia
salutem capitis membra ejusdem corporis impensiùs
amant, & ambiunt: tum quia firmior pax & con-
cordia speranda est, si subditi ipsimet Superiorem
sibi adsciscant. Gonzalez ad *d. cap. n.*6. D. Spengler
*dissert. de process. Canon. Elect. cap.*3. *n.*1. P. Wiestner
ad *h. t. n.* 14.

§. II.

Quibus ex jure speciali facultas eligendi detur?

Ex dictis in §. antecedente perspicuum evadit, 68
ordinariô & communi Jure vocem activam, seu po-
testatem eligendi membris Collegii viduati conces-
sam esse. Jure speciali potest Electio competere
aliis extra Collegium I. ex privilegio Summi Ponti-
ficis, qui sinè dubio & ipsos Laicos ad eligendum
habiles efficere potest. P. Engel ad *h. t. n.* 4.
II. Ex Præscriptione non quidem à Laicis (hi si- 69
quidem, jurium spiritualium hodiernô Jure incapa-
ces redditi, præscribere nequeunt, quod possidere
non possunt, argumentô eorum, quæ in *tract. II.*
de Præscr. cap. 4. *à n.*386. de jure decimandi scripta
sunt) sed à Clericis per tempus 40. annorum legiti-
mè continuatâ, juxta decisa in *d. tract. cap.* 5. *n.* 587.
Quamquàm inficias non iverim, Laicos in quasi- 70
possessione juris eligendi defendendos esse, si à tem-
pore immemoriali Electionibus cum effectu adstite-
runt per ea, quæ *d. cap.* 4. *à n.* 405. de jure deci-
mandi habentur.
III. Ex Consuetudine, quando v. g. in aliqua 71
provincia diuturnis moribus est observatum, ut E-
piscopi Prælatorum Regularium Electionibus, aut
Prælati Regulares Episcoporum Electionibus cum
voto activo præsentes fuerint: talis enim observan-
tia jus Consuetudinarium operatur *arg. cap. cùm di-*
lectus 8. *de Consuetud.* & *cap. cum Ecclesia Sutrina*
3. *de Causa possess. & propriet.*
IV. Ex speciali Concessione. Enimverò, si totum 72
Capitulum unanimiter consentiat, potest aliquis ex-
traneus Clericus ad coëligendum admitti. Textus
manifestus in *cap. scriptum est* 40. *h. t.* ibi: *si consti-*
terit, mutuô convenisse consensu, quòd ad electionem
Patriarchæ septem admitterentur Præpositi &c. Item
in *d. cap. cùm dilectus* & *cap. cùm Ecclesia &c.* Pa-
normitanus, perperam in contrarium allegatus *in cit.*
cap. cùm Ecclesia nu. 43. ℣. *tertia solutio &c.* Lay-
mann *Quæst. Canonic. de Elect. q.* 19. *resp.* 3. Engel
ad *h. t. num.* 1. ℣. *III. ex unanimi &c.* Pirhing *ibid.*
n. 14. D. Spengler *cit. cap.* 3. *n.* 2. Ratio est par- 73
tim: quia extraneorum ad Electionem concursus
neque Ecclesiæ vacanti parat offendiculum, utpo-
te cui magis expedit, plures habere electores, dum
magis integrum est judicium, quod plurium voci-
bus constat; neque Capitulo illius Ecclesiæ præju-
dicium imponit, cùm volenti & consentienti non
fiat injuria: partim quia Capitularibus expressè 74
indultum est, quòd compromittere possint in extra-
neos *cap. causam, quæ* 8. *h. t.* Ut adeò non appa-
reat ratio, cur extraneos ad coëligendum assumere
nequeant.
Dissentit Passerinus *de Elect. cap.* 3. *q.* 2. *num.* 34. 75
& cum eo P. Petrus Leurenius in *Foro Benefic. part.*
2. *Sect.* 2. *cap.* 2. *q.* 245. unicâ ratione motus, quòd
jus eligendi ipsis Capitularibus non nisi ex consensu
Papæ competat, nullique alteri competere possit,
nisi cui Papa id concesserit. Sed infirma est hæc 76
ratio. Nam eligendi jus à Summo Pontifice non ita
Capitularibus est concessum, ut soli ipsi utantur,
sed ita, ut & ipsi eligant, &, si voluerint, alios ad-
mittere possint, per textus & rationes citatas. Ma- 77
jor forsitan ratio in oppositum staret ex eo, quòd
juxta dicenda in *num.* 388. non admittantur scruta-

tores extranei. Sed disparitatem suggerit Rota Rom. in *rec. p. 4. tom. 3. dec. 574. num.* 25. quòd Electores extranei censeantur esse de Collegio; non autem scrutatores.

78 Dixi: *unanimi consensu.* Nam ita exigit textus in *cit. cap. scriptum* 40. *h. t.* & ratio: quia, ubi de singulorum interesse agitur, singulorum assensus exquiritur per *cap. quod omnes* 29. *de R. J. in* 6. Hic autem de singulorum interesse agitur; cùm singulorum potestas aliquatenùs restringatur, ac, numerô eligentium auctô, major suffragiorum numerus ad Electionem efflagitetur.

79 Dixi iterum: *pro una vel altera vice.* In perpetuum enim extraneis nequit potestas eligendi concedi, nisi præter assensum Capituli aliæ quoque conditiones, ad alienationem necessariæ, concurrant, ut rectè judicavit Panormit. *cit. loc.* Lay-
80 mann *d. l. q.* 203. Cùm talis concessio sit vera alienatio juris alicujus incorporalis, ad Ecclesiam pertinentis; quæ sinè præscripta Juris forma est prohibita in *cap. hôc consultissimô* 2. *de Reb. Eccles. alienand. in* 6.

81 V. ex Fundatione. Nam, qui fundat Ecclesiam Collegiatam, potest vel alterius Ecclesiæ Prælato, vel extraneis Clericis jus eligendi reservare: quia Sacri Canones non prohibent, sed permittunt ejusmodi reservationes & conditiones, neque bonis moribus neque libertati Ecclesiasticæ adversas *cap. verùm* 4. *de Condition. appos. cap. prætereà* 23. *de Jure Patronat.* Laymann *d. l. q.* 19. *resp.* 4. D. Spen-
82 gler *cit. n.* 2. *in fine.* Sibi ipsi autem Patronus, nisi Ecclesiasticus sit, jus eligendi pacisci vel stipulari nequit, irrequisitô & dissentiente S. Pontifice: quandoquidem non æquè ad jus eligendi quàm præsentandi Laici sunt habilitati, neque habilitari possunt, nisi à S. Pontifice *cap. bene* 1. *Dist.* 96. *cap. si quis* 12. *& plur. seqq. XVI. q.* 7. *cap. sacrosancta* 51. *h. t.* & ibi Gonzalez *n.* 10. Confer, quæ *tract. de Præscript. cap.* 4. *à n.* 169. tradita sunt.

§. III.

Ad quos potestas eligendi jure devolutionis spectet?

83 Ultra modos, in §. priore enumeratos, potest jus eligendi quibusdam competere jure devolutionis. Et I. quidem, si negligentiâ Capitularium tempus trimestre, pro instituenda Electione salubriter ordinatum, effluxerit *cap. ne pro defectu* 41. *h. t.*
84 II. si ex culpa & delicto Capitularium aut forma Electionis observata non sit juxta *cap. quia propter* 42. *eôd. tit.* aut indignus & inhabilis in Prælatum electus *cap. bonæ memoriæ* 23. *d. t. cap. quamquàm* 18. *eôd. in* 6. *cap. gratum gerimus* 2. *de Postulat.*
85 III. si vel nullus de Capitulo Ecclesiæ viduatæ supersit; vel, qui supersunt, qualitatibus, à Jure ad eligendum requisitis, carent. Passerinus de *Elect. cap.* 31. *n.* 34. Pirhing ad *eund. tit. n.* 13. Ad quem autem eligendi jus devolvatur in allatis casibus? Quæstionis est. Ubi distinctionem inter majorem & minorem partem facio, &

86 Dico I. Quando non totum Capitulom, sed pars tantùm, ob negligentiam, culpam, vel inhabilitatem Electionem aut omittit, aut non rectè peragit, eligendi potestas ad partem innocentem & inimpeditam, quantumvis minor sit, imò in unico consistat membro, pro ea vice devolvitor. Textus in *cap. congregato* 53. *h. t. d. cap. gratum* 2. *de Postulat. Prælat.* Rota Romana coram Emerix *dec.* 1254. *n.* 2. *&* 4. Zoësius ad *h. t. n.* 20. Lotterius de *re benefic. lib.* 3. *q.* 17. *n.* 135. D. Guetrather in *porta honoris cap.* 2. §.
87 2. *n.* 6. Ratio est: quia naturaliter & regulariter alteri per alterum iniqua conditio inferri, vel unus alterius odiô prægravari non debet *cap. non debet* 22. *& seq. de R. J. in* 6. Aliàs quoque pro regula 88
ex *cap. nullus* 1. *h. t.* & *l. sicut* 7. §. 2. *ff. quod cujuscunque Universitat. nom.* circumfertur, totam Universitatem illiusque jura in uno conservari.

Id ipsum de toto Capitulo dicendum erit, quòd 89
nempe potestas eligendi penes ipsum remaneat, si non ex illius, sed cujusdam extranei vel alterius culpa vel negligentia contigerit, ut Electio non potuerit intra terminum trimestrem celebrari: censetur enim tunc legitimè impeditum, eique lapsus termini non nocet per *cap. ne pro defectu* 41. *h. t.* Rota *d. l. nu.* 8. *&* 9. & *in recent. p.* 19. *dec.* 313. *n.* 25. *& seq.*

Dico II. Quando totum Capitulum ex negligen- 90
tia, culpa, vel inhabilitate omninò non eligit, aut non rectè, jus eligendi pro illa vice devolvitur regulariter ad proximum Superiorem; cujus videlicèt est, Electionem confirmare. Textus sunt in *d. cap. ne pro defectu cap. si compromissarius* 37. *in pr. eôd. in* 6. Argumentum ducitur ex *cap. licèt Magister* 91
3. *& cap. ult. de supplenda neglig. Prælat.* ex quorum textuum decisione colligitur regula, devolutionem ex casu negligentiæ fieri gradatim, ab inferiore ad immediatum Superiorem; ab Abbate ad Episcopum vel Capitulum Sede vacante; ab Episcopo ad Archi-Episcopum; ab hoc ad S. Pontificem. Passerin. de *Elect. cap.* 31. *q.* 4. *num.* 41. *& seqq.* Gonzalez ad *cit. cap. ult. n.* 15.

Is autem, ad quem Electio devolvitur, juxta te- 92
norem *cit. cap. ne pro defectu*, non debet ultra tres menses Electionem differre, sed DEUM præ oculis habens cum consilio Capituli sui & aliorum virorum prudentum viduatam Ecclesiam de persona idonea, ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonicè ordinare, si canonicam voluerit effugere ultionem. Rota coram Emerix *d. dec.* 1254. *num.* 11. *& seqq.* quia, qui in jus alterius succedit, eôdem utatur, necesse est per *cap. is qui* 46. *de R. J. in* 6. Passerin. de *Elect. d. cap. q.* 5. *n.* 53. Gonzalez ad *cit. cap. ne pro defectu n.* 10. Guetrather *d. cap.* 2. §. 2. *n.* 10.

Dixi: *regulariter.* Nam in Ecclesiis Cathedrali- 93
bus de Jure communi distingui solet & debet, an devolutio fiat ex causa negligentiæ, vel ex culpa, aut formâ non servatâ. Si prius; devolvitur jus eligendi ad Archi-Episcopum, ceu Superiorem immediatum *cap. quamquàm* 18. *h. t. in* 6. Si posterius; ad S. Pontificem devolvitur *d. cap.* Nec contradi- 94
cit *cit. cap. dilectus* 12. *de Concess. præb.* ubi ne quidem in casu negligentiæ jus eligendi in Ecclesiis Cathedralibus ad Archi-Episcopum devolvi statuitur. Nam in eo *cap.* ab Innocentio III. refertur so- 95
la constitutio Alexandri III. Antecessoris sui, edita in Concilio Generali, cujus vigore in Ecclesiis Cathedralibus non poterat negligentia Capituli Cathedralis ab immediato Superiore suppleri: at quia post illam Alexandri constitutionem, ipsemet Innocentius in alio Concilio Generali, relatô in *cap. ne pro defectu* 41. *h. t.* decrevit, ut *ultra tres menses Cathedralis Ecclesia vel Regularis Prælatô non vacet*, &, *si intra hos non fuerit Electio celebrata, eligendi potestas ad eum, qui proximè præesse dignoscitur, devolvatur*: hinc de Jure communi in casu negligentiæ manet Archi-Episcopo jus eligendi salvum & incolume. Gonzalez ad *cit. cap. ne pro defectu n.* 11. *&* 12.

Planè, si Ecclesiæ Cathedrales, aut etiam Colle- 96
giatæ vel Regulares, sint exemptæ, vel Episcopi confirmatio spectet ad Summum Pontificem, sicut in Germania per specialia Concordata, jus providendi & supplendi negligentiam mox ad Summum Pontificem devolvitur per *cap. licèt* 3. *de Suppl. neglig. Prælat. cap. cùm singula* 32. *in f. de Præbend. in* 6. P. Engel ad

ad *h. t. n.* 50. P. Wiestner ad *tit. de supplenda neglig. Prælat. n.* 25. Clariss. P. Schmalzgrueber ad *eund. tit. sub n.* 2.

97 Quæres: utrùm, si Capitulum in casu, quô jus eligendi propter elapsum trimestre ipsò factô devolutum fuit ad Superiorem, statim post trimestre eligat, Electio subsistat?

98 Resp. negativè. Textus perspicuus in *cap. ult. de Supplenda neglig. Prælat.* Abbas *ibid. n.* 11. Barbosa à *num.* 54. Gonzalez *num.* 14. Wiestner ad *eund. tit.* 37. Schmalzgrueber *ibid. num.* 5. Ratio est: quia Electio ab iis, qui jus eligendi non habent, celebrata, nequit subsistere. Atqui Electio, post elapsum trimestre a Capitulo celebrata, ab iis, qui jus eligendi pro illa vice non habebant, est celebrata. Ergo &c.

99 Nec obloquitur textus in *cap. per literas* 4. *d. t.* ubi institutio in beneficiis, post semestre facta, sustinetur. Sustinetur enim non ex jure vel justitia, sed ex gratia Sedis Apostolicæ, cujus consilium Legatus ejusdem S. Sedis expetierat.

§. IV.

Quomodò Electio procuratoriô nomine celebrari possit?

100 Quando Electores sunt absentes, Votum suum per procuratorem in Electione conferre possunt. Pro cujus dilucidatione

Dico I. Absens, & legitimè impeditus, debet
101 unum vel plures procuratores de ipso Capitulo vacantis Ecclesiæ constituere. Ita Bonifacius VIII.
102 in *cap. si quis* 46. *in pr. & §. fin. h. t. in* 6. Ratio, quòd procuratores de ipso Capitulo sint assumendi, ea est: quia Jura noluerunt extraneos esse conscios vel gnaros negotii Electionis, quod solos Capitu-
103 lares concernit. Quia tamen hæc ipsa constitutio favorem Capitularium respicere videtur, ut indicant illa verba *cit. §. fin. nolente Capitulô*: dicerem cum Panormitano in *cap. quia propter §. illum X. h. t. n.* 2. Viviano *ibid.* extraneo munus procuratoris demandari posse, dummodò Capitulares annuant.

Dixi I. *absens & legitimè impeditus.* Qualis est,
104 qui longô viarum intervallô distat à loco Electionis; vel morbô laborat; vel detinetur ab hostibus; aut insidias metuit in itinere &c. Textus, Glossa, & Gonzalez in *cap. quia propter cit. §. illud h. t.*
105 P. Wiestner *ibid. num.* 100. Quòd si justum impedimentum non allegatum, idque, si opus videatur, juramentô probatum fuerit, procurator admitti nec potest, nec debet *d. §. illud.* Rota Rom. in *rec. p.* 18. *dec.* 156. *n.* 1. Ubi tamen semel admissus est procurator, non ampliùs de impedimento vel juramento quæritur. Rota *p.* 19. *tom.* 1. *dec.* 169. *n.* 4. & 5.

106 Dico II. *unum vel plures.* Ita siquidem sæpememoratum *cap. si quis* 46. *in princ. h. t. in* 6. decernit, quòd uni vel pluribus de Capitulo vices Electoris absentis committi queant. Cui non contradicit *d. cap. quia propter* 42. *§. illud X.* dum unius procura-
107 toris ingerit mentionem. Nam in effectu idem est, sive plures, sive unus, deputentur: quia, si plures sint, omnes insolidum esse constituti debent, eâ ratione, ut locus præventioni detur, ac eidem, qui prior venerit ad Electionem, vox activa competat; neque uterque admittatur, esto concurrat uterque, sed is præferatur, qui vel à Capitulo, aut majori parte seligetur; vel prior in instrumento legitimationis seu procuratorio nominatus est. Id quod in formalibus ferè loquitur allegatum *cap. si quis in pr. & §.* 1.

108 Dico III. Procurator, ad eligendum constitutus, fines mandati diligenter custodire tenetur. Explicatur, & probatur. Vel procurator ille mandatum speciale habet de certa persona nominanda; vel generale? Si speciale; illam ipsam personam, quam principalis nominavit, procuratoriô nomine eligere obstringitur, tametsi nomine propriô eligere possit aliam; &, si digniorem aliquam crediderit, debeat *d. cap. si quis §. porrò.* Si generale; nequit procurator aliam personam alienô, aliam suô nomi-
ne designare. *d. §. porrò.* Ratio primi est: quia 109
procurator conscientiam suam in persona propria regulat secundùm scientiam propriam; in aliena secun-
dùm notitiam alienam. Ratio secundi est: quia 110
eâdem conscientiâ, quâ eligit in sua persona, obligatur eligere ex commissione alterius: quippe cùm ipsius judicio & discretioni relictum fuerit, personam, quam censuerit esse magis idoneam, assume-
re. Ubi verò merita duorum, vel trium ita essent 111
æqualia, ut discerni non posset, quis eorum melior & cæteris foret aptior, docet Barbosa in *collectan. ad d. cap. si quis n.* 14. posse à procuratore generali unum suô, alium procuratoriô nomine eligi. Ex data distinctione ulteriùs

Deducitur I. procuratorem, speciali mandatô in- 112
structum, posse vices suas alii procuratori subdelegare; non etiam procuratorem, mandatô generali instructum. Colligitur ex *cap. is cui* 12. *de Offic. & pot. Jud. deleg. in* 6. ubi is, cui mandatum de certa persona est datum, ut eidem in certa Ecclesia de beneficio provideat, munus suum alteri committere posse dicitur; secus, si de persona incerta manda-
tum emanavit. Ratio discriminis est: quia, dum 113
mandatô speciali specialis est expressa persona, nil interest, an procurator hoc ministerium per se vel per alium peragat. Dum autem generali mandatô nulla persona est determinata, determinatio procuratori, cujus industriam specialiter respexit mandans, commissa censetur, ut videlicèt juxta proprium & non juxta alienum arbitrium Electionem perficiat. Pirhing ad *h. t. n.* 150. Schambogen *ibid. n.* 50. Leurenius in *foro benefic. part.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 2. *q.* 267. *resp.* 2.

Deducitur II. procuratorem cum speciali man- 114
dato non posse compromittere; posse verò procuratorem cum generali. Ratio disparitatis est: quia procurator primi generis admittere nequit, ut alia persona, quàm in literis expressa, nominetur: quod tamen eveniret facilè, si compromissariis, ut fieri solet, absoluta potestas delegetur. At procurator secundi generis, cùm totum jus mandantis quoad Electionem habere videatur, potest quâcunque formâ & modô eligere. Facit textus in *cap. venerabili* 37. *de Off. deleg. in fin.* Pirhing *cit. n.* 150. Leurenius *d. q.* 267. *resp.* 3. Krimer *hic n.* 188. Honor. ab Alex ad *h. t. n.* 11.

Deducitur III. eôdem modô distinguendum esse 115
circa variationem personæ, si forsitan primum aut secundum scrutinium non sortiatur effectum. Qui enim generale mandatum est adeptus, potest variare, atque aliam personam in primo, aliam in secundo scrutinio nominare. Qui verò speciale mandatum accepit, eandem in omni scrutinio personam designare obligatur.

Dico III. Quando mandans sive principalis ante 116
Electionem moritur, vel jure eligendi ex alio capite privatur, nequit procurator ad Electionem procedere, si rei hujus notitiam habuerit. Pirhing *cit. n.* Leurenius *d. q. n.* 4. Krimer *d. l. n.* 1884. D. Spengler *cap.* 7. *num.* 8. Ratio est: quia mandatum, secutâ mandantis morte, aut inductâ aliâ inhabilitate exspirat *Clem. un. de Procurator.* Sinè mandato autem nemo procuratoris officium gerere, vel alterius nomine quidquàm agere potest *arg. l. Procurator.* 1. *in princ. ff. eôd.*

Dixi:

117 Dixi: *ſi rei hujus notitiam habuerit.* Nam Electio,
jam peracta, antequàm mors vel privatio innoteſcat
procuratori, tenet, & retractari non poteſt *arg. l. ſi
mandatum* 15. *ff. Mand.* Barboſa *J. E. V. lib.* 1. *cap.*
19 n. 111. Tamburinus *de Jure Abbat. tom.* 1. *disput.*
5. *q.* 4. n. 8. Paſſerinus *de Elect. cap.* 10. *n.* 40.

118 Dubitabis I. an abſens non poſſit votum per literas
transmittere?

Reſp. negativam eſſe receptiſſimam per textum
in ſæpe *cit. cap. ſi quis* 46. § *ult. h. t. in* 6. ibi: *abſens
quoque (licèt nullus de Collegio velit eſſe procurator
ejuſdem, nec ipſe, nolente Capitulo, extraneum valeat
deputare) non poterit aliquatenus per literas exprimere
votum ſuum, quod non eſt ante ſcrutinium, ſed in
ipſo ſcrutinio, ſecretè & ſigillatim tantummodò expri-
119 mendum.* Nec ego à tam expreſſa Juris deciſione recedere,
ſolummodò tamen adjungere volo, quòd mihi
non videatur eſſe prohibitum, votum *in literis* explicare
hôc modô, ut abſens literas ad Capitulum
ſcribat, eiſque ſchedulam obſignatam inſerat, quæ
vel à perſona, ab abſente vel Capitulo nominandâ,
tempore Electionis in urnam (ſi ita moris ſit) con-
120 jiciatur, aut ſaltem à ſcrutatoribus aperiatur. Ex una
ſiquidem parte juxta n. 108. licet procuratorem conſtituere
cum ſpeciali mandato de certa perſona eligenda;
quod ſanè non aliter procuratori poterit intimari,
quàm *in literis*, ad ipſum ab abſente directis.
121 Ex altera verò parte textus & ratio *d. cap.* §. *ult.*
tantùm loquitur de caſu, quô votum *per literas, ad
Capitulum miſſas*, explicatur, ac ſinè occluſa ſcheda
toti Capitulo perſona eligenda manifeſtatur,
ſicque in rei veritate votum publicatur ante ſcrutinium.

122 Dubitabis II. utrùm, ſi Capitulares præſentes
concluderent, quòd nullus ex illis abſentium vota
nomine procuratoriô ſuſcipere velit, procurator extraneus
ab abſente, legitimè impeditô, conſtitui
nequeat?

Reſp. procuratorem quidem extraneum etiam in
ſimili caſu non poſſe conſtitui per *cit. cap.* §. *ult.*
nihilo minùs abſenti facultatem competere, agendi
de contemptu non ſecus, ac ſi vocatus non eſſet
123 *arg. cap. bonæ memoriæ* 36. §. *Electionem h. t.* Nil
enim in effectu refert, abſentem & impeditum non
eſſe vocatum, aut per præſentes impedimentum
poſitum, quò minùs Electoris muneri per procuratorem
ſatisfacere valeat. P. Pirhing ad *h. t. n.* 151.
P. Schmalzgrueber *ibid. ſub* n. 29.

124 Dubitabis III. utrùm, ſi Capitulum à procuratore
requirat juramentum in animam principalis,
quòd legitimô detineatur impedimentô, procurator
abſque ſpeciali mandato jurare poſſit?

Reſp. negativè, niſi procurator habeat mandatum
generale cum libera per textum in *cap. qui ad
agendum* 4. *de Procurat. in* 6. ubi ad juramenti præſtationem
ſpeciale mandatum aut generale cum libera
deſideratur. Rota *p.* 19. *tom.* 1. *dec.* 141. *n.* 14. Wieſtner
h. t. n. 101.

125 Dubitabis IV. utrùm procurator, generali mandatô
præditus, poſſit aut debeat eligere ſuum principalem,
quando is videtur omnium eſſe dignior?

Ratio negandi eſt, quòd nemo ſe ipſum eligere
poſſit. At, ſi procurator, generali mandatô præditus,
ſuum eligeret principalem, principalis ſe ipſum
eligeret ex illa Juris regula *quod facit per alium,
eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum cap. quod facit*
72. *de R. J.* in 6.

126 Ratio affirmandi eſt: quia ex *cap. ſi quis* 46. §. *porrò
h. t. in* 6. nequit ejuſmodi procurator alium ſuô,
alium alienô nomine eligere. Atqui ſuô nomine
tenetur eligere principalem, ceu digniorem. Ergo
127 etiam alienô nomine. Neque tunc principalis ſe-
ipſum eligit immediatè, ſed mediatè; quod vetitum
non eſſe, colligitur ex inſtantia de compromiſſariis
ex *cap. cùm in Jure* 33. *h. t.*

In puncto Juris crederem, affirmativam non eſſe 128
improbabilem, utpote probatam a Rota *d. dec. n.* 20.
& dec. 169 *n. ult.* Verùm de facto, cùm ubique ferè
locorum vota per ſchedulas clauſas ſoleant conferri,
vix erit practicabilis: quandoquidem procuratori duo
quidem catalogi, nomina eligendorum complectentes,
erunt conſignandi; in eo tamen, qui locô abſentis
porrigitur, nomen abſentis non invenietur.

§. V.

Quinam de Collegio prohibeantur eligere?

Regula, quam in *n.* 47. propoſui, quòd omnes, 129
qui de Collegio vacantis Eccleſiæ numerantur,
votô activô gaudeant, quàm plures exceptiones
patitur.

Exceptio I. eſt in eo, qui rationis uſu non pollet. 130
Quô numerô ſunt inſantes, amentes, furioſi, ebrii
ebrietate perfectâ &c. hi ſiquidem, cùm alia minora
deliberationis negotia peragere non valeant, multò
minùs Electionem inſtituere valent. Paſſerin. *d.
cap.* 10. *num.* 12. & citati. Si tamen furioſus tempo- 131
re Electionis intervalla furoris habuiſſet (id quod
exinde non obſcurè licet deprehendere, quando
votum ſuum non aliter quàm alius ſanæ mentis ex-
preſſit) valeret Electio, ſicut matrimonium, teſtamentum,
aliìvè actus, tempore lucidæ intercapedinis
à furioſis celebrati. Paſſerinus *cit. loc.*

Morbus vel defectus alius, veluti ſunt ſenectus, 132
obſeſſio dæmonis, ſurditas, cæcitas, vinculum linguæ
&c. dummodò relinquant uſum rationis & facultatem,
ſignô quôdam externô proferendi votum,
non arcent aliquem ab Electione: cùm etiam à reliquis
actibus, ad humanum commercium ſpectantibus,
neminem excludant, prout idem Paſſerinus
tradit *d. cap.* 10. *num.* 16. D. Guetrather in *porta honoris
cap.* 2. §. 6. n. 4. *& ſeqq.*

Exceptio II. eſt in impubere, qui ante puberta- 133
tem non poteſt ſuffragium dare *cap. ex eo* 32. *in pr.
h. t. in* 6. Etſi enim diſcretionis fortè non ſit incapax,
tantam tamen animi deliberationem, quæ ad
Electionem eſt requiſita, habere nequit. Paſſerin.
d. cap. 10. n. 10. Barboſa in *Collectan. ad cit. cap. ex
eo.* Leurenius *d. cap* 2 *q.* 255.

Exceptio III. eſt, ſi elector necdum in Sacro Sub- 134
diaconatùs Ordine ſit conſtitutus *Clem. ut ii* 2. *de
Ætat. & qualit.* Trident. *Seſſ.* 22. *de reformat. cap.* 4.
Nil tamen intereſt, an quis in Subdiaconum poſt completum
21. ætatis annum de Jure, an verò ante ætatem
ex diſpenſatione promotus ſit: licèt enim diſpenſatio
ſtrictæ interpretationis eſſe, ac diſpenſatus
ad Ordinem non videatur eſſe diſpenſatus ad Electionem
arg. cap. is qui 1. §. *ille verò de filiis Presbyter.
in* 6. quia tamen nullibi habetur in Jure, quòd 135
elector debeat exceſſiſſe annum vigeſimum primum,
eſto Subdiaconatus ante recipi vel conferri ordinariè
nequeat: quia etiam, datô non conceſſô, eam ætatem
alicubi requiſitam eſſe, diſpenſatio juxta veroſimilem
diſpenſantis & ſupplicantis intentionem ſuam
explicationem & operationem habet: ſanè diſpenſatus 136
ad Ordinem, hôc ipsô quoad ætatem, eaque, quæ
Ordini & ætati connexa ſunt, diſpenſatus eſſe cenſetur:
cùm & ſupplicans hoc impetrare, & diſpenſans
indulgere veroſimiliter voluerit. Tamburin. *de J. A.
tom.* 1. *diſp.* 5. *q.* 8. *n.* 50. Covarruv. *part.* 1. *de Sponſal.
cap.* 8. §. 10. n. 18. P. Wieſtner ad *n.* 20.

Aliud verò dicerem in caſu, quô aliquis ſuper æ- 137
tate neceſſariâ ad Canonicatum diſpenſationem impetravit:
tunc enim ratione Ordinis, ad vocem in Electione
habendam requiſiti, diſpenſatus eſſe non
videtur:

videtur: quia bene ſtant ſimul, eſſe Canonicum,
nec tamen in Electione vocalem eſſe, ut tenuit Rota
in *Senenſi Archi-Presbyt. 23. Junii* 1606. *apud* Paſ-
ſerinum *d.cap.10.n.63.* Leuren. *cit. loc. q.*260.

138 Sed quid, ſi quis ante legitimam ætatem Subdia-
conatûs Ordine citra diſpenſationem inauguretur,
anne jus ſuffragii obtinebit? Diſtinctione utendum
eſt inter bonam & malam fidem. Si enim bonâ fide
ſit inauguratus, quia videlicèt errore ductus, legi-
timam ætatem ſe habere arbitrabatur; poterit eli-
gere per *d. Clement. ut iis*, quæ plura non deſiderat,
139 quam Ordinem Subdiaconatûs. Sin malâ fide ſit
inauguratus; non eſt credibile, quòd Jura præmium
ex delicto concedere, ſed potiùs in eo, quô quis
deliquit, punire, ac Electionem, Ordini legitimè
ſuſcepto annexam, denegare velint, ſaltem poſt la-
tam ſententiam *arg. cap. literas 13. de tempor. Ordi-
nat.* Tamburin. *cit. l. n.10.* Wieſtner *ubi ſupra n.* 21.
Leuren. *cit. q.* 259.

140 IV. exceptio eſt, quando elector eſt excommu-
nicatus, non quidem excommunicatione minori per
cap. illa 39. h. t. hæc enim ſolâ Sacramentorum ſuſ-
ceptione paſſivâ privat excommunicatum, relictâ
poteſtate & officiô *cap. fin. de Cleric. excom.* ſed
excommunicatione majori *cap. conſtitutis 23. de Ap-
pellat.* quæ ſola omni juriſdictionis & officii exerci-
tiô privat *cap. un. in pr. ne Sede vacant. in* 6. Gon-
zalez in *d. cap. illa n. 4. & ſeq.* Covarruv. in *cap.
alma mater de ſent. excommun. part.1.§.8.n.3.* P.Kö-
nig ad *h. t. n.* 11. Leuren. *d. l. q.* 269.

141 Neque obſtat vel *d. cap. illa 39. h. t.* ubi S. Pon-
tifex aſſerit, ſe ex plenitudine poteſtatis defectum,
ſi quis fortè interveniſſet in Electione, ab excommu-
nicatis excommunicatione minori adornatâ, ſupple-
re: vel *cap. ad probandam 24. de Sent. & re judic.*
ubi ſententia, quam unus excommunicatus unà cum
aliis Judicibus non-excommunicatis tulerat, pro-
nuntiatur eſſe nulla: vel *Clem. ne Romani §. cæterùm
h. t.* ubi Electio Romani Pontificis ex eo non vitiari
dicitur, quòd aliqui de Cardinalibus excommuni-
142 catione majori reperiantur ligati. Nam imprimis
illa clauſula *de plenitudine poteſtatis in d. cap. illa*
non ex neceſſitate, ſed ex abundanti ad cautelam eſt
143 adjecta. Deinde *cap. ad probandum* non loquitur de
excommunicatis excommunicatione minori, ſed ma-
jori *arg. cap. ſi quem 59. de Sent. excommun.* ubi ſub
excommunicatione, ſimpliciter prolatâ, major in-
144 telligitur. Gonzalez *cit. num.* 5. Denique §. *cæte-
rùm d. Clem.* ad ſolam Electionem S. Pontificis per-
tinet, in qua, ne ſchiſmata, diviſiones, aut alia ſi-
milia ſequantur, non expedire viſum eſt, Electio-
nem, ob excommunicati cujuſpiam interventum,
annullare. Idem n. 6.

145 V. exceptio eſt in electore ſuſpenſo, vel ab officio
ſimpliciter, vel ab officio & beneficio ſimul (idem eſt
de interdictis perſonaliter) *cap. cùm dilectus 8. ℣. quia
nobis conſtitit &c. de Conſuetud. cap. cùm inter 16. h.
t.* Gonzalez *ibid. num.* 21. Leuren. *q.* 276. P. Kö-
nig *cit. loc. num.* 17. Ratio eſt: quia talis ſuſpenſio
reddit quem inhabilem ad actus officii, qualis eſt
146 Electio, gerendos. Neque reclamant textus in *cap.
cùm in cunctis 7. §. ult. cap. quiſquis 43. h.t.* in quo-
rum priori Pontifex diſtinctionem inter ſuſpenſio-
nem & privationem juris eligendi agnoſcit; in po-
ſteriori autem videtur innuere, in ſuſpenſis ab offi-
cio privationem juris eligendi ſpecificè ponendam
147 eſſe. Nam primus textus, cùm loquatur de ſuſpen-
ſione indefinitè, adeóque de ſola ſuſpenſione à be-
neficio, non potuiſſet includere privationem juris
148 eligendi, niſi ſpecialim expreſſiſſet. Alter verò, li-
cèt ſuſpenſionem ab officiis & beneficiis eligentibus
per abuſum ſæcularis poteſtatis interminet; ac eô
ipsô jus eligendi in conſequentiam ipſis adimat: at-
tamen de privatione hujus juris diſtinctam men-
tionem fecit, quia voluit hanc pœnam ipsô jure in-
curri; priorem verò ſolùm per ſententiam, uti pa-
teſcit ex modo loquendi, & gnaviter expendit laud.
Gonzalez *num.* 23.

Notant verò Paſſerinus *d. cap.* n. 76. Zoëſius ad 149
*h.t.n.*10. Leuren. *q.*270. *& ſeqq.* Engel ad *h. t. n.7. in
fin.* König *cit. n.* 12. & hodierni Canoniſtæ commu-
niter, ſuſpenſos, interdictos, & excommunicatos
poſt *Extravag.* Martini V. quæ incipit *ad evitanda
ſcandala*, niſi denuntiati fuerint, aut notorii Cleri-
corum percuſſores, ad Electionem admitti poſſe.
Licèt enim in *d. Extravag.* non tam excommunica- 150
tis, quam non-excommunicatis favor & gratia ſit
facta: nihilominùs quia Electio activa non tantùm
eligentium, ſed ipſius etiam Eccleſiæ commodum
reſpicit; ideò tales excommunicati non ſinè ratione
admittuntur, prout antehàc obſervavit Covarruv. in
cap. alma mater de ſent. excomm. p.1. § 7 n.10.

Aliqui cum Laymann *de prælat. Elect. q.*25. exce- 151
ptionem faciunt irregularibus ob textum in *cap. is qui
in Eccleſia 18. §. is verò de Sent. excommunicat. in* 6.
Quibus accedere nolim: partim, quia irregularitas
ſolummodò functionibus Ordinis, non item exerci-
tiô juriſdictionis & officii irregularem privat: par- 152
tim quia *cit. cap.* non tam favet, quàm repugnat ad-
verſæ ſententiæ, dum celebrantes in loco interdicti
primò coërcet irregularitate; dehinc privatione
vocis activæ & paſſivæ caſtigat: luculentô indiciô,
irregularitati eam privationem ex ſua natura conne-
xam non eſſe: partim denique, quia conſtitutiones 153
pœnales extra orbitam & terminos, intra quos ver-
ſantur, extendendæ non ſunt. Tambur. *cit. tom.
1. diſp. 5. q. 8. num. 14. & 15.* Paſſerin. *d. cap.* 10.
num. 104.

VI. exceptio opponitur illis, qui per abuſum ſæ- 154
cularis poteſtatis Electionem fieri permiſerunt; ad-
mittendo videlicèt Principem Laicum, ejuſve Com-
miſſarios, ad ipſum Electionis negotium, cum au-
thoritate tractandum *cap. quiſquis 43. h. t.* Cùm 155
enim Laici jura ſpiritualia tractare non debeant *cap.
decernimus 2. de Judic.* Electionis quoque tractatui
ſemet ingerere non debent *cap. ſacroſancta 51. cap.
Meſſana 56. h. t.* Repete dicta à *n.* 58.

Equidem in *cap. Abbatem 4. XVIII. q. 2.* ait Pela- 156
gius: *Abbatem illum volumus ordinari, quem ſibi de
ſua Congregatione & Monachorum Electio, & poſſeſſio-
nis Dominus, & (quod magis obſervandum eſt) ordo
vitæ ac meritum popoſcerit ordinari.* Sed in ſano ſen- 157
ſu exaudiendus eſt, ut vel de Jure antiquo juxta *n.*
53. vel de Jure hodiernô locutus fuiſſe cenſeatur,
quô Electio jam abſoluta Principi vel Domino Terri-
torii præſentari debet per *d. cap. ſacroſancta 51. h. t.*

VII. exceptio provenit ex infamia; non quidem 158
facti: iſta etenim magis ex ore & ingenio hominum,
quàm ex Jure dependet; ſed infamia Juris, quæ,
ſicut obſtruit dignitatum portas *cap. infamibus 87 de
R. J. in* 6. ita munerum civilium & actuum legitimo-
rum (quibus Electionem accenſeri poſſe, eluceſcit
ex *cap. ſolet 2. in fin. de Sent. excommunicat. in* 6.)
impotentiam operatur. Leurenius *quæſt.* 279. *n.*2.

Et hæ ſunt potiſſimæ exceptiones, quæ electori- 159
bus quibuſcunque obſtant, quò minùs ad Electio-
nem decurrere valeant. Quænam in ſpecie Regu-
laribus obſint, infrà in *Sect.*7. diſcutietur.

Quæres autem I. an, ſi quis ex Electoribus ratio- 160
ne delicti voce activâ privatus ſit, poſſit à reliquis
coëlectoribus repelli?

Reſp. cum diſtinctione. Vel enim privatio eſt
pœna ferendæ ſententiæ, vel latæ. Si *ferenda*; ante
ſententiam non obligat, neque jus eligendi demit
electoribus. Si *latæ*; videndum eſt, an ſententia, 161
ſaltem declaratoria criminis, præceſſerit, nec ne?

Si

Si primum; elector ab eligendo repelli potest, & de-
162 bet. Si secundum; potest quidem & deber admitti
ad votum conferendum, ita tamen, ut secuta post-
modum sententia retrotrahatur ad tempus commissi
criminis, votumque, anteà collatum, retrò invali-
det, argumentô eorum, quæ de Legibus pœnalibus
in *tract. de Jure Legali cap.1. à n.*268. conclusa sunt.
Passerinus *d. cap.* 10. *num.* 133. *& seq.* P. Wiestner
ad *h. t. num.* 38. *& seqq.* P. Reiffenstuel *eôd. tit. n.*
163 171. Verùm hæc ita procedunt in Electionibus
non-secretis; in secretis autem, in quibus eligen-
tium nomina nequidem scrutatoribus innotescunt,
ob manifestum nullitatis periculum, procedere vix
posse, existimo.
164 Quæres II. an, si quis existat in quasi-possessio-
ne juris eligendi, eique desuper lis & exceptio mo-
veatur, lite pendente possit, & debeat ad electio-
nem admitti?
Resp. affirmativè per textum in *cap. querelam* 24.
h. t. cap. cùm Ecclesia 3. *cap. cùm olim* 7. *de Causa*
165 *possess. & propriet.* Rota *p.* 11. *dec.*73. *n.*19. Ratio est:
quia, lite pendente, non debet aliquis commodô
suæ possessionis privari *cap. à memoria* 1. *& seq. Ut
lite pend. nihil innov.* P. Engel *h. t. n.*3. Gonzalez in
d. cap. querelam n. 9. P. Wiestner *d. t. n.* 56.
166 Dices I. in *cap. cùm venissent* 2. *de in integr. Restitut.*
proponitur casus, quô Religiosi erant in quasi-pos-
sessione juris eligendi; & tamen Electio, ab illis con-
corditer facta, nec confirmatur, nec infirmatur à
Pontifice. Ergo, qui solùm in possessione vel quasi-
juris eligendi existunt, validè nequeunt eligere.
167 Resp. in *cit.* textu controversiam fuisse super ipsa
possessione juris eligendi, quâ se à Religiosis esse
spoliatum, Episcopus conquerebatur: in hujusmodi
casu autem neutra pars collitigantium eligere po-
test, cùm possessio dubia jus certum eligendi con-
ferre non queat. Gonzalez *alleg. loc. n.*13.
168 Dices II. in *cap. ex literis* 7. *de Jure Patron.* de-
ciditur de jure patronatûs, quòd Clericus ab eo,
qui jus patronatûs bonâ fide possidet, ad beneficium
præsentatus, atque ante litem incboatam ab Epis-
copo institutus, tolerari debeat. Ergo à sensu con-
trario inferri videtur, quòd præsentatus & institutus
post litem inchoatam tolerari non debeat.
169 Resp. negandô suppositum, quòd in recitato tex-
tu de possessore juris Patronatûs sermo sit. Erat
enim lis inter emphyteutam & dominum directum
(erat Abbatissa) villæ, cui jus patronatûs anne-
xum esse, emphyteuta contendebat, dominus dire-
ctus negabet. Hinc super proprietate utrinque con-
troversia versabatur, nullô actu possessoriô antece-
170 denter ab emphyteuta exercitô. Quòd verò insti-
tutus ante litem inchoatam toleretur, id ratione bo-
næ fidei & putativi tituli, quem emphyteuta habere
censebatur, fortassis accidit per *cap. consultationi-
bus* 19. *eôd.*
171 Dices III. qui tenetur fructus restituere, non
potest eos percipere. Sed possessor juris eligendi
tenetur omnes fructus, post litem intentatam per-
ceptos, restituere: quia tunc temporis incipit esse
malæ fidei possessor *l. certum* 22. *Cod. de R. V.* Ergo
non potest fructus hujus juris, qui consistunt in
ipso Electionis usu & exercitio, percipere.
172 Resp. cum Gonzalez *cit. l. n.*14. discursum, modò
formatum, verificari de fructibus temporalibus &
patrimonialibus, ex quibus possessor evadit locu-
pletior; neutiquàm verò de fructibus politicis & ho-
norificis, è quibus nulla locupletatio speratur: pro
qua responsione confert textus in *cap. à memoria* 1.
Ut lite pendente &c.
173 Quæres III. an tota Electio sit irrita, quando ab
habilibus simul & inhabilibus est peracta?
Resp. I. si vota inhabilium faciant majorem par-
tem, Electionem esse omninò irritam *arg. cap. ad
probandum* 24. *de Sent. & re judic.* Ratio est: quia,
dum inhabilium vota perinde habentu, ac si collata
non fuissent, Electio ab inhabilibus, majorem par-
tem facientibus, non est facta à majori parte. Ergo
valere non potest per *cap. quia propter* 42. *h. t.* ubi
majoris partis assensus desideratur. Clariss. D. Spen-
gler *cap.*3. *n.*23. Passerinus *d. cap.* 10. *n.*65. P. Wiestner
hic n. 25.
Resp. II. si, demptis inhabilium votis, nihilomi- 174
nùs majora in electum ceciderint, Electionem sub-
sistere. Clariss. D. Joannes Phil. Braun ad *h. t. concl.*
1. *p.* 52. *arg. cap.*37. *de R. J. in* 6. eò quòd utile per
inutile vitiari non debeat. Verùm, ut video, com- 175
muniori DD. sententiæ hæc responsio contrariatur,
nisi restringatur ad talem hypothesin, quâ inhabiles
ignoranter sunt admissi. Si enim scienter admissi sint,
integra DD. phalanx totam Electionem invalidat,
vel ipsô jure, ut legere est apud Barbosam *J. E. V.
lib.*1. *cap.*19. *num.*57. Passerinum *d. num.*65. Leure-
nium *q.* 273. vel sententiâ, à Superiore pronuntian-
dâ, ut tenent Layman *q.* 26. Spengler *d. num.*23. Pi-
rbing *h. t. n.*25. *in fin.* propter textus in *d. cap. ad pro-* 176
bandum 24. *de Sent. & re jud. cap. cùm dilectus* 8. *de
Consuetud. cap. ult. de Procurator.* & rationem, quòd
electores habiles hôc ipsô, cum admittant scienter
inhabiles, præsertim excommunicatos, alieni deli-
cti pœnæque socios & participes se reddant, aut lo-
cum devolutioni ad Superiorem faciant. Itaque 177
doctrina à fortiori obtinet in Electionibus secretis,
in quibus, cùm eligentium nomina maneant abscon-
dita, juxta *n.* 163. perquàm difficile videtur, habi-
lium & inhabilium vota discernere.

SECTIO III.

De Eligendis.

SUMMARIA.

178. *In eligendis requiritur certa ætas.* 179. *& seq. Nempe in Episcopis* 30. *anni.* 181. *& seq. In Prælatis inferioribus, habentibus curam animarum,* 25. *anni inchoati.* 183. *In aliis* 22. *completi.* 184. *& seq. Excessus ætatis tunc obstat, quando resignationi dat causam.* 186. *& seqq. Discutitur problema, num seniores junioribus sint præferendi?* 197. *Resolutio problematis.* 198. *Requiritur etiam in eligendis scientia.* 199. *Sufficiens est necessaria.* 200. *& seq. Eminens est optanda.* 202. *& seq. Sed non absolutè necessaria.* 205. *& seqq. Ventilatur aliud problema, num Theologi Canonistis sint anteponendi?* 211. *& seqq. Suggeritur aliqua contrariarum opinionum conciliatio.* 214. *& seqq. Novum problema venit in disceptationem: an magis ad doctrinam quàm pietatem sit respiciendum?* 221. *Temperamentum indigitatur.* 222. *Requiritur etiam in eligendis morum gravitas.* 223. *& seq. In specie integritas fidei.* 225. *Honestas natalium.* 226. *Sacer Ordo.* 227. *& seqq. Diversæ virtutes.* 231. *& seqq. Disquiritur, an habitus corporis aliquid conferat vel detrahat Electioni?* 239. *& seqq. Item an nobilitas sit spectanda?* 248. *Infamia etiam facti impedimentum ponit Electioni.* 249. *& seq. Ambitio.* 251. *Simonia.* 252. *& seq. Censura Ecclesiastica.* 254. *Irregularitas.* 255. *Consensus in abusum potestatis sæcularis.* 256. *Retentio beneficiorum incompatibilium.* 257. *& seqq. Cassatio Electionis ob vitium personæ.* 260. *Nemo potest eligere seipsum.* 261. *& seqq. Disputatur aliquis*

aliquis casus. 266. *& seqq. Laborans impedimentô occultô non potest in Electionem consentire.* 270. *& seqq. Eligendus est dignior.* 277. *In omnibus Praelatis.* 278. *& seq. Declaratur, quisnam sit dignior?* 280. *Ad inquisitionem dignioris opus est mediocri diligentiâ.* 281. *& seq. Non licet uti scientiâ Confessionis.* 283. *& seq. Nec scientiâ secretâ.* 285. *& seq. Licet eligere minùs dignum ad impediendam Electionem indigni.* 287. *& seq. Valet de Jure Electio digni in concursu dignioris.*

§. I.

De Ætate Eligendorum.

178 OBjectum Electionis Canonicæ est persona eligenda; quam idoneam, ac nullô impedimentô ligatam esse debere, supra in *num.* 10. meminimus. Censetur autem impedimentô immunis, non tantùm, si vitiosis quibusdam qualitatibus careat, sed etiam si positivis quibusdam prærogativis excellat. Inter has non postrema est *ætatis naturalitas*, ut loquitur Alexander III. in *cap. cùm in cunctis* 7. *in princ. h. t.* cujus quantitatem mox determino, &

179 Dico I. Ad Episcopatum requiritur annus trigesimus completus. Textus in *d. cap. cùm in cunctis* 7.
in pr. h. t. ubi statuitur, ut *nullus in Episcopum eligatur, nisi qui trigesimum ætatis annum exegerit.* Qui loquendi modus abundè declarat, non sufficere, trigesimum annum inchoatum esse, sed completum requiri. Consonat Tridentin. Concil. *Sess.* 7. *de Reformat.*
180 *cap.* 1. *& Sess.* 24. *cap.* 12. Passerinus *cap* 25. *n.* 434. Rationem hujus constitutionis assignat Gonzalez in *Commentar. cit. cap.* n. 11. quia ætas tricennaria creditur esse naturalis, defœcata, atque ad gerenda munera publica sufficiens: quemadmodùm & olim in Republica Romana Præturam ante trigesimum annum nemo consecutus est; & in Hebræa politia nullus ante hanc ætatem concionem ad populum dicere, Doctoris Prophetæve fungi munere poterat; & ipsa Divina Sapientia unà cum suo Sanctissimo Præcursore, posteaquàm 30. annos habuerat, prædicationis officium obire occæpit, uti studiosè animadvertunt PP. Concilii Neo-Cæsariensis, relati in *cap. presbyter* 4. *Dist.* 78.

181 Dico II. Ad Prælaturas, quibus animarum cura est annexa, annus vigesimus quintus inchoatus requiritur, & sufficit. Textus in *d. cap. cùm in cunctis* §. *inferiora* ibi: *nisi jam vigesimum quintum ætatis annum attigerit.* Concordat Tridentina Synodus
182 *Sess.* 23. *de Reformat. cap.* 22. Ratio est: quia, tametsi primitivis Ecclesiæ sæculis maior & provectior ætas in Prælatis, animarum Rectoribus, exacta fuerit per textus in *cap. si quis* 1. *cap. nemo Presbyter* 2. *cap. ult. Dist.* 78. attamen, succedente tempore, minor ætas, nempe 25 annorum idonea reputabatur, ut quæ alias in Jure vocatur *matura & legitima l. cùm filiofamilias* 50. §. *pen. & ult. ff. de Legat.* 3. nec non *plena & integra l. ad Rempublicam* 8 *ff. de Muner. & honor.* Gonzalez in *Commentar. ad cit.* §. *inferiora n.* 13.

183 Dico III. Ad dignitates & Personatus, quibus animarum cura non subest, 22. anni completi desiderantur. Textus in Trid. Concil. *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 12. ib: 22. *annis non minores.* Fagnanus in *cit. cap cùm in cunctis n.* 37. *&* 48. Lessius de *J. & J. lib.* 2. *cap* 34. *num.* 108. Reiffenstuel *h. t. num.* 224.

184 Dubitabis tamen I. an, sicut defectus, ita etiam excessus ætatis, seu senium, obstet Electioni?

Resp. certum ætatis excedentis terminum non legi præfixum in Jure: & hoc ideò, quia canities mentis & menti diversò omninò tempore succrescit, & decrescit; quibusdam quinquagesimô, aliis sexagesimô, septuagesimô, aut octogesimô annô &c. Reverendiss.
Guetrathier *cap.* 3. §. 3. *num.* 10. Censeo tamen, re- 185
gulam, quam ex D. Thoma affert Passerinus *d. cap.* 75. *num.* 441. ante oculos habendam esse, quòd, si talis & tanta sit senectus, quæ Prælatum vel ad resignandum, vel ad petendum Coadjutorem obligaret, multò graviùs eundem obliget ad non-acceptandam Prælaturam *arg. cap. nn. Dist.* 85. *& cap. nisi* 10. ℣. *alia verò causa est de Renuntiat.* quia non rectè accipitur, quod ritè quis obire vel retinere nequit.

Dubitabis II. utrùm in Electionibus ad Præla- 186
turas Ecclesiasticas seniores junioribus; vel juniores senioribus anteponendi sint? De hoc dubio non neminem scripsisse, refert Clariss. D. Braun *tract. de Magistratu cap.* 5. §. 2. *num.* 5. quid hîc agam, quid dicam? nescio: nam, si juvenes excludo, Scipionis virgulam; sin admitto, Catonis censuram extimesco. Ego, priusquàm quid definiam, rationes pro utraque parte dabo.

Pro senioribus facit I. Divina Scriptura *Job.* 12. 187
℣. 12. *in antiquis est sapientia, & in multa tempore prudentia.* II. Jus Canonicum in *cap. literas* 2. *de Re-* 188
nuntiat. quia *vergente deorsum conditione corporeâ,*
fervor spiritûs in sublimiora conscendit. III. ratio. Nam 189
in senibus multa experientia, & tantæ matris nobilissima filia, prudentia, reperitur: in juvenibus econtrà magna sinè experientia imprudentia. Prætereà in senectute maturitas; in juventute cruditas: in illa secretorum superstitiosa tenacitas; in hac aperta mentis & frontis nuditas: in illa authoritas, gravitas, probitas; in ista levitas, instabilitas, dissolutio
sedem invenit. IV. Gentium & Ecclesiæ diuturnus 190
usus, dum seniores, velut saniores, in utraque Republica plerumque fascibus admoti; juvenes remoti sunt, ne, ut scitè dixisse fertur Xenophon, sicuti novelli Citharœdi multas chordas perdunt, ita cupidi juvenes Rempublicam.

Pro junioribus stat I. quia sapientia neque ex ru- 191
gis, quæ aliquando sunt nugæ; neque ex canis, qui subinde sunt vani; neque ex annorum numero, qui non nunquàm sine valore & pretio est, sed ex animi candore, judicii maturitate, meritorum ponde-
re æstimari debet. Unde in Libro *Sapientiæ cap.* 192
4. scriptum extat: *senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numerô computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Notátque Tamburin. *de J. A. tom.* 2. *disp.* 5. *q.* 9. *num.* 9. in S. Scriptura non illos dici seniores, qui ætate, sed
qui sapientiâ effloruêre. II. quia virtus occupanda 193
est, dum viget, atque in flore est: si jam decrepita sit, citiùs luctum, quàm fructum sperandum habemus: indeque jam apud Romanos *ætas non distinguebatur, quin primâ juventâ consulatum ac dictaturas* inirent, ut loquitur Tacitus *Annal. lib.* 11. *cap.*
22. III. quia senum morosa torvitas non tantùm 194
moratur negotia, sed etiam subditos terret, avertitque, ut nolente animô jussa faciant, quæ à compositâ in minas facie acceperunt: juvenes è diametro, uti faciliùs temperare & serenare frontem, ac deaurare verba possunt, ita, dum animos subditorum blandâ tractatione sibi devinciunt, manus & pedes ad ob-
sequendum faciunt paratos. IV. quia non desunt 195
exempla sacra, quibus juniores ad infulas evecti, feliciter gubernârunt. Tale est in Timotheo, de quo Apostolus 1. *ad Timoth* 4. & ibi D. Ambrosius, rationem reddens, quia, *quantùm ad ætatem pertinet, juvenis erat; quantùm ad mores & conver-*
sationem, senior & gravis. Tale est in Paulo Con- 196
stantinopolitano Archi-Episcopo, qui, *uti ætate admodùm juvenis, ita providentiâ & consiliô senex erat.* Gonzalez ad *cit. cap. cùm in cunctis in pr. n.* 10.

197 Rationes dedi pro utraque parte. Si judicium
exspectes; tale accipe, quale laudatus Braun in pro-
movendis ad Magistratus *cit. l. num.* 5. in fine sub-
junxit: videlicèt nec senes nimiùm, nec nimis ju-
venes ad Ecclesiasticas Prælaturas admovendos esse:
ne isti cum damno Reipublicæ discant sapere, illi
desipere.

§. II.

De Literarum Scientia, in Eligendo requisitâ.

198 In sæpe *cit. cap. cùm in cunctis in pr.* præter æta-
tis maturitatem requiritur in eligendo *literarum*
scientia. Hanc Abbas in *cit. cap. n.4.* & eum secuti
Interpretes cum Fagnano *ibid. num.* 138. dividunt in
eminentem, mediocrem, & sufficientem. *Scientia*
eminens dicitur, quâ quis subtiles etiam & diffici-
les quæstiones, sinè librorum revolutione, ex tem-
pore scit discutere & resolvere. *Scientia mediocris* est,
quâ præditus ordinarias difficultates in promptu eno-
dare; majores autem ex Librorum & Doctorum
lectione complanare novit. *Scientia sufficiens* est,
quando aliquis ea intelligit, quæ sibi vi muneris
agenda incumbunt.
199 Quòd scientia *sufficiens* ad quamlibet Prælaturam
Ecclesiasticam sit necessaria, conveniunt omnes DD.
cum D. Thoma, Panormitano, Fagnano, Gonza-
lez, & repetentibus in *cit. cap. cùm in cunctis*: quia
Jus Divinum & Naturale voluot, ut tantam unus-
quisque scientiam habeat, quanta ad munus suum
ritè peragendum ipsi necessaria est. Pallerinus *cap.*
200 25. *n.* 16. Scientia verò *eminens*, etsi magnoperè
sit optanda, præsertim in Episcopis, quos Triden-
tinum Concilium *Sess.* 22. *de Reformat. cap.* 2. voluit
esse Doctores aut Licentiatos in Sacra Theologia
vel Jure Canonicô, aut saltem publicô alicujus
201 Academiæ testimoniô idoneos ad alios docendos:
quia videlicet, sicuti Angeli superiores in cœlis ha-
bent pleniorem notitiam de Divinis, quàm inferio-
res; ita & Episcopi, qui in Hierarchia Ecclesia-
stica sunt quasi superiores Angeli, majorem Præla-
tis inferioribus scientiam habere debent, ut ex Do-
202 ctore Angelico notat Fagnanus *cit. l. num.* 141. Nihi-
lo minùs etiam in Episcopis sufficiens scientia suffi-
cit, sicut idem Concilium Tridentinum *cit. l.* insinuat,
dum talem in Episcopis scientiam exigit, ut *muneris*
203 *sibi injungendi necessitati possint satisfacere.* Aptissimè
ad propositum Innocentius III. in *cap. nisi* 10. *de*
Renuntiat. etsi, ait, *desideranda sit scientia eminens in*
pastore, in eo tamen est competens toleranda: quia se-
cundùm Apostolum scientia inflat, charitas ædificat:
& ideò imperfectum scientiæ potest supplere perfectio
charitatis. Similis textus est *in cap. cùm nobis* 19. *v. Il-*
204 *lius quoque h. tit.* Ratio hujus rei dari potest: quia per-
sæpe hebetiores quàm acutiores meliùs administrant,
uti ex Thucyd. *lib.* 3. notat Braun *de Magistratu cap.*
4. §. 4. *num.* 5. dum nempe ignea illa & ingentia
ingenia subinde novandis quàm gerendis rebus
aptiora sunt, teste Curtiô *lib.* 4. Hæc expedita
sunt. Sed
205 Disceptatur I. an Theologus Canonistæ, an Ca-
nonista Theologo prælationem in Electione cedere
debeat? Qui Theologis favent, ita arguunt. Præ-
lati Ecclesiarum (Episcopi præprimis) debent ha-
bere scientiam Legis Divinæ, juxta illud *Jerem.* 3. *da-*
bo vobis Pastores juxta cor meum, qui pascant vos scien-
tiâ & doctrinâ; & illud *Malachiæ* 2. *labia Sacerdotis*
custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus. At
quomodò discent Legem Divinam sinè adjutorio
206 Theologiæ? Deinde Prælatorum officium est, do-
cere, & prædicare suis subditis, quâ ratione in via
veritatis & justitiæ ambulandum sit, teste D. Ambro-
siô *lib.* 1. *de Offic. cap.* 1. ibi: *cùm jam effugere non pos-*
simus officium docendi, quod nobis fugientibus imposuit
Sacerdotis necessitudo. Ergo studio Theologico in-
vigilent, ac docendi prædicandique munus exinde
perdiscant, oportet. Denique & errores contra fi- 207
dem corrigere, & hæreticos vel convincere, vel
coërcere tenentur Episcopi. Sicque Theologiæ pe-
ritiam habeant, opus est, quâ sinè ne quidem ag-
nosci, nedum extirpari possunt hæreses.

Qui Canonistis patrocinantur, hunc in modum 208
differunt. Prælatorum Ecclesiæ potestas duplex
est, Ordinis & Jurisdictionis. Ea, quæ est Ordi-
nis, supponit scientiam Theologicam, sed talem,
quæ ex SS. Canonibus haberi potest. Ea, quæ est
Jurisdictionis, sinè notitia SS. Canonum exerceri
nequit. Dum enim per Jurisdictionem Leges, ante
hìc sancitæ, ad casus particulares applicantur, præ-
existere debet in jus dicente Legum Ecclesiasticarum
scientia. Quâ de causâ Cœlestinus Papa in *cap. nulli*
4. *Dist.* 38. decrevit: *nulli Sacerdotum liceat Canones*
ignorare, nec quidquàm facere, quod Patrum possit re-
gulis obviare. Ad hæc obligantur iidem Prælati, ut 209
jura Ecclesiarum & Ecclesiasticorum adversùs quos-
cunque impugnatores defendant: at quibus armis,
nisi Scholasticis, ex armamentario Jurisprudentiæ
desumptis? Præterea hoc ipsum indicat Trident. 210
Concilium *Sess.* 14. *de Reformat. cap.* 16. quia, dum
Sede Episcopali vacante Officialem seu Vicarium in-
fra octo dies constitui mandat, eum in Jure Cano-
nico Doctorem vel Licentiatum esse desiderat. Cur
ita? Nisi quia & Episcopus, cujus vices gerit, ejus-
dem disciplinæ peritos esse, atque in foro Jurisdi-
ctionem administrare debet?

In hac opinionum varietate, sentio quidem cum 211
Clarissimo P. Wiestner ad *tit. de ætat. & qual. & ord.*
præficiend. n. 35. omni conatu eò adnitendum esse,
ut facultatis utriusque notitiâ sit imbutus Prælatus
Ecclesiasticus, juxta Concilii Toletani constitutio-
nem relatam in *cap. ignorantia* 1. *Dist.* 38. ibi: *sciant*
igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas & Canones &c. Si 212
tamen utriusque scientiæ concordia in uno subjecto
reperiri nequeat, D. Joan. Capistranus apud & cum
P. Reiffenstuel in *Proœm. Jur. Can. n.* 46. purum Ca-
nonistam puro Theologo præponit; quam senten-
tiam quoad Prælaturas inferiores, quibus animarum
cura & Jurisdictio cognata est, Panormitanus in *cap.*
cùm in cunctis 7. *h. t. n.* 4. recipit. Verùm quoad Epi- 213
scopatum communior sententia, quam amplectun-
tur *cit.* Panormitanus, Felin. Hostiens. & alii apud
& cum Pax Jordan *Elucubr. div. prælud.* 13. *num.* 2.
Theologum Canonistæ præfert in locis, in quibus
Divini Verbi prædicatio, fidei Catholicæ defensio,
& hæreticorum conversio necessaria; in aliis locis,
ubi magis tuenda & administranda est Jurisdictio, Ca-
nonistam Theologo anteponit. Cui distinctioni fa-
vet Trident. dum ad Episcopatum æquè judicat
idoneum Canonistam ac Theologum *cit. Sess.* 22. *de*
Reformat. cap. 2.

Disceptatur II. cujusnam in Electionibus ad Præ- 214
laturas major habenda consideratio, probitatis, an
doctrinæ? Probitati suffragium conferunt motiva
sequentia. I. exemplum Salvatoris, non doctos sæculi,
sed simplices piscatores in Pastores & Apostolos eli-
gentis. II. oraculum Paulianum: *litera occidit, spiri-*
tus vivificat. III. dictum D. Augustini, auditâ D. An-
tonii vitâ, exclamantis: *quid est hoc, quod audisti!*
surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum do-
ctrinis nostris sinè corde sumus, ubi volutamur in car-
ne & sanguine. IV. textus, supra citatus ex *cap. nisi*
10. *de Renuntiat.* ubi, postquàm adduxerat Pontifex
sententiam Apostoli: *scientia inflat, charitas ædificat*;
mox addit: *& ideò imperfectum scientiæ potest supplere*
perfectio charitatis. V. ratio: quia Prælati tenentur vel 215
esse

esse perfecti in virtute, sicut Episcopi; vel saltem inferiores ad perfectionem virtutis animare, non tantùm verbô, quod emortuum & elanguidum est; sed & exemplô, quod efficax est; maximè in Magnis, in quibus velut magnes trahis ad sequelam, ut ferè *non tam imperiô nobis opus sit, quàm exemplô.* Plin. in *Panegyr.* Confirmat Os Divinum *Ecclesiastic.* 10. *qualis est rector civitatis, tales & inhabitantes eam.* Ergo major probitatis quàm doctrinæ consideratio habenda est.

216 Doctrinæ palmam adscribunt isthæc argumenta. I. ex *cap. cùm sit* 14. *de Ætat. & qual. & ord. præficiend.* desumitur, ubi Innocent. III. ex Concilio Generali proponit ab initio, *esse artem artium regimen animarum*, & in fine concludit: *sanctius est paucos bonos, quàm multos malos habere ministros: quia, si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabun-*
217 *tur.* II. ex sacris literis depromitur, ubi *Oseæ* 4. dicitur: *quia scientiam à te repulisti, ego te repellam, ne Sacerdotiô mihi fungaris*; & ad *Ephes.* 4. habetur: *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Quo in loco D. Lancancus studiosè observat, non gratis Doctores & Pastores esse conjunctos, nempe, *ut non alios Pastores, alios Doctores intelligamus. Sed ideò, cùm prædixisset, Pastores, subjunxit, & Doctores, ut intelligant Pastores, ad offi-*
218 *cium suum pertinere doctrinam.* III. ex doctrina Christi, apud Matthæum *cap.* 23. præcipientis, ut Superiorum Ecclesiæ non vita & conversatio, sed doctrina attendatur; neque, quod illi faciunt, fiat, sed quod
219 faciendum esse docent. IV. ex D. Isidoro *lib. de Offic. Ecclesiast. cap.* 5 dicente: *Episcopo etiā scientia Scripturarum necessaria est: quia, si Episcopi tantùm sancta sit vita, sibi soli prodest sic vivens. Porrò si & doctrinâ & sermone fuerit eruditus, potest cæteros quoque instruere & docere suos, & adversarios convincere; qui, nisi refutati fuerint, atque convicti, facilè possunt simpli-*
220 *cium corda pervertere.* V ex D. Bernardo in *tract.* de *Ord. Vita* dicente: *post indoctos Prælatos malosque in S. Ecclesia nulla pestis ad nocendum infirmis valentior invenitur.* Et hinc Leo Pontifex in *cap. statuimus* 8. *Dist.* 61. *valdè iniquum est*, inquit, *& absurdum, si imperiti Magistris, novi antiquis & rudes præferuntur emeritis.*

221 Quâ semitâ in hoc opinionum bivio sit incedendum? Tam promptè non statim dixeris. Ego sic puto. Si eligendus honestæ sit vitæ, ac insignis literaturæ, illius majorem habendam esse rationem, quàm alterius, qui vitæ quidem encomiô excellens, doctrinâ tamen parum est conspicuus. Et huc trahunt argumenta secundæ sententiæ. Sin eligendus eruditionis gloriâ præcellat, sed virtutis & pietatis curam negligat, mallem habere probum, quàm doctum Prælatum. Et hoc suadent motiva primæ sententiæ.

§. III.

De Morum gravitate.

222 Præter scientiam literarum, veluti in §. anteriori jam delibatum est, *Morum gravitas* in eligendo juxta sæpè *d. cap. cùm in cunctis in pr.* postulatur. Ad hanc

223 Reduco I. integritatem fidei, ut scilicèt eligendus Fidem Catholicam & ipsemet ab aliquo tempore sit professus (cùm ex præcepto Apostolico non oporteat Episcopum esse *Neophytum* 1. *ad Timoth.* 3.) & ex Catholicis parentibus vitam & sanguinem acceperit: dum juxta *cap. quicunque* 2. §. *hæretici* & *cap. statutum* 15. *de Hæretic.* in 6. progeniti ex hæreticis usque ad secundam generationem in paterna; in materna autem linea usque ad primam generationem à beneficiis & officiis Ecclesiasticis exclusi sunt; nisi parentes eorum emendati, & Ecclesiæ ante obitum reconciliati fuerint. Quam exclusionem Covar- 224
ruv. *lib.* 2. *Var. resolut. cap.* 8 *n.* 5. *circa fin.* contra Calderinum, & alios ibidem nominatos, cum Zoëlio ad *tit. de Hæret. num.* 10. extendit ad filios, etiam ante hæresim paternam genitos: partim quia in *cit. cap. statutum* nihil referre dicitur quoad hanc exclusionem, utrùm parentes *ut hæretici* vixerint, vel *ut tales* decesserint: partim quia cum veritate hæreticorum filii & illi nuncupantur, qui post hæresim parentum sunt geniti: neque enim, ut ait Zoësius, hic agitur de peccato originali, aut alio impedimento, quod per generationem transmittitur; sed, ut graviùs puniatur delictum, non tantùm in delinquentes, sed eorum quoque liberos, SS. Canonum vindicta exardescit.

Reduco II. honestatem natalium per textum in 225
cap. innotuit 20. *h. t.* & *cap. ut filii* 1. *de Filiis Presbyter.* esto enim generare, non generati ex illicito concubitu, culpa sit, maculam tamen contrahere censentur spurii: vel quia paternæ incontinentiæ hæredes fore præsumuntur; vel quia hominibus levis notæ accenseri leguntur per *l.* 27. *Cod. de Inoff. testam.* Et ideò in *cap. si gens* 10. *Dist.* 56. *nec DEO amabiles, nec hominibus honorabiles appellantur.*

Reduco III. Sacri Ordinis characterem. Nam ad 226
Episcopatum eligi nequit, qui S. Sub-Diaconatûs Ordine saltem 6. mensibus ante Electionem initiatus non fuit ex Concil. Trid. *Sess.* 22. *de Ref. cap.* 2. Ad Prælaturas inferiores Sacer Ordo non quidem in actu, sed in potentia desideratur, ut scilicèt eligendus intra annum, à die adeptæ possessionis numerandum, in Sacerdotem ordinari velit & possit *d. cap. cùm in cunctis* §. *inferiora h. t.*

Reduco IV. Virtutis excellentiam. Et primò qui- 227
dem huc pertinet Pietas in DEUM, de qua Gentium Doctor 1. *ad Timoth. cap.* 4. *pietas*, inquit, *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Nam DEI Vicarium, DEI Ministrum, DEI Legatum in terris agit Antistes Ecclesiæ: ut adeò pius & religiosus in DEUM esse, etsi non velit, non tamen non possit. Secundò Justitia, quæ uti priva- 228
tas, sic & longè magis personas publicas, & longè maximè DEI servitio adscriptas condecet: bis enim in Evangelio *Matthæi* 6. dictum est: *quærite primùm Regnum DEI & justitiam ejus; & cætera omnia adjicientur vobis.* Hæc inculcat Divina Veritas *Sapient. cap.* 1. *diligite justitiam, qui judicatis terram.* Tertiò 229
Prudentia, quam, ceu omnis Imperii oculum, omnisque regiminis polarem stellam, & Apostolis, & eorum posteris hæreditariam voluit Divinus Magister, *estote*, asserens, *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Matthæi* 10. Quartò *Temperantia*, 230
quâ Præsul & utramque fortunam, prosperam ac adversam, moderari, semper in DEUM intentus; & affluentes corporis & orbis illecebras temperare possit, animô semper omni voluptate superior. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sobrium, justum, sanctum, continentem &c.* 1. *ad Timoth.* 3. Reliquarum Virtutum prolixam coronam pro nunc missam facio.

Petes I. an qualitates corporis aliquid conferant, 231
vel detrahant eligendo? Videtur quòd non. Nam, sicut DEUS omnem decorem & pulchritudinem ab intus quærit, juxta illud Psalmi 44. *omnis gloria filiæ Regis ab intus*; nec externam faciem inspicit, juxta pronuntiatum aliud *Cantic.* 1 ℣. 4. *nigra sum, sed formosa*: quoniam, ut glossatur Abbas Mellifluus, *nigredo felix, quæ parit mentis candorem*: ita Ecclesia in Sacerdotibus & Ministris non venustatem in facie,

noo decorem in corpore, sed cultum in anima, nito-
232 rem in conscientia exambit. Unde legimus apud Raynaud. de *Calum. sect. 2. serie 3. cap. 25.* sat multos, facie deformes, corpore mutilos, & externâ specie prorsus inamœnos, qui, quòd sanctitate claruerint, regimini Ecclesiastico cum uberrimo bonorum operum fructu præfuerunt. Gonzalez in *cap. de Presbyters 1. de Corpore Vitiat. num.* 4.

233 Sed non ita, & absque ullo discrimino respondendum. Nam corporia qualitates vel tales sunt, ut noo quidem formosum efforment hominem, attamen nec deformem mutilum, aut debilem effigurent: vel tales sunt, ùt aut deformitatem sinè risu vel borrore noo conspicnam; aut mutilationem, membri alicujus principalis privativam; ant debilitatem, cum inhabilitate ad sacras functiones conjunctam, efficiant? Et in priore casu, quin eligendo nihil detrahant qualitates corporis, minùs aspectabiles, nullatenùs dubitaverim: neqoe enim de gente Narcissorum suos esse Ministros petit Legislator DEUS, magis animas per animas, quàm corpora quærere
234 solitus, & sollicitus. In posteriore casu vicissim nullus hæsito, quin impedimentum canonicum Electionis non aliô modô, quàm dispensatione Pontificiâ tollendum, inducatur: cùm nihil verius sit, quàm deformes, debiles, & mutilatos irregularitatem incurrere *tot. tit. de Corpore Vitiat. non ordinand.* quæ quòd eligibilitatem impediat, sequens docebit §. *num.* 254.

235 Quòd autem ejus sortis homines rectè arceantur à ministeriis Ecclesiasticis, ipsorum Gentilium, corpore vitiatos ab idolorum sacrificio & sacerdotio repellentium, religio, de qua testantur Tacitus, Seneca, Dionysius Halicarnasseus apud Gonzalez
236 *d. l. n.* 6. probat. Existimabant enim, solius naturæ lumine imbuti Ethnici, ex pravo corpore noo argui bonum animum, ut Seneca *lib. 4. controv.* 2. innuit, *Sacerdos non integri corporis*, inquiens, *quasi mali omnis res vitanda est*; & Stobæus *serm.* 1. asserens; *nec quod deforme est, suspicione cares.* Sicut econtrà ex gratiori aspectu gratiorem animi compositionem mensurabant, ex noto versiculo:

Gratior est pulchrô veniens è corpore virtus.

237 Id ipsum antiqua Lex, DEI digitô conscripta, perhibet, dum hominem, qui *habuerit maculam, qui cæcus fuerit, qui claudus, qui parvô, qui grandi vel tortô nasô, qui fractô pede, qui manu, qui gibbus, qui lippus, qui albuginem habens in oculo &c.* non permittebat offerre panes DEO suo, nec ad ejus ministerium accedere. Cujus constitutionis mysticum sensum reserat Magnus Moralium Doctor D. Gregorius in *cap.*
238 *hinc etenim 1. Dist. 49.* Unde, quæ in Lege Veteri Divinâ ordinatione præcepta sunt, meritò in Lege Nova reassumpsit Ecclesia; probè conscia, majorem corporis & animi puritatem ad offerendum Corpus & Sanguinem Domini, quàm ad panes propositionis & victimas animales requiri. Videatur Gonzalez *loc. cit.*

239 Petes II. an generis nobilitas in eligendo spectanda sit? Spectandam esse, sacra & profana Volumina commendant. Nam in *Deuteron. cap. 1.* legitur: *tuli de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles: constitui eos principes, & tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac decanos.* Quò respexisse videtur Concilium Lateranense, relatum in *cap. de multa* 28. *de Præbend. & dignitat.* dum *sublimes*, id est (ut alii interpretantur) *nobiles & literatas personas majoribus beneficiis honorandas esse*, decrevit. In Jure Civili varii sunt textus in *l. honor* 14. §. 3. *ff. de Muner. & honor. l. honores* 7. §. 2. *ff. de Decur. l. doctrini* 63. §. 1. *Cod.*
240 *eod.* Accedit ratio: quia, ut docet Philosophus, *plerumque meliores, qui ex melioribus.* »Transit enim, »ut facundè scribit D. Balthasar Brauo *sæpè cit. tract. de Magistrat. cap. 5. 9. 2. num.* 15. à parentibus san»guis in liberos, cum sanguine vita, cum vita mo»res, cum his virtutes. Et licèt subinde ab avi»ta vitâ ad avia declinet generosa mens, tamen »postquàm

Multa redit virtus animo, multusque recurrit
Gentis honos,

»Revocat se, & gaudet, atque dignum tantis Au»thoribus se reddere conatur. Nempe sola etiam »memoria paternorum decorum ingens calcar ad se»quelam habet. Ex adverso, quid humili & obs- 241
curô locô geniti agant, quid meditentur, ubi ad dignitates ascendunt, graphicè depingit Claudianus *lib. 1. in Eutrop.*

Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum,
Cuncta ferit, dum cuncta timet; desævit in
omnes,
Ut se posse putet &c.

Non spectandam esse nobilitatem, decidit Gre- 242
gorius IX. in *cap. venerabilis* 37. *de Præbend.* eò quòd *non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum DEO faciant & idoneum servitorem; ad cujus regimen non multos secundum carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles ac pauperes: quia non est personarum acceptio apud ipsum*; neque, ut loquitur Gregorius M. 10 *cap. sicut excellentiam* 48. *XXIII. q. 4. apud Deum gradus excellentior, sed vitæ melioris actio comprobatur.* Suffragatur ratio: quia, si officia 243
publica, etiam Ecclesiastica, nobilibus deferantur, deficit stimulus virtutum: cum mortalium corda eam habeant innatam teneritatem, ut nullô illiciô vehementiùs in virtutum semitam pertrahantur, quàm præmiorum & honorum exspectatione.

Mihi, expensis utriusque placiti meritis arbitrium, 244
quod Eruditissimus & Nobilissimus commentator Gonzalez ad *cit. cap. venerabilis num. ult.* hac in controversia interposuit, placet. Nempe nobiles genere, & nobiles virtute in Electione suspiciendi sunt. Virtus basis & fundamentum est, in quo securissimè quiescit suscepta dignitas. Genus autem ita honorandum est, ut, si æqualibus prærogativis insignes, nobilis & plebejus, concurrant, nobilis antecedat; sin autem alter solâ nobilitate, alter literis & virtutibus animi ornatus sit, posterior priori præponatur. Vide etiam quæ ad propositum argutè elucubravit citatus D. Braun.

Petes III. an habendus sit respectus ad locum & 245
domicilium: sitne quis de gremio vacantis Ecclesiæ, vel extraneus? Resp. affirmativè. Textus in *cap. nullus* 13. *cap. obitum* 16. *Dist. 61. cap. metropolitano* 19. *Dist.* 63. *cap. ne pro defectu* 41. *h. t.* in quibus apertè disponitur, Pastorem ex ipsius Ecclesiæ vacantis gremio eligendum esse. Ratio est: quia indigenæ 246
non solòm perspectiùs noscunt subditos, sed etiam mores, ritus, & consuetudinem loci, pro quo facienda est Electio. Confert autem plurimùm ad felix regimen, & homines & leges loci regiminis cognoscere, teste Poëta, qui de Principe canit:

Principis est virtus maxima, nôsse suos.

Per hoc tamen non prohibentur electores ex- 247
traneum eligere; præcipuè, si dotes, quibus inclarescit, plurimam spem de beato regimine polliceantur per *cap. cùm nobis* 19. & *cap. cùm inter* 21. *h. t.* P. König ad *h. t. num.* 36. Spengler *d. cap. 4. num.* 8. P. Reiffenstuel *num.* 133. P. Krimer *num.* 18. 47.

§. IV.

De Vitiis, quibus Eligendus carere debet.

Ad vitia, quæ submovent eligendum ab infula, 248
pertinet I. infamia, non tantùm Juris, sed & facti (modò notabilis sit, ut temperat Molina citandus)

per

per *cap. meminimus* 13. *& cap. accedens* 23. *de Accusat. cap. infamibus* 87. *de R. J. in* 7. *l. un. Cod. de infam. l.* 2. *Cod. de Dignitat.* Molina *de J. & J. lib.* 4. *disp.* 11. *num.* 1. D. Spengler *cap.* 4. *n.* 23.

249 Pertinet II. ambitio, quando quis vel Electionem importunè & opportunè affectat *cap. in scripturis* 9. *cap. sciendum* 10. *cap. qui Episcopatum* 11. *cap. sunt in Ecclesia* 19. *VIII. q.* 1. quia, ut loquitur D. Gregorius in *d. cap. in scripturis: sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus:* vel in Electionem jam factam, ante formatum & publicatum Electionis decretum, consentit. *cap. cùm post* 26. *h. t.* quoniam tam præpropera acceptatio animum præposterum indicat.

250 Neque seponas illud Paulienum: *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Nam, ut textum hunc interpretatur D. August. *Apostolus exponere voluit, quid sit Episcopatus: quia nomen est operis, non honoris. Græcum enim est, atque inde ductum vocabulum, quòd ille, qui præficitur, eis, quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens. Ergo Episcopus, si velimus, latinè, superintendentes possum dicere: ut intelligat, non se esse Episcopum, qui praesse dilexerit, & non prodesse.* Hæc & plura Augustinus in *cit. cap. qui Episcopatum.* Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 99.

251 Pertinet III. simonia. Quando enim vel ab eligendo, vel, eô sciente, aut cooperante, imò etiam ignorante, aliquid datum est intuitu Electionis faciendæ, Electio non tenet per *cap. sicut tunt* 59. *h. t. cap. ex insinuatione* 26. & *cap. nobis* 27. *X. juncta Extravag.* 2. *de Simonia inter commun.* et de hoc plura in *tom.* 3. *lib.* 5. *tract.* 2.

252 Pertinet IV. Censura Ecclesiastica, quæ, licèt in se crimen & vitium non sit, vitium tamen & culpam ex parte censureti præsupponit *cap. nemo Episcoporum* 41. *& seq. XI. q.* 3. & ideò eligendo impedimentum facit *cap. cùm dilectus* 8. *de Consuetud. cap.*
253 *postulastis* 7. *& cap. ult. de Clerico excommunic.* Ex quo ultimo textu deducunt plerique Authores cum Zoëtio hic *num.* 29. Electionem de persona, minori excommunicatione ligatâ, non irritam, sed irritandam esse.

254 Pertinet V. irregularitas, sive ex delicto proveniat, sive ex defectu; non quòd expressus textus id evincat, veluti accuratè examinavit Suarez de *Censur. disp.* 40. *sect.* 2. n. 30. *& seqq.* sed quòd evidens ratio id ostendat: cùm irregulares, qui nequeunt officium peragere, per necessariam sequelam nequeant frui beneficio per *cap. ult. de Rescript. in* 6. P. Wiestner ad *h. t. num.* 68.

255 Pertinet VI. si quis scienter & sponte in Electionem, de sua persona, per abusum sæcularis potestatis factam, consenserit *cap. quisquis* 43. *h. t.* Cùm enim ex dictis à *num.* 42. Laicis authoritativa Electio sit inhibita, sub comminatione diversarum pœnarum, quas ordine refert Gonzalez ad *idem cap. num.* 7. etiam eligendis à Laico est interdictum, ne tales Electiones ratihabeant, sub pœna inelegibilitatis: ut nempe in eo, in quo deliquerunt, puniantur.

256 Pertinet VII. plurium beneficiorum incompatibilium retentio circa Pontificiam dispensationem *cap. dudum* 54. *h. t. Extravag. execrabilis Joannes XXII. de Præbend.* quia, qui sinè indulgentia Apostolica plura, quàm oportet, possidet beneficia, indignum se reddit, ut ex aliorum benevolentia novum consequatur.

257 Pertinet VIII. si ob vitium personæ, tenens se magis ex parte animi quàm corporis, Electio semel cassata sit: tunc enim illa persona deinceps inelegibilis efficitur *cap. super eo* 12. *h. t. cap. gratum* 2. *de Postulat. cap. ad petitionem* 22. *de Accusat.* quia nimirum vitium, ob quod Electio est irritata, perdurare præsumitur *arg. cap. testimonium* 54. *de Testib. & cap. semel* 8. *de R. J. in* 6. Gonzalez ad *d. cap. super eo num.* 2. *&* 6. Wagnereck in *Exeg. ibid.* Leurenius *quæst.* 291.

Dixi: *ob vitium personæ.* Enimverò, si propter vitium ipsius Electionis, seu formam non servatam, Electio improbata sit, nil obstat, quò minùs antehàc electus, de novo possit eligi: quia neque alterius odiô quis gravari debet *cap. non debet* 22. *de Reg. Jur. in* 6. neque res, quæ culpâ caret, in damnum vocari *cap. cognoscentes* 2. *de Constitut.* Panormitanus in *d. cap. super eo n.* 7. Gonzalez *ibid. n.* 6. Leuren. *q.* 292. *n.* 1. 258

Dixi iterum: *tenens se magis ex parte animi quàm corporis.* Etenim si propter defectum corporalem, puta ætatem, morbum &c. electus sit repulsus, & defectus postmodùm sublatus, probabilius est, quòd ineligibilis non maneat per *cap. cùm inter* 21. *h. t.* ubi in secunda Electione illius, qui ob morbum epilepticum in prima Electione repulsam est passus, S. Pontifex solùm inquiri jubet, an morbus ille etiamnum duret? Quod jubere intermisisset, si secunde Electio non potuisset valere. Panormit. *cit. l.* Laymann. in *d. cap. super eo n.* 2. P. Wiestner *h. t. n.* 72. Et ratio est: quia cessante causâ ineligibilitatis, cessat effectus; &, remotô impedimentô, redit pristina habilitas. Quod non ita se habet in morbis animi, qui ex præsumptione Juris firmiores agere radices, ac perpetuitatem fovere censentur. 259

Sciscitaberis I. an aliquis seipsum eligere possit? 260
Responsio communissima est negativa propter textus in *num.* 249. recitatos; & rationem duplicem: quia *sibi ipsi sumere honorem nullus debet, sed qui vocatur à DEO tanquàm Aaron cap. in scripturis* 9. *VIII. q.* 1. & quia inter dantem & accipientem debet intercedere distinctio personalis per *cap. fin. de Institut. cap. per nostras* 26. *de Jure Patron.*

Sed ponamus hunc casum. Titius, in Ecclesia 261
Collegiata B. constitutus, scit indubitatè, omnes suos Collegas vel ob animi vel corporis vitium esse ineligibiles, imò Prælaturâ prorsus indignos. Quid agendum? An unum ex illis assumet? Reclamat conscientia; contradicit justitia; prohibet ratio. An extraneum aliquem vocabit? Sed neminem noscit. An ab eligendo desistet? Neque hoc consultum apparet: vel quia sinè aliorum diffamatione non potest resignare votum; vel quia à Præside Electionis non permittitur.

Resp. ad casum, non facilè evenibilem, & dico: 262
Vel Electio celebratur per scrutinium planè secretum; vel per scrutinium commune? Si per scrutinium planè secretum, poterit elector, nemine conscio, vacuam schedam in urnam conjicere, sicque ab Electione abstinere, si ita expedire judicaverit.
Si per scrutinium commune: tunc, quia rationem 263
voti vel collati vel resignati reddere cogi potest, aut defectus occultos manifestare tenetur, si quem ex inhabilibus eligendum cum dispendio publico timeat, juxta inferiùs dicenda; vel omninò cessare, quidquid alii protestentur in contrarium.

Illud à plerisque comprobatum reperio, posse 264
aliquem subinde in suæ Electionem consentire, ac suô consensu ex votis æqualibus aut insufficientibus majora facere. Vel enim Electio celebratur per scrutinium aut (quod magis est possibile) compromissum commune; vel secretum? Si primum; procedit, quod diximus, approbante sic Rota Rom. in *rec. p.* 19. *tom.* 1. *dec.* 141. *n.* 25. & Sac. Congregatione in *una Mathernens. Elect.* apud Card. de Luca *de Canon. disc.* 26. *n.* 2. quia vocatus & electus ab aliis non tam eligit, quàm suæ vocationi & Electioni præbet assensum. Et ideò, si septem sint compromissarii, & tres eligant per vota communia Sempronium

compromissarium, illeque intelligens consentiat,
censetur esse per majora electus *cap. cùm in Jure*
265 *33. h. t.* Si secundum; idem non procedit: quia,
qui scrutinio secretò electus Electioni consentit,
dum nescit ab aliis se electum, potiùs se elegit,
suamque Electionem principaliter intendit, quam
Electioni aliorum assenuit. Unde, quia in Electionibus
Regularium vota per scrutinium secretum, explicatô
modô, conferuntur, nequit aliquis suô consensu
facere majora; sicuti nec in aliis Electionibus, in
quibus servatur forma *cap. quia, propter 42. h. t.*
Rota *cit. l. n. 22.* Panormitanus ad *cit. cap. 33. n. 5. ℣.*
Ideò possumus &c. Gonzalez *ibid. num. 7.* Leuren. *q.*
296. Card. de Luca *ubi supra à num. 4.*

266 Sciscitaberis II. an electus, impedimentô quô-
dam occultô detentus, possit in Electionem con-
sentire? Ratio dubitandi est: quia nimiùm grave &
acerbum est, quempiam sui ipsius accusatorem &
infamatorem agere; quod facere necessum esset, si
quis occultô impedimentô constrictus Electionem
acceptare non posset. Sed

267 Negativè respondendum esse opinor cum P. En-
gel *h. t. n. 45.* propter urgentem textum in *cap. inno-*
tuit 20. de Elect. ubi proponitur Electio Archi-Dia-
coni cujusdam, ex illegitimis natalibus oriundi, di-
citurque, quòd S. Pontifici facie à confessione mon-
straverit, *conscientiam aliquantisper ex natalibus esse*
læsam; quòdve sponte & humiliter suum maluerit con-
fiteri reatum, quàm læsâ conscientiâ thronum conscen-
dere pastoralem. Ergo supponitur, impedimentum
fuisse occultum, & electum non potuisse Electio-
nem acceptare sinè dispensatione Pontificiâ.

268 Neque periculum infamiæ talitet impedito immi-
net: nam ex eo, quòd Electionem acceptare nolit,
non tam suspicio latentis impedimenti, quàm opi-
269 nio Christianæ demissionis generari potest. Ratio
autem hujus resolutionis desumi debet ex iis, quæ
in *tract. de Jure Legali cap. 1. n. 275.* de Legibus,
pœnas privativas infligentibus; item de Legibus
irritantibus & inhabilitantibus *num. 329.* resoluta
sunt. Ubi etiam in *num. 320.* videri potest, quid
respondendum sit, quando Lex irritans in pœnam
criminis est constituta. Interim, secutâ dispensatio-
ne super occulto defectu, convalescit Electio, prout
resolvit Rota in *rec. p. 5. tom. 2. dec. 603. n. 50. & seqq.*

§. V.

De eligendo digniore.

Inter eligendos habendus est selectus, ac, si plu-
270 res honorum Candidati, moribus & meritis insig-
nes, occurrant, illi clavus aut claves sunt consi-
gnandæ, qui alios virtutibus & prærogativis an-
tecellit.

Dicit equidem Passerinus de *Elect. cap. 30. num. 5.*
271 „quærimus digniorem, ubi vix possumus reperire di-
„gnum: quàm pauci enim inter homines reperiun-
„tur tales, qualem descripsit Apostolus Paulus *1.*
„*ad Timoth. 3.* qui ad Episcopatum sublimandus est?
Sed quidquid de hoc sit, non est dubium, quin in
pluribus locis invenire sit non unum, sed plures,
qui, quòd naturæ & gratiæ dotibus liberaliter à
DEO concessis juxta mensuram humanæ fragilita-
tis usi sint, merita sibi ad Ecclesiarum gubernacula,
sepositis aliis capessenda, compararunt.

272 In tali ergo casu faciendum est, quod monet, &
mandat Concil. Trident. *Sess. 24. de ref cap. 1.* hæc
in verba disserens: *electores, alienis peccatis commu-*
nicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ec-
clesiæ magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter
curaverint. Mandant hoc ipsum antiquiores Canones
in *cap. licèt ergo 15. VIII. q. 1.* ibi: *qui præstantior est ex*
omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni vir-
tute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium. Item in
cap. Metropolitano 19. Dist. 63. ibi: *ex Presbyteris ejus-*
dem Ecclesiæ vel Diaconis optimus ordinetur. Mandant 273
sacræ paginæ, dum Joannis 21. referunt, Petrum in
Christi Vicarium electum fuisse, non tantùm quia
Christum quomodòcunque, sed *plus his*, hoc est,
ardentiori, quam omnes Apostoli, amore *dilexit.*
Et ratio manifesta est: tum quia justitia legalis, non 274
tantùm in muneribus Ecclesiasticis, sed etiam politi-
cis exigit, ut eligentes bonum commune omni me-
liori, quô possunt, modô promoveant: tum quia justi-
tia distributiva præcipit, ut in officiorum publicorũ
distributione illi, qui potiora habent merita, cæteris
anteferantur: tum quia ex justitia commutativa per
pactum tacitum eâ conditione electoribus eligendi
jus concessum fuisse videtur, ut illud in summum
Ecclesiæ bonum usurpent: tum denique quia Mini-
stros & Vicarios Christi decet, vel maximè Christo
consimiles & conformes esse, utpote ad quos præ-
primis pertinet illud *Matthæi cap. 5. ℣. ult. estote per-*
fecti, sicut Pater vester cœlestis est perfectus. Unde 275
Trid. synodus tam *loc. cit.* quàm in *sess. 6. de ref. cap. 1.*
emphaticè proposuit: *Ecclesiarum regimen esse onus,*
Angelicis humeris formidandum, adeò ut, *si pro rei*
magnitudine expendatur, nunquam satis cautum vide-
ri possit. Latè & pulchrè Gutierrez *Quæst. Canonic. lib.*
2. cap. 11. num. 1. & seqq. Hinc laudabilis ubique ferè
locorum invaluit consuetudo, ut electores expressum
deponant juramentum de eligendo digniore. Ex quo

Colligitur I. sententiam aliorum, qui olim docue- 276
runt, vel nullam, vel non gravem esse obligationem,
eligendi digniorem (de quibus agis P. Cardenas *Cri-*
si Theol. dissert. 28. cap. 1. & 2.) nunquam ab intrinseco
fuisse probabilem. Et, licèt Concilium Tridenti-
num explicare voluerint, quòd per *ly digniorem* so-
lam dignitatem eligendorum significaverit, *sumptô*
comparativô pro positivo; vel *locutione minùs propriâ*
posuerit digniores, ut excludat indignos: attamen hæc
ipsa explicatio fuit erronea, & propterea ab Inno-
centio XI. *Anno 1679. 2. Martii* inter alias proposi-
tiones, tanquàm scandalosa & in praxi perniciosa,
proscripta. Videatur Cardenas *loc. cit.* & Reveren-
diss. D. Guetrather *cap. 3. §. 4. à n. 3.*

Colligitur II. quamvis in Concil. *cit. Sess. 24. cap.* 277
1. ab initio & in decursu solùm mentio fiat de Ele-
ctione Cardinalium & Episcoporum; illius tamen &
Innocentii XI. Pontificis Sanctissimi decisionem ad
Regularium aliorumque Prælatorum, animarum cu-
ram habentium, Electionem extendendam esse: par-
tim quia in fine *cit. cap.* generaliter statuitur: *nihil*
magis Ecclesiæ DEI esse necessarium, quàm ut bonos
maximè & idoneos pastores singulis Ecclesiis præficiat:
partim quia in *sess. 6. cap. 1.* decernitur indefinitè: *ad*
Ecclesiarum regimen maximè dignos esse assumendos:
partim quia rationes in *num. 274.* allatæ, perinde in
Episcoporum, quàm aliorum Prælatorum Electione
stringunt. Rota in *rec. p. 5. dec. 65. n. 8.* Barbosa *de*
Offic. par. c. 2. n. 100. Passerinus *d. cap. 30. à n. 67.* Re-
verendiss. D. Guetrather *d. §. 4. n. 10.* His ita deductis,

Ambiges adhoc I. quisnam ergo censeatur esse di- 278
gnior? Resp. dignum censeri, qui prærogativis, in
§§. antecedentibus explanatis, splendet, vitiis & im-
pedimentis, ibidem enumeratis, caret, ac Ecclesiæ
profuturus esse creditur: digniorem verò reputa-
ri, qui adstructas qualitates in grado perfectiori
possidet, & consideratis omnibus, Ecclesiæ magis
profuturus esse, prudenter speratur. Gutierrez *Quæst.*
Canon. cit. lib. 2. cap. 11. n. 63. & 64. Unde non sola 279
scientia, quantùmconque eminens; non sola probi-
tas, quantumvis excellens, aliquem digniorem fa-
cit, sed major utilitas, quam aliquis, talentorum à
DEO concessorum adminiculô, Ecclesiæ pariturus
esse

esse conjicitur, majorem dignitatem efficit. Passerinus *loc. cit. n. 141.* unà cum integro catalogo DD. secotus Ducem Angelicum D. Thomam 22. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 3. & 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. & decisiones Rotæ Romanæ.

280 Ambiges II. quantâ opus sit diligentiâ, ut inquiratur dignior? Resp. morali, seu mediocri: nam talis diligentia non est ultra, sed juxta vires infirmitatis humanæ: neque major ordinariè in aliis functionibus à Jure requiritur, ut constat ex *cap. un. de Scrutin. in Ord. faciend.* Passerinus *d. l. n.* 179. *& seqq.*

281 Ambiges III. utrùm liceat uti scientiâ Confessionis, ex qua aliquis eligendi, cæteroquin optimæ famæ & existimationis, indignitatem novit? Resp.
282 contra Zoësium *hic n.* 53. minimè hoc licere. Ratio est: quia scientia Confessionis, quam accipit Confessarius, non ut homo, sed ut DEUS *cap. si Sacerdos* 2. *de Offic. Ordinar.* ad forum externum applicari nec valet, nec debet: cùm alioquin & sigillum frangeretur, & Confessio pœnitentibus quam odiosissima redderetur. Passerinus de *Elect. cap.* 29. *num.* 58. *& seqq.* D. Guetrather *d. cap.* 3. §. 4. *num.* 21. *& seqq.*

283 Ambiges IV. utrùm scientiâ occultâ, sed aliunde quàm ex Confessionali acceptâ, uti quis in tantùm debeat, ut teneatur eam aliis, ad impediendam Electionem, communicare?

284 Resp. non teneri, nisi Electio in Ecclesiæ perniciem esset redundatura. Ratio est: quia delictum occultum proximi non licet manifestum facere, nisi cedat in detrimentum Reipublicæ vel tertii; uti suô tempore videbimus.

285 Ambiges V. an liceat eligere minùs dignum, quando per talem Electionem potest impediri Electio indigni? Resp. cum P. Verani ad *h. t.* §. 6. *num.* 10. &
286 citatis *ibid.* affirmativè. Ratio est: tum quia dignior in simili hypothesi consideratur, ac si non esset; eò quòd major pars non velit ipsum, sed indignum, eligere: tum quia in concursu duplicis mali, quorum utrumque evitari non potest, eligendum est minus: minus autem malum est, eligere minùs dignum, quàm absolutè indignum. Quæ posterior ratio probat etiam, esse obligationem, eligendi dignum præ digniori, si Electio de indigno aliô modô nequeat impediri.

287 Ambiges VI. an Electio digni in concursu dignioris saltem valeat? Resp. quòd sic. Ita Rota Rom. in *rec. d. p.* 1. *dec.* 65. *n.* 8. *dec.* 149. *num.* 1. *& dec.* 164. *n.* 3. Covarruv. in *reg. peccatum* §. 7. *num* 4. Leuren. *q.* 474. D. Speng. *cap.* 5. *n.* 6. P. König ad *h. t. n.* 49. Desumitur responsio ex *cap. cùm nobis* 19. *h. t.* ubi refertur Electio cujusdam Præsulis, qui literaturæ non eminentis, sed sufficientis tantùm erat; neque
288 tamen ex eo capite Electio irritatur. Cujus ratio est: quia aliàs nec electus Electioni de se factæ consentire posset, ut qui seipsum citra notam ambitionis digniorem æstimare non potest: nec ulla Electio ab impugnatione tuta foret, cùm quotidiana sit materia disputandi de minori vel majori dignitate electorum, uti notavit Rota *cit. decis.* 164. *num.* 4. *& 5.*

SECTIO IV.

De Forma Electionis.

SUMMARIA.

289. *Traditur Electionis forma.* 290. *& seqq. Prærequiritur Ecclesiæ vacatura.* 295. *& seq Quando Prælatus ingreditur Religionem, ante professionem non potest eligi novus.* 297. *& seqq. Sunt etiam Electioni præmittendæ exequiæ pro defuncto Prælato.* 301. *Explicatur* cap. 36. h. t. 302. *& seqq. Intra trimestre facienda est Electio.* 308. *& seqq. A die notæ vacationis.* 311. *& seq. Terminus de Jure determinatur à Capitulo.* 313. *& seqq. Citandi sunt absentes, qui volunt, & commodè possunt venire.* 319. *& seqq. Distantia non desumitur ex diversitate provinciæ.* 322. *& seqq. Absentibus intimatur dies Electionis.* 325. *& seq. Unô, non citatô, potest ad illius instantiam Electio rescindi.* 327. *& seq. Si plusquàm tertia pars, non citata, abfuerit, non valet Electio.* 329. *& seqq. Idem est, si duæ partes fuerint præsentes, sed computatis absentibus, non habeantur majora.* 331. *& seqq. Alioquin, si habeantur majora, valet.* 334. *& seqq. Quando absens non agit de contemptu, nequit Electio à Superiore rescindi.* 339 *& seqq. Capitulo incumbit probatio de vocatione absentium.* 342. *& seqq. Declarantur multa, quæ Electionis actui in die præstituto præmittuntur.* 357. *Potest Electio fieri die feriatô.* 358. *& seqq. Etiam de nocte.* 363. *& seqq. Tractatus prævius super eligenda persona non desideratur.* 370. *& seq. Electio per inspirationem vel est vera, vel præsumpta.* 372. *& seq. Utriusque differentia.* 374. *& seqq Unô ex Electoribus absente, non censetur esse Electio per inspirationem.* 377. *& seq. Uti, si unus votum revocet.* 379. *& seq. Aut electus eligendi formæ contradicat.* 381. *Explanatur forma scrutinii.* 382. *Omnes debent esse præsentes.* 383. *Tres scrutatores sunt assumendi.* 384. *Majoris partis consensu.* 385 *& seq. Aliquando etiam Præses, Notarius, & testes assumuntur.* 387. *& seq. Scrutatores de Collegio sint, oportet.* 389. *& seqq. Et specialiter fide digni.* 392. *Scrutatores colligunt vota sigillatim.* 393. *& seqq. Secretè.* 396. *Et primitus à se ipsis.* 397. *& seqq. Vota debent esse certa & absoluta.* 401. *In scripturam redigi.* 402 *& seqq. Et publicari.* 407. *& seqq. Post publicationem sequitur collatio.* 411. *& seqq. Requiritur absoluta votorum majoritas.* 414 *& seqq. Non valet accessus ad partem respectivè majorem vel minorem.* 422. *& seq. Collatio Zeli ad Zelum, vel numeri ad numerum quandoque omittitur.* 424. *& seqq. Si habeantur absolutè majora, fit communis Electio.* 427. *Explanatur compromissum.* 428. *& seq. Opus est singulorum assensu.* 430. *& seq. Possunt esse plures compromissarii, vel unus.* 432. *& seqq. Compromissum bifariè instituitur.* 435. *Compromissarii sunt quasi procuratores Capituli.* 436. *& seq. Si eligant indignum, potestas eligendi non devolvitur ad Superiorem; si negligant eligere, devolvitur.* 438. *Requiritur consensus majoris partis compromissariorum.* 439. *& seqq. Tria Corollaria.* 442. *& seqq. Exhibetur paradigma practicum Electionis per scrutinium.*

§. I.

De Præliminaribus requisitis ad Electionem.

FOrma Electionis Canonicæ consistit in modo 289
& ritu eligendi. Ad hoc autem ut modus & ritus eligendi ad amussim observetur, quædam requiruntur velut præliminaria ante ipsum Electionis actum; quædam in actu. Ante Electionis actum requiruntur quàmplurima; quæ ut ordine recenseantur,

Dico I. Ante Electionem debet Ecclesia vacare; 290
&, si per mortem vacaverit, exequias Prælati demortui præmittere oportet.

Dici I. *debet Ecclesia vacare.* Sic præter tex- 291
tus in *cap. ne pro defectu* 41. & *cap. quia propter*

42. *h. t.* in quibus ad Electionem requiritur, ut
Ecclesia sit *viduata*; statuitur expressè in *cap.*
292 *nullus* 7. *Dist.* 79. & *cap. bona memoria* 36. *h.t.* Ra-
tio est: quia in Concilio Lateranensi promissiones
& provisiones, de Ecclesiis non vacantibus factæ,
tanquàm obnoxiæ periculo voti captandæ mortis,
haud secus ac promissiones & conventiones de hæ-
reditate viventis, noo solùm prohibitæ sunt, uti
forsitan aliquis ex *cap. nulla Ecclesiastica* 2. *de con-
cess. Præb.* existimare posset; sed etiam irritatæ &
cassatæ, per textum disertum in *cap. relatum* 3.
293 *eôd. tit.* & *cap. detestanda* 2. *ibid. in* 6. Nolim ita-
que recipere sententiam Gonzalezii in *d. cap. bonæ*
n. 6. Barbosæ *in collectan. ibid. num.*2. Wagnereckii
in *exegesi ad idem cap.* ✠. *in extremis agente not.* 2.
docentium, talem Electionem esse validam ex ra-
tione, quòd nullô textu invalidetur: quia opposi-
294 tum immediatè demonstratum est. Malim adstipula-
ri Passerino de *Elect. cap.* 23. *n.*9. Laymanno *q.*30.
Leurenio *q.* 314. Schambogen ad *h. t. num.*41. de-
fendentibus, quamcumqoe deliberationem collegia-
lem de successore designandô, Prælaturâ necdum
vacante, robore destitui.

295 Utrùm durante Noviriatu ad Electionem procedi
possit, quando Episcopos, permittente S. Pontifi-
ce, Monasterium ingreditur; vel Prælatus Regu-
laris ad alium Ordinem strictiorem transit? Quæsi-
tum aliquando; sed ex dictis perfacilis resolutionis
296 est. Quia enim tales Prælaturæ non vacant ante
Professionem Religiosam per *cap. beneficium* 4. *de
Regular.* in 6. non obstante, quòd Prælati, Mona-
sterium ingredientes, ipsô factô Prælaturæ renun-
tiâsse videantur; utpote cùm omnis renuntiatio,
intuitu secuturæ Professionis facta, sit invalida ex
dispositione Tridentin. Concil. *sess.* 25. *de Regular.*
cap. 16. pronissima sequela est, novam intereà Ele-
ctionem institui non posse. Reverendiss. D. Guet-
rather *cap.* 4. §. 1. n.3. *& seqq.*

297 Dixi II. *exequias Prælati demortui præmittere
oportet.* Ita enim in *cit. cap. nullus* 7. *Dist.*79. & *cap.
bona* 36. *h. t.* decernitur, dum prohibetur, ne an-
te tertium à depositione diem habeatur novus Ele-
ctionis tractatus: sinè dubio propterea, ut honor
defuncti per nimis præcipitatam Electionem non læ-
298 datur. Receptissima tamen est sententia, Electio-
nem, ante sepulturam Antecessoris institutam, va-
lidam; &, si causa rationabilis subsit, v.g. metus
intrusionis à Laicis faciendæ, etiam licitam esse.
Passerinus *d. l. n.*14 Laymann. *q.*31. Engel *h. t. n.*31.
Tambur. *d. disp.*5. *q.* 7. *n.* 2. Schambogen ad *cit. tit.*
299 *n.* 42. Leurenius *q.* 327. *n.* 2. Ratio est: quia statim
à momento mortis incipit Ecclesia vacare, & jus
300 eligendi ad Capitulum pertinere *cap. Episcopo* 3.
VIII. q. 1. Et licèt in *cap. nullus* 7. *Dist.* 79. non
minùs Electio ante sepulturam, quam Electio ante
obitom prohiberi videantur; id tamen solummodò
qooad honestatem, non etiam quoad necessita-
tem & valorem, accipiendum est: quandoqoi-
dem alia ratio Electionis institutæ est ante, alia
post obitum.

301 Neque putes, in *cap. bonæ* 36. §. *Electionem h.t.*
ex eo motivo evacuatam esse Electionem, quia, cor-
pore prædecessoris Episcopi needum traditô sepol-
turæ, inchoata erat. Siqoidem duas ibidem cau-
sas allegat Pontifex: præproperam Electionem; &
omissam citationem unius, qui citari debuisset: pri-
ma tamen insufficiens fuisset, nisi & secuoda acces-
sisset, quæ se solâ potest Electiooem præcedentem
irritare, ut posteà dicemus.

302 Dico II. Intra terminum trium mensium à die no-
tæ vacationis Electio instituenda; & intereà certa
Electioni dies est denominanda.

303 Dixi I. *intra terminum trium mensium.* Quamvis
enim alia beneficia tempus 6. mensium, ad facien-
dam collationem, habeant præstitutum; circa be-
neficia tamen electiva, tam Cathedralia, quàm Re-
gularia, tempus 3. mensium ideò placuit, quia be-
neficia reliqua, cùm mortuô quoque beneficiatô
non destituantur suô capite, videlicèt Episcopô,
tantum dispendium sustinere non debent, quantum
beneficia electiva, quæ unà cum Prælato Pasto-
rem & Caput suum amittere censentur. Textus in
cap. ne pro defectu 41. *h. t.* & ibi per extensum Gon-
zalez *num.*10. *& seq.* P. Wiestner hîc *n.*121. *& seqq.*
Qui etiam probat, in illis Ecclesiis Collegiatis, 304
quæ ordinariam & generalem Jurisdictionem ex-
ercent, ex paritate rationis constitutionem *d. cap.
ne pro defectu*, ceu favorabilem ipsis Ecclesiis,
servandam esse. Consentit post Abbatem in *d.
cap. num.* 5. Clariss. P. Schmalzgrueber ad *h. t.
numer.* 34.

An autem hic terminus trimestralis prolongari, 305
vel coarctari possit? Quæritur. Et quidem, abs-
que Superioris Authoritate, prolongari non posse,
apricum est: quia, quàmprimùm elabitur, jus
eligendi ad Superiorem devolvitur ex *num.* 90. At 306
verò ab ipso Capitulo coarctari posse hunc termi-
num, dummodò absentibus non vergat in detri-
mentum (quô casu Electionem irritavit Rota in
rec. p. 19. *tom.* 1. *dec.* 348. *num.* 11. *& 15.*) eò cer-
tiùs persuasum habeo, quò magis in libertate eli-
gentium est, vel statim à die sepulturæ, vel aliô
tempore ante finem trimestris ad Electionem decur-
rere. Rota *d. l. n.* 4. A Superiore autem (nisi sit 307
S. Pontifex) terminus abbreviari vel restringi ne-
quit, ex quo nullus, nisi Supremus Princeps, pri-
vilegium, inferiori concessum, adimere, vel Jus
Commune intervertere potest. D. Guetrather *d.
cap.* 4. *num.* 17.

Dixi II. *à die notæ vacationis.* Priùs igitur, quàm 308
vacatio Ecclesiæ Capitularibus innotuerit, non cur-
rit trimestre, Electioni præfixum per *cap. quia di-
versitatem* 5. *de concess. Præb. in fin.* ubi de tempore
sex mensium quoad beneficia collativa sic disponi-
tur; & *cap. cit. ne pro defectu*, ubi intra tres men-
ses eligere jubentur electores, *justô impedimentô
cessante.* Quô & priore textu moti DD. magnô 309
numerô tenent, neque tunc currere intervallum tri-
mestrale, quando electores sunt impediti eligere ra-
tione censuræ; modò negligentes se in petenda
absolutione non exhibeant. Quamquàm enim ante-
cedenter culpam contraxisse, atque impedimentum
Electionis propriâ voluntate procurâsse convincan-
tur: nihilo minùs, quia juxta *cit.* textus non currit
tempus hic & nunc legitimè impeditis, neque cen-
suratis currit, utpote quibd., absolutionem suam
impetrare conantibus, pro hic & nunc involunta-
rium est impedimentum censuræ. Panormit. in *d. cap.
diversitatem n.* 3. Leuren. *q.* 319. Wiestner *n.* 126. *&
seq.* Guetrather *d. cap.*4. §. 1. n. 13. Amplius, si Ele- 310
ctio sit facta intra terminum, sed sinè effectu, fortè
quia electus aut noluit consentire, aut (propter im-
pedimentum anteà latens, nunc verò cognitum) non
potuit, novus terminus iteratæ Electioni haud ali-
ter conceditur, quàm si à tempore irritæ Electio-
nis primùm Ecclesia vacare cœpisset, ut habet claris-
sima constitutio Bonifacii VIII. in *cap. si Electio* 26.
h. t. in 6. eâ in fine clausulâ subjunctâ: *dummodò ubi
fraudulenter egerint in præmissis.*

Dixi III. *& intereà certa dies Electioni futura de-* 311
nominanda est. Sed à quo? Ab ipso Capitulo, in cu-
jus libero stat arbitrio, quâcunque intra trimestre
placuerit, die, negotium Electionis tractare *arg.
cap. Episcopo* 3. *& seq. VIII. q.* 1. Consuetudine ta- 312
men in pluribus diœcesibus obtinuit, ut in Ecclesiis
Regularium dies Electionis cum præscito Ordinarii,

qui

quin & Principis terræ, si Monasteria eidem sub-
jecta sint, determinetur. Magnif. P. König ad *h.
t. num.* 53.

313 Dico III. Ante Electionem omnes absentes, qui
debent, volunt & possunt commodè interesse, unà
cum insinuatione statutæ pro Electione diei, ci-
tari debent.

314 Dixi I. *omnes absentes, qui debent*; hoc est, jus
suffragii de facto habent, aut saltem in quasi-posses-
sione existunt, de quibus in *Sect.* 2.

315 Dixi II. *& volunt.* Qui enim comparere, & jus
suffragii, quod habet, exercere detrectat, ille vo-
catus exspectari non debet *arg. cap. quod sicut* 28 ℣.
sive noluerint h. t. nisi ipse non-usus juris tenderet
in Ecclesiæ vacantis dispendium: quia fortassis Ele-
ctio indigni impediri, gravis dissensio componi, aut
316 malum aliud averti potuisset. Ratio est: quia jus
eligendi in favorem Ecclesiæ membris Ecclesiæ va-
cantis est concessum, Ergo, si Ecclesiæ non mul-
tùm referat, quòd unus vel alter nolit eligere, po-
terit voto quis renuntiare: sin autem multùm refe-
rat, nulla renuntiatio valebit. Panormitanus ad *cap.
quia propter* 42. *h. t. num.* 4. Passerinus de *Elect. cap.*
11. *num.* 20.

317 Dixi III. *& commodè possunt.* Quæ verba referri
possunt vel ad citantes, vel ad citandos. Si refe-
rantur ad citantes, tunc habent hunc sensum, quòd,
si Electio accelerari debeat, neque absentes absque
gravi Ecclesiæ incommodo exspectari possint, quia
aut metus schismatis, aut timor intrusionis laicalis
subest, citatio non sit necessaria. Passerinus *d.*
318 *cap.* 11. *num.* 33. Si referantur ad citandos, tunc
idem significant, ac Capitulares absentes, qui,
spectatâ locorum distantiâ, consideratâ termini bre-
vitate, ponderatâ negotiorum aut impedimento-
rum incurrentium mole, nequeunt in die Electioni
præfixo comparere, de necessitate vocandos non
esse. Laymann *q.* 36. Uter verò sensus teneatur,
legitimus est, & omninò conformis *cap. cit. quod
sicut* 28. *in* ℣. *si tamen sinè periculo potuerint convoca-
ri*; *& in* ℣. *sive nequiverint h. t.*

319 Neque hic discrimen est statuendum inter absen-
tes, sintne in eadem vel diversa provincia per tex-
tus in *cit. cap. quod sicut* 28. & *cap. cùm inter* 18. *h. t.*
qui sinè discrimine loquuntur; & textum in *cap. bo-
næ* 36. *in pr. eòd.* ubi Canonicus Ecclesiæ Cremo-
nensis, qui extra provinciam Cremonensem Rhegii
morabatur, ad Electionem Cremonæ instituendam,
320 vocatus fuisse, refertur. Et ratio est: quia provin-
cia aliqua tam ampla esse potest, ut absentes, licèt
intra provinciam degant, in termino exspectari com-
modè non possint: potest etiam provincia, in qua mo-
ratur absens, tam exiguô terrarum spatiô a loco pro-
vinciæ, in quo nova fit Electio, distare, ut absens com-
modissimè venire possit. Ergo Judicis hoc arbitrio
relinquendum, uti Rota indicavit in *rec. p.* 19. *tom.* 2.
dec. 467. *n.* 10. ac sinè respectu ad provinciam absolu-
tè tenendum est, absentes, qui, modô jam explicatô,
commodè vocari possunt, vocandos esse, ubicunque
gentium existant: nisi de speciali consuetudine aliud
diuturnis moribus observatum sit per *cap. in Genesi* 55.
h. t. in fin. D. Spengler *cap* 7. *n.* 3. P. Wiellner *num.* 84.

321 Quòd autem in *cap. coram dilecto* 35. *h. t.* statutum
inveniatur, Electionem juxta majoris & sanioris par-
tis beneplacitum esse dirigendam, *fratribus omnibus,
qui fuerint in provincia convocatis*; id asserram do-
ctrinam neutiquam infringit: cùm in specie facti *cit.
cap.* tales potuerint esse locorum circumstantiæ, ut
vel omnes absentes in eadem provincia pro tunc
extiterint; vel illi, qui extra provinciam abierant,
in termino reverti nequiverint. Wagnereck in *Exe-
gesi d. cap. coram.* Barb. *ibid. n.* 2.

322 Dixi IV. *unà cum insinuatione statuta pro Electio-
ne dici.* Et hæc insinuatio apprimè est necessaria:
quippe cùm sinè illa non possent Electores scire, an
& quando ad locum Electionis accedere valeant,
aut debeant. Panormitanus in *cap. cùm inter* 18.
h. t. num. 10. Passerinus *d. cap.* 11. *num.* 55 Leurenius
q. 313. *num.* 1. Unde duo inferre licet. Primum 323
est, quòd, etsi quis nuntium acceperit de obitu
vel resignatione Prælati: imò ipsemet exequiis,
vel resignationi præsens adstiterit; nihilo secius
citandus sit: quia diem Electionis adhuc ignorat.
Alterum est, quòd, si & vacaturam Ecclesiæ, & 324
simul assignationem diei sciverit absens, citari non
debeat ex regula: quòd semel certior factus ulte-
riori certioratione non indigeat *cap. eum qui* 31. *de
R. J. in* 6. Panormitanus *d. num.* 10. Passerinus *d. n.*
56. *&* 57. Leurenius *d. q. n.* 2. 3. *&* 4. dissentiente D.
Schambogen hic *n.* 48.

Dixi V. *citari debent*; puta *per nuntium aut lite-* 325
ras. Gonzalez in *cap. cùm inter* 18. *h. t. n.* 10. Quæ
citatio, si omissa sit, ac unus tantùm absentium non
vocatus, potest ille de contemptu agere, ac totam
Electionem irritare, esto, si præsens fuisset, suâ con-
tradictione non potuisset Electionem, per aliorum
majora vota jam perfectam, impugnare: *cùm plus in
talibus* (verba sunt Innocentii III. in *cap. bonæ me-
moriæ* 36. *h. t.*) *consueverit contemptus unius obesse,
quam multorum contradictio in præsenti.* Noluerunt 326
enim SS. Canones, æquitatis & justitiæ tenacissimi,
ut jus, quod ad Electionem habet absens, sinè causa
adimatur; sed magis totam Electionem absentis im-
pugnationi relinquere, quàm jus suum eidem au-
ferre voluerunt. P. Franciscus Antonius Phœbeus
Institut. Juris Can. lib. 1. *tit.* 4 *n.* 6.

Quæritur autem I. an talis Electio, absentibus 327
non citatis, valeat?

Resp. I. si ex Capitularibus plusquàm tertia pars
absit, eaque citata non sit, Electionem, à præsen-
tibus celebratam, nullius esse momenti. Panormita-
nus in *cap. quia propter* 42. *n.* 12. Leurenius *q.* 314.
Schambogen *h. t. n.* 46. Wiestner *n.* 86. Ratio est: 328
quia in actibus Universitatis, qualis est Electio,
nequeunt validè procedere præsentes, si plusquàm
tertia pars absit *l. nonnulli* 3 *l. planè* 4 *ff quod cujuscun-
que Universit. nom.* Unde, si 30. sint electores, atque
ex his 19. præsentes, 11. absentes, & non vocati,
Electio à 19. unanimi quoque calculô celebrata, vi-
ribus est vacua.

Resp. II. si ex Capitularibus duæ tertiæ celebrent 329
Electionem, non tamen secundùm majora respectu
totius Capituli, computatis absentium personis,
Electionem similiter irritam esse. Authores citati.
Ratio est: quia ad Electionem Canonicam requi- 330
runtur vota absolutè majora, hoc est, respectu to-
tius Capituli, & omnium actuale votum haben-
tium. Atqui totum Capitulum non consistit dun-
taxat in personis præsentibus, sed etiam in personis
absentibus, votum activum habentibus. Ergo, nisi
majora adsint vota, computatis quoque personis ab-
sentium, Electio non potest esse Canonica. Hinc 331
quando ex Canonicis 30. reliquis 6. non citatis, ad
Electionem 24. concurrunt, & ex his 13. Sempronio
sua vota conjectant, necdum est perfecta Electio:
quia, computatis personis absentium, 16. vota re-
quiruntur, ut fiant majora respectu totius Capituli.

Resp. III. si, computatis absentium personis, ni- 332
hilo minùs potior votorum numerus in electum ce-
ciderit, Electionem esse validam, donec ab absen-
tibus non-vocatis impugnetur. Rota in *rec. p.* 19.
tom. 2. *dec.* 467. *n.* 32. *& seqq.* Laymann. *q.* 37. Fagnan.
in *cap. quia propter num.* 38. Passerinus *d. cap.* 11.
num. 118. Pirhing *h. t. n.* 138. P. Engel *ibid. n.* 11.
cum Authoribus, jam ante allegatis. Textus oppor- 333
tunus in *cap. quod sicut* 28. *in pr. h. t.* ubi dicitur: *infir-
man-*

mandam esse Electionem, nisi (absentes non vocati)
posteà propter bonum pacis curaverint consentire. At-
qui Electio infirmanda non est invalida; neque con-
sensus subsequens potest revalidare, quod antece-
denter non valet. Ergo &c. Et ratio ulterior est:
quia, quod duæ tertiæ præsentes unanimi vel ab-
solutè majoris partis consensu statuunt, perinde ha-
betur, ac si universum Capitulum fecisset *l. quod ma-
jor 19. ff. ad Municipal.*

334 Quæritur II. an, si absens non-vocatus agere de
contemptu intermittat, possit Superior ex officio Ele-
ctionem rescindere; vel alius rescissionem petere?

335 Resp. ad utrumque quæsitum cum Panormitano in
cap. quod sicut 28. *n.* 10. Honorio ab Alex. ad *h. t. sub
n.* 4. D. Spengler *d. cap.* 7. n. 14. *&* 15. Wiestner *n.* 92.
negativè. Rota *cit. l.* n. 38. Ratio est: quia nec Ju-
dex ex officio solet actum validum rescindere, nisi
ad instantiam partis, cujus interest, petere re-
scissionem *arg. l. dies* 4. §. 8. *ff. de Damno infect.* nec
alius pro alio potest agere, si mandatum expressum
vel tacitum non habeat; quale hîc deficit, ubi sup-
ponimus, absentem non-vocatum juri suo renun-
tiâsse.

336 Dices: jus agendi de contemptu saltem ad suc-
cessorem erit transmissibile: & ideò, si Canonicus
v. g. Ecclesiæ Cathedralis non-vocatus ad Electio-
nem, antequàm egerit de contemptu, moriatur,
jus agendi transferet in successorem in Canonicatu.

337 Resp. ex hac instantia probari, jus agendi, Ca-
nonico competens, eó mortuò in Capitulum, quem-
admodum alia ipsius jura, transferri: Capitulum ve-
rò, quod Canonicum vocare neglexit, nequit hoc
jus usurpare: quia proprium factum, non sinè ab-
338 surdo, impugnaret. Aliud esset, si Prælatus ali-
quis ratione Prælaturæ jus haberet suffragii in aliena
Ecclesia: tunc enim, esto ad Electionem illius Eccle-
siæ non citaretur, atque ante impugnationem mo-
reretur, jus suum in Prælatum successorem trans-
ferret: quia Prælatorum jura Prælaturæ cohærent,
ac in quemlibet successorem devolvuntur. Panormi-
tanus *d. n.* 10. D. Spengler *d.* n. 14.

339 Quæritur III. cuinam incumbat in dubio proba-
tio: an Capitulo, quòd vocaverit; an absenti, quòd
non fuerit vocatus?

Resp. Capitulo probationem incumbere. Ratio
est: quia pro absente stat duplex favor. Primus est,
quòd in negativa planè illimitata & abstracta se fun-
det, scilicèt se non esse vocatum: talis autem ne-
gativa, cùm tanquam non-ens nullas habeat quali-
tates, ordinariè probari non potest per textum bo-
num in *cap. bonæ memoriæ* 23. *ꝟ. contra Legati h. t.* &
340 alium in *l. actor.* 23. *Cod. de Probat.* Alter est, quòd
absentis negationi Capitulum reponat factum con-
trarium, nempe vocationem ad Electionem: factum
autem allegans id probare cogitur *l. in bello* 12. *ff. de
Captiv. & post limin. cap. licèt Romanus* 1. *de Constitut.
in* 6. Panormitanus in *cit. cap. bonæ n.* 13. P. Wiestner
341 *hic n.* 94. Poterit autem vocationem probare Capitu-
lum, vel Præsidis, vocationem decernentis; vel
nuntii, eam exequentis, juramentô *arg. cap. cùm pa-
ratt* 19. *ꝟ. suus nuntius de Appellat. l. quæro* 58. §. *ult.
ff. de Ædil. Ed. l. magis puto* 5. §. 13. *ff. de Reb. eor. qui
sub tutela &c.* P. Wiesln. *n.* 95. quia videlicèt testi, de
officio suo deponenti, credendum est.

342 Dico IV. Quando dies, Electioni præfixa, ad-
venit, tunc Electores præsentes, convocati in unum,
invocatâ priùs Spiritûs S. gratiâ, ad locum Electio-
nis se conferunt, ac secundùm unam ex formis præ-
scriptis eligere incipiunt.

343 Dixi I. *quando dies Electioni præfixa advenit.* Nam
opus non est, ut Capitulum exspectet aliam diem,
ac quæ communi consensu Electioni præfixa est.
Quin neque illud est necesse, ut exspectet tempus
pomeridianum: quia communiter tempore matutinô
Electiones celebrari consueverunt. Passerinus *d. cap.*
11. n. 88. Guetrather *d.* §. 1. *num.* 25.

Dixi II. *Electores præsentes.* Nullus ergo ex ab- 344
sentibus, legitimè citatis, exspectandus est, sed
soli præsentes, sive unam sive duas tertias consti-
tuant, sive etiam unica sit persona, opus Electionis
aggrediuntur. Rota in *rec. p.* 19. *tom.* 2. *dec.* 439. n. 5.
Et, si ex præsentibus aliqui sint infirmi, qui procu- 345
ratorem constituere aut non voluerunt, aut non po-
tuerunt, praxis habet, ut scrutatores illos accedant,
nullôque actu intermixtô, ad locum Electionis re-
deant. P. König *h. t. n.* 66.

Dixi III. *convocati in unum*; intellige vel per 346
campanam, vel aliud signum, prout moris est per
cap. in causis 30. *ꝟ. Capitulum verò h. t.* Etenim Ele-
ctio, cùm toti Capitulo quà tali competat, nequit à
Capitularibus separatis, sed collegialiter convoca-
tis & congregatis, peragi. Textus in *cap. cùm terra*
14. ibi: *Electores in unum locum conveniant h. t.*

Dixi IV. *invocata priùs Spiritûs sancti gratiâ.* Tex- 347
tus in *d. cap. cùm terra & cap. cùm inter* 18. *h. t. cap.
cùm Ecclesia* 3. *de Causa possess. & propriet.* Solet au-
tem de consuetudine cantari solennis Missa de Spi-
ritu sancto, sub qua singuli electores sacram Syna-
xin de manu Officiatoris olim acceperunt: licèt ho-
die, ut testatur Reverend. D. Guetrather *d.* §. 1. *n.*
32. si Sacerdotes sint, ipsimet sacrum Votivum de
Spiritu sancto alicubi dicere consueverint. Hæc ta-
men solennitas, utut sancta & salubris, non est sub-
stantialis. Tambur. *cit. disp.* 5. *q.* 6. n. 34.

Dixi V. *ad locum Electionis se conferunt.* Locus 348
ille est ipsa Ecclesia juxta *cap quòd sicut* 28. *in pr. h.
t.* non quidem strictè accepta, quatenùs includit so-
lam-navim & chorum, ut in *cap. cùm nobis* 19. *d. t.*
sed latiùs considerata, in quantùm locum quemlibet
honestum, intra Ecclesiæ vel Monasterii ambitum si-
tum, comprehendit, sicque & sacristiam, refectorium,
aut capitulū *arg. cap. cùm inter* 21. *& cap. in causis* 30.
h. t. Passerinus *cap.* 12. *n.* 1. Leuren. *quæst.* 320. *num.* 2.
Ex causa autem rationabili in quolibet loco licitè 349
& validè potest Electio tractari per *cit. cap. quod si-
cut* 28. *in pr.* Sinè causa non quidem licitè, sed va-
lidè fit extra Ecclesiam. Barbosa *l. E. V. lib.* 1. *cap.* 9.
num. 176. Passerinus *d. cap.* n. 12. Leurenius *q.* 321. *n.* 1.
tum quia nullibi pro forma Electionis circumstantia
loci statuta reperitur: tum quia Electio non est actus
jurisdictionis contentiosæ, certo tribunali alligatus;
sed actus jurisdictionis voluntariæ, seu veriùs, actus
officii & muneris Capitularis, quoad substantiam à
sola Capitularium, legitimè convenientium, vo-
luntate pendens. Quæ rationes etiam evincunt, 350
Electionem extra Ecclesiam nequidem cum Lay-
mann. in *cap. cum inter h. tit. n.* 1. P. Pirhing *eôd.
tit. num.* 142. P. Wiestner *num.* 116. irritandam esse;
veluti mecum tenuerunt Passerinus *d. cap.* 12. *num.*
12. Leurenius *q.* 321. *n.* 2. exceptionem facientes,
si locus planè inhonestus, vel Electioni prorsus in-
conveniens esset, uti v. g. est domus Principis Sæ-
cularis per *cap. quâ fronte* 25. *de Appellat.*

Nonnulli cum Archidiacono controversiam mo- 351
vent: an valeat Electio in loco interdicto? Ac,
quòd non valeat, textum in *cap. ubi periculum* 3.
§. porrò h. t. in 6. allegant. Sed non bene. Nam tex-
tus ille loquitur de Electione Romani Pontificis;
neque eandem irritam esse in loco interdicto, suffi-
cienter explicat. Aliunde autem pernotum est, in
loco interdicto sola officia Divina administrationem
Sacramentorum, & sepulturam esse prohibitam, non
actus alios, officii, jurisdictionis, aut conventio-
nis. Abbas in *cap. ad hæc* 1. *de postulat. Prælat. num.*
33. Barbosa *cit. l.* n. 177. Gonzalez in *not. ad cit. cap.
hæc* 1. *num.* 4. Passerin. *n.* 16.

Alii

353 Alii apud Passerinum *d. l. n. 19.* asserunt, Electio-
nem in loco occulto, cameris aut conclavibus se-
cretis celebratam, subsistentiâ privatam esse: fortè
propter textum in *cap. quia propter 42. h. t. §. finali,*
qui sic habet: *Electiones quoque clandestinas repro-*
354 *bamus.* Sed sinè fundamento. Nam electio in loco
abscondito, à Capitulo collegialiter in unum con-
gregato facta, non est dicenda clandestina; sed quæ
vel instituitur per occulta, non totius Capituli, sed
aliquorum duntaxat separata conventicula *arg. cap.*
si quis Papa n. *Dist. 79.* vel publicata non est *arg.* ejus-
dem cap. *quia propter cit. §. fin.* Gonzalez *ibid.* n. 13.
355 Unde locus occultus non tantùm non vitiat Ele-
ctionem, sed & mirificè perficit: quin, quò secre-
tior est locus, eò & securior, & liberior, & servan-
do secreto est aptior. Passerinus *d. num. 19.* Leure-
nius *q. 323. n. 2.* Wiestner *num. 120.*
356 Dixi VI. ac *secundum unam ex formis præscrip-*
tis eligere incipiunt. Præmittunt tamen reproductio-
nem proclamatis aut repetitionem citationis; ac, si
quidam ex vocatis non comparuerint, accusant ip-
sorum contumaciam per Syndicum vel alium; unà
quoque per aliquem ex Capitulo vel ipsum Electio-
nis Præsidem contra inhabiles & eligere impeditos
protestantur, ad mentem *cap. Cumana 50. h. t.* quin
& absolutio à censuris ad cautelam cum reinciden-
tia impertitur, si quis potestate absolvendi præ-
ditus adsit. P. König *numer. 57.* D. Guetrather
num. 37.
357 Disquirendum restat I. An Electio die feriatô ce-
lebrari possit? Et breviter Resp. quòd ita. Ratio
est: quia die feriatô prohibiti sunt tantummodò actus
profani, judiciales, & jurisdictionales *cap. omnes*
1. cap. conquestus ult. de Feriis. Atqui Electio neque
est actus profanus, neque jurisdictionalis, neque ju-
dicialis; &, si judicialis esset, nihilominùs tanquam
actus religiosus & pius censeretur esse licitus *arg. d.*
cap. ult. Ergo &c. Passerin. *cap. 13. n. 45.*
358 Disquirendum restat II. an Electio de nocte pos-
sit fieri, eô videlicèt tempore, quô sinè candela vi-
deri non potest?
Et in hac disquisitione primò conveniunt omnes
fermè, id concessum esse ex causa rationabili. Passe-
rin. *d. cap. 13. num. 49.* Rodriquez *Quæst. Regular. tom.*
359 n. *q. 52. art. 15.* Leuren. *quæst. 333. num. 1.* Secundò
conveniunt plerique (exceptô P. Pirhing ad *h. tit.*
num. 253.) idem esse permissum, quando Electio,
de die inchoata, propter electorum discordantium
vota usque in noctem est continuata: non ob-
stante *cap. in causis 30. h. t.* in ℣. *Capitulum verò,*
cùm totâ illâ die ipsorum præsentiam exspectâsset,
subsequenti die &c. cùm hæc verba tantùm narrativè
non dispositivè posita, quid factum sit, referant;
360 non, quid fieri debeat, præcipiant. Tertiò com-
munior etiam sententia convenit, Electionem, de
nocte simpliciter ac sinè rationabili causa inchoatam,
saltem invalidandam esse, tam ob *cap. consuluit 24.*
de Off. deleg. ubi judicium Ecclesiasticum in tene-
bris exerceri prohibetur; quàm ob *cap. quia prop-*
ter h. tit. §. fin. ubi Electiones clandestinæ reproban-
tur. Laymann in *cit. cap. in causis num. 6.* P. Pirhing
cit. loc. Wiestner *num. 127.* Sed.
361 Resp. Electionem nec invalidam, nec invalidan-
dam esse. Ita Passerinus *d. cap. 13. n. 50. & seqq.* Ra-
tio est: quia gratis, ac sinè textu & ratione tem-
pus diurnum pro valore Electionis exigitur. Enim-
verò textus in *cap. consuluit* loquitur in terminis de
actibus judicialibus, qui, quòd oculatum requirant
Judicem, etiam solis lumen requirere videntur. Tex-
tus verò in *cap. quia propter* nomine clandestinæ Ele-
ctionis intelligit privata & separata aliquorum tan-
tùm electorum conventicula ex *num. 354.* qualia inep-
362 tè dicuntur conventus publici totius Capituli. Ra-
tio autem declarat, tempore nocturnô formam Ele-
ctionis quàm exactissimè servari posse, dum ad
candelæ vel lucernæ lumen notari in charta seu ele-
ctores seu eorum vota; atque insuper omnes scru-
tatores & electores a se invicem conspici valent:
sicut & alia non levis momenti negotia de nocte
salubriter expediri, præsertim in aulis Principum,
docet hodierna praxis.
Disquirendum restat III. an Electionem prævius 363
tractatus consultivus præcedere debeat? Ubi non
est in dubium trahendum, quin ante Electionem
communi consiliô tractari debeat: quam formam in
Electione assumere placeat? quinam in scrutato-
res vel testes assumendi sint? Tales siquidem tra-
ctatus necessariò præmitti debent, ad hoc, ut præ-
fata & alia dubia tollantur. Et de his extat textus
in *cap. in causis 30. h. t.* Verùm an tractatus de per- 364
sona eligenda, de unius vel alterius meritis & præ-
rogativa discutiendis, sit præmittendus Electioni?
Dubium reddunt Glossa in *cit. cap. cùm in veteri in*
verbo tractatu, & alii, quos citat Barbosa *J. E. V.*
l. 1. cap. 19. num. 183. & Passerinus *cap. 5. num. 64.* con-
cludentes similem tractatum esse de substantia Ele-
ctionis per *cap. cùm inter 21. d. cap. cùm in veteri 50.*
cap. in genesi 55. h. t. Quibus tamen fortiter & meri- 365
tò se opponunt Passerin. *d. l. n. 68.* Wiestner *numer.*
144. Guetrather *d. §. 8. num. 30. & seq.* I. quia
recitati textus necessitatem adhibendi tractatûs præ-
vii nullatenùs adstruunt. Nam *cap. cùm inter* non
de præambula quadam deliberatione, sed de ipso
tractatu & actu Electionis loquitur. Similiter *cap.* 366
cùm in veteri loquitur de ipsa Electione, quæ, quia
secundùm mandatum Pontificis non erat celebrata
cum consilio Abbatum S. Benigni & Morismundi,
nec non alicujus Religiosi ex Ordine Prædicato-
rum, justè potuit à S. Pontifice irritari. Præthereà 367
etiam *cap. in genesi* de ipso negotio Electionis lo-
quitur, in quo omissa erat collatio numeri ad nu-
merum, meriti ad meritum, zeli ad zelum &c. II. 368
quia ejusmodi consultationes præcedentes non ra-
rò plurium inconvenientiarum sunt prodromi, li-
tium scilicèt, discordiarum, denigrationem, am-
bitionis, simoniæ, &c. III. quia Electiones tam 369
aliorum, tum præcipuè Regularium, nequeunt esse
& manere secretæ, juxta præscriptum Concilii Tri-
dentini, si, quæ vota in scrutinio danda sunt se-
cretò, ante scrutinium in prævià deliberatione ma-
nifestentur. Unde & ego cum posterioribus Au-
thoribus hujusmodi consultationes, tanquàm minùs
quieti publicæ consultas, nequaquam consulendas
esse opinor.

§. II.

De Modo Eligendi per Inspirationem.

Præliminaria Electionis puncta discussa sunt. Ip- 370
se Electionis actus triplicem modum & ritum habet.
Primus est per *Inspirationem*; quæ duplex, vera
& præsumpta. *Vera* dicitur, quando persona, in
pastorem assumenda, Divinô judiciô, & prodi-
giosô quôdam indiciô demonstratur; veluti primis
Ecclesiæ sæculis sæpiùs accidisse, testes sunt D. Ni-
colaus, D. Ambrosius, & alii, de quibus Histori-
ci. Rota Rom. in *rec. p. 4. tom. 2. dec. 310. n. 16. & n.*
20. ubi notatur, peccata nostra obstare, quò minùs
hæc eligendi forma practicetur.
Præsumpta nominatur, quando Electores, capitu- 371
lariter congregati, vel simul omnes, vel, unô ali-
quô nominante, cæteri pariformiter unanimi consen-
so & votô in unam personam conveniunt, ita ut inex-
spectata hæc animorum & votorum concordia non ni-
si ex Divini Spiritûs instinctu & inspiratione proma-
nâsse,

nâsse, prudenti ratione præsumatur *arg. cap. schisma 34. XXIV. q. 1.* Textus & Panormit. in *cap. quia propter 42. h. t. §. nisi num. 2. & seqq.* Rota *d. l. num. 17.*

372 Utraque inspiratio numeratur inter modos eligendi: hâc tamen servatâ differentiâ, quòd Electio, per veram inspirationem celebrata, humanâ confirmatione haud egeat: quia ea, quæ Divinâ ordinatione sunt comprobata, humanæ discussioni non sub-
373 jacent per *cap. dua 2. XIX. q. 2.* Cùm è diametro Electio, per quasi-inspirationem seu præsumptam facta, ab examine Superioris immunis non sit, utpote in qua perfacilè fraudes latere, vel simonia potest irrepere. Fagnanus in *cit. cap. 29.* Wiestner ad *h. t. n. 164.*

374 Hæsitabis I. an censeatur esse electio per inspirationem, quando unus ex electoribus erat absens, & non citatus?

Resp. negativè. Rota *d. l. n. 17.* Passerinus *cap. 13. n. 2.* Leurenius *q. 408.* & non pauci, ab his relati.
375 Ratio est: quia Electio per inspirationem desiderat unanimia singulorum Electorum vota *d. cap. 42. §. nisi* ibi: *nisi fortè communiter esset ab omnibus quasi per inspirationem sine vitio celebrata.* Atqui Capitularis, legitimè absens, est ex censu electorum; nec tamen in electum votum suum direxit. Ergo &c.
376 Et quamquàm aliàs Electioni, per majora suffragia absolutæ, possit non-citatus accedere, eamque habere ratam; in hac tamen hypothesi vel ideò nequit id agere: quia præsumptio est, eam ratihabitionem non tam ex impulsu Divino, quàm exemplô aut instigatione coëlectorum proficisci.

377 Hæsitabis II. præsumaturne esse Electio per inspirationem, quando unus ex electoribus ab initio communi aliorum voto subscripsit; posteà facti pœnitens, re adhuc integrâ, votum revocat?

Resp. itidem negativè. Passerin. *d. cap. num. 3.*
378 Leuren. *q. 409.* Ratio est: quia votum, legitimè revocatum, perinde consideratur, ac si datum non fuisset. Sed suppositô, quòd is, qui votum revocat, nunquam alteri, communiter electo, dedisset votum, Electio non diceretur esse celebrata per inspirationem. Ergo &c.

379 Hæsitabis III. an, si Electio fiat publicè, totúmque Capitulum derepente in unum ex Capitularibus præsentibus consentiat, isque contradicat, Electio per inspirationem nominanda sit?

Resp. distinctè. Vel ille Capitularis positivè repugnat huic determinatæ formæ per inspirationem, volens magis assumere formam aliam; vel potiùs repugnat eidem formæ, quatenùs ad sui
380 Electionem comparatæ? Primò casu non erit Electio per inspirationem: quia, ut in *num. 374.* ex §. *nisi cap. 42. h. t.* animadverti, inspiratio omnium consensu perficienda est. Alterô casu erit Electio per inspirationem, si post aliquam contradictionem ad meliora persuasus electus consentiat: quia necesse non est, aliquem in sui electionem positivè & primô momentô consentire, ad hoc, ut Electio dicatur esse unanimis: cæteroquin vix una Electio, præsertim secreta, talis appellari posset: cùm plerúmque electus aut eligendus, saltem ex humilitate apparente, alium nominare soleat. Sic *cit.* Passerinus *num. 5.* cum Leurenio *quæst. 410.* quoad rem sentire videtur.

§. III.

De Modo eligendi per Scrutinium.

381 Secundus & usitatissimus eligendi modus est scrutinium, cujus requisita unô quasi halitu refert sæpè *d. cap. 42. in pr. h. t.* statuens, ut *præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt, commodè interesse: assumantur tres de Collegio, fide digni, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi: ut is, collatione habitâ, eligatur, in quem omnes, vel major & sanior pars Capituli consentit.* Hæc sunt verba *cit. cap.* de verbo ad verbum, pro penitiori scrutinii notitia, exponenda.

Dicitur itaque I. *ut præsentibus omnibus &c.* Has 382
voces jam in 1. §. à *n. 313.* prolixè declaravimus.

Dixi II. *assumantur tres.* Intellige scrutatores. 383
Et hic numerus ternarius, spectatô Jure, est de forma scrutinii, ita ut sine periculo nullitatis nec augeri, nec minui possit: cùm verba *d. cap.* sint dispositiva, ac novæ Electionis formæ introductiva, uti tenuit Rota *d. p. 4. tom. 2. dec. 312. n. 27. & plur. seq.* Tamburin. *disp. 5. quæst. 6. num. 7.* Wagnereck in *Exeg. d. cap.* Fagnanus *ibid. n. 43. & seq.* Wiestner *eôd. tit. n. 167.* Passerin. *cap. 16. num. 18.* D. Guetrather *cap. 4. §. 2. n. 4.* contra Glossam & paucos alios.

Sed à quo & quomodò scrutatores assumendi sint? 384
Postulas. Resp. à Capitulo, ut innuunt citata verba: *præsentibus omnibus assumantur &c.* per consensum majoris partis, simpliciter ac citra formam, hic præscriptam, ne detur processus in infinitum. Pirhing *h. t. num. 162.* Leuren. *q. 337. n. 1. & 2.* Guetrather *d. §. num. 3.*

Utrùm etiam Præses Electioni deputari debeat? 385
Rursus interrogas. Resp. hic quidem servari de consuetudine, ut eò magis ordo serveiur, confusio evitetur, ac litibus obstruatur janua; id tamen de Jure nullibi statutum inveniri. Fagnanus *d. l. num. 72.* Wiestner *num. 169.*

Ulteriùs: an procurator Capituli, Notarius, ac 386
testes Electionis actui præsentes esse, conveniat? Rogas.

Resp. & hoc valdè convenienter observari posse, prout observatur; nullâ tamen necessitate id exposci. Innocent. *in cit. cap. quia propter num. 1.* Panormitan. *num. 14.*

Dixi III. *de Collegio.* Adeóque, consideratâ Juris 387
dispositione, sicut numerus scrutatorum, sic assumptio de Collegio est de forma, per decisionem Ro-
talem, rationem, & Authores in *num. 383.* Licèt 388
hodiernâ consuetudine, de qua pro partibus Germaniæ testatur P. Engel *hic num. 34.* extranei munus scrutatorum obeant, Præside quoque, si quis adsit, idem officium peragente.

Dixi IV. *fide digni.* Ex quo gemina noto. Unum 389
est, quòd scrutatores iisdem planè dotibus & qualitatibus pollere debeant, quibus electores: nequeunt siquidem dici de Collegio electorum assumpti esse, si illorum qualitatibus vacui, Jus eligendi actu non habeant. Passerin. *d. cap. 16. n. 33.* Leuren. *q. 340. n. 1.* Alterum est, quòd singulariter in scrutatoribus requiratur integra fides & existimatio: eò quòd ipsorum conscientiæ summa rei committatur.

Putant equidem *cit.* Passerin. *num. 34.* Leuren. 390
ead. q. n. 2. Pirhing *num. 164.* hanc posteriorem conditionem ad justitiam Electionis duntaxat, non verò ad substantiam efflagitari; adeóque Electionem esse validam, etsi scrutatores infamiâ facti labo-
raverint. Horum sententiam, tanquàm benigniorem, 391
in praxi libenter admitto, tum maximè, ubi non omnes, sed unus è scrutatoribus notatus est: at, si omnes infamiâ facti forderent, de rigore Juris aliud sentirem: quia eâdem ratione, quâ numerus ternarius, simul etiam integritas fidei in scrutatoribus desideratur.

Dixi V. *qui secretè & sigillatim vota cunctorum di-* 392
ligenter exquirant. In quibus verbis tum officium & munus scrutatorum, tum vera & genuina ratio scrutinii continetur. Ad hoc ergo, ut scrutatores fun-

ctioni

ctioni suæ faciant satis, & scrutinio suus constet
valor, debent primò omnes Capitulares, unum post
alterum vocare (nisi secundùm ordinem, aliàs inter
se servari consuetum, ultrò accedant) atque ab eo
suum votum sigillatim & separatim exquirere. Ad-
eóque non omnes electores simul, nec turmatim,
nec bini aut terni, sed seorsim ac solitariè votum
suum explicent, opus est.

393 Secundò debent ita secretè singulorum vota col-
ligere, ut præter scrutatores & ipsum votantem (ut
ita dicam) nullus ex reliquis coëlectoribus scire
394 possit, cui coëlectoris sui votum cesserit. Quem
in finem expediet, aut scrutatores esse in alio loco
quàm electores, si locus Electionis tam angustus
sit, ut vota celari nequeant; aut saltem, si locus
amplior sit, Capitulares in angulo quodam remo-
tiore consistere, ne unus alterius suffragium per-
cipiat: idque sic practicari in nonnullis Ecclesiis
nostræ Germaniæ, ex Zerola in *praxi Episcop. p. 1.*
395 v. *Electio* notat Clariss. P. Wiestner *n. 171.* Ali-
ter si vota colligantur, aut quædam ex illis cum
eligentium nominibus manifestentur, accedente sal-
tem Capituli culpâ, non tenet Electio. Rota in *rec.
p. 4. tom. 3. dec. 574. n. 54. & seqq.* Pignatell. *tom. 10.
consult. 77. à n. 11.*

396 Tertiò, si scrutatores sint de Collegio, cumpri-
mis duo ipsorum à tertio votum sollicitare debent;
& tum primùm à reliquis Electoribus idem exige-
re, ne, si ultimi sua suffragia nuncupent, pro suo
quasi lubitu Electionem ordinare, majorem nume-
rum conficere, ac vel huic, vel alteri parti, pro
personarum acceptione, accedere valeant. Laymann
in *cap. quia propter n. 6.* Wiestner *n. 170.* Scham-
bogen *n. 56.*

397 Ipsa porrò Electorum vota pura, absoluta, &
certa sint, oportet: nam vota conditionata, qualia
sunt: *eligo Cajum, si parentes ipsius fuerint mortui
&c.* vota alternativa: *v. g. eligo Titium vel Sempro-
nium &c.* vota incerta, puta: *eligo, quem Sempro-
nius elegerit &c.* ita sunt nulla & irrita, ut ne quidem
data fuisse, ex censura Juris, credantur *cap. in Ele-*
398 *ctionibus* 2. *h. t. in 6.* Unde, si totum Capitulum con-
stet ex 24. Canonicis; ac 6. illorum vota dederint
incerta, vel conditionata; reliqui 18. verò certa &
absoluta; priores sex planè non computantur in nu-
mero electorum: sicque ille, in quem ex 18. decem
consenserunt, pro legitimè electo habetur *d. cap. in
Electionibus.* Passerin. *cap. 18. n. 24.* Pirhing. *n. 171.*
399 Quod tamen cum Barbosa in *Collectan. ad cit. cap.*
n. 10. & DD. ibidem nominatis, non ad omnem pla-
nè conditionem extendere, sed cum Glossa ibidem,
Viviano, Laymann, & P. Wiestner *n. 172.* ad solam
conditionem de futuro contingenti, aut de præte-
rito vel præsenti, incertitudinem hîc & nunc im-
portante, limitare volo: nam conditio de præsenti,
quæ inest actui ab ipso Jure, qualis est, *eligo Ti-
tium, si Ecclesia vacet, si in ætate legitima sit constitu-
tus, si impedimentô careat &c.* non reddit Electionem
conditionatam: hoc enim votum cujuslibet habet in
se imbibitum, quòd valere non possit, ubi vel Eccle-
400 sia non vacans, vel electus habilis non est. Simili-
ter conditio de futuro necessariô, v. g. *eligo Titium,
si cras sol oriatur*: quia purum & certum relinquit
actum, non vitiat Electionem, ut cum eodem P.
Wiestner & citatis anteà Authoribus tenet Passerin.
n. 22. Leuren. *q. 358. n. 2.*

401 Dixi VI. *& in scriptis redacta.* Atque hoc etiam
ad officium scrutatorum & formam scrutinii perti-
net, ut vel ipsimet, vel ipsorum jussu alius, sive
Notarius sit, sive testis, vota scripturæ consignent.
Rota in *rec. d. p. 4. tom. 3. dec. 574. n. 43. & seq.* Fag-
nanus *n. 14.* Wagnereck in *Exeges. d. verb.*

402 Dixi VII. *mox publicent in communi.* Hæc publi-
catio diversimodè solet à DD. explicari. Nam Leu-
ren. *q. 368. n. 3.* & Wiestner *n. 175.* volunt, publica-
tionem ita fieri, ut nomen electi patefiat. Laymann 403
verò *q. 74.* Tambur. *d. disp. 5. q. 6. n. 15.* Wagne-
reck ad *cit. v.* König *h. t. n. 70.* contendunt, non
personam electam, sed numerum duntaxat voto-
rum manifestari: dicendô v. g. *vota, quæ à Capi-
tularibus exquisita sunt, universim sunt 20. vel 30.
&c.* Ego in Ecclesia Metropolitica Salisburgensi 404
vota hoc modo publicari conspexi: postquàm om-
nes schedulæ (sic enim consignantur hîc vota) in
calicem sunt impositæ, commiscentur, effundun-
tur in mensam, & numerantur. Tum reponuntur
in calicem, una post alteram extrahitur, aperitur,
ac nomen personæ ibidem scriptæ annotatur. Quô
facto, revocantur DD. Capitulares, ipsisque vo-
lentibus publicantur personæ, quot electæ sunt, &
quot habuerint vota. Hancque publicationem tex-
tui in *cap. quia propter* maximè conformem, imò ne-
cessariam arbitror, dum eâ omissâ, Electio pro nul-
la declaratur in Rota Rom. *d. p. 4. tom. 3. dec. 574. à
n. 43.* Hujus publicationis ratio est: quia postmo- 405
dùm certiùs institui potest collatio numeri ad nu-
merum, quando præsentibus omnibus numerus ele-
ctorum & votorum manifestatur. Effectus autem 406
est, quòd electores nequeant ampliùs variare, seu
vocem suam revocare *cap. publicatio 58. h. t.* quem-
admodùm ante publicationem liberam mutandi &
revocandi facultatem habebant. Abbas in *cit. cap.
n. 1. 4. 5. & 7.*

Dixi VIII. *is collatione habitâ eligatur, in quem* 407
omnes vel major & sanior pars Capituli consentit. Est
autem collatio triplex: numeri ad numerum; zeli ad
zelum; meriti ad meritum *cap. in Genesi 55. h. t. Col-
latio numeri ad numerum* est computatio votorum
inter se, eum in scopum tendens, ut appareat, in
quem major numerus inclinaverit. *Collatio zeli ad* 408
zelum est examen de personis eligentium, cum inda-
gatione, quâ probitate, prudentiâ, intentione, ad
eligendum permoti sint. *Collatio meriti ad meritum* 409
est reflexa consideratio personæ electæ, ponderan-
dô illius merita, virtutes & dotes, ac conferendô
cum meritis, virtutibus, & dotibus alterius coëlecti. 410

Hæc collatio Salisburgi post votorum publica-
tionem, fit ab unoquoque ex Illustrissimis & Re-
verendissimis DD. Capitularibus secretò, ut lucu-
lenter pateat, num aliquis ex passivè Electis majo-
ra & saniora vota nactus fuerit.

Quæres autem I. quot vota requirantur in col- 411
latione numeri ad numerum, aut censeatur esse ma-
jor pars?

Resp. requiri vota absolutè majora, nec sufficere
majora respectivè: hoc est, majorem numerum vo-
torum computari juxta majorem numerum Capitu-
larium, præsentium, volentium, & actuale jus eli-
gendi habentium; non numeratis absentibus, no-
lentibus, aut impotentibus. Rota in *recent. p. 19.
tom. 1. dec. 169. n. 1. & seqq. & tom. 2. dec. 467.
n. 20.* In exemplo sunt 24. Capitulares, atque ex 412
his 13. eligunt Sempronium; Sempronius cense-
tur esse per majora electus: quia 13. faciunt ma-
jorem partem Capituli. E contrà si ex 24. Capi-
tularibus 10. eligant Titium, 9. Sempronium, 5.
Mævium; nullus habet absolutè majora vota: quia
10. non sunt major pars Capituli respectu totius
Capituli, sed tantùm respectu minoris partis. Tex-
tus in *cap. Ecclesia 48.* & ibi Vivianus; & in *cap.
in Genesi 55. h. t.* Cardinalis de Luca *de Canon. disc.
28. n. 8.* Krimer *h. t. n. 1923.* Quòd si supponamus ex 413
24. Capitularibus ses esse absentes, vel quòd vocari
non debuerint, vel quòd vocati comparere noluerint,
aut jam præsentes rursus discesserint, Capitulum in
18. personis consistere, ac, qui decem habet vota, per

majora electus fuisse censetur. Rota *cit. p. tom.* 1. *dec.* 169. *n.* 2.

414 Quæres II. an liceat accedere minori parti ad majorem, ac per accessum vota majora efficere. E. g. an in recensito casu, quô 10. eligunt Titium, 9. Sempronium, 5. Mævium, possint illi 5. vel illi 9. accedere reliquis 10. atque, per additionem suorum votorum, numerum decennalem augere?

Resp. negativè. Passerin. *de Elect. cap.* 40. *n.* 38. Clariss. D. Joan. Philippus Braun *h. t. concl.* 3. *pag.*
415 57. P. Reiffenstuel *n.* 301. P. Verani *n.* 56. Ratio est I. quia in *cap. audivit* 19. *h. t.* perspicuè declarat Pontifex, quòd, si numerus votorum in se Canonicus non sit, nequeat talis fieri per vota subsequentia. Et licèt Adversarii hunc textum interpretentur de illo casu, quô major pars accessit minori, non, quò minor majori: attamen non satisfaciunt.
416 Enimverò S. Pontifex fundat suam decisionem in eo, quòd Electio sit nulla, quando non adsunt vota majora; Electio autem nulla non possit per subsequentem consensum convalescere. Ergo, quia hæc ipsa ratio procedit in casu, quô minor numerus accedit majori respectivè, procedit eadem dis-
417 positio. Ratio est II. quia supponimus, scrutinium eô modô, quô à *n.* 401. exposuimus, jam esse publicatum. Sed, publicato scrutiniô, non ampliùs licet variare *cap. publicato* 58. *h. t.* Ergo nec acce-
418 dere majori parti. Ratio est III. quia vota secretè & sigillatim in ipso scrutinio exprimenda sunt. At, si minor pars accederet majori, non secretè, sed publicè; non sigillatim, sed turmatim; non in ipso scrutinio, sed post scrutinium exprimeret sua vota.
419 Ergo &c. Atque hanc sententiam in praxi sequendam esse, monet Magnif. P. König *n.* 70. præsertim si Electio à S. Pontifice confirmanda sit: cùm constet, à Romana Curia Electiones per accessum sæpè non admitti.

420 Contrarium, quòd Electio per accessum valeat, defendunt P. Engel *h. t. n.* 40. Fagnanus in *cap. publicato n.* 37. Laymann *quæst.* 77. Pirhing *n.* 176. Guetrather *n.* 13. iisque suffragari videntur *cap. licet* 6. *h. t.* & *cap. indemnitatibus* 43. §. *fanè h. t. in* 6.
421 Sed hæc *capp.* ad casus particulares, de quibus emanârunt, coarctanda sunt; scilicet ad Electionem S. Pontificis, in qua accessus ad majorem partem ideò permissus est: quia requiruntur duæ tertiæ, quæ difficiliùs habentur, accessu non concessô; nec non ad Electionem Abbatissæ, in qua accessus ad majorem partem certo cum respectu & effectu fuit indultus.

422 Quæres III. utrùm collatio zeli ad zelum, meriti ad meritum, semper & pro semper postuletur? Resp. casus aliquos exceptos esse. Primus est, quando duæ tertiæ seu partes de Capitulo in voto concordant *cap. si quando* 9. *h. t. in* 6. Rota in *rec. p.* 4. *to.* 3. *dec.* 574. *n.* 50. Secundus est in Electione Summi Pontificis *d. cap. licèt* 6. *X. h. tit.* Tertius est in Electione Abbatissarum *cap. indemnitatibus* 43. *in f.*
423 *h. t. in* 6. Quartus est in plerisque aliis Electionibus, potiorem numerum suffragiorum habentibus: tunc enim pars potior in numero præsumitur esse sanior in consilio *arg. cap. prudentiam* 21. *de Off. deleg.* & *cap. cùm in cunctis* 5. *de his, quæ fiunt à majori &c.* donec contrarium probetur. Rota in *rec. p.* 16. *dec.* 400. *n.* 1. Panormitanus in *cap. Ecclesia* 57. *n.* 4. Wiestner *n.* 177. Krimer *h. t. n.* 1950.

424 Factâ jam collatione, si Electio non fuerit celebrata in concordia, sed vota sic dispersa reperiantur, ut nullus à majori Capitularium parte majora sit assecutus vota, rejicitur Electio, & vel ad novum scrutinium, vel ad compromissum transitur.

425 Si verò unus non tantùm majoribus calculis, sed etiam majoribus meritis ornatus adfuerit, tum Electionis decretum expeditur, & electus ab uno nomine totius Capituli hâc vel simili formulâ promulgatur: *Ego N. nomine meô & aliorum eligentium, mihique consentientium, invocatâ Spiritûs sancti gratia, in Episcopum vel Abbatem hujus Ecclesiæ N. eligo, & electum pronuntio, & coram vobis publico, in Nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, Amen.* Laymann in *cap. quia propter n.* 9. & de *Elect. quæst.* 72.
König *n.* 71. Spengler *n.* 32. Wiestner *n.* 178. Docet 426
quoque diversorum locorum mos laudabilis, quòd Electio, ita publicata Capitulo, ex intervallo per unum de Capitulo vel extraneum populo denuntiari soleat, suadente sic & probante Abbate in *cit. cap. quia propter n.* 16. Solet etiam electus in Ecclesiam deduci, & hymnus Ambrosianus decantari.

§. IV.

De Modo eligendi Compromissum.

Tertius eligendi modus est Compromissum, quô 427
à toto Capitulo aliquibus viris idoneis potestas committitur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ provideant. Textus in *cap. quia propter v. vel saltem.*

Dixi I. *à toto Capitulo.* Ut insinuarem, Compro- 428
missum uniformi singulorum Capitularium consensu assumi debere, veluti constans & communis sententia cum Panormitano in *d. cap.* & v. *n.* 2. Zoësiô *n.* 74. Laymannô *q.* 83. Passerinô *cap.* 12. *n.* 19. P. Engel hic *n.* 41. Leureniô *q.* 396. *ex d. cap. in v. vice omnium*; & *cap. in causis* 30. *v. à singulis de Capitulo* deducit. Cujus ratio est: partim quia jus 429
suum nemini invito est auferendum *l. invitum* 11. *l. in vendentis* 13. *Cod. de Contrah. empt.* partim quia, ubi de jure singulorum agitur, uti hîc, singulorum consensus accedere debet *arg. cap. quod omnes* 29. & *cap. in re communi* 56. *de R. J. in* 6.

Dixi II. *aliquibus viris idoneis.* Quâ notâ osten- 430
ditur, compromissarios debere esse Clericos; & præter titulum membri Capitularis (qui non exposcitur per *cap. causam* 8. *h. tit.*) omnibus electorum qualitatibus condecoratos *arg. cap. sacrosancta* 51. *h. t.* ne, quod unâ viâ negatum est, altâ concedatur.
Neque refert, in quo numero, singulari vel plura- 431
li; pari aut impari, compromissarii constituantur. Quantumvis enim in *dicto cap. quia propter* plurali locutione Pontifex utatur; attamen, quòd solùm enuntiativa, non dispositiva sit, aliis in locis, in quibus de uno compromissario sit sermo, declaratur, in specie *d. cap. causam* 8. *h. t. cap. si compromissarius* 37. *h. t. in* 6.

Dixi III. *potestas committitur.* Quod fieri dupli- 432
citer potest, absolutè & limitatè. *Absolutè*, ut, quemcunque voluerint compromissarii, eligant. *Limitatè*, ut aliquem ex Capitularibus compromittentibus, vel eum, quem major Capituli pars nominaverit, eligant; etsi posterior modus non tam compromissi quàm scrutinii naturam referat.

Illud controverti posset: valeátne compromissum 433
hoc modô, ut electus censeatur, quem major pars Capituli respectu minoris partis designaverit? Ex ea dubitandi ratione, quòd magis valere debeat, quàm compromissum illimitatum & absolutum. Sed 434
nodus iste cum negatione jam solutus est in *cap. si cui* 13. *h. tit. in* 6. Ratio est: quia tale compromissum imitatur scrutinium *cap. cùm dilectus* 32. *h. t.* in quo majoritas votorum non respectu minoris partis, sed totius Capituli computatur ex *n.* 411. Barbosa in *Collectan. ad d. cap. n.* 1. P. Engel *hîc n.* 41. P. Wiestner *n.* 202. Fagnanus in *cap. licèt* 6. *n.* 45. P. Krimer *h. t. n.* 1951.

Dixi IV. *vice omnium.* Ex quo apparet, com- 435
promissum habere non modicam affinitatem cum manda-

mandato; ut, sicut mandatum re integrâ potest revocari §. *rectè quoque 9. Inst. Mand.* & *cap. quicunque 11. de Sentent. excommunicat. in 6.* ita & compromissum revocatione finiatur *cap. in causis 30. §. quia verò h.t.* Laymann *q. 90.* Neque singuli de Capitulo consentire debent, cùm singulorum non ampliùs intersit; sed majoris partis consensus satis est. D. Braun *dict. conclus. 3. p. 56.*

436 Dixi V. *Ecclesiæ viduatæ provideant.* Tenentur autem intra trimestrale tempus eligere; &, si absque legitimo impedimento non elegerint, potestas eligendi ad Superiorem devolvitur *cap. si compromissarius in pr. 37. h. t. in 6.* Aliter atque si indignum compromissarii assumpserint: tunc quippe non ad Superiorem, sed Capitulum facultas eligendi revertitur *d. cap. si compromissarius §. si verò eligat &c.*

437 Ratio disparitatis est: quia negligentia procuratoris nocet magis domino, si versetur in omittendo, quàm in committendo *arg. l. si procuratorem 8. §. 4. ff. Mandati & l. ult. ff. de Acquir. possess.* P. Wiestner n. 209. P. Reiffenst. *n. 94.*

438 Cæterùm, sicut eligendus per scrutinium debet habere potiora vota respectu totius Capituli; ita & eligendus debet habere potiora respectu omnium compromissariorum per *cap. sicut eligendi 23. h. t. in 6.* Et sicut Electio per scrutinium communi nomine ab uno est promulganda; ita & Electio per compromissum juxta disertam sententiã Bonifacii VIII. in *cap. sicut càm 21. eôd. in 6.* Laymano *q. 85.*

439 Colliges ex tota hac Sectione I. Electionem quamlibet in sequentibus casibus esse ipsô Jure irritam. I. quando est facta ante mortem Prælati ex *n. 291.* II. quando ne quidem duæ tertiæ de Capitulo fuerunt præsentes ex *n. 327.* III. quando absentiam, non vocatorum, computatis votis, etiam duæ tertiæ præsentes non faciunt majora ex *n. 329.* IV. quando Electores non fuerunt in unum congregati ex *n. 246.*

440 Colliges II. Electionem per inspirationem non valere, I. quando vel unus ex Electoribus est absens, nec legitimè citatus ex *n. 374.* II. quando tempestivè votum vel unus revocavit ex *n. 377.* III. quando electus per inspirationem ipsimet eligendi formæ contradicit ex n. 379.

441 Colliges III. Electionem per scrutinium viribus omninò deficere, I. quando, præscindendô à consuetudine, scrutatores non in numero ternario, aut ex alieno gremio fuerunt assumpti ex *n. 383.* & *n. 388.* II. si vota non exquirantur sigillatim aut secretè ex *n. 392. & seq.* III. si vota non redigantur in scripturam ex n. 401. IV. si non publicentur ex *n. 402.* V. si collatio extra casus in Jure permissos omittatur ex *n. 407.* VI. si pro electo non stent vota absolutè majora ex *n. 411.* VII. si Electio per accessum celebretur ex *n. 414.* VIII. si communis promulgatio factæ Electionis intermittatur ex *n. 425.*

442 Colliges IV. Electionem per Compromissum robur non habere, I. quando non singuli de Capitulo consenserunt ex *n. 428.* II. quando habet admixtum scrutinium, & illius forma non servatur ex *n. 434.* III. quando, re adhuc integrâ, revocatum est ex *n. 435.* IV. quando electus potiorem votorum numerum à compromissariorum parte absolutè majori non est assecutus ex *n. 438.*

§. V.

Paradigma practicum Electionis Canonicæ per scrutinium.

443 Usitatior est Electio per scrutinium. Illius paradigma practicũ, si quis expetat, quoddam exhibeo, planè accuratũ, Romanæque Curiæ non ingratum.

I. Iodie, ad eligendum præfinitô, manè fit sacrum, & sub illo consueta Capitularium communio. Deinde subjunguntur certæ preces de sancto Spiritu. 444

II. Congrediuntur, & consident Capitulares in loco Capitulari consueto, vel alio, ad Electionem destinato. 445

III. Intromittuntur personæ, non-Capitulares, ad actum Electionis specialiter requisitæ, v. g. Procurator Capituli, Notarius, testes. 446

IV. Primus ex Capitulo declarat, memoratas personas ad sua munia in actu Electionis peragenda, assumptas esse; ac simul, ut ea fideliter peragant, hortatur. 447

V. Procurator Capituli (si quis adsit) agit gratiarum actionem pro mandato, sibi injuncto, & requirit (ubi Procurator non admittitur, requisitionem facit primus ex Capitulo) Notarium, ut juxta mentem Capituli omnia & singula, jam acta & deinceps agenda diligenter annotet, desuper unum vel plura, instrumentum vel instrumenta, conficiat, atque pariter unà cum testibus solita præstet juramenta. 448

VI. Notarius requirit testes in testimonium agendorum, & hi reciprocè fidem suam stipulantur. 449

VII. Personæ non-Capitulares, jam nominatæ, videlicèt Procurator, Notarius, testes, solita juramenta emittunt.

VIII. Primus ex Capitulo facit propositionem suam de jamjam instanti Electionis negotio; in cujus fine injungit Notario ultimam absentium citationem, & refixi proclamatis reproductionem. 450

IX. Notarius reproducit dictum proclama. 451

X. Procurator vel alius insinuat, quòd, cùm legitimè citati non compareant, eorum absentiâ non obstante, ad ulteriora, & ipsum actum Electionis, procedere liceat. 452

XI. Protestatur primus ex Capitulo, ad præsentem Electionem inhabiles non admittendos fore. 453

XII. Scrutatores à Procuratore vel alio nomine Capituli requiruntur, ut susceptum onus in mox subsecutura Electione sedulò velint exercere, cum subnexa promissione, Capitulum id omne approbaturum & ratihabiturum, quidquid ex potestate, ab eodem Capitulo eum in finem sibi concessa, in hoc negotio tractaverint. 454

XIII. Capitulares in hujus confirmationem stipulatis manibus promittunt scrutatoribus approbationem & ratihabitionem agendorum: dehinc (si ex Capitulo sint) à loco & sede Capitulari ad specialem mensam se conferunt. 455

XIV. Capitularibus seu electoribus à Procuratore vel primo ex Capitulo insinuatur, deponendum jam esse consuetum juramentum; quod in continenti deponunt. 456

XV. Admonentur quoque Scrutatores, ut speciale de suo officio, ritè obeundo, Sacramentum præstent; quod & faciunt absque mora. 457

XVI. Scrutatores recognoscunt sigilla, quibus armarium schedarum erat signatum, idemque armarium aperiunt. 458

XVII. Procurator vel alius tradit complicatas schedas Scrutatoribus (suppositô, quòd sint de Capitulo) deinde præsentibus Electoribus juxta superscriptionem nominis cujuscunque Scrutatoris aut Electoris; retentis schedis non comparentium & absentium. 459

XVIII. Scrutatores lustrant, & invertunt calicem, in mensa ipsorum positam pro imponendis Eligentium schedis, ut appareat, quòd sit vacuus; eundem quoque inspicientibus Notariô & testibus. 460

XIX. Exit primus Scrutator in contiguum conclave, separat ex consignato sibi catalogo nomen eligendi, regreditur, atque in calicem imponit com- 461

plicatam schedulam sui suffragii; reliquas autem complicatas in inversum pileum, mensæ impositum, conjicit, & prillinum locum, in quo consederat, repetit.

462 XX. Eôdem prorsus modô, cæteri duo Scrutatores, & post hos reliqui Electores successivè & suô quisque ordine, unus post alterum, exit in dictum contiguum conclave, & exinde cum complicata schedula sui suffragii redit, schedulam in calicem immittit, & locum, in quo consederat, rursus occupat.

463 XXI. Exeunt omnes Capitulares in contiguum conclave, donec revocentur; remanentibus solùm Scrutatoribus, Procuratore, Notariô, & testibus.

464 XXII. Primus Scrutatorum commiscet schedulas, in calicem repositas, easdemque in mensam effundit, & repetitâ vice manu miscet.

465 XXIII. Scrutatores computant schedulas, & inquirunt, an cum eligentium numero conveniant?

466 XXIV. Schedulæ à primo Scrutatore aperiuntur, & nomina passivè electorum, in illis conscripta, ab eodem leguntur, cæteris Scrutatoribus, Procuratore, Notariô, & testibus, eas ipsas schedulas inspicientibus, & electorum nomina in scriptis continuò & strenuè redigentibus.

467 XXV. Revocantur Capitulares ad pristina loca in Capitulo.

468 XXVI. Propositio primi Scrutatoris de legitimè completo scrutinio, & faciendâ illius, attentiente Capitulô, publicatione; ac subjuncta Capitularium responsio.

469 XXVII. Publicantur vota à primo Scrutatore, cum expressione nominis passivè electorum, & numeri votorum, quanta quisque sigillatim sortitus fuerit.

470 XXVIII. Interim ab omnibus Dominis in communi fit secreta computatio publicatorum votorum, an illa cum numero eligentium conveniant?

471 Item collatio numeri ad numerum, meriti ad meritum, & Zeli ad Zelum, ut inde manifestiùs constet, num aliquis Dominorum passivè electorum cæteros omnes præcellat, in eumque major & sanior pars Capituli consentiat? Et casu quo, sequitur continuò.

472 XXIX. Communis dictô modô Capitularis & solemnis Electio, per primum Scrutatorem suô & omnium reliquorum nomine per verba singularis numeri facienda, nullô inter hunc, & priores duos numeros, ac illos inter se se actu extraneô intermediô.

473 XXX. Procurator vel alius nomine Capituli petit consensum ab electo.

474 XXXI. Responsio & resolutio ejusdem electi; quæ si fuerit consentiens intentioni Capitularium, emittitur ab electo professio fidei; Electio promulgatur in Ecclesia, ad quam etiam Electus solenniter deducitur.

SECTIO V.

De Effectu & Consequentibus Electionis.

SUMMARIA.

475. & seqq. Recensentur effectus Electionis, qui se tenent ex persona eligentium. 479. & seqq. Enumerantur effectus, qui se tenent ex parte personæ electæ. 484. & seqq. Ostenditur, quòd Electio non tribuat jus in re. 488. & seqq. Electus regulariter non tenetur, Electionem acceptare. 491. & seq. Nec potest, ante confirmationem regulariter administrare. 493. & seqq. Traduntur casus excepti. 498. Electionem sequitur Confirmatio. 499. & seqq. Est ab electo, vel Capitulo, vel alio petenda. 505. & seq. Intra trimestre à die præstiti consensûs. 507. Specialia ex cap. 16. h. t. in 6. *notantur. 508. & seqq. Petitur de Jure communi ab immediato Superiore. 511. & seqq. Ad illius impertitionem certum tempus non est assignatum. 513. & seqq. Præmittitur inquisitio. 517. & seq. Citantur contradictores. 519. Confirmationis nullitas non obest Electioni. 520. & seqq. Indigitantur effectus Confirmationis. 527. & seqq. Varia annatarum genera. 533. Illarum quantitas in Germania. 534. & seqq. Diversa placita de illarum origine. 538. & seqq. Earundem justa exactio. 542. & seqq. Objectionum profligatio. 547. & seqq. Post Confirmationem Episcopus est consecrandus intra tres menses. 550. & seq. Die Dominica. 552. Forma præscripta. 553. & seqq. Consecratio ab Episcopo fieri debet. 556. & seqq. Et quidem juxta aliquos indispensabiliter à tribus. 560. & seqq. Ostenditur, ex sola Ecclesiæ constitutione tres Episcopos exigi. 564. & seqq. Satisfit argumentis oppositis. 568. & seq. Consecratores à S. Pontifice solent delegari. 570. Indicatur effectus consecrationis. 571. Actus Ordinis ante consecrationem delegari possunt. 572. & seq. Beneficia de stylo Curiæ post Confirmationem statim incipiunt vacare. 574. & seqq. Describitur Pallium moraliter & physicè. 577. Regulariter solis Archi-Episcopis datur. 578. Assumitur ex Corpore D. Petri. 579. & seqq. Confert nomen & potestatem Archi-Episcopalem. 583. & seq. Petendum est intra tres menses. 585. A Summo Pontifice confertur. 586. Ex privilegio ab aliis. 587. & seq. Usus illius est personalis. 589. Temporalis. 590. & seq. Et localis. 592. & seq. Refertur sententia docentium, in loco exempto non posse in Pallio celebrari. 594. Defenditur sententia contraria. 596. & seqq. Ad opposita respondetur. 599. Missa de requiem non dicitur in Pallio. 600. Extra provinciam potest Archi-Episcopus ex delegatione sine Pallio ordinare. 601. Adducitur* Extravag. un. h. t. inter commun. *602. Appellatio contra Electionem, si judicialis sit, nihil habet speciale. 603. Extrajudicialis regulatur secundum textum in* cap. 4. h. t. in 6. *604. & seqq. Latius explicatur citatum cap.*

§. I.

De Effectu Electionis.

Effectus Electionis alius est ex parte eligentium, 475
alius est ex parte electi. Ex parte eligentium duplex effectus occurrit. Primus est, quòd, si ritè & legitimè elegerint, censeantur esse functi suô officiô, neque ratione negligentiæ devolutio ad Superiorem fieri possit *cap. si Electio 26. h. t. in 6.*

Alter est, quòd, si ritè non elegerint, subeant 476
pœnas, à Jure statutas. Et imprimis quidem eligentes scienter indignum, secutô effectu, privantur pro unâ vice potestate eligendi *cap. cùm in cunctis 7. §. ult. cap. cùm Vintoniensis 25. cap. scriptum est. 40. h. t. cap. perpetuo 7. eôd. in 6.* atque insuper à beneficiis per triennium suspenduntur *d. cap. cùm in cunctis §. Clerici.* Deinde si contra formam Ju- 477
ris eligant, pro eâ vice pariter voce activâ privantur per sententiam *cap. quia propter 42. h. t.* Videatur Reiffenstuel *hic a n. 251.*

Tertius effectus est, quòd eligentes teneantur 478
intra octiduum, si commodè queat fieri, Electionem

electo,

electo, si forsan absit, præsentare: aliàs in pœnam
ab Electionis persecutione quoad suas (non electi)
personas exclusi, atque à suæ Ecclesiæ beneficiis
per triennium ipsô Jure suspensi sunt *cap. cupientes*
16. §. ceterùm b. t. in 6.
479 Ex parte electi rursus bifarius se prodit effectus.
Primus est, quòd Electionem intra mensem à die
habitæ notitiæ teneatur acceptare, ni jure, per
Electionem quærendô, ipsô factô excidere velit
480 *cap. quam sit 6.eôd. in 6.* Exceptio est in Religio-
so, vel alio, qui sinè præhabito Superioris consen-
su nequit in Electionem consentire: talis quippe,
vel alius ipsius locô, intra tempus, arbitriô Judi-
cis moderandum, tenetur petere consensum Su-
perioris, sub pœna amittendi juris, per Electio-
nem acquisiti; &, ubi consensum petierit, tunc
mensis, ad deliberandum concessus, primùm inci-
pit currere *d. cap. quàm sit.*
481 Secundus est, quòd, si Electionem acceptet,
jus ad rem consequatur, adeò ut absque injuria non
possit alius eidem Ecclesiæ præfici, et novam Ele-
ctionem aut aliam provisionem, nisi defectus quis-
piam vel ex parte electi, vel ex parte Electionis de-
tegatur per *cap. inter corporalia 2. & cap. ult. de*
de Translat. Episcop. cap. in causis 30. quia verò b. t.
482 Dixi: *jus ad rem.* Hanc quippe opinionem, quam
tenent Passerinus *de Elect.cap.*33.n.7. Leuren. *q.*424.
n. 1. *& seqq.* Pirhing *b.t.*n. 2. Wiestner *ibid. n.* 270.
Reiffenstuel *eôd. l. n.*31. præfero sententiæ Fagna-
ni in *cap. cùm vos* 4. *de Off. Ordin. n.* 52. & alio-
rum, quos citant Authores citati, putantium, per
Electionis acceptationem jus in re electo acquiri.
483 Enimverò, ut habent allegati textus in *cap. inter* 2.
& cap. ult. de Translat. Episc. Electio acceptata ob-
tinet rationem sponsalium inter electum & Eccle-
siam. Atqui sponsalia non tribuunt jus in re, seu in
corpore sponsorum, sed jus ad ram duntaxat per
cap. veniens 15. *cap. sicut ex litteris* 22. *de Sponsal.*
cap. duobus modis 1. *de Sponsa duor.* Ergo nec Ele-
484 ctio acceptata tribuit jus in re. Cujus ulterior ratio
est: quia in *cap. si Electio* 26. *b.t.* in 6. supponitur,
electum post consensum præstitum resignare posse
pro suo libitu, ac Ecclesiam ita resignatam non tam
de novo per resignationem, quàm mortem antecés-
485 soris vacare. Hoc autem admitti vel dici non pos-
set, si electus jam haberet jus in re: tunc etenim ad
resignationem validam authoritate Superioris opus
foret *arg. d. cap. inter de Translat. Episc.* & *cap. ad-*
monet. 4. *de Renunt.* Ergo &c.
486 Neque facit in contrarium, quòd in *cap. nihil est*
44. *§. Episcopi quoque b. t.* permittatur Episcopis,
487 extra Italiam electis, jus administrandi. Nam id so-
lùm *dispensativè propter necessitates Ecclesiarum*, ut
loquitur ibidem Pontifex, permittitur: salvô cæ-
teroquin Jure communi, quod electis ante Confir-
mationem generaliter interdixit administrandi fa-
cultatem; ut statim dicetur.
488 Interrogabis I. an electus consentire, & Elec-
tionam acceptare teneatur? Resp. eum regulariter
non teneri. Ratio est: quia ipsamet Jura liberum
relinquunt electo, velitne acceptare vel recusare
Electionem *d. cap. si Electio* 26. *b.* t. *in* 6. insuper
spatium unius mensis ad deliberandum, num accep-
tare consultum judicet? concedunt *d. cap. quàm*
sit 6. *eôd. in* 6. Quin & invito beneficium conferri,
aut potiùs obtrudi, non volunt Jura *arg. cap. si ti-*
bi absenti 17. *de Præb. in*6. & *l.* 69. *ff. de R. J.* Et
489 meritò. Quid enim valeant humeri, quid ferre re-
cusent, nemo certiùs intelligit, quàm ipse, de cu-
jus Electione agitur. Ut adeò compelli non debeat
ad onus gubernationis assumendum, cui suppor-
tando imparem se esse, quis agnoscit.
490 Dixi *regulariter.* Si enim nullus alius adsit, qui

vacantem Ecclesiam cum utilitate & fructu regen-
dam suscipere valeret, tunc utique ex charitate te-
neretur electus consentire per textum appositum
in *cap. sicut is* 3. *I. q.*6. posseteque ad id à Superiore
compelli *arg. cap. ante omnia* 7. *Dist.* 40. P. Engel
ad *b. t. n.*46. P. Wiestner ad *d. t. n.* 367.
Interrogabis II. an electus post consensum præ- 491
stitum administrare possit, antequàm Confirmatio-
nem impetraverit?
Resp. regulam esse, quòd nequeat administrare
ex variis textibus in *cap. nôsti* 9. *cap. qualiter* 17. *b.*
t. cap. avaritia 5. *eôd.* in 6. *Extravag. injunctæ* 1.
eôd. inter commun. in quibus electus, administratio-
ni ante Confirmationem se ingerens, etiam œcono-
mi vel procuratoris titulô & prætextu, non tantùm
jure, per Electionem acquisitô, privatur, sed pœ-
nis quoque subjicitur. Cujus ratio ex *n.* 482. pe- 492
tenda est, ubi probatum reliquimus, non jus in re,
sed ad rem electo ante Confirmationem compete-
re; quale jus per se non est aptum ad liberam di-
positionem vel administrationem, in actu secundo
exercendam.
Ab hac tamen regula tres exceptiones facit P. 493
Engel *cit. l. n.* 51. Prima est: si specialis admini-
strandi licentia à Confirmatore fuerit accepta. Se-
cunda: si ex Privilegio vel consuetudine ita juris
sit. Tertia: si Confirmatio ad Sedem Apostolicam
spectet, & Electio extra Italiam in concordia sit per-
acta; quò posteriore casu specialis et administratio,
excepta alienatione, permissa est in *d. cap. nihil est*
44. *§. Episcopi quoque b. t.* Et licèt Episcopi Ger- 494
maniæ, etiam in concordia electi, hâc administrandi
facultate non utantur, antequàm cum *placet* (ut vo-
cant) licentiam Româ acceperint, attestante eôdem
P. Engel *cit.* n.51. non tamen crediderim, per hunc
non-usum privilegium, a jure concessum, fuisse sub-
latum, docente sic Laymannô de *Elect. q.* 112.
Wagnereckiô ad *cit. cap. nihil v. ultra Italiam.*
Minùs crediderim, dispositionem *cit. cap. nihil* 495
per *Extravag. injuncta b.t. inter commun.* abrogatam
fuisse, veluti contra Passerinum de *Elect. cap.* 33.
n. 35. sentiunt P. Engel *d. n.*51. P. Wiestner *hîc n.*
273. Esto enim illa *Extravag.* sit constitutio poste-
rior, ac generaliter omnem administrationem ante
Confirmationem interdicat: hoc ipso tamen, quòd
generalis sit, & illa prior constitutio in *cit. cap. nihil*
specialis, vim non habet, illam priorem, absque
speciali derogatione, abolendi.
Dixi: *Episcopis, in concordia electis, administran-* 496
di potestatem competere. Quod ita intelligendum
cupio, ut electi in concordia non solùm illi censean-
tur, qui ex opinione Panormitani in *cit. cap. n.* 4.
Fagnani *ibid. n.* 12. Barbosæ in *cap. cupientes h.t.in*
6. *n.*27. nemine ex Electoribus dissentiente, per qua-
si-inspirationam ad Prælaturam ascenderunt: sed 497
etiam, qui ex mente P. Laymanni ad *d.cap. nihil n.*
6. P. Pirhing *b.t.n.* 297. P. Leurenii *q.* 432.*n.* 10. à
majori & saniori parte sunt electi, parte minori in
alium quidem sua suffragia conferente, non tamen
Electionem majoris & sanioris partis impugnante:
tum quia dicta dispositio, tanquam favorabilis, la-
tiorem interpretationem meretur: tum quia, si alia &
prima formetur explicatio, vix aliquando locum
in praxi reperiet.

§. II.

De Confirmatione Electi.

Primum, quòd Electionem acceptatam conse- 498
quitur, est Electi Confirmatio: circa quam in dis-
ceptationem venit I. quandónam peti debeat? II.
à quonam sit petenda? III. quò tempore, & quibus

requisitis concedenda? IV. quid operetur con-
cessa? Ut singula ritè disceptantur,
499 Dico I. Electus intra trimestre, à die præstiti
consensûs numerandum, petere debet Confirma-
tionem, si alibi, quàm Romæ petenda sit.
500 Dixi I. *electus*. Nihil autem interest, an ipsemet,
an alius Confirmationem petat. Nam, licèt ipsemet
petat, ambitionis tamen insimulari nequit: quia pe-
tere, quod sibi debetur, non ad vanitatem, sed ju-
501 stitiam pertinet. Leuren. *q.* 446. *n.* 1. Sin alius pe-
tat, sive extraneus sit, sive unus de Capitulo, sive
totum Capitulum, obtinet regula Juris, quòd ac-
tus, alienô ministeriô in gratiam nostram exerciti,
nobis æquè prosint, ac si à nobis gesti fuissent *cap.*
502 *qui facit* 72. *de R. J. in* 6. Neque mandatô præ-
cisè opus est, ut alius electi nomine Confirmatio-
nem sollicitet: nam rescripta gratiæ, & indulta fa-
vorabilia pro alio impetrari posse, esto mandatum
non interveniat, conclusum est in *tract. de Jure
Leg. cap.* 8. *n.* 40. Barbosa *J. E. V. lib.* 1. *cap.* 19.
n. 246. Passerin. *cap.* 33. *n.* 46. Leuren. *q.* 447. *n.*
1. 2. & 3.
503 Dixi II. *intra trimestre, à die præstiti consensûs
numerandum*; prout definitum inveni in *cap. quàm
sit* 6. *h. t. n.* 6. suppositô, quòd impedimentum le-
gitimum non occurrat.
504 Dixi III. *petere debet Confirmationem*, ita ut, si
tempus trimestre, non petitâ Confirmatione, præ-
terlapsum sit, Electio præcedens habeatur ipsô Jure
pro irrita, & ad novam decurratur *d. cap. quàm sit.*
Barbosa *ibid. n.* 5. P. Wiestner *hic n.* 313.
505 Dixi IV. *si alibi, quàm Romæ petenda sit.* Nam *ele-
cti Cathedralium vel Regularium Ecclesiarum, quo-
rum Confirmationes vel informationes ad ipsius Sedis
examen deducit immediata subjectio, vel appellatio
interjecta devolvit, intra unum mensem post consen-
sum, vel post obtentam de ipsorum Electione notitiam
(si eam debitô tempore non contigerit præsentari)* ad
Sedem ipsam *iter arripiant &c.* oportet, ut sonant
formalia *cap. cupientes* 16. *post princip. h. t. in* 6. Ne-
506 que sufficit, procuratorem mittere, tametsi taliter
promoti nequeant ob impedimentum urgens in per-
sona comparere; sed, quandocunque occurrens im-
pedimentum cessaverit, personaliter Romam acce-
dere jubentur in contextu ejusdem *cap.* ni jus per
507 Electionem partum amittere velint. Quia autem in
Germania & alibi non sinè magnis sumptibus & dif-
ficultatibus Romam proficisci possunt electi, usu
receptum est, ut super Electione factâ conficiatur
instrumentum publicum, à Capitularibus vel Scru-
tatoribus subscriptum, vel subsignatum, ex quo
S. Pontifex de valore Electionis informetur. P.
Engel *h. t. n.* 49.
508 Dico II. Confirmatio ab immediato Superiore
de Jure communi petenda est. Est communissima
DD. Barbosa *J. E. V. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 1. & 2. Tam-
burini de *J. A. tom.* 1. *disp.* 6. *quæst.* 1. *n.* 1. Honorii
ab Axel. *h. t. n.* 20. Laymanni *quæst.* 107. Passerini
cap. 33. *n.* 68. Engelii ad *h. t. n.* 50. Leurenii *quæst.* 459.
509 *n.* 2. Explicatur, & probatur ab inductione. Abba-
tes non-exempti confirmantur ab Episcopo *arg.
cap. statuimus* 1. *de supplend. neglig. Prælat.* vel Se-
de vacante à Capitulo *cap. cùm olim* 14. *de M. &
O.* Episcopi Confirmationem petunt ab Archi-
Episcopo *cap. ult. Dist.* 64. *cap. cùm dilectus* 32.
h. t. Archi-Episcopi à Patriarcha vel Primate per
cap. quia 9. *Dist.* 63. *cap. mos antiquus* 6. *Dist.* 65.
Patriarchæ & Primates à S. Pontifice *arg. cap. scrip-
tum* 40. *h. t.*
510 Dixi *de Jure Communi*. Nam Jure speciali Germa-
niæ Concordatorum Confirmationes Episcoporum
& Archi-Episcoporum, sicut & aliorum Prælato-
rum Germaniæ Exemptorum, peculiariter Aposto-
licæ Sedi reservatæ sunt; ita quidem, ut Legati à
latere, quibus ea *cap. si Abbatem* 36. §. *hujusmodi h.
t. in* 6. talium Antistitum Confirmatio concessa erat,
jam non ampliùs hoc munus exercere valeant; quem-
admodùm docet Clariss. D. Spengler *cap.* 8. *n.* 7.
De quo tamen stylum & usum Curiæ Romanæ con-
sulendum esse, monet P. Engel *n.* 58.
Dico III. Pro impertienda Confirmatione nul- 511
lum in Jure tempus expressum est: ut tamen ritè
impertiatur, inquisitio in formam Electionis & qua-
litates electi, æquè ac citatio contradictorum præ-
cedere debet.
Dixi I. *pro impertienda Confirmatione nullum in* 512
Jure tempus expressum est. Panormitan. in *cap. post-
quàm* 3. *h. t. n.* 8. Honorius ad *h. t. n.* 23. Layman. *q.* 109.
D. Spengler *n.* 8. Quia verò vacanti Ecclesiæ nul-
latenùs commodum & proficuum est, diu nimium
Confirmationem differri, potest Confirmatori ab ip-
sius Superiore terminus, intra quem Confirmatio
danda sit, præstitui: quô elapsô, locus dabitur sup-
plendæ negligentiæ *arg. cap. irrefragabili* 13. §. *ex-
cessus de Off. Jud. ordin.* DD. mox nominati.
Dixi II. *inquisitionem in formam Electionis* præce- 513
dere debere per *cap. nihil* 44. *h. t.* Ad quod appositè
faciet instrumentum seu decretum Electionis, in
quo totus Electionis processus authenticè descrip-
tus continetur. Abbas in *cap. innotuit* 20. *h. t. n.* 15.
Sylvester *V. Electio* 1. *q.* 18. Laymann *q.* 110.
Dixi III. *& qualitates electi*; subaudi, inquisitio-
nem formandam esse; *d. cap. nihil & cap. cùm nobis* 514
19. *h. t.* in specie de ætate, literarum scientia, mo-
rum gravitate, ac vitiorum carentia, de quibus in
tota *sect.* 3. Ne, omissâ hâc inquisitione promo- 515
veatur, & confirmetur persona indigna; ac ipse
Confirmator privationem confirmandi successorem
proximum, unà cum suspensione à beneficio & pœ-
nis aliis juxta constitutionem *d. cap. nihil* incurrat.
In Germania nostra testatur Laymann *quæst.* 163. 516
hunc morem esse receptum, ut electus Episcopus
viciniori Episcopo se examinandum tradat, præsen-
tibus testibus; posteà processum examinis Romam
destinari.
Dixi IV. *etiam citationem contradictorum* esse 517
præmittendam; hôc moderamine servatô, ut, si
coëlectus aliquis adsit, vel alius qui Electioni se op-
ponat, nominatim à Confirmatore ad causam agen-
dam vocetur. Sin nullus ex hoc personarum gene- 518
re reperiatur, generale edictum ad Ecclesiæ valvas
affigatur, in quo generatim & peremptoriè citan-
tur ad diem certum, quibuscunque animus est,
Electionem impugnandi *cap. ult. h. t. in* 6. ubi in-
super pœna irritationis interminatur, si præmissa
negligantur.
Quæres: an, si Confirmatio ob servanda non 519
servata sit irrita, Electio quoque irritetur? Resp.
negativè conformiter decisioni Bonifacianæ in *cap.
si confirmationem* 39. *h. t. in* 6. Ratio est: quia non
Electio à Confirmatione, sed potiùs Confirmatio
ab Electione pendet. Ergo, infirmatâ Confirmatio-
ne, nihilo minùs salva manere potest Electio.
Dico IV. Confirmatio impertita sequentes effe- 520
ctus operatur.
Primò producit jus in re, seu titulum & quasi-
proprietatem ac dominium in Prælatura, ita ut vi-
vente Prælatô nequeat sinè ipsius culpa vel con-
sensu alius in Prælatum validè eligi, aut quôvis
modô substitui. II. si Ecclesia Cathedralis, Me- 521
tropolitica, vel Patriarchalis sit, inducit Confirma-
tio arctissimum vinculum Matrimonii spiritualis rati
inter electum & Ecclesiam, ratione cujus nec re-
signare ampliùs, nec ad aliam Ecclesiam transire,
inconsultô Romanô Pontifice, possit *cap. nisi* 10. *de
Renuntiat. cap. cùm ex illo* 1. & 3. *seqq. de Translat. Ep.*

III.

522 III. tribuit Confirmatio jus administrandi non tan-
tùm res & bona temporalia, sed etiam jurisdictio-
nem spiritualem & Ecclesiasticam, *exceptis iis, quæ
majoris inquisitionis sunt, & ministerium Consecratio-
nis desiderant cap. transmissam* 15. *h. t.* & ibi Gon-
523 zalez *n.* 9. *& seqq.* Quartò supplet ac sanat Con-
firmatio, in forma speciali concessa, omnes defec-
tus, vitia, ac errores, in Electione commissos, Juri
Divino vel Naturali non adversos. Panormitanus
in *cap. ad probandum* 24. *de Sent. & re judic. n.* 5.
Passerinus *cap.* 33. *n.*167. Wiestner *h. t. n.* 331. Se-
524 cùs, si in forma communi sit concessa. Cujus dif-
ferentia & ratio est: quia Confirmatio in forma
communi non tam novum robur rei gestæ conciliat,
quàm authoritatem extrinsecam tribuit: cùm è
contra confirmatio, in forma speciali indulta, ut
aliquid speciale operetur, possit & debeat Electio-
nem, de se imperfectam, reddere perfectam per
cap. si quis 1. *cap. cùm dilecta* 4. *cap. examinata* 7.
de Confirmat. utili vel inut. cap. quia diversitatem
5. *de Concess. præb.*

525 Exquires: an enumerati effectus, præsertim jus
administrandi, vim ac virtutem habeant ante, quàm
Confirmatus in possessionem solenniter introductus,
seu, ut vulgò loquuntur, installatus fuerit?

526 Resp. abstrahendô à speciali locorum Consuetu-
dine, affirmativè. Ratio est: quia in *cap. nosti* 9.
cap. transmissam 15. *cap. qualiter* 17. *cap. nihil* 44.
h. t. soli Confirmationi tribuitur potestas admini-
strandi & exercendi munera, Prælaturæ connexa.
Conferantur Laymann *n.*113. & Spengler *d. cap.*8.
n. 12.

§. III.

De Annatis, ab Electo solvendis.

527 Secundum Consequens ad Electionem est obli-
gatio solvendi annatas. Ubi

Sciendum I. annatas vel inde dictas, quòd ad-
natæ quasi sint reditibus Episcopatuum, aliorum-
que beneficiorum, ut sentit P. Wagnereck in *Exe-
gesi ad §. placet similiter* 4. *in Concordat. German.* v.
de fructibus primi anni: vel quòd ex fructibus pri-
mi anni pendantur, ut existimat Fagnanus in *cap.
prætereà* 1. *Ne prælati vices suas n.*8.

528 Sciendum II. à Fagnano *cit. l. n.* 9. quatuor an-
natarum species assignari. Primam vocat *annatam
in specie*, quæ est dimidia pars fructuum, Cameræ
Apostolicæ persolvenda, de omnibus beneficiis,
quæ à Papa extra Consistorium conferuntur, si eo-
rum valor sive reditus annuus 24. florenos auri de
529 Camera sive ducatos excedat. Et quia Canonica-
tus Germaniæ & Hispaniæ, etiamsi annui eorum
reditus mille aureos superent, in Camera non nisi
24. aureis æstimantur, hinc est, quòd de iis nullæ
præstentur annatæ, ut testantur Chokier ad *reg.
Cancell.* 61. Wagnereck ad *cit. §. placet* v. *quæ va-
lorem viginti quatuor &c.* Wiestner ad *tit. de Præ-
530 bend. n.*149. Secundam speciem Fagnanus *servi-
tia minuta* nuncupat, sive *quinque portiunculas*, quæ
inter Papæ Ministros & Officiales distribui solent.
531 Tertiam appellat *quindennium*, quæ est dimidia
pars fructuum unius anni, Cameræ Apostolicæ sin-
gulis quindecim annis de quibusdam beneficiis sol-
venda, vel propter unionem vel exemptionem à
communi reservatione: sicut Præpositura Cathe-
dralis Augustana, quia ex speciali indulto Papæ fa-
cta est electiva, suum quindennium seu quindenas
solvere tenetur, testibus P. Wagnereck ad *d. §. v. de
fructibus primi anni not.*3. & P. Wiestner *cit. l. n.*149.
532 Quartam *commune servitium* nominat, estque fruc-
tus primi anni, seu certa pecuniæ summa, quæ Ca-
meræ Apostolicæ secundùm ejus librorum taxam
solvitur à Prælatis, quorum Prælaturæ in Consisto-
rio Cardinalium, rogatis eorum sententiis, confe-
runtur, inter Pontificem & Cardinales dividenda.

Sciendum III. ab Episcopis, Archi-Episcopis, 533
& illis Germaniæ Prælatis, qui S. Sedi immediatè
sunt subjecti, quales sunt Fuldensis, Campidonen-
sis, Elvacensis &c. noviter electis, ultimam anna-
tarum speciem, juxta verba & literam Concorda-
torum Germaniæ hôc modô solvendam esse. I. ut
summa & quantitas, juxta taxam Cameræ Aposto-
licæ, quintam partem redituum annuorum Præla-
turæ vix superet, atque adeò ab Episcopatu, cujus
annui fructus sunt 100000. floreni, circiter 20000.
præstentur. II. ut dimidia pars hujus summæ pri-
mô regiminis annô: altera dimidia pars altero anno;
&, si Prælatura sæpiùs vacet, non sæpius, sed se-
mel duntaxat annata solvatur. III. ut, quod Ante-
cessor Prælatus non præstitit, Successorem in offi-
cio non oneret. IV. ut, si Prælaturæ quædam ex-
cessivè videantur esse taxatæ, ad earum relaxatio-
nem & mitigationem devenire liceat. P. Engel ad
tit. de Præb. n. 53. P. Wagnereck ad *cit. §. placet*
v. *quæ valorem not.* 2. P. Leurenius *q.* 601. *n.* 1. *&*
2. P. Wiestner *cit. loc. n.* 146.

Sciendum IV. de annatarum origine difformes 534
sententias existere. I. enim aliqui cum Platina in
Vita Bonifacii IX. huic Pontifici annatarum ori-
ginem adscribunt: eò quòd hodiedum Bonifa-
cianæ nuncupentur. Sed passim exploditur hæc 535
opinio: quia non omnes annatæ sunt Bonifacia-
næ, sed ea tantùm, quam in *n.*529. retulimus: nam
tempore Joannis XXII. qui sedit ante Bonifacium
IX. in Petri Cathedra, jam fuerunt in usu per
textum in *Extrav. cùm nonnullæ* 11. *de Præbend.
inter commun.*

II. sunt alii, qui annatarum Authorem velint 536
præfatum Joannem XXII. Sed neque hi fidem me-
lioris notæ DD. faciunt: quia jam tempore S. Da-
masi circa annum 367. consueverunt S. Pontifices
à beneficiatis aliquam pensionem recipere, veluti
ostendit Fagnanus ubi suprà *n.* 14.

III. est doctrina Cajetani, quam refert, & se- 537
quitur Fagnanus mox *cit.* ad ipsa Ecclesiæ primor-
dia annatarum impositionem referentis: eò quòd
Ecclesiæ Jerosolymitanæ jam Apostolorum tem-
poribus collectæ quædam solutæ sint.

Sciendum V. quidquid sit de annatarum intro- 538
ductione originariâ, ab omnibus, qui veritatem in
æstimatione, & Sedem Apostolicam in veneratio-
ne habent, annatarum exactionem, ut licitam, de-
fendi. Ratio est I. quia S. Pontifex, tanquàm
Supremus Ecclesiæ Princeps, potest utique in re-
cognitionem Suprematus ab inferioribus Prælatis
& Clericis aliquid exigere: quemadmodùm Supre-
mus Princeps Imperii potest à suis Vasallis aliquid
in recognitionem Supremi Dominii petere *l. un. Cod.
de Annon. & capitat. &c. l. comperit* 6. *Cod. de Præ-
script.* 30. *vel* 40. *annor.* II. quia inferioribus 539
Episcopis non est prohibitum, charitativum subsi-
dium in sua Diœcesi petere *cap. conquerente* 16. *de
Off. Judic. Ord.* & Summus Ecclesiæ Episcopus
tali subsidio privatus sit? III. quia jam in Veteri 540
Lege *Num.* 18. Levitis erat præceptum, ut de deci-
mis decimas offerant, easque Sacerdotum Maximo,
Aaroni, porrigant: ut adeò Sacerdotum Maximo
in Lege Gratiæ prohibitum esse, nemo sanus dixe-
rit, quin aliquam partem fructuum, non singulis
annis, sed viginti sæpe, triginta, aut quadragin-
ta annis semel duntaxat solvendam, exigere possit.
IV. quia non tantùm fundatores beneficiorum 541
possunt census annuos vel alios favores sibi reser-
vare, sed etiam à Papa potest in beneficio jam fun-
dato pensio quædam in favorem alicujus indigentis

Ecclesiæ imponi: cùm ergo omnium Ecclesiarum fundator & Author sit Romanus Pontifex, potuit utique in suum commodum & favorem, in subsidium suorum Ministrorum, in stipendium suorum Legatorum &c. aliquas pensiones Ecclesiis imponere. Videantur Card. Sfortia Pallavicin. in *Historia Concilii Trident. lib.2. cap.8.n.3.* & 4. Fagnanus in *cit. cap.prætereà ne Prælati vices suas n.14.& plur. seqq.* Wagnereck *cit. l. in v. de fructibus primi anni not. 1.* Wiestner *alleg. l. n.* 151.

542 Inter eos, qui annatarum exactionem velut simoniacam traduxerunt, Duarenum *lib. 6. de sacr. minister.* fuisse, scribit personatus Author *Tractatûs Novi Historico-Jurid. de annatis q.x.* quasi videlicèt Romanus Pontifex, annatis tanquam pretiô Infu-

543 las & Pallia venumdet. Sed quàm absona & absurda hæc sit crisis, ex rationibus primùm enumeratis relucet. Jus spirituale, quod est in beneficiis & Prælaturis Ecclesiasticis, non venditur per annatas, sed juri temporali, quod in facultate percipiendi fructus consistit, onus aliquod & tributum imponitur, quô inferiores Ecclesiæ in reverentiam, sublevamen, & indigentiam Ecclesiæ Majoris & Romanæ toties, quoties vacant, certam pecuniarum quotam dependunt. Quod simoniacum non esse, ex sola terminorum apprehensione patescit.

544 Alii, de quibus agit Eminentiss. Pallavicinus *cit. lib. 2. cap. 8. n.3.* annatis in Concil. Trident. opponebant: à Germanis Principibus fuisse in earum persolutionem consensum per aliquod tempus sub conditione, dummodò in bella contra Turcas pecunia impenderetur; ac proinde, quò certiùs ita impenderetur, sancitum esse, ut imposterum annatæ à Cæsa-

545 reo Fisco exigerentur. Verùm idem Cardinalis *d. cap.8.n.4.* respondet huic oppositioni, non hanc conditionem, sed rationes à *n.*538. propositas, annata-

546 rum exactionem persuasisse. Fuisse Pontifices, qui Germanis Imperatoribus, contra Turcas bella gerentibus, valida auxilia suppeditârunt: suisséque à gloriosissimæ memoriæ Sanctissimo Pontifice Innocentio XI. ingentem auri & argenti vim adversùs lunatos & juratos Christiani Nominis hostes profusam, nostri temporis, Acatholicorum quoque testimoniô comprobata historia, perhibet.

§. IV.

De Consecratione Electi.

547 Tertiò consequitur ad Electionem respectu Episcoporum Consecratio: circa quam tria trutinanda sunt. I. quô tempore & modô sit Electus consecrandus? II. à quo? III. quid conferat Consecratio?

548 Dico I. Consecratio intra tres menses, à die Confirmationis numerandos, die Dominicâ juxta præscriptam Ecclesiæ formam impertiri debet.

549 Dixi I. *intra tres menses.* Quòd si, deficiente rationabili causâ, diutiùs Consecrationem distulerint Episcopi, antiquô Jure variis pœnis subdebantur, quas legere est in *cap. quoniam x. Dist. 75. & cap.1. §. si verò Dist.* 100. Noviori autem Jure tenentur ad restitutionem perceptorum fructuum; &, si mora usque ad alios tres menses prorogetur, ipsò factò privationem adeptæ dignitatis subeunt. Trid. Concil. *sess. 23. de Reformat. cap. 2.*

550 Dixi II. *die Dominicâ.* Ita habetur in *cap. ordinationes 1. & cap. quòd die 5. Dist.75.* Cujus rationem ibidem dat Leo Pontifex: quia dies Dominica est repræsentativa Dominicæ Resurrectionis, in qua, cùm *mundus sumpserit exordium, vita initium, mors interitum, quidquid à Domino est insigniut constitu-*

551 *tum, geri* oportet. Et quidem eâ horâ, quâ cantatur in Choro Tertia, Consecratio facienda est *d. cap. ordinationes*, ex ratione, ut reor, quòd Spiritus sancti gratia, quæ tunc ab Ecclesia exorari solet, Pastori populi apprimè sit necessaria: quia (verba sunt D. Anacleti in *cit. cap.*) *omnis sanctificatio nostra consistit in Spiritu sancto.*

Dixi III. *juxta præscriptam Ecclesiæ formam*; 552
quam ordine descriptam in Pontificali, ac mysticis rationibus illustratam apud Barbosam de *Offic. & Pot. Ep. tit. 1. cap. 5. à n. 9.* invenire licet.

Dico II. Episcopus electus à tribus Episcopis, 553
qui à Sede Apostolica specialiter ad hoc delegati sunt, consecrandus est.

Dixi I. *à tribus Episcopis.* Ubi monendum I. ex 554
Divina institutione promanâsse, ut non alius quàm Episcopus Episcopalem consecrationem conficere præsumat, uti colligitur partim ex Apostolo ad Hebr. *cap.7. v. 7.* ibi: *quod minus est, à meliore benedicitur*: partim ex ratione, quia ad hoc, ut aliquis potestatem Ordinis Episcopalis adminiculô Consecrationis conferat, debet ille eandem potestatem antecedenter habere. Unde vix non canoni- 555
zata sententia contra Paludanum docet, non posse simplici Sacerdoti munus consecrandi à S. Pontifice delegari: quàm parum enim S. Pontifex suâ delegatione efficere potest, ut, qui Sacerdos non est, Sacramentum Eucharistiæ conficiat: quia caret charactere & potestate conficiendi; tam parum suâ delegatione efficere potest, ut, qui Episcopus non est, Ordinem Episcopalem alteri conferat: quia videlicèt ipsemet characterem & Ordinem Episcopalem non habet. P. Wiestner ad *tit. de Elect. n.* 338.

Monendum II. gravissimam esse controversiam: 556
an dispensatione Pontificiâ fieri possit, ut Episcopus ab uno tantùm Episcopo ordinetur? Quòd enim fieri non possit, textus, exemplum, ratio, & authoritas persuadere videntur. Textus non unus extat tam in Scriptura apud D. Paulum 1. *ad Timoth.cap. 4. v.14.* ubi habetur, Episcopos *cum impositione manuum Presbyterii* (hoc est, in præsentia Episcoporum, manus imponentium) ordinandos esse; quàm in Decreto, ubi Damasus in *cap. chorepiscopi 5. Dist. 68.* ait: *quòd autem non sint Episcopi, qui minùs, quàm à tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet: quoniam, ut bene nostis, prohibitum à Sanctis est Patribus, ut, qui ab uno vel à duobus sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi. Si nomen non habent, qualiter officium habebunt?* Exemplum refertur in 557
cap. porrò x. Dist. 66. quòd *Jerosolymitarum primus Archi-Episcopus beatus Jacobus, qui justus dicebatur, à Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis sit ordinatus, successoribus videlicèt suis*, ut inquit Anicetus in *eôd. cap. dantibus formam, ut non minùs quàm à tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus, ullatenùs Episcopus ordinetur, & communi votô ordinatio celebretur.* Ratio etiam dictat, non 558
posse à S. Pontifice formam Sacramentorum, à DEO institutam, immutari; consequenter neque numerum trium Episcoporum, velut de forma præscriptum, suppleri. Authoritas nititur pluribus Vi- 559
ris doctis, à Fagnano in *cap. requisivit de Ordinat. ab Episc.n.86.* Barbosa de *Off. & Pot. Ep. cit. tit.1. cap. 5. n.5.* relatis, qui cum Castropalao *Oper. Moral. tr.27. p.14. n.13.* negant, hanc delegationem S. Pontifici concessam esse.

Quod autem ex dispensatione Apostolica ab uno 560
Episcopo, assistentibus duobus Abbatibus vel aliis Viris, in dignitate Ecclesiastica constitutis, consecrari possit Episcopus, similiter, imò majori cum energia, textu, exemplô, ratione, & authoritate roboratur. Textum unum suppeditat primus Canon Apostolorum, in quo Episcopus à duobus vel tribus Episcopis ordinari jubetur. Alium submi-

subministrat Gentium Doctor 2. *ad Timoth. cap.* 1.
*v.*6. ubi: *resuscites gratiam, quæ tibi data est per impositionem manuum mearum*; ubi satis indicat, unius
Episcopi Consecrationem sufficere.
561 Exemplo sunt Petrus & Paulus, Apostolorum
primates, quorum ille solus Episcopus ante Ascensionem à Christo ordinatus, post Spiritus sancti
missionem solus ordinavit primò Joannem Episcopum, deinde Jacobum Zebedæi; iste solus Timotheum & Titum consecravit Episcopos, quia separatus à Barnaba non habebat in societate sua Episcopos, nisi quos ipse posteà creavit. Quin non tantùm à Pio V. Gregorio XIII. Innocentio X. Alexandro VII. Innocentio XI. sed etiam à Sanctæ memoriæ Pontifice Clemente XI. recentissimū exemplum Augustæ habuimus, quòd Episcopalem Consecrationem uni Episcopo, assistentibus duobus Ab-
562 batibus, demandarit. Ratio est stringens: quia
nullibi legitur, quòd tres Episcopi novum Episcopum consecrare; benè verò quòd unus consecrare, duo assistere debeant, veluti insinuavit Innocentius III. in *cap. un. de Sacra Unct.* ibi: *facientes caput ejus per Albanensem Episcopum, assistentibus ei duobus Episcopis, secundùm morem Ecclesiasticum, deliniri.* Ex quo deducitur, pro essentia Consecrationis non tres, sed unum Ministrum, esse con-
563 stitutum. Authoritas, præsertim recentiorum DD.
longè superat authoritatem sententiæ contrariæ:
nam posteriorem approbant Barbosa *cit. loc.* Fagnanus *cit. l.*P. Engel ad *h. t. n.*56. Laymann. *quæst.* 156. Clariss. D. Joann. Philippus Braun ad *h.t.pag.* 65. Clariss. P. Wiestner hîc *n.*340. Clariss. P. Jacobus Wex in *Epitome Canon. part.* 2. *Controv.* 2. *n.* 24. ubi subjungit, securè & absque ullo scrupulo hanc sententiam, etsi in ea agatur de valore Sacramentali, tanquàm omninò certam in praxin redigi posse. Quibus ita habentibus,
564 Ad textum contrarium, ex Apostolo in *n.* 556.
citatum, Resp. ibi per *impositionem manuum presbyterii* varias significationes à SS. Patribus afferri, inter quas illa non videtur esse contemnenda, quòd nomine *presbyterii* cœtus seniorum intelligatur, in
565 quorum præsentia Consecratio fieri deberet. Ad
textum alterum Resp. in eo differentiam inter Chor-Episcopos & veros Episcopos assignari; quòd hi à tribus; illi ab uno Episcopo ordinentur: neque exinde, quòd à SS. Patribus prohibitum sit, ne, qui ab uno vel duobus ordinatus est Episcopis, habeatur pro Episcopo, inferri posse, quòd à Jure Divino, sed potiùs ex Apostolica traditione trium Episcoporum præsentia desideretur.
566 Exemplum D. Petri explicationem ex *n.*561. recipit. Cui addendum est, *D.* Petrum, posteaquàm D. Joannem & Jacobum Zebedæi solus ordinaverat, ipsis assistentibus Jacobum fratrem Domini ordinâsse; atque ex tunc tum verbô, tum exemplô statuisse, ne à paucioribus quàm tribus Episcopis Consecratio Episcopalis perficiatur. Barbosa *cit. loc.* Quod statutum, tanquam ab homine, non DEO, profectum, uti propter Episcoporum paucitatem non ubique ab ipsis Apostolis servari poterat, ita neque à SS. Pontificibus servari debet, si, ut in Germania quoque contingit, raritas Episcoporum pauciores quàm tres exigat.
567 Ad rationem in *n.* 558. negatur ex *n.* 562. suppositum, quòd pro forma vel essentia Sacramenti Ordinis Episcopalis tres Episcopi desiderentur. Authoritas authoritate vincitur.
568 Dixi superiùs in conclus. II. *qui à Sede Apostolica specialiter ad hoc delegati sunt.* Nam esto Jure Communi Episcopi ab Archi-Episcopis; & isti, omnibus suis Suffraganeis sive Comprovincialibus Episcopis præsentibus, consecrandi forent *cap. Episcopi* 1. &
seqq. Dist. 64. *cap. Archi-Episcopus* 1. *Dist.* 66. *cap.*
nec Episcopi 7. *de Tempor. Ordinat.* Attamen mo- 569
dernô Jure, uti Confirmatio, ita Consecratio Episcoporum & Archi-Episcoporum Summo Pontifici reservata, atque ab eo specialiter deleganda esse, dicitur communiter à DD. Honor. ab Alex. *h.t. n.*35. P. Engel *cit. n.*56. D. Braun *d. pag.* 65. P. Wiestner *n.*336. licèt fortassis alicubi sit alia consuetudo.
Dico III. Consecratio, legitimè peracta, tribuit 570
Episcopo potestatem Ordinis, & matrimonium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam consummat. Textus pro prima parte sunt in *cap. transmissam* 15. & *cap. quod sicut* 28. §. *super eo h. t.* Hinc Episcopus consecratus potest ordinare, consecrare, dedicare; cùm tamen Episcopus, solùm confirmatus ex *n.*522. solùm actus Jurisdictionis exercere possit. Textus pro secunda parte leguntur in *cap. inter corporalia* 2. & *seqq. de Translat. Ep.*
Petes I. an saltem delegare valeat actus Ordi- 571
nis Episcopus Confirmatus, nondum tamen Consecratus?
Resp. affirmativè per textum in *cap. suffraganeis* 11. *h. t.* Ratio est: quia delegare est Jurisdictionis, quam Episcopus accipit vi & virtute Confirmationis. P. Engel *h. t. n.* 55.
Petes II. an beneficia post Consecrationem, vel 572
ante fiant vacantia?
Resp. de Jure Communi verius esse, quòd non vacent, antequam tempus, accipiendæ Consecrationi præfixum, effluxerit per textum in *cap. cùm in cunctis* 7. §. *cùm verò h. t.* ibi: *decursô tempore, de consecrandis Episcopis à Canonibus definitô, ad quem spectant beneficia, quæ habebat* (electus) *de illis disponendi liberam habeat facultatem.* Sed stylô Cu- 573
riæ ajunt, beneficia statim vacare tempore promotionis, seu Confirmationis; atque insuper in Germania vi Concordatorum S. Pontifici fieri reservata. P. Engel *cit. loc. n.*57.

§. V.

De Pallio Archi-Episcoporum.

Pro quarto consectario seu consequenti Electio- 574
nis rectè statuitur in Archi-Episcopis impetratio Pallii, quod nihil aliud est, quàm singulare ornamentum & insigne Archi-Episcoporum, quod assumptum ex Corpore Divi Petri, in designationem Archi-Episcopalis officii, ipsis petentibus à Summo Pontifice ad usum confertur.
Dixi I. *singulare ornamentum.* Est namque Pal- 575
lium, si *moraliter & mysticè* suspiciatur, supremæ dignitatis & potestatis eximium symbolum; quemadmodùm non solùm Christianis, sed Gentilibus quoque Pallium semper erat tessera cujusdam præeminentiæ, ut notat Gonzalez ad *cap. cùm super* 1.
*de Authorit. & usu Pallii n.*7. Quamquàm, si *phy-* 576
sicè spectetur, nec splendida, nec adeò pretiosa res sit. Nam *Materia* est lana ex vellere duorum agnorum, qui annuatim à Religiosis S. Agnetis in illius festo Altari offeruntur; quos deinde Canonici S. Joannis Lateranensis nutriendos suscipiunt usque ad tonsionem; tum traduntur Subdiaconis Summi Pontificis, qui ex eorum velleribus, admixtâ aliâ lanâ candidâ, fasciam quatuor digitorum contexi sinunt. *Forma* verò est circularis, ad humeros & pectus ambiendum composita, quatuor crucibus distincta, duabus in pectore, duabus in humeris. Gonzalez *d. l. n.* 10.
Dixi II. *& insigne Archi-Episcoporum.* Esto enim 577
primis & sequentibus Ecclesiæ sæculis mos viguerit, non certo personarum ordini, sed promiscuè, pro re nata, & varietate circumstantiarum loci, & temporis, modò Archi-Episcopis, modò Episcopis

copis Pallium submittendi, sicuti citatus eruditissimus Gonzalez *n. 9.* ex authenticis scriptoribus ostendit: postea tamen jus ferendi Pallium solis Archi-Episcopis & Prælatis majoribus est indultum, quatenùs non tantùm potestatis amplitudine, sed etiam habitus ornamentò ab Episcopis distinguerentur.

578 Dixi III. *quod assumptum ex corpore D. Petri.* Dicitur Pallium ex corpore D. Petri assumi, vel quia, dum à Canonicis D. Petri in pervigilio cujusdam solennitatis benedicitur, supra D. Petri sacrata typsana reponitur, indeque Subdiaconis Pontificiis in honesto loco servandum committitur, donec ad instantiam alicujus Metropolitani aliorsum dimittatur per *cap. significâsti 4. in fin. h. t.* Gonzalez *cit. l. n. 10.* Vel quia de Jure à solo Romano Pontifice, legitimo D. Petri successore, confertur per *cap. antiqua 23. de Privileg.* Panormitan. ad *cap. ad honorem 4. de Author. & usu Pallii n. 9.* Vel quia per Pallium particula sublimioris potestatis, quæ in Corpore Ecclesiæ ejusque Capite Summo Pontifice in plenitudine residet, in Archi-Episcopos transfertur per *cap. nisi specialis 3. d. t.* Layman *de Elect. quæst. 157.* & *cit. cap. antiqua de Privileg.* Theophilus Raynaud. apud Gonzalez memoratò *n. 10.*

579 Dixi IV. *in designationem Archi-Episcopalis officii.* Habet verò officium Archi-Episcopale quædam communia cum Episcopis; quædam specialia. Communia sunt, ordinare Clericos, benedicere Abbates, consecrare Episcopos, dedicare basilicas, conficere chrysma &c. quæ ipsa tamen sacra ministeria nequit Archi-Episcopus ante susceptum Pallium obire: quia, ut disserit Innocentius III. *in cap. quod sicut 28. §. super eo h. t. non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archi-Episcopus ea facere*
580 *videtur.* Specialia sunt, visitare Provinciam, convocare Concilium Provinciale &c. cujusmodi actus, ut ritè peragantur, Pallii receptionem indubitatè præsupponunt *d. cap. & §.* Hinc est, quòd Archi-Episcopus, tametsi confirmatus & consecratus sit, non possit Archi-Episcopum semet nominare vel scribere, priusquàm Pallium impetraverit *cap. nisi specialis 3. de Authorit. & usu Pallii.*

581 Neque tamen ex hoc inferas, ante receptum Pallium nequidem actus Jurisdictionis Episcopalis ab Archi-Episcopo exerceri posse: sicut enim Episcopus, sic Archi-Episcopus, mox à die Confirmationis accipit potestatem Jurisdictionis, non tantùm signatè & in aptitudine, sed etiam exercitè & in actu per *cap. suffraganeis 11. cap. transmissam 15. h. t.*
582 *cap. cùm ex illo 1. de Translat. Episcop. in fin.* Cùm ex adverso potestatem Ordinis per consecrationem tantùm in aptitudine, non verò in exercitio consequatur Archi-Episcopus, veluti ad *cit. cap. nisi specialis n. 6. & seqq.* pulchrè declarat Gonzalez, consentiente König ad *eund. tit. n. 13. & seqq.* cum quo tamen exceptionem facit Clariss. P. Schmalzgrueber ad *cit. tit. sub n. 6.* in actibus Ordinis minus principalibus, qui solent ab Episcopis, Stolâ duntaxat indutis, peragi.

583 Dixi V. *ipsis petentibus.* Olim equidem non nisi præsentibus, hodie etiam petentibus per literas concedi solet Pallium; si tamen intra tres menses à die consecrationis; vel, si jam consecrati sint, à die confirmationis computandos, instanter petierint *cap.*
584 *quoniam 1. cap. prisca 2. Dist. 100.* Post hunc terminum, cessante justò impedimentò, & Pallium negatur, & commissa dignitas aufertur *d. cap. quoniam.* Gonzalez ubi supra ad *cap. cùm super 1. de Author. & usu pallii n. 10.* Panormit. ad *cap. ad honorem 4. eòd. tit. n. 6.* P. Wiestner *ibid. n. 5.*

585 Dixi VI. *à Summo Pontifice.* Enimverò ex officio & Jure Ordinario solos S. Pontifex Pallium concedit, sub hac vel simili formâ: *tradimus tibi Pallium, ut eò intra Ecclesiam tuam utaris cap. cùm super 1. d. t.* quia, qui plenitudinem pastoralis officii solus habet, solus in partem sollicitudinis consortes advocare potest *arg. cap. ad honorem 4. de Author. & usu Pallii.* Ex privilegio autem quatuor Principa- 586
libus Patriarchis, Constantinopolitano, Antiocheno, Alexandrino, & Jerosolymitano, licuit, Pallium, ubi id antecedenter ipsimet à S. Pontifice receperant, aliis concedere *cap. antiqua 23. de Privileg.* & ibi Panormitan. *n. 1.* Gonzalez *ubi suprà n. 8.*

Dixi VII. *ad usum confertur.* Effectus itaque 587
concessi Pallii est ejusdem usus, non absolutus, sicut in Summo Pontifice, qui solus in Missarum solemniis semper & ubique Palliò utitur *d. cap. ad honorem;* sed restrictus I. *ad personam:* quia Pallium, uni Archi-Episcopo concessum, neque alteri commodari, neque in successorem transferri, sed cum accipiente sepeliri debet *cap. ad hoc 2. de Author. & usu Pallii.* Quin etiam, si Archi-Episcopus ab uno 588
Archi-Episcopatu ad alium transferatur, & antiquum Pallium secum defert, & novum accipit, & cum utroque tumulatur *arg. cap. bona 4. in fin. de Postulat.* Layman. *quæst. 160.* II. *ad tempus:* nam extra 589
dies & festa principaliora, in Calendario Ecclesiæ descripta; extra ordinationes Clericorum & consecrationes Ecclesiarum; extra Missarum solemnia, non est licitus Pallii usus *cap. ad honorem 4. cap. cùm sis 6. d. t. de Author. & usu &c.* III. *ad locum,* videlicet 590
Ecclesiam propriam (cujus nomine venit quælibet Ecclesia, in provincia sua *d. cap. cùm sis & cap. cùm super eòd. tit.*) extra quam, si Archi-Episcopum, sacris Vestibus indutum, processionaliter vel aliò modò exire contingat, Pallium exuere debet *d. cap. cùm super 1.* adeò, ut consuetudo contraria tanquam corruptela in *cap. ex tuarum 5. eòd. tit.* reprobetur; unicâ 591
exceptione subnexâ, si nempe Archi-Episcopus, extra suam provinciam constitutus, non possit ad illam redire: tunc enim, urgente necessitate consecrandi Episcopos, vel ordinandi Clericos, potest in aliena diœcesi, cum præscitu & permissu Diœcesani, in Pallio consecrare. Hanc ipsam tamen exceptionem potiùs privilegium, quam Jus commune inducere, sentire videtur Layman. *q. 158.*

Quæres I. utrum Archi-Episcopus in loco ex- 592
empto suæ provinciæ Palliò uti possit? Ratio dubitandi est I. quia in *cap. ad honorem 4. de Author. & usu Pallii* perspicuè decernitur, Archi-Episcopis in illa Ecclesia, *in qua jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt,* uti Palliò licere. Sed in Ecclesiis exemptis nullam Jurisdictionem habent. Ergo &c. II. 593
quia, tametsi in *Clem. Archi-Episcopo 2. de Privileg.* concedatur Archi-Episcopo facultas, celebrandi in Pontificalibus in quolibet loco exempto suæ provinciæ: inde tamen deducere non possis, quòd etiam Pallium induere valeat: partim quia nòmine Pontificalium non venit Pallium, utpote quò pastorale officium denotatur: partim quia in hac *Clem.* reperitur clausula, quòd exemptis per concessum privilegium nullum gravamen inferri, neque ullus actus Jurisdictionis exerceri debeat. His tamen rationibus non morantibus,

Resp. ad quæstionem affirmativè. Ita Glossa, Pa- 594
normitanus, Barbosa & alii in *Clem. cit.* cum P. Engel ad *tit. de Author. & usu &c. n. 9.* Gonzalez ad *cap. ad honorem ibid. n. 3.* P. Wiestner *ad eund. tit. n. 13.* Ratio est: quia in *cit. Clem.* privilegium celebrandi 595
in Pontificalibus est absolutum, & corpori Juris insertum; neque vel ad certa insignia restrictum, vel Pallii exclusivum. Ergo non strictè id interpretari, sed latiùs extendere debemus: cùm in nullius redundet præjudicium, Archi-Episcopum, Archi-Episcopali habitu indutum, Pontificaliter celebrare.

Ad

596 Ad primam dubitandi rationem dupliciter Resp. I. nomine *Ecclesiæ in cit. cap. ad honorem* intelligi provinciam vel Diœcesin, intra cujus fines Archi-Episcopus Jurisdictionem exercet: exempti autem, licèt non sint *de diœcesi*, sunt tamen *in diœcesi arg. cap. cùm Episcopus 7. inv. in quolibet loco ipsius diœ-*
597 *cesis non exempto de Offic. Ord. in 6.* II. posse transmitti, quòd, stando in Jure communi, nequeat Archi-Episcopus vel in aliis Pontificalibus vel in Pallio celebrare: at vi specialis privilegii in *cit. Clem. 2. de Privileg.* indulti, sicut in Pontificalibus, sic etiam in Pallio celebrandi facultatem est nactus.

598 Ad secundam rationem Resp. nomine Pontificalium Archi-Episcopalium, de quibus in *eâd. Clem.* est sermo, utique etiam Pallium comprehendi, utpote quod facit, & constituit Archi-Episcopum. Neque efficit, quòd denotet pastorale officium: nam & crucis prælatio, quæ expressè in loco exempto permittitur Archi-Episcopo in *d. Clem.* signum est Archi-Episcopalis potestatis, prout ad *cit. cap. ad honorem n. 3.* & in *cap. à memoria nostra 1. Ut lite pend.* advertit Gonzalez; & baculi seu pedi deportatio, haud dubiè in *cit. Clem.* etiam concessa, ejusdem potestatis tessera est, quemadmodùm egregiè explicat Barbosa *de Off. & pot. Episc. tit. 1. cap. 5. n. 23.*

599 Quæres II. possitne Archi Episcopus in Pallio dicere Missam *de Requiem*?

Resp. cum Gonzalez in *cap. fin. cit. tit. n. 3.* & Schambogen *ibid.* negativè, per textum ejusdem *cap. fin.* in quo, cùm præmisisset Pontifex, Archi-Episcopum illis diebus, qui in Ecclesiæ suæ privilegiis denominati sunt, licentiam in Pallio celebrandi habere, subdit, *sicque soluta est quarta quæstio, quâ quæsivisti: an tibi sit licitum, pro defunctis cum Pallio celebrare?* Volens indicare, quòd licitum non sit: eò quòd dies, in Ecclesiarum privilegiis expressi, soleant esse solemnes *cap. cùm sis 6. d. t.* in quibus non dicitur Missa *de Requiem*.

600 Quæres III. an Archi-Episcopus in aliena provincia, ex delegatione Diœcesani, ante acceptum Pallium, vel post acceptum sinè Pallio valeat ordinare?

Resp. cum Laymann *de Elect. q. 154. resp. 3.* Schambogen *cit. tit. n. 11.* P. König ad *eund. tit. n. 15.* affirmativè. Ratio est: quia Archi-Episcopus consecratus est in aliena diœcesi verus Episcopus quoad potestatem Ordinis; neque illi quidpiam deest, præter potestatem Jurisdictionis. Atqui ex delegatione alterius accipit potestatem Jurisdictionis. Ergo &c.

601 Quæres IV. possitne quis impetrationem Pallii impedire, defectum aliquem aut crimen objiciendô?

Resp. negativam esse decisam in *Extrav. un. h. t. inter commun.* additâ limitatione, nisi objicientes firment præstitô corporali juramentô, se id malitiosè non agere, ac de objectis offerant se fidem intra trimestre facturos, & simul ad pœnam talionis, seu extraordinariam se obligent arbitrio præsidentis.

§. VI.

De Impugnatione Electionis.

602 Quintò ad Consequentia Electionis per modum contrarii refertur ejusdem impugnatio. Hæc dupliciter fieri potest, intra & extra judicium. Intra judicium, si Electio à Judice Ecclesiastico, judicialiter procedente, approbata, vel improbata sit: quô casu, qui sententiam ap- vel improbationis impugnare cupit, remedium appellationis judicialis arripere debet; de quo in *tit. de Appellat.* agitur.
603 Extra judicium duplex iterum modus est impugnandi Electionem vel ante, ne fiat; vel post, si jam facta sit. Uterque modus regulandus est juxta *cap. ut circa 4. h. t. in 6.* in quo Gregorius X. *Edictô perpetuô* inquit, *providemus, ut si quando aliqui Electionibus, postulationibus, vel provisionibus se opponunt, proponendô aliqua contra Electionis formam, aut personas eligentium, vel electi, sive illius, cui erat provisiô facienda, sive facta, & propter hoc contigerit appellari: appellantes in instrumento publico, seu literis; super appellatione confectis, omnia & singula exprimant, quæ in formam intendunt objicere vel personas; coram personis authenticis, aut personis, quæ super hoc testimonium perhibeant veritati, corporali præstitô juramentô, quod credunt, ea, quæ sic exprimunt, esse vera, & se posse probare. Alioquin tam opponentes, quàm adhærentes eisdem, objiciendi aliqua, quæ non fuerint in hujusmodi literis vel instrumentis expressa, potestatem sibi noverint interdictam: nisi aliquid postea primùm emerserit, vel super antiquis supervenerit probandi facultas &c.* Quæ constitutio, cùm adeò clara & perspicua sit, ulteriori explanatione & prolixo commentariô non eget. Unde solùm aliqua noto, & 604

Adverto I. appellandi licentiam non omnibus competere, sed iis tantùm, qui interesse quoddam habent *cap. cùm inter 16. h. t.* quive nec ante nec post Electionem aut Electioni aut electo consensum suum accomodarunt *cap. nulli 8. d. t. in 6.* ne in priori casu nimiùm laxetur appellandi materia; & in posteriori aliquis factum proprium impugnare permittatur.

Adverto II. appellationem ad Superiorem esse 605
instituendam, ad quem pertinet, Electionem confirmare. Unde hodie in Electionibus Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Regularium Exemptarum ad Sedem Apostolicam appellandum, & observandum est, quod in *Clem. causam 3. h. t.* præscribitur, ut in appellati aut procuratoris ejusdem in ipsa causa specialiter constituti præsentia appellatio interponatur, aut eorum alteri intra mensem ab interpositione ipsius, vel saltem post lapsum ejusdem mensis (quàm citò commodè fieri poterit) legitimè intimetur, porrectô ei vel perlectô appellationis authenticô instrumentô, & illius copiâ, si petita fuerit, traditâ. Quòd si appellatum abesse, 606
& procuratorem non inveniri contingat, tunc appellatio in domo vel Ecclesia Cathedrali, in cujus diœcesi beneficium appellabile situm est, fieri, simúlque in Ecclesia vel beneficio, de quo agitur, publicari debet. Et positô, quòd hæc fieri nequeant, ob appellati aut adhærentium metum, potentiam, in quovis loco publico appellationis publicatio ita facienda est, ut verosimiliter in appellati vel procuratoris notitiam pervenire valeat.

Adverto III. appellantibus ad Sedem Apostoli- 607
cam incumbere, ut unà cum appellatis per se, vel idoneos procuratores iter accipiant Romam intra mensem, à die appellationis, adversario ejúsve procuratori cognitæ, numerandum, ex constitutione Innocentii IV. in *cap. statuimus 1. h. t. in 6. in pr.* Mense transactô, si una pars se stiterit, & altera, per 20. dies exspectata, emanserit, in causa non aliter proceditur usque ad definitivam, ac si pars utraque præsens fuisset *d. cap. statuimus §. sed si pars cap. ult. §. porrò. Ut lite non contest.*

Adverto IV. appellationem extrajudicialem, an- 608
te Electionem jam interpositam, hoc operari, ut Electio quidem intereà validè celebretur, nec rescissioni subjaceat, si malè appellatum esse. Superior pronuntiaverit *cap. cùm nobis 19. h. t.* & ibi Gonzalez *n. 10. & seqq.* at verò rescindi debeat, quando bene appellatum esse, judicatum erit *cap. consideravimus 10. eòd.* ubi iterum egregiè Gonzalez in
n. 6. & seqq. Ratio est: quia, ut tradunt DD. in 609
tit. de Appellat. appellatio extrajudicialis, esto effe-

ctum

ctum devolutivum producat, attamen effectum suspensivum nō simpliciter, sed, causâ Superiore cognitâ, operatur per *cap. constitutus 45. in fin. de Appellat.*

610 Excipitur casus, quô inhibitio post appellationem à Superiore secuta fuisset, nn Electio instituatur: tunc siquidem instituta Electio efficaciâ destitueretur, quia similis inhibitio præter devolutivum effectum etiam suspensivum inducit per *cap. dilectis 55. de Appellat.* Panormitanus ad *d. cap. consideravimus h. t. n. 1.* Pirhing *eôd. tit. n.267.* Wiestner *ibid. n.286.*

611 Adverto V. appellanti probandum esse, quòd Electio, cùm præsumatur esse canonica, talis non sit vel defectu formæ non-servatæ, vel defectu personæ electæ. Rota *in recent. p. 6. dec.289. n.17. & p.8. dec.244. n.43. & seqq.*

612 Adverto VI. appellantem contra formam Electionis, forte quòd modus eligendi ad normam *cap. quia propter 42. h.t.* non fuerit observatus, velut temerarium litigatorem in omnes expensas condemnari, si in probatione defecerit *cap. statuimus 1. §. ult. h.t. in 6.* Appellans autem contra electum ratione personæ, quòd ob vitium aut impedimentum eligi non potuerit, nisi probaverit intentionem suam, atque ex manifestissimis documentis non constiterit, eum probabilem & sufficientem litigandi causam habuisse, duriùs punitur, & ab omnibus, quæ in Ecclesia viduata possidet, beneficiis ipsô Jure per triennium suspenditur; ac, si infra illud tempus propriâ temeritate se ingesserit, perpetuò privatur. *nullum super hoc de misericordia spē aut fiduciā habiturus d. cap. & §. Nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum à calūniæ vitio causa probabilis & sufficiēs excusaret.*

SECTIO VI.

De Electione Romani Pontificis.

SUMMARIA.

613. & seqq. Jus eligendi Summum Pontificem in sano sensu ab initio penes Clerum & populum erat. 616. & seqq. Posteà Imperatores illud jus usurparunt. 620. & seqq. Carolo Magno jus eligendi per speciale privilegium fuisse concessum, ostenditur. 625. & seq. Et quidem non injustè. 627. & seq. Post hæc exclusi Imperatores, nec omnimodò repulsi populus & Clerus. 629. Tandem solis Cardinalibus eligendi jus reservatum est. 630. & seqq. Nec tamen Imperatoribus per hoc illata fuit injuria. 634. Itaque soli Cardinales eligunt. 635. Qui tamen de Jure communi saltem deberent esse Diaconi. 636. & seqq. Licet cæteroqnin nec habitum, nec os apertum, nec immunitatem à censuris habeant. 639. & seq. Conservatur hoc jus etiam in uno. 641. & seqq. Omnibus mortuis, redit ad Clerum & populum Romanum. 644. & seqq. Tempore Concilii Generalis aut schismatis etiam ad Cardinales pertinet. 647. & seqq. Quædam dubia de persona, in S. Pontificem eligenda, moventur. 649. & seq. Fæmina est incapax. 651. & seqq. Fabula Joannæ Papissæ exenteratur. 657. & seqq. Masculus potest eligi, etsi nec Cardinalis, nec SS. Ordinibus sit insignitus. 663. & seqq. Et etiam sit Laicus. 666. & seqq. Esto quoque non habeat ætatem Episcopalem. 670. & seqq. Præmittuntur ea, quæ præambula sunt Electioni. 679. & seq. Electio potest fieri per inspirationem. 681. Compromissum. 682. & seqq. Vel scrutinium, quod longiùs describitur. 687. Valet Electio per accessum. 688. & seq. Annotatur quid speciale sit circa infirmos. 690. & seq. Electus Pontifex non indiget Confirmatione. 692. Debet tamen consentire. 693. Mutat suum nomen. 694. Electus coronatur & consecratur. 695. & seqq. Discutitur quæstio, num Electio Pontificia possit impugnari? 710. & seqq. Si Electio sit invalida notorie, potest institui nova; non item si notoria non sit.

§. I.

Quibus olim jus eligendi Pontificem competierit?

QUæ hactenùs de Electione per numerosa folia 613
sunt disceptata, ad Electionem in genere pertinent. Juvat modò ad Electiones particulares descendere, atque ex illis maximè præcipuam, quæ S. Pontificem tangit, ad calculos revocare.

In hac cum primis discutiendum occurrit, qui- 614
bus olim jus eligendi S. Pontificem competierit?
Et? ni fallor, pro resolutione recapitulanda sunt,
quæ à *n. 48.* scripta habentur, quòd ab initio ad-
olescentis Ecclesiæ Romano-Catholicæ cum Clero
populus Electionibus Pontificiis interfuerit, ad eum
ferè modum, quô in Electionibus aliorum Præla-
torum comparuit per *cap. fatlus 5. VII. q. 1.* & plu-
ra alia *cap. Dist. 63.* Card. de Luca in *relat. Cur.*
Rom. disc. 3. n. 2. Gonzalez ad *cap. licet 6. h.t. n. 12.*
Laymann *de Elect. q. 121. resp. 2.* quia totius Chri- 615
stianæ Reipublicæ negotium esse, credebatur,
communem & principem Pastorem, communi om-
nium suffragiô designare. Dissentit Barbosa *J. E.*
V. lib. 1. cap. 1. n. 49. & 50. opinatus, primùm à
tempore B. Sylvestri vota populi & Cleri Romani
expetita fuisse.

Postquàm autem Constantinus Imperator Sacris 616
Christianis accessit, successores ejus non semel
Electionibus Papalibus semet immiscuere, tum præ-
sertim, quando schisma, dissidentibus Electorum
votis, Ecclesiæ timebatur. Sic enim à Valentinia-
no in Schismate Ursicini Damasus; ab Honorio in
Schismate Eulalii Bonifacius; ab aliis Imperatori-
bus alii Pontifices electi sunt. Nec tamen propriô 617
magis, quàm à fidelibus delegatô Jure, ea tempe-
state Imperatores utebantur; imò ab ipsa vocaban-
tur naturâ, utpote quæ in casu necessitatis Princi-
pibus, tanquàm Advocatis & Protectoribus satis-
centis aut fluctuantis Ecclesiæ, jus eam defenden-
di committit. Eminentiss. Sfondrati *Regal. Sacer-*
dot. in prælud. §. 1. num. 13 pag. m. 93. Gonzalez
cit. n. 12.

Verùm, uti humanæ ambitionis fert libido, in- 618
tra limites Principes & Imperatores non steterunt,
sed ultra provecti, necessitatem in voluntatem con-
verterunt, ac pro suo libitu usque ad tempus trans-
lati in Occidentem Imperii circa Electiones Sum-
morum Pontificum disposuerunt. Nam, ut præ 619
aliis exactè & sincerè refert præcitatus Cardinalis,
Annô Christi 354. Constantinus Imperator Aria-
nus, Liberiô in exilium pulsô, Felicem II. Cathe-
dræ Romanæ imponit. Annô 562. Theodoricus
Italiæ Rex Felicem IV. Pontificem esse jubet.
Annô 533. Athalricus Italiæ Rex, non contentus,
Electionum confirmationes sibi vendicasse, certam
pecuniæ vim Pontifici Romano imponit. Annô
555. Justiniani Imperatoris non assensu tantùm,
sed etiam promotione Pelagius Pontificatu dona-
tur; & deinceps, exemplô ab Arianis ductô, pecu-
nia electis Pontificibus imperatur, non aliter con-
firmationem obtenturis. Adeò, exclamat nomi-
natus Authot, cupiditas lucri ne pissimo qui-
dem Principi pepercit. Ipse Gregorius Magnus
ab Imperatore Mauritio consensum expectare, &
pecuniam ante confirmationem pendere debebat.
Anno

Anno 681. Constantinus Bogonatus datò ad Agathonem Papam diplomate, remittit pecuniam, hactenùs pro confirmatione dari solitam, salvò tamen jure confirmandi. Annò 684. idem Constantinus Benedicto II. necessitatem petendæ Constantinopoli confirmationis remittit, sic tamen, ut ab Exarchis, qui nomine Imperatorum Italiam gubernabant, peteretur.

620 Sub ævum Caroli Magni, paulò ante, quàm Imperium à Græcis erat translatum, annò videlicèt Christi 774. tradunt Authores permulti, quos recenset Barbosa *cit. lib. 1. cap. 1. num. 52.* ab Adriano I. privilegium eligendi Papam, omnesque Episcopos investiendi, Carolo Magno fuisse concessum: idque à Gratiano nostro in *cap. Hadrianus 22. Dist. 63.* Decreto insertum est.

621 Sed hanc fabellam, non historiam esse, ex Chronico Sigeberti Monachi Gemblacensis, qui Henrico IV. contra Gregorium VII. Urbanum II. & Paschalem II. Summos Pontifices adhæsisse, eàque propter in præjudicium Sedis Apostolicæ scripsisse fertur, exceptam, post Baronium & Spondanum ad annum Christi 774. contendunt Suarez *de defensione Fidei Catholicæ contra Anglicanæ sectæ errores lib. 3. cap. 29. num. 7.* Bellarminus *in Apolog. contra reg. Angliæ cap. 29.* Gonzalez *cit. n. 12.* & alii plures, ab his relati.

622 Quia tamen Gratianus non ex Sigeberto, sed ex historia Ecclesiastica *cit. cap. Hadrianus* desumpsit: quia etiam in *cap. in Synodo 23. dist. 63.* habetur, *ad exemplum B. Hadriani Apostolicæ Sedis Antistitis, qui Domino Carolo Victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum Patriciatûs dignitatem, ac ordinationem Sedis Apostolicæ, & investituram Episcoporum concessit*, à Leone Pontifice cum toto Clero ac Populo Romano indultum fuisse Ottoni I. jus eligendi S. Pontificem: quia prætereà Ludovicus I. post Carolum Magnum illatum huic privilegio renuntiavit, ut videre est in *cap. ego Ludovicus 30. eàd. Dist. 63.* Henrico I. & Ottone I. prout ab eodē Gratiano recensetur in *cap. cōstitutio 32. & cap. tibi Domino 33. eàd Dist.*
623 *63.* similiter facientibus: quia denique per Bullam Gregorii XIII. Decreto Gratiani præfixam, liquet, omnia in Decreto contenta suis originalibus fideliter correspondere: sanè multum probabilitatis sententia Gratiani habet, veluti cum Barbosa *cit. cap. 1. n. 54.* sentire videtur Card. Sfondrati *in Regali Sacerdot. lib. 1. §. 5. sub n. 5. pag. m. 180.*

625 Neque putes, Adrianum Papam aut orbitam suæ potestatis, culpabili errore, transgressum esse, aut Ecclesiæ libertatem imminuisse, tam amplum privilegium concedendò. Nam in primis singularia Caroli in Ecclesiam merita, quæ multoties in oppressione Longobardorum, universum ferè D. Petri patrimonium, unà cum incredibili in Romanos Pontifices exercitâ tyrannide vindicantium, sibi comparavit, exigebant, ut extraordinariâ quâdam prærogati-
626 vâ condecoraretur. Deinde non solus Carolus facultatem acquisivit, Electionem Pontificiam ordinandi, sed potiùs suô consensu & approbatione coadjuvandi, sicut in simili supra *num. 39. & seqq.* diximus, & ipsemet Gratianus insinuavit in *§. Electiones ad cap. cùm longè 25. cit. Dist. 63.* P. Wiestner *ad h. t. num. 352.*

627 Posthæc ad S. R. E. Cardinales, nec solummodò ad Cardinales Episcopos, sed etiam ad Cardinales Presbyteros & Diaconos jus eligendi Summos Pontifices devenit, non planè exclusò, sed Electionem jam habitam sequente populi & Cleri consensu: quà de re extant constitutiones Nicolai II. in Lateranensi Concilio editæ circa annum Domini 1059. in *cap. in nomine 1. Dist. 23. cap. si quis Apostolica 1. cap. si*
628 *quis pecunia 8. Dist. 79.* Et quia necdum planè acquiescere volebant Imperatores, post multorum annorum curriculum, ac varia certamina, tandem annò 1122. sub Callisto II. libertas Electionis Pontificiæ, quin & aliorum Ecclesiæ Prælatorum, ab Imperatoribus postliminiò solis personis Ecclesiasticis cessa, ac non tantùm in Concilio Rhemensi & Lateranensi, sed etiam in Comitiis Wormatiensibus communi Henrici V. omniumque Imperii Statuum consensu stabilita fuit.

629 Cùmque exempla docerent, non adeò pacificas & tranquillas esse Electiones Pontificum, Clericis & Laicis quomodolibet intervenientibus: annò 1274. in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. totum jus Romanum Pontificem eligendi solis Cardinalibus, remotis non tantùm Principibus, sed etiam Clericis & populò, collatum est, ut docet *cap. ubi periculum 3. §. præterea & §. cæterùm h. tit. in 6.* Sfondrati *in prælud. §. 1. n. 3. pag. 90. & 2. seqq.*

630 Ex quibus omnibus infertur, aut Imperatores jus eligendi S. Pontificem nunquam habuisse; aut saltem jure, quod habebant, justè & legitimè excidisse, cum suo proprio & magno totius Ecclesiæ bono; non obstantibus Acatholicorum calumniis, quas cum Jacobo Brunnemanno in *Jurisprud. publ. dissertat. 7. §. 10.* hac super re in Summos Pontifices, Gregorium VII. Paschalem II. Callistum II. plenis buccis conjiciunt. Enimverò non tantùm ex
631 historia pernotum est, omnes ferè Imperatores Regesque, quotquot jura Electionis Romanæ turbârunt, aut infelici morte extinctos, aut alias præsenti suppliciò pœnas dedisse; sed etiam experientiâ comprobatur, ab illo tempore, quò Imperatores desierunt Electiones Pontificum invadere, jacta esse altissimæ illius quietis fundamenta, quâ Romani Pontifices modò fruuntur, ut solerter advertit sæpe nominatus Sfondrati. Ratio etiam probat, posse privi-
632 legiatum privilegiô privari, quando propter abusum privilegiati privilegium in dispendium Ecclesiæ redundat; sicut re verà privilegium eligendi Pontifices, quod jure vel injuriâ sibi arrogabant Imperatores, in ingens Ecclesiæ detrimentum vergebat, dum eâ ætate ut plurimùm non alia via ad Summi Pontificatus apicem patebat, quàm per vim, metum, ambitionem, & sexcenta alia scelera. Nihil dicendò, quòd
633 frequenter scissuræ & schismata evenerint, populò, Clerò, & Imperatoribus in partes euntibus, velut ex monumentis luculentum est.

§. II.

Quibus hodie competat jus eligendi S. Pontificem?

634 Hæc quæstio, discussâ jam primâ, suâ sponte resolvitur. Nempe jus eligendi S. Pontificem solis hodie Cardinalibus, Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, legitimè creatis, reservatum est. Card. de Luca *cit. disc. 3. num. 5.* Textus extant in Concilio Lugdunensi in *d. cap. ubi periculum 3. h. t. in 6.* & Concilio Viennensi in *Clem. Ne Romani 2. eòd. tit.* Quibus adstipulatur textus in *cap. licet 6. X. h. t.* ubi decernitur, ut *absque ulla exceptione ab Universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus Cardinalium electus fuerit & receptus.*

635 Dixi tamen I. *Cardinalibus, Episcopis, Presbyteris, & Diaconis.* Nam de Cardinalibus in inferiori Ordine, quàm Diaconatu, constitutis, per speciales Bullas ordinârunt Pius IV. Sixtus V. Gregorius XV. quòd in Electione Romani Pontificis vocem activam non habeant. Fagnanus ad *cit. cap. licet num. 18.* Barbosa *J. E. V. lib. 1. cap. 1. num. 73.* in cujus fine subjungit, præcitatis constitutionibus Summos Pontifices hactenùs derogare solitos fuisse, dum in crea-

ctum devolutivum producat, attamen effectum suspensivum nō simpliciter, sed, causâ Superiore cognitâ, operatur per *cap. constitutus 45. in fin. de Appellat.*

610 Excipitur casus, quô inhibitio post appellationem à Superiore secuta fuisset, ne Electio instituatur: tunc siquidem instituta Electio efficaciâ destitueretur, quia similis inhibitio præter devolutivum effectum etiam suspensivum inducit per *cap. dilectis 55. de Appellat.* Panormitanus ad *d. cap. consideravimus h. t. n. 2.* Pirhing *eôd. tit. n. 267.* Wiestner *ibid. n. 286.*

611 Adverto V. appellanti probandum esse, quòd Electio, cùm præsumatur esse canonica, talis non sit vel defectu formæ non servatæ, vel defectu personæ electæ. Rota *in recent. p. 6. dec. 289. n. 27. & p. 8. dec. 244. n. 43. & seqq.*

612 Adverto VI. appellantem contra formam Electionis, fortè quòd modus eligendi ad normam *cap. quia propter 42. h. t.* non fuerit observatus, velut temerarium litigatorem in omnes expensas condemnari, si in probatione defecerit *cap. statuimus 1. §. ult. h. t. in 6.* Appellans autem contra electum ratione personæ, quòd ob vitium aut impedimentum eligi non potuerit, nisi probaverit intentionem suam, atque ex manifestissimis documentis non constiterit, eum probabilem & sufficientem litigandi causam habuisse, duriùs punitur, & ab omnibus, quæ in Ecclesia viduata possidet, beneficiis ipsô Jure per triennium suspenditur; ac, si infra illud tempus propriâ temeritate se ingesserit, perpetuò privatur, *nullum super hoc de misericordia spē aut fiduciā habiturus d. cap. & §. Nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum à calūnia vitio causa probabilis & sufficiēs excusaret.*

SECTIO VI.

De Electione Romani Pontificis.

SUMMARIA.

613. & seqq. Jus eligendi Summum Pontificem in sano sensu ab initio penes Clerum & populum erat. 616. & seqq. Posteà Imperatores illud jus usurparunt. 620. & seqq. Carolo Magno jus eligendi per speciale privilegium fuisse concessum, ostenditur. 625. & seq. Et quidem non injustè. 627. & seq. Post hac exclusi Imperatores, nec omnimodò repulsi populus & Clerus. 629. Tandem solis Cardinalibus eligendi jus reservatum est. 630. & seqq. Nec tamen Imperatoribus per hoc illata fuit injuria. 634. Itaque soli Cardinales eligunt. 635. Qui tamen de Jure communi saltem deberent esse Diaconi. 636. & seqq. Licet cæteroquin nec habitum, nec os apertum, nec immunitatem à censuris habeant. 639. & seq. Conservatur hoc jus etiam in uno. 641. & seqq. Omnibus mortuis, redit ad Clerum & populum Romanum. 644. & seqq. Tempore Concilii Generalis aut schismatis etiam ad Cardinales pertinet. 647. & seqq. Quædam dubia de persona, in S. Pontificem eligenda, moventur. 649. & seq. Fæmina est incapax. 651. & seqq. Fabula Joannæ Papissæ exenteratur. 657. & seqq. Masculus potest eligi, etsi nec Cardinalis, nec SS. Ordinibus sit insignitus. 663. & seqq. Et etiam sit Laicus. 666. & seqq. Etsi quoque non habeat ætatem Episcopalem. 670. & seqq. Præmittuntur ea, quæ præambula sunt Electioni. 679. & seq. Electio potest fieri per inspirationem. 681. Compromissum. 682. & seqq. Vel scrutinium, quod longiùs describitur. 687. Valet Electio per accessum. 688. & seq. Annotatur quid speciale sit circa infirmos. 690. & seq. Electus Pontifex non indiget Confirmatione. 692. Debet tamen consentire. 693. Mutat suum nomen. 694. Electus coronatur & consecratur. 695. & seqq. Discutitur quæstio, num Electio Pontificia possit impugnari? 710. & seqq. Si Electio sit invalida notoriè, potest institui nova; non item si notoria non sit.

§. I.

Quibus olim jus eligendi Pontificem competierit?

QUæ hactenùs de Electione per numerosa folia 613
sunt disceptata, ad Electionem in genere pertinent. Juvat modò ad Electiones particulares descendere, atque ex illis maximè præcipuam, quæ S. Pontificem tangit, ad calculos revocare.

In hac cum primis discutiendum occurrit, qui- 614
bus olim jus eligendi S. Pontificem competierit?
Et? ni fallor, pro resolutione recapitulanda sunt,
quæ à *n. 48.* scripta habentur, quòd ab initio adolescentis Ecclesiæ Romano-Catholicæ cum Clero populus Electionibus Pontificiis interfuerit, ad eum ferè modum, quô in Electionibus aliorum Prælatorum comparuit per *cap. factus 5. VII. q. 1.* & plura alia *cap. Dist. 63.* Card. de Luca in *relat. Cur. Rom. disc. 3. n. 2.* Gonzalez ad *cap. licet 6. h. t. n. 12.*
Laymann *de Elect. q. 121. resp. 1.* quia totius Chri- 615
stianæ Reipublicæ negotium esse, credebatur,
communem & principem Pastorem, communi omnium suffragiô designare. Dissentit Barbosa *J. E. V. lib. 1. cap. 1. n. 49. & 50.* opinatus, primùm à tempore B. Sylvestri vota populi & Cleri Romani expetita fuisse.

Postquàm autem Constantinus Imperator Sacris 616
Christianis accessit, successores ejus non semel Electionibus Papalibus semet immiscuere, tum præsertim, quando schisma, dissidentibus Electorum votis, Ecclesiæ timebatur. Sic enim à Valentiniano in Schismate Ursicini Damasus; ab Honorio in Schismate Eulalii Bonifacius; ab aliis Imperatori-
bus alii Pontifices electi sunt. Nec tamen propriô 617
magis, quàm à fidelibus delegatô Jure, ea tempestate Imperatores utebantur; imò ab ipsa vocabantur natûra, utpote quæ in casu necessitatis Principibus, tanquàm Advocatis & Protectoribus fatiscentis aut fluctuantis Ecclesiæ, jus eam defendendi committit. Eminentiss. Sfondrati *Regal. Sacerdot. in prælud. §. 1. num. 13 pag. m. 93.* Gonzalez *cit. n. 12.*

Verum, uti humanæ ambitionis fert libido, in- 618
tra limites Principes & Imperatores non steterunt,
sed ultra provecti, necessitatem in voluntatem converterunt, ac pro suo libitu usque ad tempus translati in Occidentem Imperii circa Electiones Sum-
morum Pontificum disposuerunt. Nam, ut præ 619
aliis exactè & sincerè refert præcitatus Cardinalis, Annô Christi 354. Constantinus Imperator Arianus, Liberiô in exilium pulsô, Felicem II. Cathedræ Romanæ imponit. Annô 562. Theodoricus Italiæ Rex Felicem IV. Pontificem esse jubet. Annô 533. Athalricus Italiæ Rex, non contentus, Electionum confirmationes sibi vendicâsse, certam pecuniæ vim Pontifici Romano imponit. Annô 555. Justiniani Imperatoris non assensu tantùm, sed etiam promotione Pelagius Pontificatu donatur; & deinceps, exemplô ab Arianis ductô, pecunia electis Pontificibus imperatur, non aliter confirmationem obtenturis. Adeò, exclamat nominatus Author, cupiditas lucri ne piissimo quidem Principi pepercit. Ipse Gregorius Magnus ab Imperatore Mauritio consensum expectare, & pecuniam ante confirmationem pendere debebat.

Anno

Anno 681. Constantinus Bogonatus datô ad Agathonem Papam diplomate, remittit pecuniam, hactenùs pro confirmatione dari solitam, salvô tamen jure confirmandi. Annô 684. idem Constantinus Benedicto II. necessitatem petendæ Constantinopoli confirmationis remittit, sic tamen, ut ab Exarchis, qui nomine Imperatorum Italiam gubernabant, peteretur.

620 Sub ævum Caroli Magni, paulò ante, quàm Imperium a Græcis erat translatum, annô videlicèt Christi 774. tradunt Authores permulti, quos recenset Barbosa *cit. lib. 1. cap. 1. num.* 52. ab Adriano I. privilegium eligendi Papam, omnésque Episcopos investiendi, Carolo Magno fuisse concessum: idque à Gratiano nostro in *cap. Hadrianus* 22. *Dist.* 63. Decreto insertum est.

621 Sed hanc fabellam, non historiam esse, ex Chronico Sigeberti Monachi Gemblacensis, qui Henrico IV. contra Gregorium VII. Urbanum II. & Paschalem II. Summos Pontifices adhæsisse, eàque propter in præjudicium Sedis Apostolicæ scripsisse fertur. exceptam, post Baronium & Spondanum ad annum Christi 774. contendunt Suarez *de defensione Fidei Catholicæ contra Anglicanæ sectæ errores lib.* 3. *cap.* 29. *num.* 7. Bellarminus in *Apolog. contra reg. Angliæ cap.* 29. Gonzalez *cit. n.* 12. & alii plures, ab his relati.

622 Quia tamen Gratianus non ex Sigeberto, sed ex historia Ecclesiastica *cit. cap. Hadrianus* desompsit: quia etiam in *cap. in Synodo* 23. *dist.* 63. habetur, *ad exemplum B. Hadriani Apostolicæ Sedis Antistitis, qui Domino Carolo Victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum Patriciatûs dignitatem, ac ordinationem Sedis Apostolicæ, & investituram Episcoporum concessit*, à Leone Pontifice cum toto Clero ac Populo Romano indultum fuisse Ottoni I. jus eligendi S. Pontificem: quia præterea Ludovicus I. post Carolum Magnum statim huic privilegio renuntiavit, ut videre est in *cap. ego Ludovicus* 30. *eâd. Dist.* 63. Henrico I. & Ottone I. prout ab eodē Gratiano recensetur in *cap. cōstitutio* 32. & *cap. tibi Domino* 33. *eâd Dist.*
623 63. similiter facientibus: quia denique per Bullam Gregorii XIII. Decreto Gratiani præfixam, liquet, omnia in Decreto contenta suis originalibus fideliter correspondere: sanè multum probabilitatis sententia Gratiani habet, veluti cum Barbosa *cit. cap.* 1. *n.* 54. sentire videtur Card. Sfondrati in *Regali Sacerdot. lib.* 1. §. 5. *sub n.* 5. *pag. m.* 180.

625 Neque putes, Adrianum Papam aut orbitam suæ potestatis, culpabili errore, transgressum esse, aut Ecclesiæ libertatem imminuisse, tam amplum privilegium concedendô. Nam in primis singularia Caroli in Ecclesiam merita, quæ multoties in oppressione Longobardorum, universum ferè D. Petri patrimonium, unà cum incredibili in Romanos Pontifices exercitâ tyrannide vindicantium, sibi comparavit, exegêre, ut extraordinariâ quâdam prærogati-
626 vâ condecoraretur. Deinde non solus Carolus facultatem acquisivit, Electionem Pontificiam ordinandi, sed potiùs suô consensu & approbatione coadjuvandi, sicut in simili supra *num.* 39. *& seqq.* diximus, & ipsemet Gratianus insinuavit in §. *Electiones ad cap. cùm longè* 25. *cit. Dist.* 63. P. Wiestner ad *h. t. num.* 352.

Posthæc ad S. R. E. Cardinales, nec solummodò
627 ad Cardinales Episcopos, sed etiam ad Cardinales Presbyteros & Diaconos jus eligendi Summos Pontifices devenit, non plenè exclusô, sed Electionem jam habitam sequente populi & Cleri consensu: qua de re extant constitutiones Nicolai II. in Lateranensi Concilio editæ circa annum Domini 1059. in *cap. in nomine* 1. *Dist.* 23. *cap. si quis Apostolica* 1. *cap. si*
628 *quis pecunia* 8. *Dist.* 79. Et quia necdum planè ac-

quiescere volebant Imperatores, post multorum annorum curriculum, ac varia certamina, tandem annò 1122. sub Callisto II. libertas Electionis Pontificiæ, quin & aliorum Ecclesiæ Prælatorum, ab Imperatoribus postliminiô solis personis Ecclesiasticis cessa, ac non tantùm in Concilio Rhemensi & Lateranensi, sed etiam in Comitiis Wormatiensibus communi Henrici V. omniumque Imperii Statuum consensu stabilita fuit.

Cùmque exempla docerent, non adeò pacificas & 629
tranquillas esse Electiones Pontificum, Clericis & Laicis quomodolibet intervenientibus: annò 1274. in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. totum jus Romanum Pontificem eligendi solis Cardinalibus, remotis non tantùm Principibus, sed etiam Clericis & populô, collatum est, ut docet *cap. ubi periculum* 3. §. *præterea* & §. *cæterùm h. tit.* in 6. Sfondrati in *prælud.* §. 1. *n.* 3. *pag.* 90. & 2. *seqq.*

Ex quibus omnibus infertur, aut Imperatores 630
jus eligendi S. Pontificem nunquam habuisse; aut saltem jure, quod habebant, justè & legitimè excidisse, cum suo proprio & magno totius Ecclesiæ bono; non obstantibus Acatholicorum calumniis, quas cum Jacobo Brunnemanno in *Jurisprud. publ. dissertat.* 7. §. 10. hac super re in Summos Pontifices, Gregorium VII. Paschalem II. Callistum II.
plenis buccis conjiciunt. Enimverò non tantùm ex 631
historia pernotum est, omnes ferè Imperatores Regésque, quotquot jura Electionis Romanæ turbârunt, aut infelici morte extinctos, aut alias præsenti suppliciô pœnas dedisse; sed etiam experientiâ comprobatur, ab illo tempore, quô Imperatores desierunt Electiones Pontificum invadere, jacta esse altissimæ illius quietis fundamenta, quâ Romani Pontifices modò fruuntur, ut solerter advertit sæpe no-
minatus Sfondrati. Ratio etiam probat, posse privi- 632
legiatum privilegiô privari, quando propter abusum privilegiati privilegium in dispendium Ecclesiæ redundat; sicut reverà privilegium eligendi Pontifices, quod jure vel injuriâ sibi arrogabant Imperatores, in ingens Ecclesiæ detrimentum vergebat, dum eâ ætate ut plurimùm non alia via ad Summi Pontificatus apicem patebat, quàm per vim, metum, ambitio-
nem, & sexcenta alia scelera. Nihil dicendô, quòd 633
frequenter scissuræ & schismata evenerint, populô, Clerô, & Imperatoribus in partes euntibus, velut ex monumentis luculentum est.

§. II.

Quibus hodie competat jus eligendi S. Pontificem?

Hæc quæstio, discussâ jam primâ, suâ sponte 634
resolvitur. Nempe jus eligendi S. Pontificem solis hodie Cardinalibus, Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, legitimè creatis, reservatum est. Card. de Luca *cit. disc.* 3. *num.* 5. Textus extant in Concilio Lugdunensi in *d. cap. ubi periculum* 3. *h. t.* in 6. & Concilio Viennensi in *Clem. Ne Romani* 2. *eôd. tit.* Quibus adstipulatur textus in *cap. licèt* 6. *X. h. t.* ubi decernitur, ut *absque ulla exceptione ab Universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus Cardinalium electus fuerit & receptus.*

Dixi tamen I. *Cardinalibus, Episcopis, Presbyte-* 635
ris, & Diaconis. Nam de Cardinalibus in inferiori Ordine, quàm Diaconatu, constitutis, per speciales Bullas ordinarunt Pius IV. Sixtus V. Gregorius XV. quòd in Electione Romani Pontificis vocem activam non habeant. Fagnanus ad *cit. cap. licèt num.* 18. Barbosa *J. E. V. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 73. in cujus fine subjungit, præcitatis constitutionibus Summos Pontifices hactenùs derogare solitos fuisse, dum in

creatione Cardinalium Breve aliquod particulare,in
ordine ad habendam vocem activam, ipsis expediri
jubent. Consentit Card. de Luca *d. l. n.* 10.
636 Dixi II. *legitimè creatis.* Ut ostenderem I. non
opus esse, ut insignia Cardinalatus jam acceperint:
quia nec habitus, nec alia insignia, sed nomina-
tio Pontificis, Cardinalem efficiunt. Barbosa *cit.*
637 *num.* 73. II. ut ostenderem II. ne qoidem hoc re-
quiri, ut Cardinalibus os clausum, vel apertum fue-
rit: quod idem est, ac minimè necessarium reputari,
ut aliquàmdiu in Consistoriis anteà versati sint,
praxin didicerint, aut licentiam consultativè aut con-
sultivè respondendi acceperint. Fagnanus *cit. l. n.*
638 19. Ut ostenderem III. Cardinales, ritè creatos, eli-
gere posse, tametsi censura aliquâ innodati reperian-
tur per *d. Clem. ne Romani* a. §. *cæterùm h. t.* Gon-
zalez ad *cap. illa* 39. *h. t. n.* 6.
639 Dubitabis nihilominùs adhuc I. an, si omnes Car-
dinales essent mortui tempore Electionis facien-
dæ, præter unum aut duos, isti soli possent eli-
gere?
Resp. cum Card. de Luca *cit. l. num.* 8. & 9. Pa-
normitano ad *cap. licèt num.* 15. Gonzalez *ibid. num.*
13. *in fin.* Salas, Bonacina, Diana, & aliis apud Bar-
640 bosam *cit. cap. num.* 74. affirmativè. Ratio ex *num.*
62. repetenda est: quia non minùs Cardinalium Col-
legium in uno vel duobus individuis, quàm alia Uni-
versitas, conservari potest.
641 Dubitabis II. ad quem pertineret Electio Papæ,
quando omnes Cardinales essent mortui?
Resp. huc dubium, utpote nullibi textu quódam
vel ratione sufficienti decisum, decisione Pontificiâ
indigere. Aliqui cum Balbo in *l. ubi absunt ff. de Tu-
tor & Curator.* dicunt, Electionem ad Patriarchas
spectare. Alii cum Hostiensi ad *d. cap. licet* Conci-
64² lio generali potestatem eligendi deferunt. Plures, qui-
bus assensum præbet Barbosa *d. cap.* 1. *num.* 75. &
Gonzalez ad *cit. cap. licèt num.* 13. *in fin.* cum D.
Antoonio *p.* 3. *Summa tit.* 22. §. 2. *num.* 2. Canonicis
Lateranensibus, quorum Ecclesia est propria Sedes
Pontificis supra omnes Orbis & Urbis Ecclesias, Ele-
643 ctionem consignant. Fortassis sinè absurdo defendi
posset, Electionem in casu posito redire ad primæ-
vum statum, in quo penes totum Clerum & populum
Romanum erat, saltem si Concilium statim congrega-
ri non posset.
644 Dubitabis III. utrùm, si Papa moriatur, tempore
Generalis & Oecumenici Concilii, aut, interveniente
schismate vel hæresi, ab eodem Concilio (quod ab-
sit) deponatur, Electio Generali Concilio, vel Car-
dinalibus competat?
In casu primo non est difficile cum Gonzalez *cit.*
n. 13. *in fin.* responsum dare, quando in memoriam
revocantur Julius III. Marcellus II. Paulus IV. &
Pius IV. Summi Antistites, qui tempore Generalis
Concilii Tridentini, necdum absoluti, sed adhucdum
pendentis & suspensi, non à Concilio sed Collegio
645 Cardinalium electi sunt. Et ratio est: quia, quam po-
testatem solum Concilium non dedit Cardinalibus,
eam non potest sinè manifesta & gravi causa adime-
re, per ea, quæ habentur in *tract. de Jure Legali cap.*
646 1. *à n.* 194. In casu secundo præter alios existimat Ab-
bas in *cap. licèt sub n.* 8. ℣. *sed adverte*, de Jure ve-
rius esse, quòd Electio pertineat ad Concilium. Sed
ego cum Barbosa *d. cap. n.* 76. contrarium esse di-
cendum, opinor, ex ratione mox data: quia delictum
Pontificis non debet gravare Collegium Purpurato-
rum, ut propterea potestate eligendi Pontificem,
quam à Concilio solo accepit, ab eodem sinè alia &
prægnanti causa privari mereatur.

§. III.

Quisnam in S. Pontificem eligi possit?

In sæpe *cit. cap. licèt* 6. *h. t.* ex Concilio Latera- 647
nensi statutum refertur, *ut absque ulla exceptione ab
Universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui à
duabus partibus electus fuerit &c.* Ex quo inferendum
videtur, nullum prorsus impedimentum obstare, quod
aliquem à Summo Pontificatu removeat. Plura nihi- 648
lominùs in controversiam vocari possunt. Primò:
utrùm ad Papatum habiles existant fœminæ? Secun-
dò: utrùm eligendus debeat esse Cardinalis, & certô
Ordine insignitus? Tertiò: utrùm Laici sint eligibi-
les? Quartò: utrùm juniores, & minores triginta an-
nis? Ad singula responsurus,
Dico I. Fœmina inhabilis est ad Papatum. Sic om- 649
nes boni & veri Catholici dicunt. Cujus ratio est
partim: quia Apostolus non tantùm non docere, sed
ne quidem loqui permittit fœminas in Ecclesia 1. *ad
Corinth.* 14 ℣. 34. partim quia Vicarium Christi opor-
tet esse ejusdem sexûs cum Christo: partim quia non
est credibile, voluisse Servatorem nostrum, qui
MARIÆ semper Virgini, omnium mortalium sanctis-
simæ, Nutrici & Genitrici suæ, Claves Cœlorum
& Ecclesiæ gubernacula non concessit *cap. nova* 10.
de Pœnitent. & Remiss. fœminæ inferioris conditionis
Papatum deferre. Imò si, ut refertur in Breviario Ro- 650
mano die 27. Maii in *Vita S. Joannis I.* fœmina quæ-
dam Nobilis non potuit sedere in equo, cui priùs san-
ctissimus Pontifex Joannes insederat, sed toties, quo-
ties tentabat, cum fremitu spumantis equi excussa est,
tanquàm (verba sunt Breviarii) *equus indignaretur
mulierem recipere, ex quo sedisset in eo Jesu Christi Vi-
carius*: quomodò Papalem thronum conscendere, di-
gna habebitur.
Scio equidem, vulgò circumferri fabulam, à Pla- 651
tina quoque, licèt sub dubio, in Vita Joannis VIII.
relatam, de Joanna Papissa, quam alii Agnetem,
Dorotheam alii, multi Gilbertam, Margaretham aut
Juttam vocant; quòd videlicèt fœmina quædam hu-
jus nominis, Athenis liberalibus disciplinis apprimè
exculta, Romam profecta, atque ob doctrinæ, quam
publicè profitebatur, præstantiam omnium ore ce-
lebrata, post obitum Leonis IV. circa annum 853.
Petri Cathedram per biennium rexerit, ac inte-
reà à quodam suorum famulorum compressa, in
publica quadam processione inter Colosseum & S.
Clementem parturire, & inter dolores partus pe-
rire occœperit. Sed, ut dixi, fabula est, ex sex- 652
centis mendaciis & figmentis composita. Nam Anas-
tasius Monachus, S. R. E. Bibliothecarius, (quô
fideliorem & candidiorem Historicum non fuisse,
affirmat Baronius *Annal. Ecclef. tom.* 9.) scripsit,
& vixit tempore Leonis IV. nec tamen vel unicam
hujus imposturæ mentionem ingerit; quin Leonem
usque ad annum 855. Ecclesiæ præfuisse, eique post
15. dies non sinè prodigiosis omnibus successisse Be-
nedictum III. memorat. Alii quoque, & calamô & vi- 653
tâ celeberrimi Historiographi, qui proximi illis tem-
poribus inclaruerunt, quales sunt Ademarus Mo-
nachus, Rhegino Abbas Prumiensis, Hermannus
Contractus, Lambertus Schafnaburgensis, Otto
Frisingensis, Conradus Abbas Urspergensis, altissi-
mum de Papatu fœmineo silentium tenent. Præ- 654
tereo ipsorummet commenti Authorum discrepan-
tiam, in nomine, patria, moribus &c. larvatæ Pa-
pissæ. Sileo, quòd totius fabulæ contextus fidem
omnem respuat: quia fœminam exteram, ignotam,
non probatam, ad Ecclesiæ Universalis regimen sta-
tim assumi; primùm in ætate graviori parere; neque à
tot aulicis & famulis Pontificiis uterum adverti; ac
partus

partûs demum tempore in publicum prodire, circum-
stantiæ sunt, quæ vel infantibus & mulieribus de
falsitate suspicionem generant.
655 Originem fabulæ Spondanus ad annum Christi
855. inde desumit, quòd aliquando fœmina in Se-
de Patriarchali Constantinopolitana fuerit colloca-
ta: contra quod factum vehementer exarsit Leo IX.
Romanus Pontifex in *Epist. ad Michaëlem & Acri-
danum Constantinopolitanos Antistites*: undè facilè
potuit accidere, ut quidam malevuli pro fœmina
Patriarcha fœminam Pontificem, in odium Leonis,
656 commenti fuerint. Clariss. P. Cœlestinus Pley in *Ba-
si. Theol. p. 1. Disp. 2. q. 3. n.* 275. fabulam a diabo-
lo, vel perdito homine in lucem editam fuisse, exis-
timat. Plura vide apud Spondanum *cit. loc.* Baronium
eôdem annô, Onuphrium, Barbosam *d. cap. 1. num.*
28. Clariss. P. Paulum Mezger *Theol. Scholast. tract.*
10. *disputat.* 14. *art.* 2. §. 6. *per tot.*
657 Dico II. In eligendo Pontifice neque qualitas
Cardinalitia, neque certus Ordo, absolutè loquen-
dò, desideratur. Ita Card. de Luca *ubi supra num.*
22. Soto de *J. & J. lib.* 3. *q.* 6. *art.* 2. *ad* 5. Azor.
Instit. Moral. p. 2. lib. 4. cap. 5. q. 6. Barbosa *d. cap.*
1. *num.* 58. *&* 77. cum pluribus ibidem recensitis,
Panormitanus in *cap. licèt num.* 4. P. Pirhing *h. t. n.*
433. P. Wiestner ad *tit. de Ætat. & qual. num.* 17.
658 Ratio prioris partis est: quia in *cap. in nomine* 1. *Dist.*
23. Nicolaus I. in Concilio Lateranensi circa me-
dium, *eligatur*, inquit, *Pontifex de ipsius Ecclesiæ
gremio, si reperiatur idoneus; vel, si de ipsa non in-*
659 *veniatur, ex alia assumatur.* Confirmatur ab inductio-
ne: quia post hanc constitutionem numerantur sex
Pontifices non-Cardinales, Urbanus IV. Gregorius
X. Cœlestinus V. Clemens V. Urbanus V. & Urba-
nus VI.
660 Ratio posterioris partis est: quia in sæpe memora-
to *cap. licèt* omnis exceptio contra electum Pontifi-
cem opponi prohibetur: & consequenter etiam ex-
661 ceptio defectûs Ordinum. Confirmari insuper potest
ab exemplo, quòd legatur, Eugenium III. ex Abba-
te Regulari; Gregorium X. ex Archi-Diacono; Cœ-
lestinum nostrum V. Monachum, ne quidem in Sacris
constitutum, ad Apostolatus solium evasisse.
662 Obstare videtur *cap. oportebat* 3. *cum seq. Dist.* 79.
ubi Stephanus III. neminem ad Apostolatus culmen
assumi debere, asserit, qui Cardinalis Diaconus aut
Presbyter non fuerit. Sed Resp. hoc *cap.* per *cap. in
nomine* & *cap. licèt*, sicut & per observantiam con-
trariam, fuisse abrogatum.
663 Dico III. Potest etiam, cæteris paribus, laicus eli-
gi in Pontificem, si vitæ merita, & Clericorum inopia
id exigant. Card. de Luca *d. n.* 22. Barbosa ubi su-
pra *n.* 78. P. Laymann *quæst. canon.* 1. 8. *resp.* 2. P.
664 Pirhing *d.* n. 433. P. Wiestner *cit. n.* 17. Colligitur
ex Ceremoniali Ecclesiæ Romanæ, ubi præscribitur
forma ordinandi & promovendi laicum, per Electio-
nem ad Ecclesiæ universalis gubernacula sublima-
665 tum. Deducitur quoque ex præallegato *cap. licèt*,
per quod immutatum & abolitum esse videtur *d. cap.
oportebat cum seq. Dist.* 79.
666 Dico IV. In S. Pontifice nulla ætas determinata
est; si modò tantâ ingenii & judicii maturitate pol-
leat, ut per se fideles regere, & pascere valeat. Panor-
mitanus in *cap. licèt n.* 10. Barbosa *d. l. n.* 83. Pagna-
667 nus in *cap. cùm in cunctis.* 7. *h. t. n.* 28. Ratio est: quia
nequidem ætatis exceptio in *d. cap. licèt* admissa ap-
paret. Et rectè: nam Spiritus Sanctus, cujus organum
& instrumentum est Summus Pontifex, nec conditio-
nem nec ætatem attendit, sed quandoque per senes,
subinde per juvenes admiranda sua consilia patefacit.
668 Et quamvis Bonacina de *Elect. S. Pontif. q. 2. in princ.
n.* 6. defenderit, S. Pontificem, velut Episcoporum
Episcopum, ad minùs triginta annorum esse debere,

ut sic Christo, cujus est Vicarius, in ætate sit consor-
mior: attamen hæc solùm congruentia est, non abso- 669
luta necessitas; suadens, non præcipiens, tum maximè,
quando Spiritus Sanctus, nesciens *tarda molimina*,
ætatem anteverttit, atque in homine minoris ætatis tam
prodigiosè charismatum suorum exuberantiam os-
tendit, ut supra ætatem assurgere videatur.

§. IV.

Quâ formâ & modô S. Pontificis Electio sit instituenda?

Forma & modus eligendi Pontificem tum ante Ele- 670
ctionem, tum in ipsa Electione considerari potest. An-
te Electionem in *cap. ubi periculum* 3. *h. t. in* 6. &
Clem. ne Romani 2. *eôd. tit.* sequentia reperiuntur de-
finita. Primò Cardinales absentes per decem dies
exspectandi sunt, à morte præcedentis Pontificis nu-
merandos. Ante hoc tempus, si absque causa ratio- 671
nabili properetur ad Electionem, ea, dummodò duæ
tertiæ ex Cardinalibus conveniant, valida cum Azo-
rio, Diana, & Barbosa *cit. l. n.* 61. pronuntianda est, ar-
gumentô à simili ductô de reliquis Electionibus à *n.* 672
327. & ita quidem, ut absentes ratione contemptûs
agere non possint: quia tempus non est de substantia,
sed accidentibus Electionis, contra quæ non datur
exceptio. Card. de Luca in *relat. cur. cit. disc.* 3. *n.*
8. *&* 17. P. Pirhing ad *h. t. n.* 441.
II. intra hoc decendium, dum exequiæ pro piis 673
manibus Antecessoris Pontificis aguntur, in Palatio
Pontificio Conclave adornatur, nullô intermediô pa-
riete distinctum, & undique clausum, solâ fenestrâ ad
victum recipiendum apertâ, & exitu ad secretam ca-
meram reservatô. In quod Conclave omnes Cardina- 674
les post decem dies transactos se recipiunt, unô fa-
mulô, Clericô vel laicô contenti, præterquàm si pa-
tens necessitas plures indulgeat; intromissis etiam Ma-
gistrô Ceremoniarum, Confessario, Medicô, phar-
macopola, chirurgô &c. Qui extra Conclave qua- 675
cunque ex causa morantur, votum nec per literas nec
per procuratorem consignare possunt. Qui seriùs,
& postquàm Patres de Collegio præsentes ad Concla-
ve se contulerunt, ad urbem veniunt, re adhuc inte-
grâ, ad Conclave admittuntur. Card. de Luca *cit. l.
n.* 13. *& seqq.*
III. quando Cardinales, in Conclavi congregati, 676
intra triduum canonicam Electionem non fecerunt,
per quinque dies immediatè subsequentes tam in pran-
dio quàm in cœna unô duntaxat ferculô cibantur: &,
si intra hos quinque dies Electionem non perficiant,
panis solummodò, vinum, & aqua illis, ex constitutio-
ne Gregorii X. in *d. cap. ubi periculũ &c.* ministrantur. 677
IV. ut hæc omnia fideliter observentur, omnisque
fraus, dolus, & machinatio procul Electione sit, in ea-
dem constitutione Rectoribus & Officialibus illius
Urbis, in qua decedit Pontifex, executio prædicto-
rum demandatur. Qui proinde corporale juramentum 678
præstare tenentur; &, si contra juramentum fecerint,
excommunicationi, infamiæ, & inhabilitati ad omnes
dignitates, officia, & beneficia &c. subduntur.
In ipsa Electione una ex triplici forma, inspiratio- 679
nis, compromissi, vel scrutinii, ex nova constitu-
tione Gregorii XV. quæ incipit: *Æterni Patris*,
servari debet. *Inspiratio*, si *vera* sit, haud dubiè suffi-
ciens erit, ad Præsulatum supremum capessendum;
quemadmodùm accidit S. Fabiano, in cujus tergum
cum columba advolâsset, vocem auditam esse tes-
tatur in ejus Vita Baronius ad *annum* 238. *Tu Romæ
Episcopus designaberis*: quia certius indicium de ap-
titudine & dignitate personæ non habemus, quàm
Divinam revelationem. Similiter & *Inspiratio præ-* 680
sumpta approbata est, quando Cardinalibus omnibus,
in Conclavi præsentibus, unus ex illis certam perso-
nam nominat, ejusque nominationem mox omnes

per verbum *Eligo* confirmant. P. Wiestner ad *h. t. num.* 360.

681 De compromisso res etiam expedita est, sive limitatò, sive absolutò modò instituatur. Hôc solùm exceptô, quòd Cardinales compromissarii nequeant, etiam indirectè, se ipsos eligere, suôque assensu majorem votorum numerum efficere, prout à Gregorio XV. in citata Constitutione, quæ incipit *Æterni &c.* definitum est.

682 Scrutinium æquè in Pontificum atque aliorum Electionibus longè maximè frequens est. Peragitur autem hôc modô. Ex ipso Cardinalium Collegio tres Scrutatores constituuntur secundùm ordinem, ita ut primis tribus diebus tres antiquiores ex serie Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum; sequenti triduô sequentes tres seniores ex hac triplici classe, & sic deinceps, donec Electio cum effectu sequatur, scrutari incipiant singulorum Cardinalium
683 Vota. Neve Scrutatores isti fallaciam committere ausint, tres alii eôdem ordine & serie deputantur,
684 qui horum Scrutatorum vota scrutentur. Tum, præmissô in Capella Sacro de Spiritu sanctô, in quo S. Eucharistiam omnes de manu Decani recipiunt, ac, præstitô super Evangelia juramentô de servandis, quæ servanda, singuli per ordinem accedunt ad altare, ac schedulam (in qua votum suum hôc modô descriptum habent: *ego N. cardinalis N. eligo in Summum Pontificem Reverendissimum N.*) ex illa parte, ubi nomen suum inscripserunt, annulô suô obsignatam; ex altera verò parte, ubi nomen electi, apertam, in calicem, qui Sacrificio illius diei serviebat, conjiciunt.

685 Post hæc schedulæ, in calicem impositæ, à Scrutatoribus successivè extrahuntur, leguntur, & publicantur, Cardinalibus cæteris sedentibus, & ante se scabellum habentibus, ut tam ipsi, quàm Scrutatores in charta aliqua, in qua singulorum Patrum nomina per ordinem & intervalla sunt designata, singulorum nominatorum personas notare possint.
686 Dein, si collatione habitâ plusquàm duæ tertiæ in unum convenerint, mox ille, tanquàm legitimè creatus Pontifex, manifestatur. Quòd si duæ tertiæ tantùm in unum consenserint, recluditur electi schedula, ea qua si appareat, electum sibimetipsi votum suum contulisse, Electio habetur pro nulla; sin appareat, votum illius in alterum recidisse, Electio, ut canonica, publicatur.

687 Potest autem, completô jam scrutiniô, fieri accessus: &, si nullus ex nominatis acquisiverit duas votorum tertias, non tantùm minor pars majori, sed etiam major pars minori, imò nominato ab una solùm persona reliqui omnes accedere valent, noviter scribendô nomen illius in scheda, in quem per accessum sua suffragia dirigere intendunt. Sique per talem accessum reperiantur duæ tertiæ, in unum cumulatæ, is non minùs pro Pontifice ritè & rectè electo habetur, atque alius, per scrutinium designatus.

688 Quando ex Cardinalibus, in Conclavi commorantibus, aliqui, infirmitate præpediti, nequeunt accedere ad Capellam, Electioni celebrandæ destinatam, tres ex Cardinalibus suis, per sortem ab ultimo Diaconorum determinati, ad infirmos ante scrutinium abeunt, arculam clausam deportantes, in quam ubi infirmi suas schedulas per foramen immiserunt, illa à deputatis Cardinalibus ad altare Sacelli reponitur, indeque projectæ schedulæ transsumptæ, in calicem, communibus votis deputatum, referun-
689 tur. Et si, scrutiniô irritô, per accessum tenetur Electio, iidem Cardinales ad infirmos cum eadem arcula redeunt, folium, in quo nomina Cardinalium & numerus nominatorum in scrutinio expressus est, unà cum schedula ferentes, cui infirmi, si voluerint accedere, nomen eligendi inserere, vel, si noluerint, saltem (quod etiam cæteri, qui in Sacello constituti renuunt uti accessu, faciunt) verbum *Nemini* inscribere, eamque schedulam denuò in arculam reponere valent.

§. V.

De Effectu Electionis Pontificiæ.

Quàm primùm Electio canonicè est celebrata, illicò electus Vicariatum Christi, supremum in terra 690
potestatem, jus absolutum ligandi & solvendi, absque ulteriori Confirmatione, consequitur; si modò in Electionem consenserit. Laymann *quæst. Canon.* 129. cum cæteris & unanimi omnium sententia. Textus est in *cap. in nomine* 1. *Dist.* 13. *cap. licèt* 6. *h. t. cap. per venerabilem* 13. *Qui filii sint legit. Extravag. ult. de Sentent. excommunicat. inter commun.*
Ratio data est in *tractat. de Jure Legali cap.* 5. *à n.* 691
67. quia totum jus, quod habet S. Pontifex, non à Confirmatione quà ipse, Superiorem non agnoscens, haud eget; sed ab Electione, non tanquàm causa, sed conditione, quâ positâ DEUS in electum potestatis Pontificiæ plenitudinem confert, nanciscitur.

Dixi: *si modò in Electionem consenserit.* Nam, si- 692
cut Pontifex Pontificatum liberè potest deponere, ita & longè magis Pontificatum sibi delatum non assumere: neque enim spirituale conjugium, quod Ecclesiam inter & S. Pontificem intercedit, absque illius libera voluntate initiari, minùs ratum fieri potest. Barbosa *J. E. U. d. cap.* 1. *n.* 112.

Porrò electus, acceptatâ Electione, nomen suum 693
mutare solet; aut quia condecet, eum, qui aliam modò personam induit, factus ex subdito omnium superior, aliô quoque nomine insigniri, ad exemplum D. Petri, qui ante Apostolatum Simon dicebatur: aut quia convenit, non tantùm veterem hominem cum actibus & nomenclatura exuere, sed etiam novum, Christo planè consimilem, unà cum nomine inducere.

Electionem sequitur Coronatio, quæ per anti- 694
quiorem Diaconum Cardinalem peragitur; & consecratio, quæ antiquitus per Cardinalem Episcopum Ostiensem, hodie per Decanum Sacri Collegii inter Missarum solennia ante hymnum Angelicum perficitur, Neo-Consecratô Pontifice posteà Missarum solennia incipiente, & perficiente *cap. quod sicut* 28. *§. super eo h. t.* Barbosa *d. cap.* 2. *n.* 117. Ante quàm Consecrationem Neo-Electus habet quidem potestatem Jurisdictionis, non etiam Ordinis, sicut de Episcopis in *n.* 312. & 351. conclusum est.

Quæritur I. an Electio S. Pontificis impugnari 695
possit? Ratio quærendi & dubitandi est I. quia in notissimo *cap. licèt* 6. *h. tit.* nulla exceptio contra electum à duabus partibus Cardinalium admittitur. Ergo Electio impugnari non potest: quippe cùm sinè oppositione exceptionis non detur impugnatio. II. quia S. Pontifex non habet Judicem in terris, à quo judicetur esse illegitimè electus. III. quia Legibus Pontificiis, circa Electionem latis, solutus esse noscitur. Sed his necquicquam facientibus,

Resp. I. quando electus Pontifex laborat impedi- 696
mentô tali, quod ipsum Jure Divinô vel Naturali faciat inhabilem ad Papatum, quale est sexus fœmininus, infantia, amentia, hæresis &c. Electionem illius impugnari posse, & debere. Panormitanus ad *cit. cap. licèt num.* 3. Fagnanus *ibidem num.* 20. Gonzalez *eod. loc. num. ult.* Layman. *q.* 123. *resp.* 2. P. Pithing *h. t. num.* 433. Ratio est: quia Electio planè 697
invalida potest utique & debet impugnari, ne cum inexplicabili damno Ecclesiæ reputetur Pontifex, qui talis non est. At, ubi latet impedimentum, quod aliquem Jure Naturali vel Divinô facit inhabilem ad

ad Papatum, Electio est planè invalida. Ergo &c.
698 Unde in *cap. si Papa 6. Dist.* 40. deciditur, Pontificem, antehàc legitimè electum, esse humano judicio subjectum, *si deprehendatur à fide devius.* Ergo potiori jure subjacebit humanæ accusationi, quando ob hæresin, quæ præcessit Electionem, nunquam potuit eligi.

699 Resp. II. quando ipsa Electio est intrinsecè vitiata, eò quòd sua substantialia non habuerit, eam similiter impugnari posse. Authores jam nominati. Ratio jam insinuata est: quia non tam Electio Pontificis, quàm non Pontificis impugnatur, quando Electio ipsa nullitate est infecta. Unde

700 Infertur I. Electionem, in qua deficit consensus duarum partium; vel in qua electores non habuerunt jus suffragii, cùm Electionis nomen minimè mereatur, non tam infirmari posse, quàm infirmam esse. Fagnanus *d. n.* 20. cum aliis Authoribus.

701 Infertur II. Electionem, si ex gravi metu, circa personam determinatam injustè incussô, peracta fuerit, itidem impugnabilem esse. Layman. *d. q.* 123. *resp.* 2. *v. quartus* & cæteri DD. *cit.* quia similis metus, cùm Electionis, quæ debet esse libera circa personam, substantiæ refragetur, reddit Electionem
702 nullam. Cujus ulterior ratio est: tum quia non à DEO, sed ab homine censetur esse vocatus ad solium Petri, qui non ex arbitrio libertatis eligitur, sed impulsu necessitatis intruditur: tum quia actus irrescindibiles, qualis est Electio S. Pontificis, ex metu gravi ipsô Jure non subsistunt.

703 Infertur III. Electionem simoniacam impugnationi subjectam esse. Nam quævis Electio, simoniacè celebrata, est nulla *Extravag. sanè* 1. & *Extravag. cùm detestabile* 2. *de Simonia inter commun.* & in specie Electio Papæ, qui, si eligatur simoniacè, in *cap. si quis pecunia* 9. *Dist.* 79. non *Apostolicus sed Apos-*
704 *taticus* proclamatur. Suffragatur etiam constitutio Concilii Lateranensis, quæ incipit *cùm tam Divinô*, à Julio II. edita *Sess.* 5. & Concilii Constantiensis *Sess.* 39. P. Wiestner ad *h. t. num.* 371. cum Author. supra laudatis.

705 Resp. III. quando impedimentum Electioni planè extrinsecum subest, atque à solo Jure Ecclesiastico introductum, Electionem ab omni impugnatione immunem esse. Layman. *cit. q.* 123. *resp.* 1. & communis. Et ita intelligo textum in decantato *cap. licèt h.*
706 *t.* Unde, si Pontifex noviter electus censurâ, irregularitate, maculâ natalium, aut aliâ simili qualitate laboraret, non posset Electio, tanquàm invalida, impeti, aut infirmari.

707 Quibus ita deductis, rationes dubitandi, in *num.* 695. propositæ, nullô admotô ariete, concidunt. Nam quòd I. in *cap. licèt* omnis exceptio submoveatur, id in sensu accommodo, jamque explicato, acci-
708 piendum est. Quòd autem II. Pontifex non revereatur Judicem, verum est, si jam Pontifex sit, & legiti-
709 mè creatus. Quòd denique III. non agnoscat Leges humanas, rursus de Pontifice jam electo, non eligendo, exponi debet: cùm ante Electionem adhuc sit Ecclesiæ subditus; & per Electionem ascendere ad Suprematum neqoeat, si Leges Ecclesiasticas, circa Electionem proditas, respuere præsumat.

710 Quæritur II. an, si Cardinales advertant, Electionem esse invalidam, illicò novam Electionem instituere valeant?

Resp. si nullitas notoria & manifesta sit, licere Cardinalibus, illicò novam Electionem instituere: quia
711 idem est, ac si nunquam elegissent. Si verò nullitas non sit notoria, sed dubia, crederem, ante Concilii Generalis definitionem, ad novam Electionem procedendum non esse: tum quia Cardinales Judices forent in causa propria: tum quia de legitimitate S. Pontificis judicare, non est Cardinalium, sed totius Ecclesiæ, in Concilio congregatæ. Laym. *cit. q.* 123. *resp.* 2. *v. non licet &c.*

SECTIO VII.

De Electione Regularium.

SUMMARIA.

712. *Digressio ad Electionem Regularium.* 713. *Consideratur in præsenti juxta Jus commune.* 714. *& seqq. Professi in statu Clericali habent vocem activam.* 718. *& seqq. Si habeant Ordinem Sub-Diaconatus.* 721. *& seqq. Etiam in Ordine Benedictino.* 724. *Et insuper careant vitiis communibus.* 725. *Et singulariter vitiô proprietatis &c.* 726. *& seq. Exponitur* cap. 46. h. t. 728. *& seq. Moniales debent habere decimum sextum annum completum.* 730. *De qualitatibus eligendorum remissive.* 731. *Varia quæsita.* 732. *Prælatus habens Jurisdictionem quasi Episcopalem non indiget 30. annis.* 733. *& seq. Novitius est ineligibilis in Prælatum Regularem.* 735. *& seqq. Uti & qui professionem primum deposuit.* 738. *Tacita Professio non sufficit.* 739. *& seqq. Non requiritur Sacerdotium actu, sed in potentia.* 742. *& seqq. Argumenta contraria resolvuntur.* 746. *Sacerdos non-Sacerdoti præponendus est.* 747. *& seq. Determinatur ætas Abbatissarum.* 749. *& seqq. Exigitur absolutè virginitas.* 752. *& seqq. Affirmantium & negantium fundamenta de Electione Monialium illegitimarum.* 758. *& seqq. Negantium argumenta probantur; affirmantiũ argumenta solvuntur.* 761. *& seq. Eligentium nominâ nunquam sunt publicanda.* 763. *& seqq. Etiam in Electione Abbatum perpetuorum.* 770. *& seq. Valet etiamnum forma eligendi per inspirationem.* 772. *Compromissum.* 773. *& seqq. Et scrutinium.* 777. *& seqq. Tangitur casus, quô plures vel pauciores sunt scheda, quàm eligentes.* 783. *Determinatur collatio voti per literas.* 748. *& seq. Admittitur constitutiô procuratoris cum speciali mandato.* 786. *& seqq. Specialia in Electione Abbatissarum enumerantur.* 794. *Inter effectus Electionis Regularis ponitur benedictio.* 795. *Illius virtus.* 796. *& seqq. Plures differentia inter Consecrationem & Benedictionem adnotantur.*

§. I.

Ad quos pertineat jus eligendi Prælatos Regulares?

INter Electiones, speciali dispectione dignas, & il- 712
lam censeo, quam personæ Regulares in suis Ecclesiis celebrare solent: hæc siquidem, licèt in pluribus cum aliis Electionibus conveniat, attamen in multis quoque disconvenit.

Quemadmodùm verò in toto hoc opere eò præ- 713
primis collimavi, ut negotium Electionis, non secundùm speciales locorum aut Ecclesiarum consuetodines, sed juxta communis Juris apices expenderem; sic etiam Regularium Electiones non ad amussim peculiarium statutorum, sed libellam SS. Canonum regulare constitui. Et hinc, ad præsens quæsitum deveniendô

Suppono I. ex *n.* 66. jus eligendi Prælatos Regu- 714
lares ad Capitulum seu Conventum Monasterii viduati pertinere, per textus, & numerô & sensu prægnantes in *cap. Abbas* 2. *cap.* 3. 4. *&* 5. *XVIII. q.* 2. *cap. ult. XVI. q.* 2. *cap. Abbate* 25. *de V. S.* & sparsim in *h. t. de Elect. X. & in* 6. Rota Rom. in *rec. p.* 1. *dec.* 65. *n.* 5. Hócque in Ordine Benedictinorum à primis 715
incunabulis observatum est, ad mentem S. P. Benedicti, qui in *cap.* 64. *Reg.* illum in Abbatem ordinandum esse,

esse, decernit *quem sibi omnis concors Congregatio, vel etiam pars, quamvis parva, saniori consiliô elegerit.*

716 Adeòque, qui sunt membra Capituli seu Conventûs in Monasterio vacante, habent ex dispositione Juris Communis facultatem eligendi Prælatum. Et quia Sacra Professio facit aliquē esse membrum Monasterii, debet aliquis in Monasterio, in quo Electio instituitur, tacitè vel expressè Ordinem Regularem professus esse per *cap. ex eo.* 32. §. *in Ecclesiis h. t. in* 6.
Quin & hoc requiritur, ut aliquis non in statu Lai-
717 cali, tanquàm frater conversus, sed in statu Clericali,
tanquam promovendus cum tempore ad Ordines Professionem emiserit *d. cap. ex eo* §. *in Ecclesiis*: ibi: *qui non sunt tacitè vel expressè professi, non debent cum professis, vel Conversi Laici cum Clericis Electionibus interesse.*

718 Suppono II. quòd, sicut in *num.* 134. ex *Clement. ut ii* 2. *de Ætat. & qual.* & Trident. Concil. *Sess.* 22. *de Ref. cap.* 4. adnotatum est, eos, qui eligendi potestatem sibi asserunt, in Ordine Sub Diaconatûs constitutos esse debere; ita ut & idem Ordo Sub-Diaconatûs etiam in Religiosis electoribus desideretur: quandoquidem præallegatæ constitutiones Conciliares expressim de Regularibus æquè ac Sæcularibus Clericis disponunt.

719 Neque cum Laymann *quæst. canonic.* 181. *resp.* 3. Pirhing ad *h. t. num.* 336. & Clariss. P. Jacobo Wex in *Epit. Can. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 12. *& seq.* facienda est differentia I. inter Religiosos, Monachi sint, an Canonici Regulares. Nam, licèt utraque constitutio loquatur de iis eligentibus, qui in Cathedralibus vel Collegiatis, Sæcularibus vel Regularibus Ecclesiis
720 sunt *Divinis Officiis mancipati*: ex hoc tamen non
video, quâ ratione excludi possint Monachi, qui & ipsi ex primario suo fine ad officia Divina, die noctúque persolvenda, perinde ac Canonici, destinati sunt; non attentis textibus in *cap. placuit* 1. *& seqq. XVI. q.* 1. ut qui Monachos non à Divinis officiis, sed aliis Clericorum Sæcularium ministeriis eximunt, suamque tum explicationem tum correctionem in *cap. si Monachus* 22. *& plur. seqq. eâd. XVI. q.* 1. accipiunt.

721 Neque cum Zypæo in *Analysi Juris Pontificii ad lib.* 3. *Decretal. tit.* 11. *num.* 2. facienda est differentia II. inter Religiones, an vi Regularum particularium omnes professi vocem activam in Electione habeant, nec ne? Quasi videlicèt mens dictorum Conciliorum Generalium non fuerit, speciales locorum leges & statuta innovare *arg. cap. licèt* 1. *de Con-*
722 *stitut. in* 6. Etenim statuta illa particularia, si quæ in
Religionibus quibusdam, uti in Benedictina, habeantur, nihil speciale, sed, quod anteà de Jure Communi antiquiori dispositum erat, continent: quia, quòd omnes Professi votum activum in Electione Prælati Regularis habeant, pridem ante Concilium Viennense & Tridentinum erat statutum in *cit. cap. Abbas* 2. *& seqq. XVIII. q.* 2. & *cit. cap. ex eo* 32. §. *in Ec-*
723 *clesiis h. t. in* 6. Unde per dispositionem utriusque Con-
cilii non tam statuta particularia, quàm Jus Commune abrogatum est. Videantur Ascanius Tamburinus de *I. A. tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 8. *num.* 8. Gonzalez ad *cap. cùm Monasterium* 13. *h. t. num.* 5. Clariss. DD. Engel ad *eund. tit. num.* 6. König *ibid. num.* 9. Wiestner *d. l. num.* 17. Guetrather in *Porta Honoris cap.* 2. §. 6. *n.* 25.

724 Suppono III. Capitulares & Conventuales Ecclesiarum Regularium, quibus objici possunt exceptiones, à *num.* 130. relatæ, voce activâ destitutos esse: quoniam universaliores sunt, quàm ut electores Re-
725 gulares non comprehendant. Quibus addendæ sunt
duæ aliæ; videlicèt vitium proprietatis in notabili quantitate, ratione cujus Religiosi proprietarii bienniô voce activâ sunt privati per Concil. Trident. *Sess.* 25. *de Regular. cap.* 2. nec non transitus de Ordine Mendicantium ad Ordinem non-Mendicantium ex *Clem. ut professores* 1. *de Regular.*

Illud dubium: utrùm, qui ad Prælaturam alterius 726
Monasterii postulatus est, votum in Electione novi Prælati in loco Professionis habeat, vel habere possit? Jam negativè decisum est in *cap. constitutis* 47. *h. t.* Quod tamen communiùs limitari solet in casu,
quô ejusmodi Prælato jus suffragii pro una tantùm 727
vice, & quidem, Prælaturâ alterius Monasterii jam vacante, conceditur: cùm ex *cap. cùm Wintonensi* 25. *& cap. scriptum* 40. *h. tit.* compertum sit, extraneis quoque pro una vice jus eligendi indulgeri posse. Reverendiss. D. Guetrather *cit. cap.* 2. §. 6. *n.* 19. *& seqq.*

Si scruteris: quibusnam in Electione Abbatissarum 728
jus eligendi competat? Resp. de Jure Decretalium saltem annum duodecimum unà cum Professione tacita vel expressa in Monialibus electricibus necessarium fuisse *cap. indemnitatibus* 43. *in pr. h. t. in* 6.
Sed de Jure Trident. Concilii, quô non valet Pro- 729
fessio ante annum decimum sextum, 16 annos requiri. Tamburin. *de Jure Abbatiss. disp.* 28. *quæst.* 5. *n.* 2.

§. II.

Quinam in Prælatos Regulares possint eligi?

De qualitatibus eligendorum per integram *Sect.* 3. 730
tractavimus; unde huc transferenda sunt quàm plurima, maximè quæ de ætate à *num.* 179. de scientia à *num.* 198. de morum gravitate à *num.* 223. de carentia vitiorum à *num.* 248. de eligendo digniore à *num.* 270. decisa extant.

Hic tamen controverti potest I. an illos Abbates 731
Regulares, qui Jurisdictionem quasi-Episcopalem obtinent, oporteat esse 30. annis majores? II. an Novitii possint eligi? III. qualis Professio requiratur? IV. an opus habeant Sacerdotiô?

Dico I. Eligendus in Prælatum Regularem, Juris- 732
dictione quasi-Episcopali præditum, non debet esse major 30. sed 24. annis. Sic contra Navarrum, Azorem, & Lezanam statuunt Barbosa in *Collectan. ad cap. cùm in cunctis* 7. *h. t. num.* 19. *in fin.* Tamburin. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 9. *num.* 3. Passerinus *de Elect. cap.* 25. *num.* 436. ex ea ratione: quia tales Prælati non ex toto, sed ex parte tantùm Episcopis æquiparantur, scilicèt quoad solam potestatem Jurisdictionis; de reliquo sunt & manent Prælati Regulares, in Monasterio viventes. Ergo non eam, quam Episcopi, sed quam cæteri Regulares Prælati ætatem, efflagitant.

Dico II. Novitius in Prælatum Regularem eligi 733
nequit. Ita Gregorius IV. decidit in *cap. cùm in Magistrum* 49. *h. tit.* & Bonifacius VIII. in *cap. nullus* 28. *eôd. in* 6. Ratio est: quia contra rationem pugnat, eum in Magistrum assumere, qui vix adhuc didicit esse discipulus, & malè præficitur, qui subesse non novit: nec aptus est ad alios regendos, qui suas regere & moderari affectiones non calluit.

Exceptio est: quando Ecclesia Regularis est simul 734
Cathedralis: tunc enim Novitius in Prælatum, qui simul erit Episcopus, eligi non prohibetur *d. cap. nullus* §. *ad dignitatem h. tit. in* 6. Engel ad *eund. tit. n.* 19. Wex *cit. Epit. de Prælat. Regular. elect. p.* 1. *cap.* 4. *n.* 7.

Dico III. Eligendus in Prælatum Regularem de- 735
bet Ordinem, ex quo Prælatus assumitur, antecedenter, & expressè fuisse professus.

Dixi I. *antecedenter.* Nam textus evidens in *cap.* 736
cùm ad nostrum 37. *cap. officii tui* 38. *h. t.* ita præcipit, Electionem illius, qui eôdem quasi tempore

pore & profitetor, & eligitur, irritans: est enim
præsumptio non levis, quòd potiùs honorem quàm
Ordinem, magis infulam, quàm habitum Regularem
ambiverit.

737 Quantum verò temporis spatium elapsum esse
debeat à die Professionis emissæ? De Jure non est
determinatum. Interim summa congruentia suadet,
ut non nisi post aliquot annos, in Monasterio lau-
dabiliter transactos, aliquis in Abbatem promo-
veatur: cùm *multò tempore discenda sint, quæ post-
modùm doceas*, inquit D. Hieronymus relatus in
cap. sic vive 26. junctô *cap.* 27. *XVI. q.* 1. Lay-
mann *quæst. canon.* 184.

738 Dixi II. *expressè fuisse professum.* Ex quo appa-
ret discrimen inter electorem, & eligendum Regu-
larem: nam in illo Professionem tacitam sufficere,
dictum est in *num.* 716. in hoc autem expressam
exposcimus propter *cit. cap. nullus* 28. *h. t. in* 6.
& Concil. Trident. *Sess.* 25. *de Regular. cap.* 21.
ut videlicèt major certitudo de Religione Præla-
ti habeatur, quam professio expressa, & non ta-
cita, utpote multis dubiis & litibus exposita, sub-
ministrat. P. Pirhing ad *h. t. num.* 361. P. Wex
ubi supra n. 7.

739 Dico IV. Eligendus in Prælatum Regularem
non debet actu habere Sacerdotium aut Ordines
majores, sed sufficit, si in minoribus constitutus
intra annum in Sacerdotem ordinari valeat. Lay-
740 man. *quæst.* 185. Wex *d. cap.* 4. *num.* 14. Ratio
primæ partis est: quia, quod SS. Canones in eli-
gendo non postulant, neque nostrum est, postu-
lare. Nullibi autem Sacerdotium aut Ordines ma-
741 jores actu postulant. Ergo &c. Ratio secundæ
partis est: quia Prælatos Regulares, cùm Jurisdi-
ctionem Ecclesiasticam per Electionem & Confirma-
tionem accipiant, oportet esse in minoribus Ordini-
bus constitutos *cap. inam* 10. *de Ætat. & qual. &
Ord. præficië.* cùmque dignitatem, cui animarum cura
est annexa, sortiantur, necesse est, ut intra annum
ad Sacerdotium promoveri possint per *cap. ut Ab-
bates* 1. *cap. præterea* 5. *d. t. cap. licèt canon.*
14. *commissa* 35. *h. t. in* 6. *cap. si pro* 8. *de
Præb. eôd. in* 6.

742 In oppositam sententiam deflectit Tamburinus *d.
tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 12. I. quia in *cit. cap. ut Ab-
bates* 1. *de Ætat. & qual.* præcipitur, ut Abbates
Decani, & Præpositi, Presbyteri fiant &c. II.
quia in *cit. cap. præterea* 5. *eôd. tit.* innuitur,
posse quidem aliquem, in Minoribus constitutum,
in Abbatem eligi, *sed instante necessitatis articulô.*
III. quia Abbates Regulares possunt Ordines con-
ferre *cap. cùm contingat* 11. *cit. t.* debentque pro
suis subditis offerre Sacrificium Trid. *Sess.* 23. *cap.* 1.

743 Sed Resp. ad I. *cap. ut Abbates* ex textibus in *n.*
741. citatis interpretandum esse, quòd Abbas de-
beat recipere Sacerdotium non ante susceptam Ab-
744 batiam, sed intra annum post susceptam. Ad II.
Resp. in *cap. præterea* Minoristam, qui in Præ-
latum erat destinatus, planè irregularem fuisse, ut
colligitur ex eo, quòd prohibeatur *ad S. Ordi-
nes ascendere*: unde ex casu & causa necessita-
tis solùm admittitur fieri Abbas; cæteroquin, si co-
pia aliarum personarum capacium haberi potuisset,
745 non admittendus. Ad III. Resp. ea munera, quæ
Sacerdotii characterem præsupponunt, priùs à Præ-
lato Electo obiri non posse, quàm Sacerdotiô fuerit
initiatus: sicut etiam Parochus officia Sacerdotalia
priùs obire nequit, quàm Ordinam Sacerdotalem
adeptus fuerit; neque Episcopus, antequàm conse-
crationem acceperit, actus Ordinis Episcopalis exer-
cere potest.

746 Fatendum tamen ingenuè cum Clariss. P. Wex *d.
cap.* 4. *num.* 19. Sacerdotem actualem alteri, qui
Sacerdos non est, in Electione præponendum esse:
tum quia pro Sacerdote stat major virtutis & pru-
dentiæ præsumptio: tum quia major apparet decen-
tia, si Sacerdos Sacerdotibus imperet.

Exquires: quænam qualitates in Abbatissa vel 747
alia Monialium Præposita eligenda requirantur?

Resp. I. olim in Abbatissa ætatem sexaginta annorum 748
in *cap. juvenculas* 12. *XX. q.* 1. postea ætatem trigin-
ta annorum in *cap. indemnitatibus* 43. *in princ. h. t.
in* 6. requisitam fuisse: hodiè verò observandam esse
Concilii Tridentini constitutionem in *sess.* 25. *de Re-
gular. cap.* 7. in qua cavetur, ut *Abbatissa & Prio-
rissa &c. eligatur non minor annis quadraginta, &
quæ octo annis post expressam Professionem laudabili-
ter vixerit. Quòd si his qualitatibus non reperiatur in
eodem Monasterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi pos-
sit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui Electio-
ni præest, videatur, ex iis, quæ in eodem Monasterio
annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis
post Professionem rectè vixerint &c. eligatur.*

Resp. II. Virginitatem in Abbatissa desiderari; adeò- 749
que illam, quæ vel extra vel intra matrimoniū corrupta
noscitur, in Abbatissam assumi non posse per *cit. cap.
juvenculas* 12. *XX. q.* 1. & *cap. si quis* 2. §. *novimus
I. q.* 7. Felinus in *cap. meminimus* 13. *de Accusat. n.*
5. Cardinal. Tuschus *Verb. Abbatissa concl.* 26. P. En-
gel *h. t. num.* 23. P. Layman *q. Can.* 228. *resp.* 3. P.
Wiestner ad *h. t. num.* 234. P. Pirhing *eôd. tit. num.*
407. Ratio est: quia minus est conveniens, ut, quæ 750
virgo non est, Virginibus imperet; atque ad virgini-
tatem, quâ ipsamet caret, custodiendam, alias adhor-
tetur.

Dixi: *quæ corrupta noscitur.* Si enim de amissa virgi- 751
nitate non constet, putant Layman, Pirhing. & Wiest-
ner, corruptam, ut infamiam declinet, in Electionem
consentire posse. Ego verò, ne mihi contradicere
videar, remitto me ad dicta in *n.* 266. *& seqq.*

Resp. III. rem inter DD. valde litigiosam esse: de- 752
beatne Abbatissa etiam legitimè nata esse? In nega-
tivam propendent Rodriquez *quæst. Regul. tom.* 1. *q.*
13. *art.* 1. Miranda, Diana, Portel, Lezana, ex se-
quentibus fundamentis. I. quia Canones, illegitimis
aditum ad Prælaturas Ecclesiasticas præcludentes,
tantùm loquuntur de filiis, non de filiabus; de Mo-
nachis, non de Monialibus *cap. ut filii* 1. *de filiis
Presbyter.* II. quia Professio Regularis in Religiosis 753
masculis operatur, ut possint absque Superiorum dis-
pensatione promoveri ad SS. Ordines *d. cap. ut filii:*
Ergo, ut in Monialibus aliquid operetur, debet fa-
cere, ut ad munus Abbatissæ vel Priorissæ possint eve-
hi. III. quia Abbatiæ & Prioratus Monialium ne- 754
queunt dici veræ Prælaturæ, de quibus idem *cap. ut
filii* loquitur.

In affirmativam trahuntur Panormitanus in *cap.* 755
cùm in cunctis 7. *h. t. num.* 6. *in fin.* Layman *quæst.*
228. *resp.* 2. Barbosa in *cit. cap. ut filii num.* 1.
Fagnanus *ibid. num.* 38. P. Wiestner *ibid. num.* 16.
Clariss. P. Wolfgangus Obermayr *Quæstion. Canonico-* 756
Civil. de Natal. def. q. 4. *cap.* 4. *n.* 51. ex duplici potissi-
mùm ratione. I. quia masculi per Religiosam Profes-
sionem neutiquàm habilitantur ad Prælationes seu
dignitates. Ergo nec fœminæ: partim quia mascili-
num comprehendit fœmininū *l. verbum* 1. *ff. de V. S. l.
hôc edictô* 1. §. 1. *ff. de Constit. pecun. l. ait prætor* 3. §. 1.
ff. de Negot. gest. partim quia fœminæ non debent esse
melioris conditionis quàm masculi in rebus, in qui-
bus eadem prorsus ratio militat. II. quia personæ, 757
quæ ad honores & dignitates elevantur, debent esse
integri status & bonæ opinionis *l. cognitionum* 5. §. 1.
& 2. ff. de Extraord. cognit. l. neque famosis 2. *Cod. de
Dignitat. cap. omnipotens* 4. *de Accusat.* Eorum autem,
qui patiuntur natalium defectum, opinio gravata est
cap. accedent 14. *de Purgat. Canon. l. fratres* 27. *Cod. de*

Inoff. testam. Ergo nequeunt ad munus Abbatissæ
promoveri: nam & hoc, licèt in rigore, non sit Præ-
latura, attamen dignitatis & Prælaturæ nomine com-
prehenditur in Jure per *cap. indemnitatibus* 43. §. *ve-*
rum ibi: *ut à dignitate adepta dejiciatur h. t. in* 6.
758 Receptâ posteriori & veriori sententiâ Resp. ad
primum fundamentum contrarium, sub masculino fœ-
mininum quoque involvi tam in odiosis quàm favo-
rabilibus, præsertim si militet eadem ratio, prout sex
centis exemplis in Jure circa contractus, testamenta,
759 successiones, delicta &c. probari posset. Ad II. Resp.
omninò per accidens evenire, si Moniales illegitimæ
ex Professione nullum civile commodum sentirent:
esto non sit credibile, quòd non experiantur aliquam
prærogativam circa alia officia & functiones, quæ si-
760 nè Prælatura & Præpositura exerceri possunt. Ad
III. responsio conveniens ex *n.* 758. in fine colligi-
tur, quòd scilicèt Abbatiæ & Prioratus Monialium
in sensu Juris ad dignitates revocentur.

§. III.

Quæ forma in Electionibus Regularium servanda sit?

761 Circa formam, in Electionibus Regularium servan-
dam, oportet præ oculis habere decretum Concilii
Trident. *sess.* 25. *de Regular, cap.* 6. quod ita sonat.
In Electione Superiorum quorumcunque, Abbatum tem-
poralium & aliorum Officialium ac Generalium, &c.
quò omnia rectè & sine fraude ulla fiant, imprimis
sancta Synodus districtè præcipit, omnes supra dictos
eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligen-
tium nomina nunquam publicentur &c. Si verò contra
hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, Ele-
762 *ctio irrita sit.* Ratio, quæ decretum hoc extorsit, est:
ut discordiarum & inimicitiarum, quæ inter Religio-
sos, in communi viventes, ex eligentium propalatio-
ne perfacilè possent oriri, fons & fomes sopiatur.
763 Tametsi autem Passerinus *de Elect. cap.* 2. *num.*
58. Fagnanus in *cap. quia propter* 42. *num.* 6. & 19. P.
Reiffenstoel ad *h. t. num.* 336. recitatum decretum
ad solas Electiones Prælatorum temporalium restrin-
gant, propter illa verba decreti: *Abbatum tempo-*
ralium; eàmque restrictionem certam esse, asseveret
Clariss. P. Wiestner *hîc n.* 213. Ego tamen in hanc
sententiam jurare nequeo: partim quia rubrica *citati*
cap. 6. in Concil. Trident. generatim est concepta,
quòd *omnes Superiores* (Regulares) *eligibiles eli-*
764 *gantur collatione suffragiorum secretorum*: partim quia
subjunctum nigrum, seu contextus capitis, rubri-
cæ apprimè concordat, dum similiter generali lo-
cutione asserit, in *Electione Superiorum quorumcun-*
765 *que* vota secreta esse conferenda: partim quia verba
sequentia, *Abbatum temporalium*, non sunt restric-
tiva prioris termini generalis, sed extensiva & amplia-
tiva, adeò ut in illorum quoque Superiorum, qui
temporales tantummodò sunt, Electione præscripta
forma, de votis secretis, ad amussim servari debeat:
766 partim quia, ut vota secreta dentur in Electione
Abbatum perpetuorum, multò major & fortior est
ratio, quàm in Electione Abbatum temporalium:
eò quòd Religiosis Electoribus majus longè pericu-
lum inimicitiarum & indignationis immineat, si Ab-
bates perpetui ex publicatione votorum advertant,
à quibus votum acceperint, à quibus non (lon-
gè gravius autem jugum est, quod in perpetuum,
767 ac quod pro brevi tempore portandum est) partim
denique, quia consuetudo est genuina & optima
Legum dubiarum interpres: hæc autem, facientibus
ipsismet Authoribus contrariis, talis est apud ple-
rosque Regulares, ut vota non tantùm quomodò-
cunque secreta sint, sed in scheda aliqua scribantur &
claudantur, ac clausa in urnam vel calicem conji-
ciantur, ita quidem, ut neque scrutatoribus innotes-
cat, cui singuli sua vota dederint. Tamburinus de *J.* 768
A. tom. 1. *disp.* 5. *quæst.* 5. *num.* 9. Layman. *quæst.*
73. *resp.* 4. P. Engel *h. t. num.* 35. P. Pirhing *eôd. tit.*
num. 397. Qui & alii Authores communiter suppo-
nunt, formam in *cit. loc.* Concilii definitam, in Elec-
tione quorumcunque Regularium adhibendam esse,
quò facit decisio Rotæ Rom. in *n.* 395. *allegata.*
In dubium autem vocari potest, utrùm non eôdem 769
Concilii decreto triplex forma Electionis per inspira-
tionem, compromissum, & scrutinium in *cap. quia*
propter 42. *h. t.* determinata, fuerit abolita? Sic enim
tenuit Fagnanus in *cit. cap. quia propter* à *num.* 2.
cui quoad inspirationem & compromissum adstipula-
tur Clariss. P. Guetrather in *Porta honor. cap.* 4. §.
2. *num.* 17. secutus Passerinum *de Elect. cap.* 1. *n.* 59.
& Barbosam in *Collect. ad cit. cap.* 6. Trid. *num.* 15.
Contra quos
Dicô I. In Electionibus Regularium valet etiam- 770
num modus eligendi per inspirationem. Tamburinus
cit. disp. 5. *quæst.* 5. *num.* 9. Layman. *q.* 182. *resp.* 1.
P. Engel *h. t. num.* 33. P. Wex in *Epitome p.* 1. *cap.*
3. *num.* 19. P. Wiestner *hîc num.* 217. Ratio est: quia
vera inspiratio, cùm à DEO fiat, nec constitutioni
nec mutationi humanæ Legis subest. Præsumpta quo- 771
que inspiratio vel ideò in dispositione Concilii non
fuit comprehensa: quia mens & finis illius erat, præ-
scindere filum & semen aversionum & odiorum inter
Confratres & Capitulares conviventes. Atqui non
est, cur timeantur odia vel aversiones, ubi tanta vo-
torum & animorum, in unum convenientium, concor-
dia, ut meritò ex Spiritu sancto ortum traxisse præ-
sumatur.
Dico II. Neque modus eligendi per compromis- 772
sum in Trident. quoad Regulares est sublatus. Au-
thores anteriores. Ratio est: quia, si probè legatur
integer tenor sæpe *cit.* constitutionis, ea, quæ de
votis secretis noviter decreta sunt, ad solam scrutinii
formam referuntur: dum enim ibidem prohibetur, *ne*
singulorum eligentium nomina publicentur, de compro-
misso non est cogitatum, utpote in quo non eligunt
singuli, sed aliqui tantùm nomine singulorum.
Dico III. Neque modus eligendi per scrutinium 773
in *cap. quia propter* 42. *h. t.* præscriptus, per Triden-
tinum est sublatus. Ita Rota Romana in *recent. p.* 4.
in *una Metensis Monasterii to.* 2. *dec.* 312. *per tot.* præ-
sertim *num.* 9. & *ult.* & in *una Trevirensis Abbatia S.*
Maximini to. 3. *dec.* 574. *per tot.* præcipuè *num.* 54. &
seqq. Ita P. Wiestner *h. t. num.* 218. & ut credo, om-
nes in *num.* 770. relati Authores. Ratio est: quia 774
Trid. tanquàm Jus posterius, non præsumitur tolle-
re voluisse Jus antiquius, nisi in quantum expressit.
Atqui voluntatem tollendi nuspiam expressit, sed tan-
tùm in *cit. l.* votorum secretam rationem haberi pe-
tiit, ut eligentium nomina nunquam publicentur: cui
petitioni forma scrutinii, in *cit. cap. quia propter* præ-
scripta, neutiquam adversa, sed maximè consona vi-
detur, velut in puncto notavit Rota *d. dec.* 574. *n.*
56. & *seq.* Ex quo
Infertur: hodiedum Electiones Regularium per 775
scrutinium celebrari posse, & debere in omnibus &
per omnia conformiter *cit. cap. quia propter*; eô so-
lùm exceptô, quòd collatio zeli ad zelum exclusa
sit. Quæ ipsa tamen collatio suppletur ex præsum-
ptione, quòd Regulares propter statum, quem pro-
fessi sunt, sinè vitio simoniæ aliquem ex bono zelo
elegerint.
Neque primam & secundam conclusionem evertit 776
Declaratio Cardinalium, ab Authoribus adversi do-
gmatis adducta: utrùm enim authentica sit? utrùm
universalis, & non particularis? Tamdiu prudenter
ambigere possumus, quàmdiu non ostenditur in forma
authentica. Clariss. P. Wex *cit. l. n.* 18.

Neque

777 Neque tertiam conclusionem profternit Regula S.
P. Benedicti, quæ in *cap.* 64. nihil aliud ad Electio-
nem Abbatis exigere videtur, quàm ut ipsum *tota*
congregatio, vel pars ejus, quamvis parva, sanio-
778 *ri consiliô elegerit.* Enimverò, ficuti folerter adver-
tit Rota *d. decif. num.* 51. *& feq.* S. Pater de modo
eligendi nihil determinat, fed difpofitioni SS. Cano-
num tacitè relinquit; confequenter modus fcrutinii,
in *d. cap. quia propter* ordinatus, non excluditur,
fed per illud, tanquam conftitutionem pofteriorem,
779 declaratur aut fuppletur. Quòd verò fuftineatur Ele-
ctio, à parte minori, fed faniori, facta; non ita
exaudiendum eft, quòd pars quævis, etiam minima,
fufficiat; neque etiam, quòd fufficiat para major ref-
pectu minoris; fed pars parva refpectu totius, ut ele-
ctus legitimè cenfeatur, qui non quidem ab omni-
bus, fed tamen a majori, quàm dimidia parte Capi-
tuli; vel faltem qui à paucioribus in cafu, quò major
pars eligit indignum, afsumptus eft, conformiter dictis
in *n.* 411. *& feqq.* Perez *commentat. in cit. cap. Reg.*
*n.*2. Eminentifs. Card. de Luca *de Regular. difc.* 11. *n.* 4.
In dubium vocari poteft II. quomodò falvetur
780 fcrutinium Regulare, quando plures vel pauciores
fchedulæ feu fabæ, per quas electores Regulares,
ad accuratè fervandum fcrutinii fecretum, plerum-
que fua conferre fuffragia confueverunt, quàm fint
electores, actu præfentes; aut etiam fchedæ prorfus
fus vacuæ vel albæ reperiuntur?
Refp. videndum effe, num computatis ejusmodi
exundantibus, redundantibus, vel deficientibus fche-
dis, nihilo minùs inveniantur vota abfolutè majora;
nec ne. Si hoc; non poterit Electio cenferi Canoni-
781 ca: utpote cùm incertum fit, an electo canonicus
782 votorum numerus fuffragetur. Si illud; Electio ni-
hilofecius fuftinebitur ex regula in *cap.* 37. *de R. J.*
in 6. quòd utile per inutile vitiari non debeat.
Card. de Luca *cit. difc. à num.* 7. & de *Canonicis*
difc. 28. *n. ult.*
In dubium vocari poteft III. utrùm in Regu-
783 lari fcrutinio vota abfentium per literas dari va-
leant?
Refp. non magis valere quàm in aliis Electio-
nibus, de quibus in *num.* 118. quantumvis Lay-
mann *quæft.* 44. Engel *h. t. num.* 10. Pirhing
ibid. num. 397. valere exiftiment; qui tamen Au-
thores debent intelligi potiùs de voto, in *literis*
datô, juxta declarationem in *n.* 119.
In dubium vocari poteft IV. an Regulares ab-
784 fentes procuratorem conftituere poffint cum manda-
to fpeciali de perfona certa eligenda? Barbofa in
Collectan. ad cit. cap. Trid. *feff.* 25. *de Regular.*
cap. 6. & P. Engel ad *h. tit. num.* 10. refpon-
dent negativè, afferentes Declarationem Cardina-
lium, & rationem, quòd contra formam decreti
Conciliaris nomen eligentis manifeftari deberet,
hôc ipsò, quòd fciretur, certam perfonam ab ip-
fo nominatam effe.
Sed, abftrahendô à Declarat. non rejicio fenten-
785 tiam P. Pirhing *cit. loc.* indifcriminatim admittentis
procuratorem. Ratio eft: quia, ficut in Electione
communi votum remanet fecretum, efto procurator
cum fpeciali mandato deputetur; ita & in Regula-
rium Electione fecretum manet: poffunt fiquidem ad
Capitulum dirigi literæ, in quibus procurator ex-
prefsè conftituitur; his ipfis tamen literis mandatum
fpeciale de certa perfona, per fchedulam figillatam,
poteft inferi: quô cafu nomen eligentis nunquam pu-
blicabitur.
786 Si quæras: quænam forma in Electionibus Mo-
nialium fit præfixa?
Refp. cum Layman *quæft.* 231. eandem, quæ in
Electionibus virorum, fcilicèt per fcrutinium, com-
promiffum, & infpirationem; eamque à Concilio
Trid. non effe fublatam. Si tamen per fcrutinium fiat
Electio, aliqua fpecialia notanda funt ex *cap. indem-*
nitatibus 43. *h. t. in* 6.
Primum eft: fi duæ partes Monialium, atque 787
adeò ex 24. fedecim in unam perfonam conveniant,
Superior Electionem confirmare, ac, fi Abbatiffa fit,
Benedictionem impertiri tenetur, non obftante con-
tradictione minoris partis; dummodò Electio pro-
bè fuerit examinata *d. cap. indemnitatibus* §. *fanè.*
Secundum eft: quando non duæ partes, fed 788
major pars Monialium ficque ex 24. tredecim v.
g. in certam perfonam confentiunt, Electio qui-
dem valet, fed tamen factæ contra illam oppofi-
tiones & appellationes à Superiore, ad quem Con-
firmatio pertinet, finè ftrepitu & figura judicii au-
diri debent; ac, ne difciplina vel œconomia pa-
tiatur intereà difpendium, electæ poteftas admi-
niftrandi (exceptâ alienatione & fufceptione Mo-
nialium) in fpiritualibus & temporalibus permit-
titur *cit.* §. *fanè.* Quòd fi minor pars majori ac- 789
cedere velit, poteft in continenti, & antequàm
ad actus extraneos deveniat, id facere; & eô qui-
dem effectu, ut, fi duarum partium confenfum
compleat, Electio perinde æftimetur, ac illa, in
qua ab initio duarum partium fuffragia in unam col-
limârunt. Quod medium pro faciliori concordia Mo-
nialium adinventum eft *d.* §. *fanè.*
Tertium eft: quando non major fed minor, vel 790
etiam media pars de Conventu in unam confentit,
tunc Electio in tantum eft nulla, ut neque per ac-
ceffum convalefcere poffit *d.* §. *fanè circa fin.* quia
acceffus non abfolutè (ficut in Electione Pontifi-
cis) in Electione Monialium eft permiffus, fed
tantùm in cafu, quô aliqua per majora fuit elec-
ta, ad obtinendum duarum partium confenfum,
& inanes, ac fuperfluas lites & contradictiones am-
putandas.
Quartum eft: quando Electio à Monialibus per 791
viam compromiffi eft celebrata, & minor pars Con-
ventus fe opponit, electa à Superiore, inftitutô
priùs diligenti examine, confirmanda, &, fi Abba-
tiffa fit, benedicenda eft; refervatâ tamen oppo-
nentibus facultate, denuntiandi vel accufandi ele-
ctam.
Quando autem major pars reclamat, tunc Con- 792
firmatio & Benedictio, non tamen adminiftratio,
ufque ad pleniorem caufæ cognitionem, differen-
da eft: nifi pars opponentium duas tertias confi-
ciat, in qua hypothefi ne quidem adminiftratio con-
ceditur electæ *d.* §. *cap. indemnitatibus* 43. §. *cæ-*
terùm h. t. in 6. Ubi in §. *fupra dicta* omnia & fin- 793
gula, quæ de Monialibus, Religionem aliquam ap-
probatam profeffis, ftatuta funt, etiam ad illas fœ-
minas, quæ in Collegiis inftar Canonicorum, abfque
Regula approbata, vivunt, extendi jubet Bonifacius
VIII. Confer P. Layman *quæft.* 232. *& feqq.* Barbo-
fam in *Collectan.* ad *d. cap.*

§. IV.

Qualem Effectum operetur Electio Regularium?

Effectum, quem aliæ Electiones operantur, ope- 794
ratur etiam Electio Regularium. Ut proinde omnia,
quæ in *fect.* 5. §. 1. *num.* 475. de Effectu Electionis;
& in §. 2. *à num.* 498. de Confirmatione Electi lon-
giùs explicata funt, amodò non repeti, fed fupponi
debeant.
Unum quoad Electos Regulares, fi Abbates vel 795
Præpofiti infulati fint, fpeciali confideratione di-
gnum, eft Benedictio, quæ aliquam analogiam cum
Epifcopali Confecratione in eo habet, quòd Benedic-
tos in proximo gradu poft Epifcopos conftituat, & illis

pares

participationem quandam de Ordinis potestate quoad usum Pontificalium & facultatem conferendi Ordines minores tribuat, ac semel impertita reiterari non debeat. *cap. quoniam* 1. *Dist.* 69. *cap. cùm contingat* 11. *de Ætat. & qual. & ord. praficiend. & arg. cap. capellanum* 1. & *cap. vir autem* 13. *de secund. Nupt.* Atque in hoc sensu in *cap. alienationes* 37. *XII. q.* 2. Benedictio nomine Consecrationis honoratur.

796 De reliquo in plurimis Consecratio Episcoporum differt à Benedictione. Et imprimis quidem Consecratio Episcopalis est verus Ordo, quatenùs Ordo Sacramentum dicit, & characterem imprimit, juxta definitionem Synodi Tridentinæ *sess.* 23. *can.* 7. Cùm tamen Benedictio non tam Ordo vel Sacramentum, quàm Sacramentale sit; neque characterem imprimat, sed impositionem duntaxat manuum deprecatoriam contineat per *cap. manus* 74. *I. q.* 1. & *cit. cap. quoniam* 1. *Dist.* 69.

797 Secundò: Consecratio debet fieri ab Episcopo, nec potest à S. Pontifice simplici Sacerdoti delegari ex *num.* 513. *& seqq.* Benedictio econtrà, licèt de Jure Communi & Consuetudine à solis Episcopis, assistentibus duobus Abbatibus, fieri debeat *d. cap. quoniam* 1. *Dist.* 69. *cap. statuimus* 1. *de supplend. neglig. Prælator. cap. cùm contingat.* 11. *de Ætat.* & *qual. & ord. præfic.* attamen ex privilegio vel delegatione S. Pontificis ab Abbate, vel Presbytero simplici potest peragi. Tamburin. *tom.* 1. *dispur.* 11. *q.* 11. Layman. *quæst. canon.* 212.

798 Tertiò: Episcopi Consecrationem intra trimestre, à die Confirmationis, petere tenentur ex *num.* 447. Abbates verò secundùm aliquos certum à Jure tempus non habent statutum; secundùm alios intra
799 annum Benedictionem sollicitare obstringuntur. Ex numero posteriorum sunt Tamburin. *d. disput.* 11. *q.* 8. Gonzalez ad *cit. cap. statuimus de supplend. neglig. Prælator. num.* 4. P. Wiestner *h. t. num.* 335. allegantes pro se *Clementinam* 1. *de statu Monach.* in qua tamen intentionis suæ fundamentum
800 non inveniunt. Fortè in *Clem. attendentes* 2. *§. statuimus eôd. tit.* se fundare nituntur, ubi de Abbatissis constitutum legitur, ut *intra annum, à sua Confirmationis tempore computandum, munus Benedictionis suscipiant; alioquin à jure suô* (*nisi subsit ratio-*
801 *nabilis causa*) *prorsus cecidisse*, pronuntiantur. Sed neque hìc in tuto se collocant. Nam dispositio, de Abbatissis proposita, nequit ad Abbates trahi: quia, licèt masculinum comprehendat fœmininum, fœmininò tamen masculinum comprehendi, exemplô pessimum esse, dicitur in *l. si ita sit scriptum* 45. *in princ. ff. de Legat.* 2. Egregiè Panormitan. ad *cit. Clem. attendentes n.* 20.

802 Quartò: Consecratio Episcopis die Dominicâ confertur ex *n.* 550. Benedictio, etsi de convenientia eâdem die conferri debeat, nihilo minùs & aliâ die festivâ, sicut Ordines minores, rectè confertur *arg. cap. de eo* 3. *de Tempor. Ordinat.* Panormitan. *cit. loc. n.* 17. Barbosa de *Offic. & Pot. Episc. part.* 2. *alleg.* 27. *n.* 51. P. Engel *h. t. n.* 59.

803 Quintò: Consecratio potestatem Ordinis simpliciter tribuit, adeò ut, illâ deficiente, nullus actus Ordinis ab Episcopo possit exerceri ex *n.* 570. Benedictio tribuit quidem Abbatibus & Præpositis Benedictis ordinariô Jure similitudinariam Ordinis potestatem; absolutè tamen, ex privilegio Pontificio, talis potestas Abbatibus & Præpositis non Benedictis con-
804 cedi potest; & de facto ex generali privilegio, in Corpore Juris clauso, omnibus Abbatibus est concessum, ut, *si Episcopus tertiò cum humilitate ac devotione* (*sicut convenit*) *requisitus, substitutos Abbates benedicere renuerit, eisdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad Officium hujusmodi pertinent, exercere, donec ipsi Episcopi suam duritiam recognent, & Abbates benedicere non recusent.* Textus & Gonzalez in *cap. statuimus* 1. *de supplend. neglig. Prælat.* ac alii Interpretes communissimè.

An ergo etiam Abbatissæ benedicantur? Non 805
jam quærere vocat: cùm responsio affirmativa in *cit. Clem. attendentes* 2. *§. statuimus de statu Monach.* expressissimis verbis adstruatur, dum Abbatissis præcipitur, ut sub pœna privationis intra annum à die
Confirmationis se benedici faciant. Quia tamen hæc 806
Benedictio specialem potestatem Abbatissis non communicat, non est de necessitate ubique locorum adhibenda, sed ibi duntaxat, ubi moris est *d. Clem.* & §. ubi Panorm. *num.* 24. Laymann *q.* 113. & alii.

SECTIO VIII.

De Electione Romanorum Imperatoris.

SUMMARIA.

807. *Transitus ad Electionem Cæsaream.* 808. *Jus eligendi habent Electores S. R. I.* 809. *& seqq. Illorum origo ad tempora Ottonis III. & Gregorii V. refertur.* 815. *& seqq. Referuntur Authores, idem nobiscum sentientes.* 820. *& seqq. Numerus Electorum unà cum congruentia panditur.* 825. *& seqq. Electores Ecclesiastici statim post Electionem eligere permittuntur.* 828. *& seqq. Investitura non requiritur ad exercitium juris eligendi.* 829. *& seq. Agitur de tutoribus electoralibus.* 831. *In eligendo requiritur sexus masculinus.* 832. *Status sæcularis.* 833. *Sanguis illustris.* 834. *Literarum peritia.* 835. *& seqq. Religio Catholica.* 844. *& seqq. Quidquid opponant Acatholici.* 857. *& seqq. Natio Germanica.* 861. *& seqq. Refutantur argumenta contraria.* 871. *& seq. Ætas sufficiens.* 873. *& seq. Electio Regis Romanorum est extraordinaria.* 875. *& seqq. Præmittuntur antecedentia Electionis Cæsareæ.* 882. *& seqq. Explicatur forma scrutinii.* 884 *& seq. Et compromissi.* 886. *& seqq. Potest aliquis suô votô facere majora.* 889. *Compromissarius non potest delegare vices suas.* 890. *Compromissum re integra potest revocari.* 891. *& seqq. Vota non debent esse necessariò secreta.* 895. *& seq. Electus statim administrare valet.* 898. *& seqq. Electionem sequitur Coronatio.* 901. *& seqq. Explicatur Germanica.* 904. *Longobardica.* 905. *& seqq. Et Romana.*

§. I.

Penes quos facultas eligendi Romanorum Imperatorem resideat?

AD Electiones speciales specialissimô titulo 807
reducenda est Electio Romanorum Imperatoris; de qua ex instituto quidem agunt Juris Publici Scriptores & Professores, atque inter hos duo nostræ Facultatis celeberrimi Collegæ, D. Hermannus Hermes in *Fasciculo Juris Publ. cap.* 6. *p. m.* & D. Franciscus Ignatius de Wolleren in *quæst. select. Salisburg. quæst.* 6. *per tot.* non tamen omninò calamum abstrahunt Canonistæ, repetentes ad *cap. Venerabilem* 34. *h. tit. & Clem. Romani un. de Jurejur.* Quibus ea propter morem gerere, ac pro materiæ integritate pauca aliqua de Electione Romanorum Imperatoris delibare volui, cætera Publicistis relicturus.

Causa efficiens hujus Electionis sunt Serenissimi 808
S. R. I.

S. R. I. Electores, penes quos facultatem eligendi privativè residere, constat ex tota Aurea Bulla Caroli IV. Quônam verò sæculô, quôve annô tanta Septemvirorum potestas & authoritas invaluerit, magna contentio & concertatio est inter Historicos & Politicos; aliquibus ad tempora Caroli M. aliis ad ætatem Gregorii V. Summi Pontificis, & Ottonis III. Imperatoris; quibusdam ad annos Ottonis IV. nonnullis ad lustra Friderici II. multis ad usũ & consuetudinem provocantibus, ut videre est apud *cit.* Hermes *cap.* 16. Vitriarium *Instit. Jur. publ. lib.* 1. *tit.* 13. n. 3.

809 Mihi præ aliis probatur judicium Eruditissimi Emanuelis Gonzalez in *not. ad cit. cap. venerabilem* 34. *b. t. num.* 5. docentis, Electorum Collegium & numerum authoritate Ottonis III. & Gregorii V. Pontificis institutum esse: quia verò cæteri Principes, qui ab Electione se exclusos advertebant, suffragium suum in re tam momentosa negligere detrectabant, ab initio non statim ad executionem Pontificiam institutionem devenisse, quo usque ingentia mala, quæ ex plurium Electorum ad Electionem concursu sequebantur, experti, successivâ demum observantiâ, ac longævâ consuetudine eandem constitutionem receperunt. In quo
810 sensu Innocentius III. in *cit. cap. venerabilem* 34. *h. t.* dixit, jus eligendi Imperatorem ad Principes Electores de *Jure & antiqua consuetudine pertinere*; de Jure scilicèt, si origo spectetur; de consuetudine, si effectus & observantia consideretur. Pari ferè ratione locutus est Carolus IV. in *A. B. cap.* 28. §. *invenimus*.

811 In hanc sententiam inclinare videtur Eminentiss. Sfondrati in *Regali Sacerdot. lib.* 1. §. 6. Rationes affert: tum quia ex Sigeberto Historico ad annum MII. constat, Ottonem III. inter alia cum Papa Gregorio V. de iis, quæ ad Imperii Jura spectant,
812 egisse: tum quia ab Ottone III. jus designandi successorem non ampliùs usurpatum, sed Imperium à Principibus Germaniæ Henrico II. illius immediato successori per liberam Electionem delatum fuit; quod signum est, eô tempore mutationem aliquam circa Electores accidisse: alioquin Imperatores eô privilegiô tam magnô, tamque utili successores nomi-
813 nandi nunquam abstinuissent: tum quia Otto III. liberis & spe liberorum carens, ne post ejus mortem ex causâ Electionis discordiæ Germaniam agitarent, vicinô maximè, & ad omnia vigilante Galliô, cum
814 Pontifice sic convenit: tum denique quia constans omnium scriptorum, Germanorum & exterorum, Catholicorum & Lutheranorum est sententia, jus eligendi Cæsarem ductu & auspiciis Romani Pontificis ad septem Germaniæ Archi-Principes esse translatom.

815 In idem placitum propendere videtur Clariss. D. Collega de Wolleren *cit. l. sect.* 1. *num.* 37. *& seqq.* dum scribit, quòd Authores communiter tradant, Electores sumpsisse originem circa finem sæculi decimi, curante Ottone III. Imperatore, & Gregorio V.
816 Summô Pontifice. Quod eò verosimilius dicit: quia Ottonum stirps, in illo ipso Ottone deficiens, viam pandebat Electioni, cujus momentosum negotiom sinè præscitu & aothoritate S. Pontificis, qui tunc erat Gregorius V. tractare, nefas credebatur: utpote cùm non tantùm universa tunc Germania Sedi Apostolicæ quàm devotissimam se exhibuerit, sed & ipse Gregorius Germanus & cognatus Ottonis III. extiterit. Addit in *num.* 30. sub immediato Otto-
817 nis III. successore Henrico II. hæreditaria Electorum Archi-Officia jam effloruisse. Subdit in *num.*
818 42. in comperto non esse, quàmdiu reliqui Principes, Proceres, Status Imperii, & Germaniæ Populus adhuc concurrerint ad Electionem; dudum verò jam ante Auream Bullam, privativè omninò quoad reliquos Principes & Status, ad solos septem Imperii Electores jus eligendi Cæsarem devenisse.

Denique testatur Joannes Braun in *lib. var.* 819
amanit. quæst. 6. *antith.* 6. quòd sententia, referens ortum Electorum ad Ottonis III. tempora, plures nutriat Aothores, quàm nomina sint Græcarum navium apud Homerum; quòdve ipsemet legerit obiter ferme 30. tam chronographos quàm Jurisconsultos.

Electores, ad qoos privativè tota Electionis causa 820
transiit, ex constitutione A. B. (nam 8. vus nempe Dux Bavariæ Anno 1624. & nonus seu Brunsvvicensis & Luneburgensis novissimè Collegio Electorali accessit) sunt septem, tres Ecclesiastici, Moguntinus, Coloniensis, & Trevirensis, Archi-Episcopi; quatoor Sæculares, Rex Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandeburgicus, juxta vulgatos versiculos:

Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis,
Quilibet Imperii sit Cancellarius horum,
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor Ensis,
Marchio præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus:
Hi statuunt Dominum cunctis per sæcul. Summum.

Rationem, quòd 4. ex Principibus Sæcularibus 821
ad munus Electoris evecti sint, hanc reddit Gonzalez ad *cit. cap. venerabilem in commentar. num.* 30. quòd, cùm olim quatuor essent Ordines, qui Electioni Cæsareæ interessent, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, ex quolibet Ordine unus fuerit assumptus, ne ullus Ordo præteritum se posset
conqueri. Quòd aut Ecclesiastici Principes ad Ele- 822
ctionem admissi sint, rationem assignat *cit.* Braun in *thesi* 6. ut illi, quibus ad Imperatoriam Majestatem aspirare non licet, Principes Politicos, ne alter alterius votô ad tantum Imperii decus temerè aspira-
ret, in officio retinere possent. Rationem aliam ex 823
Tacito *de morib. German. cap.* 11. *v.* 5. assignat præcit. Clariss. D. de Wolleren, *n.* 41. quia Germani nostri etiam in ethnicismo suos Sacerdotes summâ authoritate publicis negotiis adhibuerunt; &, quando ad Christianismum traducti sunt, nihil auspicatò gestum credidêre, nisi quòd Ecclesiasticorum Procerum accedens Religiosa Aothoritas
corroboraverit. Quò servit antiquum metrum Gun- 824
theri:

Huc sacri, celebresque Viri, quos laude serenâ
Infula, vel Gladius mundo facit esse verendos,
Ex omni regione fluunt ad publica Regni
Commoda.

Facit aliud ejusdem tenoris carmen:

Est enim talis Dynastia Teutonicorum,
Ut nullus regnet super illos, ni priùs illum
Eligat unanimis CleriProcerumque voluntas.

Porrò circa Electores Ecclesiasticos nihil refert 825
quoad actum Electionis, an electi tantùm, an simul confirmati & consecrati existant. D. Hermes in *fascic. cap.* 6. *num.* 53. Ratio est: quia Electio neque functio Ordinis est, neque actus Jurisdictionis, sed Officii Electoralis, ad quod Electores Ec-
clesiastici per Electionem habilitantur. Quin, cùm 826
S. Pontifex in *cap. nihil est* 44. §. *Episcopi h. t.* generatim concedat Episcopis, extra Italiam in concordia electis, potestatem administrandi: utique non petit, ut electi Archi-Episcopi & S. R. I. Electores ab Electionis negotio, quod & ipsum Ecclesiæ Catholi-
cæ bonum singulariter concernit, sospendantur. Hinc 827
in pluribus Imperii Recessibus leguntur subscri-

pti

pti Electores Ecclesiastici sub titulo *Electi*, ut demonstrat D. de Wolleren *d. l. sect.* 2. *n.* 6. Legitur etiam eôdem teste *n.* 5. Fridericum I. Electorem Coloniensem illicò post suam Electionem ad eligendum Regem Romanorum, Maximilianum II. anno 1562. admissum fuisse.

828 Neque interest circa Electores tam Ecclesiasticos quàm Sæculares, utrùm investituram de Electoratu acceperint, nec ne. D. de Wolleren *d. l. num.* 8. Ratio est: quia investitura non confert potestatem & prærogativam Electoralem, sed in Ecclesiasticis Electio, in Laicis successio *arg. A. B. cap.* 7. §. 2. & *cap.* 20. Est enim investitura potiùs confirmatio, quam collatio juris, jam anteà præexistentis in Electoribus. Rem exemplis roborat idem D. Collega *d. sess.* 2. *n.* 9. & praxi firmatam docet Pfeffing. in *not.* ad Vitriar. *Inst. Jur. publ. lib.* 3. *tit.* 9. *n.* 4. *lit. b.* Contrarium quoad Electores Ecclesiasticos docet D. Hermes *cit. cap.* 6. *n.* 54.

829 Illa quæstio: an, si filius Electoralis pupillus vel minorennis sit, atque tutorem testamentarium acceperit, votum in Electione per tutorem testamentarium, vel tutorem legitimum, qui ex ordinatione A. B. *cap.* 7. §. 4. est agnatus senior, nuncupari debeat? Jam decisa videtur, dum praxis Imperii habet, quòd tutores testamentarii solummodò in rebus, Prin-
830 cipatus tangentibus; in causis verò & functionibus Electoralibus quà talibus tutores legitimi ad votum & sessionem admittantur. Clariss. D. de Wolleren *cit. l. n.* 22. *& seq.* Idque literæ & menti Aureæ Bullæ omninò commensuratum esse, pluribus ostendit Henricus Coccejus *Jurisprud. publ. cap.* 29. §. 17. *& seqq.*

§. II.

Quis in Imperatorem possit eligi?

831 Certum est I. fœminam non posse eligi in Imperatorem. Cùm enim fœmina neque privata officia gerere, neque munera civilia administrare possit: quô pactô fasces Imperii Romano-Germanici capesset?

832 Certum est II. Clericos & Religiosos sceptri Imperialis incapaces esse. Ita & Aurea Bulla *cap.* 2. §. 3. 4. *&* 5. *in verb. temporale caput*, præscribit; & summa decentia efflagitat, ut, qui in pace & bello Cæsarem se esse, demonstrare debet, militem quoque sæculi hujus assumere non prohibeatur.

833 Certum est III. in eligendo Imperatore vel maximè sanguinem considerari, ut nempe ad minimum ex Comitum aut Baronum stemmate sit oriundus, qui non tantùm Comitibus & Baronibus, sed & Ducibus ac Principibus imperare cupit. Plerumque enim, qui natalibus Illustres sunt, virtutibus quoque, & excelsis animi dotibus inclarescunt, ad habenas moderandas non tam eruditi, quàm nati.

834 Certum est IV. præter literarum peritiam, eximiam quoque virtutem in Imperatore desiderari, ne vel scientiâ destitutus sinè modo ac mensura regat; vel pietate vacuus, verbô & exemplô magis obsit, quàm prosit. Expressit hoc A. B. *cap.* 2. §. 1. exigens, ut Imperator sit *homo justus, bonus, & utilis.* Confer Clariss. D. de Wolleren *d. sect.* 2. *n.* 74. *& seqq.* & *n.* 83. *& seqq.*

835 Verùm in controversiam trahi video I. possitne in Imperatorem eligi Acatholicus, saltem Lutheranus vel Calvinista, in Imperio toleratus?

Resp. cum saniori & Catholica sententia negativè. Ratio multiplex est. Prima ex Jure scripto, sacro & profano, in *cap. venerabilem* 34. *de Elect. Clem. Romani de Jurejur. l. inter claras* 8. *Cod. de S. Trin. A. B. in præfat.*

Secunda ex Jure non-scripto, hoc est, antiquissi- 836
mâ tot sæculorum nunquam interruptâ observantiâ, quâ docemur, nullum hactenùs Coronâ Imperiali redimitum fuisse, nisi Catholicum & Orthodoxum. Cujus argumenti, esto negativum sit, eò major est vis, quò clariùs ex una parte liquet, totam A. B. omnesque Electorum prærogativas, in antiqua observantia, vulgò *dem alten Herkommen*, fundatam esse; nec minùs ex altera parte constat, non attentô Acatholicorum contrariô molimine, nullum alium, quam Catholicum Imperatorem, electum fuisse.

Tertia ex officio & obligatione Imperatoris de- 837
ducitur, cui, tanquàm Primario Advocato, vi Capitulationis *art.* 1. incumbit, Sedem Apostolicam tueri, defendere, & protegere, ac juratò sanctam fidem Catholicam & Apostolicam, nec non debitam reverentiam Sanctissimo in Christo Patri, Romano Pontifici (ut videre est apud Vitriarium *l.* 1. *tit.* 8. *num.* 2. *in not. lit. l.*) ante & post coronationem spondere. Quod profectò non sponderet, nedum faceret Imperator Acatholicus, animô & linguâ
à Sede Romana alienus. Et licèt Carpzovius *infra* 838
cit. cum cæteris reponat, Imperatorem Acatholicum aut obligationem non habere, illum articulum servandi: eò quòd Electores Acatholici continuò protestentur contra illius propositionem; aut saltem eam obligationem ultra vim injustam se non exten-
dere: quia tamen Electores Catholici, numerô po- 839
tiores, ejusdem articuli observantiam nunquam non urgent; neque vim injustam tantummodò à S. Pontifice avertere, sed etiam positivam illius & fidei Catholicæ defensionem intendunt: nequeunt Acatholici, ob ipsam protestationem contrariam, eligi.

Quarta ex impossibili eruitur, cùm enim Electo- 840
res Catholici & hodie sint, & olim fuerint numerô majores Acatholicis, nunquam in Imperatorem, Protestantium sacris addictum, major votorum numerus convenire poterit, Catholicis in Catholicum partim ex Justitiæ, partim Religionis virtute suffragia diri-
gentibus. Quam rationem haud dubiè ponderans 841
Gabriel Swederus in *Introduct. in Jus publ. part. spec. sect.* 1. *cap.* 2. *n.* 4. cum Lymnæo *tom.* 2. *n.* 88. *in fin.* ac Hornio *Jurisprud. publ. cap.* 17. §. 13. sensit, & scripsit: *jus nostratibus* (alterius quàm Catholicæ Religionis) *quidem non deesse, sed praxin vix sperandam, vel omninò non, nisi prius magnos difficultatum obices vis Cælestis removerit.*

Quinta ex absurdo sequitur. Nam electum ex Lu- 842
theranis & Protestantibus nemo ungeret, consecraret, aut coronaret; Electoribus Ecclesiasticis, quibus ejusmodi munia de Jure competunt, id facere detrectantibus: nemo quoque ex Regibus Hispaniæ, Galliæ, vel Lusitaniæ tali Cæsari primatum cederet, cum non modico Imperii Romano-Germanici dedecore, cujus Imperatores tam Romæ quàm alibi cæteris omnibus Christianis Capitibus superiores esse, hactenùs credebantur.

Sexta ex summa æquitate & necessitate petitur: 843
quia nempe & naturale, & morale est, rem aliquam iisdem modis conservari, quibus producta & primitus introducta noscitur. Atqui Imperium Romano-Germanicum in personam Germanam, & Romano-Catholicam, Carolum videlicèt, nomine & opere Magnum, in prima sui productione à S. Pontifice translatum est, sicuti ex *cap. venerabilem* 34. *h. t.* & *Clement. Romani de Jurejur.* atque Historicis, veritatis & sinceritatis germanæ studiosis, plusquàm meridianum est. Ergo in persona Romano-Catholica servari, & perpetuari debet.

Carpzovius *disput. feud. secund. q.* 2. *ad A. B.* Vitria- 844
rius *Instit. Juris publ. lib.* 1. *tit.* 5. *n.* 4. Pfeffingerus in *not.*

not. ibid. lit.a. Scharschmid ad Schyzium in *Colleg.
publ. Exercit.* 2. *th.* 9. *lit. k.* & reliqui ea Publicistis
Acatholicis pro domo sua adducunt I. Recess. Imp.
de Anno 1555. §. *damit auch* & Instrumentum Pacis
Westphal. *art.* 5. §. 1. ubi totalis paritas Catholicos in-
ter & Acatholicos in Imperio stabilita videtur, ibi:
*in reliquis omnibus autem, inter utriusque Religionis
Electores, Principes, Status omnes & singulos, sit æqua-
litas exacta, mutuáque, quatenùs forma Reipublica,
Constitutionibus Imperii, & præsenti Constitutioni con-
formis est, ita ut, quod uni parti justum est, alteri quo-
que sit justum &c.* Adeóque inferunt, etiam in eli-
gendis ad Imperatoriam dignitatem & æqualitatem
esse statuam.
845 Sed infirmum & imbecille hoc argumentum esse,
solidè declarat sæpe laudatus D. de Wolleren *cit.
sect.* 2. à *n.*58. Nam præsensa paritas non absoluta,
sed limitata, & in eo solùm fundata est, quòd, sicut
Catholici in suis possessionibus & libero Religio-
nis exercitio ab Augustanæ Confessioni addictis tur-
bari non debent; ita nec Protestantes à Catholicis.
846 Cæteroquin non solùm in Collegio Principum, sed
etiam in Collegio Electorum paritas & æqualitas
votorum introducta; &, quod magis est, vel duo-
rum Imperatorum, Catholici & Acatholici, simul-
taneum regimen, vel saltem alternativa Electio sta-
tui necessariò debuisset. Cujus tamen fallentiam
847 quis adeò tenebricosus est, ut non palpet? Deinde
demus, absolutam & totalem in Imperio paritatem
vigere, eamde tamen ad simultaneum vel alternati-
vum regimen eò minùs concludere licet, quò ma-
gis in proverbio Juristarum est, in generalibus con-
cessionibus & constitutionibus, ea, quæ specialia
& singularia sunt (qualis utique est Suprema Impe-
rii dignitas) non venire.
848 Denique ipsissimus *articulus* 5. §. *cit.* eatenùs exa-
ctam in Imperio paritatem desiderat, quatenùs for-
mæ Reipublicæ & Constitutionibus Imperii confor-
mis est. Sed habere Acatholicum Imperatorem, Con-
stitutioni Aureæ Bullæ & Capitulationibus Cæsa-
reis, ipsiúsque Reipublicæ formæ ex *n.* 835. *& seqq.*
non est conforme. Ergo &c.
849 II. iidem Authores arguunt hoc modô. Qui
idoneus est, ut eligat Imperatorem, idoneus etiam
est, ut in Imperatorem eligatur. Sed Acatholici
Principes idonei sunt, ut eligant Imperatorem.
Ergo idonei etiam sunt, ut eligantur in Impe-
ratorem.
850 Hoc argumentum priori debilius, & tantæ im-
becillitatis est, ut mirer, quòd Viri, doctrinâ con-
spicui, illud proponere audeant. Major siquidem
propositio falsissima est, ac innumeris pene instan-
tiis illius contrarium probari potest: dum in Electio-
nibus Ecclesiasticis sæpenumerò aliquibus votum
activum competit, veluti excommunicatis, irregu-
laribus, in minori ætate constitutis &c. absque eo,
851 quòd votum passivum habeant. Sed & in ipsa Ele-
ctione Cæsarea Electores Ecclesiastici vocem acti-
vam habent absque passiva; suntque ea numero eli-
gentium, non autem ex classe eligendorum. Rursus
& è diametro tam in reliquis Electionibus quàm Im-
peratoria aliqui possunt eligi, omnes scilicèt extra-
852 nei, quin possint eligere. Cur ergo tanta sit connexio
inter eligere & eligi posse, ut, qui potestatem eligen-
di habet, simul & capacitatem per Electionem ad
Imperium Electivum perveniendi habere debeat?
Poterunt itaque Electores Acatholici jus eligendi
Imperatorem habere, quantumvis in sua persona non
possint eligi.
853 III. aliqui sic argumentantur. Imperatores olim
erant Ethnici; ipsique Imperii Vicarii sunt & pos-
sunt esse Acatholici. Ergo & hodie Imperatores pos-
sunt esse Acatholici.

Sed & hoc argumentum elumbe est. Enimverò ex 854
eo sequeretur, hodiedum Ethnicos ad Imperii fasti-
gium elevari posse; quam tamen sequelam, velut
Aureæ Bullæ & rectæ rationi adversam vel ipsi Ad-
versarii refellunt. Verum est, Ethnicos Imperato-
res in Imperio regnâsse, sed eâ ætate, quâ jure hæ-
reditariò succedebant Ethnici. Ast ea nunc sæcula
vivimus, in quibus translatum à Sede Apostolica ad
Christiano-Catholicos Imperium per tales personas
continuandum, in quales ab initio devolutum est.
Verum quoque est, Vicarios Imperii Protestantium 855
fidem non obesse. Sed quanta inter hos & Impe-
ratorem differentia! Illi singularem relationem aut
dependentiam à Sede Apostolica non profitentur;
neque Advocati Romanæ Ecclesiæ dicti, neque
juramentô ad illius defensionem adstricti, neque in
Caput imperii cum perpetuitate assumpti. Iste suam
originem, relationem, & dependentiam à Sede 856
Apostolicâ non diffitetur, ad illius defensionem
Advocatus, juratò constitutus, ac in Caput Impe-
rii & Principem omnium Coronatorum Capitum
cum perpetuitate evectus. D. de Wolleren *cit. sect.*
2. n. 80. *& seqq.*
II. in quæstionem deduci video: an Imperatorium 857
diadema occupare possit non Germanus?
Resp. cum Clarissimis Germaniæ Professoribus, &
tribus Facultatis nostræ Collegis, D. Hermes in
Fascic. cap. 7. n. 25. *& seqq.* D. Balthasaro Braun *tr. de
Magistratu cap.* 5. §. 2. *n.* 14. D. de Wolleren *cit. sect.*
2. n. 90. *& seqq.* D. Vitriario *cit. lib.* 1. *tit.* 5. §. 3. D.
Swedero *cit. cap.* 2. *n.* 4. D. Coccejo *Jurisprud. publ.
cap.* 8. §. 1. n. 3. D. Hornio *Jurisprud. publ. d. cap.* 17. §.
8. negativè.
Ratio est I. quia, ut in *n.* 843. discurrimus, Im- 858
perium Romanum per easdem personas est propa-
gandum, per quas acquisitum erat. Sed Imperium
Romano-Germanicum per Germanum, Carolum
Magnum, acquisitum est, non activè solùm, ut Ger-
mani eligerent Imperatorem, sed passivè, idque prin-
cipaliter, ut Germanus in Imperatorem eligeretur
per textum in *cap. venerabilem* 34. *de Elect.* ibi: *Ro-
manum Imperium* in *personam Magnifici Caroli à Græ-
cis transtulit in Germanos*: neque enim, ut bene ar-
guit D. Hermes *cit. l. n.* 27. rectè diceretur Imperium
à Græcis ad Germanos translatum, si Græcus adhuc
eligi posset. Ergo &c.
Ratio est II. quia, tametsi Lex expressa Imperii 859
publica non extet (de qua tamen lis ingens est inter
Publicistas) quâ externæ Nationes à Corona Roma-
no-Germanica excludantur: attamen inveterata
consuetudo, contradictione quoque & protestatio-
ne Gallorum in Electione Caroli V. confirmata, suf-
ficienter ostendit, aliis, quàm Germanis, fores Im-
perialis Palatii non reserari.
Ratio est III. quia Principes Electores, tan- 860
quam Imperii curatores & procuratores, tenen-
tur omni, quô fieri potest, modô salutem Im-
perii in Electione Imperatoris promovere. Sed,
eligendô extraneum non-Germanum, potiùs per-
dunt, quàm curant Imperii salutem: tum quia
teste Æneâ Sylviô apud D. Hermes *cit. num.* 25.
familiæ Principum & Procerum Imperii extraneis
multò illustriores & sinceriores sunt: tum quia
peregrini, uti moribus & ritibus diversis assue-
ti sunt, ita amorem & affectum subditorum sibi con-
ciliare tam facilè non possunt: tum quia, qui
alienum Imperium tenent, non tam Imperii & pa-
triæ bonum, quàm suum & privatum commodum
primariò respiciunt: tum quia, ut disserit D. Braun
cit. usu compertum est, promotiones & antelationes
exterorum præ incolis sæpe extitisse tum Reipu-
blicis, tum ipsis etiam promotoribus ac promotis
exitiosas.

861 Dices I. ex eo, quòd à tempore immemoriali
per tria ferè sæcula semper electi fuerint Imperato-
res Austriaci, non sequitur, consuetudinem & obli-
gationem esse introductam, Austriacos semper eli-
gendi. Ergo etiam ex eo, quòd semper per sæcula
plura fuerint electi Germani, non sequitur, consue-
tudinem & obligationem esse introductam, semper
eligendi Germanos.
862 Resp. negandô conseq. & paritatem. Disparitas
occurrit multiplex. Inprimis enim non ampliùs es-
set Electio, si soli deberent Austriaci ad Summos
Imperii fasces Electionis viâ transferri, sed potiùs
esset introducta successio hæreditaria vel quasi.
863 Deinde Imperatores Austriaci vigore Capitulatio-
nis, prout videre est in novissima Carolina *art.* 2.
jurant, quòd ex Imperio Romano-Germanico reg-
num hæreditarium efficere, vel ad suos aut alios
864 successores hæreditarios transferre non velint. De-
nique diuturnitas temporis, quô semper electos vi-
dimus Austriscos, si quid juris Austriacis confer-
ret, non tam consuetudinis quàm præscriptionis ra-
tionem haberet: & tamen, quia præscriptio deside-
rat possessionem & bonam fidem ex parte præscri-
bentis, Austriacæ Domui, ex libera eligentium vo-
luntate, citra necessitatem vel obligatiooem electæ,
conducere non posset.
865 Dices II. Consuetudo, quâ semper electi dicun-
tur in Imperatores Germani, neutiquàm continua &
uniformis, sed difformis & interrupta probatur. Si-
quidem ex historia patulum est, Alphonsum, & Ri-
chardum ad Imperii clavum sedisse, nec tamen Ger-
manos, sed Hispanos & Anglos fuisse.
866 Resp. cum Authoribus nostræ sententiæ, de me-
moratis Imperatoribus certò non constare, num le-
gitimè fuerint electi, vel magis intrusi; num ele-
ctio ad effectum, & electi ad imperium pervenerint;
num pacatô vel perturbatô Reipublicæ statu exte-
867 rorum vocario acciderit. Et, si constaret, suffice-
rent mihi tempora posteriora, quibus non tantùm
Germani soli noscuntur electi, sed etiam in Ele-
ctione Caroli V. Galli, velut extranei, quantum-
vis ab Electore Trevirensi summoperè commendati,
à Moguntino (cui posteà Electores cæteri sub-
scripserunt) propterea sunt exclusi, quòd non de-
ceat aut liceat alios, quàm Germanos, eligere.
868 Quò factô allegata priùs consuetudo ab Electori-
bus, ceu præcipuis Imperii Romani Principibus,
communi nomine agnita, & (quod maximum con-
suetudinis est pondus) contradictoriô judiciô pro-
bata fuit.
869 Dices III. Carolus V. & Ferdinandus I. non fue-
runt Germani, sed Hispani; consequenter adducta
consuetudo non tantùm per antiquiores, sed etiam
recentiore actus interrupta fuit.
870 Resp. & Carolum V. & Ferdinandum I. fuisse
Germanos, utpote natos ex Philippo, Maximilia-
ni I. Austriaci filio, & illum quidem Gandavi,
Germaniæ inferioris urbe. Accensetur autem in præ-
senti materia Germanis, vel qui natus est in Germa-
nia, vel etiam qui ea parentibus (saltem paternæ li-
neæ) Germanis progenitus; vel qui vivente avô
Germano editus est. D. Hermes *cit. l. numer.* 29.
Vitriarius *d. t.* 5. §. 3. Coccejus *d. cap.* 8. §. 3. Glet-
le in *select. Jurispubl. q.* 5. *num.* 4. Hornius *ubi su-
pra* §. 8.
871 III. in controversiam deduci posse, adverto:
qualis ætas in eligendo Imperatore sit præstituta?
Quia enim in Electoribus ætas 18. annorum est
præscripta, existimat Scharschmid in *Colleg. publ.
exercit.* 2. *thesi* 9. *lit. f.* non facilè alicui concreden-
dum esse sceptrum Imperiale, qui decimum octa-
872 vum annum non excesserit. Sed quia de ætate Im-
peratoris in Jure publico nihil est cautum; atque
insuper exempla inveniuntur, quòd ætatis scrupu-
losa ratio sæpe non fuerit habita: cùm Otto III.
admodùm puer; Henricus III. annô 12. Henricus
IV. annô 8. Fridericus II. annô 20. Carolus V. an-
nô 19. Ferdinandus IV. annô 20. Leopoldus I. an-
nô 18. Josephus I. annô 12. ad Imperium evecti fue-
rint: sanè nihil hic determinari, sed prudenti Ele-
ctorum arbitrio relinqui debet, ut eam ætatis consi-
derationem habeant, in qua eligendus Imperio mul-
tùm profuturus credatur. Vitriarius *cit. tit.* 5. §. 5.
Hermes *d. cap.* 7. *num.* 22. *& seq.* Hornius *d. cap.*
17. §. 10.

§. III.

Qualis in Electione Cæsarea sit forma servanda?

Forma Electionis Cæsareæ potest spectari vel in 873
actibus, Electionem antecedentibus; vel in ipso
Electionis actu. Si Electio spectetur in actibus præ-
ambulis, ea requirit ordinariè & primò vacaturam
Imperii. Extraordinariè autem potest, vivente Im-
peratore, de futuro successore tractari; tum maxi-
mè, si prævideantur incommoda, scissuræ, & dis-
cordiæ, quæ tempore interregni pullulare, & suc-
crescere consueverunt. Hòc modô præter alios Au- 874
gustissimus Imperator Josephus I. glorios. mem. ele-
ctus, & in Regem Romanorum, regnante adhuc &
imperante Genitore, Sapientissimô & Invictissimô
Leopoldô, designatus, unctus, & coronatus est
Augustæ 1690.
Secundò: Eminentissimus Elector Moguntinus, 875
ceu Imperii Archi-Cancellarius, & Collegii Electo-
ralis Decanus, intra mensem post obitum Impera-
toris tenetur reliquos Coëlectores convocare, ut
intra tres menses à die, in literis convocatoriis ex-
pressâ, Francofurti ad Mœnum vel per se, vel per
suos Legatos compareant. *A. B. cap.* 1. §. 18. *&* 19. Et, 876
si forsitan ea negligentia vel incuria Moguntini vel
omnes vel aliqui non essent vocati, deberent nihilo
minùs propriô motu Francofurti intra trimestre con-
venire, *pro fidei suæ virtute, quâ Sacrum prosequi te-
nentur Imperium*, ut sapientissimè loquitur Impera-
tor Carolus in *cit. cap.* 1. *A. B.* §. 21.
Tertiò: ut Electores convocati tutiùs ad locum 877
Electionis se conferre possint, saluberrimè in *A. B.
d. cap.* 1. §. 17. *& seqq.* de salvo conductu illis est pro-
visum, quem non tantùm Coëlectores Coëlectori-
bus, per terras suas iter facientibus, sed & reliqui
Principes, & Status Imperii, sub reatu perjurii,
privatione omnium feudorum & privilegiorum, ac
pœna proscriptionis præstare obligantur. Hicque 878
conductus erat tunc, quando A. B. est condita, op-
pidò necessarius, utpote cùm adhuc viguerit jus cla-
væ & pugnorum, seu vis privata, vulgò *das Faust-
und Kolben-Recht*: licèt hodie, dum vis privata ce-
dere juri & judicio coacta, sicque pax publica in
orbem Romano-Germanicum est reducta, non sem-
per peti soleat. Clariss. D. de Wolleren *cit. quæst.
sect.* 1. *n.* 57.
Quartò: Electores ita convocati, & conducti, in 879
termino præfixo comparentes, ex præscripto *A. B. d.
cap.* 1. §. 22. ultra ducentos equites, & ultra quinqua-
ginta armatos, ex illis ducentis computandos, secum
assumere non debent. Rationes hujus constitutionis,
& introductæ contrariæ consuetudinis dat *cit.* D. de
Wolleren *n.* 59. *& seqq.*
Quintò: ubi Francofurti convenerunt Electores 880
die, ad Electionem indictâ, omnes è Curia ad Eccle-
siam, equis sublimes, & vestibus Electoralibus induti,
accedunt; Sacrô Solenni de Spiritu sancto (à quo
Protestantes Principes se plerumque subducunt;

ali-

aliquando verò accedunt, non religionis, sed officii
politici ergo, inquit Swederus *part. special. sect. a. cap.*
881 *a. n. 29.*) intersunt; ac finitô Sacrô coram Altari ju-
ratò promittunt, quòd *cum Dei adjutorio velint eli-
gere caput temporale populo Christiano; id est, Regem
Romanorum in Cæsarem promovendum, qui ad hoc exi-
stat idoneus, in quantum, discretio & sensus dirigunt
&c. A. B. cap. 2. §. 1. a. & 3.* Quibus peractis, intrant
Conclave, Electioni instituendæ paratum. Et hi sunt
actus, qui præcedunt Electionem.

882 Ipse actus Electionis fieri potest duplici formâ
scrutinii, vel compromissi. Si scrutinii formâ expe-
diatur, tunc à Moguntino singulorum Electorum
vota per ordinem colliguntur; ipsius autem Mogun-
tini votum ultimô locô à reliquis Electoribus expe-
883 titur. *A. B. cap. 4. §. 4.* Collectis votis, si majora ab-
solutè, hoc est, respectu totius Collegii Electoralis,
hìc & nunc præsentis, in unum ceciderint, electus à
majori parte nomine totius Collegii declaratur, ad-
vocatis etiam Notariô & testibus, ut instrumentum
authenticum super integro Electionis actu erigant,
subscribantque.

884 Si compromissi formam usurpent Electores (quod
fieri posse, exemplis in Adolpho Nassoviensi, &
Rudolpho I. Habspurgico, probat D. Hermes in
fascic. cap. 7. n. 50.) refert, an unus compromissarius
sit constitutus, an plures. Priore casu Imperator
censebitur, qui ab uno fuerit nominatus: non enim
tam propriô compromissarii, quàm communi Electo-
rum nomine censetur nominatus *arg. cap. causam 8.*
885 *cap. in causis 30. cap. quia propter 42. de Elect.* Poste-
riore casu ille, qui à pluribus est designatus, habetur
pro ritè electo *arg. d. cap. in causis 30. cit. tit.* Hæc
plana sunt.

886 Ambiguum autem est I. an eligendus suô votô
possit efficere majora?

Resp. affirmativam & expressô textu in *A. B. cap. 2.
§. ult.* & receptô exemplô in Ruperto, Sigismundo,
Maximiliano II. & Ferdinando II. decisam extare.
887 Cujus ratio esse potest, quòd ita faciliùs & expedi-
tiùs ad exitum & effectum Electionis deveniatur, si
majoritas votorum ipsius quoque eligendi consensu
adimpleri possit. D. Hermes *cit. cap. 7. n. 42.* D. de
888 Wolleren *cit. sect. 2. num. 105.* Qui etiam probant, fi-
lium à Patre, fratrem à fratre, consanguineum à con-
sanguineo eligi non prohiberi, non tantùm quia in
causis publicis pater & filius pro una persona non re-
putantur, sed etiam quia inter Principales familias in
Imperio merum vinculum & nexus propinquitatis
intercedit.

889 Ambiguum est II. an compromissarius, ab Electo-
ribus communi suffragiô deputatus, alteri vices suas
demandare possit?

Resp. quòd non, argumentô desumptô tum à Ju-
dice delegatô, tum à procuratore, cujus personæ
industria est electa: horum enimverò neuter munus
suum alteri subdelegare potest *cap. quoniam Apostoli-
ca ult. §. is autem de Off. deleg. cap. ult. de Procurator.
in 6.* D. Hermes *cit. cap. 7. n. 53.*

890 Ambiguum est III. an compromissum revocari
possit?

Resp. distinguendum esse, utrùm res adhuc sit in-
tegra, vel non, prout distinxi in *n. 435.*

891 Ambiguum est IV. sintne vota palam, an secretè
proferenda?

Resp. inspectis verbis *A. B. cap. 29.* vota palam
proferri posse: quia Imperator, dum ibi de Legatis,
ab Electoribus ad Electionem dimissis, agit, ordinat,
*ut unà cum aliis Comprincipibus & Coëlectoribus tam
Ecclesiasticis quàm Sæcularibus ad tractandum, con-
cordandum, & concludendum de persona quacunque
892 habili & idonea admittantur.* Nequit autem com-
munis tractatus vel conclusio fieri de persona electa,
quin mutua Electorum vota inter se conferantur, &
propalentur. Prætereà Moguntinus, à reliquis 893
Coëlectoribus de suo suffragio requisitus, illud
publicè depromit, quemadmodùm ex *A. B. cap. 4.
§. 4. in fin.* eruitur; ibi: *& ipse intentionem suam ex-
primat, & ipsis aperiat votum suum.* Nil ergo im-
pedit, quò minùs cæteri eôdem modô sua publi-
cent suffragia. Neque timendum est, ne vota sic mi- 894
nùs libera sint. Nam Electorum magnanimitas om-
nem omninò pusilli animi suspicionem excludit. Swe-
derus *cit. sect. 2. cap. 2. num. 21.* Hermes *allegatô
cap. 7. n. 9.*

§. IV.

De Effectu & Consequentibus Electionis Cæsareæ.

Effectus Electionis Cæsareæ est, quòd electus, 895
ubi consensum in Electionem præstiterit, mox Sum-
mam in Imperio dignitatem & potestatem conse-
quatur; possitque in actu secundo, independenter ab
omni Confirmatione, ea omnia exercere, quæ sunt
muneris & juris Imperatorii.

Quia tamen Imperium Romano-Germanicum ea 896
semper libertatis prærogativâ præ cæteris Regnis
excelluit, ut Imperatori absolutum dominatum &
desposin nunquam concesserit, sed Summam illius
potestatem certis quibusdam conventionibus & Le-
gibus fundamentalibus quoad exercitium circum-
scripserit: inde fit, ut Imperii habenas juxta Capi-
tulationem & alias Imperii constitutiones laxare te-
neatur. Præprimis verò tam in A. B. *cap. 2. §. 8.* quàm 897
in Capitulationibus provisum est, ut Imperator neo-
electus Principibus & Statibus Imperii sua privile-
gia, prærogativas, & jura confirmet.

Electionem sequitur Consecratio & Coronatio; 898
quæ triplex, Germanica, Lombardica, & Roma-
na. Coronationem Germanicam primis temporibus,
ab Ottone primo usque ad Conradi secundi Regi-
men, ab Archi-Episcopo Moguntino Aquisgrani
peractam fuisse, ex Witikindo, Rerum Saxonica-
rum scriptore, & Ottone Frisingensi refert Vitria-
rius *tit. 8. num. 2.* Posteà hoc jus ad Colonien- 899
sem Archi-Episcopum venisse, in cujus Diœcesi lo-
cus coronationis, Aquisgranum, situs est, legitur in
A. B. cap. 4. §. 4. Sed quia non semper Aquisgrani, sed 900
ex causa rationabili sæpiùs alibi, Francofurti, Ra-
tisbonæ, & Augustæ Vindelicorum, coronationis
solennia celebrata sunt: ideò, transactione initâ, res
ita composita est, ut, si Imperator sit coronandus in
Ditione vel Diœcesi Coloniensi, actum coronatio-
nis celebret Coloniensis; si in Ditione vel Diœcesi
Moguntina, Moguntinus; si in loco tertio, inter se
alternent. Vitriarius *cit. loc.*

Ante coronationem & unctionem à Consecratore 901
interrogatus Imperator: *an fidem Catholicam &
Apostolicam tenere, & operibus justis servare; an
sanctis Ecclesiis, Ecclesiarumque Ministris fidelis esse
tutor & defensor; an Regnum sibi à DEO commissum,
secundum justitiam Prædecessorum suorum, regere, &
efficaciter defendere; an jura Regni & Imperii bona
dispersa recuperare, & conservare, & fideliter in usus
Regni & Imperii dispensare; an pauperum & divitum,
viduarum & orphanorum, apertus esse Judex, & pius
Defensor; an Sanctissimo in Christo Patri, ac Domino,
Romano Pontifici, & sanctæ Ecclesiæ, debitam fi-
dem reverenter exhibere velis?* Respondet ad sin- 902
gula interrogata: *sic volo; &, in quantum Divinô
fultus fuero adjutoriô, ac precibus Christianorum fi-
delium adjutus valuero, omnia promissa fideliter ad-
implebo &c.* Vitriarius *d. num. 2.* & ibi Pfeffingerus
lit. m.

903 Post coronationem idem ferè juramentum repe-
tit, dicendô : *profiteor, & promitto coram DEO &
Angelis ejus, Leges servare, justitiam facere, jura
Regni conservare, debitumque honorem Romano aliis-
que Pontificibus atque Vasallis exhibere, donata Ec-
clesiis conservare, Christô mihi præstante auxilium,
fortitudinem, decorem.*

904 Coronatio Lom sive Longobardica fiebat Medio-
lani, & quandoque Modoetiæ ab Archi-Episcopo
Mediolanensi, ut etiam Regni Longobardici Re-
gem se esse, Imperator ostenderet. Ejus mentio est
in *A B cap.*26.§.4.Sed à longo jam tempore recessit
à curia.

905 Coronatio Romana ab ipsomet Pontifice Romæ
peragitur. Eaque jam à primis annis Imperii in
Germanos translati S. Pontifici reservata erat, ut
Imperatores, qui, Authore Pontifice, Regnum
ad Nationem Germanicam transiisse agnoscunt, si-
mul etiam Imperii Romano-Germanici coronam ab
eo venire sciant *cap. venerabilem* 34. *de Elect.Clem.
un. de Jurejur.* Sed & ista Coronatio post Carolum
906 V. nunquam suscepta est. Cogitur tamen Impera-
tor in sua Capitulatione jurare, quòd Romanam co-
ronam accipere velit, prout cernere licet in *Capitu-
lat.* Caroli V. *artic.* 30. *Capit.* Ferdinandi I. *art.*27.
Capit. Rudolphi II. *art.*31. *Capit.* Matth. *art.*38. *ca-
pit.* Ferdinandi II. *art.*37.*capit.* Ferdinandi III.*art.*
39.*Capit.*Ferdinandi IV. *art.* 37. *Capit.* Josephi *art.*
36. ibi : *Wir wollen auch die Römische Kayserliche
Cron förderlichist empfangen, &c.* etsi in *Capitulat.*
Leopoldina *art.* 37. tantùm fiat memoria coronæ
Aquisgranensis, seu Germanicæ, ibi : *die Königli-
che Cron.* Vitriarius *d. tit.* 8. *a.*5. Pfeffinger *ib. lit.a.*
Videatur Carolina *noviss.art.* 3. §. *als auch &c.*

907 Id porrò, antequàm hinc retrahamus manum,
prætereundum non est, multis eam insedisse sen-
tentiam, quòd ex triplici Imperatoris corona una,
nempe Germanica, ferrea; altera, hoc est, Lon-
gobardica, argentea; tertia, seu Romana, sit au-
rea : cum tamen à pluribus aliis asseratur, omnes tres
coronas ex auro formatas esse. Et in specie Germa-
nicam coronam ex auro, quatuordecim librarum,
constare, ex Ferrario narrat Pfeffinger ad Vitriar.
908 *cap.* 1. *num.* 6. *lit. b.* Quòd autem ferrea dicatur,
hanc causam cum eodem Pfeffing. reddit Hermes
in *Fascic. cap.* 10. *num.* 30. quia in sublimitate la-
minam quandam ferream habet admixtam. Et hisce
de Cæsaris Electione dictis totam materiam con-
cludimus.

SUPPLEMENTUM.

De Electione.

SUMMARIA.

1. & 2. *Quô sensu electionis forma in assumptione Coadjutoris sit adhibenda ? 3. Capitula Germaniæ habent jus eligendi. 4. & seq. Etiamsi post Concordata erigatur nova Cathedralis. 6. In casu unionis spectat electio ad Capitulum Ecclesiæ, cui facta est unio. 7. In casu unionis sinè suppressione pertinet ad Capitulum utriusque Ecclesiæ. 8. Ubi unus Episcopus præest pluribus Episcopalibus, cuilibet Ecclesiæ manet suum jus. 9. & seqq. Discutitur, sitne dicenda electio, quando aliquis potest nominare quatuor, ex quibus unum Capitulum eligere tenetur ? 14. An extraneus, in quasi-possessione juris eligendi constitutus, possit eligere ? 15. & seqq. Tenetur & probatur affirmativa. 20. & seq. An Capitulum possit admittere procuratorem absentis, legitimè non impediti ? 22. & seqq. Electus non debet esse necessariò de gremio. 25. & seq. Refutatur doctrina contraria. 27. & seq. Ponitur limitatio. 29. & seqq. Nonnulla motiva pro licita electione digni præ digniore. 33. & seqq. Eluduntur. 38. & seqq. Elucidatur S. Thomas. 43. Insinuatur exceptio. 44. & seqq. A quônam absentes sint citandi ? 47. & seqq. A quônam terminus, electioni præfixus, restringi possit ? 53. & seqq. An præcisè electio in statuto termino institui debeat ? 56. & seqq. An & qualiter electio per inspirationem sit verus modus eligendi ? 59. & seqq. Qualis in ea consensus requiratur ? 64. An possit cadere in extraneum ? 65. & seqq. Disquiritur, an exuberantia schedarum vitiet electionem ? 72. Refertur mens Fagnani. 73. & seqq. Ostenditur, quòd schedula alba habeantur pro nullis. 76. & seqq. Rejicitur electio per accessum & acclamationem 79 Post primum scrutinium non-canonicum devenitur ad aliud. 80. & seqq. Vel ad compromissum. 85. & seq. Resp. ad rationem contrariam. 87. & seqq. Docetur, quomodò liceat variare votum ante publicatum Scrutinium. 92. & seq. Explicatur, quomodò vota debeant esse secreta ? 94. Quot modis vota propalentur ? 95. & seqq. An propalatio intra electionem eam vitiet ? 100. & seqq. Utrùm ante electionem ? 104. & seqq. An posteà ? 107. An possit fieri sinè peccato ? 108. & seqq. Si prima die non habeatur electio canonica, potest in secundum differri. 111. A negata dilatione datur appellatio. 112. & seq. An interpositâ appellatione valeat electio ? 114. & seq. Schema instrumenti electionis per Scrutinium. 116. & seqq. Electus potest administrare, quando obtinuit beneplacitum Apostolicum. 119. & seqq. Potest etiam Ordines conferre, vel hanc facultatem delegare. 122. & seqq. An & quomodò confirmatio suppleat defectus electionis ? 127. & seqq. Quas pœnas incurrat Episcopus, consecrationem non recipiens ? 134. & seq. Quid si ante consecrationem vitietur corpore ? 136. & seqq. A quo Pallium conferatur ? 140. & seqq. Notantur aliqua de usu Pallii. 149. & seqq. Specialia de electione Pontificia. 160. & seqq. Generalia & singularia de electione Regularium. 173. & seq. Nova constitutio de benedictione Abbatum.*

QUÆSTIO I.

An in assumptione Coadjutoris cum spe futuræ Successionis ea servari debeant, quæ in Electionibus Prælatorum observantur ?

Dixi in hoc *cap. n.* 14. quòd, si contingat, ut, vi- 1
vente Prælatô, quispiam in Coadjutorem cum spe
certæ successionis assumatur, Electionis forma ac-
curatè non debeat attendi. Ne verò aliqui hæc di- 2
cta in partem sinistram accipiant, quasi scilicèt assum-
ptio Coadjutoris perpetui absque omni forma possit
fieri, per plures quæstiones hanc materiam ex insti-
tuto examinavi in *Consult.Canonicis de Coadjutoribus
& Coadjutoribus perpetuis consultat.*5. 6. 7. & 8. quor-
sum me remitto.

QUÆSTIO II.

Quænam Capitula jus liberæ Electionis habeant?

Capitulis Ecclesiarum Germaniæ vi Concordato- 3
rum, inter Nicolaum V. Pontificem & Fridericum
III. Imperatorem jus liberæ Electionis competere,
insinuatum est in hoc *cap. n.*65. & *seq.* Unde

Infertur I. in casu, quô Papa in Germania ex 4
causis

causis legitimis erigat novam Ecclesiam Cathedralem, Canonicis Ecclesiæ, noviter erectæ, jus eligendi proprium Prælatum competere. Carolus Felix de Matta de *Concordat. n.* 221. & *seq.* D. Antonius Flavius de Santis in *Exam. Consistor. cap.* 12. *n.*
5 44. tum quia Concordata Germaniæ loquuntur indefinitè; proindeque universaliter debent intelligi: tum quia privilegium eligendi, concessum Nationi Germanicæ, tanquam locale, ad omnes personas ejusdem loci extenditur *per cap. executionem 9. de Privileg. in* 6.

6 Infertur II. in casu altero, quò una Ecclesia electiva ex causis Canonicis supprimeretur, & alteri subjiceretur, Electionem pertinere ad solos Canonicos Ecclesiæ, cui Ecclesia suppressa fuisset unita: cùm in ipsam transiverint omnia jura, privilegia, & prærogativæ, quæ Ecclesia suppressa anteà habuit; solùmque attendatur qualitas & natura beneficii principalis, non autem annexi. Matta *d. l. n.* 226. de Santis *n.* 45.

7 Infertur III. in casu, quò ex duabus Ecclesiis fieret una, ut, qui essent Canonici in una, essent simul Canonici in altera; uti &, si utraque Ecclesia maneret Cathedralis, sed unus utriusque Episcopus (cujusmodi uniones in Germania raræ vel nullæ sunt) Electionem Episcopi, veluti communis patris, ad Canonicos utriusque Capituli spectare. Matta *d. l. num.* 228. & *seq.* de Santis *num.* 46.

8 Infertor IV. in casu admodùm frequenti apud Germanos, quò ex dispensatione Apostolicâ unus Episcopus habet plures Episcopatus, ita ut nullus alteri uniatur aut subjiciatur, Episcopò mortuò, unumquodque Capitulum Electionem privativè quoad alia instituere. De Santis *d. l. numer.* 48.

QUÆSTIO III.

Sitne dicenda Electio, quando v. g. Princeps aliquis potest nominare quatuor, ex quibus Capitulum unum eligere tenetur?

9 Proponit hanc quæstionem Eminentiss. Card. Petra in *Comment. ad Constit. Apostol. tom.* 5. *pag.* 9. & 10. *sub n.* 7. occasione concordiæ, anno 1512. inter Regem Sigismundum I. Poloniæ, & Warmiense Capitulum initæ, atque à Leone X. roboratæ, vi cujus eveniente vacatione Ecclesiæ Warmiensis, Capitulum Regi transmittere tenetur catalogum Canonicorum & Prælatorum eligibilium, è quibus Rex quatuor nominare, & ex his quatuor nominatis Capitulum unum assumere potest in Episcopum,
10 quem meliorem & utiliorem judicaverit. Quæsitus de suo voto præfatus Cardinalis in Congregatione Consistoriali, habitâ die 4. Julii 1724. an sit dicenda Electio? Respondit negativè: quia in Electione debet esse libertas apud Electores, finè qua libertate nequit considerari quidditas Electionis Canonicæ, consistens in libertate Eligentium, assumendi, quem putaverint dignum ex quibuscunque corporibus *cap. cùm terra* 14. *cap. quod sicut* 28. *cap.*
11 *sacrosancta* 51. *de Elect.* Sed neque dici posse provisionem, ad supplicationem Regis factam, ulteriùs idem Author advertit: quia Rex non nominat, seu supplicat pro persona sibi bene visa, sicut evenit in aliis Ecclesiis, quæ providentur ad ejus supplicationem, sed promovendus juxta dictam concordiam debet nominari à Capitulo ex quatuor eidem à
12 Rege nominatis. Unde censuit, non esse propositionem faciendam, neque juxta terminos Canonicæ Electionis factæ; neque ad supplicationem Regis, sed fieri debere juxta veritatem facti, quòd scilicet, licèt, prævio actu ad formam concordiæ, persona nominata à Capitulo ad supplicationem Regis in Consistorio per Papam admittatur. Cui voto conformiter die 31. Augusti d. anno 1724. prodiit resolutio: *preponendam esse Ecclesiam, si Sanctissimo placuerit, cum sequenti expressione: ad supplicationem Serenissimi Regis Poloniæ, prævio actu Capitulari Canonicorum dictæ Ecclesiæ, facto ad formam Concordiæ initæ &c.* 13

QUÆSTIO IV.

An, qui constitutus est in quasi-possessione juris eligendi, motâ desuper lite, possit eligere?

In hoc *cap. num.* 164. tenui affirmativam; quam tamen Matta de *Causis Consistorial. Sect.* 19. §. 2. *num.* 3. limitandam putat, quando possessor non est unus de Collegio: quia enim tunc præsumptio Juris est contra possidentem, ab eo possessionem suam aliquò justò titulò probandam concludit per *cap. in literis* 5. *de Restitut. spoliat.* Verùm huic limitationi absolutè subscribere nequeo: partim quia *cit. cap. in literis* 5. magis adversatur, quàm suffragatur, dùm etiam is, qui in possessione beneficii erat, & ab adversario, à quo de possessione dejectus fuerat, canonicè institutus esse negabatur, non obstante contrariâ Juris præsumptione, restituendus esse dicitur: partim quia in *cap. cùm Ecclesia* 3. *de Causa possess. & propriet.* Electio in Ecclesia Cathedrali Sutrina irritatur, quòd ad eam non fuerint admissi Clerici extranei Conventualium Ecclesiarum, qui trinis Electionibus immediatorum Antecessorum interfuerant, & sic in quasi-possessione Electionis extiterant: partim quia possessio, saltem longi aut longissimi temporis, nititur fortiori præsumptione, eamque, quæ ex Juris assistentia ex adverso militat, vincit & superat ex conclusis in *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *à num.* 70. 14 15 16 17

QUÆSTIO V.

Utrùm post Concilium Tridentinum possit in Electione constitui procurator cum speciali mandato de certa persona?

Negat id Matta *d. l. num.* 28. quia per *cit.* Concil. *Sess.* 25. *de Regular. cap.* 6. præceptum est, ut Electiones celebrentur per vota secreta; ideóque Sacra Congregatio respondit per hæc verba: *procuratores legitimè constituti non excluduntur, dummodò non habeant speciale mandatum de persona eligenda, quia tunc votum non posset esse secretum.* 18
Quòd si tamen in constitutione procuratoris cum 19
speciali mandato observarentur, quæ notavi in *hoc cap. num.* 785. ut nempe mandato procuratorio inseratur schedula clausa, non aperienda à procuratore, usque dum ad Scrutinium deveniatur, in qua nomen personæ eligendæ scriptum fuerit: non improbabile judicarem, nihil contra dispositionem Conciliorum actum iri; ex quo votum secretum manet.

QUÆSTIO VI.

An Capitulum possit admittere procuratorem, ab absente, legitimè non impeditô, constitutum?

Abbas ad *cap. quia propter* 42. §. *illud autem de Elect. num* 1. affirmat: quia, tametsi in *cit.* §. interdicatur, ne procurator admittatur, ubi deest impedimentum legitimum; attamen hujusmodi interdictum emanavit in favorem aliorum Capitularium, 20

qui, ficut communicare poſſunt jus eligendi peni-
tus extraneo per *cap. ſcriptum eſt* 40. ubi idem Ab-
bas *numer.* 11. *de Elect.* ita etiam & multò magis
poſſunt admittere procuratores eorum, qui ſunt de
21 Collegio. Verum, ut ſcribit laudatus Matta *num.*
32. Rota Romana in *Leodienſ. Præpoſituræ* coram
Peutinger 30. Maii 1639. *num.* 11. tenuit, procu-
ratores abſentium non fuiſſe admittendos, ex quo
non conſtabat de legitimo conſtituentium impedi-
mento.

QUÆSTIO VII.

Utrùm eligendus in Prælatum debeat eſſe de gremio Eccleſiæ vacantis?

22 Reſpondi in *præſ. cap. num.* 245. *& ſeqq.* id qui-
dem eſſe de honeſtate: quippe, ut loquitur Cœle-
ſtinus Papa in *cap. nullus* 12. *diſt.* 61. *tunc alter de*
altera eligatur Eccleſia, ſi de civitatis ipſius Clero,
cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus (quod
evenire non credimus) poterit reperiri: primùm enim
illi reprobandi ſunt, ut aliqui de alienis Eccleſiis me-
ritò præferantur: habeat *unuſquiſque fructum ſuæ*
militiæ in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tran-
ſegit ætatem: in aliena ſtipendia minimè alter obre-
pat, nec alii debitam alter ſibi vindicare audeat
23 *mercedem*; At non admiſi, quòd ſit de præciſa ne-
ceſſitate, quaſi nempe, ſi quis ex alia Eccleſia aſſu-
meretur, Electio non valeret: quòd enim valeat,
apertè decidit Innocentius III. in *cap. cùm inter*
21. *de Elect.* ubi Electionem, à Capitulo Saonenſi
de Præpoſito Hallenſi factam, approbat, rejectâ ex-
ceptione, tanquam frivolâ, quâ dicebatur, *ad aliam*
Eccleſiam non debere fieri tranſitum, donec reperire-
24 *tur idoneus in Eccleſia Saonenſi.* In cujus confirma-
tionem facit, quod alteſatus Papa Conſtantinopoli-
tano Patriarchæ inſinuari voluit in *cap. ad decorem*
5. *de Inſtit. ut viros literatos, & aliàs idoneos, unde-*
cunque originem duxerint, in prædictis Eccleſiis, &
maximè in majori, inſtituere non poſtponat.
25 Quamobrem non bene capio doctrinam celeber-
rimi cæteroquin Mattæ de *Conſiſtorial. cauſ. d. ſect.*
19. §. 5. n. 3. aſſerentis, quòd, ſi major pars Ca-
pituli eligit extraneum, & minor pars eligit de gre-
mio Capituli, ſuſtineatur Electio pauciorum, cùm
eligant ſecundùm formam Canonicam de eorum gre-
26 mio. Siquidem prælaudatus Pontifex Electionem di-
cti Præpoſiti, non attentâ mox explicatâ exceptione,
ex eo ſolo confirmari jubet, quòd *conſtet, eam à ma-*
jori & ſaniori parte Capituli celebrata fuiſſe, publica-
tam etiam, & ſubſcriptam &c.
27 Illud, quod ab eodem Matta *num.* 4. *& ſeqq.*
dicitur, poſſe & debere (de honeſtate ſcilicet)
dignum ex gremio præferri alteri digniori extra
gremium, plures alii defendunt cum Paſſerino *de*
Elect. cap. 30. *num.* 145. quia major bonitas unius
non debet alteri facere præjudicium *arg. cap. ult.*
28 *III. q.* 9. & quia, qui membrum eſt Eccleſiæ va-
cantis, ex juſtitia diſtributiva majus habet jus ad
electionem paſſivam, quàm alius quiſcunque extra-
neus *d. cap. nullus* 13. *Diſt.* 61. junctô *cap. obi-*
tum 16. *ib.*

QUÆSTIO VIII.

Utrùm Electio digni ſit licita, prætermiſſô digniore?

29 Quòd minimè liceat, ſolidè, ut opinor, oſten-
di à n. 272. conſentientibus vix non omnibus, qui
poſt Concil. Trid. & propoſitiones, ab Innocent.
30 XI. damnatas, ſcripſerunt. Equidem Matta *cit. l.*
aſſerere non reformidat, quòd opinio Abbatis, qui
non-eligentes magis idoneum peccare arguit, non
videatur ſubſiſtere, ex quo Electio de idoneo, dum-
modò à majori parte ſit facta, reputatur valida
cap. quia propter 42. *& cap. cùm in cunctis* 7. *de*
Elect. Unde concludit, quòd, cùm Jus Canonicum, 31
in quantum diſponit pro foro judiciali, ſemper diſ-
ponat in animæ ſalutem, per conſequens, ſi Electio
de idoneo eſt valida in foro judiciali, ſit etiam va-
lida in foro conſcientiæ: quia, ut proſequitur idem
Matta, Jus Canonicum nunquam injicit laqueum,
neque defendit in peccatis; quod tamen faceret, ſi
peccarent, qui exercent actum authoritate Canonis.
Idque confirmari putat ex D. Thoma 22. *q.* 185. 32
art. 8. & Auguſt. de *Ancora de pot. Eccl. q.* 3. *art.* 4.
concludentibus, eſſe quidem de conſilio, non au-
tem de præcepto, ut eligatur melior: cùm ſuffi-
ciat, eligere bonum per textum in *d. cap. cùm in*
cunctis.
Sed profectò hoc argumentum nullius valoris 33
eſt. Multa ſiquidem juxta Pontificem Innocent. III.
in *cap. ad Apoſtolicam* 16. *de Regular. fieri prohi-*
bentur (& ſic illicita ſunt) *quæ, ſi facta fuerint, ob-*
tinent firmitatem; veluti conſtat de Matrimonio,
quod ſinè denuntiationibus, & cum impedimento
impediente validè contrahitur, non tamen licitè.
Unde regula illa, quòd, quæ valida ſunt de Jure 34
Canonico pro foro judiciali, ſint etiam valida pro
foro conſcientiæ, poteſt quidem accipi, prout ja-
cet, ſed non in ſenſu Auctoris, ut ſimul etiam pro
foro conſcientiæ ſint licita, niſi per *ly licita* veli-
mus intelligere ea, quæ retinentur validè, reti-
neantur etiam licitè. Occurrunt nempe multoties 35
aliquæ circumſtantiæ, in quibus Legiſlator actum
aliquem prohibet, tanquam illicitum & peccamino-
ſum, illum verò, poſtquàm ſemel eſt poſitus, vali-
dum eſſe, &, quod illicitè capitur, licitè retineri
permittit; ſignanter in materia Electionis, in qua, 36
ſi non prohiberetur Electio minùs digni in concurſu
dignioris, malè proſpectum foret Eccleſiæ, cujus
utilitas per digniorem magis magiſque promovetur;
& tamen, ſi Electio minùs digni ſimul redderetur
invalida, neque electus abſque nota ambitionis con-
ſentire poſſet, neque Electio aliqua ab impugna-
tione ſecura foret. Planè, ſi Matta id tantùm in- 37
tendat, quòd minùs dignus Electionem, cùm de
Jure Canonico pro foro externo valida eſſe decer-
natur, in foro etiam conſcientiæ poſſit licitè acce-
ptare, & dignitatem occupare, neque mihi, neque
ſententiæ noſtræ defenſoribus contradicit: utpote
cùm omnes tradamus, ſolos electores, qui, negle-
ctô digniore, minùs dignum aſſumunt, peccare, non
autem electum, in ejuſmodi electionem conſentien-
tem.
Quòd verò S. Thomas *d.* 22. *quæſt.* 185. *art.* 8. 38
allegetur, quaſi eſſet res conſilii, non præcepti,
eligere digniorem, cum verbis & mente Doctoris
Angelici neutiquam conſonat. Enimverò *d. l. art.*
3. (non autem *artic.* 8.) proponit quæſtionem:
utrùm oporteat eum, qui ad Epiſcopatum aſſumi-
tur, eſſe cæteris meliorem? Reſpondetque in hæc
verba concludendô: *qui quemquam ad Epiſcopatum*
eligit, non ſimpliciter cæteris meliorem tenetur elige-
re, ſed quem cæteris magis idoneum ad animarum
regimen novit: is verò, qui eligitur, ſat fuerit, ut
nihil in ſe animadvertat, quô paſtorali officio indig-
nus habeatur. Quam concluſionem S. D. *cit.* de- 39
clarat & probat: *quia ex parte eligentis requiritur,*
ut talem eligat, qui fideliter Divina myſteria diſpen-
ſet ad utilitatem Eccleſiæ: & ideò non tenetur aſſu-
mere ſimpliciter meliorem, quod NB. eſt ſecundùm
charitatem, ſed meliorem quoad regimen Eccleſiæ,
qui ſcilicet poſſit Eccleſiam & inſtruere, & defendere,
&

40 *& perfectè gubernare. Unde contra quosdam Hieronymus dicit, quòd quidam non quærunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodesse, sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti vel deduti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, & (ut deteriora taceam) qui ut clerici fierent, muneribus impetrarunt. Hoc autem pertinet ad acceptionem personarum, quæ in talibus*
41 *est grave peccatum. Ex parte autem ejus, qui assumitur, non requiritur, quòd reputet se aliis meliorem (hoc enim esset superbum & præsumptuosum) sed sufficit, quòd nihil in se inveniat, per quod illicitum ei*
42 *reddatur assumere prælationis officium.* En! S. Doctor in hoc loco ne verbulô quidem dicit, assumptionem dignioris esse tantùm de consilio, sed absolutè requirit, ut assumatur dignior, seu magis idoneus, non quidem qui talis est quoad perfectionem charitatis & pietatis, sed quoad regendam & gubernandam Ecclesiam, prout nos ipsimet explicavimus in *præf.cap.n.*278. *& seq.*

43 Id tamen, quod tradit Matta *d. l. num.* 18. posse quam, si minùs idoneus habeat plures voces, & magis idoneus pauciores, se conformare pluribus, quando conscientia dictat, eum, si magis idoneum elegerit, suâ voce frustrandum esse, non videtur displicere Passerino de *Elect. d.cap.*30. *n.* 163. quando adest certitudo moralis, quòd major pars sit electura minùs dignum, & consequenter inutile appareat, eligere digniorem.

QUÆSTIO IX.

A quónam absentes ad Electionem vocari debeant?

44 Resp. esse vocandos à præsentibus, ad quos aliàs spectat, Capitulum convocare; ita ut Præpositus v. g. vel Decanus primò Capitulares, in loco præsentes, convocet, cum illis tractet de Electionis instituendæ termino; atque deinde suo & totius Capituli nomine absentes ad præfixum terminum citet *arg.* eorum, quæ aliàs de Capituli convocatione in *lib.* 3. *p.*1. *cap.*4. *num.* 30. tradita fuerunt. Passeri-
45 nus de *Elect. cap.* 11. *n.* 3. Atque hoc in plerisque locis per consuetudinem introductum esse, firmiter mihi persuadeo; licèt Abbas in *cap. cùm nobis* 19. *h. tit. num.* 9. advertat, quandoque ex consuetudine potestatem congregandi Capitulum ad neminem de Collegio spectare, & tunc putet, necessarium esse, ut duæ partes de Capitulo sint præsentes, ad hoc, ut absentes vocari, & non-venientes in contu-
46 macia possint constitui. Quem casum, quantumvis rarum aut impossibilem judicet Passerin. *d. l. num.* 50. cùm ordinariè adsit ad minùs unus ex senioribus, cui in defectum aliorum jus vocandi competat; eô tamen concessô, in *n.*51. existimat, majorem partem posse monere minorem, & ad comparendum obligare.

QUÆSTIO X.

An & à quo terminus, ad Electionem præfixus, restringi possit?

47 Terminum, ad Electionem præfixum, restringi posse, sat perspicuum est per textum in *cap. ne pro defectu* 41. *de Elect.* ubi statutum est, ut ultra tres menses Ecclesia Cathedralis vel Regularis Prælatô non vacet; intra quos (justô cessante impedimentô) si Electio celebrata non fuerit, eligendi potestate pro ea vice Electores privantur. Adeóque indicatur, posse infra tres menses Electionem institui, & sic terminum trimestrem abbreviari. Passerin.
de *Elect.cap.*13.*n.*33. Et licèt aliqui justam causam 48
exigant pro termini restrictione; attamen justitia causæ ex hoc ipso apparet, quòd Electores Ecclesiæ vacanti maturè providere intendant. Abbas in *cit.cap. cùm nobis sub n.*9.

An verò solus ille, qui facultatem habet, convo- 49
candi Capitulum, terminum restringere valeat?

Resp. negativè. Abbas *d. l.* Cùm enim terminus ille statutus noscatur in favorem Collegii, absque ejus consensu coarctari nequit.

At quotnam præsentes esse debeant de Collegio, 50
ut terminus abbrevietur? Non conveniunt DD. Ego tamen crederem, quòd, si Capitulares, in loco præsentes, convocentur, à parte majori illorum, qui comparent in Capitulo, abbreviatio fieri pos-
sit. Nam ex una parte illi, qui præsentes in loco, 51
factâ convocatione, non comparent, habentur pro contumacibus, totaque agendi potestas penes comparentes residet. Rota Rom. in *rec. p.* 6. *decis.* 36. *num.* 4. Abbas sub *d. num.* 9. ex altera verò parte qui è loco absentes sunt, de Jure Communi debent quidem ad Electionem vocari, cætera autem negotia, inter quæ etiam deliberatio de termino Electionis referenda, à solis præsentibus tractari & definiri possunt juxta Glossam in *cap. cùm inter*
de Elect. Unde, quod major præsentium pars 52
statuit, pro eo habendum erit, ac si totum Capitulum statuisset; dummodò nihil in præjudicium absentium statuatur, quò minùs in termino præfixo adesse valeant. Rota Rom. in *p.* 19. *dec.* 338. *num.* 11. *&* 15.

QUÆSTIO XI.

Utrùm in præfixo termino Electio debeat necessariò institui?

Resp. esse quidem in arbitrio Capituli, terminum, 53
pro Electione præfixum, revocare, aut ampliare, & Electionem differre; at dubium solummodò versari in hoc, an majoris partis consensus sufficiat? Ubi tamen, insistendò communibus principiis, hucusque applicatis, id affirmare non vereor; suffultus authoritate Panormitani ad sæpe *d. cap. cùm nobis* 19. *de Elect. num.* 10. ubi proponit quæstionem, an, si Capitulum jam fuerit congregatum, & pars major, re infectâ, discesserit, remanentes
Capitulares ad Electionem procedere valeant? Et 54
respondet negativè: quia, dum Capitulum est semel congregatum, statur judicio majoris partis, &, quod pars minor facit, pro non facto habetur; nisi terminus Juris jam instaret, & trimestre, non secutâ Electione, efflueret: tunc enim, cùm dies interpellet pro homine, nolentes eligere pro contumacibus & absentibus reputantur, totaque Capituli potestas in remanentibus & eligere volentibus
conservatur. In casu autem inverso, quô minor 55
pars recedit, & major persistit in Capitulo, hæc in termino præfixo, non attentô minoris partis recessu, ad Electionem rectè procedit: pars enim minor perinde censetur, ac si vocata venire noluisset, dum paria sunt, non venire, vel non exspectare usque ad finem *arg. cap. certum* 43. *XI. quæst.* 3. *cap. de quod vult DEO* 1. *de Judic.* Panormit. *d. numer.* 10.

QUÆSTIO XII.

Sitne Electio per inspirationem verus modus eligendi; & qualis in ea consensus requiratur?

Ad priorem quæstionis partem respondet Matta 56

de *Cauſ. Conſiſtorialib. ſect.* 19. §. 5. *num.* 2. & 3. malè & incongruè inter vias ac formas (idem eſt de modo) Electionis referri: quia in *cap. quia propter* 42. *de Elect.* inſpiratio non proponitur, tanquam una ex formis, quaſi nempe, ſi velint eligere per inſpirationem vel quaſi, omnes unô ore in unum convenire debeant, ſed tantùm, ſuppoſitâ casûs prohibitione, decernitur, quòd, ſi omnes unanimi & repentino conſenſu unum eligant; talis Electio
57 ſuſtineatur. Quò quidem in ſenſu transmitti poteſt Mattæ reſponſio: cùm, ſi ſtrictè velimus loqui, Electio per inſpirationem nulli formæ alligata, ſed, veluti Divinitus facta, & Electoribus inſpirata, exceptionem habet à forma, cæteroquin præſcriptâ.
58 Quia verò plerique Canoniſtæ, agentes de triplici Electionis forma, non tam ſtrictè loquuntur, ſed illud duntaxat inſinuare cupiunt, tres eſſe vias, ſeu, ut nos loquimur, modos, quibus aliquis in Prælatum eligi poteſt; & ſic, referendò inſpirationem inter modos eligendi, non tam formæ aut certo ritui eandem alligant, quàm potiùs recenſent viam extraordinariam, per quam, non adhibitô ſcrutiniô aut compromiſſo nihilo minùs ad Dignitates electivas pervenire licet: Et quia inſuper, omiſſâ hâc viâ, declarari non poteſt, quiſnam per inſpirationem vel quaſi cenſeatur fuiſſe electus: profectò nullam reprehenſionem, ſed magis commendationem merentur. Alioquin ipſemet S. Pon-
59 tifex Gregorius XV. cenſurâ (quod abſit) vapularet, qui in ſua conſtit. quæ incipit: *decet Romanum Pontificem* anno 1621. 4. Idus Martii editâ, in qua Cæremoniale Electionis Pontificiæ præſcribitur, expreſsè decernit, S. Pontificem *unô tantùm ex tribus modis* eligi poſſe, quorum primus eſt, *qui quaſi - per inſpirationem vocatur, quando ſcilicet omnes Cardinales, quaſi afflati Spiritu Sancto aliquem unanimiter, & vivâ voce Summum Pontificem proclamant &c.*
60 Ad partem quæſtionis alteram ſolidè reſpondet *cit.* Matta *n* 13. *& ſeqq.* in quaſi-inſpiratione ex communi DD. ſententia requiri, ut planè omnes, nullô præcedente tractatu, de certa perſona, ſive intra ſive extra Capitulum, unâ voce unum eligant; indeque conſpirationes, conjurationes, commendationes, requiſitiones procul abeſſe debere; ſicut
61 etiam exigitur, ut omnes ſimul, & non unus poſt alium, voces ſuas explicent: cùm aliàs potentiores priùs acclamare, & debiliores poſt ſe trahere poſſent; maximè ſi anteà promiſſionibus aut minis fuiſ-
62 ſent ad hoc permoti. Et hinc *cit.* Author *num.* 36. talem Electionem in tertio miraculorum genere ponendam ait, ac proinde fabricandum ſuper ea proceſſum non aliter ac ſuper aliis miraculis, citatô in omnibus Fidei Promotore, ſeu Promotore Fiſcali, audiuſque de more Prælatorum & Cardinalium votis, abſque ulteriori præconiô vel præpoſitione, à Papa declarandum eſſe, quòd talis v. g. à DEO
63 electus ſit in Epiſcopum. Interim in *cit.* conſtit. Gregoriana & præſcripto Cæremoniali dilucidè approbatur Electio per quaſi-inſpirationem, ſi aliquis Patrum, clausô conclavi, nullô præcedente ſpeciali tractatu, diceret, Reverendiſſimi Domini, perſpectâ ſingulari virtute & probitate Reverendiſſ. D. N. judicarem, illum eligendum eſſe in Summum Pontificem.
64 Putat inſuper Matta *d. l. n.* 31. Electionem per quaſi inſpirationem cadere non poſſe in perſonam de gremio Capituli, ſaltem præſentam: quia, ſicuti habetur in *cap. quia propter* 42. *de Elect.* §. *niſi &c.* & omnes tenent, hujuſcemodi Electio fieri debet ab omnibus & ſingulis Capitularibus, nemine diſcrepante, ita ut, ſi unus aliter ſentiat, non ſit Electio quaſi-per inſpirationem, dum nemo ſeipſum eligere poteſt: adeóque, ſi v. g. ex duodecim Capitularibus undecim eligerent duodecimum, & hic alium, uti tenetur, Electio non erit facta ab omnibus. Verùm in hoc paſſu aliam diſtinctionem adhibui in *præſ. cap. n.* 379. *& ſeq.* ubi vide.

QUÆSTIO XIII.

Quid agendum in Electione per Scrutinium, quando plures reperiuntur ſchedæ, quam ſint perſonæ eligentes?

Poſtquàm Electores ſinguli ſua vota per ſchedas in calicem impoſuerunt, ſolent ea à Scrutatoribus numerari, ut appareat, an cum numero eligentium conveniant. Poſitô jam, quòd reperiantur v. g. ſchedæ 22. & non plures ſint eligentes quam 20. quæritur, quid agendum ſit? 65
In Electione Summi Pontificis res clara, atque à Gregorio XV. in ſua conſtitutione, quæ incipit: *æterni Patris Filii in* §. *inſuper &c.* definita eſt, quòd ſcilicèt omnes ſchedulæ comburi debeant, & iterum ad ſuffragia deveniendum ſit. Idem in aliis Electionibus ſupponere videtur Paſſerin. de *Elect. cap.* 18. *q.* 12. *numer.* 1. etſi tantummodò alleget Gloſſam in *conſtit. Ord. Prædicat.* At, licuti multa in Electione Summi Pontificis peculiaria ſunt, quæ ad alias Electiones ampliari nequeunt; ita etiam ſatis probabile videtur, ſchedas non ſtatim comburendas, ſi Scrutatores deprehendant, unam aut alteram ſupra numerum Capitularium præſentium adeſſe, ſed potiùs illas aperiendas, &, ubi pro uno, demptis excedentibus, nihilo minùs ſtant vota majora, Electionem publicandam eſſe; veluti in dato exemplo, ubi ſunt 20. Capitulares, & 22. ſchedæ: ſi enim ad minùs 13. in Petrum directæ comperiantur, is pro canonicè electo haberi & declarari poteſt. Card. de Luca de *Canon. & Capit. diſc.* 38. *n.* 10. Ratio eſt: partim quia Electio, quæ in poſito exemplo in concurſu undecim ſuffragiorum, tanquam à majori parte facta, cenſeretur valida, non debet per inutilem duarum ſchedarum adjectionem, quando concurrunt vota tredecim, vitiari, ex illa vulgata Juris Regula: *utile non debet per inutile vitiari cap.* 37. *de R. J. in* 6. partim quia generale eſt, quòd, ſi formæ cujuſlibet actûs apponatur aliquid ſuperfluum, id pro non appoſito reputatur per textus in *l. non ſunt liberi* 14. *ff. de Statu hom. l. ei cui* 11. *in princ. ff. Quemadm. ſervit. amitt. l. idem Offilius* 10. *ff. de Ædilit. ed. l. falſa* 33. §. 2. *ff. de Condit. & demonſtrat. l. eum, qui* 56. §. 1. *ff. de V. O.* partim quia, ſi unus aut alter ex Capitularibus de catalogo, in quo omnium eligendorum nomina conſcribuntur, duas ſchedas decerpat ex errore aut inadvertentia, neque ipſe neque alii culpandi ſunt; &, ſi ex malitia id fecerit, ut eum, quem fortè novit conſecuturum majora, hôc modô eludat, illius iniquitas non debet in præjudicium tertii redundare; partim quia, ſi ad Electionem concurrant habiles & inhabiles, & electus, non computatis inhabilium votis, nihilo minùs fortitus eſt majora, Electio ſubſiſtit, ſaltem ubi inhabiles ab inhabilibus ignoranter admiſſi ſunt per *cap. ult. de Procurat.* & *cap. illa quotidiana* 39. *de Elect.* ubi Innocentius *n.* 2. *verſ. imò plus dicimus &c.* Ex quibus rationibus Fagnanus ad *cap. Meſſana d. t.* à *num.* 31. etiam in Electione Summi Pontificis valde propenſum ſe oſtendit in illam ſententiam, quæ docet, exundantiam ſchedarum non officere illius valori, quando Scrutatorum incuriâ ante publicationem ſchedæ non ritè ſunt numeratæ, vel certè alicujus malitiâ poſt completam numerationem aliæ ſchedæ ultra numeratas in calicem injectæ; dummodò

modò electus Pontifex habuerit duas suffragiorum partes, superfluis non computatis, veluti si Cardinales sint triginta, & schedulæ triginta tres, & electus fuerit consecutus suffragia viginti tria, vel plura &c. quamquàm hic Author determinatè nihil pronunciet, sed potiùs optet, ut Summa Sedes, ad obviandum periculis, hanc dubitationem dilucidet. Quo cum voto & ego quoad electionem Pontificiam concludo.

QUÆSTIO XIV.

Quid juris sit, quando una vel altera schedula alba, id est, vacua & sine nomine electi inveniatur?

73 Resp. schedulam illam pro nulla reputari, nec computari ad numerum eligentium complendum; ideóque, si eligentes sint viginti, & ex viginti schedulis una reperiatur alba, tantùm novendecim eligentes computari, &, si aliquis sortitus fuisset de-
74 cem vota, pro canonicè electo agnosci. Ita Card. de Luca de *Regular. disc.* 11. *n.* 7. *&* 8. Passerin. de *Elect. cap.* 18. *n.* 24. *& seq.* per textum opportunum in *cap. in electionibus* 2. *de Elect. in* 6. ubi *vota conditionata, alternativa, & incerta penitus reprobantur, & præterea statuitur, ut hujusmodi votis pro non adjectis habitis, ex puris consensibus celebretur Electio, voce illorum, qui non purè consenserunt,*
75 *eâ vice in alios residente.* Cùm enim aliqui subinde nolint dare suffragium, vel quòd seipsos ad certam personam determinare non possint, vel, ne fortè ad Electionem minùs digni cooperentur, timeant, per immissionem voti albi seu vacui suo juri tacitè renunciare censentur; atque adeò vota similia non numerantur, idemque est, an quis votum legitimum non dederit, an verò è Capitulo voluntariè recesserit, aut illud studiosè nunquam accesserit per *cap. cum nobis* 19. *cap. quod sicut* 28. *cap. Ecclesia vestra* 57. *de Elect.*

QUÆSTIO XV.

Valeátne Electio per accessum?

76 Eam non valere, si nempe, publicatô jam Scrutiniô, votorùmque Canonicô numerô haud inventô, pars minor velit accedere majori, cum Passerino de *Elect. cap.* 40. *quæst.* 2. *numer.* 38. & aliis (quibus meritò accensendus est Card. de Luca de *Benefic. disc.* 13. *num.* 14. & Matta de *Cauf. Consistor. Sect.* 19. §. 2. *num. ult.*) jam deductum & stabilitum est in *præf. cap. à num.* 414. Et licèt non-
77 nemo existimet, valere saltem Electionem per acclamationem, puta si, publicatô Scrutiniô, nullôque ex electis vota absolutè majora habente, pars minor de repente simul & semel dicat, se parti respectivè majori adhærere: attamen non video ullam
78 rationem, quâ ejusmodi acclamatio ab accessu differat, nisi in solo nomine: quandoquidem sive acclametur, sive aliô modô pars minor aggregetur majori, verum est dicere, partem minorem accessisse majori; semperque rationes, contra accessum à nobis adductæ, contra acclamationem & alios ejus generis noviter excogitatos loquendi modos, ex æquo pugnant.

QUÆSTIO XVI.

An, si primum Scrutinium sit nullum, necessariò deveniendum sit ad secundum?

79 Quando in primo scrutinio vota ita sunt dispersa, ut nullus ex electis habeat vota absolutè majora; factâ nimirum comparatione ad totum Capitulum, hic & nunc congregatum, unus ex Scrutatoribus, qui scrutinium publicavit, &, quot quisque tulerit suffragia, declaravit, hâc vel simili formulâ dicere potest: cùm nullus ex electis sortitus fuerit vota absolutè majora, sicque non habeatur Electio Canonica, ad novam Electionem progrediendum, &, quænam eligendi forma placeat, deliberandum erit. Indeque consurgit quæstio: an Capitu- 80
lum de necessitate constringatur ad iterandum scrutinium; vel, eô relictô, possit ad compromissum procedere? Ex ea forsitan dubitandi ratione, vel quòd, assumptâ viâ scrutinii, censeatur esse compromisso renunciatum; vel quòd, publicatô semel Scrutiniô, non liceat variare *cap. publicatô* 58. *de Elect.* Verùm pro certo teneo, liberum esse Capitulo, aut scrutinii aut compromissi formam assume- 81
re. Ita in terminis ferè Fagnanus ad *cit. cap. publicatô num.* 36. Ratio est: tum quia in *cap. quia propter* 42. *de Elect.* forma scrutinii non præscribitur determinatè vel absolutè, sed indeterminatè & alternativè, veluti constat ex verb. *vel saltem eligendi potestas &c.* in alternativis autem licitum & liberum est, alterutrum facere: tum quia, si pri- 82
mum scrutinium non sit Canonicum, sed nullum & irritum, idem est, ac si nunquam fuisset institutum; consequenter, sicuti ante scrutinium Capitulares potuissent ad compromissum devenire, sic etiam post scrutinium, nulliter & absque effectu celebratum: tum quia compromissi via est subsidiaria per 83
tradita Panormitani ad *d. cap. quia propter vers. vel saltem n.* 2. & Mattæ de *Consistorial. cauf. sect.* 19. §. 4. *n.* 2. eaque propter, si Capitulares ex primo scrutinio adverterint, Electionem concordem tam facilè sperari non posse, pro feliciori & certiori concordia in subsidium ad compromissum convolare possunt: tum quia, si electâ semel viâ Electio- 84
nis licitum sit, effectu non secutô, transire ad viam postulationis, & econtra *cap. adhæc* 1. *in fin. cap. gratum* 2. *de Postulat. Prælat.* Matta ad *Concord. German. num.* 73. non obstat ulla ratio, cur non similiter, acceptâ viâ Scrutinii, liceat facere transitum ad compromissum.

Ad rationem dubitandi Resp. per assumptionem 85
scrutinii eò minùs compromisso renunciatum videri, quòd hæ duæ formæ non sint incompatibiles, sed una alteri subordinata, &, ut dictum, subsidiaria; quódve, publicatô scrutiniô, variare non 86
liceat, id intelligendum est, quando variatio tendit in præjudicium electi seu nominati, potiorem votorum partem habentis, uti cum communi notat Fagnanus *cit. n.* 36. cùm tamen, si nullus ex electis seu nominatis habeat potiorem votorum partem, nullus habeat aliquod jus quæsitum, nullique præjudicium inferatur.

QUÆSTIO XVII.

Qualiter ante publicatum Scrutinium variare liceat?

Supponitur à plerisque, licere Electoribus, an- 87
tequàm publicetur scrutinium, variare, votumque jam datum revocare per argumentum, à sensu contrario ex *d. cap. publicato* 58. *de Elect.* petitum. Passerin. de *Elect. cap.* 18. *n.* 31. ubi id etiam extendit ad illam hypothesin, quâ vota jam in scriptis redacta sunt. Verumtamen idem Passerin. *num.* 88
33. sapienter advertit, hanc variationem non procedere in scrutinio secreto, ubi vota per schedulas conjiciuntur in calicem vel urnam: tunc enim, cùm schedulæ confundantur, & commisceantur, non amplius

ampliùs discerni potest, quænam sit hujus vel illius
89 Capitularis; &, licèt unus diceret, hanc vel illam schedulam à se datam, ipsi non creditur, ne detur ansa fraudibus, collusionibus, aut litigiis. Nisi forsitan, qui primam schedulam in calicem immisit, re adhuc integrâ, priusquàm alia ab alio immittatur, illicò revocare vellet.

90 Quòd si verò totum Capitulum aut major pars ante publicationem scrutinii peteret, ut datæ schedulæ comburantur, novumque scrutinium formetur, quâcunque ex causa, quam manifestare non tenetur, moveatur, *cit.* Passerin. *num.*34. arbitratur, hoc omninò concessum esse: stat enim in libertate Capituli aut majoris partis, mutare, quod fecit, quamdiu res integra, & nemini adhuc jus quæsitum est.

91 Porrò scrutinii publicatio fieri consuevit à primo Scrutatore, vel alio, si ex schedularum apertura apparuerit, in primum Scrutatorem majora vota cecidisse; præviâ interrogatione hôc vel simili modô: placetne Vobis, Confratres charissimi, ut vota vestra in communi publicentur, indeque appareat, quis majorem suffragiorum numerum tulerit; ipsisque sibi placere respondentibus, clarâ & intelligibili voce dicit: N. sortitus est tot vota; N. sortitus est tot vota &c. Quod ipsum indicio est, licere Capitularibus seu majori parti publicationem scrutinii recusare, & ad novum, suspensâ eâdem publicatione, transire.

QUÆSTIO XVIII.

Quomodò vota debeant esse secreta?

92 Passerinus de *Elect. cap.* 17. *quæst.* 2. à *n.* 5. contra nonnullos masculè defendit, stante tum Jure Communi, tum dispositione Concilii Tridentini *sess.* 25. *de Regular. cap.* 6. vota sufficienter manere secreta, etiamsi non dentur per schedulas complicatas, sed per vocem vivam ad aures Scrutatorum, ita ut nemini eligentium nomina, datâque ab ipsis suffragia, quàm solis scrutatoribus, aliisque, qui ex officio intersunt scrutinio, manifestentur, & à præfatis Scrutatoribus nunquam publicentur. Quamobrem Matta ad *Concordata* in n. 60. dum refert formulam instrumenti Electionis per scrutinium, per parenthesin studiosè observat, quòd, si vota danda sint oretenùs, in eodem instrumento ponenda esse sequentia: *tum primus Scrutator surgens votum suum tulit, secundo, & tertio Scrutatoribus oretenùs, & secretò excipientibus, qui in scriptis illud redegerunt; cùmque rediisset ad locum suum, secundus Scrutator votum suum oretenùs, ut supra, tulit primo & tertio Scrutatoribus, qui pariter illud adnotârunt &c.* Quamvis idem Author de *Consistorial.*
93 *caus. sect.* 19. §. 3. *num.* 10. veram praxin fore, insinuet, hujusmodi suffragia dari per schedulas, ut observatur in Electione Summi Pontificis; imò & in aliis actibus Capitularibus proficuum censent, ut semper suffragia dentur secretò, præcipuè quando de gravibus rebus est agendum, ad hoc, ut quisque, quod senserit, absque ullo timore aut alio respectu liberè posset exprimere. Barbosa de *Canon. cap.* 36. *n.* 23.

QUÆSTIO XIX.

An & quando propalatio Votorum Electionem vitiet?

94 Votorum propalatio potest fieri vel intra, vel extra Electionem, & quidem, si extra fiat, vel antecedenter, vel consequenter. Omnes ejusmodi hypotheses enucleatè examinat Passerin. *d. cap.* 17. *q.* 3. à *n.* 9. cujus vestigia secuturus,

Resp. 1. per publicationem seu propalationem votorum Electionem vitiari, irritamque reddi, si 95
fiat intra Electionem, ac v. g. Capitulum, absque Scrutatoribus, publicè det sua suffragia; vel, assumptis Scrutatoribus, Capitulares sua vota non ipsorum auribus committant, sed palam pronuntient, ut à Capitulo audiantur; vel, si Scrutatores vota, secretè data, cum nominibus eligentium publicent, aut eadem nomina in Decreto Electionis ad Confirmatorem transmittant. Rota Rom. in *rec. p.* 4. *decis.* 574. *num.* 54. & *seqq.* Barbosa ad Concil. Trid. *d. Sess.* 25. *de Regular. cap.* 6. *n.* 8. & 10. Idemque 96
dicendum, si etiam unius duntaxat voti manifestatio fiat in ipsa Electione, toto Capitulô vel majori parte consentiente; secus, si dissentiat, aut ignoret: cùm alioquin minor pars, invitâ & contradicente majori, totam Electionem irritare posset; quod profectò arduum foret & difficile. Passerin. *d. l. num.* 13. Quin & pariformiter discurrendum esse, si 97
eligentes dent schedulas, unam aut plures, aliquô patenti signô vel charactere notatas, ut ex eo Scrutatores aut eorum aliquis agnoscant nomen eligentis per talem schedulam, quidam decisum referunt apud Barbosam *cit. l. num.* 9. Quod tamen non 98
admittit Passerin. *d. l. num.* 17. & *seqq.* nisi statutum speciale extet, irritans Electionem, in qua nomina eligentium, si vota per schedas consignentur, Scrutatoribus patefiunt: quia per se loquendô neque Juri Communi, neque Tridentino Concilio adversatur, ut Scrutatores eligentium nomina habeant perspecta. Idque à fortiori & in omni ca- 99
su procedere videtur, quando Capitulum aut pars illius potior nec scit, nec consentit similibus schedis, ab uno aut altero per malitiam ita signatis.

Resp. II. per publicationem seu manifestationem 100
votorum, antequàm procedatur ad Electionem vel ad scrutinium, Electionem subsequentem non fieri nullam. Passerin. *d. l. num.* 35. & *seqq.* Ratio est 1. quia, ut vota maneant secreta ad mentem *cap. quia propter* 42. *de Elect.* & Trid. *d. Sess.* 25. *cap.* 6. satis est, ita in Electione conferre suffragia, ut non innotescant, nisi ad summum Scrutatoribus: atqui ante scrutinium neque est Electio; neque Electores de præsenti dant suffragium; neque Scrutatores in officio sunt constituti, sed, quidquid aliqui dicant, se velle in futurum agere, aut etiam jurent, se vota non alteri quàm Titio v. g. daturos, pro voto aut Electione formali nequit considerari: quippe cùm in actuali voti consignatione 101
maneant liberi, possintque, non obstante priori declaratione, etiam juramentô obfirmatâ, votum in alium & talem dirigere, quem censent esse digniorem; nec adeò rarum sit, ut multi, qui anteà in certam personam conjuraverant, postmodùm à Spiritu Sanctô illuminati, aut horrore juramenti, quod præstiterunt de eligendo digniore, absterriti in aliam & magis meritam respexerint. II. quia, 102
tametsi adhuc controversum sit, utrùm tractatus aliquis prævius seu consultativus circa personam eligendam Electioni sit præmittendus? prout in *præf. cap.* à *num.* 363. explicatum est; attamen, suppositâ etiam sententiâ negativâ, non videtur esse prohibitum, ut Electores (salvâ tamen justitiâ & charitate, quæ sæpiùs in ejusmodi eventibus periclitatur) inter se præviè conferant de virtutibus, meritis, & dignitate eligendorum: in rebus siqui- 103
dem humanis, & majoris momenti negotiis, plerumque non temerè vel præcipitanter, sed maturè, & adhibitô aliorum consiliô, procedendum est; vixque, ut loquitur Passerinus in *n.* 38. ulla Electio fit aliô modô, quàm ut Electores nedum dicant,

se

se velle hunc vel illum eligere, sed aliis quoque
suadeant, eosque in suam sententiam pertrahere stu-
deant: quod certè malum non est, sed licitum, si
desint minæ, conventiones, pacta &c. solùmque ra-
tionibus, intra limites charitatis & justitiæ, propter
bonum commune unus alteri persuadeat, ut ab Ele-
ctione indigni vel minùs digni desistat, ac digniorem
eligat.

104 Resp. III. neque per votorum propalationem,
factam post Electionem, illam, antehac validam,
invalidari. Passerin. *d. l. num.39. & seqq.* Ratio est:
quia, ubi Electio semel valuit, & vota sunt data
secretò, semper valet; nec potest aut hominum
malignantium improbitate irritari, aut jus, quod
Prælatus ex Electionis acceptatione quæsitum ha-
105 bet, ipsi innocenti & contradicenti adimi. Imò,
uti Passerinus graviter ponderat textum in *cap. quia
propter 42. de Elect.* illius vigore publicari debent
nomina eligentium, quatenus collatio meriti ad
meritum, & zeli ad zelum locum habere valeat:
consequenter publicatio votorum in hoc sensu non
tantùm Electioni non contraria, sed etiam ad il-
106 lam est requisita. Quódve Concilium Trid. eli-
gentium publicationem interdixerit, & hôc ipsô du-
plicem hanc collationem sustulerit, vel tantùm ad
Regulares pertinet, vel spectat ad solos Scrutato-
res, quibus in ipso Scrutinio nomina eligentium
107 propalare nefas est. Interim, nisi justa causa suffra-
getur, nemini licitum est, post Electionem manifesta-
re, in quem suffragium suum contulerit; præsertim
Scrutatoribus, qui ex officio ad silentium obstrin-
guntur. An verò sit peccatum leve, vel grave talis
manifestatio? Disputat Passerin. *d.n.43.* saltem, ubi
ex manifestatione sequitur notabile damnum, à mor-
tali vix excusabitur.

QUÆSTIO XX.

Utrùm, si primum Scrutinium non sit Canonicum, Capitulares possint petere, ut Electio differatur in diem sequentem?

108 Resp. affirmativè. Ratio est: partim quia nulla
est necessitas, ut primo scrutinio eâdem mox die
in continenti subjungatur alterum, ut patet in Ele-
ctione Summi Pontificis, ubi non unô die com-
plentur omnia scrutinia, sed per multos dies aut
109 etiam menses continuantur: partim quia, absolu-
tô unô scrutiniô, Capitulares censentur officiô suô
perfuncti *arg. cap. publicato 58. de Elect.* nec pos-
sunt pro tunc ad ulteriora compelli, nisi jam insta-
ret dies ultimus, ad eligendum de Jure præfixus.
110 Passerin. *de Elect. cap. 32. num. 6.* partim quia, si-
cuti ante primum scrutinium Capitulo datur spatium
deliberandi, quid in re tam seria & gravi agere opor-
teat; ita & ante sequens scrutinium oportet habere
aliquod tempus de novo consultandi, dum ex primi
scrutinii publicatione ut plurimùm apparet, systema
Electionis, antehàc formatum, ex parte vel ex toto
fuisse mutatum.

QUÆSTIO XXI.

An, si denegetur petita Electionis dilatio, petentes contra denegationem possint appellare?

111 Resp. affirmativè. Ratio est: quia, quotiescun-
que alicui gravamen injustè infertur, illi suppetit
remedium appellationis; signanter in causa Electio-
nis, in qua, si quis interesse quoddam habeat, pe-
tatque, Electionem differri, nec tamen à Capitu-
lo ipsi deferatur, potest contra intempestivam Ele-
ctionem remedium appellationis arripere per *cap.
cùm inter 16. cap. cùm nobis 16. de Elect.* Passerin. *d.
cap. 32. n. 3. & seqq.*

QUÆSTIO XXII.

Utrùm interposita appellatio id operetur, ut subsequens Electio sit plane nulla?

Resp. quòd, si major pars Capituli, non obstan- 112
te appellatione, eôdem die procedat ad novum
scrutinium, Electionem interim valere, usque dum
Superior Ecclesiasticus, ad quem devoluta est ap-
pellatio, bene appellatum judicaverit. Ratio est: 113
quia appellatio extrajudicialis, qualis est illa, quæ
contra futuram Electionem interponitur, effectum
solummodò devolutivum, non verò suspensivum,
operatur; adeóque ea, quæ pendente appellatione
gesta sunt, interim valent, donec a Judice ad quem
causa fuerit cognita; rescindenda postmodùm, ubi
is bene appellatum esse, decreverit per *cap. conside-
ravimus 10. de Elect.* & ibi Glossa *verb. appella-
tionem &c.* & Abbas *num. 1.* Passerin. *d. cap. 32. n.
7.* Pirhing ad *cit. tit. num. 266.* Wiestner *ibid. num.
285. & seq.*

QUÆSTIO XXIII.

Quâ formulâ in instrumento Electionis per compromissum sit utendum?

Exhibet illam Matta *de Consistorial. caus. Sect. 19.* 114
§. 4. numer. 32. hujus tenoris: „placuit universis &
„singulis per viam compromissi viduatæ Ecclesiæ
„providere, dederuntque plenam & liberam facul-
„tatem N. seu (si nempe plures sint compromis-
„sarii) N. N. Viris fidelissimis, de cujus seu quo-
„rum pietate, zelo, & prudentia omninò confi-
„dunt, ut idem seu iidem collegialiter, sive pars
„ipsorum, vice sua seu eorum & totius Capituli
„par Electionem concordem Ecclesiæ vacanti, pro-
„ut convenirent inter se, DEUM bonumque sta-
„tum ipsius Ecclesiæ præ oculis habentes, de per-
„sona idonea providerent, omnem potestatem &
„vicem singulorum Capitularium ac totius Capi-
„tuli super hoc eis committentes, ita ut unus ip-
„sorum de consensu aliorum Compromissariorum
„vel majoris partis eorum, vice sua & Collegarum
„totiusque Capituli, illum, in quem omnes ipsi
„vel major pars eorum convenirent, eligeret, &
„Electionem solennem ac solenniter in præsentia
„totius Capituli publicaret. Qui compromissarii,
„secedentes in partem, & Spiritu Sancto denuò
„invocatô, maturâ deliberatione atque examina-
„tione habita inter se diligenti, tandem in N.
„convenerunt, quem N. unus ex compromissariis
„secundùm formam in compromisso appositam ele-
„git in Episcopum seu Abbatem, & publicavit di-
„cendô: ego N. Compromissarius concorditer ele-
„ctus juxta facultatem, in compromisso traditam,
„meô & aliorum Compromissariorum, mihi con-
„sentientium, ac totius Capituli nomine eligo in
„Episcopum vel Abbatem &c. Quando autem in 115
compromisso dispositum est, ut Compromissarii eli-
gant illum, in quem major pars Capituli consense-
rint, post verba *Spiritu S. devotè invocatô &c.* ad-
jungendum est: „& requisiverunt super hoc singu-
„lorum Capitulorum vota, quibus auditis, & matu-
„râ deliberatione &c. ut suprà.

QUÆSTIO XXIV.

Utrùm electus ante obtentam Confirmationem possit administrare?

116 Negativè fuit definita in hoc *cap. num.* 491. & in
num. 493. facta exceptio in Episcopis & Prælatis
Germaniæ, quorum Confirmatio spectat ad Sedem
Apostolicam, qui, ubi electi fuerunt in concordia
extra Italiam, statim administrare valent; licèt mul-
ti non utantur hàc facultate, nisquedum in scriptis
117 *Placet* (ut vocant) ex urbe advenıat. Solet nimi-
rum instrumentum peractæ Electionis absque mo-
ra transmitti Romam, ibidemque, ante examen Ele-
ctionis, expediri Breve seu beneplacitum Apostoli-
cum, cujus tenore neo electus administrator in spi-
ritualibus & temporalibus constituitur, ac cura &
regimen ipsi plenariè committitur, cum facultate
liberè disponendi de fructibus, redditibus, & pro-
ventibus mensæ; sed ad sex menses duntaxat, in-
tra quos literas super confirmatione Electionis hu-
jusmodi impetrare, ac jura Cameræ Apostolicæ,
118 & aliis propterea debita persolvere tenetur. Potest
igitur talis Electus omnia tum quoad potestatem
Jurisdictionis quàm Ordinis (si jam anteà ordina-
tus sit) facere, quæ facere posset, si jam esset con-
firmatus; aut saltem, si consecratus non sit, actus
119 Ordinis alteri jam consecrato delegare. Et quam-
vis alicui dubium esse posset, an ejusmodi electo
Episcopo liceat Ordines conferre, aut ordinandi
licentiam vel literas dimissorias concedere; atten-
tâ dispositione Concilii Tridentini *sess.* 7. *de Refor-
mat. cap.* 10. statuentis, quòd *non liceat Capitulis
Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum à die vaca-
tionis ordinandi licentiam, aut literas dimissorias,
seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex Juris dis-
positione, quàm etiam cujusvis privilegii aut consue-*
120 *tudinis &c. concedere*: attamen, quia ea una parte
hæc dispositio loquitur de solis Capitulis Ecclesia-
rum, non autem de Prælato Electo; ea altera ve-
rò parte Sedes non vacat ampliùs, quando Electus
à Summo Pontifice per Breve seu *Placet* genera-
lem administrationem accepit, sicuti docui in *lib.*
121 3. *tract.* 1. *pag.* 351. *num.* 46. eò minùs ad casum
nostrum applicanda venit, quòd in ipso Brevi in
fine apponi soleat, Ecclesiam censeri vacantem, si
neo electus intra sex menses præstanda non præ-
stiterit; sicque supponitur, Ecclesiam non esse va-
cantem, quàmdiu tempus mensium adhuc currit,
sed ita considerari, ac si Prælatum actu regentem
haberet.

QUÆSTIO XXV.

An Confirmatio suppleat defectus, in Electione admissos?

122 Matta de *Consistorial. caus. sect.* 20. *num.* 42. *&
seq.* refert Authores pro utraque opinione, affir-
mante & negante. Quæ tamen utraque cum di-
stinctione coadunari potest, dicendô, quòd, si
confirmatio fiat in forma communi, non suppleat
defectus, in Electione admissos, qui eô tempore,
quô confirmata est, necdum erant cogniti *arg. cap.
cùm dilecta* 4. *de Confirmat. ut. vel inut.* Sin verò in
forma speciali cum prægnantibus clausulis fiat, de-
fectus suppleat per *cap. de confirmationibus* 2. *d. t.*
123 Qua in re apprimè considerandus est stylus Sacræ
Congregationis, quæ, si adsit in Electione forma
Juris Naturalis, id est, consensus majoris partis
de Capitulo, & nihil contra personam electam op-
poni possit, etiamsi defectus Juris positivi, id est,
omissio Solennitatum Canonicarum adsit, impertiri
solet Confirmationem cum clausula: *supplentes de-
fectus*; & aliquando cum alia & fortiori clausulâ,
supplentes etiam quoad substantiam &c. Matta *cit. l.
num.* 44. Cardinalis de Luca de *Canonic. disc.* 27. *n.*
1. *& seqq.* & de *Regular. disc.* 1. *numer.* 94. *& seq.*
Eminentissimus Card. Vincentius Petra in *Commen-
tar. ad Constit. Apostol. tom.* 5. *pag.* 29. *n.* 44. Ali- 124
quando etiam omninò cassatur Electio, & decer-
nitur provisio Apostolica ad normam Concordator.
§. placet 3. ibi: *vel si præsentata minùs fuerint Ca-
nonica, providebimus*; quo in puncto certam regu-
lam præscribi non posse, idem Petra observat: si- 125
quidem in celebri illa Electione Monasteriensi ab
eadem Sacra Congregatione die 23. Decembris an-
no 1706. resolutum fuit, Electionem Episcopi Pa-
derbornensis, à majori parte Capituli factam, esse
confirmandam cum clausula *supplentes*; cùm verò 126
pars minor instaret, ut dubium iterum examinare-
tur, die 10. Maii 1707. prodiit alia & hæc reso-
lutio: *SS. D. N. auditis votis DD. Cardinalium &
Prælatorum, qui rem totam maturè atque exactissi-
mè discusserunt, præviô recessu ab approbatione aliàs
facta decreti editi ab hac S. Congregatione d. die su-
per confirmatione Electionis Episcopi Paderbornensis,
utramque Electionem esse cassandam decrevit: utrâ-
que autem Electione cassatâ, decrevit insimul va-
canti Ecclesiæ Monasteriensi ex integro providere de
persona ejusdem Episcopi Paderbornensis, juxta mo-
dum à Sac. Congreg. præscribendum.* D. Anton. Flav.
de Santis in *Exam. Consistor. cap.* 12. *numer.* 103.
& seq.

QUÆSTIO XXVI.

Quam pœnam incurrat Episcopus, non recipiens Consecrationem intra tempus præfixum?

In *cap. præs. num.* 549. hæc pœna ex Concil. Trid. 127
Sess. 23. *de Reformat. cap.* 2. insinuata est. Verba Sa-
cræ Synodi ita sonant. *Ecclesiis Cathedralibus, seu
Superioribus, quocunque nomine ac titulô præfecti,
etiamsi S. R. E. Cardinales sint, si munus Consecra-
tionis intra tres menses non susceperint, ad fructuum
perceptorum restitutionem teneantur, si intra totidem
menses posteà id facere neglexerint, Ecclesiis ipsô ju-
re sint privati.* Exinde deducitur I. pœnam priva- 128
tionis Ecclesiæ esse quidem à Jure jam inflictam,
proindeque ad illius incursionem non requiri sen-
tentiam condemnatoriam, aut præviam aliquam mo-
nitionem; requiri tamen sententiam declaratoriam
criminis seu facti, quòd nempe intra tempus statu-
tum ea negligentia electi & confirmati Episcopi
non fuerit petita Consecratio. Fagnanus in *cap.
cùm ex ipso de Translat. Ep. num.* 10. *& seqq.* Vin-
centius Petra ad *Constitut. Apostol. d. tom.* 5. *pag.* 129
209. *n.* 14. *&* 15. quamvis Eminentiss. hic Author
censeat, in foro conscientiæ, etiam non prolatâ sen-
tentiâ declaratoriâ, vim suam exserere: quandoqui-
dem Urbanus VIII. prohibuit Majori Pœnitentia-
rio & cæteris Officialibus Pœnitentiariæ, super pœ-
nis præfatis dispensare cum Episcopo non consecra-
to, titulum revalidandô, aut fructus condonandô;
adeóque supposuit, fructus unà cum titulo statim
fuisse amissos.

Deducitur II. quando Episcopus, electus & 130
confirmatus, laborat justô impedimentô, quò mi-
nùs intra præfixum tempus Consecrationem reci-
piat, pœnam hanc non incurri, veluti constat ex
cit. Trident. in verb. id facere neglexerint, uti si
impediatur à morbo, vel detineatur ab hostibus.
Petra *d. l. pag.* 208. *num.* 13. Quod tamen impe- 131
dimentum ab Episcopo concludenter probari, simul-
que

que ostendi debera, quòd omnem diligentiam ad illud removendum impenderit, cum Barbosa in *collectan. ad cit. Concil. num.* 3. & Passerino de *Elect.*
132 *cap.* 25. *num.* 355. tenet idem Petra; ac propterea in facti contingentia, ubi Archi-Episcopus Grangonoreosis in Indiis Orientalibus intra tres menses à die Confirmationis Consecrationem non receperat, & impedimenta, quæ allegaverat, probare non poterat, pœnam amissionis ipsô factô in-
133 cursam judicavit; etsi, cùm, transactô jam terminô, consecratus fuerit in *cit. pag.* 209. *num.* 15. putaverit, posse indulgeri per Sanctissimum rehabilitationem, & revalidationem tituli cum condonatione fructuum, & convalidatione omnium gestorum.
134 Quid autem si Episcopus, jam confirmatus, ita vitiaretur corpore, ut non ampliùs possit ordinari? Barbosa *J. E. V. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 29. sentire videtur,
135 quòd removendus sit ab Episcopatu. Verùm Passerinus *cit. l. num.* 255. *in f.* Petra *d. pag.* 208. *num.* 13. & alii veriùs censent, ipsum, si sine culpa ejusmodi vitium corporis contraxerit, non esse removendum, posseque ea, quæ sunt Jurisdictionis, per se ipsum exercere, cætera verò, quæ sunt Ordinis, per alium administrare.

QUÆSTIO XXVII.

A quônam Archi-Episcopi consecrati debeant recipere Pallium; & qualiter eô uti oporteat?

136 Pallium Archi-Episcopi consecrati recipiunt à Summo Pontifice juxta dicta in *hoc cap. num.* 585. Interdum immediatè, maximè si Cardinalitiâ dignitate fulgeant, & in urbe præsentes sint, veluti exempla recentia recenset Eminentiss. Petra *d. to.* 5.
137 *pag.* 207. *sub num.* 9. subinde mediatè, & quidem, si petentes sint in Curia, traditio actualis Pallii fit per Cardinalem primum Diaconum, prævià fidei professione, ac juramentô fidelitatis, à recipiente
138 præstitô; sin verò absentes fuerint, ad petitionem procuratoris, & instantiam Advocati Consistorialis in pleno Consistorio delegatur aliquis Episcopus, aut, in penuria Episcoporum, unus ex Prælatis de Capitulo, qui Pallium absenti impertiatur. Idem *ibid.* Card. de Luca in *Relat. Cur. Rom. disc.* 5. *num.* 19. Thomasin. de *nova & vet. Eccles. discipl. lib.* 2.
139 *cap.* 57. *num.* 4. Ex quo laudatus Petra *pag.* 809. & *seqq.* infert, non posse Archi-Episcopum absentem ab alio recipere Pallium, præterquàm ab eo, quem Pontifex immediatè delegavit, dum in rescriptis oportet strictè procedere, neque interpretationem ab una persona delegata ad aliam citra nullitatis periculum facere licet *cap. P. & G.* 40. *de Offic. Jud. Deleg.*
140 Quoad usum Pallii ultra dicta à nobis in *cit. cap. à num.* 587. notandum I. illum adeò personalem & ad certam Ecclesiam esse restrictum, ut etiam, si Archi-Episcopus transferatur ad alium Archi-Epi-
141 scopatum, novum Pallium requiratur; & quamvis anterius Pallium secum asportet ad novum Archi-Episcopatum, eô tamen ampliùs uti non potest; &, si moriatur, sepelitur cum utrôque, ita tamen, ut ultimum imponatur circa humeros intra planetam, & primum supponatur ejus Capiti, vel supra corpos ponatur. Barbosa *J. E. U. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 119. D. de Santis in *Exam. Consistor. cap.* 10. *num.* 150. & *seqq.*
142 Quin &, si ex dispensatione S. Pontificis quis duos Archi-Episcopatus acquireret, duo Pallia essent necessaria, & quodlibet in sua Ecclesia gestandum. Vincentius Petra *d. l. pag.* 214. *sub num.*
143 39. ubi recenset exemplum novissimum de Cardinale Jodice Archi-Episcopo Montis Regalis, cujus Pallium jam receperat, &, postquam per optio-nem recepit Episcopatum Ostiensem, recepit quoque Pallium alterum pro hac Ecclesia à Sanctiss. D. Nostro Benedicto XIII.

Notandum II. usum Pallii esse solùm in Missa 144
solenni, habitâ in diebus, specialiter a S. Pontifice determinatis, juxta textum in *cap.* 6. *Dist.* 100. ibi: *Pallium sibi transmisimus, quô fraternitas sua intra Ecclesiam ad sola Missarum solemnia utatur.*
Et quia etiam in congregatione & inchoatione Sy- 145
nodi Diœcesanæ & Provincialis, veluti in una ex majoribus festivitatibus, Archi-Episcopus solenem Missam celebrat, minimè dubitat, solidéque probat Eminentiss. Petra *d. l. pag.* 211. *à num.* 29. Pallium tunc accipi posse & debere; allegans exemplum tam in D. Carolo Borromæo, in suis provincialibus Conciliis Pallium adhibente; quàm in moderno SS. Pontifice, qui in Synodo Provinciali Beneventana anno 1693. id ipsum fecerat.

Notandum III. usum Pallii Archi-Episcopo 146
fuisse concessum in qualibet Ecclesia per totam suam provinciam, etiamsi exempta sit; & sive actu visitet provinciam, sive alia ex causa ibi commoretur. Petra *d. pag. num.* 25. & *seqq.* Matta de *Consistorial. caus. sect.* 2. *n.* 27. de Santis *d. cap.* 10. *numer.* 124.

Notandum III. Pallium esse diligenter & hono- 147
rificè custodiendum; eòque propter qualemcunque casum amissô, posse quidem ab Archi-Episcopo interim celebrari, sed cum obligatione, ut novum petat. Petra *pag.* 213. *num.* 38. sicut & novum petere tenetur, quando est corrosum, utpote quod comburendum, & cineres in sacrarium reponendi
sunt. Idem *ibid.* qui etiam in *eôd.* & *seq. num.* 39. 148
decernit, novum peti debere, quando id, quod Româ missum est, adeò angustum reperitur, ut in eo Archi-Episcopus sine notabili deformitate nequeat celebrare.

QUÆSTIO XXVIII.

Quænam in Electione Summi Pontificis notatu digna sint?

Multa de hoc argumento tractata fuerunt in *cap.* 149
præf. sect. 6. *per tot.* His amplioris declarationis causâ addendum I. circa eligendos in Summum Pontificem, etiam uxoratum non esse ineligibilem, ita tamen, ut uxor professionem in Monasterio
emittere teneatur: Nec enim ex Jure Divino pro- 150
venire videtur, ut quis, uxore dimissâ, ad Papatum evehatur; imò uxorati ad Religionem & Clericatum se conferre valent, si uxores pariter Religionem intrent, aut remanentes in sæculo ac de incontinentia non suspectæ, votum simplex castitatis emittant. Cardin. de Luca in *Relat. Cur. Ro-*
man. disc. 3. *n.* 22. ubi etiam de cœco advertit, quòd, 151
licèt aliàs cœcitas superveniens officia jam habita non tollat, sed impediat, ne alia de novo assequator, Electio tamen, de cœco facta, subsistat.
Addendum II. ea, quæ ad præambula & 152
formam hujus Electionis spectant, pleraque fuisse determinata in duplici constitutione Gregorii XV. nempe unâ, quæ incipit *æterni Patris &c.* editâ anno 1621. decimo septimo Calend. Decembris; alterâ, quæ incipit: *decet Romanum &c.* & continet ceremoniale ejusdem Electionis, publicatâ anno 1622. quarto Idus Martii; atque ab Urbano VIII. in alia constitutione, quæ incipit: *ad Romanum Pontificem*, & anno 1625. 5. Calend. Fe-
bruarii prodiit, approbatâ. Nempe speciatim con- 153
stituitur, ut scrutinium bis singulis diebus peragatur, ita ut etiam perficiatur, manè scilicèt post solitam Missam, & prima quidem die tantùm post Cardina-

lium facram peractam communionem; & pomeri-
dianô tempore horâ opportunâ post Hymnum *Veni
Creator Spiritus* , & orationem de Spiritu Sancto.
154 Prætereà sancitur , ut Scrutatores tres , sicut &
tres alii Cardinales, qui ad infirmorum suffragia
deferenda progrediuntur, ex omnibus Cardinalibus
præsentibus in Conclavi , nullâ ordinis servatâ di-
stinctione , immediatè ante quodlibet Scrutinium
per ultimum Diaconorum per sortem extrahantur,
155 &, qui semel extracti fuerint , in vas iterum con-
jiciantur; alioquin si quis contra fecerit , sicut si
Scrutatores vel recognitores aliquid secreti in exer-
cendo suo officio cognoverint , & illud revelave-
rint , latæ sententiæ excommunicationem incurrant.
156 Ad hæc ordinatur, *ut in unoquoque scrutinio, ante-
quàm schedula in calicem* (qui , qualis esse debeat,
in hisce constitutionibos non determinatur) mitta-
tur , à quolibet *Cardinali juramentum altâ & intel-
ligibili voce fiat his verbis : testor Christum Domi-
num, qui me judicaturus est, me eligere, quem secun-
dùm DEUM judico eligi debere, & quòd idem in ac-
cessu præstabo. Et hoc juramentum à nullo omittatur.*
157 Insuper in accessu, qui toties permittitur, quoties in
scrutinio nullus sortitus est duas tertias, præcipitur,
ut pariter fiat per schedulas secretas & sigillatas, ac
eadem omnia serventur, quæ servantur in scrutinio;
non nullis tamen exceptis, inter quæ est, quòd acces-
sus fieri non possit *ad eum Cardinalem, qui in scrutinio
saltem unum suffragium non obtinuerit, neque ad eum,
qui ab ipsomet Cardinali fuit in scrutinio nominatus.*
158 Demum statuuntur Recognitores, extrahendi per sor-
tem, uti Scrutatores & Deputati pro infirmis, *statim
quidem post scrutinium, si secuta sit in eo Electio. si ve-
rò non sit secuta, post scrutinium & accessum, cùm sci-
licèt Scrutatores suum impleverint munus per nume-
rationem suffragiorum*; per hos fit recognitio *inspi-
ciendò tam schedulas scrutinii & accessûs, quàm suf-
fragiorum annotationes factas per Scrutatores, ut per
hujusmodi recognitionem constare possit, an Scrutatores*
159 *sincerè & fideliter muneri suo satisfecerint.* Quæ &
plura alia ex ipso Constitutionum fonte, &, adhuc ma-
gis ad captum, ex praxi colligi poterunt; omniaque, à
me aut aliis hac in parte scripta, haud aliter, quàm jux-
ta hunc tenorem , accipi , vel declarari debent.

QUÆSTIO XXIX.

An & quatenùs jus eligendi vigeat apud Regulares ?

160 Apud Benedictinos à primæva institutione jus eli-
gendi Abbatem proprium in usu erat : extat enim
in S. Regula specialis sanctio , nempe in *cap. 64.
de Ordinando Abbate* , eumque ordinandum esse ,
constituitur, *quem sibi omnis concors congregatio, vel
etiam pars, quamvis parva, saniori consilio elegerit*;
suntque ad hoc probandum permulti textus Juris Ca-
nonici , in *hoc cap. num. 714.* allegati. Ex quibus
insuper colligitur, generaliter loquendò etiam Ab-
bates aliorum à suis Conventibus seu Capitulis Re-
161 gularibus de Jure Communi eligendos esse. Jam
enim antiquitus Abbates erant quasi - sponsi suo-
rum Monasteriorum per *cap. ne pro defectu 42. de
Elect.* & , uti Monachi stabilitatem habuerunt in
Monasteriis , ita & Abbates , factâ electione, per-
petuò præerant, nec poterant absque causa canoni-
ca removeri per *cap. Monachi 2. §. prioratus de Sta-
tu Monach.* Thomasin. de *Discipl. Eccles. vet. & nov.
tom. 2. lib. 2. cap. 53. num. 3.* Eminentiss. Card. Vincen-
tius Petra in *Commentar. ad constitut. Apostol. tom. 1.*
162 *pag. m. 545. num. 41.* Hæcque observantia adhuc
dum viget in quibusdam provinciis, signanter in
Germania , ubi Abbates à suis Monachis eligun-
tur , ut tanquam Sponsi Monasteriorum constitu-
antur , servatâ formâ communi Electionis, à Con-
cilio Generali in *cap. quia propter 42. de Electione*
præscriptâ. Petra *d. l. pag. 546. num. 42.* Rota Rom. in
recent. p. 4. decis. 312. & 574. per tot.
Extra Germaniam alia circa electionem Regula- 163
rium rerum facies ; & quidem in Italia in Congre-
gatione Benedictina Cassinensi , cùm Abbates ab
initio fuerint triennales , posteà quinquennales in
uno Monasterio (licèt semper in dignitate maneant,
& de loco ad locum mutentur) sicque matrimo-
nium cum suis Ecclesiis Regularibus non contrahant,
non eliguntur à Monachis singulorum Monasterio-
rum, sed à Definitoribus, in Capitulo Generali de-
putatis. Petra *d. l. num. 52.* In Congregationibus 164
Hispaniæ Abbates sunt tantùm triennales, nec per-
petuò in dignitate, eliguntur que à Capitulo Ge-
nerali , quod fit quôlibet trienniô ; & , si intereà
decedant, usque dum celebretur novum Capitulum
triennale, per Generalem & Definitores constituun-
tur. Idem *ibid.* In Gallia pleræque Abbatiæ dan- 165
tur in commendam , & per Capitulum generale
constituuntur Priores amovibiles ; exceptis quin-
que principalibus Cisterciensium Abbatiis, scilicèt
Cisterciensi, Morimundensi, Clarevallensi, Firmi-
rana , & Pontiniacensi. Petra *d. l.* Num verò in 166
Abbatem possit eligi , qui quidem sit ejusdem Or-
dinis seu Regulæ , diversæ tamen & specialis Con-
gregationis, uti sunt Benedictini & Cistercienses ?
In negativam deflectit Eminentiss. Petra *cit. l. pag.* 167
552. num. 75. tum quia in constitut. Eugenii III.
quæ incipit : *sacrosancta &c.* præcipitur , quòd
Abbas Cisterciensium eligendus sit de eodem Or-
dine : tum quia in *Clem. cùm rationi 1. de Elect.*
prohibetur , *ne Religiosus aliquis in Abbatem vel
Prælatum alterius Religionis vel habitûs de cætero
eligatur : cùm rationi non congruat , ut homines dis-
paris professionis vel habitûs simul in eisdem Mo-
nasteriis socientur.*
Pro affirmativâ autem faciunt, quæ à nobis tra- 168
duntur in *cap. seq. à num. 178.* ubi cum Joanne Ca-
ramuele probatum est , Benedictinos ad Abbatias
Cistercienses , & vicissim Cistercienses ad Abbatias
Benedictinas , non indigere solenni postulatione,
sed minùs solenni , quæ parum aut nihil discrepat
ab Electione. Quòd verò Benedictini disparem à 169
Cisterciensibus habitum portare videantur, eò mi-
nùs Electioni refragatur, quò certius apparet , il-
lam disparitatem valdè modicam, & in solo colore,
quem juxta S. P. Benedictum in *Reg. cap. 55.* Mo-
nachi non debent causari , constitutam esse.
An & quatenùs Episcopus vel alius possit acqui- 170
rere jus eligendi in Monasteriis ? Discurit idem Pe-
tra *pag. 547. à n. 49.* Item an Episcopus possit habe-
re facultatem , ut intersit Electioni Abbatis Regu-
laris exempti, aut istum confirmet ? Examinat idem
pag. 550. à num. 62.
An Superiores Regularium , qui deputantur à 171
Capitulo Generali , vel aliis Superioribus, debeant
deputari per vota secreta ? Non obstante ratione ,
quòd Concil. Tridentinum *sess. 25. de Regular. cap.
6.* id universim requirere videatur ; *cit.* Petra *pag.
547. num. 46. & seqq.* respondet negativè : quia Con- 172
cilium debet intelligi de Electionibus , quæ fieri
oportet per modum Electionis Collegii seu Mona-
sterii Monachorum ; secus autem, si ob Statuta, aut
alias causas Superiori Generali competant, ut decla-
ravit S. Congreg. Concilii in verbis : *Concilium non
jubere , sed quando facienda erit Electio, servandam
esse formam dict. cap.* prout refert Fagnan. ad *cap.
nullus de Elect. num. 52. & seqq.*

QUÆSTIO XXX.

A quónam Abbates Regulares sint benedicendi?

173 Plenè & planè definita est hæc dubitatio à Sanctiss. D. N. Benedicto XIII. qui, discussò priùs negotiô in Congregatione particulari S. R. E. Cardinalium, & aliquorum Romanæ Curiæ Prælatorum, in Concilio Romano pridie nonas Maji 1725. constitutionem edidit, quæ incipit: *commissi &c.* Ejus
174 verba, ad rem facientia, sunt, ut sequitur. Cùm itaque, sicut accepimus, Abbates Regulares perpetui, non quidem ratione tituli, quia ad triennium, vel sexennium, aut aliud limitatum tempus eliguntur, sed ratione administrationis, quia ab unius Monasterii regimine, expleto limitato tempore, transferuntur ad aliud, ab Episcopis, in quorum Diœcesibus sita sunt Monasteria, benedictionem obtinere, imò & petere negligant; Hinc est, quòd Nos gravi ejusmodi abusui pro Pastoralis officii debito opportunè consulere, ac providere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, & aliquot insuper Romanæ Curiæ Prælatorum super hoc à Nobis specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis in præsenti Sacro Concilio congregatis; nec non motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuò valitura Constitutione injungimus, præcipimus, & districtè mandamus omnibus, & singulis Abbatibus Regularibus, licèt perpetuis solummodò ratione administrationis, ut præfertur, qui Monasteriis cujuscunque Ordinis, Congregationis, ac Instituti de cætero præficientur, ut infra annum à die eorum electionis computandum solemnem benedictionem ab Episcopis, in quorum Diœcesibus Monasteria consistunt, juxta Ritum, in Pontificali Romano præscriptum, omninò suscipiant; vel saltem eam ter ab ipsis humiliter postulent, servata forma sancita in *cap. statuimus de Supplen. neglig. Prælator.*. Quòd si secùs fecerint, ab officio per annum sint ipso jure suspensi. Volumus tamen, & expressè declaramus, quòd ipsimet Abbates electi, durante præfato termino, ac interim omnia munia Abbatialia liberè, ac licitè exercere possint, & valeant; Quódque Abbas semel benedictus iterum benedictionem petere, vel obtinere non teneatur, tametsi ad gubernium diversorum Monasteriorum, aliarum etiam Diœcesium, translatus extiterit.

Quoniam verò nonnulli ex prædictis Abbatibus Regularibus, Apostolicis, ut asseritur, muniti sunt privilegiis, quibus ampla ipsis tribuitur facultas suscipiendi benedictionem à quocunque, quem maluerint, Catholico Antistite, gratiam, & communionem Sanctæ Sedis Apostolicæ habente; Nos justis, & rationabilibus adducti rationibus, motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, statuimus, atque decernimus, ut ejusmodi Abbates imposterum non à quocunque Antistite, sed à Diœcesano tantùm Episcopo, vel à Metropolitano, infra prædictum terminum, benedictionem omninò suscipere teneantur; Et quatenùs ille, quem Abbas elegerit, tertiò humiliter requisitus ipsi petitam benedictionem impertiri detrectet, aut negligat, tunc, & eo duntaxat casu, eandem benedictionem à quocunque Catholico Antistite Abbas liberè suscipere possit, & valeat, ac ita perpetuis futuris temporibus ubique servari volumus, & mandamus.

Cæterùm ejusmodi indulta exemptiva ab obligatione suscipiendi benedictionem à proprio Episcopo illis duntaxat Abbatibus, quibus ab Apostolica Sede directè concessa fuerunt, juxta modum supra expressum, suffragentur; Reliquis autem Abbatibus, qui ea ex generali tantùm Privilegiorum aliis Ordinibus, Congregationibus, vel Institutis concessorum communicatione sibi competere prætendunt, minimè suffragari posse, nec debere decernimus, & declaramus.

Quo verò ad Abbates, quibus à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris indultum fuit, ut à suis Superioribus Regularibus, vel ab eorum Prælatis delegatis, benedictionem sumere possint: vel etiam per speciale indultum Apostolicum concessum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipso Summo Pontifice, nihil omninò innovandum esse sancimus, & Apostolica, quibus gaudent, Privilegia ubique inconcussè observari præcipimus, & mandamus.

Universos demum Episcopos, atque etiam Archi Episcopos, à quibus benedictio tribuenda erit, eorumque Officiales, Assistentes, & Ministros quoscunque in Domino hortamur, ac admonemus, ut occasione similium benedictionum excutiant, ac prorsus emoudent manus suas ab omni munere; quin etiam prædictis Præsulibus sub pœna interdicti ab usu Pontificalium per annum vetamus, ac inhibemus, ne tam ante, quàm post easdem benedictiones, earumque intuitu, cujuscunque generis, aut speciei, etiam bellariorum, & comestibilium, munera, & xenia, à quoquam recipere audeant; illisque præterea districtè injungimus, ut ab omni abstineant solemni pompa, quæ sumptus, quantumvis modicos, etiam prandii, secum ferat, cùm ejusmodi sacræ functiones ab interna, solidaque potiùs Benedicentium, ac Benedicendorum religione, & pietate, quàm ab externa, & vana apparatus magnificentia debeant commendari. Decernentes præsentes literas &c.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋

CAPUT II.

De Postulatione.

Alter modus acquirendi Prælaturas Ecclesiasticas, si ordo ex frequentia & dignitate materiæ desumatur, est *Postulatio.* De hac ita discurrere placet, ut in I. *sect.* Postulatio in genere; in II. & III. Postulatio in specie discutiatur.

SECTIO I.

De Postulatione in genere.

SUMMARIA.

1. *Postulationis etymon.* 2. *Homonymia.* 3. & 4. *Synonymia.* 5. *Definitio.* 6. *Est petitio.* 7. *In gratia fundata.* 8. *A Capitulo.* 9. *Ad Superiorem directa.* 10. & *seq. Ut personam, de se impeditam.* 12. & *seq. Ad Prælaturam Ecclesia viduata admittat.* 14. *Qui possunt eligere, possunt etiam postulare.* 15. & *seq. Compromissarius, ad eligendum datus, postulare non prohibetur.* 17. & *seq. Idem obtinet in procuratore.* 19. & *seq. Qui præscripsit jus eligendi, præscripsit quoque jus postulandi.* 21. & *seqq. Objecta referuntur, & refelluntur.* 27. *Postulatio nullum postulato jus tribuit.* 28. & *seq. Postulantibus non est prohibitum variare.* 30. & *seqq. Etiam post acceptationem postulati.* 34. & *seq. Licèt in hoc casu sit illicita.* 36. & *seqq.*

Sumptus, in Postulatione, sciente Capitulô facti, sunt ab eodem refundendi. 39. Post præsentationem, Superiori factam, non est valida variatio. 40. Admissa Postulatio solennis habet vim Confirmationis. 41. Non item insolennis. 42. Quandoque debet admissio concedi.

§. I.

Unde dicatur Postulatio; & quomodò definiatur?

1 POstulare ex nativa significatione nihil aliud est, quàm poscere vel petere. Hæcque significatio profanis quoque Authoribus non est peregrina: nam & isti postulationes Diis atque hominibus fieri, sæpiùs supponunt, loquuntur, explicant. Gonzalez ad *cap. ad hac 1. h. t. de Postulat. n. 21.*

2 Accipitur in Jure dupliciter. Primò pro postulatione judiciali, quâ aliquis proprium vel amici sui desiderium in judicio proponit *tot. tit. Jur. Can. ff. & Cod. de Postulando.* Secundò pro postulatione extra-judiciali, quâ petitur à Superiore, ut personam, nexu quôdam & vinculô Juris ligatam, ad Prælaturam Ecclesiasticam admittat. In quo intellectu sumitur in Jure *Can. in tit. de Postulatione Prælatorum. X. & in 6. & Extravagant. commun.*

3 In posteriori acceptione Postulatio tam latè excurrit, ut ambitu suô etiam Electionem complectatur; ac promiscuè per Electionem Postulatio; per electum postulatus designetur: velut jam in *cap. 1. n. 4.* obiter adnotatum est, & luculenter patet ex *cap. statuimus 8. §. his omnibus cap. Osius 10. Dist. 61. cap. Valentinianus 3. cap. literas 14. Dist. 63. cap. ad hac*
4 *1. cum duab. seq. h. t.* Ratio est: quia, sicut Electio, sic & Postulatio ad unum eundemque finem, provisionem scilicèt Ecclesiæ viduatæ decernendam, ordinatur: neque tam actus contrarii, quàm subordinati & subsidiarii sunt: adeò ut, qui per Electionem ad solia Ecclesiastica pervenire nequit, viâ Postulationis eluctari possit. Quia tamen nonnulla habet Postulatio, in quibus ab Electione diversa videtur, ideò pro peculiari modo acquirendi Prælaturas Ecclesiasticas ponitur, &

5 Definitur, quòd sit petitio Capituli, ad Superiorem directa, ut personam, de se impeditam, ad Prælaturam Ecclesiæ viduatæ admittat. Ita quoad substantiam definit Postulationem Panormitanus ad *rubr. præsentis tituli n. 1. & 2.*

6 Dixi I. *petitio.* Ut inprimis significarem, Postulationem inniti gratiæ Superioris, in cujus arbitrio stat, velitne in petentium vota concedere, an postulata recusare. Textus in *cap. bona memoria 3. h. t.* ibi: *cùm etiam, quando aliquis unanimiter postulatur, ad admittendam Postulationem non tam ex justitia,*
7 *quàm ex gratia* (Sedes Apostolica) *moveatur.* Deinde ut unam differentiam inter Postulationem & Electionem suggererem, quæ in eo consistit, quòd Electio, aliter ac Postulatio, in jure quæsito fundetur, ratione cujus debet à Superiore confirmari, si causam denegandi Confirmationem non inveniat. Repetantur dicta in *cap. 1. à n. 481.*

8 Dixi II. *Capituli.* Nam & Postulatio, non minùs quàm Electio, est actus Universitatis; neque ab alio, quàm Universitate, vel Universitatē repræsentante, interponi potest *arg. eorū,* quæ in *cit. cap. 1. n. 15.* habētur.

9 Dixi III. *ad Superiorem directa.* Per quem intelligitur illa persona, vel cui postulandus est subjectus; vel ad quam pertinet facultas, in impedimento, quô ligatur postulandus, dispensandi.

10 Dixi IV. *ut personam, de se impeditam.* Ubi gemina adverto. Primum est: personam postulandam posse esse bifariam impeditam; vel quia laborat verô impedimentô Canonicô; vel quia non est proprii arbitrii, sed ab alterius judicio in suis dispositionibus & actionibus dependet; id quod in *sect. 2. & 3.* magis enodabitur. Alterum est: novam iterum differentiam inter Electionem & Postulationem ratione 11
personæ idoneæ & impeditæ cerni, quæ tamen *cap. 1. num. 10.* jam insinuata est.

Dixi V. *ad Prælaturam Ecclesia viduata.* Postulatio siquidem, Electionis ad instar, non in qualibet Ecclesia, sed viduata, seu sponsô vel quasi destitutâ, locum reperit per dicta in *d. cap. 1. n. 11.* Glossa ad *cap. quia propter 42. v. viduatis de Elect.* 12

Dixi VI. *admittat.* Quod fieri solet, aut dispensationem, si verum impedimentū subsit, indulgendô; aut, si nullum quidem impedimentum, sed subjectionem habeat persona postulanda, licentiam concedendô. 13

§. II.

Quinam facultatem habeant postulandi?

Pro regula hic traditur: omnes postulandi facultatem habere, quibus eligendi jus competit. Laymann *quæst. Canon. 4.* Gonzalez ad *cap. bona memoria 3. h. t. num. 13.* Magnif. P. König *eôd. tit. num. 4.* Colligitur hæc regula ex *cap. ad hac 1. in fin. cap. gratum 2. & cap. bona memoria 4. h. t.* Ejusque ratio reperitur ex *num. 4.* quia Postulatio & Electio ob unitatem finis, provisionem nempe in Ecclesia vacante instituendam, ex dispositione Juris pro actibus subordinatis & connexis reputantur. Ex quo 14

Sequitur I. compromissarios, ad eligendum unanimi consensu Capituli delegatos, censeri etiam facultate postulandi instructos esse. Barbosa in *collectan.* ad *cap.* mox referendum *n. 5.* Passerin. de *Elect. cap. 24. n. 7.* Leuren. *q. 217. num. 2.* Casus hujus sequelæ refertur, & approbatur in *cap. in causis 30. de Elect.* ubi tres ex compromissariis, in quos tota potestas eligendi erat à Capitulo Tholosanensi devoluta, Episcopum Convennarum designârunt; *deinde Electionem, quam de postulando Episcopo fecerant* (verba sunt *cit. cap.*) *Capitulo publicârunt.* Re ad S. Pontificem perlatâ, ille rescripsit: Episcopum Convennarum posse, solutô vinculô, quô Ecclesiæ suæ adstrictus erat, ad Ecclesiam Tholosanensem transire: *quia Postulatio, quæ de ipso præcesserat, facta erat per eos, in quos totum Capitulum eligendi transtulerat potestatem.* 15
16

Sequitur II. procuratorem, cui potestas eligendi à suo principali demandata fuit, æquè postulandi ac eligendi potestatem habere. Gonzalez *cit. num. 13.* Textus & ratio jam dati sunt. 17

Neque obloquitur textus in *cap. innotuit 20. de Elect.* ubi procurator, ad petendam Confirmationem datus, non censetur datus ad postulandā dispensationem: nam ibi quæstio non vertebatur de potestate, sed voluntate postulandi, dum Capitulum eligendô illegitimè natum, nolebat postulare, sed potiùs electi Confirmationem urgere: neque procuratorem ad postulandum vel eligendum constituit, sed ad Confirmationē sollicitandā ad Sedem Apostolicā ablegavit. 18

Sequitur III. eos, qui diuturnô, & per annos 40. continuatô usu, jus eligendi præscripserunt, jus quoque postulandi præscripsisse. Abbas Panorm. ad *cap. bonæ memoriæ 4. num. 4. h. t.* Balbus de *Præscript. 1. p. quintæ princ. q. 8. num. 8.* Passerinus de *Elect. q. 24. num. 7.* Laymann *cit. q. 4.* P. König *d. l.* 19
Tametsi enim intereà temporis nulla postulandi fuerit occasio, sicque juris postulandi nulla fuerit possessio explicita & directa: attamen fuit possessio implicita, indirecta, & ex consequenti, quatenùs jus eligendi cum jure postulandi connexum & colligatum est. Quare 20

Non obstat I. quòd tantum censeatur præscriptum, quantum erat possessum *cap. cùm olim 18. de Præscript. cap. sine 3. de Reg. J. in 6.* Nam, ut proximè dictum est, qui possedit jus eligendi, possedit 21
22
quoque per consequentiam jus postulandi, cum jure eli-

eligendi ex dispositione SS. Canonum conjunctum:
23 eodem ferè modò, quò is, qui decimas præscripsit, decimas quoque novalium impropriè talium præscripsit: quia possidendò decimas fructuum unius speciei, etiam decimas fructuum alterius speciei, tanquam ad unum genus subalternum pertinentes, possedit: ne una eademque substantia diversò jure censeatur, contra *cap. cum in tua 30. de Decim.* Vide *tract. II. de Praescript. cap. 4 n. 430. & seqq.*

24 Non obstat II. quòd ille, qui decimas præscripsit, nequeat decimas novalium, propriè talium, ex post facto, completò jam præscriptionis tempore, exsurgentium, percipere *cap. cùm contingat 29. cit.*
25 *tit. de Decim.* Hoc enim ideò dispositum est: quia, ut notavimus in *alleg. tract. cap. 4. n. 434. & seqq.* præscribens decimas in fundis fertilibus nullas decimas
26 in fundis sterilibus possedit. Hinc, licèt ejusmodi fundi posteà redigantur ad culturam, ac novalia propriè dicta excolantur, attamen ad illos jus decimandi, præscriptione acquisitum, extendi non potest: quia fieret extensio de subjecto uno ad alterum, de possesso ad non possessum: cùm econtrà, qui longævô exercitiô præscripsit jus eligendi in Ecclesia A. v. g. illud non extendere ad Ecclesiam B. sed tantùm in Ecclesia A. magis explicare magisque exercere intendat.

§. III.

Qualem effectum habeat Postulatio?

27 Cum ex *num. 6.* compertum sit, Postulationem in gratia, non justitia fundatam esse; Postulatio (saltem solennis) etiam concorditer facta, nullum postulato jus tribuit, priusquàm à Superiore fuerit ratihabita *cap. bona 4. & cap. postulationem 5.* ibi: *per Postulationem hujusmodi nullum jus &c. h. t.*

28 Consequens huic est, quòd postulantes variare, ac, neglectâ Postulatione, vel ad novam Postulationem, vel ad Electionem procedere valeant, si Postulatio necdum Superiori sit præsentata. Quòd enim in Electione nequeant resilire Electores, postquàm scrutinium est publicatum *cap. publicatò 58. de Elect.* & multò magis, postquàm electus in Electionem præstitit consensum *cap. cùm inter 21. v. Discr. vestra mandamus eòd. tit.* unica est ratio:
29 quia electo jam est jus quæsitum. Ergo, quia postulato, ante Superioris admissionem nullum est jus quæsitum, postulantibus non est interdicta variatio. Panormitan. in *cit. cap. bona 4. num. 10.* Passerin. de *Elect. cap. 24. n. 16.* Wagnereck in *Exeg.* ad *cap. bonæ 4. h. t. v. si enim postquàm* & communissimè DD.

30 An verò etiam tunc variare possint postulantes, quando postulatus in Postulationem eatenùs, quatenùs poterat, consensit? Dubium esse, dicit Passerinus *cit. cap. n. 17.* non ab aliquo hactenùs tracta-
31 tum. Ratio verò dubitandi est: quia, licèt Postulatio non det jus ad Prælaturam, viam nihilo minùs ad illam parat, & dat posse velut proximum, ac tale, ut non desint, qui dicant, Superiorem teneri Postulationem admittere, si concors sit, & Ecclesiæ utilis ac necessaria. Hoc igitur posse proximum, dignum æstimatione, si donetur, & donatio acceptetur, non poterit, salvâ conscientiâ, revocari: quia donatio acceptata est irrevocabilis.

At infirmior est hæc ratio, quam ut recessum à
32 regula evincat. Enimverò illud posse proximum non confertur à Postulatione, sed antehàc jam adfuisse supponitur: eò quòd Postulatio ex parte postulantium nec esse nec posse tribuat, sed omnem vim
ac virtutem ex gratia Superioris adipiscatur. Neque verum est, quòd postulantes postulato Postu- 33
lationem donent per modum pacti vel conventionis, sed illius consensum per modum conditionis sinè qua non eô fine requirunt, ut sciant, an Postulationem in eventum ratihabitionis, à Superiore impertiendæ, acceptare velit. Passerin. *d. num. 17.* P. Engel ad *h. t. num. 5.*

Existimo tamen cum Glossa in *cap. bonæ 3. v. in tanta*, quam citat, & tuetur Passerin. *cit. l. num. 19.* 34
postulantibus in foro conscientiæ non licere, sinè causa rationabili à Postulatione recedere, sive jam præsentata sit postulato, & acceptata, sive non. Non enim negari potest, quin talis recessus tam postulato, quàm postulantibus probrosus sit: cùm isti, quod semel placuit, inconsultò revocent; ille verò, de quo suspicio nasci potest, ne fortè intereà impedimentum aliquod innotuerit, dispendium subeat suæ existimationis. Ut adeò procedere hic debeat regula ex 35
cap. mutare 33. de R. I. in 6. in alterius detrimentum consilium mutari non posse. Adstipulantur Leurenius *q. 212. n. 5.* & Reiffenstuel *h. t. n. 19.*

Sed, an sumptus, si quos postulatus pro impetranda admissione fecerit, postulantes refundere 36
teneantur? Major est quæstio. Panormitanus in *cap. bonæ 4. n. 13.* P. Verani ad *h. t. §. 2. n. 10.* negativæ patrocinium accommodare videntur, ex duplici ratione: primò, quòd magis suum, quàm Ecclesiæ negotium gesserit: secundò, quòd nulla necessitas, sed vanitas & ambitio fuerit, expensas erogare pro dignitate, ad quam nullum suppetebat jus, obtinenda. Passerinus ex adverso stare, & affirmativam 37
propugnare videtur. Ejus ratio est: tum quia ambitionis insimulari non potest postulatus, quòd ad Prælaturam, ad quam non spontaneâ intrusione, sed DEI ordinatione, per Vota Capituli præsumptivè manifestatâ, se vocatum agnoscit, consequendam, licita apponat media: tum quia ambitio, si quæ lateret, non officeret, quò minùs impensæ, in gratiam Capituli magis, quàm commodum proprium factæ, repeti possint à Capitulo, quod suô dissensu & illicitâ variatione illarum causa est.

Posteriori sententiæ cum Leurenio *q. 213.* & P. 38
Reiffenstuel *cit. l. n. 19.* impensè faveo, si impensæ, pro Postulatione prosequenda, sciente & consentiente Capitulo, sint factæ, juxta textum opportunum in *cap. cupientes 16. §. denique de Elect. in 6.* ibi: *postulantes ipsi concorditer vel discorditer expensas ipsas personis talibus subministrent.* Tunc enim verum est dicere, quòd Capitulum & causa fuerit talium expensarum, & suum illis commodum quæsiverit.

Disi superiùs *postulantes* (validè) *à Postulatione recedere posse, nisi Superiori præsentata jam fuerit.* 39
Enimverò, licèt præsentatio Postulationis, facta Superiori, non majus jus postulato tribuat, quàm ante habuerit: ne tamen postulantes Superiori illudere voluisse præsumantur, nequeunt post præsentationem ampliùs mutare propositum, sed ulteriorem Superioris resolutionem exspectare tenentur *d. cap. bona 4. v. si enim &c. h. t.* Fagnanus ad *cap. bona 3. n. 49. & 50.* D. Braun *h. t. p. 46.*

Si verò Postulatio non tantùm proposita, sed 40
etiam arbitriô Superioris admissa fuerit, jus acquiritur postulato tam ad rem, quàm in re, adeò ut ulteriori Confirmatione opus non habeat *arg. d. cap. bonæ 4. in fin. & cap. gratum 2. h. t.* suppositò, quòd jus Confirmandi penes Superiorem extiterit. Panormitanus, statim citandus. Passerinus *cap. 24. de Elect. n. 6.* Leur. in *foro benef. part. 2. sect. 2. cap. 1. q. 203. num. 2.* Canisius in *summa ad h. t. n. 2.* Joannes Honor.
ibid. num. 9. Quod ideò supponendum: quia in Po- 41
stulatione minùs solenni nova Confirmatio subinde requi-

requiritur: utpote cùm in potestate Superioris, licentiam acceptandi Electionem indulgentis, sæpè non sit, eandem simul confirmare. Panormitanus ad *cap. ad hæc* 1. *b. t. n.* 14.

42 Quæres: an Postulatio à Superiore admitti debeat?

Resp. Postulationem ex debito rigorosæ justitiæ nunquam à Superiore admitti debere per textum rotundum in *d. cap. bona* 4. *v. licèt b. t.* eam tamen ex debito justitiæ legalis admittendam esse, si persona postulata vel necessaria, vel summè proficua credatur Ecclesiæ; &, si negetur, negantem à Superiore, si quem habeat, per implorationem officii compelli posse *arg. cap. nullus* 17. *de Jure Patronat.* quia gratiam facere, quando necessitas vel utilitas suadet, non tam actus gratiæ, quàm justitiæ legalis est. Panormitanus ad *cap. bona* 3. *b. t. n.* 14. Layman *q.* 8. P. Engel *b. t. num.* 3. Leurenius *q.* 229. *num.* 1. & 2. ac novissimè Clariss. P. Schmalzgrueber ad *b. t. n.* 14.

SECTIO II.

De Postulatione Solenni.

SUMMARIA.

43. *Describitur Postulatio solennis.* 44. & *seq. Supponit personam impeditam.* 46. & *seqq. Et impedimentum dispensabile.* 52. *Ostenditur, quale impedimentum sit tale.* 53. & *seq. Doctrina contraria notatur.* 55. *Varia quæsita.* 56. & *seq. Episcopi consecrati solenniter postulandi sunt.* 58. & *seqq. Etiam confirmati.* 62. & *seqq. Non tamen electi.* 72. & *seqq. Neque resignati.* 78. & *seqq. Titulares indigent Postulatione.* 83. & *seqq. Illi, qui licentiam habent, à sua Ecclesia transeundi ad aliam, non indigent.* 92. & *seqq. Multifaria sententia de Cardinalibus non Episcopis.* 100. & *seqq. Concluditur, quòd solenniter postulari non debeant.* 100. & *seqq. Sed insolenniter.* 113. & *seqq. In Postulatione una ex triplici Electionis forma est adhibenda.* 118. & *seqq. Si adhibeatur scrutinium, & Postulatio sit sola, sufficit consensus majoris partis.* 120. & *seqq. Textus oppositi conciliantur.* 123. & *seq. Sin autem Postulatio cum Electione concurrat, duæ tertiæ requiruntur.* 126. & *seq. Multiplices responsiones ad* cap. 40. De Elect. *refutantur.* 137. & *seqq. Electio, à majori, quàm tertia parte celebrata, in tali concursu sustinetur.* 142. & *seqq. Exponitur textus in* cap. un. h. t. in 6. 146. & *seqq. Postulatio debet intra octiduum intimari postulato.* 148. & *seq. Et iste suum animum intra mensem declarare tenetur.* 150. & *seqq. Pœna in eos, qui postulant indignum, statuitur.*

§. I.

Quid sit Postulatio solennis; & quinam solenniter postulari possint, & debeant?

43 POstulatio ex receptissimo Classicorum more dividitur in Solennem, & minùs Solennem, seu Simplicem. De minùs Solenni dicemus *in sect. seq.* Solennis, de qua in ista *sect.* est petitio Capituli, ad Superiorem directa, ut personam, impedimentô Canonicô ligatam, ad Prælaturam Ecclesiæ viduatæ dispensativè admittat.

44 Dixi: *ut personam, impedimentô Canonicô ligatam &c.* Debet itaque persona, solenniter postulanda, verò impedimentô Juris, quod ipsam efficiat ineligibilem, ligata esse, adeò tamen, ut in illo impedimento possit & soleat dispensare Superior. Debet quoque in Postulatione, ad Superi- 45
orem destinatâ, illud impedimentum, imò, si plura subsint, omnia sigillatim exprimi, quatenùs Superior dispensans sciat, an admissionem, vel potiùs rejectionem postulatus mereatur. Ex quo

Deducitur I. personam, quæ laborat impedimen- 46
tô, ex Jure Divino vel Naturali inductô, quale est v. g. infidelitas, hæresis, amentia, furor, ruditas, & omnimoda literarum carentia, postulari non posse. P. Laymann *cit. l. q.* 2. P. Engel ad *b. t. num.*
10. P. König *ibid. n.* 7. Ratio est: quia incassum 47
postulatur dispensatio, & gratia petitur gratis, quam Superior concedere nequit. Sed quando persona postulanda laborat impedimentô, ex Jure Divino vel Naturali oriundô, nequit Superior gratiam vel dispensationem concedere. Ergo &c.

Deducitur II. personam, impedimentô Canoni- 48
cô, & à Lege tantùm Ecclesiastica introductô, sed tali, in quo dispensari non soleat, ligatam, non re-
ctè postulari. Authores *cit.* Ratio est: quia postu- 49
lantes abutuntur suâ potestate, parvi habent utilitatem Ecclesiæ, imò damnificant Ecclesiam, talem personam postulandô, cum qua dispensari non solet: donec enim Postulatio Superiori intimetur, & illius admissio frustra speretur, Ecclesia, pastore destituta,
multisque periculis exposita manet. Hujus generis 50
impedimenta sunt cassatio Postulationis ob vitium personæ *cap. gratum* 2. *b. t.* bigamia *cap. nisi* 10. *circa med. v. persona verò irregularitas de Renuntiat.* mutilatio *cap. exposuisti* 6. *de Corpore Vitiat.* violatio interdicti Ecclesiastici *cap. ad hæc* 1. *b. t.* ætas minor 27. annis respectu Ecclesiarum Cathedralium *Extravag. un. b. t. inter commun.* Professio Religiosa, in Ordine Mendicantium emissa, respectu Ecclesiarum Cathedrali inferiorum *d. Extravag. un.* Et denique omnia impedimenta, quæ oriuntur ex crimine, de quibus in *cap.* 1. *à num.* 248. per *cap. gratum* 2. *b. t.* & *cap. scriptum* 40. §. *si verò de Elect.*

Quod autem priùs de ætate 27. annorum respectu 51
Cathedralium Ecclesiarum vigore *Extravag. un. b. t.* diximus, id ad Magnos Principes non pertinere, in facto consultus docuit P. Wex, ut legendum est in *Ariadne Carolina Canon. p.* 4. *decad.* 1. *casu* 2. vel quòd nunquam similes Magnates comprehenderit; vel quòd per consuetudinem contrariam eadem Extravagans fuerit immutata, vel potiùs (ut sentiunt P. Wiestner ad *b. t. n.* 9. & P. Schmalzgrueber *ibid. num.* 7.) quòd ejusmodi personæ jam antecedenter dispensationem super ætate impetraverint.

Deducitur III. postulari posse & debere, qui 52
patiuntur defectum dispensabilem, cujusmodi sunt defectus natalium *cap. innotuit* 20. *de Elect.* defectus Ordinis requisiti *arg. cap. dudum* 22. *eôd. tit.* defectus ætatis *arg. cit. Extravag. un. b. t.* defectus Professionis Religiosæ in eodem Ordine, in quo Prælatura vacat *Clem. cùm ratione* 1. *de Elect.* Videantur Panormit. ad *cap. ult. b. t. n.* 8. *propè fin.* Fagnanus in *cap. bona* 3. *à n.* 16.

De cætero non satis assequor, quô fundamentô 53
asserat P. Verani *b.* 1. §. 1. *n.* 6. quòd Laici, illegitimè nati, non-professi, Episcopi &c. de quibus statim, nec eligi nec postulari possint: sic enim sequeretur, Postulationem in nullo casu possibilem esse: utpote cùm alii casus, præter relatos, excogitari
nequeant. Certè non est reperiendus textus, qui per- 54
sonas enumeratas arceat à Postulatione: quin potiùs è contrario colligitur ex data regula, ejusmodi personas, cùm impedimentô dispensabili laborent, postulabiles esse, uti *cit.* Author ipsemet admittit §. 2. *num.* 1. & *seqq.*

§. II.

§. II.

Qualiter Episcopi postulari debeant?

55 Quæstio esse potest I. de Episcopis Consecratis. II. de Confirmatis. III. de Electis. IV. de Resignatis. V. de Titularibus, quales in nostris partibus sunt Episcoporum Suffraganei. VI. de illis, qui a S. Pontifice licentiam impetrârunt, ab Episcopatu suo ad alium transeundi. Atque ut singulas quæstiones in singulari expediam,

56 Dico I. Episcopi Consecrati solenniter postulandi sunt. Ita universi. Textus complures sunt *in cap. Ossius* 10. *& seq. Dist.*61.*cap. bonæ memoriæ* 3.*&* 4.*h. t.cap. bonæ memoriæ* 23.*cap in causis* 30.*cap.scriptum* 40.*de Elect. cap.post translationem* 11. *de Renuntiat.*

57 Ratio datur in *cap. inter corporalia* 2. *& cap. ult. de Transl. Ep.* quia inter Episcopum & Ecclesiam intercedit matrimonium spirituale, quod in Electione initiatum, in Confirmatione ratum, in Consecratione consummatum dicitur: ratione hujus Episcopus Consecratus tenetur adhærere Ecclesiæ, sicut vir uxori; nec potest Ecclesiam, quemadmodùm nec maritus uxorem, dimittere prius, quàm vinculum matrimonii solutum fuerit *cap. sicut vir* 11. *VII. q.* 1. Ergo Episcopus Consecratus, tanquàm persona impedita, non potest eligi, sed postulari debet.

58 Dico II. Episcopi, Confirmati tantùm, æquè ac Consecrati, postulari debent. Ita rursum universi. Textus & ratio in *cit. cap. inter corporalia* 2. & *cap. ult. de Transl. Episc.* quia videlicèt spirituale matrimonium Episcopi cum Ecclesia quoad substantiam jam est ratum & perfectum, post eaquam Confirmationem adeptus est: sicut matrimonium carnale viri cum fœmina jam est perfectum quoad substantiam, quando per mutuum consensum de præsenti ratum & confirmatum est: non
59 minùs enim Episcopus per Confirmationem acquirit jus in re in corpore mystico suæ Ecclesiæ, quàm conjuges per consensum mutuum de præsenti jus in re in corpore carnali. Ergo, sicut matrimonium ratum inducit vinculum, ab alio, quàm Summo Pontifice, non solubile: ita & Confirmatio producit ligamen, aliâ, quàm authoritate Pontificiâ, inextricabile.

60 Neque refragatur textus in *cap. quoniam* 1. *Dist.* 100. ubi, dum Pontifex asserit, Ecclesiam Episcopalem ante Consecrationem adhuc esse *viduatam*, concludi posse videtur, ante Consecrationem necdum esse absolutum matrimonium Episcopi cum Ecclesia: quippe cùm Ecclesia non rectè dicatur *vi-*
61 *dua*, quæ sponsum de præsenti habet. Nam authenticam explanationem hujus textûs ipsemet Innocentius III. in *cit. cap. inter corporalia ℣. sed neque istud &c. de Transl. et.* suppeditat, quòd videlicèt Ecclesia non intelligatur vidua, quasi sponsum non habeat, sed, *quia sponsus ejus nondum sit Consecratus, adhuc quoad quadam quasi viri maneat solatiô destituta: sicut juxta communem modum loquendi dicitur Ecclesia viduata, quæ, licèt Episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere.*

62 Dico III. Episcopi, tantùm Electi, non postulandi, sed eligendi sunt. Abbas in *cap. ult. h.t. n.*7. *℣. Secundò.* Pasler. *de Elect. cap.*24. *n.* 36. Leur. *q.* 221.*n.*3. Schamb. *ad h.t.n.*10. Ratio est I. quia, ubi non est verum matrimonium, non est ligamen conjugale. Sed inter Episcopum Electum tantùm & Ecclesiam non est verum matrimonium per *cap. ult. de Transl. & cap. cùm inter* 21. *de Elect.* in quibus locis dicitur, inter Episcopum Electum & Ecclesiam *matrimonium initiari, & quasi conjugale vinculum spiritualiter contrahi*: quia scilicèt per consensum in Electionem solummodò jus ad rem, non etiam in re consequitur Episcopus juxta *cap.*1. *n.* 481. Ergo nullum
est ligamen conjugale, quod Electioni refragetur. Ratio est II. quia, qui liberè transire potest ad Ecclesiam, ad quam per vota Capitularium vocatur, ille postulari non debet. Sed Electus tantùm liberè potest transire ad Ecclesiam, ad quam per vota Capitularium vocatur, eô ipsô, quòd Electioni ante Confirmationem liberè renuntiare possit, secundùm apertam declarationem *cap. si Electio* 26. *de Elect. in* 6. Ergo &c. 63

Oppones I. non est vinculum majus inter Episcopum Consecratum cum Ecclesia, quàm inter Episcopum Electum tantùm, prout ex *cit. cap. inter corporalia de Translat.* deducitur, ibi: *non est majus vinculum Episcopi ad Ecclesiam, quàm Electi, maximè cùm fuerit Confirmatus.* Ergo non minùs Electus, quàm Confirmatus & Consecratus Episcopus, solenniter est postulandus. 64

Resp. esse utique majus vinculum Consecrati, quàm Electi tantùm: cùm Consecratus Confirmationem, & cum ista jus in re acquisitum habeat; Electio verò, solitariè spectata, præter jus ad rem operetur nihil. Neque in *alleg. loc.* aliquid aliud constitutum reperio: cùm, textu integrô perlectô, deprehendam, non cum Electis tantùm, sed cum Electis & Confirmatis ex una, nec non Consecratis ex altera parte, quoad paritatem vinculi matrimo- 65
nialis collationem fieri, ut innuunt verba: *sicut autem Episcopus Consecratus suam non debet Ecclesiam relinquere, sic & Electus Confirmatus: cùm non debeat in dubium revocari, quia post Electionem & Confirmationem Canonicam inter personas Eligentium & Electi conjugium sit spirituale contractum.* Et paulò pòst: *sicut ergo Episcoporum translatio, sic & Electorum post Confirmationem (spiritualis conjugii ratione)* 66
soli est Romano Pontifici reservata. Et licèt particula *maximè* ut plurimùm implicativa & augmentativa sit, includens duos casus, unum magis & alterum minùs dubitabilem, ut notavit Barbosa in *tract. de* 67
*Diction. usufrequent. dict. maximè n.*1. *& seqq.* Nihilominùs quandoque etiam *taxativè* ponitur, ac idem significat, quod *tantùm*: quandoque verò ex superabundanti ad majorem explicationem & dilucidationem usurpatur per textum in *l. pen. in ℣. maximè circa ultima elogia Cod. de Testament.* Barbosa *cit. l. n.*8. *&* 10. 68

Oppones II. sicut se habent sponsalia ad matrimonium carnale, sic se habet Electio ad matrimonium spirituale *arg. cit. cap. ult. de Transl. & cap. cùm inter* 21. *de Elect.* Atqui sponsalia constituunt impedimentum impediens matrimonii carnalis, & sponsalia de futuro respectu alterius sponsæ non tantùm prohibent, sed etiam irritant. Ergo & Electio erit impedimentum impediens matrimonii spiritualis, & Electionem respectu alterius Ecclesiæ non tantùm prohibitam, sed etiam irritam faciet. 69

Resp. inter sponsalia & Electionem esse similitudinem non sinè dissimilitudine. Similitudo est, quòd non secùs Electio, quàm sponsalia, producat jus ad rem, ratione cujus Ecclesia Electo ita desponsetur, ut absque injuria nequeat alteri des- 70
ponsari. Dissimilitudo est, quòd sponsalia mystica, per Electionem contracta, constent unilaterali tantùm, vel, si loqui placeat, bilaterali, sed conditionatô tantùm consensu, quatenùs non Ecclesiæ (seu Electoribus Ecclesiæ nomine) sed Electo liberum est, aut cedere, aut Confirmationem petere *cap. si Electio* 26. *de Elect. in* 6. At sponsalia carnalia absolutô & mutuô sponsi & sponsæ consensu perficiuntur; à quibus proinde, sinè mutuo dissensu, resilire, nec sponso nec sponsæ regulariter est concessum. 71

72 Dico I V. Episcopi Resignati ad aliam Ecclesiam Cathedralem non Postulatione, sed Electione promovendi sunt. Abbas in *cap. ult. h.t.num.7.* Passerinus *d. cap. n.35.* Reiffenstuel ad *h.t.n.38.* Ratio petitur tam ex *d. cap. inter corporalia de Translat.* ubi supponitur, Episcopum Resignatum esse nullius Ecclesiæ Episcopum, atque adeò ab omni
73 vinculo conjugii liberum: quàm ex *cap. nisi* 10. *de Renuntiat. in fin.* ubi supponitur, per facultatem resignandi, à S. Pontifice acceptam, dissolvi nexum cum Ecclesia; alioquin ejusdem Ecclesiæ duo Episcopi, atque ejusdem uxoris duo forent sponsi contra *cap. sicut vir* 11. & *cap. sicut alterius* 39. *VII. quæst.* 1.

74 Dices: Episcopi, semel Consecrati, characterem indelebilem receperunt, vi cujus retinent perpetuum jus ad suam Ecclesiam, ad quam redire post mortem deberent, si illos à mortuis resuscitari contingeret, ut notat Zoësius ad *tit. de Translat. n.3.* Ergo, non obstante renuntiatione, Episcopi manent alligati suis Ecclesiis, & sic ineligibiles.

75 Resp. ex sensu & sententia S. Pontificis in *cit. cap. inter corporalia* Consecrationem non superaddere majus vinculum Episcopo, jam Confirmato; adeóque nec charactere indelebili vinculum, Confirma-
76 tione inductum, roborari. Nec crediderim, Episcopum Resignatum, si moreretur, & à mortuis resurgeret, debere ad suam Ecclesiam redire: sequeretur enim contra *cit. cap. sicut vir* & *cap. sicut alterius*, quòd Ecclesia esset binuba, & duorum ma-
77 ritorum sponsa. Nec (quod amplius est) crediderim, Episcopum, sinè resignatione mortuum, ad relictam Ecclesiam accessum habere, posteaquàm alteri desponsata est: cùm & illô casu necessum foret, bina matrimonia cum una & celebrari & continuari.

78 Dico V. Episcopi Titulares (si privilegium eligibilitatis non habeant, sicut communiter habere dicuntur) æquè ac actuales, postulari debent. Gonzalez ad *cap. cit. inter corporalia sub num.3.* P. Wiestner ad *h. tit. num.11.* P. Reiffenstuel *ibid. num.41. &*
79 *seqq.* P. Verani *eôd. tit.* §.2. *num.7. &* 8. Ratio est: quia Episcopi Titulares, sicut actuales, sunt veri Episcopi per *cap. legimus* 24. ℣. *ubicunque Dist.* 93. *cap. sicut alterius* 39. *cap. pastoralis* 42. *VII. q.*1. Concil. Trid. *sess. 14. de reformat. cap.* 1. Ergo habent verum matrimonium cum sua Ecclesia, in partibus infidelium existente, utpote ad quam ordinari, & instar aliorum Episcoporum consecrari solent, ut constat ex Pontificali Romano *tit. de Consecrat. Electi in Episc.*

80 Instabis: ubi non acquiritur jus in re, non contrahitur matrimonium. Sed Episcopis Titularibus non acquiritur jus in re in Ecclesiis, infidelium potestati subjectis: nam tales Ecclesiæ, cùm careant Clero & populo *Clement. in plerisque* 5. *de Elect.* Concil. Trident. *cit. sess. cap.* 2. carent quoque juribus Episcopalibus, quæ sinè Clero & populo nequeunt exerceri.

81 Resp. negandô minorem. Nam Episcoporum Titularium Ecclesiæ, quantumvis infidelium ditioni suppositæ, manent adhuc Ecclesiæ Cathedrales per *cit. Clement.* ℣. *Volentes igitur &c.* possúntque, disponentibus Superis, & coadjuvantibus Principibus Christianis, denuò ad manus Catholicorum transferri: quô casu Episcopi Titulares vi sui matrimonii tenentur ad tales Ecclesias se conferre, illisque velut sponsis cohabitare *cap. sicut alterius* 39. *& cap.*
82 *pastoralis* 42. *VII. q.* 1. Quamvis igitur tales Ecclesiæ actu nec populum nec jura spiritualia habeant; habent nihilo minùs in habitu & radice: sicut, si unus ex conjugibus, alterô consentiente, Religionem solenniter profiteatur, jura conjugalia non in actu & exercitio, sed in habitu tamen & radice persistere dicuntur.

Dico VI. Episcopi, qui licentiam à Sede Apo- 83
stolica impetrârunt, à sua Ecclesia ad aliam transeundi, liberè possunt eligi. Laymann *quæst. Can.* 10. *resp.* 1. Ratio est: quia Episcopi ideò postulari debent, quòd nequeant sinè consensu S. Pontificis à suis Ecclesiis discedere. Ergo, si licentiam à Sede
Apostolica obtinuerint, à sua Ecclesia ad aliam tran- 84
seundi, postulari ampliùs non debent. Confirmatur. Qui privilegium eligibilitatis est assecutus, ille est eligibilis. Sed, qui licentiam à Pontifice habet, suam dimittendi Ecclesiam, privilegium eligibilitatis est assecutus. Ergo &c. Promove-
tur argumentum. Qui facultatem habet, suam de- 85
serendi uxorem, ille potest pro suo lubitu aliam ducere. Ergo etiam, qui facultatem habet, suam deserendi Ecclesiam, ille potest pro suo lubitu ad aliam accedere. Sed, qui ad Ecclesiam, in qua fit Electio, suô arbitriô potest accedere, ille, tanquàm non impeditus, est reverà eligibilis. Ergo &c.

Dices cum Authoribus adversæ sententiæ, inter 86
quos est Panormitanus ad *cap. ult. de Translat. Ep. n.*18. Magnif. D.P König ad *h. t. n.*8. I. qui adhuc ligatus est vinculô spiritualis matrimonii, nondum est eligibilis. At, qui licentiam obtinuit, transeundi ad aliam Ecclesiam, adhuc ligatur vinculô spiritualis matrimonii, utpote quod non ex toto, sed tantùm ex parte sublatum est, quatenus Episcopus, tali licentiâ instructus, statim Postulationi consentire potest, antehàc consentire prohibitus *cap. cupientes* 16. §. *denique de Elect. in* 6. Ergo &c.

Resp. negandô minorem. Enimverò licentia tali- 87
ter transeundi ita est interpretanda, ut vero simili menti dantis & petentis conveniat. Sed verosimilis mens petentis talem licentiam est, desiderare solutionem impedimenti, ut absque dispensatione eligi possit, nec Postulatione indigeat: similiter & mens est concedentis, ut petens in casu, quô ad novam vocaretur Ecclesiam, non obstante ligamine, fieret eligibilis. Ergo impedimentum non ex parte, sed
ex toto sublatum est. Certè qui jus habet, ex Po- 88
stulatione quæsitum, is capax ejuscemodi juris esse debet. Cùm igitur ex ipsa Adversariorum confessione Episcopus, licentiam transeundi consecutus, habeat jus quæsitum, ratione cujus nec postulantes variare, nec Pontifex approbationem denegare potest, ille erit capax ejuscemodi juris, & ita liber ab impedimento, cum quo capacitas illa componi nequit.

Dices II. in *cap. ult. de Translat.* refertur casus de 89
Episcopo Hildesiensi, quòd ille vigore licentiæ, quam à Pontifice habebat, transeundi ad aliam Ecclesiam, à Canonicis Herbipolensis Ecclesiæ vocatus, absque ulteriori Sedis Apostolicæ comprobatione, authoritate propriâ ad Ecclesiam Herbipolensem transiverit: & tamen Innocentius III. (ut videre est in lectura integra apud Gonzalez *in cit. cap.*) jubet illum Episcopum excommunicari. Quod signum est perspicuum, eum postulandum, non eligendum fuisse.

Resp. I. in casu proposito non absolutam licen- 90
tiam Episcopo Hildesiensi indultam fuisse, ad quamcunque Ecclesiam transeundi, sed limitatam, transeundi nimirum ad Ecclesiam majorem; ibi: *cùm in ea* (licentia) *sit expressum, quòd, si ad majorem vocaretur forsitan dignitatem, eam sibi liceret assumere. Unde* (inquit Pontifex in *cit. textu*) *licèt forsitan aliquibus videatur*) ecce! non reprobat, sed potiùs ut probatam nostram agnoscit sententiam) *in indulgentia ipsius occasione ad dignitatem possit transire majorem, ad parem tamen ipsi transire non licuit:*

cùm

cùm in majori dignitate propter majorem utilitatem faciliùs soleat dispensari.

91 Resp. II. in casu relati *cap.* non tam de forma & modo eligendi aut postulandi, quàm de Confirmatione electi, aut postulati sermonem esse. Cùm enim S. Pontifex in concessione licentiæ expresse sibi reservâsset examen non solùm Postulationis, sed etiam personæ postulatæ, in verbis: *dummodò nihil ei de Canonicis obviet institutis &c.* Episcopus autem Hildesiensis, ante impetratam vel petitam Confirmationem, relictâ Hildesiensi, ad Herbipolensem Ecclesiam, *propriâ temeritate*, migrâsset: sanè diras & indignationem Apostolicam ob temeritatem & inobedientiam ex merito sibi conscivit.

§. III.

Num Cardinales S. R. E. postulari, an eligi debeant?

92 Disceptatio hæc non de Cardinalibus Episcopis,
qui citra controversiam postulandi sunt; sed de Car-
dinalibus Presbyteris & Diaconis movetur. Autho-
93 res, si consulas, in varias sectas divisi sunt. Fagna-
nus in *cap. bonæ 3. h. t. n. 16. & 73.* P. Wagnereck ad
cap. bonæ 3. h. t. v. prædictum Cardinalem &c. Hostien-
sis, Azor, & alii, quos refert Barbosa *J. E. V. lib.
1. cap. 19. n. 9.* Cardinalem non-Episcopum postulan-
dum esse, asseruerunt: tum quia in *cap. bonæ 3. h.
t.* narratur factum, quò aliqui de Capitulo Presby-
terum quendam Cardinalem; alii Episcopum Immo-
lensem ad Archi-Episcopatum Ravennensem postu-
94 lârunt: tum quia Cardinales, utpote Episcopis
majores, nequeunt ad Episcopatum, ceu mino-
95 rem dignitatem, transire *arg. cap. ult. de Translat.*
tum quia Cardinales non minùs lateri Pontificis,
quàm Episcopi suis Ecclesiis alligati sunt; atque
cum propriis Titulis, in quibus Jurisdictionem
quasi-Episcopalem habent *cap. his quæ 11. de M.
& O.* spirituale fœdus contrahere censentur.

96 Panormitanus ad *cap. Ecclesia 57. de Elect. num.
15.* Gonzalez in *not. ib. n. 2. in fin.* Passerinus de *Elect.
cap. 28. n. 37.* negant, Cardinalem non-Episcopum
esse postulandum *arg. cit. cap. Ecclesia*, ubi propo-
nitur Electio cujusdam Cardinalis, eaque non ex
defectu personæ, quasi Cardinalis impedimentô la-
borâsset, sed ex defectu majoris votorum numeri non
97 approbata reperitur. Et ratio est: quia Cardinalis
caret impedimentô ligaminis cum suo Titulo, cum
quo matrimonialiter non magis conjungitur, quàm
aliquis Prælatus Regularis cum sua Ecclesia.

98 Cardinalis Zabarella, quem allegat Clariss. D. Antecessor, P. Joannes Bapt. Ebberth in suo *Bello certamine 4. numer. 5.* tempora antiqua à posterioribus separat, ac olim Cardinales, tanquàm Episcopis inferiores, eligendos; hodie verò, tanquàm Episcopis superiores, postulandos esse, contendit.

99 P. Laymann *quæst. 12.* P. Leur. *quæst. 22x. num. 1.* P. Pithing ad *h. t. numer. 11.* D. Schambogen *ibid. num. 12. & 13.* Clariss. P. Ebberth *cit. l. num. 25.* Clariss. D. Philippus Braun *h. t. p. 42.* Clariss. P. Wiestner *cap. 16. num. 15.* ac novissimè Clariss. P. Schmalzgrueber ad *h. t. num. 9.* distinguunt inter postulationem solemnem & simplicem; cum quibus & ego distinguo, ac

100 Dico I. Cardinalis non-Episcopus solenniter po-
stulari non debet. Probatur ex *cit. cap. Ecclesia 57.
de Elect.* in quo, juxta integrum contextum, quem
recitat Gonzalez, perhibetur, quòd ex Capitulo
Cathalunensi 14. Magistrum G. Presbyterum Car-
101 dinalem, Canonicum suum, elegerint. Cujus ra-
tio fundamentalis jam supra in *numer. 97.* insinuata
est: quia videlicet Cardinalis non-Episcopus, non
sicut Episcopus cum sua Ecclesia, cum suo Titu-
lo conjugium init: quamquàm enim Jurisdictio-
nem quasi-Episcopalem ibidem obtineat; attamen
eam non tam ex officio pastorali & jure propriò,
quàm ex singulari privilegio S. Pontificis exercet:
quemadmodum Abbates Regulares, & alii, Epi- 102
scopò inferiores, quandoque Jurisdictionem quasi-
Episcopalem in suis territoriis habent, non ex offi-
cio & jure pastorali, quasi illorum munus ad hoc
institutum & creatum esset, sed ex speciali præro-
gativa & indulgentia S. Pontificis. Neque enim 103
ad alios Prælatos, quàm Episcopos, pertinet, quod
Apostolorum Doctor *Actor. cap. 20. v. 28.* pronuntia-
vit: *attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spi-
ritus Sanctus posuit* Episcopos, *regere Ecclesiam DEI,
quam acquisivit sanguine suo.*

Confirmatur. Episcopus duplici potestate fulget, 104
Ordinis & Jurisdictionis. Et licèt una sine altera
subsistere possit, ut patet in Episcopo Confirmato
tantùm; attamen, qui potestatem Jurisdictionis ac-
quisivit, ad acquirendam potestatem Ordinis (nisi
dispensetur) sub pœna privationis est obligatus
cap. quoniam 1. Dist. 100. Atque hæc utraque 105
potestas integrat & perficit matrimonium spiritua-
le Episcopi cum Ecclesia: cùm non sufficiat, Ju-
risdictione tantùm populum regere, sed etiam ne-
cessum sit, administratione Sacramentorum, con-
secratione, & benedictione (quæ functiones ex
potestate Ordinis fluunt) juvare, fovere, auxi-
liari. Cùm itaque una tantùm potestas, scilicèt Ju- 106
risdictionis, resideat penes Cardinales non-Episco-
pos; altera verò, nempe Ordinis, nec resideat, nec
residere possit aut debeat, non est verum matrimo-
nium inter Cardinales & suos Titulos.

Neque verum est, quòd Cardinales Episcopis sim- 107
pliciter majores sint: sive enim potestatem Ordinis
sive Jurisdictionis respicias, Episcopalis dignitas
Cardinalitiæ præcellit. Unde in *cap. un. §. per frontis
de Sacr. unct. Summi Sacerdotes & Vicarii Apostolo-
rum nuncupantur.* Ipse quoque S. Pontifex non Car- 108
dinalem, sed Episcopum se nominat; nec Cardinales
non-Episcopos suos fratres, sed solos Episcopos vo-
cat per *cap. quàm gravi 6. de Crim. falsi*: quoniam
Episcopatus est quasi genus ad Summum Episcopa-
tum, & Episcopatus subordinatos. Sunt ergo Car- 109
dinales tantùm secundùm quid, & officiò magis
quàm dignitate Episcopis superiores, quatenùs S.
Pontificis intimi Consiliarii sunt, nec tantùm parti-
cularis, sed universalis Ecclesiæ curam & sollicitu-
dinem gerunt. P. Engel ad *tit. de M. & O. n. 18.*

Dico II. Cardinalis Presbyter vel Diaconus sim- 110
pliciter seu minùs solenniter postulandus est. Ita
intelligo textum in *cap. bonæ memoriæ 3. h. t.* in
quo Cardinalis Presbyter S. Praxedis unà cum Epi-
scopo Immolensi postulatus fuisse refertur, non quòd
utraque Postulatio solennis, sed una, quæ Cardinalem
concernebat, simplex & insolennis; altera, quæ Epi- 111
scopum tangebat, solennis fuerit; ut patet ex diver-
sitate rationis, quam ibidem assignat Pontifex, dum
Cardinalis Postulationem ideò solùm rejecit: quia il-
lius præsentia utilior credebatur *non solùm Romanæ,
sed etiam Ecclesiæ generali, tam apud Apostolicam
Sedem, quàm apud Ecclesiam Ravennatem*; Episcopi
autem Postulationem propterea cassavit: quia com-
petentem votorum numerum non habebat. Et 112
ratio ulterior est: quia, sicut Prælatus Regularis
suo Monasterio annexus, & Religiosus suo Præla-
to subjectus est, ratione cujus nequeat unus aut alter
in sui Electionem, ante permissionem Superioris, con-
sentire; sicque insolenniter postulari debeat uterque:
ita & Cardinalis, suo Titulo adstrictus, magis tamen
lateri S. Pontificis alligatus, eique subjectus est,
ut

ut nequeat, illô nesciente vel invitô, discedere, aut Electioni ad aliam Ecclesiam consensum præstare: unde postulari debet, sed simpliciter seu insolenniter.

§. IV.

Quâ formâ in Postulatione solenni utendum sit?

113 Dico I. In postulatione, sicut in Electione, una ex tribus formis, in *cap. quia propter* 42. *de Elect.* præfixis, servanda est. Ita contra Passerinum *cit. cap. num.* 9. Canisium in *summa h. t. n.* 3. Pirhing *h. t. n.* 31. Leurenium *q.* 205. *n.* 1. Reiffenstuel *h. t. n.* 59. & alios, qui putant, sufficere, quòd Capitulum collegialiter, nullô contemptô congregatum, suam voluntatem quomodocunque manifestet, ducent Innocent. ad *cap. in causis* 30. *de Elect. num.* 8. Panormitan. ad *cit. cap. quia propter num.* 9. P. König *h. t. n.* 9. P. Wiestner *ibid. n.* 9. Layman in *quæst. can.* 8. Joann. Honor. ad *h. t. num.* 1. P. Schmalzgrueber ad *h. t. num.* 17.

114 Ratio est I. quia ex *num.* 4. Electio & Postulatio inter se connexionem habent, & subordinationem: ut adeò, quæ de Electione disposita sunt, ad Postulationem quoque, cæteris paribus, trahenda
115 sint. II. quia frequentiùs Electio cum Postulatione concurrit; sicque modus, in Electione servandus, etiam in Postulatione servari debet: alioquin necessum erit, actum individuum dividere, ac di-
116 versâ & monstrosâ formâ celebrare. III. quia prorsus absonum est, Postulationem, quæ odiosa & inaccepta est Juri, planè ex-legem, omnibusque Juris regulis exemptam, proclamare velle.

117 Infertur ex hac sententia, quòd, si Postulatio per scrutinium fiat, debeat aliquis nomine totius Capituli Postulationem hôc vel aliô modô promulgare: *ego N. vice præsentium postulo &c.* sicut de Electione conclusimus *in cap.* 1. *num.* 425. Leuren. *q.* 208. *num.* 1.

118 Dico II. Quando Postulatio per scrutinium instituitur, & sola est, ita ut omnes postulent (licèt personas diversas) nullus eligat, major pars votorum respectu totius Capituli sufficit. Panormitanus ad *cap. bonæ* 3. *h. t. n.* 12. Gonzalez *ibid. num.* 14. P. Engel *h. t. num.* 6. *in fin.* P. König *eôd. tit. n.* 5. P. Wagnereck ad *cit. cap. v. à minori quàm tertia parte &c.* P. Wiestner *n.* 26. P. Schmalzgrueber *num.* 19. contra Ho-
119 stiensem & paucos alios. Ratio unica, sed sufficiens est: quia ex generali regula, in *cap. cùm in cunctis* 1. *de his, quæ fiunt à majori parte &c.* & *l. quod major* 19. *ff. ad Municipal.* tradita, in actibus Universitatis quà talis sufficit majoris partis consensus: à qua regula, cùm actus Postulationis, si sola sit, nullibi reperiatur exceptus, sed potiùs sub regula *in cap. quia propter* 42. *de Elect.* tacitè comprahensus, actum agit, qui plura, quàm majoris partis Capitularis vota, requirit in Postulatione.

120 Oppositum innuere videntur textus in *cap. bonæ* 3. & *cap. bonæ* 4. *h. t.* in quorum priore Innocentius III. reprobat Postulationem, à minure quàm tertia parte factam, ex ratione: *quòd Sedes Apostolica non consueverit in tanta divisione ac contradictione* Postulationem *recipere: cùm etiam, quando aliquis ab aliis unanimiter postulatur, ad admittendam Postulationem eorum non tam ex justitia quàm gratia moveatur*: in posteriore autem jubet idem Pontifex, ut Capitulum Strigoniense *per Electionem Canonicam, vel Postulationem concordem* de Archi-Episcopo sibi provideat.

121 Sed neuter ex his textibus fovet intentum. Nam prior Postulationem, à minuri quàm tertia parte factam, non ideò rejicit: quia unanimis omnium consensus est necessarius; sed quia, non attentô unanimi omnium consensu, Postulatio adhuc est actus gratiæ non justitiæ. Adeóque datur intelligi, quòd, cùm Postulatio ex necessitate non debeat admitti, quando singuli conformiter postulârunt; multò minùs admitti debeat, quando ne tertia quidem pars in Postulatione concordavit: cùm aliàs gesta à minori, quàm tertia parte, non censeantur gesta à tota universitate.
Posterior textus per *concordem Postulationem* non 122
desiderat singulorum, sed majoris partis de Capitulo consensum, à minori parte non impugnatum, juxta explicationem, in *cap.* 1. *num.* 497. datam.

Dico III. Quando Postulatio per scrutinium in- 123
stituitur, nec sola est, sed cum Electione concurrit, adeò ut quidam ex Capitularibus eligant, quidam postulent, non sufficit major pars votorum, sed duæ tertiæ, sicque ex 24. sexdecim consentire debent.
Hæc sententia semper erat communissima, uti per- 124
spiciendum est ex prolixissimo DD. syllabo, quem pandunt Clariss. & Colendissimus D. Collega de Wolleren *Quæst. Select. Oenipont. q.* 5. *num.* 13. ac P. Wex *loc. inferius citandô*, & hodie certissima est, utpote decisione Apostolicâ Innocentii XI. Pontificis Sanctissimi in Electione Coloniensi demortui Serenissimi Electoris annô 1688. die 15. Septembris roborata.

Textus, ad propositum appositus, extat in *cap.* 125
scriptum 40. *de Elect.* ubi Pontifex negotium Electionis, cum Postulatione mixtæ, & in Ecclesia Patriarchali Constantinopolitana controversæ, examinandum & dirimendum Maximo Notario delegavit, hâc conditione, ut, si Postulationem duplô majori suffragiorum numerô celebratam fuisse, deprehenderit, eam confirmet; sin verò eos, *qui in Postulationem suffragia contulerunt, ad faciendum duplo majorem numerum simul omnes minimè sufficere, perspexerit, Postulatione repulsâ, Electionem authoritate Apostolicâ confirmet.*

Neque reponas I. cum Passerino, unicô ferè con- 126
trariæ opinionis assertore *de Elect. cap.* 24. *num.* 58. & 61. in hac Decretali non contineri Jus Commune, sed provisionem specialem, & arbitrio partium, hoc est, Capitularium & Electorum Constantinopolitanorum, alligatam: eò quòd Pontifex suo Delegato apertè mandaverit, *ut, si partes consenserint, procedat hôc modô.*

Nam contra est I. quia planè insolitum est, in Ju- 127
re nostro, ut procedendi modus & forma, præsertim in causis arduis & controversis, arbitrio partium relinquatur. II. quia S. Pontifex in *cit. cap.* 128
Notario suo in mandatis dederat, ut postulantes, si fortè indignum postulâssent, potestate eligendi & postulandi privaret: jam verò inauditum est, sententiam pœnalem ex voluntate puniendorum vim & valorem sortiri. III. quia clausula citatæ Decretalis non 129
partes controvertentes, sed Delegati personas respicit; isque & non alius ejusdem sensus est, quòd, si partes in personam Delegati Apostolici consenserint, neque exceptionem suspicionis opposuerint, vel ex causa legitima recusaverint, ille modô, in præfata Decretali præscriptô, causam litigiosam componere debeat. IV. quia, datô non concessô, quòd 130
Epistola illa Decretalis, ceu Rescriptum Justitiæ, solùm ad privatas personas emanaverit, atque inter illas ex proprio consensu jus particulare fecerit: ea nihilo minùs modò Jus Commune facit, dum in Corpus Juris Commune, à Gregorio IX. redacta, instar aliarum Epistolarum Decretalium legislativô valore donata, ac pro schola & foro servari jussa est. Cæteroquin omnes ferè constitutiones, in 5. Libris Decretalium positæ, iis exceptis, quæ ex Conciliis Generalibus depromptæ sunt, vi decisivâ

peri-

periclitarentur : cùm illæ, primitus ad privatos emissæ, jus particulare tantùm fecerint, ac vim decisivam ab eo demum tempore, quô Corpori Juris insertæ sunt, acceperint.

131 Neque reponas II. textum in *cap. scriptum* 40. *de Elect.* tanquam antiquiorem per textum in *cap. quia propter* 42. *eôd.* velut recentiorem eatenus esse abrogatum, ut, qui à majori parte est postulatus aut electus, perinde ac si ab omnibus esset postulatus vel electus, confirmandus sit.

132 Contra siquidem est : quia primis principiis repugnat, in eodem Juris Volumine & Compilatione, in eodem Titulo, in capitulis, ab uno eodemque Legislatore conditis, recantationem adstruere, præterquàm si hoc specificè exprimatur, uti in *cap. ex-*
133 *igit* 2. *& cap. seq. de Consib. in* 6. Cùm etiam in diversa compilatione, in diversis titulis, in capitulis diversorum Legislatorum, expediat potiùs, Jura Juribus concordare, quàm Jus unum per alterum ab-
134 olere, *cap. cùm expediat* 29. *de Elect. in* 6. Accedit, quòd sola ordo scripturæ, seu numeri capitulorum (quamquàm sufficiens foret signum ad dignoscendum, quodnam alterô priùs in lucem emerserit) vim abrogandi non haberet : eò quòd in constitutionibus, in corpore Juris existentibus, non tam ad tempus primæ promulgationis, quàm secundæ, quando omnes simul & semel publicatæ sunt, ordinariè respiciatur. Videatur Clariss. D. Stapf. *Quæst. ex Univ. Jure quæst.* 1. *à n.* 9.

135 Neque reponas III. Postulationem, à tribus ex quinque Episcopis compromissariis factam, Electioni, duobus tantùm suffragiis celebratæ, expressim præferri in *cap. in causis* 30. *de Elect.*

136 Enimverò in allegato textu non scrutinii, sed compromissi forma erat observata, in quo statur pluralitati votorum juxta numerum compromissariorum, utpote qui non tam jure propriô, quàm delegatô eligunt, aut postulant.

137 An autem Electio, in concursu Postulationis, à majore quàm tertia parte celebrata, tanquàm canonica, & jus electo tribuens, subsistat; an magis ex arbitrio Superioris pendeat, vel Electionem vel Postulationem confirmare? Dubitare faciunt divisæ DD. sententiæ. Nihilo minùs affirmativum quoad prius membrum, quòd nempe talis Electio subsistat, in *cit. cap. scriptum* 40. non obscurè resolutam esse, cum Canisio *h.t.n.* 3. P. König *h. t. num.* 5. P. Wiestner ad *h.t.n.* 36. P. Reiffenstuel ad *tit. de Elect. n.* 154. P. Wex in *Ariadne p.* 4. *dec.* 1. *cas.* 1. opinor :
138 tum quia in *ead. cap.* jubet Pontifex, Electionem, cum Postulatione, in qua duæ tertiæ non convenerant, conjunctam, & majori quàm tertia parte celebratam, authoritate suâ confirmari; ideòque supponit, electo jus acquisitum fuisse, non primùm acquirendum : cùm confirmatio non det, sed supponat jus præexistens *arg. cap. cùm dilecta* 4. *de Confir-*
139 *mat. ut. vel inut.* tum quia decisione Innocentii XI. superiùs relatâ Electio Serenissimi Clementis è Domo Bavarica, inquam ex 24. Capitularibus Coloniensibus (è quibus 23. erant præsentes, procuratores ab eo, qui absuerat, constitutô) 9. consenserant, tanquam Canonica, est approbata; & Postulatio Eminentissi-
140 mi Cardinalis de Fürstenberg, ad quam 13. de Capitulo concurrebant, cassata; veluti patet ex resolutione Sacræ Congregationis, sequentem in modum conceptâ : *Sacra Congregatio, rebus Consistorialibus præposita, examinatô authenticô instrumentô, à Canonicis & Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis traditô per Syndicum suum Archi-Episcopo Damasceno, Apostolico ad Tractum Rheni Nuntio, in quo à tredecim ex viginti quatuor Capitularibus Eminentiss. & Reverendiss. Cardinalem de Fürstenberg, Episcopum Argentoratensem postulatum, & à novem ex iisdem Capitularibus Serenissimum & Reverendissimum Josephum Clementem ex Bavaria Ducibus, Episcopum Ratisbonensem & Frisingensem in Archi-Episcopum & Electorem Coloniensem vigore Apostolici indulti eligibilitatis, illi prævie concessi, electum fuisse constat; reliquis duobus suffragiis in alios collatis : omnibus maturè & diligentissimè perpensis, unanimi Patrum sententia censuit, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, præfatâ postulatione de persona ejusdem Cardinalis repulsâ, confirmandam esse Electionem de persona ejusdem Josephi Clementis, cum clausula supplente omnes defectus, quatenùs opus sit : Et, facta relatione, Sanctitas sua Sacræ Congregationis sententiam benignè probavit.* Romæ die
15. Septembris 1688. Cur autem Electio in con- 141
cursu Postulationis valeat, etiam à minori parte celebrata, ratio solet assignari : quia Electio favorabilior est, quàm Postulatio, dum illa recessum à Jure communi facit, ac dispensationem petit in impedimento Canonico; illa quàm proximè Juri Communi accedit, & actûa, legitimè gesti, confirmationem & approbationem exigit. Aliter sentiunt Laymann *quæst. can.* 7. Engel ad *h. t. numer.* 7. Pirhing *ibid numer.* 18. arbitrio Summi Pontificis Postulationem & Electionem committendô.

Dico IV. Quæcunque forma in Postulatione 142
teneatur, non licet has vel similes formulas adhibere : *eligo & postulo*; *postulo eligendum, eligo postulandum &c.* Aliàs irrita est Postulatio & Electio, per expressam constitutionem Bonifacii VIII.
in *cap. un. h.t. in* 6. Ratio est : quòd similes for- 143
mulæ & imperfectionem, & contradictionem, & incertitudinem involvant : ideóque non assistentiam, sed potiùs resistentiam Juris promereantur. Vivianus in *cit. cap.*

Exceptio in ead. constitutione Bonifaciana da- 144
tur, *quando probabiliter dubitatur*, sitne persona, quæ ad Ecclesiam assumitur, eligibilis vel postulabilis; sive deinde sit dubium facti, uti si dubitetur, an compleverit ætatem canonicam; sive dubium Juris, veluti si quis ambigeret, an Cardinalis non-Episcopus postulari debeat : quia nec textus nec ratio distinguere sinit. P. Pirhing hic *n.* 37. *not.* 6.

Debet tamen ita, sub alternatione nominatus, 145
se determinare, num viâ Electionis vel Postulationis incedendum esse, judicet; nec potest, factâ semel determinatione, consilium suum mutare *d. cap. un.*

§. V.

Qualem effectum producat solennis Postulatio?

Ad Effectum Postulationis solennis reduci po- 146
test I. obligatio, quam habent postulantes, ut intra octiduum, si fieri possit, Postulationem intiment postulato, seu veriùs, postulando per *cap. quàm*
sit 6. *cap. cupientes* 16. §. *denique de Elect. in* 6. Nisi 147
suspensionem triennalem à beneficiis incurrere velint *d. cap. cupientes* §. *denique v. & negligentes statuta ibidem similis pœna percellat*, P. Reiffenstuel *h. t. n.* 66. Revideantur dicta in *cap.* 1. *num.* 478.

Reduci potest II. obligatio, quam habet po- 148
stulatus, ut intra mensem animum & voluntatem suam de Postulatione, quoad se factâ, declaret. Quamquàm enim cogi non possit, ut præcisè consentiat Postulationi *d. cap. cupientes* §. *denique*; imò secundùm Abbatem in *cap. ult. h. t. n.* 11. consentire non valeat, (subintellige cum Passerino *cit. cap.* 24. *n.* 13. consensu absolutô) tenetur nihilominùs vel dissentire, aut saltem dicere, quòd arbitrio Superioris sese committat. Passerinus *d. l. n.* 15. ne

Ec-

Ecclesia per longiorem vacaturam grave dispendium
149 patiatur. P. Leur. *q.* x15. Pœnam verò privatio-
nis, in *d. cap. quàm sit 6. de Elect. in 6.* constitu-
tam, non habet, quod timeat: ex quo enim jus nullum
acquisivit, nullum amittere potest. Licèt Superior
ex ea negligentia habeat sufficiens motivum, negan-
di gratiam, & Pnstulationem reprobandi. Passerinus
d. n. 15. Leuren. *q.*216. *num.* 1.

Reduci potest III. pœna, quam subeunt Pnstu-
150 lantes, si indignum, seu defectu indispensabili ir-
retitum, cum effectu postulaverint, quòd nempe
pro illa vice ipsô Jure privati sint jure eligendi &
postulandi, nec non à beneficiis per triennium sus-
pensi *cap. ad hae* 1. *in fin. cap. gratum* 2. *h. t. Extravag.
un. eôd. inter comun. cap. scriptum* 40. §. *si verò de Elect.
cap. quantò* 3. *de Translat.* & *argum.* eorum, quæ de
eligentibus indignum (quibus postulantes ex gene-
rali Electionis & Postulationis connexione æquipa-
rantur) *cap.* 8. *num.* 476. præmissa sunt. P. Pirhing
h. t. n. 27. P. Leuren. *q.* 2x0. *n.* 1. P. Verani ad *h. t. n.* 27.

151 Neque hæc pœna restringenda est cum Passerino
cit. cap. x3. *n.* 30. ad eas Postulatinnes, quæ fiunt de
personis simpliciter incapacibus; sed etiam amplian-
da est ad illas, quibus juxta *n* 51. *& seq.* personæ,
solô Jure positivô inhabiles, non tam facilè dispen-
sabiles, petuntur: utrôque enim casu Postulatio
censetur esse facta de indignis; adeóque & pœna lo-
152 cum habere, in *cit.* textibus statuta. Et licèt in *cit cap.
ad hae* 1. & *cap. gratum* 2. *h. t.* pœna privationis
non dicatur esse latæ, sed ferendæ sententiæ.
153 Resp. tamen cum P. Pirhing *cit. l. num.* 7. esse fe-
rendæ sententiæ, nnn condemnatoriæ, sed declara-
toriæ, adeò ut nnn tam privandi sint postulantes in-
dignum jure postulandi & eligendi, quàm, ut pri-
vati jam anteà, declarandi.

SECTIO III.

De Postulatione simplici seu minùs solenni.

SUMMARIA.

154. *Describitur Postulatio simplex.* 155. *Supponit, personam eligendam esse idoneam.* 156. *Alterius tamen Jurisdictioni subjectam.* 157. *Dispensationem non exigit, sed excludit.* 158. *& seqq. Religiosus ad Prælaturam alterius Monasterii sui Ordinis non eget Postulatione solenni.* 165. *& seqq. Nec etiam ad Episcopatum, vel Prælaturas curatas sæculares.* 168. *& seqq. Explicatur* Clem. 1. de Elect. 172. *& seqq. Prælati Regulares, quando transferuntur ad alias, simplici tantùm postulatione opus habent.* 178. *& seqq. Benedictini & Cistercienses ad Monasteria suorum Ordinum inter se minùs solenniter postulari debent.* 189. *Idem est de Clericis beneficiatis, ab una diœcesi transferendis ad aliam.* 190. *& seq. Indicatur forma Postulationis simplicis.* 19x. *& seq. Recitantur verba constitutionis Bonifacianæ in* cap. 24. de Elect. in 6. 194. *& seq. Declaratur, quænam Electio vel Postulatio censeatur in concordia vel discordia fieri.* 196. *& seq. Explicatur, quænam Postulatio vel Electio, à minori parte celebrata, non possit à Regularibus acceptari.* 204. *Postulationis simplicis, Electionem præcedentis.* x05. *& seq. Item & subsequentis effectus intimatur.*

§. I.

Definitur Postulatio simplex.

POstulatio simplex, seu minùs solennis, est pe- 154
titio Capituli, ad Superiorem directa, ut per-
sonam, de se idoneam, suæ jurisdictioni tamen
subjectam, ad Prælaturam Ecclesiæ viduatæ ac-
cedere permittat.

Dixi I. *personam, de se idoneam.* Unde patet, 155
Postulationem simplicem Electioni simillimam, sed
Postulationi solenni valde dissimilem esse. Nam si-
cut Electio, ita simplex Postulatio, tendit ad per-
sonam idoneam: cùm è diametro Postulatio solen-
nis, ut aliquot jam vicibus est repetitum, personam,
impedimento canonico obnoxiam, supponat.

Dixi II. *suæ jurisdictioni tamen subjectam.* Ut in- 156
dignarem differentiam Electionis & Postulationis
simplicis, quæ cernitur in hoc, quòd Electio per-
sonam sui quodammodò juris & arbitrii ad Prælatu-
ram evehat; Postulatio verò simplex personam, Su-
perioris cujusdam juri & arbitrio subditam, non nisi
cum illius consensu ad honores Ecclesiasticos de-
ducat.

Dixi III. *ad Prælaturam Ecclesiæ viduatæ acce-* 157
dere permittat. Adeóque Postolatio simplex nullam
dispensationem, uti solennis, desiderat, sed nudô
Superioris consensu perficitur. Esse autem differen-
tiam inter dispensationem & consensum seu licen-
tiam: quia per illam infringitur Lex; per illum in-
tacta manet, ex terminis patescit, & explicat Lay-
mann *q. can.* 18.

§. II.

Quinam simpliciter postulandi sint?

In hoc quæsito jam posuimus regulam, illos po 158
stulandos esse, qni carent equidem impedimentô,
sed alterius imperio subjecti sunt. Jam igitur decla-
ratur regula, &

Infertur I. Religiosum ad Prælaturam alterius Mo- 159
nasterii, sui tamen Ordinis, Postulatione minùs solen-
ni assumendum esse per *cap. si Religiosus* x7. *de Elect.
in 6.* ubi ratio subjungitur: quia Religiosi *arbitrium
non ex sua (cùm velle vel nolle non habeat) sed ex
illius, quem vice DEI supra caput suum posuit, & cu-
jus imperio se subjecit, voluntate dependet.* Non tamen 160
cnnsensus Capituli, sed solius Prælati in tali Postu-
latione requiritur, per expressum textum in *cit. cap.
si Religiosus* §. *quia verò.*

Neque existimes cum Immola in *cap. cùm inter* 161
21. *de Elect. n.* 4. Religiosum ad Prælaturam ejusdem
Ordinis extra locum Professionis solenniter postu-
landum esse, propter textum in *cap. Abbatem* 4. &
cap. quàm sit 5. *XVIII. q.* x. ubi tunc demùm extraneum
ad Prælaturas Regulares assumi posse, permittitur,
quando in gremio vacantis Ecclesiæ nullus ido-
neus reperitur. Enimverò recitati textus non asse- 162
runt, extraneos esse inhabiles ad Electionem passi-
vam, sed convenientiam solummodò insinuant, quòd
videlicèt absque sequinri nnta Capitulares non pos-
sint ad Electionem extranei confugere, quàmdiu vel
unus est in Capitulo vacantis Ecclesiæ, qui requisitis
Prælaturæ decoribus resplendeat, uti jam ex *cap. cùm
nobis* 19. & *cap. cùm inter* 21. *de Elect.* expositum est
in *cap.* 1. *num.* 245. *& seqq.* Quò etiam collimant 163
textus in *cap. cùm dilectus* 8. *de Consuetud. cap. Ab-
bate* 25. *de V. S.* in quibus supponitur, consuetudi-
ne vel præscriptione effici posse, ut Conventuales
unius Ecclesiæ Prælatum ex alia Ecclesia eligere te-
neantur: quod tamen supponi nno deberet, si extranei
ad

ad Prælaturas sui Ordinis impedimentô quôdam laborârent, cujus obstaculô non eligendi, sed postulandi forent solenniter. Consentiunt Panormitanus in *cap. cùm inter* n.8. Barbosa *ibid.* n. 2. Pallerinus *de Elect. cap* 24. *c.*41. & *cap.*25. *n.*649. *& seqq.*

165 Infertur II. Religiosum ex Ordine non Mendicantium non tantùm ad Episcopatum, sed etiam ad Prælaturas alias Sæculares, curam animarum habentes, non esse solenniter postulandum. Cum enim ex *Clem. cùm rationi* 1. *de Elect.* & *cap. nullus* 28. *§. ad dignitatem eôd. in* 6. Religiosus quilibet ad Episcopatum sit verè eligibilis, eò quòd summa perfectio, in qua convenit Episcopos esse positos, non ab aliis laciliùs, quàm Religiosis, in via & semita perfectionis ambulantibus, addiscatur; & ista de causa tum ex aliis, tum præcipuè ex Ordine Benedictino, tot sanctissimi Præsules & alibi & in Germania Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis fue-

166 rint præpositi: Cúmque insuper Religiosus ex Ordine non Mendicantium nullô Jure prohibeatur, ad Prælaturas alias Sæculares promoveri, veluti supponere videtur Bonifacius VIII. in *cap. quorundam* 24. *§. circa Religiosos ℣. ad Prælationes quaslibet de Elect.* in 6. & docent Glossa in *cit. cap. ℣. quaslibet* & in *cit Clem. ℣. sæcularis*, Sylvester *verb. Religio* 7 *q.* 4. *&* 6. Rodriquez *tom. 1. Regular. q.* 34. *art.* 3. Gonzalez in *reg.*8. *cancell. gloss* 7. *n.*51. Wiest-

167 ner ad *tit. de Elect. n.*520. Sanè Religioso ex Ordine non-Mendicantium ad Electionem passivam nihil deest, quam legitimi Superioris consensus. Quare non solenniter; sed minùs solenniter, & simpliciter est postulandus.

168 Equidem Authores reperias, qui negent, aliquem Religiosum ad Sæculares Prælaturas, exceptô Episcopatu, eligi posse, permoti textu *cit. Clem. cùm rationi* 1. *de Elect.* ubi *rationi non esse congruum*, generaliter dicitur, *ut homines dispares Professionis vel habitûs simul in eisdem Monasteriis socientur*;

169 ideóque prohibetur, ne Religiosus aliquis in Abbatem vel Prælatum alterius Religionis vel habitûs (præter Episcopatum, qui in fine hujus textus excipitur) de cætero eligatur. Ita Hostiensis in *cap. quod DEI* 5. *de Statu Monach. n.*16. Joann. Andreas *ibid. n.*5. Suarez *tom.*7. *de Relig. lib.*3. *cap.*19. n.12.

170 Sed meminisse oportet, in *cit.* textu non esse locutionem de Prælaturis Sæcularibus, sed Regularibus: indeque argumentum à consensu contrario potiùs pro quàm contra Prælaturas Sæculares ita formari posse, ut Religiosus quidem nequeat assumi ad Prælaturam alterius Ordinis, licèt Prælaturæ

171 Sæcularis neutiquam sit incapax. Nec exceptio de Episcopo firmat regulam in casibus non exceptis: cùm enim Prælaturæ Sæculares nunquam fuerint sub regula; & exceptio de Episcopis contineatur sub regula, quatenùs etiam Ecclesia Cathedralis potest esse Regularis, sicque & Ordinis diversi ab eo, quem Religiosus, in Episcopum eligendus, erat professus: argumentum de casibus exceptis ad non-exceptos non ritè hic applicatur.

172 Infertur III. Abbates vel Præpositos, ab una Abbatia vel Præpositura ad aliam, aut etiam ad Episcopatum transferendos, Postulatione simplici indigere per *cap. si Abbatem* 36. *de Elect. in* 6. Ratio est: quia Abbates & Præpositi nequeunt sua Monasteria absque præscitu Superioris, Episcopi, Summi Pontificis, vel Legati à latere deserere *cap. Abbas.* 8. *XVIII. q.* 2. *cap. admonet* 4. *cap. ult. de*

173 *Renuntiat.* ne videlicèt mercenariorum more, aut laboribus fatigati, aut molestiis pressi, aut ambitione lactati fugere, gregem suum indefensum relinquere, ac Ecclesiam, ad quam solô suô consensu non pervenerunt, solô suô dissensu abdicare videantur. Gonzalez in *cap. quanto* 3. *de Translat. Ep. n.*6.

Unde etiam consuetudo contraria, quâ aliquis sinè 174
authoritate legitimi Superioris ab una Prælatura migrat ad aliam, ceu corruptela proscribitur in *cap. cùm venerabilis* 7. *de Consuet.* ubi rursus Gonzalez
n. 6. *& seqq.* Ut igitur Prælati Regulares, relictô 175
suô, alterius Monasterii regimen suscipere possint; Postulatione ad Superiorem immediatum pro obtinendo consensu opus est.

Si putes, Abbates vel Præpositos Regulares, ma- 176
ximè Benedictos, non tantùm simplici, sed etiam solenni Postulatione ad alias Prælaturas transferendos esse, ea de causa: quia ad instar Episcoporum suis Ecclesiis cum annulo desponderi, & matrimonialiter conjungi solent *arg. cap. ne pro defectu* 41. *de Elect.* ubi æquè Regularis ac Cathedralis Ecclesia per obitum *Prælati vidua* dicitur.

Falleris. Nam vinculum, quod Prælatum Regu- 177
larem suæ adstringit Ecclesiæ, non ex vero, sed impropriò matrimonio vel quasi oritur. Cujus ratio est: quia Prælati Regulares, licèt potestatem Jurisdictionis quasi Episcopalis in suis Monasteriis habeant, attamen potestate Ordinis, quoad plurimos & præcipuos actus, destituti; neque ipsâ Jurisdictionis potestate ex officio pastorali, ad hoc Divinitus institutô, sed potiùs ex indulgentia & dispensatione Pontificia sunt præditi. Ergo matrimonium spirituale propriè tale, sicut Episcopi, non habent. Confer dicta in *n.* 104. Ergo non solenniter, sed simpliciter postulandi sunt. Panormitanus ad *cap. ult. h. t.* n.8. Pallerinus *d. cap.*24 *num* 39. Laymann *q.*12. P. Engel *h. t. n.*9. in *fin.*

Quæres incidenter: an Religiosus ex Ordine Be- 178
nedictino ad Prælaturam Ordinis Cisterciensis solenni, an minùs solenni Postulatione, transferendus sit?

Resp. transferendum esse minùs solenni Postulatione. Ita Illustrissimus noster Joannes Caramuel
*Theol. Regul disp.*35. *art.*8. *n.*389. Ratio punctualis 179
est: quia, qui transfertur à Monasterio uno ad aliud ejusdem Ordinis, non est solenniter, sed minùs solenniter postulandus ex n. 159. nullâ siquidem dispensatione, sed nudô Superioris assensu totum negotium absolvitur. Atqui Monasteria Benedictinorum & Cisterciensium sunt ejusdem Ordinis. Ergo
&c. Minorem, si neges, aut capere non possis, 180
ostendit laudatus Caramuel partim rationibus positivis *cit. disput. art.*8. à n.383. partim negativis *art.* 5. *& seqq. à num.* 356. quia videlicèt tota Ordinis diversitas deberet provenire vel ab exordio & institutione S. Roberti; vel à tempore exemptionis; vel à conditis novis statutis; vel à mutatione habitûs. Sed neutrô ex his modis diversitas introducta
est. Nam D. Robertus, & in Tornodorensi & in 181
Molismensi Monasterio Ordinem S. Benedicti professus, eundem non mutare, sed renovare, atque ad primævum rigorem Cistercii revocare voluit.
Deinde exemptio tam parum Cistercienses, quàm 182
parum Cassinenses, Vallisoletanos, aut alios exemptos, à Benedictinis dividit: cùm, salvâ cæteroquin Regulâ, præter immediatam subjectionem er-
ga S. Pontificem, nihil operetur. Ad hæc novæ 183
constitutiones non eò tendebant, ut diversum quid à scopo Regulæ Benedictinæ Cistercienses introducerent, sed potiùs ut propiùs ad illius centrum manuducerent: quemadmodum in singulis ferè Monasteriis Benedictinis speciales observantiæ reperiuntur, magis ad conservationem quàm mutatio-
nem Regulæ collimantes. Insuper ex tritissima gno- 184
ma habitus non facit Monachum, sed Monachus facit habitum; præsertim Benedictinus, quem de colore causari noluit Sanctissimus Pater in *Reg. cap.*55.
Ergo substantialiter unus idémque est Ordo, Be- 185
nedictinorum & Cisterciensium; nec tam nova fa-

milia est Cisterciensis, quàm potiùs antiquæ Bene-
dictinorum familiæ nova filia & congregatio. Er-
go, qui à Monasterio Ordinis Benedictini ad Ab-
batiam Ordinis Cisterciensis transferendus est, non
solennis, sed simplicis Postulationis viâ incedere de-
bet.

186 Nec desunt exempla, quibus hæc veritas robore-
tur. Nam prætermissis iis, quæ extra Germaniam
accidisse, memorat præfatus Author *cit. art. 9. à n.*
391. in nostra Germania Illustrissimus & Reveren-
dissimus D. Antonius cognomentô Wolffrat, Prin-
ceps & Episcopus Viennensis, Ordinem Cistercien-
sem ab initio in Monasterio ad S. Crucem inferio-
ris Austriæ professus, posteà Abbatiæ ejusdem Or-
dinis in Monasterio Hilariensi, vulgò *Willering*;
exinde Abbatiæ Ordinis S. Benedicti in Celeberri-
mo & Florentissimo Asceterio Cremisanensi Au-
striæ superioris præpositus, ac demum ob incom-
parabiles naturæ & gratiæ dotes ad Episcopatum
187 & Aulam Viennensem assumptus est. Ex eodem
S. Crucis Monasterio Matthias Balsius ad Archi-
Abbatiam S. Martini in Hungaria Ord. S. Benedicti
188 transsumptus est. Ipse Caramuel de se propriô te-
statur calamô *d. l. sub num.* 392. quòd ex Monacho
Cisterciensi primitùs creatus Abbas Metrosensis;
postea Dissebergensis; de hinc, absque ulteriori
dispensatione, Benedictinis Monserratensis in Mo-
nasterio Pragensi & Viennensi, præfectus fuerit.
Hæc incidenter, sed non extra rhombum. Jam

189 Infertur IV. Clericos beneficiatos unius Diœce-
sis ad Ecclesias & Prælaturas alterius Diœcesis mi-
nùs solenniter esse postulandos. Ex quo enim absque
licentia Episcopi Diœcesani neque ad aliam Diœce-
sin transire possunt *cap. Episcopus 37. VII. q. 1.* ne-
que beneficium, antehàc possessum, resignare *cap.
admonet 4. de Renuntiat.* non possunt absolutè eligi,
sed simpliciter seu minùs solenniter postulari debent.

§. III.

De Forma Postulationis simplicis.

190 In Postulatione simplici videndum, an illa statim
ad Superiorem dirigatur, ad petendam licentiam;
an, factâ jam collegiali designatione personæ eli-
191 gendæ. Si prius; nil speciale desiderat. Si poste-
rius; in hac designatione eadem omninò forma, quæ
in Electione, servari debet. P. Engel ad *h. t. num. 9.*
Ratio est: quia Postulatio simplex habet pro suo
objecto personam habilem, sicut Electio: unde non
odium, sed favorem Juris, atque adeò eadem re-
quisita, eundem votorum numerum, easdem regu-
las habet, quas Electio.

192 Lego tamen hac in re notabilem constitutionem
Bonifacii VIII. in *cap. quorundam 24. de Elect. in 6.*
quæ duas partes complectitur. In prima disponit de
Religiosis Mendicantibus, & sancit, *ut nulli Religioso
Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini aut
quorumlibet Mendicantium Ordinum ex Electione, Po-
stulatione, provisione, seu vocatione ad aliquam extra
administrationem sui Ordinis Prælaturam, in discor-
dia de se factâ, jus de cætero acquiratur: nec eorum
aliquis tali Electioni, Postulationi, vel provisioni, aut
vocationi quoquô modô valeat consentire, etiamsi Ma-
gistri, aut Ministri, vel Prioris Generalium eorundem*
193 *ad id accesserit licentia vel consensus.* In secunda
parte agit de Religiosis aliis, *cujuscunque conditionis
vel statûs existant*, ac præcipit, ut *nec ipsi Electio-
nibus, Postulationibus, provisionibus, aut vocationi-
bus, à minore parte numerô ad Prælationes quaslibet
de se factis (quæ hôc ipsô, quòd à minori parte pro-
cesserint, nullum prorsus tribuant jus eisdem) suum
audeant præstare consensum, etiamsi super hoc assen-
sus vel licentia suorum intervenerit Prælatorum.*

Circa primam constitutionis partem ambiguus est 194
intellectus verborum in *discordia*; an nimirum om-
nibus Electionibus suum accommodare consensum
prohibeantur Religiosi Mendicantes, in quibus una-
nimiter omnes, nemine exceptô, in Electum vel
postulatum vota non contulerunt; an illis dunta-
xat, in quibus majora quidem suffragia stant pro
electo vel postulato, minor verò pars, aut saltem
unus, ante vel in ipsa publicatione, reclamat? Prior 195
explicatio Lambertino, & Sanchezio, quos citat
Clariss. P. Wiestner *de Elect. n. 251.* posterior Glossæ
in *cap. ubi periculum 3. ℣. in singulis de Elect. in 6.*
Laymanno in *cap. in causis 30. X. eôd. n. 4.* P. Wiest-
ner *cit. l. num.* 253. arridet. Quæ mea sit sententia,
ex *cap.* priore *n.* 497. relucet.

Circa alteram recitatæ constitutionis partem non 196
adeò pervium & perspicuum est, quasnam Electio-
nes vel Postulationes intellexerit Bonifacius? Ratio
dubitandi est: quia jam aliunde, nimirum ex *cap.
quia propter 42. cap. Ecclesia 48. cap. in genesi 55. de
Elect.* constat, Electionem (& multò magis Postula-
tionem) à minori parte factam, nullius esse valoris,
nullúmque jus electo vel postulato tribuere posse.
Putarem de illis Electionibus vel Postulationibus 197
Religiosorum non-Mendicantium constitutionem
Bonifacianam exaudiri debere, in quibus Electio
vel Postulatio non-solennis concurrit cum Postu-
latione solenni: si enim contingeret, aliquem Ca-
nonicum Regularem & simul Benedictinum postu-
lari ad Prælaturam alterius Monasterii Canonico-
rum Regularium, & ex 24. Electoribus à tredecim
sua vota in Benedictinum, & novem in Canonicum
Regularem extraneum dirigi, ex neutra Postula-
tione jus postulatis quæsitum esse, censerem. Non 198
ex Postulatione solenni, quâ Benedictinus in Præ-
positum alterius Ordinis petitur: quia ex dictis à
n. 173. deberet habere duas tertias votorum, hoc
est, sexdecim. Non etiam ex Postulatione inso- 199
lenni, quâ Canonicus Regularis extra locum Pro-
fessionis in Præpositum Canonicorum Regularium
desideratur: quia postulatus foret à minori parte;
& consequenter authoritate *cit. cap. quorundam 24.
de Elect. in 6.* ne quidem præhabitô proprii Supe-
rioris assensu consentiendi licentiam haberet. Ex
quo responsio ad dubitandi rationem absque lon-
giori indagine colligitur.

Non pauci cum Glossa in *cit. cap. ℣. quaslibet* ar- 200
bitrantur, allegatam constitutionem etiam ad Præ-
laturas proprii Monasterii, adeóque ad Electionem
propriè dictam extendi: tum quia expressa & distin-
cta fit mentio de Electionibus; tum quia in genere
de Electionibus *ad quaslibet Prælaturas* est sermo.
Quibus tamen calculum meum haud dedico: quia 201
prior constitutionis pars de Electionibus & Postu-
lationibus Mendicantium ad Prælaturas extraneas
per verba formalia & disertam rationem coarctata;
& posterior illius pars per particulam copulativam
quoque in ratione decisionis cum priore connexa
fuit. Cur? Ut sciamus, utrobique de eodem ob-
jecto discursum formari. Quòd autem mentio fiat 202
de *Electionibus*, nil impedit: hic námque terminus
in acceptione Juris pro subjecta materia quando-
que soli Electioni in specie, quandoque etiam, imò
plerumque, Postulationi simplici adaptatur per *cap.
si Religiosus 27. & cap. si Abbatem 36. de Elect. in 6.*
Quódve prætereà in genere de Electionibus ad 203
quaslibet Prælaturas ab initio sermo sit, similiter
nil efficit: quia subsequens locutio terminum gene-
ralem abundè restringit ad Prælaturas extraneas,
dum de illis Prælaturis disserit, ad quarum acce-
ptionem ex parte Religiosorum præcedere debet
assensus vel licentia Prælatorum.

§. IV.

§. IV.

De speciali Effectu Postulationis simplicis.

204 Postulatio insolennis vel præcedit Electionem, vel subsequitur. Si præcedat; facit, ut, obtentò Superioris consensu, persona eidem subjecta liberè possit eligi & confirmari. Clariss. P. Schmalzgrueber ad *h. t. num.* 4. Si subsequatur; efficit I. ut
205 postulatus ante, quàm licentiam habuerit à Superiore suo, nequeat in Postulationem consentire. Quòd si ante consenserit, consensus sic præstitus non tenet; & in pœnam hujus præsumptionis Postulatio ipsò factò viribus evacuatur. *d. cap. si Religiosus &c.*
206 Efficit II. ut postulatus vel ipsimet postulantes debeant petere licentiam à Superiore, quàmprimum fieri poterit, intra tempus, arbitrio Judicis moderandum: quâ licentiâ impetratâ, primùm incipit currere mensis, ad deliberandum super Electionis acceptatione concessus *cap. quàm sit 6. d. t. in 6.* Et dictum est suprà in *cap. 1. num.* 480.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. & 2. Coadjutor Episcopi non debet postulari, sed eligi. 3. Etiamsi priùs fuisset Episcopus, posteà verò Episcopatum resignaverit. 4. Utrùm in postulatione sit locus quasi-inspirationi? Ratio dubitandi. 5. An servandum rigorosum scrutinium? Itidem ratio dubitandi. 6. Resp. ad primam. 7. & seq. Resp. ad alteram. 9. & seq. In postulatione, concurrente electione, requiruntur duæ tertiæ. 11. Aliàs prævalet electio, facta ab una tertia. 12. & seq. Nec requiritur unum votum supra tertiam. 14. Etiamsi aliqua electorum vota dispergantur. 15. & seq. Proceditque etiam, quando postulantes scienter postulârunt indignum. 17. Secus, quando ignoranter fecerunt. 18. & seq. Si electus ne quidem unam tertiam habeat, postulatus à majori parte prævalet. 20. Si Capitulares sint viginti, septem faciunt unam tertiam. 21. & seqq. In concursu electionis & postulationis tam electus quàm postulatus debet publicari; aliàs datur locus appellationi.

QUÆSTIO I.

An Coadjutor perpetuus Episcopi ad Episcopatum alterius Ecclesiæ eligi vel postulari debeat?

1 Resp. esse eligendum, non postulandum. Ratio est: quia, si quid obstaret Coadjutori, quò minus eligi posset, esset aliquod vinculum, quod contraxisset cum Ecclesia, cui per confirmationem Apostolicam fuisset desponsatus. Atqui vinculum tale non habet Coadjutor: neque enim est verus Episcopus, ex quo duo Episcopi ejusdem Ecclesiæ simul & semel esse nequeunt, ut animadvertit Rota post Remocamp. de *Coadjutor. decis. 16. nu. 12. &*
2 *seq.* Neque etiam verum aliquod beneficium Ecclesiasticum, sed jus tantùm ad illud obtinet ex nunc pro tunc, quod, licèt juxta nostram sententiam reale sit, non tamen esse actuale, sed habituale duntaxat, constat ex dictis de *Coadjutor. perpet. consult. 13. à num.* 15. & firmatur ab Eminentiss. Petra ad *Constitut. Apostol. tom. 5. pag. 36. sub num. 52.* adeóque nil obstat Coadjutori perpetuo, quò minùs ad Episcopatum alterius Ecclesiæ possit eligi.

Neque aliud dicerem, si Coadjutor anteà jam 3
fuisset verus & consecratus Episcopus, posteà verò, dum Coadjutoriam acquisivit, Episcopatum præhabitum dimisit: siquidem in ea hypothesi quoad priorem Ecclesiam, jam dimissam, refert figuram & indolem Episcopi resignati, quem eligi posse, demonstratum est in hoc *cap. 2. num. 72. & seq.*

QUÆSTIO II.

Num in Postulatione locus sit quasi-inspirationi; aut rigoroso scrutinio?

Utrumque defendi in hoc *cap. à num.* 113. quod 4
tamen utrumque impugnat Matta de *Consistorial. caus. sect. 21. n. 31. & seqq.* Et quidem contra quasi-inspirationem, quòd locum non habeat, opponit: quia Postulatio in se continet conditionem, arbitrio Papæ, seu alterius Superioris, qui illam admittere vel rejicere potest, subjectam; inspiratio autem Spiritûs Sancti non potest esse conditionata, & pendere ab alterius arbitrio, juxta illud: *Spiritus, ubi vult, spirat. Joann. 3.* & *Verbum DEI non est alligatum. 2. ad Timoth. cap. 2.* Contra rigoro- 5
sum scrutinium objicit: quia in *cap. quia propter 42. de Elect.* fit tantùm mentio de electione, & per consequens noviter ibidem statuta non sunt necessariò trahenda ad Postulationem; si enim Concilium voluisset, ut talis forma servaretur etiam in Postulatione, id expressisset *arg. cap. inter corporalia 2. de Translat. Ep.* sicut observatum fuit tum in *cap. statuimus 1. de Elect. in 6.* ubi mensis, datus ad opponendum contra electionem, currere quoque dicitur in Postulatione; tum in *cap. in electionibus 2. eòd. in 6.* ubi prohibitio dandi vota alternativa in electionibus extenditur etiam ad Postulationem; tum in *cap. cupientes 16. d. t. in 6.* ubi, quod ab initio de præsentatione electionis statuitur, in §. *denique* ad Postulationem porrigitur.

Nihilominùs ejus momenti hasce oppositiones 6
non esse existimo, ut à priori me sententia dimoveant. Nam quoad primam potest responderi, etiam postulationem, per quasi-inspirationem factam, non pendere ab arbitrio Superioris, ut ab eo admittatur, vel rejiciatur, sed tantùm, ut cognoscatur, an verè per quasi-inspirationem acciderit Postulatio, nullâque fraus intervenerit: sicut enim electionem, eò modò peractam, à confirmatione dicimus exemptam; sic & de postulationis admissione ex paritate rationis concludere licet.

Quoad alteram Resp. ex *num.* 3. hujus *cap.* inter 7
Postulationem & electionem tam propinquam intercedere affinitatem, ut, quæ disponuntur de una, cæteris paribus disposita similiter censeantur de altera, absque eo, quòd novâ expressione aut extensione opus sit. Idque ex in adversum allegatis 8
cap. statuimus 1. & cap. in electionis 2. non parum roboratur, ubi Pontifex unâ locutione postulationem & electionem conjungit; uti & ex *cap. cupientes 16.* ubi ab initio propterea loquitur de electione: quia quoad præsentationem, expensas, & alia ibidem enumerata discrimen est inter postulationem & electionem; indeque in §. *denique* specialiter exprimendum erat, an & quatenùs una ab altera quoad hæc puncta differat, aut cum ea conveniat. Conferantur dicta in hoc *cap. à n.* 146.

QUÆSTIO III.

Quot Vota requirantur pro electis vel postulato, quando electio concurrit cum postulatione?

9 Diximus in hoc *cap. num.* 123. quòd in simili concursu pro postulato requirantur duæ tertiæ, sicque ex 24. sexdecim vota per textum famosum in *cap. scriptum est* 40. *de Elect.* ubi per *duplo majorem numerum*, pro postulato desideratum, Interpretes communiter intelligunt duas tertias cum
10 Panormitano *ibid. num.* 7. & 13. Rationem dat hic Author in *num.* 14. quia potentia Capitularis seu Universitatis, quæ favet postulato, consistit in duabus partibus: unde in tertia parte, quæ suffragatur electo, non est aliqua virtus Capitularis.
11 Quòd si postulatus non habeat duas tertias, adsit verò alius, qui fuerit electus ab una tertia, illius electio, reprobatâ Postulatione, erit confirmanda juxta *cit.* textum; qui quidem in hoc passu exorbitat à Jure Communi, quòd electus, in quem major pars non consensit, confirmari debeat; ex eo tamen, quòd electio propiùs accedat Juri Communi, quàm postulatio, per quam Jus infringitur, & relaxatur, postulationi præfertur. Abbas *d. l. n.*
12 14. Et quamvis multi in tali casu exigant, ut electus habeat unum votum supra unam tertiam, veluti videre est apud Barbosam in *Collectan. ibid. num.* 1. P. Wiestner ad *tit. de Postulat. num.* 30.
13 P. Reiffenstuel ad *eund. tit. num.* 159. Quia tamen in *cit.* textu jubetur confirmari electio, facta à parte tertia, absque eo, quòd aliquid de voto adjecto supra tertiam partem exprimatur; ac præterea satis credibile videtur, omnes, qui tunc ad assumptionem novi Prælati convenerunt, fuisse quadraginta octo, ex quibus sedecim elegerunt: hinc, inhærendò textui, admodùm probabile judico, unam tertiam suffi-
14 cere. Quin &, si ex illis, qui eligunt, non omnes conveniant in unam personam, sed vota in plures dispergantur, electionem prævalere censeo, si unus ex electis habeat pro se unam tertiam, veluti elucescit ex casu electionis Coloniensis, à novem electoribus in personam Josephi Clementis p. m. anno 1688. directæ, quæ, reprobatâ postulatione, à tredecim ex 24. Capitularibus factâ, à Sede Apostolica fuit confirmata, licèt duo alii de Capitulo alios duos elegerint.

15 Idem quoque dicendum erit, quando omnes ex postulantibus aut major pars scienter postulârunt indignum: nam *& hoc quoque casu* S. Pontifex in *cit. cap. scriptum est* 40. *in f.* mandat *electionem* (id est, ab una tertia celebratam) confirmari, *si eam de persona idonea constiterit esse celebratam.*
16 Cujus insuper alia ratio reddi potest: quia, si etiam electores eligant scienter indignum, pro ea vice jure eligendi privantur, & tota potestas ad partem innocentem, quantumcunque parva sit, devolvitur, uti supra in *cap.* 1. *n.*86. *& seqq.* explanatum est.

17 Aliud verò tenendum, quando duæ tertiæ ignoranter postulârunt indignum: quippe S. Pontifex in sæpe *cit. cap.* §. *si verò* tam postulationem quàm electionem reprobari præcipit: quia, dum duæ partes postulantium non sunt jure suo ob ignorantiam privatæ, tota potestas Capitularis non censetur residere in minori, uti ratiocinatur Abbas *d. num.* 24.

18 Quid autem sentiendum sit, quando in postulatum non convenerunt duæ tertiæ, sed major pars; electus autem ne unam quidem tertiam pro se habuit? Apud Authores, quos studiosè evolvi, invenire non potui. Crederem tamen, erroris haud arguendum fore, qui postulatum à majori parte præferret: cùm enim dispositio *cit. cap. scriptum est* sit prorsus singularis, atque extra tenorem & contextum suum non dilatanda, prout non semel indicat *ibid.* Panormitanus; subintrare videtur communis Juris regula, ea, quæ à majori parte sunt acta, perinde censeri, atque si à tota Universitate fuissent conclusa.

Illud dubium: quot vota debeat habere electus, 19
si ex viginti Capitularibus aliqui eligant, alii postulent? Nullam apud me difficultatem patitur, utpote qui septem vota sufficere, penitus mihi persuasum habeo: sive enim dicatur, quòd electus debeat habere unum votum ultra unam tertiam, sive admittatur una tertia, septem vota ex viginti Ca- 20
pitularibus sufficere debent: hôc ipsô siquidem, quòd v. g. tredecim vota, pro postulato militantia, non constituant duas tertias, suôpte sponte consequitur, ex septem votis, in electum collatis, confici plusquàm unam tertiam.

QUÆSTIO IV.

Utrùm in concursu electionis & postulationis æquè electus ac postulatus ab uno ex Scrutatoribus publicari debeant?

Resp. affirmativè. Nam quia vi *cap. quia propter* 21
42. *de Elect.* Scrutatores *vota cunctorum exquirere, & in scriptis redacta mox publicare in communi* tenentur; tenentur pariformiter publicare, & exprimere, quotnam quisque vota sortitus fuerit, sive eligi, sive postulari debeat. Unde, si Scrutato- 22
res id facere recusarent, non minùs ad publicationem votorum, quæ suffragantur postulato, atque eorum, quæ sunt pro electo, possent compelli per *cap. publicatô* 58. *de Elect.* P. Pirrhing de *Elect. num.* 174. factâ provocatione ad Superiorem, ad quem spectat electionis confirmatio. Joan. Andreas ad *cit. cap. num.* 27. Fagnanus *ibid. num.* 3. Pirhing *d. l.* Et, si in publicatione votorum solummodò 23
dicerent, majora vota in postulatum cecidisse, nihil dicendò de una tertia, quam reportavit electus, nullum hic præjudicium haberet timendum: utpote cùm recursu, ad Superiorem, ut dixi, acceptô, per eum reformari possit, quod à Scrutatoribus erat peccatum.

CAPUT III.

De Translatione.

Tertius modus acquirendi dignitates Ecclesiasticas est *Translatio*, quæ, uti perfrequenter cum Postulatione conjuncta est, ita primô, post illam, locô tractanda venit.

SECTIO I.

De Nomine, Definitione, & Jure Translationis.

SUMMARIA.

1. *Etymologia Translationis.* 2. *& seqq. Homonymia.* 6. *Definitio.* 7. *Est assumptio.* 8. *Persona Ecclesiastica.* 9. *Ab una Prælatura ad aliam.* 10. *Legitimè facta.* 11. *Translatio Prælatorum, Episcopi inferio-*

inferiorum, est Jure positivô tantum prohibita. 12. *Probatur.* 13. *Translationem Prælatorum majorum Jure Divinô prohibitam esse, innuit textus in cap.* 2. 3. & ult. h. t. 14. *& seq. Responsio quorundam enervatur.* 18. 19. 20. *Rationes pro sententia contraria.* 21. *Quâ rejectâ, prior eligitur.* 22. *& seqq. Rationes contra primam rationem adversam afferuntur.* 26. 27. *Altera ratio opposita diluitur.* 28. 29. 30. *Instantia repellitur.* 31. *& seqq. Tertia ratio contraria supprimitur.*

§. I.

De Nomine Translationis.

1 TRanslatio, aliàs transpositio vel transmutatio dicta, in ordine ad hoc *caput* apud Emmanuelem Gonzalez, paulò post nominandum, diversimodè accipitur. I. pro transitu ab una Ecclesia ad aliam ad certum tempus; ut si Episcopus, cujus Sedes ab infidelibus est occupata, alteri Ecclesiæ vacanti eo usque præponatur, quo usque ex manibus infidelium amissa Sedes postliminiò eripiatur *cap. pastoralis* 42. *VII. q.* 1.

2 II. pro transmutatione Sedis seu residentiæ; veluti si Episcopus vel alius Prælatus Ecclesiasticus residentiam suam ab uno loco ad alium, ab una civitate in aliam, transponat: qualem transmutationem neque ab Episcopis sinè consensu Pontificio; neque à Prælatis inferioribus absque consensu Episcopali fieri posse, patescit ex *cap. cùm ex illo* 1. *h. t. cap. si quis* 41. *XVI. q.* 7. & latiùs explicant Gonzalez in *Comment. ad cit. cap.* 1. *n.* 11. & König *h. t. n.* 13.

3 III. pro transpositione, seu promotione ad aliam Ecclesiam; vel, ut eam in commendam & custodiam obtineat; vel, ut eam cum priori & præhabita retineat *cap. qui plures* 3. *cap. illud quoque ult. XXI. q.* 1.

4 IV. pro transmutatione unius Prælaturæ cum alia, adeò ut una relinquatur, & altera, jam vacans, accipiatur. De hac agitur in *Can.* 13. *&* 14. *Apostol. & tot. hoc tit. Juris Can. de Translat.*

5 Postrema acceptio nostro instituto familiaris, sed adhuc amphibia est. Nam considerari potest vel specificè, quatenùs Translationem solius Episcopi & Prælatorum Superiorum comprehendit; vel genericè, quatenùs Translationem aliorum quoque Prælatorum Ecclesiæ continet. In prima consideratione Translationem accipit rubrica cum subjunctis *capp. X. h. t. de Translatione Episcopi.* In secunda, tanquàm effusiore, hic accipitur, &

§. II.

De Definitione Translationis.

6 Definitur Translatio, quòd sit assumptio personæ Ecclesiasticæ ab una Prælatura ad aliam, legitimè facta.

7 Dixi I. *assumptio.* In qua particula conspicitur generica convenientia Translationis cum Electione, Postulatione &c.

8 Dixi III. *personæ Ecclesiasticæ.* Ubi iterum communem indolem Translationis cum aliis modis acquirendi dignitates Ecclesiasticas sub aspectum exhibeo: quàm parum enim Electione, tam parum Translatione potest sæcularis persona aut Infulis exornari, aut Peda rotare.

9 Dixi III. *ab una Prælatura ad aliam.* Ut tandem specificam Translationis naturam intueri liceat, quæ id singulare sibi vendicat, quòd duas Prælaturas supponat, unam ceu terminum à *quo*; alteram ceu terminum *ad quem* fit promotio. Nisi ergo quis antea Prælaturam possederit, nòn transferri, sed eligi, postulari, aut nominari &c. dicitur.

10 Dixi IV. *legitimè facta.* Subaudi secundùm requisita, in *Sect.* 2. de industria exenteranda; quæ, si defuerint, Translatio non minùs est inutilis, quàm actus alii, non legitimè facti.

§. III.

De Jure, quò concessa vel prohibita est Translatiò.

Ardua hic controversia movetur: Divinô, an humanô Jure Translationes sint prohibitæ; non quorumcunque Prælatorum, sed Episcoporum, Archi-Episcoporum, Patriarcharum &c. qui cum suis Ecclesiis fœdus connubii spiritualis pepegerunt? Nam cæteros Prælatos solô Jure positivô prohiberi, quò minùs suæ Ecclesiæ valedicere, & ad aliam transferri possint, constat ex eo: quia nexum insolubilem non habent cum suis Ecclesiis; neque perpetuò illas retinere coguntur, sed, accedente Superiorum consensu, liberè ab iis discedere queunt *cap. Episcopus* 37. *VII. q.* 1. *cap. Abbas* 8. *XVIII. q.* 2. *cap. admonet* 4. *& cap. ult. de Renuntiat. cap. si Abbatem* 36. *de Elect. in* 6. 11 12

Quoad Episcopos autem, & Prælatos alios, qui matrimonium spirituale habent, res intricata est. Quòd enim Jure Divinô eorum Translationes sint vetitæ, probatur efficacissimè ex *cap. inter corporalia* 2. *h. t.* ubi S. Pontifex à paritate conjugii carnalis, quod est inter virum & uxorem, argumentatur ad conjugium spirituale, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, atque ex eo, quòd matrimonium carnale non possit humanâ authoritate dissolvi: *quia, quod DEUS conjunxit, homo nequit separare*, infert, nec matrimonium spirituale humanâ potestate dissolvi: quia hoc carnali fortius, atque etiam Divinâ conjunctione contractum, ab homine separari non potest. Similia repetuntur in *cap. quantò* 3. & *cap. ult. h. t.* 13

Nec dicere possis, hanc paritatem non univocè sed analogicè, neque tam in sensu literali, quàm morali accipiendam esse; quasi nempe & carnale & spirituale matrimonium sit quidem à DEO factum insolubile, non tamen eôdem modô: cùm matrimonium carnale à DEO immediatè, & proximè; spirituale verò tantùm mediatè & remotè indissolutionem acceperit. 14

Contra siquidem est I. quia S. Pontifex in *cit. cap.* paritatem suam in eo collocat, quòd, sicut matrimonium carnale ab homine separari non potest: quia, juxta Divinum effatum, DEI ordinatione illius vinculum coaluit; ita & spirituale matrimonium ab homine dissolvi non possit: quia etiam Divinâ ordinatione colligatum est. Atqui paritas non esset, si matrimonium spirituale solùm à DEO mediatè, & immediatè ab homine fuisset inductum: quia tunc axioma contrarium verificaretur: *quod immediatè homo conjunxit, immediatè ab homine separari potest.* 15

Contra est II. quia S. Pontifex expressè in *eôd. cap.* asserit, dubitari non debere, *quin omnipotens DEUS spirituale conjugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantùm judicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis conjugii, quod est inter virum & fœminam, suo tantùm judicio reservavit, præcipiens, ut, quos DEUS conjunxit, homo non separet.* Sed Divino judicio in veritate reservatum dici non potest, quod à DEO non immediatè dispositum est: sicut judicio S. Pontificis in veritate non dicitur reservatum, quod immediatè ab ipso non est dispositum, seu in quo alius concurrentem habet potestatem. Ergo &c. 16

17 Contra est III. quia, quod Divinâ magis, quàm Canonicâ institutione introductum est, illud non immediatè ab homine, seu Legislatore humano, sed immediatè à DEO constitutum noscitur. Sed Translatio Episcoporum *non tam constitutione Canonicâ, quàm institutione Divinâ* (verba sunt Innocentii III. in præalleg. *cap. inter corporalia*) *soli Romano Pontifici reservata est.* Ergo &c. Hæcque est sententia Vasquezii, quem citat Barbosa in *Collectan. ad cit. cap. n.* 6. Fagnani in *idem cap. n.* 62. *& seqq.* Nec aliena videtur à mente Clarissimi P. Schmalzgrueber *h. t. sub n.* 2.

18 Quòd è contrario solò Jure positivò Translationes Episcoporum interdictæ sint, suaderi potest I. quia in SS. Literis nihil de perpetuo atque insolubili officio Episcoporum esse statutum reperitur: & ideò potiùs humanæ & Pontificiæ, quàm Divinæ dispositioni, Episcoporum Translatio subjacere videtur.
19 II. quia non rarò sed sæpiùs ejusmodi Translationes permittuntur à Pontifice, quod tamen permitti non posset, si vinculum conjugii spiritualis, sicut conjugii carnalis, authoritate Divinâ coaluisset: cùm, quod DEUS conjunxit, nequeat homo di-
20 dere. III. quia & hoc quotidie practicari videmus, quòd unus Episcopus habeat plures Episcopatus. At, si vinculum & ligamen, quò Episcopus alligatur suæ Ecclesiæ, proveniret à DEO immediatè, non posset Episcopus, dispensante quoque Summò Pontifice, plures Ecclesias habere, sicuti nec unus maritus, connivente Pontifice, potest plures uxores habere: quia videlicèt impedimentò ligaminis uni jam addictus est. Ergo &c. Et hæc sententia est Panormitani in *cit. cap. inter corporalia n.* 6. Barbosæ *ibid.* n. 6. Gonzalezii in *cap. cùm ex* 1. *eôd. tit. n.* 16. atque ab aliis Interpretibus communiùs tenetur.

21 Si tamen ponderandæ, non numerandæ sint sententiæ, prout vulgatum docet adagium, priorem posteriori sententiæ antepono. Nam textus Innocentii III. clariores sunt, quàm ut explicationem adversam patiantur. Rationes verò Aa, etsi contemnendæ non sint, congruam tamen solutionem non
22 refugiunt. Primam quod concernit, inprimis ex eo non concludit; quia necesse non est, illud, quod DEUS præcepit, aut prohibuit, in terminis terminantibus in Sacris Bibliis esse conscriptum, dummodò exinde à S.Pontifice,qui genuinus & authenticus
23 Divini Verbi interpres est,deducatur. Deinde *Actor.* 20. *ŷ.* 28. matrimonium insolubile Episcopi cum Ecclesia non obscurè exprimitur, quando Apostolus, loquens ad Episcopos, *attendite*, inquit, *vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. constituit Episcopos, regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit san-*
24 *guine suô.* Præter hæc *Joan.* 10. sub parabola boni Pastoris graphicè delineat Incarnata Sapientia Episcoporum officium, distinguendò pastorem bonum à mercenario per hoc, quòd ille vigilem oculum super gregem gerat, oves suas cognoscat, ac animam pro illis ponat; iste verò, insuper habitâ ovium curâ, tempore necessitatis fugiat, ac veniente lupo oviculas in prædam cedat. Supponitur itaque obligatio vinculi spiritualis, quò custodiæ suarum ovium Episcopus adstringitur, nec pro libitu eas deserere
25 potest. Insuper D. Ambrosius *lib.* 2. *in cap.* 2. *Lucæ circa med.* historiam de pastoribus, nuntium de Christi adventu per Angelum accipientibus, anagogicè dilucidaturus, *grex*, ait, *populus, nox sæculum, pastores sunt Sacerdotes. Aut fortasse etiam ille sit pastor, cui dicitur: esto vigilans, & confirma. Quia non solùm Episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam Angelos destinavit.*

26 Secunda ratio solutionem recipit ex dictis in *tract. de Jure Legali cap.* 3. *num.* 76. quòd utique S. Pontifex possit dissolvere ligamen Episcoporum, veluti dissolvere potest ligamen sponsorum de præsenti in matrimonio rato: inde tamen non mutari Jus Divinum formaliter & directè, sed tantùm materialiter & indirectè, sicut accidit in matrimonio rato, de quo in *eod. tract. cap.* 2. *n.* 175. Ratio ex eod. *cap.* 27
n. 179. repetenda est: quia, quando materia Juris Naturalis vel Divini pendet à potestate humana, potest Jus Naturæ vel Divinum indirectè & materialiter transmutari ab ipsa humana potestate. Atqui vinculum ligaminis est quidem ordinatione Divinâ, prævià tamen & liberâ Episcopi ac Papæ voluntate & determinatione, inductum. Ergo Jus Naturæ vel Divinum de tenenda individua cohabitatione cum Ecclesia, habet pro materia humanam determinationem, & hoc ipsò dispositioni Ecclesiæ subjectam. Ergo, si S. Pontifex determinationem illam irritet, tollitur vinculum ligaminis, nec tamen infringitur Jus Divinum, ut quod obligare desinit in illa circumstantia, quando voluntas & determinatio, de servanda perpetua cohabitatione, irritata fuisse supponitur.

Instabis: matrimonium carnale consummatum ex 28
recepta sententia nullam fert dissolutionem. Sed Episcopi cum sua Ecclesia post consecrationem censentur habere matrimonium spirituale consummatum *cap. ult. h. t.* quin & post confirmationem idem vinculum contraxisse dicuntur, quod habent post consecrationem *d. cap. inter corporalia &c.* Ergo nullam fert dissolutionem: quia in *eôd. cap.* matrimonium spirituale fortius quam carnale pronuntiatur.

Resp. hanc instantiam Adversariis quoque solven- 29
dam esse. Sive enim immediatè, sive mediatè fuerit à DEO matrimonialis nexus inter Episcopum & Ecclesiam colligatus, argumentum, quod ducit Pontifex à matrimonio carnali ad spirituale, semper stringit. Omissis igitur aliorum solutionibus
Resp. cum Gonzalez in *Commentar.* ad *cap. cùm ex* 1. 30
h. tit. num. 16. & Schambogen *eôd tit. n.* 6. quando S. Pontifex matrimonium carnale & spirituale quoad dissolutionem inter se comparat, id non fieri respectu ipsius Pontificis, sed respectu Episcoporum, qui non magis matrimonium ratum quàm consummatum discerpere possunt: cùm, ut loquitur ibidem Innocentius, hæc dissolutio Pontifici Romano, *ceu Vicario JESU Christi*, fuerit reservata; idque in matrimonio spirituali indistinctè, sive ratum, sive consummatum sit: utpote cùm consummatio juxta *cit. cap. inter corporalia* nihil quoad rationem vinculi superaddat.

Tertia ratio, in *n.* 20. proposita, cum aliqua di- 31
stinctione diluitur. Potest nempe Ecclesia, qua cum Episcopus est matrimonialiter copulatus, considerari materialiter & in hypothesi, vel formaliter & in thesi. Considerata *materialiter* dicit certum districtum & numerum fidelium, quorum curam & regimen Episcopus suscepit. Considerata *formaliter* abstrahit à certo districtu & numero fidelium. Jam 32
ergo, sicut Pontifex materialiter fundavit Episcopatus, ac cuique suum districtum & numerum subditorum assignavit; ita potest Episcopatus *materialiter* immutare, ac modò majorem, modò minorem sphæram Jurisdictionis Episcopo assignare. Quòd 33
si ergo dispensativè concedat, ut unus Episcopus duas habeat Ecclesias, tantùm concedit, ut habeat Ecclesias materialiter duas, hoc est, plures numerô fideles, non etiam, ut habeat Ecclesias formaliter duas: quia ex duobus Episcopatibus quodammodò fit unus, sicut ex duobus Regnis quodammodò evadit unum, quando unus utrique præest. Neque Jus Divinum hoc pactò mutatur for- 34
maliter, sed tantùm materialiter. Quod secus est in matri-

matrimonio carnali, ubi, cùm S. Pontifex non habeat Jus in corpora humana, nequit efficere, ut uni liceat duas habere uxores.

SECTIO II.

De Requisitis ad Translationem.

SUMMARIA.

35. *Ad Translationem opus est authoritate Superioris.* 36. *Episcopos transfert S. Pontifex.* 37. & *seq. Prælatos inferiores transfert Episcopus.* 39. *Aut Capitulum Sede vacante.* 40. & *seqq. Opus est etiam Justitiâ causæ.* 45. & *seq. An valeat sinè causâ? Disputatur.* 47. *Insuper opus est consensu transferendi.* 48. & *seqq. Invitus, extra casum necessitatis aut utilitatis publicæ, non transfertur.* 53. & *seqq. Demum opus est, ut translatio fiat a minori ad majorem dignitatem.* 57. *Ex dispensatione potest aliud fieri.*

§. I.

De Authoritate Superioris.

35 AD hoc, ut ritè fiat Translatio, plura requiruntur. Primum est Authoritas Superioris, sinè qua, si Episcopus transeat, utrâque Ecclesiâ privatur *cap. quartò* 3 *h. t.* Sin alius transeat, communione tamdiu privatur, donec redierit; &, si successor intereà in prima fuerit Ecclesia substitutus, non potest defungi officiô, quàmdiu ille successor vixerit *cap. si quis Presbyter* 24. *VII. q.* 1. Krimer *h. t. n.* 2050. & *seqq.*

36 Episcopos & Prælatos majores transfert de Jure solus Pontifex. Textus stringentes in *cap.* 1. 2. 3. & 4. *h. t.* Ratio est: quia potestas, in Jure Divino (materialiter) dispensandi, de Jure soli competit Romano Pontifici, utpote cui, tanquàm Vicario Christi, solummodò claves Cœlorum, & eminens illa ligandi solvendique potestas est commissa.

37 Inferiores Prælatos potest transferre Episcopus; vel, si exempti sint, Sedis Apostolicæ Legatus.
38 Textus in *num.* 12. jam produximus. Ratio est: quia ligamen spiritualis connubii tales Prælati non habent. Ergo ratio nulla obstat, quò minùs Episcopus, vel Legatus Apostolicus, sicut illorum tam institutiones & destitutiones facere, quàm resignationes acceptare potest, sic & illos ad alias Ecclesias transponere valeat.

39 Possitne Capitulum Sede vacante Prælatos inferiores transferre? Aliqui cum Glossa in *cap. cùm olim* 14. *de M. & O.* inficiantur. Ego affirmativam verissimam censeo: quia Translatio non est actus alienationis, ut illi putant *arg. cap. si Religiosus* 27. *de Elect. in* 6. sed jurisdictionis *per d. cap. cùm olim*, in quam Capitulum succedit. P. König *h. t. sub n.* 9. P. Schmalzgrueber *n.* 5.

§. II.

De Justitia Causæ.

40 Alterum Translationis requisitum est justitia causæ, quæ duplex, utilitas & necessitas *cap. mutationes* 34. *cap. scias frater* 35. *cap. sicut alterius*
41 39. *VII. q.* 1. *Utilitas* est, quando spes majoris fructûs & lucri spiritualis in Ecclesia, ad quam aliquis
transfertur, quàm in Ecclesia, à qua transfertur,
subest. *Necessitas* est, quando Prælatus nequit am- 42
pliùs convivere suis ovibus, aut propter aëris intemperiem; aut propter incursum & occupationem hostium; aut ob persecutionem ipsorum subditorum. Gonzalez ad *cap. cùm ex illo* 1. *h. t. num.* 13.
Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 137. *num.* 18. & 19. Et hæ 43
causæ, priùsquam admittatur Translatio, debent esse probatæ; & quidem, si Episcopus sit invitus (de quo in *num.* 51.) concludentes ac rigorosæ probationes; sin autem sit volens, cùm nemini tunc fiat injuria, leviores desiderantur. Pignatell. *d. l. num.* 21.

An valida sit Translatio Episcoporum, quæ sinè 44
causa necessitatis aut utilitatis peragitur? Latè disputat Fagnanus in *cap. quantò* 3. *h. tit. à num.* 58. sententiam negativam affirmativæ in *num.* 74. præ-
ferendô. Cujus principalis ratio est: quia dispen- 45
satio, quâ Jus Divinum immutatur, absque causa subsistere nequit: in tantum enim à Christi in terris Vicario relaxari potest vinculum Divinæ Legis, in quantum DEUS consentire præsumitur. Sed DEUS absque causa nil agit, nilque de sua ordinatione sinè ratione relaxat. Ergo &c.

Huic disputationi me impræsentiarum non immit- 46
to, sed ad dicta *de Jure Legali cap.* 5. *à num.* 261. me remitto; firmiter mihi eum Fagnano *cit. n.* 74. persuasum habens, casum vix evenire posse, in quo translationem sinè justitia causæ præmiserit Pontifex: quia in negotiis majoris momenti, quale utique est Episcoporum Translatio, magna eum circumspectione & maturitate consuevit procedere.

§. III.

De Consensu Transferendi.

Tertium requisitum est consensus personæ, de 47
cujus Translatione agitur. Sicut enim spirituale conjugium, vel quasi, in modum carnalis, per mutuum consensum cum nova Ecclesia contrahitur, ut loquitur textus in *cap. cùm inter* 21. *de Elect.* ita sinè mutuo dissensu matrimonium cum antiqua contractum Ecclesia distrahi nequit *arg. l. nihil* 35. *ff. de R. J.* & *cap. omnis res* 1. *X. eôd.* junctô *cap. quamvis* 14. *in* ℣. *alium locô ejus (nisi recusante eô) nulla sinit ratio ordinari VII. q.* 1.

Num Episcopus invitus & nolens ab una Eccle- 48
sia possit ad aliam authoritate Pontificiâ transferri? Multam & longam velitationem apud Fagnanum *cit. l. à num.* 14. Reiffenstuel *h. t. à n.* 20. faciunt DD.
in tres classes separati. Prima est eorum, qui ne- 49
gant absolutè. Altera eorum, qui absolutè affirmant. Tertia eorum, qui distinguunt, an causa necessitatis vel utilitatis publicæ transferendi subsit, vel non?

Cum ultimis signa conferre placet, ac cum P. 50
König *h. t. n.* 6. P. Schmalzgrueber *ibid. n.* 6. concludere, quòd, nisi causa necessitatis vel utilitatis publicæ succurrat, nequeat S. Pontifex nedum Episcopum, sed & alium ex Prælatis inferioribus transferre. Ratio ex *tract. de Jure Leg. cap.* 1. §. 5. *à n.* 194. emutuanda est: quia Summus Princeps, sive Sæcularis, sive Ecclesiasticus sit, non accepit à DEO potestatem, jus tertio quæsitum sinè rationabili causa adimendi. Sed Prælati Ecclesiarum, postquàm legitimè electi & confirmati sunt, habent jus quæsitum ex
cap. 1. *n.* 481. & *n.* 520. Ergo &c. Quòd si casus ne- 51
cessitatis vel utilitatis publicæ eveniat, tunc, sicut jus tertio quæsitum auferri potest: quia privata utilitas cedere publicæ, & jactura particularis conservationi Reipublicæ inservire debet; ita & Ecclesiarum Prælati jus suum dimittere, & Ecclesiarum

emolumentum commune singulari commodo præ-
52 ferre tenentur. In specie potest Episcopus contra
voluntatem suam transferri, quando populi mali-
tia est tanta, ut, licèt nullius culpæ videatur reus,
non ampliùs eidem obtemperare velit: publicè siqui-
dem interest, ut evitentur scandala, & Episcopus
ad alium Episcopatum, in quo majorem utilitatem
præstare valebit, promoveatur. Pignatell. *tom.* 4.
consult. 137. *n.*20.

§. VI.

De Transitu à minori ad majorem dignitatem.

Quartum requisitum Translationis est, quòd de-
53 beat fieri transitus à minori ad majorem Ecclesiam
per *cap. cùm ex illo* 1. & *cap. ult. h.t.* Nam neque
decorum est Statui Ecclesiastico, ut, qui major
erat in dignitate, minoretur *d. cap. cùm ex illo &c.*
54 Neque translato honorificum, cujus nomen ex sus-
picione avaritiæ, quâ principaliùs amore commodi
temporalis quàm boni spiritualis ad minorem Ec-
clesiam descendisse præsumitur, obscuratur. Pa-
55 normit. in *d. cap. ult. h. t. num.* 16. Neque fini
Translationis est conforme, ut major utilitas, quæ
in Translatione ad dignitatem majorem spera-
tur, per Translationem ad minorem impediatur.
P. Krimer *h. t. n.* 2043. *& seq.*

56. Quæ causa est, quòd, licèt aliàs, cui plus con-
cessum est, minus etiam concessum esse censeatur
cap. cui licèt 53. *de R. J. in* 6. attamen in materia
Translationis, qui licentiam est nactus, ad Eccle-
siam majorem transeundi, ad parem vel minorem
transire nequeat: quia major est convenientia in
transitu ad majorem, quàm ad minorem Ecclesiam;
& ideò concessio transitus ad minorem dignitatem
non facilior sed difficilior est. Panormitan. *d. l. n.*8.
Schambogen *h.t. n.*13.

57 Ex hoc tamen inferri non velim, quòd ex speciali
indulgentia Pontificis, concurrente legitimâ causâ,
fieri non possit transitus à majori ad minorem vel
parem Ecclesiam: contrarium quippe sæpiùs acci-
disse, cum hodierna experientia testantur textus in
cap. pastoralis 42. *VII. q.*1. *cap. ad supplicationem* 9.
de Renuntiat. P. Reiffenstuel ad *h. t. n.* 8. P. Krimer
ibid. num. 2051.

SECTIO III.

De Effectu Translationis.

SUMMARIA.

58. *& seqq. Recensentur effectus generales Translationis.* 61. *Attingitur effectus specialis Translationis Episcopalis.* 62. *Dignitates Prælatorum inferiorum incipiunt vacare post adeptam possessionem pacificam.* 63. *Item & beneficia Episcoporum, quæ præter Episcopatum habent.* 64. *& seqq. Ipse tamen Episcopatus mox vacat à die concessæ Translationis.* 68. *Suppositô, quòd Episcopus non transferatur invitus.* 69. *& seq. Textus illorum, qui nihil Episcopo de reditibus prioris Episcopatus permittunt.* 71. *& seq. Fundamentum contrarium.* 73. *Insistitur huic quoad fructus perceptos.* 74. *& seq. Cum solutione textuum oppositorum.* 76. *Non item quoad pendentes.*

§. I.

Recensentur summariter effectus Translationis.

Effectus Translationis alius est generalis, alius 58
specialis. Generalis est triplex. Primus, quòd
translatus amittat priorem dignitatem una cum præ-
rogativis, emolumentis, jurisdictionis, & admini-
strationе. Secundus, quòd in nova dignitate ac- 59
quirat ex adverso prærogativas, emolumenta, ju-
risdictionem, & administrationem, illi connexam.
Tertius, quòd unà cum Ecclesia priore omnia 60
antecedenter habita beneficia à die vacaturæ (de
qua statim) fiant reservata Pontifici, si Translatio
authoritate Pontificiâ peragatur *Extravag. Ad re-
gimen de Præbend. inter commun. Concord. Germ.*
§. *placet.* Secus, si authoritate alterius fiat Trans- 61
latio: & ideò beneficia illorum, qui authoritate
Celsissimi & Clementissimi nostri Principis & Ar-
chi-Episcopi Salisburgensis ad unum ex 4 Episco-
patibus promoventur, non fiunt reservata. P. Engel
ad *tit. de Præbend. sub n.* 16.

Effectus specialis, solique Episcoporum Trans- 62
lationi proprius est, quòd matrimonium spirituale
cum Ecclesia à *qua* solvatur; & cum Ecclesia *ad
quam* de novo contrahatur *cap. bonæ* 4. *in fin. de
Postulat. in verb. à vinculo, quô tenebatur, absol-
ventes &c.*

§. II.

Quandónam Ecclesia prior, à qua fit Translatio, censeatur vacare?

Distinguendum esse judico inter Episcoporum 63
& aliorum Translationem. Quando enim Prælati,
minores Episcopis, transferuntur, eorum dignita-
tes ante non vacant, quam pacificam possessionem
in Ecclesia *ad quam* fuerint adepti. Magnif. P. Kó-
nig *h. t. num.* 12. Textus varii in *cap. si quis Episco-
pus* 5. *& cap. si qui Episcopi* 6. *Dist.* 92. *cap. cùm in
cunctis* 7. §. *cùm verò de Elect. cap. licèt Episcopus*
28. *de Præbend. in* 6. Idemque dicendum esse de 64
beneficiis, quæ habuerunt Episcopi, præter Epis-
copatum, à quo translati sunt, ex paritate ratio-
nis concludit idem König *cit. q.* 12. Et rectè: nam
& textus, in *num.* priore citati, suâ generalitate
non tantùm aliorum Prælatorum, sed etiam Epis-
coporum beneficia complectuntur. Húcque pro-
pendet Rota Rom. in *una Plocens. Canonicat.* 10 *rec.
p.* 1. *dec.* 475. *n.*18. *& seqq.*

Quando autem Episcopi transferuntur ad novum 65
Episcopatum, prior Episcopatus ab eo mox tem-
pore incipit vacare, quô Translatio in Curia Ro-
mana comprobata fuerit, sive possessionem poste-
rioris Episcopatûs acceperint, sive non. Ita com-
munissima hodie sententia docet cum Abbate *con-
sil.*101. *n.*3. *&* 4. Barbosa *J. E. V. lib.* 1. *cap* 19. *n.*37.
Fagnano 10 *cap. quantò h. t. n.* 99. Engel *h. t. n.* 5.
König *ibid. n.* 11. Wiestner *ibid. n.* 13. Krimer *ibid.
nu.*2050. Reiffenstuel *ibid. à num.*35. contra Glossam
in *cap. si quis jam translatus* 3. *XXI. q.*1. Favétque 66
tum expressa decisio Rotalis, in *num.*64. citata à
num. 5. *per tot.* tum declaratio S. Congregationis
Concilii, quam affert Pignatell. *to.* 1. *consult.* 81. *n.*
3. in hisce verbis: *die* 2. *Septembr.* 1617. *in una
Messanens. S. Congregatio ad* 2. *respondit, vacare
Sedem Episcopalem ab eo tempore, quô in Consistorio
per Papam à Vinculo Ecclesiæ Messanensis, & ad Au-
riensem translatus absolvitur*; & alia, quam refert
ibid. Pignat. *n.* 4. sequentis tenoris: *die* 18. *Junii*
1622. *in una Albaraziens. S. Congregatio Concilii,*
perpensâ

perpensâ decisione Rotæ, censuit, ob translationem prædictam, à Sanctissimo D. N. de consensu Episcopi factam, Ecclesiam Albarazicnsem vacasse, etiam antequàm translatus posterioris Ecclesiæ possessionem adipisceretur.

67 Ratio convincens est: quia ex eo tempore, quô
aliquis desinit esse Episcopus, incipit Episcopatus
vacare. Atqui jam à tempore, quô Translatio à
Superiore comprobata fuit, desinit translatus esse
Episcopus prioris Ecclesiæ per *cap. si quis jam cit.*
XXI. q. 2. ubi dicitur, quòd talis Episcopus nil ha-
beat commune cum priore Ecclesia; *cap. in apibus* 41.
§. *ecce VII. q. 1.* ubi Episcopus translatus æquipara-
tur mortuo *cap. bonæ 4. in fin. de Postulat.* ubi à
puncto concessi transitûs dicuntur Episcopi à vincu-
lo prioris Ecclesiæ absoluti. Ergo &c. Confirmatur.
68 Ab illo tempore vacat antiqua Ecclesia, quô matri-
moniû ratificatur cum Ecclesia nova: ne enim duplex
matrimonium eôdem tempore contrahi dicatur, ne-
cesse est, Ecclesiam antiquam, per solutionem ma-
trimonii, jam esse vacantem, quando cum Ecclesia
nova matrimonium fit ratum. Sed matrimonium
cum Ecclesia nova ratum efficitur à tempore admis-
sæ Translationis: quia tunc utriusque, Episcopi &
Ecclesiæ, consensus de præsenti concurrit. Ergo &c.
69 Hæc tamen intelligenda veniunt de ordinaria
Translatione, quâ aliquis sciens volens transfertur.
Si enim quia extraordinariè, dum absens & igno-
rans est, transferretur, certum existimarem, quòd
Ecclesia non statim à momento decretæ à Superiore
Translationis, sed à transferendo acceptatæ, va-
cet: quippe cùm matrimonium spirituale nec sinè
consensu Episcopi initietur, nec sinè dissensu finia-
tur, Abbas *cit. consil. 101. n. 4.* Fagnanus ad *cit. cap.*
quantà n. 96. & seqq. Reiffenstuel ad *h. t. n. 41.*

§. III.

An Episcopo Translato nihil remaneat de reditibus prioris Episcopatus?

70 Videri posset, quòd non. Ratio est: quia Epis-
copus translatus quoad Ecclesiam seu Episcopatum
anteriorem habetur pro mortuo *d. cap. in apibus* 41.
§. *ecce VII. q. 1.* Sed reditus Episcopi demortui de-
bent penes Ecclesiam viduatam remanere juxta *cap.*
quarundam 1. de Testam. cap. quia sæpe 40. de Elect.
in 6. junctô *cap. investigandum 1. cap. ut unusquisque*
71 *3. de Pecul. Cler.* Accedit, quòd in *cap. statutum*
un. XVIII. q. 1. decernatur, ut *Episcopus ad altare,*
ad quod sanctificatur, & titulatur, secundum Sacros
Canones, quod acquirere poterit, restituat. Itáque
tenent multi Authores, quos citant Barbosa *de Off.*
& pot. Episcop. p. 3. alleg. 114. n. 16. & Reiffenstuel
ad *h. t. n. 44.*
72 Ex adverso latere stant Cardinalis Tuschus *cit. T.*
conclus. 364. n. 10. Calderinus, quos adducit, & se-
quitur Reiffenstuel *cit. l. n. 47.* asserentes, reditus &
fructus, jam perceptos, remanere Episcopo Trans-
lato. Ratio est: quia, quod aliquis jam actu acqui-
sivit, id sinè culpa & causa non amittit. Atqui Epis-
copus fructus & reditus, jam perceptos, actu acqui-
sivit per *cap. cùm secundùm 16. de Præbend. cap. ult.*
de his quæ fiunt à majori parte &c. cap. un. de Cleric.
73 *non resid. in 6.* Ergo &c. Confirmatur: quia non
tantùm Episcopi, sed quilibet Clerici, licèt fundo-
rum & rerum, ad Ecclesias suas pertinentium, non
sint domini sed usufructuarii: attamen, sicut usu-
fructuarius fructus perceptos facit suos §. *is verò 36.*
Inst. de R. D. l. si fructuarius 13. ff. quibus mod. usus-
fructus amit. sic etiam fructus, ex fundis Ecclesiæ
perceptos, facient suos; nec poterunt, absque in-
juria, illis privari.

Hæc sententia posterior solidior esse videtur, ac 74
Rotæ Romanæ probata, veluti constat ex *rec. cit.*
p. 1. dec. 240. per tot. præsertim in *n. 7.* ubi etiam alle-
gatur duplex alia decisio, una de *Translat. Ep. in*
antiq. & altera in *una Burgens. expens. p. 1. divers.*
Cui non obstant textus, in *n. 69.* citati: utpote cùm 75
Episcopus translatus sit mortuus quoad priorem Ec-
clesiam non absolutè, sed respectivè tantùm, puta
quoad jus, quod in ipsa Ecclesia & Ecclesiæ bonis
habebat; non verò quoad fructus & redditus, quos
ab Ecclesia jam percepit. Nec obstat textus in 76
num. 70. ex cap. statutum. hic namque loquitur de
Religioso, in Episcopum evecto, qui propter vo-
tum paupertatis, quò ex veriore sententia non cen-
setur esse absolutus, ea, quæ acquirit tanquam
Episcopus, non sibi, non suo Monasterio, sed Epis-
copatui acquirit: quod secus est in Episcopis Sæ-
cularibus, qui, quòd jurium temporalium capaces
sint, non Ecclesiæ sed sibi acquirunt.
Quid de fructibus pendentibus decidendum sit: 77
an successori ex integro reservari, an inter ipsum &
translatum dividi debeant? Aliâ vice deducetur.
Interim pro successore, quòd ipsi debeant reserva-
ri, stetit Rota, in *n. 73.* allegata.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Ad Translationem requiritur causa.* 2. *Quandoque sufficiunt merita personæ.* 3. & 4. *Utrùm sit aliqua differentia inter merita & alias causas?* 5. & *seqq. An possit Episcopus invitus transferri sinè causa? Refertur sententia Mattæ.*

QUÆSTIO I.

Quales causæ requirantur ad Translationem?

DUas in genere causas ad justitiam Translatio- 1
nis requisivi in *præs. cap. num. 40. & seqq.* ne-
cessitatem videlicèt & utilitatem, quarum utraque
videtur respicere locum, ad quem fit Translatio,
prout studiosè notavit Matta de *Consistorial. caus.*
Sect. 14. n. 12. Posse tamen fieri subinde Translatio- 2
nem ob merita personæ de una Ecclesia ad aliam,
cum Abbate in *cap. cùm nobis de Elect. nu. 5.* Idem
ibid. adstruit. Differentiam inde notabilem ponit 3
cit. Abbas, quòd nempe, si Translatio fiat ob me-
rita personæ, Ecclesia non vacet, nisi à die præstiti
consensûs; sin verò ob necessitatem aut utilitatem
Ecclesiæ decernatur, Ecclesia statim vacet à die
Translationis ad secundam. Verùm *cit.* Matta *n.* 4
19. magis inclinat in sententiam Rotæ, quam retuli,
& defendi in hoc ipso *c.* à *n. 65.*

QUÆSTIO II.

An aliquis invitus possit transferri ab una Ecclesia ad aliam?

Sententiam, quæ tenet, Episcopum invitum trans- 5
ferri posse à Papa, etiam sinè causa, valde duram
pronuntiat Matta *cit. l. num. 22.* eáque à nobis in
alleg. *hoc cap. num. 50.* electa non fuit. Evenien- 6
te proinde casu, quô Episcopum ad aliam Eccle-
siam transferri expediret, Matta *cit. l. n. 23.* credit,
eum opportunis Juris remediis ad præstationem
consensûs fore cogendum, prout observatum se vi-
disse testatur, quando ad dimittendam Ecclesiam
legitimæ causæ extabant.

CAPUT IV.

De Nominatione.

Quartus Modus acquirendi Prælaturas Ecclesiasticas est *Nominatio*; quæ equidem rarior est in Germania, quàm in aliis Regnis, specialem nihilo minùs dispectionem meretur.

SECTIO I.

De Natura & Titulis Nominationis.

SUMMARIA.

1. *Nominationis nomen usque ad n. 4. inclusivè explicatur.* 5. *Definitio.* 6. *Est assumptio personarum.* 7. *Ad Prælaturam Ecclesiæ viduatæ.* 8. *Ad Superiorem.* 9. *Non - Collegialiter directa.* 10. *Jus nominandi potest acquiri ex privilegio.* 11. & *seqq. Exemplificatur.* 14. & *seq. Item ex jure patronatûs.* 16. *Item ex præscriptione.*

§. I.

De Vocabulo Nominationis.

1 NOminatio nomen suum à nominando, seu demonstrando personam adepta, quandoque tam effusè accipitur, ut etiam Electionem & Postulationem comprehendat ex dictis in *cap.* 1. *num.* 4. & textu in *cap. cùm olim* 12. *de Sentent. & re judic.* Tamburinus *de J. A. tom.* 1. *disp.* 7. *q.* 1. *n.* 1. qui enim eligit aut postulat, nominat quoque personam electam aut postulatam.
2 Quandoque accipitur strictè pro illa consultatione, quâ Capitulum antecedenter ad Electionem nominat unam vel plures personas, quæ cæteris habiliores ad Prælaturam videntur, de qua consultatione actum in *côd. cap.* 1. *à n.* 222. Tamburinus *cit. q. n.* 2.
3 Quandoque adhuc strictiùs accipitur pro præsentatione, quam facit Patronus, unam personam, si Ecclesiasticus; vel plures, si Laicus sit, ad beneficium vacans, quodcunque demùm fuerit, simplex, vel curatum, nominando, de quo in *cit. cap.* 1. *n.* 9. & Interpretes ad Lib. III. Decretal. *tit. de Institut.* & *Jure Patronatûs.* Leuren. in *foro benef. part.* 2. *cap. præamb. q.* 10. *n.* 2.
4 Quandoque demum strictissimè accipitur Nominatio, & solam designationem personæ ad Prælaturam Ecclesiasticam viduatam comprehendit. Tamburinus *d. n.* 2. Et, cùm ea acceptio proposito faveat, in illius sensu

§. II.

Definitio Nominationis.

5 Definitur Nominatio, quòd sit assumptio personarum ad Prælaturam Ecclesiæ viduatæ ad Superiorem non - collegialiter directa.

6 Dixi I. *assumptio personarum.* In quibus nominibus partim convenientiam Nominationis cum aliis acquirendi modis subjeci, juxta *cap.* 1. *n.* 8. partim & disconvenientiam adumbravi, dum per reliquos modos una duntaxat persona; per Nominationem verò quandoque etiam plures possunt designari, non quidem ut plures in Dignitate simul constituantur, sed illa ex illis, quæ Superiori magis placuerit, assumatur. Tamburinus *d. q.* 1. *n.* 2.

Dixi II. *ad Prælaturam Ecclesiæ viduatæ.* Ut Nominationem à præsentatione ad beneficia minora distinguerem, utpote cum quibus nullum in præsenti commercium, sed tota tractatio cum Prælaturis Ecclesiasticis occupata est. 7

Dixi III. *ad Superiorem.* Nominatio etenim, sicut præsentatio Patroni, ad Superiorem dirigatur, necesse est, ut ab eo cognoscatur, examinetur, admittatur; sicuti docebitur in *sect. seq.* 8

Dixi IV. *non collegialiter directa.* Quare Nominatio substantialiter ab Electione & Postulatione discriminatur: quia Electio & Postulatio fiunt ab Universitate quà tali collegialiter *cap.* 1. *n.* 13. & *cap.* 2. *n.* 8. Nominatio autem fit a persona individuali & singulari, aut saltem ab Universitate, privatorum instar considerata. 9

§. III.

Assignantur Tituli, ex quibus jus nominandi acquiritur.

Jus nominandi acquiritur I. ex speciali indulto & privilegio Summi Pontificis. 10 Tale privilegium habent I. Reges Galliæ, qui post multas altercationes, concertationes, & deliberationes, quibus antehàc provisum erat Prælaturis Gallicanis, tandem annô 1515. vel (ut scribunt alii) annô 1516. ex Concordatis, inter Leonem X. Pontificem, & Franciscum I. Bononiæ conclusis, jus acceperunt, personas idoneas ad omnes Episcopatus, nec non Abbatias perpetuas (paucis exceptis, quarum meminit Tamburinus *d. disp.* 7. *q.* 1. *n.* 3. & *seqq.*) in Regno Galliæ, Delphinatu, & Comitatu Diensi ac Valentinensi, vacantes, nominandi, reservatâ Pontifici facultate, nominationes, à Regibus factas, confirmandi. Eminentiss. Card. Cœlestinus Sfondrati *Regal. Sacerd. in prælud.* §. 1. sub *n.* 13. *pag.* 105. Lotter de *Re benef. q.* 15. *n.* 31. Pax Jord. *l.* 10. *tit.* 2. *n.* 67.

Tale privilegium II. habere Reges Hispaniæ, 11 quòd nempe plerosque Regnorum suorum Antistites ad Ecclesias Cathedrales nominare, & Summo Pontifici confirmandos præsentare valeant, attestantur Covarruv. ad *cap. possessor. part.* 2. §. 10. *n.* 5. & Barbosa *de Off. & pot. Episc. part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. *à n.* 27. Lotter *d. l. n.* 32.

Tale privilegium habuisse III. Romanorum Im- 12 peratores, constat ex *cap. Hadrianus* 22. & *cap. seq. Dist.* 63. & dictum est in *cap.* 1. *à n.* 48. & 670. idque sæpius & diversimodè ab illis usurpatum fuisse, usque dum in Concilio Generali Lateranensi, atque etiam in Comitiis Wormatiensibus sub annum 1122. ab Henrico V. cum Statuum Imperii assensu Electiones Episcopales in plenissimam libertatem assertæ, & ab omni Cæsareo consensu exemptæ sunt, salvâ tamen Feudorum & Regalium investiturâ, per sceptrum faciendâ, docet *cit.* Cardin. Sfondrati *d. loc. pag.* 104. & *seq.* Quod ipsum etiam affirmat 13 Henricus Linckius in *Commentar. ad Decretales Lib. I. tit. VI. de Elect.* §. 4. quem reliqui Publicistæ & Scriptores Acatholici, non tamen sinè aculeo in Pontificem, sequuntur. Contra quos repetantur dicta in *cap.* 1. *à n.* 630.

II. acquiritur jus nominandi ex jure patronatûs. 14 Quando enim Ecclesia Collegiata, Conventualis, aut Cathedralis, ab aliquo fundata, exstructa, aut dotata est, potest ab eo jus patronatûs, seu jus præsentandi & nominandi Prælatum, accedente saltem Ordinarii consensu, reservari, prout colligitur ex

ex cap. nobis fuit 25. *v. nisi aliter de sua jurisdictione obtineat de Jure Patronat.* & tenet Gonzalez ad *cap. sacrosanctæ* 51. *de Elect.n.*10. quem in *tract. de Præscript. cap.4.n.*469. retulimus. Tenent quoque Covarruv. *cit.§.10.n.*5. Barbosa *cit. tit. 1.cap.3.n.*33. *& seq.* Tamburin. *cit.disp.7.q.5.n.1.& seqq.*

15 Dixi: *accedente saltem Ordinarii consensu.* Nam Card. de Luca, quantumvis de Jure Patron. *Disc.* 15.*sub n.6.disc.*20.*n.*16. *disc.* 68. *n.*8.*& seqq.* admittat, in limine fundationis à Patrono reservari posse conditiones, etiam Juri communi refragantes, solius Ordinarii consensu præhabitó per textus in *cap. prætereà* 23.*de Jure Patron. cap. quanto* 16. *de Censib. cap.verum* 4 *de Condit. appos.* attamen in *eôd.l.disc.* 55. *n.* 14. consensum apostolicum efflagitat: patrocinante eidem Rotâ Rom. in *rec. p.* 5. *decis.* 593. *n.* 6. *& seqq.*

16 III. acquiritur ex præscriptione temporis immemorialis, veluti deducitur ex Trident. Concil. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 9. & resolutione Rotæ in *rec. p.7.dec.29.à n.9.* ac cum Covarruv. *cit.* 9.10. *num.*4. tradunt Barbosa *cit.cap.3. num.*28. & 33. & Tamburinus *cit.q.5. à num.*5. Rememorentur dicta de *Præscript. cit. l. à n.*467.

SECTIO II.

De Conditionibus, in Nominatione servandis.

SUMMARIA.

17. *Nominanda est persona idonea.* 18. *& seq. Et Graduata, si Reges Galliæ nominent Episcopum.* 20. *Imo etiam, si alii Reges nominent.* 21. *Aliæ qualitates in Abbatibus desiderantur.* 22. *In Nominatione dignior est præferendus.* 23 *Debet Nominatus præsentari Superiori.* 24. *& seq. Et quidem Pontifici.* 26. *Reges Galliæ intra sex menses.* 27. *Si Nominatio repudietur, intra alios tres menses, præsentare debent.* 28. *Reges Hispaniæ certum non habent tempus.* 29. *Reliqui Principes habent tempus quadrimestre.*

§. I.

Qualis persona sit nominanda?

17 UT Nominatio legitimè fiat, nonnullæ conditiones observandæ sunt, quarum prima est, ut nominetur persona idonea. Censetur autem persona idonea I. si non tantùm vitiis, quibus eligendum carere debere in *cap.1.sect.3.§.4.* latè dissertum est, destituta, sed etiam qualitatibus virtuosis, quas in eligendo *cit. sect.§.1.2. & 3.* exegimus, exornata sit.

18 II. ex specialibus Regum Galliæ Concordatis per Franciscum I. cum Leone X. erectis, oportet personam, ad Ecclesias Cathedrales nominandam, esse *virum gravem, Magistrum seu Licentiatum in Theologia, aut in utroque Jure, seu in alterutro Jurium Doctorem aut Licentiatum, in Universitate famosa, & cum rigore examinis, & in* 27. *suæ ætatis anno ad minùs constitutam.* Pax Jord. *d.l.*Leureo.in *foro benef.*
19 *p.2.cap.præamb.q.*10. *nu.*4. Exceptis consanguineis Regis, ac personis sublimibus, nec non Religiosis ex Ordine Mendicantium reformatis, eminentis scientiæ & excellentis doctrinæ, ex Regula sui Ordinis Graduum Academicorum incapacibus, in quibus ex causa rationabili & legitima, in Nominatione & literis Apostolicis exprimendâ, circa Gradum fieri
20 potest relaxatio. Leuren. *d. n.*4. Similes ferè personas à Rege Catholico, aliisque Regibus & Principibus esse nominandas, deducitur ex Concil. Trid. *Sess.22.de reformat.cap.2.* ubi præscribitur, *ut, quicunque post hàc ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus, præter cæteras qualitates, scientiâ ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere.* Ideóque anteà *in Universitate Studiorum Magister, sive Doctor aut Licentiatus in S. Theologia vel Jure Canonico meritò sit promotus, aut publicò alicujus Academiæ testimonió idoneus ad alios docendos ostendatur.*

III. in nominandis ad Abbatias vel Prioratus Regulares singulariter desiderari, ut sint Religiosi; eundem Ordinem, cujus est Prælatura, professi; ac in ætate 23. annorum constituti, refert ex Concordatis Gallicis Tamburin. *cit.tom.* 1. *disp* 7.*q.*3.*num.*1. Pax Jord. *d. l.* 21

Utrùm in Nominatione dignior digno præferri debeat? Articulum eò certiorem credo, quò generaliùs & clariùs Tridentina Synodus *Sess.24.de reform.cap.1.omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque jus quâcunque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioqain operam præstant &c. hortatur & monet, ut inprimis meminerint, nihil se ad DEI gloriam & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores & Ecclesiæ gubernandæ idoneos, promovere studeant; eósque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi, quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus vel humanó affectu aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Relegantur scripta in *cap.* 1. *à n.* 270. ubi plura de Electione dignioris habentur. 22

§. II.

Cui persona nominata sit præsentanda?

Ad conditiones, in Nominatione servandas, pertinet secundò præsentatio, quâ nominans nominatum Superiori pro Confirmatione proponit. Et, spectato antiquiori Jure, sicut electorum, sic nominatorum Episcoporum præsentatio pro Confirmatione facienda esset Metropolitano, Prælatorum verò inferiorum Episcopo Diœcesano per ea, quæ in *cap.* 1. *n.* 508. scripta fuère. Spectatô autem noviori Jure, sicut omnes Electiones, sic etiam electorum Confirmationes Papæ reservatæ sunt, ac quoad Ecclesias Cathedrales & Regulares exemptas manserunt, postquàm deinde per specialia Concordata seu Electio seu Nominatio ad alios tum Sæculares tum Ecclesiasticos devoluta est. Ut proptereà in omnibus Regnis, ubi jus nominandi in usu est, nominatus Summo Pontifici præsentari debeat, quatenùs, prævià inquisitione in vitam, mores, dignitatem, & conditionem &c. Confirmationem ab eodem accipiat. Tamburin. *cit. disp.7. q.* 3. *num.* 1. 23 24 25

§. III.

Quô tempore sit facienda præsentatio?

Inter conditiones legitimæ Nominationis tertiò recensetur tempus sex mensium, intra quod, à die vacationis numerandum, Rex Galliæ, vigore Concordatorum, tenetur Summo Pontifici personam nominatam præsentare, tribus eum in finem Epistolis Romam ablegatis; unâ ad Pontificem, alterâ ad Legatum Romæ residentem, tertiâ ad Cardinalem Protectorem Regni Franciæ, quatenùs eò celeriùs negotium expediatur. Quòd si Nominationem ob vitium personæ recusaverit Pontifex, Rex alium 26

nomi-

nominare potest intra spatium trium mensium (vel, ut scribit Lotter. *cit. l. n.* 32. sex mensium) à die recusationis, sollicitatori Regio manifestatæ, computandorum. Tamburinus *cit. disp.* 7. *q.*4.*n.*1. Leurenius *d.l.n.*4. Pas Jordan *n.* 67.

28 Quod de Rege Galliæ dictum est, ad Reges Catholicos non spectare, Garcias *de benefic. part.* 10. *cap.*2.*n.*34. *in f.* defendit: eò quòd legitimâ præscriptione id juris acceperint, ut nec intra tempus 4. mensium, aliàs Patronis Laicis pro facienda præsentatione præfixum, nec intra aliud determinatum præsentare teneantur; idque ideò: quia multis occupationibus quà belli quà pacis districti, non potuerunt certô tempore constringi.

29 Quoad alios Reges & Principes, qui peculiaribus Concordatis, pactis, præscriptionibus muniti non sunt, crederem, ex paritate rationis dicendum esse, quòd intra quatuor menses, sicut aliàs Patroni Laici Nominationem Pontifici intimare obligentur *arg. cap. quoniam* 3. & *cap. cùm propter* 27. *de Jure Patron.*

SECTIO III.

De Effectu Nominationis.

SUMMARIA.

30. *Nominatio ante admissionem Superioris tribuit jus ad rem.* 31. *An nominatus ante admissionem possit administrare?* 32. *Resp. negativè.* 33. *An cadat jure quæsitò, si præsumat administrare?* 34. *Resp. negativè.* 35. *Nominatio admissa est locô Confirmationis.* 36. *Omnes illius effectus producens.* 37. *Obligat ad recipiendam Consecrationem.*

§. I.

Quid operetur Nominatio, nondum à Pontifice admissa?

30 NOminatio, antequàm à Pontifice fuerit admissa, tribuit tantummodò jus ad rem *arg. cap. si tibi absenti* 17. *de Præbend. in* 6. ratione cujus non quidem rejici potest persona nominata à S. Pontifice, si digna sit, potest tamen ab ipso nominante alia persona nominari, absque eo, quòd injuria priùs nominatæ irrogetur *arg. cap. quod autem* 5. *de Jure Patron.* & insinuat Tamburinus *sæpe cit. disp.*7. *q.*1. *num.* 2.

31 An nominatus ante Confirmationem, sicut electus in concordia, vi *cap. nihil* 44. *de Elect.* administrare possit? Non sinè fundamento dubitari posset: quia videlicèt æqualis ratio, ex necessitate & periculo Ecclesiarum petita, tam pro nominato quàm electo militat. Quia verò dispositio illa à Jure com-
32 muni exorbitat; ac prætereà jus, Electione quæsitum, est fortius jure, per Nominationem acquisitô: non errabit, qui sententiam negativam elegerit.

33 Similiter, an nominatus, ante Confirmationem administrationi semet ingerens, æquè ac electus ex dispositione *cap. avaritiæ* 5. *de Elect. in* 6. cum aliis concordantibus, privetur jure suo? Ambigere quis
34 posset: cùm & hîc rationis paritas inveniatur. Nihilominùs verius esse censeo, quòd non privetur: quia dispositio *cit. cap.* est pœnalis & odiosa; adeóque ad casus alios, ne quidem urgente rationis paritate, extendenda est. Atque ita in simili de præsentato docent Lessius *de J. & J. lib.* 2. *cap.*34.*n.*15. Wiestner ad *lib. III. tit.* 7. *num.* 5. Schmalzgrueber *ibid. sub num.* 6.

§. II.

Quidnam operetur Nominatio, à Superiore admissa?

Nominatio, à Superiore admissa, est locô Con- 35
firmationis vel institutionis, sicque tribuit jus in re *arg.* anteà *cit. cap. si tibi absenti* 17. *de Præbend. in* 6. & *cap. transmissam* 15. *de Elect.* Et quia ex jure 36
resultat tum potestas administrandi, tum vinculum matrimonii spiritualis rati, quod habet Episcopus cum Ecclesia; haud dubiè Episcopus, ita nominatus & confirmatus, sortietur administrandi potestatem, eritque instar electi & confirmati suæ Ecclesiæ tanquam Sponsæ copulatus. Confer dicta in *cap.* 1. *à n.* 520.

Porrò quemadmodùm Confirmatio stringit ele- 37
ctum, ut intra tres menses à die Confirmationis Consecrationem petat; sic quoque stringit nominatum. Barbosa *de Off. & pot. Episc. p.* 1. *tit.* 1. *cap.*5. *n.*2. Plura de Jure nominandi huc transferri poterunt ex *tom.* 2. *lib.*3. *tr. de Pers. Reb. & Jur. Eccles.* ubi de Jure Patronatûs agetur.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. & 2. *Indicatur differentia, quam habet Matta, inter nominationem & præsentationem.* 3. *Insinuatur nostra.* 4. & *seq. Confirmatur ex doctrina D. de Santis.* 8. & *seq. In nominandis desideratur aliquis Gradus Academicus.* 10. & *seq. Præviô rigorosô examine.* 12. & *seqq. Debet etiam nominandus esse exercitatus in dogmatibus fidei, & in hac materia non suspectus; allegatô eum in finem exemplô non adeò antiquo.*

QUÆSTIO I.

An Nominatio differat à præsentatione?

DIfferentiam inter Nominationem & præsenta- 1
tionem assignat Matta de *Consistorial. caus. sect.* 17. *num.* 6. quòd, qui nominandi gaudet facultate, tempore vacationis unum tantùm nominare possit, non autem plures; qui nominatus, si recusetur à Papa, tunc alterum nominare possit, ac proinde nominare secundum nequeat, nisi à die recusationis primi; &, si secundus etiam fuerit reprobatus, tertium nominare haud liceat: cùm è contra, qui 2
habet facultatem præsentandi, plures præsentare valeat, cumulativè tamen, non recedendô à primo; &, si plures præsentaverit, cæteris paribus detur locus gratificationi; aliàs, qui potior seu primô locô præsentatus est, præferri debeat.

Verùm hæc differentia plurimùm differt à nostra 3
tum synonymia tum definitione Nominationis, in hoc *cap. à num.* 3. expositâ, cujus æquè in Nominatione quàm præsentatione plures cumulativè assumere concessum est. Ideóque Illustriss. D. Anto- 4
nius Flavius de Santis in *Exam. Consistor. cap.* 13. *num.* 76. non tantùm nobiscum sentit, nostramque definitionem probat, sed etiam, quòd Mattæ doctrina subsistere non videatur, asserit; solúmque inter nominatum & præsentatum discrimen in eo considerari posse, admittit, quòd, si habens jus nominandi plures nominet, primò nominatus, si aliàs sit idoneus, præferatur, ut in terminis *Concordat. Franc.* Rebuffus *tit. de Reg. Prælat. nominat. tit. c.* §. 1. *vers. etsi nominaveris duos simul &c.* & generaliter in *cap. quorundam de Elect. in* 6. Felin. in *cap. cùm dilecta n.* 5. *de Rescript.* Fagnan. in *cap. bonæ memoriæ*

5 memoriæ de Postulat. Prælat. num. 70. at in præsentatione, cumulativè factâ, si præsentati omnes sint æquè idonei, locus detur gratificationi, possitque Superior instituere vel confirmare, quem voluerit per text. in *cap. cùm autem* 24. *de Jure Patronat.* ubi communiter Canonistæ, & signanter Fagnanus
6 *num.* 14. & 20. cùm de cætero, sicut laicus, recusatô unô nominatô, potest alterum nominare, ut patet ex *dd. Concordat. Franc.* & dixit Rebuffus *d. l. lit. c.* ita laicus, rejectô primô præsentatô, potest & alterum præsentare, durante adhuc tempore, quod ipsi competit ad præsentandum, eumque Superior ex gratia instituere. Fagnan. in *cap. cùm autem* n. 12. &
7 24. *de Jure Patron.* Quòd si in utroque casu, rejectô primô nominatô vel præsentatô, fuerit præsentatus vel nominatus secundus, non poterit tunc ampliùs tertius nominari vel præsentari, cùm id tantùm simul facere concedatur ad literam textus in *d. cap. cùm autem*, & ibi Fagnanus *num.* 8. & Barbosa *num.* 2.

QUÆSTIO II.

Quænam qualitates in personis nominandis desiderentur?

8 Enumeratæ sunt aliquæ in hoc *cap.* à *num.* 17. & inter eos ex Concordatis Galliæ desideratus est Gradus Magisterii seu Licentiatûs in Theologia, aut
9 in utroque Jure, seu in alterutro &c. Et, quamvis alii Reges & Principes hisce concordatis non ligentur; observare tamen obligantur constitutiones Concilii Tridentini *sess.* 22. *de ref. cap.* 2. ubi generaliter in persona assumenda ad Ecclesias Cathedrales exigitur, ut anteà in Universitate Studiorum Magister seu Doctor in Sacra Theologia, vel Jure Canonico, meritò sit promotus, aut publicô alicujus Academiæ testimoniô idoneus ad alios do-
10 cendos ostendatur. In quo advertendum esse, monet prælaudat. D. de Santis *d. cap.* 13. *n.* 18. quòd non quilibet Licentiatus sit capax Regiæ nominationis, sed ille tantùm, qui cum rigore examinis ad hunc gradum ascenderit, hoc est, qui per DD. examinatus, & sinè examine ad Gradum non sit receptus, ut bene explicat Rebuff. de *Regia ad Prælat. no-*
11 *minat. cum rigore examinis &c.* Unde solliciti esse debent DD. ait idem Vir eruditissimus, quibus admissio ad hujusmodi Gradus incumbit, ne publica illa eruditionis ac capacitatis testimonia dentur iis, qui scientiâ & capacitate, quam Gradus præfert, debitè non sunt instructi.

Utrùm nominandus in dogmatibus Ecclesiasticis
12 adeò exercitatus esse debeat, ut, si quid contra ea attentaverit, à Rege vel Principe nominari, vel saltem nominatus admitti nequeat, donec eisdem dogmatibus obtemperaverit, ac Ecclesiæ satisfecerit? Inquirit idem D. de Santis *num.* 193. & *seq.* at-
13 que ex eo, quòd in nominando scientia Canonum desideretur, ut relatis pluribus canonicis documentis antiquioribus probat Thomasin. de *Benefic. p.* 2. *lib.* 1. *cap.* 89. *n.* 6. *cap.* 90. *num.* 1. & 8. & *cap.* 91. *num.* 12. in casu, quô eis contravenit, concludit affirmativè: cùm nulli Sacerdotum liceat quidquam
14 facere, quod PP. possit regulis obviare *cap. nulli* 4. *Dist.* 38. &, si non obtemperet, debeat esse alienus à munere Pontificalis officii *cap. nulli fas est* 5. *Dist.* 19. & *Novell. Justin.* 6. *cap.* 1. adducitque exemplum de Petro de Marca, ex simili causa ab effectu suæ nominationis suspensô.

CAPUT V.

De Collatione.

Quintus modus, isque ante Germaniæ aliarùmque Nationum Concordata, ferè quotidianus acquirendi Prælaturas Ecclesiasticas, est *Collatio*, de qua in præsenti *cap.*

SECTIO I.

De Natura & Jure Collationis.

SUMMARIA.

1. *Collationis etymon.* 2. *Definitio.* 3. *Est libera assumptio personæ.* 4. *Ad Prælaturam vacantem.* 5. *Citra alterius præsentationem &c.* 6. *Competit de Jure S. Pontifici.* 7. *Qui olim suæ Collationi omnes Prælaturas reservavit.* 8. *Ex speciali privilegio competere potest aliis.* 9. *Nec non ex jure patronatus.* 10. & *seq. Item ex jure præscriptionis.* 12. *Dummodò præscribens non sit Laicus, sed Clericus ac possessionis capax.*

§. I.

Quid sit Collatio?

Collatio dicitur à conferendo seu concedendo, venitque in Jure Canon. in tit. 8. *Lib. III. Decretal.* sub nomine *concessionis*, & 1

Definitur, quòd sit libera assumptio personæ ad Prælaturam vacantem, citra alterius præsentationem vel nominationem facta. 2

Dixi I. *libera assumptio*, seu spontanea, & nullô jure cogente facta concessio. Ut distinguatur Collatio ab Institutione, & Confirmatione, quæ non liberè, sed necessariò fit. 3

Dixi II. *ad Prælaturam vacantem.* Nam Collatio de se non minùs ad beneficia minora quàm majora, perinde ad beneficia simplicia, quam Prælaturas porrigitur. Ut ergo ostenderem, non de qualicunque, sed sola Prælaturarum Collatione, hìc tractari, memorata vocabula annectenda erant. 4

Dixi III. *citra alterius præsentationem &c.* Demonstro itaque discrimen inter Collationem & reliquos modos acquirendi dignitates Ecclesiasticas: hi siquidem aliorum nominationem, præsentationem, vel deliberationem supponunt, quâ sinè non licet Superiori ad provisionem devolare: illâ propriô motu, independenter ab aliorum facto, decernitur. 5

§. II.

Quô Jure Collatio possit competere?

Eodem ferè Jure, quô facultas nominandi potest alicui competere, competit quoque facultas conferendi. Et inprimis ex Jure Communi liberrima quarumcunque dignitatum Collatio S. Pontifici competit: huic enimverò, tanquam Supremo rerum spiritualium Dispensatori, illimitata potestas, circa beneficia disponendi, ex officio & natura Summi Præsulatus est permissa. Rationes datæ sunt in *cap.* 1. *n.* 43. & *seqq.* 6

7 Hinc factum est, ut Pontifex, postea quàm à longo tempore jus eligendi Capitulis Ecclesiarum vacantium indulserat, illud per varias Extravagantes constitutiones, Bullas, Regulas Cancellariæ, ad se retrahere, ac plerasque, etiam majores Ecclesias, Prælaturas Regulares & Sæculares, liberæ suæ Collationi reservare cæperit, per dicta in *cit. cap.1. n.156.*

8 Deinde ex Jure speciali, privilegiô videlicèt Pontificiô, quin aliis Prælatis Ecclesiasticis potestas conferendi Prælaturas competere possit, nullus, ut opinor, tam hospes est in Jure, ut nesciat. Tale privilegium ex concessione plurium Pontificum obtinet Celsissimus S.R.I. Princeps & Archi-Episcopus Salisburgensis, quò Episcopatus quatuor, Gurcensem, Chiemensem, Seccoviensem, & Lavantinum, omni reservatione sublatâ, liberrimè valet conferre. Videatur Historia Salisburgensis *lib. 6. pag. 984. & plur. seqq.*

9 Idem ferè dicendum est de jure patronatus, quô, accedente comprobatione Apostolicâ, fundator, dotator, aut constructor Ecclesiæ Collegiatæ seu Conventualis, si Clericus sit, jus conferendi Prælaturam nancisci potest, ut insinuat Magnif. P. König ad *tit. de Concess. Præb. l. n.3.*

10 Ad hæc jure præscriptionis, saltem immemorialis, Episcopis & cæteris Ecclesiarum Prælatis Collationem beneficiorum electivorum acquiri posse, colligitur ex *Clem. un. in princ. de supplend. neglig. Præ-*
11 *lat.* Et ratio est: quia, suppositâ capacitate possessionis, quam respectu jurium spiritualium certò habent Prælati Ecclesiastici, procedit regula, quòd tantum operetur præscriptio immemorialis, quantum operatur privilegium ex dictis in *tract. de Præscript. cap.6. à n.43.* König *cit. tit. n. 10.* Pirhing ad *tit. de Præbend. n.86.*

12 Quod attinet Laicos, illi titulô præscriptionis qualiscunque, hominum quoque memoriam excedentis, ob incapacitatem possessionis nequeunt ad Collationem habilitari *arg.* dictorum *cap.1. n.69.*

SECTIO II.

De Objecto Collationis.

SUMMARIA.

13. *Objectum Collationis sunt Prælaturæ.* 14. *In Germania reservata.* 15. *& seq. Nempe dignitates, à Cardinalibus possessa.* 7. *& seq. Aut ab Officialibus & commensalibus Pontificiis detenta.* 19. *& seq. Aut vacantes apud Sedem & in curia.* 21. *& seq. Aut Sedis Apostolicæ privatione.* 23. *& seqq. Aut ejusdem promotione vacantes reddita.* 26. *& seq. Aut si sint primæ dignitates.* 28. *& seq. Aut si per sententiam Apostolicam quispiam deponatur.* 30. *& seq. Non etiam si depositio fiat per sententiam Ordinarii.* 32. *& seqq. Opposita referuntur, & diluuntur.* 36. *& seqq. Aliqui putant, Decanatum, à neo-electo Episcopo resignatum, fieri reservatum.* 39. *& seqq. Contrarium asseritur, & probatur.*

§. I.

Quásnam Prælaturas de facto liberè possit conferre S. Pontifex in Germania?

13 Objectum Collationis sunt Prælaturæ Ecclesiasticæ, quarum pleràsque Summo Pontifici per speciales constitutiones reservatas fuisse, constat ex *n.*
7. Quia tamen in *cap. 1. num. 65.* advertimus, in Germania nostra cum Nicolao V. Romano Pontifice ex una; & Friderico III. Romanorum Imperatore ex altera parte, specialia Concordata fuisse inita, ac liberam eligendi facultatem Capitulis Ecclesiarum Germaniæ ita fuisse restitutam, ut tamen adhuc aliqua reservatio suo in statu permanserit, non erit abs re, modò speciatim recensere, quasnam dignitates vi talis reservationis liberè possit conferre Pontifex. 14

Primò itaque, post Germaniæ Concordata, Collationi Pontificiæ subsunt Dignitates, quas possederunt ante obitum S.R.E. Cardinales. Textus in Concord. §. *placet nobis* conformiter *Extravag. ad regimen 13. de Præb. inter commun.* Exemplum allegat 15
Georg. Branden in *collectan. super concordat. q.16. n. 11.* in Serenissimo Philippo Bavariæ Duce, Episcopo Ratisbonensi, S.R.E. Cardinale &c. post cujus decessum Capitulum Cathedrale processerat quidem ad Electionem Illustrissimi D. Sigismundi Friderici Fugger, eam tamen Sedes Apostolica cassavit, atque propter singularia personæ merita non ratione Electionis, sed liberæ Collationis eidem Sigismundo Episcopatum Ratisbonensem concessit. 16

Secundò ad Collationem Papalem spectant Dignitates, per obitum alicujus Officialis vel etiam commensalis Pontificii, puta Vice-Cancellarii, septem Notariorum, Auditorum, Referendariorum, & aliorum, qui recensentur in Concord. *d. §. placet*, vacantes. Exemplum adducit idem Branden 17
cit. l. num. 5. in Francisco Orano, Palatii Apostolici Auditore, cujus tres Præposituræ, quas in Diœcesi Leodiensi habebat, quantumvis electivæ, à S. Pontifice post illius mortem liberè sunt collatæ. 18

Tertiò pro libitu confert S. Pontifex Prælaturas *apud Sedem & in Curia* vacantes. Tales sunt Prælaturæ eorum, qui quorumcunque negotiorum causâ ad Curiam Apostolicam (cujus nomine probabiliùs intelligitur locus, in quo causarum & literarũ Apostolicarum audientia est & expeditio. Wiestn. ad *tit de Præbend. num. 80.*) accedunt, vel ab ea recedunt, quando in Curia vel extra Curiam in loco, ultra duas diætas, seu iter biduanum non distante, moriuntur *d. §. placet.* Tales quoque sunt Prælaturæ, 19
quarum resignatio fit in manus Pontificis, sive resignatio à principali præsente, sive ab absente per procuratorem fiat. Covarruv. *pract. quæst. 36. n.4.* Gonzalez ad *reg. 8. Cancellar. glossem. 12. §. 1. n.42.* P. Engel ad *tit. de Præbend. n. 9. in fin.* P. Pirhing *eôd. tit. num. 360.* 20

Quartò liberam Collationem habet Pontifex in Prælaturis, per depositionem, privationem, & translationem, authoritate Sedis Apostolicæ factam, va- 21
cantibus *d. §. placet.* Hac de causa superioribus annis Capitula Cathedralis, Frisingense, & Ratisbonense, Ecclesiis suis, per Serenissimi Principis Clementis Episcopi ad Leodiensem Ecclesiam translationem vacantibus, & propterea reservatis, ad Episcopi novi Electionem non potuissent procedere, nisi ex speciali Sedis Apostolicæ gratia eligendi facultatem impetrâssent, ut rectè advertit P. Wiestner *cit. tit. de Præb. n.87.* 22

Quintò sub liberam Collationem veniunt Dignitates, quas authoritate Apostolicâ promoti ad Episcopales, Archi-Episcopales, & Patriarchales Ecclesias, nec non Regimina Monasteriorum, possi- 23
debant, *d. §. placet.* Neque attenditur, an ejus generis dignitates per Electionem præviam delatæ sint, si modò Confirmatio ad Sedem Apostolicam spectet: quia vacare censetur non à tempore factæ Electionis, sed impertitæ confirmationis. Wiestner *cit. l. num. 92.* 24

Sextò

25 Sextò liberè conferuntur Prælaturæ tum Abba-
tiales, tum Episcopales, quarum Confirmatio ad
Sedem Apostolicam pertinet, quando Electio vel
Postulatio aut debitô tempore non est celebrata; aut
contra formam præscriptam instituta; aut ab indig-
nis, vel de indignis formata; ideóque a Sede Apo-
stolica cassata, & reprobata est. *Concord.* in §. *item
placet.* Pirhing ad *tit. de Præb. n.* 360.

26 Septimò Collationi Papali subjacet in Ecclesiis
Cathedralibus proxima Dignitas post Pontificalem;
& in Collegiatis major seu principalis. *Concord.* §. *de
cæteris.* Talis ex hodiernis Germaniæ moribus est
Præpositura. P. Wiestner *cit. l. n.* 103. P. Reiffen-
stuel ad *eund. tit. n.* 550. P. Schmalzgrueber *ib. n.*
27 242. Nisi fortè & ipsa Præpositura ex speciali indul-
to sit electiva, uti de Præpositura Metropolitanæ
Ecclesiæ Salisburgensis constat ab experientia, quà
primùm anno 1714 die 24. Maii in Præpositum ele-
ctus est Reverendiss. & Illustriss. DD. Carolus Jo-
seph. ex Comitibus de Kuenburg; & de Cathedrali
Augustana testatur Branden ad *Concord. q.* 12. *n.* 2.
de aliis alii.

§. II.

An liberæ Collationi Pontificiæ reservatæ sint Prælaturæ, quarum vacantia ob crimen ipsô factô inducitur per Legem communem, in corpore Juris clausam?

28 In hac quæstione cum Georgio Branden ad *Con-
cord. q.* 10. *num.* 3. indubitatum habeo, quòd, si
Prælatura ipsô Jure propter crimen simoniæ v. g.
aut hæresis in Jure dicatur amitti, uti in textu *cap. ad
abolendam* 9. *de Hæret.* & *Extravag.* 1. & 2. *de Si-
mon. inter commun.* ac sententia declaratoria crimi-
nis (quam præcedere debere, antequàm pœna per
Legem dictata locum habeat in conscientia, notum
est ex *tract. de Jure Legali cap.* 1. *n.* 269.) ab ipso Ro-
mano Pontifice, ejus Curia, vel Legato feratur,
Prælatura sic amissa Collationi Pontificiæ reserve-
29 tur. Deducitur hæc resolutio evidenter ex *Concor-
dat.* §. *placet.* ubi Pontifex omnes Ecclesias, per de-
positionem, vel privationem, per se vel suâ authori-
tate factam, vacaturas, suæ dispositioni reservat,
prout in *n.* 21. jam expressum est.

30 Si verò sententia declaratoria ab Ordinario,
Episcopo, vel Archi-Episcopo feratur, contra
Brandenum *cit. quæst.* 10. *num.* 8. cum Rebuffo, Pa-
risiensi, P. Engel ad *tit. de Præb. sub num.* 18. P.
Wiestner *eôd. tit. sub num.* 88. verius judico, amis-
sas Prælaturas non reservatas fieri, sed electivas
31 persistere. Ratio est: quia exceptio firmat regulam
in casibus non exceptis; hocque præprimis accidit
in Concordatis Germaniæ, ubi in §. *de cæteris* di-
sertè promittit Pontifex, quòd ultra casus expres-
sos nulla alia reservatio valeat. Atqui in Concorda-
tis solùm illæ Dignitates, per privationem amissæ,
reservantur Pontifici, quarum privatio authorita-
te Apostolica inducitur. Ergo, si hæc privatio au-
thoritate Ordinarii, Episcopi, vel Archi-Episcopi in-
ducatur, Prælatura non erit reservata.

32 Opponit equidem Branden I. stylum Curiæ. II.
Bullam Sixti V. quæ incipit *Pastoralis.* III. quòd
per Concordata censeantur esse reservata beneficia,
quorum privatio Romæ inducitur; sicque & illa,
quæ vacant ob crimen, cui Lex, Romæ constituta,
privationem imposuit.

33 Sed his omnibus egregiè satisfecit P. Engel *cit.
loc.* I. quòd videlicèt stylus Curiæ sit aliquid facti;
34 adeóque probari debeat. II. quòd Bulla Sixti V. sit
declaratoria Concordatorum Galliæ, ac nomine *re-
laxationis*, vi cujus beneficia, per confidentiam si-
moniacam accepta, à reservatione speciatim exci-
piuntur, non tam Juris dispensationem quàm expli-
cationem intelligat. III. quòd contra sensum Con- 35
cordatorum dicantur vacare beneficia per privatio-
nem Romæ inductam, quando non Judex, sed
Lex, Romæ lata, sententiam dictat: quippe cùm
aliàs plurima beneficia forent reservata, quæ reser-
vata non sunt.

§. III.

An Decanatus Cathedralis S. Pontifici reservetur, quando a Decano, in Episcopum electo, ante Confirmationem resignatur?

Sic autumat Branden ad *Concord. q.* 7. n. 2. & *q.* 36
9. *num.* 4. Nicolarts *ibid. tit.* 1. *dub.* 1. §. 32. Wag-
nereck ad *Reg.* 26. (aliis 27. aut 28.) *Cancellariæ*
§. *ad hujus* Chockier ad *eand. Reg. num.* 24. Ratio-
nes sunt. I. quia in *Concordat. in n.* 17. allegatis ex-
pressè reservantur Dignitates, quas habent promo-
ti ad Episcopatus: cui reservationi officere nequit
facta resignatio à promotis: cùm in fraudem con-
ventionis & Legis publicæ fiat. II. quia in *cit. Reg.* 37.
Cancellariæ prohibentur & irritantur omnes resigna-
tiones Dignitatum & beneficiorum, quæ promoti ad
Prælaturas quasvis faciunt post Electionem, ante im-
petratam Confirmationem: indeque inferri videtur,
quòd primùm incipiant vacare post diem Confirma-
tionis: sicque Pontifici reservata. III. quia Rota 38
Romana in una Paderbornensis Præpositurae sic de-
claràsse fertur.

Sed alterius sententiæ sunt P. Engel *cit. l. num.* 39
37. & P. Wiestner *ibid. num.* 99. P. Schmalzgrue-
ber *ibid. num.* 160. Rationes sunt. I. quia Concor-
data non reservant dignitates vel beneficia jam resi-
gnata, sed adhuc possessa tempore Confirmationis.
Neque facere censetur in fraudem conventionis 40
vel Legis publicæ, qui jure resignandi, quod ha-
bet, utitur; præsertim cùm aliquando possit ratio-
nabilis occurrere resignandi causa, ut noviter ele-
ctus Decanus, post discessum alterius ad aulam &
administrationem, quam electus Episcopus in con-
cordia nostris in partibus facere potest, munere suô
statim fungatur. II. quia *cit.* Regula Cancellariæ 41
non irritat resignationes, sed Dignitatum resignata-
rum provisiones vel collationes, ab alio quàm S.
Pontifice faciendas. Ergo resignatio est valida, nec
Dignitas resignata reservationi obnoxia: cùm secun-
dùm Concordata non reputentur reservata ea bene-
ficia, quæ quis tempore promotionis seu Confirma-
tionis Apostolicæ non ampliùs habet. Et quia hæc
regula est posterior Concordatis, illis non derogat:
eò quòd Pontifex in fine eorum disertè spopondе-
rit, quòd derogare non velit. III. quia decisioni 42
Rotæ, quæ ab Authoribus primæ opinionis affer-
tur, contrariam adducit Flaminius de *Resignat. lib.*
3. *q.* 6. *n.* 92. quam P. Engel eò majori pretiô habet,
quòd idem Flaminius Doctor Romanus, adeóque
Romanæ praxeos peritissimus, extiterit; atque insu-
per altera decisio, licèt tempore posterior dicatur,
emanaverit de Præpositura Paderbornensi, quæ, ve-
lut prima Dignitas post Episcopalem, abstrahendô à
speciali indulto, per se reservata est ex *n.* 26. Hujus
mentis & ego sum.

SECTIO III.

De Effectu Collationis.

SUMMARIA

43. *Quid operetur Collatio ex mente aliorum? 44. Ex nostra sententia operatur jus in re. 45. Item jus administrandi &c. 46. Videtur obloqui* Extravag. injunctæ de Elect. inter commun. 47. *& seq. Explicatur illius sensus.*

§. I.

Quale jus operetur Collatio?

43 Collatio, sicut ex Azorio notat Augustinus Barbosa de *Off. & pot. Episc. part. 1. tit. 1. cap. 4. num.* 8. habet vim electionis, nominationis, designationis, præsentationis, institutionis, Confirmationis.

44 Breviùs & commodiùs dici potest, Collationem, si acceptata sit, operari jus in re *arg. cap. si tibi absenti 17. de Prabend. in* 6. quod, licèt de Collatione beneficiorum inferiorum loquatur, attamen ex paritate rationis extensionem ad Collationem Prælaturarum non dedignatur: cùm Confirmatio, cujus virtutem habet Collatio, extra dubium operetur jus in re *ex cap.* 1. *n.* 520.

§. II.

Tribuátne Collatio jus administrandi?

45 Sic concludendum videtur, si conferantur, quæ in *cit. cap.* 1. *num.* 525. *& seq.* allata sunt: cùm enim, ut ibidem dictum est, Confirmatio tribuat jus administrandi, ac omnes actus Jurisdictionis exercendi; tribuet quoque similem potestatem Collatio, quæ, quia immediatè à Superiore venit, non debet minori energiâ, quàm Confirmatio, pollere.

46 Sed difficultatem movet Barbosa *cit. l. numer.* 9. ubi non Collationi, sed literis Apostolicis vim administrandi tribuit, motus *Extravag. injuncta* 1. *de Elect. inter commun.* in qua Bonifacius VIII. severè prohibet, ne, qui apud Sedem Apostolicam *promoventur &c. ad commissas Ecclesias & Monasteria absque dictæ Sedis literis, hujusmodi eorum promotionem &c. continentibus, accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem accipere præsumant.*

Mihi tamen nequicquam dictis obstare relata
47 *Extravagans* videtur: supponit siquidem, de Collatione necdum authenticè constare; & consequenter requirit literas Apostolicas, non eum in finem, ut specialiter potestatem administrandi contineant, sed ideò, ut Collatio authenticè tum promotis,
48 tum eorum futuris subditis insinuetur. Possunt itaque, qui à Sedis Apostolicæ libera & jam perfecta Collatione provehuntur ad Ecclesiasticas dignitates, vi hujus Collationis administrare in collatis Ecclesiis: quamquàm ipsa Collatio non ante habeatur pro perfecta, & completa, quàm literæ Apostolicæ desuper formatæ fuerint, conformiter iis, quæ de rescriptis gratiæ docuimus de *Jure Legali cap.* 8. *n.* 141.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Laicis non potest competere jus collationis.* 2. *& seqq. Neque, qui habet jus nominandi, habet etiam jus conferendi.* 5. *Beneficia, quæ electus Episcopus in Germania tempore electionis habuit, fiunt S. Pontifici reservata.* 6. *Aliqui dissentiunt.* 7. *& seqq. Ipsorum fundamenta evertuntur.* 12. *Referuntur illi, qui reservationem extendunt ad beneficia Episcoporum, quorum provisio spectat ad alios quàm S. Pontificem.* 13. *& seq. Refutantur.* 15. *& seq. Adducitur Matta, volens, reservata esse beneficia, quæ electus Episcopus ante confirmationem resignavit.* 17. *& seqq. Ipsius argumentis satisfit.* 20. *& seqq. Dilucidatur apposita Regula Cancellariæ.* 25. *& seqq. Objecta Rotæ decisio infringitur.* 29. *& seqq. Brevis descriptio processûs, qui super requisitis in promovendis ad Ecclesias Metropolitanas, & Cathedrales formari solet.*

QUÆSTIO I.

An Laicis jus collationis possit competere?

Resp. de Jure Communi sat certum esse, quòd Laici non possint conferre nedum aliquam Dignitatem Ecclesiasticam, sed etiam beneficium simplex: utpote cùm jura ejusmodi spiritualia & Ecclesiastica à laicis nec possideri nec exerceri possint per textus complures *in cap. nullus* 11. *& seqq. XVI. quæst.* 7. Hinc, si quis habeat jus nominandi, non perinde habet jus conferendi Ecclesiam vel beneficium, ita ut concessio seu collatio, etiamsi ab Ecclesiastico Patrono sit facta, ne quidem vim præsentationis obtineant per *cap. ult. de Jure Patronat.* ubi Abbas *num.* 2. D. de Santis *cit. cap.* 13. *num.* 111. qui adeò verum hoc esse dicit, ut, si etiam privilegia collationis beneficiorum essent Regibus concessa, restringi debeant ad jus præsentandi. Matta de *Jurisdict. p.* 2. *cap.* 4*n. num.* 19. 21. *&* 23. Gonzalez ad *cap. prætereà num.* 1. *&* 7. *de Iure Patron.* Unde Superior vel alius, ad quem spectat confirmatio, non debet admittere literas præsentationis, in quibus Patronus vel alius, habens jus nominandi, se vocat Collatorem Ecclesiæ, vel beneficii, aut utitur verbis, concessionem seu collationem importantibus. Abbas in *d. cap. ult. de Jure Patron. n.* 5. Pirhing ad *eund. tit. n.* 28. de Santis *d. l. n.* 114. 1 2 3 4

QUÆSTIO II.

An, stantibus Germaniæ Concordatis, beneficia, quæ electus Episcopus tempore Electionis habuit, fiant S. Pontifici reservata?

Constat ex iisdem Germaniæ Concordatis, in §. *placet* 3. omnia beneficia, qualiacunque fuerint, *etiamsi ad illa personæ consueverint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per nos seu authoritate nostra* (id est, Pontificia) *ad Patriarchalium, Archi-Episcopalium, & Episcopalium Ecclesiarum, nec non Monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quomodocunque vacantia, aut imposterum vacatura &c. dispositioni & provisioni Apostolicæ* reservari. Quò non attentò, scripserunt aliqui, quòd beneficia vacantia per promotionem ad Episcopatum non 5 6

non sint Apostolicæ Sedi privativè quoad alios omninò Collatores, reservata, quando illa promotio seu provisio Episcopi fit per electionem Capitularem: quia scilicèt, qui promoventur per electionem Capituli, dum jus acquirunt ex ipsa electione per *cap. cùm inter* 21. *de Elect.* non dicuntur propriè à Sede Apostolica promoti, cujus postmodùm impertita confirmatio pro actu justitiæ necessario habenda, & sic consideranda venit dispositio Juris Communis *cap. cùm in cunctis 7. §. cùm verò de Elect.* per quod Ordinarii Collatores possunt beneficia sic vacantia conferre, ut notat Glossa in *Clem.* 1. *v. collationi lite pend.* At contra hos pugnat ma-
7 nifesta Rotæ Rom. decisio, quæ est 518. in *recent. p.* 19. *num.* 5. *& seqq.* siquidem, tametsi ad Episcopatum quia promoveri dicatur per electionem Capitularem, hæc tamen promotio non est perfecta aut rigorosè talis, utpote juxta *cit. cap. cùm inter* 21. *de Elect.* habens solummodò cum sponsalibus de futuro aliquam similitudinem, neque jus aliud, quàm
8 ad rem tribuens; perfecta autem, propria, & completa promotio provenit à Sede Apostolica, cujus est electionem examinare, & si Canonica fuerit, electum confirmare, ac mediante Confirmatione ipsi jus in re conferre per ea, quæ dicta sunt in *cap.*
9 1. *hujus libri à num.* 481. Nihil dicendò, quòd S. Pontifex juxta Concordata §. *item placet* 4. possit etiam ex causa *rationabili & evidenti* electum non confirmare, sed vel de illo vel de alio providere.
10 Cæteroquin admittendum foret, in Concordatis Germaniæ aut sibi invicem contraria reperiri, aut otiosa & inutilia: cùm enim in §. *placet* 3. essent reservatæ dignitates & beneficia, quæ promoti ad Episcopatus Germaniæ tempore promotionis possident: in § autem subsequenti 4. omnibus Germaniæ Capitulis Cathedralibus liberum jus eligendi Episcopum adstruatur: utique subsequens hæc dispositio deberet prorsus invertere anteriorem, aut reddere nugatoriam, si verum esset, quòd electi Germaniæ Episcopi sint à Capitulis Cathedralibus promoti, non verò à S. Pontifice: quippe cùm hôc modò cessaret
11 omnis reservatio. Rota *d. l. n.* 13. *&* 14. Et sanè, si quis Extravagantem *ad Regimen*, prout inseritur Corpori Juris in *tit. de Præb.* studiosè legat, facilè deprehendet, illius Authorem, Benedictum XII. tantùm loqui de beneficiis, quæ à suo Antecessore Joanne XXII. & à se ipso vi reservationis ob promotionem ad majores dignitates conferri debuissent; neque eorum reservationem ultra, quàm vixerit idem Benedictus, durâsse: adeóque non potest intelligi de alia promotione, nisi quæ ab ipso Papa immediatè peragitur.

12 Equidem alii longiùs protendunt citatum passum ex Concordatis, atque etiam ea beneficia Sedi Apostolicæ reservata volunt, quæ obtinebant promoti ad Episcopatus per illos, qui ex indulto Apostolico jus plenariæ collationis habent, nullâ aliâ confirmatione ex parte S. Pontificis requisitâ: idque deduci putant ex *d. §. placet* 3. *Concordat.* ubi non tantùm reservantur beneficia promotorum immediatè per S. Pontificem in verb. *per Nos*, sed etiam mediatè in verb. *sive auctoritate nostra*, id est, mediante indulto, quod auctoritate Apostolica concessum est. Sed in alleg. Rotæ decisione in *n.* 6. ta-
13 metsi hoc argumentum fuerit propositum, id tamen in quæstionem noluerunt DD. assumere; & rectè: quia, si quis immediatè ad Episcopatum promoveatur ab alio, quàm Papa, atque ab eo non tantùm nominetur, sed etiam confirmetur, planè non potest in rei proprietate dici promotus à S. Pontifice vel Sede Apostolica; nisi velimus asserere, omnes omninò, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum aut dignitatem à quocunque, sive mediante præsentatione, sive electione, sive collatione consequuntur, à Sede Apostolica esse promotos, à qua, tanquam fonte totius Juris Ecclesiastici, jus providendi de beneficiis
& dignitatibus originaliter profluat. Saltem hæc 14
extensio nequit habere locum in beneficiis, quæ possident quatuor Episcopi, ab Archi-Præsule & Metropolitano Salisburgensi promoti: cùm enim jus plenariæ collationis non tam ex indulto Apostolico quam *jure Metropolitico* quoad hosce Episcopatus Salisburgensi Archi-Episcopo competat, uti disertè fatetur Clemens VII. in sua Bulla, relatâ in *Histor. Salisburgens. pag.* 1004. præfati Episcopi non possunt in sensu Juris dici fuisse promoti authoritate Sedis Apostolicæ, sed authoritate Metropolitica, penes Archi-Antistites Salisburgenses residente.

QUÆSTIO III.

An, si electus Episcopus sua beneficia, sive sint electiva sive non-electiva, resignet ante confirmationem, fiant S. Pontifici reservata?

Matta de *Caus. Consistoriali sect.* 19. §. 5. *n.* 38. cum 15
aliis, quos nominavi hoc *cap. n.* 36. asserit, primum effectum electionis esse, quòd beneficia quæcunque electi in Episcopum apud Sedem Apostolicam vacare faciat. *Extravag. ad regimen de Præbend.* & Reg. 26. *Cancellar. Apostol.* Rota apud Brand. ad *Concordat. German. quæst.* 12. *notab.* 3. Quod valde, inquit, 16
urget contra Capitula Germaniæ, quæ ab electo in Episcopum recipiunt dignitatis, quam priùs habebat, renuntiationem, eamque conferunt, & quidem nulliter, cùm tales dignitates & præbendæ Papæ provisioni sint reservatæ. *Ægid. decis.* 498. & intra tempus electionis & confirmationis electus confirmandus beneficia resignare minimè potest, per Jura supra citata.

Mihi hæc Jura non sunt incognita, utpote jam 17
relata, & cum responsione congrua diluta in *cit. hoc cap. à num.* 39. Ut tamen, quæ in eodem loco breviter comprehensa erant, paulò latiùs extendantur, inprimis attingere juvat *Extravag. ad Regimen*, ipsis Concordatis insertam, confirmatamque. In 18
hac beneficia, etiam electiva, Sacræ Sedi reservantur, *quæ promoti* (ut loquitur Pontifex) *per nos seu authoritate nostra ad Patriarchalium, Archi-Episcopalium, & Episcopalium Ecclesiarum, nec non Monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum.* Jam verò patet ex n. 8. per promo- 19
tionem veram & perfectam, nomine Sedis Apostolicæ factam, intelligi confirmationem, quæ, examinatâ & probatâ electione, à Papa expeditur. Ergo, si electus in Episcopum, antequam Confirmationem adipiscatur, beneficia sua resignet, *tempore promotionis* illa non ampliùs obtinet; consequenter ejusmodi resignata beneficia vi & virtute *d. Extravagantis* non sunt Apostolicæ provisioni reservata.

Quod attinet Regulam Cancellariæ Apostolicæ, 20
quæ apud alios est 27. aut 28. verum equidem est, quòd illa cassas & irritas pronuntiet *quascunque collationes & provisiones beneficiorum, quæ per promovendos vel assumendos ad quascunque Prælaturas inter illarum vacationis & hujusmodi promotionis tempora simpliciter, vel ex causa permutationis, ubicunque resignari, vel aliàs dimitti contigerit*: attamen in casu 21
proposito eò minùs inducit reservationem ejusmodi beneficiorum, quò à pluribus defenditur, stantibus Germaniæ Concordatis, non admitti alias reservationes, ac quæ ibidem nominatim fuerunt expressæ: beneficii autem electivi reservatio in nostris terminis non legitur in Concordatis

nominatim expressa; indeque in Germania locum ha-
22 bere non poterit. Et profectò, si præfata Regula vim aliquam sortiretur in Germania, deberent etiam illa beneficia resignata esse reservata, quæ obtinet electus ad illas quoque Prælaturas, quarum confirmatio ad Summam Sedem immediatè non spectat, propter verba generalia ad *quascunque Prælaturas &c.* cujusmodi reservatio ab ipsis Authoribus contrariæ sententiæ vix admittetur.

23 Neque dicas: per Concordata non tolli omnes Regulas Cancellariæ, præsertim mox allegatam, utpote quæ solum est declaratoria *Extravagantis ad regimen*, in Concordatis confirmatæ.

24 Resp. enim, per Concordata non tolli alias Cancellariæ Regulas, ac quæ novas, & in Concordatis non comprehensas reservationes, inducunt: atqui ex dictis liquescit, per allegatam Regulam induci novam reservationem, in Concordatis non comprehensam, quatenùs non tam declarat, quàm potiùs extendit *cit. Extravagantem*, dum reservationem, quæ ibidem ad sola beneficia, promotionis seu confirmationis tempore obtenta, coarctatur, ad ea quoque beneficia, quæ promotionis seu confirmationis tempore non ampliùs habentur, ampliat, & dilatat, sicque novam reservationem re ipsâ inducit.

25 Deveniendò ad decisionem Rotæ, quam affert Branden ad *Concordat. post quæst.* 10. *notab.* 3. fatetur ipsemet, in prima propositione causæ, factâ Anno 1588. die 9. Martii, Dominos conclusisse, Præposituram Paderbornensem non esse reservatam, ex ea ratione, quòd *cit. Reg. Cancellariæ* non deroget Concordatis, in qua similis reservatio haud reperitur; ubi autem causâ iterum propositâ die 30. Maii eôdem annô Dominos à decisis recessisse, asserit idem Branden, rationem communem Dominorum non fuisse, ait, *cit. Regulam* (licèt aliqui in ea se fundaverint) sed quia æstimabant, eandem Præposituram, veluti primam dignitatem post Pon-
26 tificalem, in ipsis Concordatis esse reservatam; non obstante, quòd per speciale indultum facta sit electiva: ex quo enim in Concordatis anteà disponitur de beneficiis electivis, & posteà in §. *de cæteris verò* subjicitur exceptio de prima dignitate post Pontificalem, intelligitur etiam de electivis: quia exceptio
27 debet esse de regula. Quam ipsa tamen rationem, ut ingenuè confitear, non satis assequor: neque enim *cit.* §. *de cæteris verò* intelligi potest de Præposituris electivis, quæ hôc ipsô, quòd earum provisio spectet ad electionem Capituli, non possunt ad provisionem & reservationem Apostolicam pertinere.
28 Interim in ordine ad nostrum propositum sufficit, quòd per sæpe *cit. Reg. Cancellariæ* beneficia, ante confirmationem ab electo Episcopo resignata, etiam in sententiæ Rotæ Romanæ non efficiantur reservata.

QUÆSTIO IV.

Qualiter processus formentur super requisitis in promovendis ad Metropolitanas & Cathedrales Ecclesias?

29 Si quis ad Ecclesiam Metropolitanam aut Cathedralem electione, postulatione, nominatione, aut aliô quôvis modô promoveatur, ac confirmatio spectet ad Sedem Apostolicam, priusquàm ea concedatur, formatur processus super virtutibus & qualitatibus, ætate, legitimis natalibus, Ordine Sacro, & scientia promovendorum juxta formam traditam in constitutione Gregorii XIV. editâ 1. Junii 1591. quæ incipit: *onus Apostolica &c.*
30 Et quidem, si processus conficiendi sint extra Romanam Curiam, hoc munus pertinet ad Legatos Sedis Apostolicæ seu Nuntios provinciarum in locis, in quibus commorantur; in quorum defectum ad Ordinarios personarum promovendarum; &, his etiam deficientibus, ad Ordinarios viciniores devolvitur; debetque hic ordo gradatim observari, nisi Romano Pontifici placuerit, per speciale mandatum alicui hoc officium committere: quô casu delegatus in principio processûs de mandato specialem mentionem & fidem facere tenetur.

Sin processus in Romana Curia formetur, & Ecclesiæ providendum sit ad nominationem Imperatoris, Regis, aut Principis, id munus incumbit Cardinali, qui apud Sedem Apostolicam est Protector illius provinciæ, in qua sita est Ecclesia; cæteroquin processus conficitur per Cardinalem, à Papa deputandum. Quæ & alia in *cit.* Bulla Gregoriana, & apud Mattam de *Consistorial. caus. sect.* 23. *per tot.* uberiùs explicata reperiuntur. 31

CAPUT VI.

De Modis Amittendi Prælaturas Ecclesiasticas.

Hactenùs de Modis acquirendi Prælaturas Ecclesiasticas per quinque Capita tractatus noster diffusus erat. Fides publica, quam in primo operis ingressu dedimus, jubet, ut de Modis amittendi Prælaturas eundem tractatum concludamus. Paremus igitur, & modos illos sic explanamus, ut, quæ de amissione Prælaturarum dicentur, ad inferiora quoque beneficia cum proportione applicari valeant.

SECTIO I.

De Renuntiatione.

SUMMARIA

1. *& seq. Renuntiationis duplex acceptio.* 3. *Definitio.* 4. *& seqq. Debet esse spontanea, & libera à metu.* 8. *& seq. Metus justus non officit.* 10. *Etiam jus ad rem cadit sub Renuntiationem.* 11. *Debet fieri legitimè.* 12. *Alia est tacita.* 13. *Alia expressa.* 14. *& seqq. Item pura vel conditionata, quæ non est licita de Jure.* 21. *Renuntiare possunt omnes beneficiati.* 22. *& seqq. S. Pontifex.* 27. *Fœminæ.* 28. *& seqq. Minorennes, salvô restitutionis auxiliô.* 33. *& seqq. Non autem Novitii Religionum.* 38. *& seqq. Aut infirmi, si decesserint intra 20. dies; ubi de Regula Cancellariæ &c.* 50. *& seq. Potest quis renuntiare per procuratorem.* 52. *& seqq. Resignatarius debet esse capax beneficii, quod ipsi renuntiatur.* 59. *Agitur de senibus & infirmis.* 60. *Ac Consanguin[illegible].* 61. *& seq. Resignatarius potest acceptare Resignationem per procuratorem.* 63. *Regulariter omnes Prælaturæ & beneficia Renuntiationem admittunt.* 64. *& seq. Excipiuntur litigiosa.* 66. *& seqq. Electiva.* 69. *& seq. Jure Patronatus affecta.* 71. *& seqq. Jam amissa quoad titulum.* 77. *& seqq. Et ad quæ resignans est ordinatus.* 79. *Renuntiatio desiderat justam causam.* 80. *& seqq. Pro Episcopis tantùm sex determinantur* in cap. 10. h. t. 91. *Quoad Prælatos inferiores sufficiunt leviores.* 92. *& seqq.*

feqq. Defiderat etiam authoritatem Superioris. 97.
*& feqq. Epifcopus poteft acceptare Renuntiatio-
nem cum precibus pro certa perfona.* 100. *& feqq.
Non poteft acceptare conditionatam finè conditione.*
104. *& feqq. Deficiente Superioris authoritate, pe-
nitus eft nulla.* 110. *& feq. Etiam in tacita eft ne-
ceffaria.* 112. *& feqq. Requirit etiam publicatio-
nem.* 115. *& feqq. Utrùm, non facta publicatione,
beneficium fiat refervatum? Difputatur.* 118. *Ufus
& praxis publicationis.* 119. *Indicatur Effectus
Renuntiationis puræ.* 120. *Et conditionatæ.* 121.
& feq. Indicatur tempus vacaturæ. 123. *& feqq.
Examinatur poteftas & authoritas Prælatorum
Regularium refignatorum.* 128. *& feqq. Exami-
natur quæftio, num, fi ad aliud Monafterium
fuerint poftulati, poffint ad Monafterium profef-
fionis redire?*

§. I.

Quid fit Renuntiatio?

1 PRimus modus amittendi Prælaturam Ecclefia-
fticam eft Renuntiatio. Hæc duplicem, eam-
que planè diverfam fignificationem, fortitur. Pri-
mò namque renuntiare idem eft, ac nuntiare, feu
referre, non tantùm in Sacro Codice *Matthæi* 2. ℣.
8. ibi: *ite, renuntiate mihi*; fed etiam in Jure profa-
no *l. adverfus* 1. *in pr. ff. fi menfor falf. mod. dix.* ibi:
intereft noftrâ, ne fallamur in hujufmodi renuntiatio-
2 *ne*; *& l. fi quis aliquid* 38. §. 1. *ff. de Pæn.* Secundò re-
nuntiare denotat id, quod cedere, remittere, dimit-
tere, refignare *l. fi abfens* 11. §. 1. *ff. de legation. l. na-
turaliter* 12. §. 1. *ff. de Acquir. vel amitt. poffeff. l. fed
etfi* 4. §. 4. *ff. fi quis cautionib. l. fi quis in confcribendo*
29. *Cod. de Pact.* Gonzalez in *Commentar. ad cap.
literas* 1. *de Renuntiat. num.* 7. In hac poftrema fig-
nificatione accipitur Renuntiatio in *tit.* 9. *Libri* 1.
Decretal. X. in VI. & Clementin. diciturque promif-
cuè Refignatio, ac
3 Definitur, quòd fit fpontanea Prælaturæ Eccle-
fiafticæ dimiffio.
4 Dixi I. *fpontanea*; partim, ut difcriminarem Re-
nuntiationem à Depofitione, quâ quis invitus Præ-
laturâ privatur: partim, ut excluderem Renuntiatio-
5 nem, metu injuftò extortam: hæc enim in multorum
opinione, cui poft alios, à fe relatos, adhæret Gon-
zalez in *cap. ad audientiam* 4. *de his, quæ vi metúfve*
6 *&c. n.* 2. eft penitus nulla; in aliorum autem fenten-
tia, quam tenent Panormitan. ad *cap. ad aures* 3. *d.
t. n.* 2. Garcias de *Benefic. p.* 11. *cap.* 3. *n.* 143. Wiellner
ad *h. t. n.* 4. Flamin. Parifius de *Refignat. benef. lib.* 13. *q.*
2. *n.* 8. aliquot Rotæ Romanæ decifiones allegans,
eft ipsô Jure valida, fed inftar aliorum actuum, me-
tu extortorum, refcindibilis per *cit. cap. ad aures* 3. *&
cap. ad audientiam* 4. *de his, quæ vi metúfve caufa*
7 *&c.* prætérquàm fi quis injuftâ Laicorum detentione
vel incarceratione ad cedendum compulfus fuerit;
quô cafu in *Clement. multorum* 2. §. *fanè de Pæn.*
Renuntiatio ipsô Jure pronuntiatur nulla. Parifius
d. l. n. 18.
8 Quòd fi, ut interdum fieri folet, ex metu jufto
Prælatos ad refignandum adigatur, fortè quia aliàs
depofitionem ex merito formidandam haberet, nihi-
lo minùs adhuc fpontanea ceffio dicitur, nullius ta-
men reftitutionis meritoria. Clariff. P. Jacobus Wex
9 in *Epitome Prælator. Regular. cap.* 7. *n.* 6. quia, qui
minus malum elegit, ut declinet majus, juftè aliàs
obventurum, voluntariè agit, nec ullam injuriam
patitur *arg. l. fi mulier* 21. *in princ. &* §. 4. *ff. quod me-
tus caufa &c.*
10 Dixi II. *Prælaturæ Ecclefiafticæ.* Nec intereft, an
quoad illam Prælaturam (idem eft de alio beneficio)
jus in re, unà cum poffeffione, vel jus ad rem duota-
xat, acquifitum fuerit: utrôque enim cafu locum in-
venit Renuntiatio: cùm & jus, quod competit ad rem,
dimitti valeat *cap. fi Electio* 26. *de Elect. in* 6. Parif.
lib. 2. *q.* 24. *per tot.*
Dixi III. *dimiffio legitimè facta.* Quænam verò 11
ad legitimam dimiffionem exigantur, docebit §. 6.
nempe juftitia caufæ, Superioris authoritas, & pu-
blicatio.

§. II.

Quotuplex fit Renuntiatio?

Renuntiatio duplex eft, expreffa & tacita. *Taci-* 12
ta eft, quæ ex tacita voluntate Prælati, factô quô-
dam manifeftatâ, eruitur; veluti fi Prælatus Sæcula-
ris Religionem ingreditur, aut Prælatus Regularis
à mitiori ad ftrictiorem Ordinem tranfeat *arg. cap.
ex tranfmiffa* 3. *h. t.* & *cap. beneficium* 4. *de Regular.
in* 6. Si Clericus beneficiatus, in minoribus Ordini-
bus conftitutus, Matrimonium contrahat *cap. fi qui*
1. *cap. quod à te* 3. *cap. diverfis* 5. *de Cleric. conjugat.*
fi quis abfque difpenfatione fecundum beneficium,
incompatibile cum primo, impetret *cap. de multa* 28.
de Præbend. Flamin Parif. *lib.* 1. *q.* 1. *à num.* 10. Aliud
exemplum refertur in *cap. ex ore* 3. *de his, quæ fiunt à
major. part. Cap.*
Expreffa eft, quæ expreffâ exteriùs voluntate, 13
verbô vel fcriptô, contingit. Eaque vel pura eft,
quando nimirū citra ullam conditionem vel referva-
tionem Prælatura abfolutè dimittitur; vel conditio-
nata, quando fub conditione vel refervatione aliqua
Prælatura abdicatur. Ejus generis Renuntiationes sūt 14
I. fi fiat Renuntiatio in favorem certæ perfonæ. II. fi
fiat ea caufa permutationis, dum v. g. Titius fuam
Prælaturam eô pactô refignat, ut in Prælaturam vel
beneficium Sempronii fucceffores fui fubftituator.
III. fi fiat cum refervatione certæ penfionis & fru-
ctuum &c. IV. fi fiat cum refervatione regreffus in
cafum, quô fucceffor mortuus, Religionem Pro-
feffus, aut ad aliam Dignitatem translatus fuerit.
Hujufmodi conditionatas Renuntiationes (ex- 15
ceptâ forfitan illâ, quæ ex caufa permutationis in-
ftituitur) etfi Juri Communi planè incognitas, ei-
dem tamen fummoperè invifas & exofas effe, con-
ftat luculenter. Nam inprimis circa res & jura fpi- 16
ritualia omnes onerofæ conventiones, tanquam fi-
moniacæ pravitati obnoxiæ, generatim reprobantur
in *cap. cùm pridem* 4. *cap. cùm Clerici* 6. *cap. ult. de
Pact.* Deinde Renuntiatio in favorem certæ perfonæ 17
fapit naturam hæreditariæ fucceffionis, quam in be-
neficiis Ecclefiafticis exitiali odiô averfantur SS. Ca-
nones: cùm nihil carni & fanguini, fed vitæ merito
deferendum effe, cenfeant *cap. Epifcopo* 3. *cap.* 4. 5. 6.
& 7. *VIII. q.* 1. *cap. grave* 29. *de Præbend.* Trident.
Seff. 24. *de Reform. cap.* 1. Ad hæc Renuntiatio cum 18
refervatione penfionis diminuit beneficia, onerat
Ecclefias & eorum miniftros *cap. majoribus* 8. *de
Præbend. cap. un. in benefic. Ecclefiaft. fine diminut.
confer.* Demum Renuntiatio cum regreffu pericu- 19
lum inducit voti captandæ mortis, quod avertere,
tam Canonica quàm Civilia Jura impensè laborant
in *l. ult. Cod. de Pact. cap. nulla* 2. *de Conceff. præb.
cap. deteftanda* 2. *eôd. in* 6. Stylô tamen Curiæ Ro- 20
manæ Renuntiationes, fciente & permittente S.
Pontifice, fub modo & conditione admitti, idque
quotidie fieri, teftis eft Flamio. Parif. *d. lib.* 1. *q.* 2. *n.* 6.
& feqq. & colligitur ex Rotæ *decifion. p.* 4. *tom.* 3.
dec. 538. *n.* 1. *dec.* 539. *n.* 4. *p.* 7. *dec.* 86. *n.* 12. *p.* 18. *tom.*
2. *dec.* 808. *in rec.*

§. III.

Quinam renuntiare possint?

21 Regula est: renuntiare omnes posse, qui jus in Præ-
latura (vel beneficio) habent, cujuscunque præemi-
nentiæ, dignitatis, aut conditionis existant. Reveren-
diss. D. Guerra. her *Instit. Can. lib. 1. tit. 19. n. 3.*
22 In specie resignare potest I. S. Pontifex, per expres-
sam declarationem nostri Cœlestini V. tum verbô tum
inauditô antehac exemplô manifestatam per textum
in *cap. quoniam 1. h. t. in 6.* Joann. Andreas, Vivianus,
Barbosa, Wagnereck & alii Interpretes ad idem
23 *cap.* Neque enim ex eo, quòd Pontifex Superio-
rem in terris non habeat, à libera Renuntiatione
exclusus est: cùm authoritas Superioris Lege so-
lùm Ecclesiasticâ, quæ S. Pontificem directè non
24 ligat, requiratur. Neque etiam, quòd vinculum
matrimonii spiritualis cum Ecclesia universali con-
traxerit Papa, deterioris conditionis est, quàm
Episcopi, quorum ligamen, cùm authoritate Divi-
nitus indultâ possit solvere, & suum dissolvere non
prohibetur.
25 Quòd si disparitatem inter Pontificem & alios
Episcopos assignes, quòd illius matrimonium ha-
beat significationem conjunctionis Christi cum Ec-
clesia universali, quæ insolubilis est; istorum ve-
rò matrimonium habeat significationem conjunctio-
nis Christi cum Ecclesia particulari vel anima fideli.
26 Contra disparitatem est: quia matrimonium spiri-
tuale, quod S. Pontifex cum universali contraxit
Ecclesia, nequit significationem alicujus unionis
insolubilis propterea recipere, quòd ipsemet S.
Pontifex, si (quod avertat DEUS) in hæresin
incideret, desineret esse Pontifex per *cap. si Papa 6.
Dist. 40.*
27 II. renuntiare possunt tam mares quàm fœminæ.
Quamquàm enimverò fœminæ non reputentur ca-
paces beneficiorum Ecclesiasticorum: quia tamen ad
Dignitates Ecclesiasticas, in sensu largiore tales,
Abbatias scilicèt & Prioratus Monialium evehuntur,
ut constat ex *cap. 1. à n. 747.* nullus dubitationi locus
relinquitur, quin ejusmodi Dignitatem resignare va-
leant. Flamin. Paris. de *Resignat. lib. 3. q. 12. n. 18.
& seq.*
28 III. renuntiare possunt tam majores quàm mino-
res 25. annis, tam patres quàm filiifamilias, dummo-
dò sint puberes *arg. cap. ult. de Judic. in 6.* ubi filiifa-
milias & minorennes puberes in causis spiritualibus &
beneficialibus pro majorennibus & patribusfamilias
29 considerantur. Quâ ratione valida erit Renuntiatio,
tametsi per procuratorem, absque decreto Judicis,
vel assensu curatoris datum, peracta fuerit, per ea,
quæ resolvit Rota in *una Venetiarum matrimonii*
apud Parisium *d. lib. 3. q. 7. n. 10.*
30 Neque tamen in integrum restitutionem mino-
rennibus, inconsultò resignantibus, denegarem.
Quantumvis enim, qui veniam ætatis impetrârunt,
restitutionis auxiliô non ampliùs potiantur *l. eos
31 qui 1. Cod. de his, qui veniam ætat. impetrar.* Exin-
de tamen minorennibus in causis spiritualibus non
est adimendum: utpote qui non absolutam, sed limi-
tatam ætatis veniam sunt consecuti, neque per Res-
criptum ex sua, sed ex Legis & Juris voluntate: ut
proinde magis procedere debeat regula ex *cap. quod
ob gratiam 61. de R. J. in 6.* quòd privilegium, in
gratiam minorennibus à Jure Ecclesiastico conces-
sum, non debeat in odium illorum detorqueri. Et
32 ita contra Azorem & Palaum *tract. 13. disp. 6. p.
2. §. 3. num. 13.* & ex parte contra Parisium *d. q. 7.
n. 25.* (quatenùs non admittit restitutionem, præter-
quam si dolus adversarii concurrat) sentiunt Co-
varruv. *lib. 1. Var. resolut. cap. 5. num. 3.* P. König
h. t. num. 5. P. Wiestner ad *tit. de Restitut. in inte-
gr. n. 61.*
III. renuntiare possunt qui vel à sæculo ad Reli- 33
gionem, vel ab uno ad alium Ordinem se conferunt,
non tamen ante duos menses proximos ante Profes-
sionem. Nam Concil. Trid. *Sess. 25. de Regular. cap.
16.* generaliter decrevit, *ut nulla Renuntiatio valeat,
nisi intra duos menses proximos ante Professionem fiat,
ac non aliàs intelligatur, effectum suum sortiri, nisi se-
cutâ Professione.* Sub qua generali dispositione, quin 34
etiam Renuntiatio beneficiorum Ecclesiasticorum, &
maximè Prælaturarum, comprehendatur, nullatenùs
hæsitaverim: nam libertas regressûs, intuitu cujus
prælatum Concilii decretum est editum, nullibi ma-
gis periclitatur, quàm in Prælato Novitio, qui, si
Prælaturam jam renuntiatam, & alteri delatam cer-
neret, non jam spontè, sed invitè profiteri posset, ti-
mens, ne regressus è Novitiatu & commodô & ho-
nore Prælaturæ carere cogatur. Azor, Donatus, 35
Tamburin. de *Jure Abb. tom. 3. disp. 6. quæst. 10. n. 3.*
Wiestner *hic* n. 36. Verani *ibid.* § 7. n. 12. Reiffenstuel
eôd. loc. n. 30. & seq. Flaminius *d. lib. 3. q. 13.* ubi in
n. 5. asserit, sæpiùs à sacra Congregatione sic deci-
sum esse.
Unde validum non est, quod Garcias, Palao, & 36
Barbosa de *Off. & pot. Episc. allegat. 99. n. 19.* pro
contraria & sua sententia formant argumentum: in
cit. loc. Trid. de sola temporalium bonorum & officio-
rum Renuntiatione sermonem esse; sicque beneficio-
rum Renuntiationem, Jure antiquo liberè permissam
in *cap. ex transmissa 3. h. t. & cap. beneficium 4. de Re-
gular. in 6.* adhuc in suo valore persistere. Nam, ut 37
primùm audivimus, dispositio & ratio Synodi Tri-
dentinæ universalior est, quam ut exclusionem bene-
ficiorum sustineat. Nec, quòd Renuntiationem in fa-
vorem causæ piæ includat, excludit aliam, quæ ex
causa fit alia: utitur siquidem particulâ *etiam*, quæ
implicativa est, & ab expressis diversa continet, ut
ipsemet Barbosa adstruit in *Diction. usu frequent. dict.
112. n. 4.*
IV. possunt renuntiare Prælati (& alii beneficiati) 38
tam sani, quàm infirmi; cum hac tamen differentia,
quòd circa infirmos prodita sit Regula Cancellariæ
18. vel, juxta aliorum computum, 19. quæ sic sonat:
*si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in
Curia Romana, sive extra illam, aliquod beneficium,
sive simpliciter, sive ex causa permutationis, sive aliàs
dimiserit, aut illius commendâ cesserit, sive ipsius be-
neficii dissolutioni consenserit, etiam vigore supplica-
tionis, dum esset sanus, signata, & posteà infra 20. dies,
à die per ipsum Resignantem præstandi consensûs, com-
putandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum bene-
ficium quâvis authoritate conferatur, collatio hujusmo-
di sit nulla, ipsúmque beneficium nihilo minùs per obi-
tum censeatur vacare.* Rationem duplicem hujus re- 39
gulæ dat Flamin. *lib. 2. q. 1. n. 1.* videlicèt ne frauden-
tur Ordinarii Collatores, exspectantes, aut ab alio
nominati; néve dispositio vel successio hæreditaria
per Resignationem in favorem personæ inducatur,
conformiter textui in *cap. ult. h. t. in 6.* Hic tamen pro
majori regulæ dilucidatione
Notandum I. eam non pertinere ad infirmos re- 40
signantes, qui tempore Resignationis factæ morbô
quôdam non-lethali, v. g. podagrâ, tertianâ febri
&c. detinebantur, & posteà in morbum fatalem,
ex quo intra 20. dies decedunt, incidebant. P. En-
gel ad *tit. de Præbend. num. 30.* Ratio est: quia in 41
regula non gratis adduntur verba: *si de ipsa infir-
mitate decesserit*; ad denotandum, duo requiri, vide-
licèt ut aliquis in infirmitate resignaverit, & simul il-
la infirmitas causa mortis extiterit, quatenùs illorum
præposteris Resignationibus via præcludatur, qui
pro-

probabili mortis timore perculsi, quasi per hæreditariam successionem sua beneficia, quæ retinere se deinceps posse desperant, aliis consignant.

42 Notandum II. diem 20. non præcisè à tempore Resignationis insinuatæ, vel à Superiore concessæ, sed à tempore præstiti, ac post Superioris concessionem iterati consensûs computandum esse, adeò ut si aliquis vel statim ab initio insinuatæ Resignationis fatali morbô decubuerit, vel saltem eô tempore, quô juxta stylum Romanæ Curiæ secundâ vice consensum exprimere debuit, lethaliter ægrotus jacuerit, ac postmodum intra dies 20. expiraverit, Resigna-
43 tio sit nulla. Hoc quippe insinuant verba: *etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signata*: & declarat stylus Curiæ, quòd resignaturus, postquam Curia comprobavit Resignationem, de novo suum consensum manifestare tenetur. Flamin. Paris. *d. lib. 12. q. 6. n.* 6. P. Pirhing *h. t. n.* 34.

44 Notandum III. quorumcunque beneficiorum, tum simplicium, tum curatorum, tum etiam Prælaturarum Resignationes, sive Romæ, sive extra coram Ordinario fiant, dictâ regulâ comprehendi, ut satis liquet ex verbis *aliquod beneficium*; item *in Curia Romana, sive extra illam*; & *quâvis authoritate collati &c.* Barbosa *J. E. V. lib. 3. cap. 15. n.* 130. P. Engel *cit. l. n.* 33. P. Pirhing *cit. l. n.* 35. P. Wiestner *cit. n.* 40. & 42. Paris. *d. l. q. 3. per tot.* ubi tamen in *n.* 41. excipit beneficia consistorialia & *q. 5. n.* 8.

45 Notandum IV. Resignationem infirmi, quantùm attinet ipsius personam, censeri validam, ubi à legitimo Superiore fuerit admissa: utpote cùm nihil ad valorem Resignationis requiratur, quàm resignantis voluntas, à Superiore comprobata; quatenùs tamen attinet Ordinarium collatorem, vel resignatarium, Resignationem censeri nullam: eò quòd beneficium, ita resignatum, secutâ intra 20. dies morte, secundum formalia citatæ regulæ verba *per obitum censeatur vacare.* Card. de Luca de *Benefic.*
46 *disc. 34. n. 6. & seqq.* Hinc idem Card. in eodem *discursu* à Metropolitano Capitulo Salisburgensi pro veritate consultus, utrùm in casu, quô aliquis Canonicus in manus Archi Episcopi liberè resignavit Canonicatum, porrectis eidem precibus, ut pro sua mera benignitate Canonicatum resignatum conferre dignaretur resignantis fratri germano, ac intra 20. dies decessit, fructus beneficiales illius anni transmittantur ad hæredes vigore statuti dicti Capituli, quô moriente Canonico in statu Canonicali fructus illius anni transmittuntur ad ipsius hæredes? Respondit, quòd non: quia nimirum Resignatio, quantùm est ex parte resignantis, erat valida; nec proinde resignans in statu Canonicali mortuus fuisse censebatur.

47 Notandum V. inter DD. adhuc dum disputari, num beneficium resignatum, secutâ intra 20. dies morte, fiat reservatum Pontifici, quando in manus illius resignatum fuit? Flamin. Paris. *d. l. q. 10. n. 4. & seqq.* Lotter de *re benef. lib. 3. q. 15. n.* 17. Wiestner ad *h. t. n.* 48. affirmant ex ea principaliter ratione, quòd beneficium ejusmodi per Resignationem in
48 Curia fiat affectum. Negant Garcias de *Benefic. p. 5. cap. 1. n.* 160. Chockier ad *cit. Reg.* à *n.* 21. & P. Engel *ubi supra n.* 32. tum quia ipsemet Pontifex in *Reg.* fatetur, tale beneficium non per Resignationem sed obitum vacare; tum quia in verb. *quâvis authoritate &c.* supponit, collationem ad alios pertinere posse: tum quia reservatio non inducitur per appositionem manuum, quando nullus effectus in-
49 de secutus est. Quænam ex his sententiis in praxi sit tenenda? Eò difficilius est consulere, quò certiùs ab Authoribus utriusque sententiæ praxis allegatur.

50 Quæres: an Renuntiatio possit fieri per procuratorem?

Resp. affirmativè, dummodò procurator speciali mandatô in scriptis sit provisus per textum in *Reg. Cancellar. de Consensu in Resignationem* 45. & *Reg.*
Juris 68. & 72. *in* 6. Est autem notabilis constitu- 51
tio *Clem. un. h. t.* hac in parte memoriæ imprimenda, quæ disponit, *ut, si quis ad cedendum Pontificali aut alii cuilibet dignitati vel beneficio procuratorem liberè ac spontè constituerit, & ipsum ignorantem postmodum duxerit quomodolibet revocandum, teneat cessio facta per eum, antequàm ad ipsius vel illius (in cujus manibus cessio fuerat facienda) notitiam revocatio hujusmodi sit deducta. Nisi fortè per ipsos aut alios malitiosè factum fuerit, quò minùs ad eos vel eorum alterum ante cessionem potuerit revocatio pervenisse.* Illustrant hanc constitutionem Panormitanus in *Comment. ad cit. Clement.* Flamin. Paris. de *Resignat. lib. 9. per tot.* P. Engel *h. t.* à *n.* 13. Rebuffus de *Procurat. ad resignand. constit.* P. Wiestner *h. t. n.* 80. noster P. Petrus de Murga in *tr. de Benefic. q. 3. §. 4. à numer.* 1069.

§. IV.

Cuinam Renuntiatio possit fieri?

Si loquamur de Renuntiatione secundùm stylum 52
Juris communis, Renuntiatio fieri non potest alteri eô sensu, ut in illius favorem cedat, isque beneficium resignatum consequatur ex *n.* 17. Sed quia ex 53
dispensatione Pontificia ex *n.* 20. Renuntiationes in favorem personæ sunt frequentissimæ, pro illarum intelligentia generaliter sciendum est, quòd, si fiant in favorem personæ non idoneæ, sint nullæ. Flami-
nius Paris. *lib. 4. q. 1. per tot.* Ratio est obvia: quia 54
beneficium Ecclesiasticum, uti non potest alteri, quàm idoneo conferri, prout alibi monstrabitur, & patet ex *cap. 1. à n.* 178. & *cap 4. à num. 17. cap. cùm in cunctis 7. in pr. de Elect.* ita nec alteri, quàm idoneo, resignari. Ex quo

Infertur I. Renuntiationem in favorem Laici, ta- 55
metsi statim Clericatum assumere sit paratus, non valere: nimis enim manifesta Laicorum est incapacitas ad beneficia, eáque per supervenientem Clericatum, qui requiritur tempore concessi vel acceptati beneficii, suppleri vel tolli non potest. Flam. *d.*
lib. q. 2. n. 2. & 15. Quin etiam, si resignatarius incess- 56
serit in habitu Clericali, ideóque pro Clerico communiter fuerit agnitus, beneficium sibi resignatum apprehendere vel retinere nequit: utpote cùm error communis non tollat incapacitatem personæ, licèt interim, usque dum non detegitur, gesta personæ incapacis ob utilitatem communem sustineat per *l. barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* Rota Rom. apud *cit.* Flamin. *n.* 19.

Infertur II. beneficium illis, qui patiuntur defe- 57
ctum in ætate, nativitate, scientia, moribus &c. resignari non posse: ex quo enim similis defectus obstat collationi, Electioni, vel alterius generis provisioni, obstat quoque Resignationi. Flamin. *d. lib. q. 3.*
& seqq. Et ideò in supplicatione pro admissione Re- 58
signationis in favorem exprimi debet qualitas resignatarii; cæteroquin ob- vel subreptitia censebitur & nulla per textum in *cap. super literis 20. de Rescript.* nec ulla sperari poterit dispensatio, nisi defectus, qui subest, explicetur.

Petes I. utrùm infirmis, senibus, aut consanguineis 59
beneficium aliquod resignari valeat?

Resp. I. beneficium infirmis ac senibus resignari posse, si modò vel infirmitas non nimiùm sit duratura; vel senectus ob virium debilitatem impotentiam ad functiones beneficii non causet. Flamin. *d. lib. q.* 8. *per tot.*

Resp.

60 Resp. II. beneficium in favorem consanguinei, si
de cætero videatur esse beneficiô dignus, licitè &
validè resignari: motivum quippe consanguinitatis
se solô nec facit impedimentum, nec constituit fun-
damentum simoniæ, veluti in *tom. 3. lib. 5. de Simo-
nia* prohibitur.

61 Petes II. utrùm resignatarius Resignationem per
procuratorem acceptare, vel etiam resignanti pen-
sionem promittere valeat?

Resp. affirmativè, & ita quidem, ut idem procu-
rator, ad resignandum constitutus, Resignationem
acceptare, vel pensionem promittere valeat. Flam.
62 *lib. 9. q. 23. n. 9.* Wiell. *h. t. num.* 83. Non enim im-
plicat, ut una persona vicem duarum aut plurium
sustineat; & consequenter sub nomine resignantis
beneficium dimittat, & sub nomine resignatarii
beneficium dimissum cum vel sinè reservatione ac-
ceptet.

§. V.

Quænam Prælatura vel Beneficia Renuntiationem admittant?

63 Objectum Renuntiationis sunt beneficia, non tan-
tùm inferiora, sed etiam majora, Dignitates, & Præ-
laturæ. Barbosa *J.E.V. lib. 3. cap. 15. n. 125.* Flamin.
lib. 2. q. 1. n. 1. & 2.

64 Excipiuntur I. Prælaturæ & alia beneficia litigio-
sa: hæc enim, licèt absolutè possint resignari (nam
ipsa quoque lis & controversia Resignationem non
respuit) in alterius tamen, quàm litigantis favorem,
resignari non possunt *arg. cap. si tu 2. ut lite pend. in
6.* vel quia, pendente lite, nil innovare vel alienare li-
65 cet: vel quia non expedit, litem jam motam inter
personas certas ad alias extendere: vel quia præsum-
ptio fraudis latere videtur. Flamin. *d. lib. q. 3. n. 1. &
seqq.* & *n. 100. & seqq.* P. Guetrather *Inst. Jur. Can.
lib. 1. tit. 19. n. 9.*

66 Excipiuntur II. Prælaturæ electivæ, quæ quidem
Renuntiationem absolutam ac puram non dedignan-
tur, attamen in favorem personæ, Capitulô noncon-
sentiente, propter ingens, quod eveniret, præjudi-
cium resignari nequeunt. Flamin. *cit. l. q. 5. n. 3.* Leu-
renius in *foro benef. p. 3. sect. 1. cap. 4. q. 293. n. 2.* Kónig
h. t. n. 19. Guetrather *d. t. n. 9.* Veraai ad *h. t. §. 5. n. 6.*
67 Idque potissimùm procedit in Germaniæ Prælatu-
ris, in quibus liberum eligendi jus Capitulis, tam
Sæcularibus quàm Regularibus, vi Concordatorum
indultum, ne quidem a S. Pontifice gravari vel adi-
mi solet.

68 Dixi: *Capitulô non consentiente*: nam Capitulum,
de cujus præjudicio agitur, potest utique Resigna-
tionem approbare; sic tamen, ut majoris partis con-
sensus haud sufficiat, sed unanimis omnium vox &
mens desideretur. Flamin. *d. l. n. 11.*

69 Excipiuntur III. Prælaturæ & quælibet benefi-
cia, jure patronatûs affecta: resignari enim in favo-
rem aliter non possunt, quàm sciente & permittente
Patronô, cui cæteroquin jus præsentandi vel nomi-
nandi per indirectum ad tempus vel in perpetuum
70 auferretur. Rota Rom. in *rec. p. 3. dec. 443. n. 1.* Idcir-
co Resignatio, Patronô non consultô vel invitô fa-
cta, vel ipsô Jure non subsistet per *cap. decernimus
32. XVI. q. 7.* vel, ad instantiam Patroni, rescindetur
per *cap. illud 8. de Jure Patronat.* Covarruv. *pract. qq.
cap. 36. n. 9.* Innocent. in *cap. ult. h. t.* Flamin. *d. l. n. q.
4. à n. 4.*

71 Excipiuntur IV. Prælaturæ & reliqua beneficia,
quibus aliquis aut ipsô Jure, aut per sententiam
Ecclesiastici Judicis est privatus. P. Pirhing ad *h. t.*
72 *n. 36.* deficit enim jus, cui Renuntiatio fiat. Quòd
si privatio sit statuta à Jure, sententia tamen decla-
ratoria necdum promulgata, Resignationem admit-
tere videtur Flamin. *d. lib. 2. q. 16. n. 1.* attamen re-
clamantibus Gonzalez in *Reg. 8. Cancellar. glossem. 15.
num. 146.* Gutierrez *QQ. Canon. cap. 4. n. 44.* Wiest-
ner ad *h. t. n. 21.* esto enim renuntians ante senten-
tiam declaratoriam maneat in possessione facti; ni-
hilo minùs possessione juris & titulô jam destitutus,
nihil ampliùs habet, quod alteri possit cedere. Pla- 73
nè si quis vereatur, ne beneficium amittat per sen-
tentiam condemnatoriam, hôc ipsô quòd possessio-
nem juris & titulum habeat, renuntiare non pro-
hibetur. Garcias de *benefic. p. 11. cap. 3. à num. 62.*
Wiestner ad *h. tit. num. 24.* Guetrather *cit. tit. 19. n.
4.* Veraai ad *h. t. §. 7. num. 14.* Reiffenstuel *ibid. n.
53.* Nec interest, utrùm accusatio pendeat super 74
crimine, nec ne: nam etiam post litem contestatam,
quin & post conclusionem in causa, validam esse
Renuntiationem, cum citatis Authoribus, pluri-
búsque aliis, nec non iteratis Rotæ decisionibus,
meritò tenet Flamin. *cit. q. 16. n. 8. & seqq.* per tex- 75
tus in *cap. ex literis 10. de Excessib. Prælat. cap. ult.
eôd. cap. cùm nostris 6. de Concess. præb. cap. per tuas
32. de Simonia cap. dudum 54. Elect. in fin.* ibi: *cùm
non restaret, nisi proferenda sententia, idem tam jurà
(si quod ei competere videbatur) quàm liti cessit spon-
taneâ voluntate, cujus cessionem duximus admitten-
dam.* Quamquàm in eo differentiam inter Resigna- 76
tionem, quæ pendente fit lite, & eam, quæ aliàs in-
terponitur, agnoscat Flamin. *d. q. num. 24.* quod il-
la requirat mentionem litis seu accusationis penden-
tis *arg. cap. constitutus 19. de Rescript.* & *cap. ult. Ut
lite pend.*

Excipiuntur V. beneficia, ad quorum titulum 77
quis ordinatur: nam, ut loquitur Concil. Trident.
Sess. 21. de Reformat. cap. 2. non possunt resignari,
nisi factâ mentione, quòd resignans ad *illius titulum
sit promotus*; neque ea Resignatio admitti potest, *nisi
constitô, quòd aliunde vivere commodè possit*; & ali-
ter facta Resignatio nulla declaratur. Cujus ra- 78
tio est: quia, ex quo nullus absque beneficio po-
test ordinari, ne cum opprobrio status Clericalis
mendicare compellatur, nullus etiam beneficium,
ad quod ordinatus esse noscitur, ob eandem ra-
tionem resignare permittitur, nisi aliunde compe-
tentia habeat subsidia. Rota Rom. in *rec. p. 3. dec.
415. num. 1. 2. & 3.* Flam. *d. lib. 2. q. 6. num. 35.
& seqq.*

§. VI.

Quænam Conditiones ad Renuntiationem sint necessariæ?

Ut justa sit Renuntiatio, præprimis justa requi- 79
ritur causa: nam Ecclesiam, ad quam aliquis Di-
vinô Judiciô vocatus erat, relinquere sinè causa,
res pessimi exempli, manifesti periculi, & magnæ te-
meritatis est. Et quidem si Episcopi & Prælati ma- 80
jores renuntiare cupiant, una ea causis, in *cap. nisi
10. h. t.* determinatis, subsit, pernecessum est: siqui-
dem in eo S. Pontifex Innocentius III. ab initio sta-
tim meminit, quòd velit enumerare causas, ob quas
cedendi licentiam habeat Episcopus, in *verb. insinua-
re volumus, quòd hæc sunt illa, per quæ cedendi Epis-
copus licentiam potest postulare &c.* Posteà enumerat 81
sex causas; quarum prima est *debilitas corporis*, ex se-
nio vel infirmitate contracta, faciens Episcopum im-
potentem ad officium pastorale exequendum. Quò 82
etiam reducitur intemperies aëris, Episcopi naturæ
contraria, à Medicis agnita, ac periculi mortis cau-
sativa per textum in *cap. ad supplicationem 9. h. t.*
Pignatel. *tom. 4. consult. 137. n. 12.* Secunda est *conscien-
tia criminis*, non qualiscunque, sed gravioris, propter 83
quod

quod ipsius officii executio, post peractam quoque
84 pœnitentiam, impeditur; quale est simonia. Tertia
est *carentia sufficientis scientiæ*, quoad ea, quæ per-
tinent ad munus Episcopale; de qua plura in *cap.* 1.
85 à *n.*198. Quarta est *irregularitas*, in qua de facili dis-
pensari non solet; cujusmodi est illa, quæ ex biga-
86 mia & homicidio voluntario suboritur. Quinta est
malitia plebis, seu tanta populi obstinatio, ut nec
verbis nec exemplis Episcopi refractariam cervicem
87 inflectat. Sexta est *scandalum*, ex illaudabili conver-
satione causatum, tamque grave, ut aliò mediò,
quàm Renuntiatione, nequeat aut evitari aut expur-
88 gari. Post causas, ita enumeratas, subjungit Ponti-
fex: *si propter alias causas cessionem affectes, non est in
hoc tibi postulanti favendum: cùm hujusmodi postula-
tio non videatur esse discreta.* Adeóque satis indicat,
ob causas alias Resignationem Episcoporum non esse
permissam. Ita post Hostiensem, Antonium de Bu-
trio, & alios Interpretes Reverendiss. D. Guerrather
cit. tit. n. 12. *& seq.* & Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid.
n.*35. contra Flamin. *lib.*5. *q.*3. *n.*203. & Schambogen
ad *h. t. n.* 12.

89 Equidem in fine *cit. cap.* ait Pontifex: *ecce te tibi
duximus relinquendum, ut distinctis tibi causis, propter
quas cedere oporteat, si propter aliquam causam uti-
lem & honestam in ejusmodi proposito perseveres, de
licentia nostra cedat.* Ex quibus verbis aliæ etiam
causæ permissæ videntur.

90 Sed non ita. Nam causa *utilis* & *honesta* ex mente
Pontificis non censetur, quæ in *eôd. cap.* non fuit ex-
pressa. Ergo memorata verba finalia, dum causam
honestam admittunt, de tali sunt interpretanda, quæ
antecedenter erat determinata.

91 Quoad Prælatos minores nullæ sunt causæ deter-
minatæ: consequenter etiam leviores, uti v. g. est
senium, morbus, defectus corporis aut animi &c. suf-
ficere possunt: idque ob defectum vinculi matrimo-
nialis, quô Prælati hujusmodi carent. Zypæus in
Analysi Juris Pontif. h. t. n. 1. P. Engel *d. t. num.*6.
P. König *ibid. num.* 15. P. Schmalzgrueber *cit. l.
num.* 38. P. Guetrather *cit. l. num.* 11. Murga *d. l.
n.* 1020.

92 Ad hæc ad omnem Renuntiationem requiritur
authoritas Superioris, & regulariter illius, cujus est
93 confirmatio vel collatio beneficii resignati. Textus
pro prima parte est in *cap. admonet* 4. & *cap. ult. h. t.*
ac ratio, quòd, sicut institutio & acquisitio quorum-
cunque beneficiorum absque Superioris authenticâ
comprobatione non fit *cap. beneficium* 1. *de R. J. in*
6. *ita* nec destitutio seu cessio fieri debeat. Ne vide-
licèt aut debita subordinatio prætereatur, aut mille
alia inconvenientia sequantur. Rota in *rec. p.* 3. *dec.*
94 124. *n.*2. Nisi quis jus ad rem solummodò haberet,
quod sinè præscitu Superioris abdicari valet per *cap.
si Electa* 26. *de Elect. in* 6. Barbosa *J. E. U. lib.*3. *cap.*
95 15. *n.* 25. Pro parte secunda textus sunt in *cap. lite-
ras* 1. *cap. ult. h. t. cap. cùm venerabilis* 7. *de Consue-
tud. cap. si Abbatem* 36. *de Elect. in* 6. Rota *p.*9. *tom.*
1. *dec.*230. *n.*17. in quibus habetur, Episcoporum &
Prælatorum exemptorum Resignationes in manus
Pontificis; reliquorum Prælatorum in manus Ordi-
narii faciendas esse, sinè dubio: quia talium est, Ele-
ctiones confirmare, aut ipsas Ecclesias conferre: ut
adeò & abdicatio ab illorum arbitrio pendere debeat.
Flamin. de *Resignat. lib.*7. *cap.*10. *per tot.* Murga *cit.
l. n.* 1024.

96 Dixi *regulariter*. Excipiuntur enim Renuntiatio-
nes conditionatæ, quæ, quia ex *num.* 15. *& seqq.*
Juri Communi adversantur, nequeunt ab alio, quam
Romano Pontifice, qui supra Jus est, legitimari. Ro-
ta *p.*4. *tom.*1. *dec.*120. *n.*2. *& dec.*508. *n.*2. *p.*5. *tom.*1.
*decis.*190. *num.* 4. Murga *cit. l. num.* 1023. Gonza-
lez ad *cap. admonet h. t. num.*5. *&* 6. Barbosa *cit. cap.
num.* 43. *& seqq.*

Dubitabis tamen I. an resignans coram Episcopo 97
possit saltem personam certam pro successore eidem
commendare?

Resp. cum Covarruv. *var. resol. lib.*1. *cap.*5. *n.* 5.
Barbosa *cit. l. n.* 60. Zoës. ad *tit. de Simon. n.* 72. P.
Engel *hic num.* 8. quòd possit. Ratio est: quia talis 98
commendatio nec pactum est, nec causa movens &
inducens, sed tantùm occasio & via ad collationem.
Potest igitur, citra peccatum, Episcopus personam
commendatam resignanti in beneficio substituere, si
cæteroquin digna & habilis reputetur, non minùs ac
si nunquàm commendata fuisset *arg. cap. tua nos* 34. 99
de Simon. non attentâ quâdam Bullâ Pii V. quæ in-
cipit *quanta Ecclesiæ*, ac prohibet omnem designa-
tionem successoris in beneficio: illa etenim explicari
debet vel de designatione cum pacto, vel de substi-
tutione in beneficio necdum vacante.

Dubitabis II. an, si resignans coram Ordinario ad- 100
diderit clausulam, quòd aliter resignare non velit,
quàm in favorem tertii, possit Ordinarius talem con-
ditionem rejicere, & beneficium alteri, quàm nomi-
nato à resignante, conferre?

Covarruvias *d. l.* cum Redoano de *Simon. p.*2. *cap.*
13. *n.*9. affirmativam amplectitur, ex ea ratione: quia
talis conditio, cùm turpis sit, & SS. Canonibus ini-
mica, rejici potest, nec acceptari debet *arg. cap. fin.
de Condition. appos.* Sed negativam, cui Zoësius *cit.
l. n.*73. Barbosa *J. E. U. lib.*3. *cap.* 15. *n.*46. P. Engel 101
cit. l. num. 9. suffragantur, meliorem agnosco. Ratio
est: quia actus conditionatus, cùm voluntatem sus-
pendat, debet vel admitti cum conditione, vel cas-
sari ex toto §. *sub conditione* 4. *Inst. de V. O. l. sub
conditione* 16. *in pr. ff. de Condict. indeb. l. qui hæredi*
44. §. *ult. l. Mævius* 55. *ff. de Condit. & demonstrat.* Et 102
confirmari potest hæc ratio ex Resignatione, quæ
causâ permutationis interponitur: hæc namque, ceu
conditionata, non habet effectum, quando unus resi-
gnavit, & beneficium demisit; alter verò resignare, &
beneficium dimittere recusat *cap. cùm universorum*
8. *de Rer. permutat.* Itáque tenuit Rota in *rec. p.* 2.
*dec.*111. *n.*3.

Ratio Covarruviæ non urget. Enim verò condi- 103
tiones turpes, actibus inter vivos (exceptô matrimo-
niô) adjectæ, non vitiantur, sed potiùs vitiant, & ir-
ritant actus §. *si impossibilis* 11. *Inst. de Inutil. stipulat.
l. non solùm* 31. *ff. de O. & A.* adeóque & Renuntia-
tionem, sub conditione simili peractam, efficiunt in-
validam.

Dubitabis III. an Resignatio, sinè authoritate legi- 104
timi Superioris facta, sit nulla?

Panormitan. ad *cap. quod in dubiis* 8. *h. t. n.* 3. Fla-
min. *d. lib.* 7. *q.* 1. à *n.* 12. P. Wiestner *eôd. tit. n.* 68. D.
Guetrather *cit. tit.* 19. *n.* 8. cum distinctione respon-
dent, ac talem Renuntiationem ex parte renuntiantis
validam, ex parte verò Superioris invalidam pro-
nuntiant: tum *arg. cit. cap. quod in dubiis* 8. *h. t.* tum
arg. l. si unus 27. §. *penult. ff. de Pact.* & *l. si accepta* 19.
in pr. ff. de Acceptilat. Sed præplacet sententia Co- 105
varruviæ *cit. l. n.* 5. *&* 6. & Gonzalezii ad *cap. admo-
net* 4. *h. t. n.* 7. indistinctè talem Renuntiationem pro
invalida habentium, propter textus in *cap. non opor-
tet* 19. & *cap. placuit* 21. *VII. q.* 1. in quorum priore
talis Renuntiatio *prorsus in irritum deduci*, ac renun-
tians Ecclesiæ suæ restitui jubetur. Accedit textus in 106
cap. ult. h. t. ubi, dum Abbas exemptus in manus sui
Conventus Prælaturam resignaverat, indeque Con-
ventus alium Abbatẽ elegerat, tam Resignatio quàm
electio cassatur.

Textus oppositos non moror. Nam *cap. quod in du-* 107
biis non tam obstaculum quàm præsidium facit: eò
quòd resignantes beneficia in manus laicorum illis
priventur, non ex virtute Renuntiationis, sed in

pœnam

pœnam criminis, uti Pontifex ipsemet in *fin.cap.sug-*
gerit, ibi: *licèt Resignatio talium facta laica nullam*
obtineat firmitatem.

108 Textus Civiles (quibus alios & prægnantiores
reponere possem, ostendendô ex *L. non dubium* 5.
Cod. de LL. l. græcè 8. §. 7. *l. si testamenta* 49.
§. 2. *ff. de Fidejussor. & plur. concordant.* actum,
contra formam à Jure præscriptam celebratum, ex
integro nullum esse) extra casus suos extendendi
109 non sunt. Dicunt siquidem, acceptilationem ex se
non habere vim tollendi obligationem, non ver-
bis sed re contractam, parere tamen exceptionem
doli. Adeóque loquuntur de modis tollendi obli-
gationes, in favorem privatorum intentis; non
verò de forma actuum, in bonum publicum intro-
ductâ.

110 Dubitatur IV. utrùm in Renuntiatione tacita, quâ
aliquis ipsô factô privatur beneficiô, Superioris au-
thoritas exigatur?

Resp. affirmativè. Textus bonus in *Extravag.*
execrabilis Joannis XXII. §. *qui verò de Præbend.*
Flamin. *d. lib.* 7. *q.* 3. *num.* 3. Schmalzgrueber ad *h.*
111 *t. num.* 20. Ratio est: quia non solùm utile, sed etiam
necessarium est, ut quis à beneficio, quod insti-
tutione Canonicâ recepit, Superiore non-requisito
non discedat, quatenùs is de eo disponere, ac vel
novum beneficiatum vel Vicarium substituere va-
leat.

112 Demum ad Renuntiationem validam postulatur
ejusdem publicatio, juxta constitutionem Pii V.
quæ incipit *Sanctissimus &c.* & Constitutionem
Gregorii XIII. quæ incipit: *humanô vix judiciô*
&c. ubi mandatur, ut provisi (qualescunque fue-
rint) de beneficiis resignatis quibuscunque publi-
cationem faciant Resignationis novæque provisio-
nis, tam in Ecclesia Cathedrali, quàm in Ecclesia
beneficii resignati, *dum frequens populus ad Missa-*
113 *rum solennia convenerit.* Quòd si Resignatio fiat
coram Ordinario extra Curiam, publicari jubetur
intra tres menses; sin fiat in Curia citra montes
seu Italiam, intra sex; & si ultra montes, intra 9.
menses, prout latiùs est videre in utraque consti-
tutione, quam exhibet Flamin. Paris. *lib.* 9. & plu-
114 ribus quæstionibus declarat. Ratio sic constituendi
fuit, ut tollantur occultæ & simulatæ Resignatio-
nes; illique, qui jam actu resignarunt, non ma-
neant in possessione beneficii, fructus percipiant, ac
Sacramenta fidelibus administrent &c. Flamin. *d.l.*
q. 1. à n. 5.

115 Omissâ hâc publicatione, beneficia, in manibus
Papæ resignata, dispositioni & provisioni Aposto-
licæ reservantur, nullô penitus jure vel resignanti
vel resignatario ulteriùs competente; ademptâ quo-
que resignatario spe, illud beneficium à benignita-
116 te Sedis Apostolicæ consequendi. Quæ reserva-
tio, num etiam in Germania, stantibus Concorda-
tis locum habeat? Acriter disputant Canonistæ
Germani. P. Wiestner ad *h. t. à num.* 118. reserva-
tionem tuetur, ex eo fundamento: quòd beneficia,
in manus S. Pontificis resignata, & non ritè publi-
cata, censeantur apud Sedem vacare, prout de-
finitum est in Rota in *recent. p.* 10. *dec.* 140. & *p.*
11. *dec.* 322. quales vacaturæ non impediuntur,
117 sed confirmantur in Concordatis. P. Engel ad *tit.*
de Præbend. num. 17. & 18. reservationem negat,
ex ratione: quòd Bullæ novæ, ac post Concorda-
ta primùm conditæ, Concordatis, quibus expres-
sè non derogant, non noceant. Ego judicium us-
que ad casum practicum, mihi proponendum, sus-
pendo.

118 Id solùm moneo, publicationem in Renuntiatio-
nibus, authoritate Ordinarii factis, in Germania vel
omninò non, vel non tanto cum rigore efflagitari,
prout attestantur Zypæus in *Analysi Jur. Pont. ad h.*
t. n. 2. Engel *cit. n.* 17. Pirhing ad *h. t. n.* 109. Wiestner
ad *h. tit. n.* 115. Schmalzgrueber *ibid. n.* 40. *in fin.* idem
de Hispania testante Petro de Murga de *Benef. q.* 3.
n. 116. Quidquid in contrarium disserat Flamin. *d.*
lib. 9. *quæst.* 9. *à n.* 6.

§. VII.

Quis effectus sit Renuntiationis?

Effectus Renuntiationis est, quòd Prælatura vel 119
beneficium renuntiatum fiat vacans, ac renuntians
omne jus, quod habuit in Prælatura, tam in spiri-
tualibus quam temporalibus, tum quoad proprie-
tatem, tum quoad possessionem amittat. Rota Rom.
in *rec. p.* 1. *dec.* 660. *n.* 2. & *dec.* 240. *num.* 3. & 4.
Latè Barbosa *J. E. V. l.* 3. *cap.* 25. *à n.* 148. Quod 120
tamen procedit solùm modò de Renuntiatione abso-
luta: conditionata quippe, cùm ante conditionis
eventum non convalidetur, non adimit resignanti jus
in Prælatura vel alio beneficio. Rota *d. p.* 1. *dec.*
631. *n.* 1. & 2. & *p.* 2. *dec.* 286. *n.* 2. *dec.* 542. *n.* 5 *p.* 3. *dec.*
635. *n.* 7. & *seqq. p.* 9. *to.* 1. *dec.* 90. *n.* 16. Et hinc Re-
nuntiatio in favorem personæ jus resignanti non au-
fert, priusquam beneficium resignatario plenè acqui-
ratur. Rota *p.* 11. *dec.* 322. *n.* 3. & *seqq. p.* 14. *dec.* 186.
num. 4.

Quandónam verò hæc vacatio inducatur? Quæ- 121
stio est; in qua contra Gomezium & Azorium
communis est resolutio, quòd, si Renuntiatio co-
ram Ordinario extra Curiam sit facta, mox à tem-
pore acceptatæ Resignationis inducta sit vacatio per
cap. admonet 4. *h. t.* & rationem: quòd ea, quæ
mutuò consensu coaluerunt, mutuô dissensu ple-
rumque concidant. Clariss. P. Guetrather sæpe *cit.*
l. num. 16. Sin verò Renuntiatio sit facta in Curia, 122
anteà dignitas vel beneficium non vacet, quàm re-
nuntians post acceptatam Renuntiationem de no-
vo consensum suum explicaverit, ob stylum Cu-
riæ, in qua sic practicari scribit Barbosa *cit. loc.*
num. 22.

Quæres I. qualis authoritas & potestas Præla- 123
tis Regularibus Benedictis post resignationem rema-
neat?

Resp. I. primum ejusmodi Prælatis locum post
successorem in Prælatura ubique competere; qua- 124
tenùs memoria præhabitæ dignitatis non penitus
sepeliatur *arg. l. eam legem* 14. *Cod. de Excusat.*
Mun. & ibi Brunnem. *n.* 16. Panormitanus ad *cap.*
cùm ad Monasterium 6. *de statu Mon. n.* 13. Tambu-
rinus de *J. A. tom.* 1. *disp.* 13. *q.* 4. *n.* 6. P. König *h. t.*
sub n. ult. in fin. D. Guetrather in *Porta Honoris cap.*
ult. n. 11.

Resp. II. consuetudine etiam receptum esse, ut 125
juxta facultates Monasterii & merita Resignati an-
nuum quoddam peculium Prælatis hujus generis
constituatur. Tamburinus *cit. disp.* 13. *quæst.* 7. *per*
tot. ut nempe, sicut reliquias pristinæ dignitatis, sic
etiam depositæ administrationis emolumentum &
remunerationem quandam retineant.

Resp. III. omnem potestatem, Prælaturæ con- 126
nexam, tam Ordinis quàm Jurisdictionis, per Re-
signationem amitti. Clariss. P. Wex in *Epit. Prælat.*
Regular. p. 1. *cap.* 7. *num.* 15. Tota siquidem pote-
stas Prælatorum Regularium non ex charactere ali-
quo, intrinsecè receptô, sed ex dignitate pendet:
& consequenter, sicut cum dignitate acquiritur, sic
etiam cum dignitate amittitur *arg. l. sordidorum* 13.
Cod. de Excusat. Mun. Sed hoc de Jure, quod 127
consuetudine in eo mutatum esse, ut Prælatis Re-
signatis usus Pontificalium, saltem de licentia novi
Præ-

Prælati, competere possit, testatur D. Guetrather
cit. num. 11. *in fin.*
128 Quæres II. an Prælatus, ab uno Monasterio ad
aliud ut-vel solenniter postulatus, possit in casu Re-
nuntiationis ad locum Professionis reverti?
Resp. negativè. Ratio est: quia, si facultatem re-
vertendi haberet, illa proveniret ex eo, quòd re-
mansert-membrum loci Professionis. Sed verum
129 non est, quòd membrum remanserit: partim quia
non retinet jus eligendi Prælatum in loco Professio-
nis *cap. constitutus* 47. *de Elect.* quod aliàs competit
omnibus membris Ecclesiæ viduatæ ex *cap.* 1. *num.*
130 66. partim quia sit membrum, & quidem principale,
illius Monasterii, ad cujus Prælaturam est postulatus
arg. cap. quia ingredientibus 2. *de Testament*; sicque
cum jus duplicis Monachatûs habere nequeat, ut lo-
quitur textus in *cap. fin. de Religios. dom.* (cui con-
sonat *cap. volentes* 1. §. *in eos de privileg. in* 6. qua-
tenùs tantummodò permittit, ut quis possit esse Reli-
giosus duorum Monasteriorum, quorum unum alte-
ri subordinatū & incorporatum est) desinet esse mem-
brum prioris Monasterii *cap. ne pro* 37. *XVI. q.* 1.
131 *cap. si quis* 3. *XXI. q.* 2. Et hanc opinionem contra
Joannem Andream, post Antonium de Butrio, Bal-
dum, & Brixiensem, propugnare videntur Panormit.
ad *cap. cum ad Monasterium* 6. *de statu Monach. n.*
13. & in *addit. ibid. lit. a.* P. König ad *h.* 1. *sub num.*
18. *vers. V. si Prælatus Regularis &c.* D. Guetrather
in *Porta Honoris cap.* 2. §. 6. *n.* 22.

SECTIO II.

De Depositione.

SUMMARIA.

132. *Depositione Prælatura amittitur.* 133. *Illius de-
scriptio.* 134. *& seqq. Et major explanatio.* 137. *&
seqq. Alia dicitur in specie talis; alia vocatur de-
gradatio.* 140. *& seqq. Depositio in specie quando-
que totalis, quandoque partialis est.* 144. *Differen-
tia inter hanc & suspensionem.* 145. *Episcopi depo-
nuntur à Summo Pontifice.* 146. *& seqq. Cæteri, non
exempti, deponuntur ab Ordinariis.* 150. *& seqq.
Recensentur crimina, ob qua olim & hodie Depositio
statuitur.* 153. *& seqq. Exponuntur speciatim cri-
mina, propter quæ Regulares Prælati sunt deponen-
di.* 157. *& seqq. Effectus Depositionis indicatur.*

§. I.

Quid sit Depositio?

132 SEcundus Modus amittendi Prælaturas Ecclesias-
ticas aut alia beneficia est Depositio; non illa,
quæ speciem contractus realis constituit, ac rem al-
terius custodiæ commendat; sed quæ species est pœ-
næ, & delinquenti de suo beneficio vel officio quid-
piam aufert. Gonzalez ad *cap. si quis* 2. *de Clerico ex-
communicato n.* 6.
133 Definiri potest, quòd sit privatio Prælaturæ Ec-
clesiasticæ vel alterius beneficii, & officii, in pœnam
criminis inflicta.
134 Dixi I. *privatio.* Ut ostènderem, eum, qui depo-
nitur, non tam voluntate propriâ (sicuti qui resignat)
quàm authoritate alienâ renitentem ac invitum ab
honoris Ecclesiastici gradu dejici.
Dixi II. *Prælatura Ecclesiastica vel alterius be-*
135 *neficii.* Ubi denotatur objectum Depositionis,
quod principaliter ad scopum nostrum est Præla-
tura; aliàs tamen, & frequentiùs aliud benefi-
cium per *cap. degradatio* 2. *de Pœn. in* 6.
Dixi III. *in pœnam criminis inflicta.* In causis igi- 136
tur civilibus locum non habet Depositio, sed tantùm
in criminalibus; de quibus in §. 4.

§. II.

Quotuplex sit Depositio?

Depositio dividitur in Depositionem in specie, & 137
Degradationem. *Depositio in specie*, quæ subinde *ver-
balis*, interdum *simplex* appellatur, est, quando ali-
quis de Dignitate, beneficiô, vel officiô Ecclesiasti-
co dejicitur. *Degradatio*, quæ nonnunquam Deposi- 138
tio *realis* nuncupatur, est, quando aliquis etiam Cle-
ricatu exuitur, ac omni potestate, usu, & privilegiô
Clericalis Ordinis destitutus, Curiæ Sæculari com-
mittitur. Utraque quam optimè SS. Canonibus, tum 139
Apostolicis tum Pontificiis, est perspecta, veluti pa-
tet ex *Can.* 44. *Apostol. cap. qui semel* 2. *Dist.* 50.
cap. Episcopus 65. *XI. q.* 3. *d. cap. degradatis* 2. *de
Pœn. in* 6. Gonzalez ad *cap. cùm non ab homine* 10.
de Judic. n. 14. Realis tamen differetur ad *Lib. V.* so-
laque verbalis hic strictim examinabitur. Igitur
Depositio in specie subdividitur in totalem & par- 140
tialem. *Totalis* est, quâ aliquis ab officio simul &
beneficio dejicitur. *Partialis* est, quâ aliquis tantùm
ab officio vel tantùm à beneficio dejicitur. Interim 141
si Depositio statuatur indefinitè, non partialis, sed to-
talis esse censetur *arg. cit. cap. degradatio* & *cap. si
quem* 59. *de Sent. excommunicat.* eò quòd magis par-
ticipet naturam Depositionis. Barbosa de *Off. & pot.
Ep. alleg.* 110. *num.* 2. P. Reiffenstuel ad *tit. de Pœn.
n.* 25. Si mentio de solo fiat officio, per consequen- 142
tiam etiam beneficium, quod propter officium dari
consuevit per *cap. ult. de Rescript. in* 6. ademptum
censebitur. Reiffenstuel *d. l. n.* 23. Aliter ac si in De- 143
positione Judex tantùm meminerit de beneficio:
tunc enim, cùm materia sit odiosa, non videretur in-
clusa Depositio ab officio. Reiffenstuel *d. l. nu-
mer.* 24.
Si putes: Depositionem partialem à suspensione 144
juxta memoratam explicationem non differre.
Contra est: quia suspensio neque perpetua, ne-
que vindicativa est; neque privationem beneficii,
sed administrationis duntaxat secum fert: Deposi-
tio autem, veluti pœna vindicativa, ipsô bene-
ficiô vel officiô in perpetuum privat. Reiffenstuel
d. l. num. 27.

§. III.

Quis habeat facultatem deponendi?

Deponendi facultatem habet Superior & Judex 145
Ecclesiasticus. Et quidem, si contingeret, ut Epis-
copus vel unus ex Prælatis majoribus Depositio-
nem mereatur, non alius quàm S. Pontifex Depo-
sitionem infligere posset; quemadmodùm relucet
ex Concil. Trid. *Sess.* 24. *de Ref. cap.* 5. ubi causæ
Episcoporum criminales nullius alterius quàm S.
Pontificis judicio committuntur. D. Guetrather *In-
stit. Jur. Can. lib.* 1. *tit.* 20. *n.* 4.
De Prælatis inferioribus distinctio fit inter Ex- 146
emptos, & non-exemptos. Illorum Depositio, nisi
specialia suffragentur indulta, spectat ad Pontifi-
cem. Horum (idem est de aliis beneficiatis)
Depositio spectat ad Ordinarium per textus in
cap. in singulis & *cap. ea qua* 8. *de statu Mo-
nachor.*
De istorum & aliorum Depositione quondam in 147
cap. felix 4. *cap. si autem* 5. *XV. q.* 7. constitutum erat,
ut si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, crimen, De-

positione dignum, admisissent, plures Episcopi con-
148 currerent. Verùm quia tot semper Episcopos habe-
re vel impossibile, vel difficile, vel incommodum:
Sacra Synodus Tridentina in *Seff.* 13. *de Ref. cap.*
4. sancivit, ut in locum Episcoporum totidem Abba-
tes, usum mitræ & baculi habentes, aut etiam vi-
ri alii, in *Dignitate Ecclesiastica constituti, ætate gra-
ves, ac Juris scientiâ commendabiles*, subrogentur;
conformiter textui in *cap. quoniam* 1. *de Hæret. in*
149 6. P. Pirhing ad *tit. de Pæn. num.* 18. Atque hos
Episcopos, Abbates, aut alterius Dignitatis Cleri-
cos, etiam in verbali Depositione, juxta Communis
Juris placita, votum decisivum habere, constat ex
cap. Episcopus 6. *& 7. d. XV. q. 7. cap. non po-
test* 3. *de Sent. & re judic.* Gonzalez *ibid. num.* 4.
ubi pariter advertit, quòd illa condemnatio priscis
temporibus in Conciliis provincialibus; aut in Capi-
tulis & Consiliis Ecclesiarum Cathedralium & Me-
tropolitanarum in effectum deducta fuerit.

§. IV.

Quibus ex Criminibus aliquis deponi valeat?

150 Depositio nequit decerni, ubi quis crimen non
commisit per *cap. tua* 6. *de Pæn. cap. qualiter &
quando* 24. *de Accusat.* Ejusmodi crimen de Jure
communi censetur non tantùm homicidium, fur-
tum, perjurium, adulterium, sed etiam crimen le-
vius juxta textum in *cap. at si Clerici* 4 §. *de adulte-
151 riis de Judic.* Verùm hodiernis temporibus, ubi rigi-
dior Ecclesiæ disciplina nonnihil est temperata, ad
Depositionem non sufficit qualecúnque crimen, etiam
mortale: cæteroquin enim, ut loquitur Pax Jordan
Elucubrat. diverf. lib. 10. *tit.* 4. *num.* 173. in tanta
hominum fragilitate, inque tanta peccandi occasione
152 quàm plurimi Depositionis pœnam incurrerent. Ita-
que crimen, ob quod Depositio statuitur, enor-
me, publicum, scandalosum, aut nimis frequenta-
tum sit, oportet, per argumentum, a sensu contra-
rio desumptum ex Concil. Trident. in *Seff.* 22. *in De-
creto de observand. in celeb. Missa.* ubi præcipitur E-
piscopis, *ut neminem, qui publicè & notoriè criminosus
sit, sancto altari ministrare* permittant. Abbas in *cit.
cap. at si Clerici n.* 33. Wiestner ad *tit. de Pæn. n.* 75.
Reiffenstuel *ibid. n.* 30.
153 Porrò Regulares Prælati possunt etiam ex *causis
levioribus* à suis Prælaturis deponi, prout disserit In-
nocentius III. in *cap. per tuas* 32. *de Simon.* Ubi tamen
ly levioribus non debet accipi quasi positivè, quòd
supponat leves aut exiguas causas; sed comparativè &
respectivè ad causas alias, ex quibus Episcopi, vel etiā
beneficiati sæculares ab omni beneficio & officio vel
exercitio Ordinum deponuntur, ut probè notavit
Clariss. P. Wex in *Epitom. de Prælat. reg. p.* 2. *cap.*
154 7. *num.* 7. Nam & Priores (nedum Abbates &
Prælati eminentiores) *cùm in Ecclesiis Conventuali-
bus per electionem Capitularum suarum canonicè fue-
rint instituti, nisi pro manifesta & rationabili causa* mo-
tari non possunt, uti decisum extat in Concilio Late-
ranensi, relatō in *cap. Monachi* 2. *de statu Monach.*
Panormitan. *ibid. num.* 8. Tamburin. *de Jure Abbat.*
155 *tr.* 1. *disp.* 12. *q.* 1. *n. ult.* In specie verò causa De-
positionis censetur *in cap. cùm ad* 6. *de statu Monach.*
quando Prælatus est *prævaricator aut contemptor*
Ordinis; item quando fuerit inventus dilapidator
156 substantiæ Monasterii juxta *cap. ult. eôd. tit.* Et, quod
attinet Abbates Cistercienses, à Clemente IV. annô
1265. sequentes causas fuisse determinatas, refert *cit.*
Wex *num.* 8. nempe hæresin, simoniam manifestam,
immunditiam carnalem, furtum, homicidium, grave
sacrilegium, solenne perjurium, conspirationem, falsifi-
cationem literarum Apostolicarum &c.

§. V.

Quisnam sit effectus Depositionis?

Effectus Depositionis est, quòd, si totalis sit, ali- 157
quem Prælaturâ, beneficiô, & officiô unà cum anne-
xis functionibus, usu Ordinum, juribus, privile-
giis, ac prærogativis in perpetuum privet, atque ad
aliud beneficium aut officium acquirendum perpe-
tuam inhabilitatem inducat per textum in *cap. at si
Clerici* 4. *de Judic. cap. ut Clericorum* 13. *de Vita & ho-
nest. Clericor. cap. insinuatum* 13. *de Simon. cap. la-
tores* 4. *de Clerico excommun. depos. &c.* Barbosa de
Off. & pot. Ep. alleg. 110. *à num.* 1. Reiffenstuel ad
tit. de Pæn. num. 22. Attamen si aliquis Clericus in- 158
ferior ob adulterium vel levius crimen fuerit deposi-
tus, potest Episcopus, peractâ jam pœnitentiâ, eum
dispensativè in pristinum statum restituere *d. cap.
at si Clerici* §. *de adulteriis*, ubi Gonzalez *n.* 2. Barbo-
sa *n.* 8. Reiffenstuel *d. l. n.* 78.
Prælati Regulares, ubi depositi sunt, præter amis- 159
sionem Jurisdictionis amittunt suam præeminentiam,
& præcedentiā, rediguntur in ordinē, ac locô profes-
sionis debēt esse contenti *arg. cap. cùm ad* 6. *& cap.
in singulis* 7 *de statu Monachor.* Tamburin. *de J. A.
disp.* 13. *q.* 4. *num.* 9. König ad *tit. de Renunt. num.
ult.* Wex *cit. cap.* 7. *num.* 15. Plerumque tamen, si 160
crimen non sit enorme vel scandalosum, Prælatus Re-
gularis, ad conservandum honorem & famam, non
tam deponitur, quàm resignare permittitur.

SECTIO III.

De Lapsu Temporis, Morte, & aliis Modis amittendi Prælaturas.

SUMMARIA.

161. *Episcoporum Prælaturæ sunt perpetuæ.* 162. *& seq. Uti & Prælatorum Regularium.* 164. *& seqq. Ex speciali Ordinum statuto vel consuetudine sunt temporales.* 167. *& seqq. Argumenta demonstrantia, melius esse, si Prælati sint perpetui.* 171. *& seqq. Argumenta, Prælatis temporalibus faventia.* 175. *& seq. Mors naturalis solvit Prælaturam aut beneficium.* 177. *Casus resurrectionis non juvat.* 178. *& seqq. Idem præstat mors civilis.* 182. *& seqq. Enumerantur alii modi, quibus amittitur Prælatura vel beneficium.*

§. I.

De Lapsu Temporis.

Tertius modus amittendi Prælaturas Ecclesias- 161
ticas est lapsus temporis, cui Prælati regimen
erat coarctatum. Ubiquidem de Episcopis extra du-
bium est, quòd eorum Prælaturæ sint perpetuæ: ut-
pote cùm propter insolubile matrimonii spiritualis
vinculum ne quidem volentes à suis Ecclesiis disce-
dere, vel Episcopatum dimittere possint, ex dictis in
cap. 3. *à num.* 35. & in hoc *cap. à num.* 80. Satisque 162
certum videtur, quòd etiam Prælaturæ Regulares de
Jure Communi sint perpetuæ, si non positivè, saltem
negativè, quatenùs de illarum duratione nullus po-
situs legitur terminus; nec subditis conceditur, a-
lium Prælatum, quando voluerint, eligere, nisi
vel resignationis vel depositionis causa suppetat per
textum in *cap. nullam* 9. *XVIII. quæst.* 2. ibi: *nul-
lam potestatem de cætero, nullam licentiam Monachis*
relin-

relinquimus, pro arbitrio suo aut Abbates expellere,
aut sibimet alios ordinare: quia nulla authoritas re-
manebit Abbati, si Monachorum potestati cœperit sub-
163 *jacere.* Cujus ratio est: quia Regulares quoque
Prælati, præcipuè Benedicti, suis Ecclesiis cum an-
nulo desponderi, & quasi matrimonium cum illis con-
trahere censentur per textum in *cap. ne pro defectu*
41. *de Elect.* Idcircò nec ipsi pro suo libitu suas re-
linquere possunt Ecclesias *cap. cùm venerabilis* 7.
de Consuet. cap. ult. de Renunciat. nec ab aliis ad ce-
dendum vel relinquendum absque prægnanti causa
compelli per textum in *cap. Monachi* 2. *de statu Mo-*
nachor. cap. qualiter & quando 24. *de Accusation.*
Tamburinus de *Jure Abbat.* to. 1. *disp.* 12. *q.* 1. *per tot.*
164 Dixi: *de Jure Communi.* Nam speciali variorum
Ordinum & Religionum statutô & consuetudine
fuit introductum, ut ipsorum Abbates, Generales,
& alii Prælati non perpetui, sed temporales sint.
Sic enim in Ordinibus Mendicantium Priores,
Guardiani, Rectores & alii Superiores, locales &
provinciales, plerumque sunt triennales; quin &
Generales ipsorum & suprema Capita (exceptâ Præ-
dicatorum familiâ & Societate JESU) ultra sexen-
nium prææsse non permittuntur. Tamburin. *d. disp.*
q. 2. *per tot.* Wex in *Epit. Prælat. Regul. p.* 1. *cap.* 6.
165 *num.* 10. 12. & 14. Sic etiam in Ordinibus non Men-
dicantium, extra Germaniam, quàmplurimi Abbates
perpetuô ejusdem Abbatiæ regimine non gaudent,
sed ad triennium vel sexennium continuare solent;
quin & in Congregatione Vallis umbrosæ nequi-
dem ad certum triennium, sed ad placitum De-
finitoris Abbates Monasteriis præfici, testatur idem
166 Tamburinus *d. q. num.* 7. Quô tamen non obstante,
qui semel in uno loco vel Monasterio Prælaturam
obtinuerunt, expletô Regiminis tempore, vel in anti-
quo munere confirmari, vel ad Prælaturam alterius
loci & Monasterii transferri consueverunt. Tambu-
rinus *d. l. n.* 2. & 3.
167 Quid verò magis expediat, temporales an perpe-
tuos habere Prælatos? Problema esto. Perpetuos
Prælatos sequentia postulant argumenta. I. Nihil in
orbe, nihil in cœlo sperari vel expectari potest uti-
lius, quàm perpetuitas. Hæc Monarchiam, quà Ec-
clesiasticam quà Politicam facit stabilem & firmam;
hæc ab initio nascentis Ecclesiæ viguit; hæc trium-
phantem apud Superos Hierarchiam facit beatam &
168 inexplicabili modô felicem. II. Sive Monasterii cujus-
dam emolumentum œconomicum, sive disciplinæ Re-
gularis incrementum pensemus, utrumque pendet ex
longo, nullique certo tempori adstricto regimine.
Nam experientia rerum Magistra dicitur, nullùsve
melior censetur esse Magister, quàm usus diutur-
nus. Consequenter qui diu præest, diù multùm-
que prodest; &, qui brevi dimittere tenetur, quod
primùm incepit exercere munus, regere desinit,
169 antequàm didicerit. III. si Prælatus quisque Timo-
rem Amori, suavi vinculô, conjungere debeat,
ut non tam invitis imperare, quàm volentes in sua
trahere imperia videatur; non aliud superest me-
dium, quàm Prælaturæ stabilitas: alioquin, quod
mandat, negligitur aut contemnitur; &, quod blan-
dimentis efficere conatur, non curatur: *cùm*, ut
Joannes Papa in *cap. visis* 1. *XVI. q.* 2. ait: *hu-*
mani moris sit, illum vereri, cujus judicio & vo-
170 *luntate nunc erigeris, nunc deprimeris.* IV. ubi Præ-
lati sunt amovibiles, nunquam non ambitio, & quæ
illos pedissequæ censentur, subornatio, diffidia, fa-
ctiones, & collusiones erunt inter subditos Regula-
res: dum plurimi vehementiùs aspirabunt ad Digni-
tates, quas citiùs adipisci se posse, non ignorant.
171 Temporales Prælatos motiva suadent non con-
temnenda. I. Grave permultis, & aliquibus vix tole-
rabile judicatur esse jugum, sub eodem semper Præ-
lato, cujus mores per honores, ex communi pro-
verbio non semper mutantur in meliores, vivere,
&, quem tibi scis insensum aut offensum, usque
ad tumbam agnoscere Superiorem & revereri. II. 172
Tametsi Prælaturæ non erigantur in favorem Præ-
latorum, sed subditorum, ut isti ab illis dirigantur in
viam salutis: attamen, ex quo Prælati conspiciunt,
se non morituros, nisi sub infula, faciliùs officium Pa-
tris vertunt in dominatum aut despotiam, ut non am-
pliùs aliorum serviant moribus, juxta monitum &
mentem S. P. Benedicti in *reg. cap.* 2. sed potiùs
aliorum mores ingenio genioque suo contra tor-
rentem subjicere studeant. III. si Prælatus vel in 173
bona Monasterii semel liberiùs grassari; vel Regu-
laris Vitæ laxare fibulas incipiat, potest in tem-
poralibus & spiritualibus horrendum in modum no-
cere: donec enim ad Superiorem deferatur, aut
Canonica depositionis causa probetur, omnia sus-
que deque verti ac pessumdari possunt. IV. Dum 174
sæpiùs & celeriùs mutantur Prælati, plures in-
veniuntur, qui bono communi consulere possunt;
iique, qui necdum supra candelabrum sunt posi-
ti, digniores se faciunt, ut è tenebris & angu-
lis in lucem producantur. Conferantur Caramuel
Theolog. Reg. disp. 120. *à n.* 1492. Tamb. *d. l. q.* 3.
per tot. & Wex *cap.* 6. *à n.* 10.

§. II.

De Morte.

Quartus & connaturalis modus amittendi tam 175
Prælaturas Ecclesiasticas, quàm omnia cætera bene-
ficia est mors, eaque tam naturalis, quàm civilis.
De naturali constat tum ex *cap. susceptum* 6. *in*
pr. de Rescript. in 6. tum ex *cap.* 1. *num.* 26. 176
ubi probatum est, quòd hæreditaria successio, per
quam defunctus in hæredibus adhuc vivere censetur,
in Ecclesiasticis beneficiis universim reprobata fue-
rit: tum ex paritate de matrimonio carnali, quod
procul omni dubiô per mortem dissolvitur; uti vin-
culum in humanis tam arctum haud invenitur, quod
morte non solvatur; si excipiamus debita & pec-
cata, per pœnitentiam non correcta, ut dicit Pax 177
Jordan *lib.* 10. *tit.* 4. *num.* 165. Quòd si contin-
geret, aliquem Prælatum aut beneficiatum per mi-
raculum à mortuis resurgere, nullum deinceps jus
vel regressum ad Prælaturam aut beneficium habe-
ret. Barbosa *J. E. V. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 1. P. Pir-
hing ad *tit. de Concess. Præb. num.* 23. P. Wex in *cit.*
Epit. de Præl. Reg. cap. 7. *num.* 2. quemadmodùm
nec uxor, à morte resuscitata, potest ad maritum, jam
alteri desponsatum, redire.
De morte civili patet ab inductione. Nam I. si Præ- 178
latus ab una Ecclesia promoveatur & transferatur ad
aliam, amittit priorem: quia respectu illius civiliter
mortuus esse censetur, Pax Jordan *d. l. num.* 179.
Wex *d. l. num.* 2. Revideantur dicta in *cap.* 3. *à n.*
58. II. si Episcopus ex licentia Summi Pontificis, 179
aut alius beneficiatus qualemcunque Religionem ap-
probatam profiteatur, quoad Episcopatum aut be-
neficium pro civiliter mortuo reputatur *arg. cap. pla-*
cuit 8. *XVI. q.* 1. *cap. beneficium* 4. *de Regular. in* 6.
Pax Jordan *num.* 178. Pirhing *d. l. num.* 25. III. si 180
Prælatus Regularis transeat ab Ordine mitiori ad
strictiorem, ibique professionem emittat: hôc ipsô
namque desinit esse membrum & caput alterius Ordi-
nis & Monasterii, quasi civiliter illius intuitu mor-
tuus *arg. cap. ult. de Religios. domib.*
Quid porrò de bonis & fructibus, à Prælato vel 181
beneficiato, naturaliter aut civiliter mortuo, relictis
dicendum sit, utrùm & quomodò remaneant penes
Ecclesiam, vel deveniant ad hæredes? Suis in

locis discutietur. Intereà servient disputata in *cap.* 3. *à num.* 70.

§. III.

De aliis Modis amittendi Pralatnras vel Beneficia.

182 Relatis hucusque Modis amittendi Prælaturas vel
beneficia plures & ultra 50. annumerat Paa Jordan
cit. lib. 10. *tit.* 4. *à num.* 173. Ex his assumo notabi-
liores, ac quintum modum statuo defectum adim-
pletæ conditionis: qui enim parochiale beneficium
recepit, aut evectus est ad Prælaturam curatam,
nec tamen intra spatium annale promotus ad Sacer-
dotium, beneficium aut Prælaturam ipsô Jure amit-
tit *cap. in Abbates* 1. *de Ætate qual. & Ord. præ-*
183 *ficiend. cap. licet* 14. *de Elect. in* 6. Idem est, si
quis, in Prælatum electus, debitô tempore consen-
sum non præstiterit; aut Confirmationem vel Con-
secrationem petere neglexerit, ut dictum in *cap.* 1.
184 *sect.* 5. Idem est, quotiescunque non servator condi-
tio, cujus implemento fundator, constructor, aut
dotator Ecclesiæ consecutionem aut retentionem
beneficii coarctavit *arg. cap. verùm* 4. *de Condit. ap-
posit.* Paa Jordan *n.* 222.

185 Seatus modus est obitus Papæ vel Episcopi, Præ-
laturam aut beneficium ad suum beneplacitum con-
cedentis: nam quia beneplacitum extinguitur morte
concedentis, extinguitur etiam Prælatura vel benefi-
186 cium *cap. si gratiosè* 5. *de Rescr. in* 6. Aliud est, si
concessio fiat ad beneplacitum Sedis Apostolicæ: si-
cut enim ipsamet Sedes non moritur; ita nec conces-
sio ealpirat *d. cap. si gratiosè.*

187 Septimus modus est retentio plurium beneficio-
rum incompatibilium, etiam cum dispensatione ob-
tentorum, si intra tempus, ab Ordinario determinan-
dum, dispensatio non exhibeatur: ob hanc enim be-
neficia posteriora, quæ sinè dispensatione non pote-
rant acquiri, perduntur *cap. Ordinarii* 3. *in pr. de
Off. Jud. Ord. in* 6.

188 Octavus modus est delictum, ob quod Jura in
multis casibus amissionem beneficii ipsô factô statue-
runt, uti notabimus in materiis propriis, & breviter
adstruit Jordan, in *n.* 187. citatus.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Neque tacita renuntiatio.* 2. *& seq. Neque expressa certam formulam desiderat.* 4. *& seq. Explicatur Extravagans execrabilis.* 6. *Matrimonium, à beneficiato Clerico in minoribus contractum, est species tacita resignationis.* 7. *Contradicit Leurenius.* 8. *& seq. Refellitur.* 10. *& seqq. Stabilitur sententia, docens, beneficiatum, religionem ingressum, non posse renuntiare beneficio ante Professionem.* 15. *Beneficiato resignanti, re adbuc integrâ, pœnitere licet.* 16. *& seqq. Exponitur, quandònam res desinat esse integra.* 21. *& seq. Si resignatio fiat in favorem sub conditione, eâ non purificatâ, non inducitur reservatio ob omissam publicationem.* 23. *& seq. Satisfit objectioni.*

QUÆSTIO I.

Quâ verborum formulâ utendum sit in renuntiatione Dignitatum aut Beneficiorum Ecclesiasticorum?

1 Renuntiationem tacitam, de qua diximus in *hoc
cap. num.* 12. non indigere certâ aliquâ verborum
formulâ, patet ex eo, quòd ipsô factô inducatur;
potestque probari ex *cap. de multa* 28. *de Præ-
bend.* ubi, qui secundum beneficium, incompatibile
cum primo, recepit, priori ipsô facto privatus declara-
tur, daturque illi, ad quem spectat collatio, facul-
tas id liberè conferendi. Renuntiationem expressam 2
quoque non habere opus certâ formulâ verborum,
supponere videntur Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 17.
num. 1. Leuren. in *Foro Benefic. p.* 3. *quæst.* 235.
num. 1. Neque enim à Jure quidpiam circa hoc
præscriptum legitur; ideòque quævis verba, ani-
mum dimittendi beneficii significantia, sufficiunt.
Concludit exinde *cit.* Pignatell. *d. num.* 1. & 2. 3
in casu, quò Dignitas electiva vacat per resigna-
tionem, posse ad Electionem procedi, etiamsi non
constet judicialiter de vacatura, sed notitia aliun-
de quomodocunque habeatur, etiam per famam,
prout Rota Romana judicavit apud Garziam de *Be-
nefic. p.* 10. *cap.* 2. *n.* 31. & 33.

Equidem in *Extravag. execrabilis* Joannis XXII. 4
de Præbend. requiritur, ut fiat dimissio beneficii
*sub testimonio publico verbaliter & realiter cum
effectu.* Sed præterquàm quòd illa dimissio non 5
sit spontanea, ex quo, qui consequitur beneficium
alterum, cum priori incompatibile, hoc tenetur
dimittere explicatô modô; insuper per ly *verbali-
ter* non denotatur certa verborum formula; &
ideò quævis loquendi ratio, explicans mentem fo-
riam cedentis, sufficit.

QUÆSTIO II.

Utrùm contractus matrimonii, à Clerico beneficiato, in minoribus constituto, initus habeat speciem tacitæ renuntiationis?

Pro specie & exemplo tacitæ renuntiationis in 6
hoc cap. num. 12. cum Parisio statuimus matrimo-
nium, à Clerico beneficiato, qui in minoribus con-
stitutus est, contractum. Cui quidem refragatur 7
Leurenius in *Foro benefic. p.* 3. *q.* 235. quia ab-
dicatio aut vacatio beneficii non potest adscribi
voluntati resignantis, sed authoritati Legis Cano-
nicæ, Clericos conjugatos ipsô factô beneficiô pri-
vantis. Quia verò ipsemet Leurenius *d. l.* resi- 8
gnationem tacitam describit, quæ ex ipsius Juris
interpretatione & ex actu directè contrario reten-
tioni beneficii per consequentiam colligitur, dum
quis facit, quô positô, ex ipsius Juris constitu-
tione amittitur beneficium, seu retineri nequit: 9
non video, cur matrimonialis contractus, tan-
quam actus, ex Juris constitutione directè con-
trarius beneficio juxta *cap. si qui* 1. *cap. quod à te* 3.
cap. diversis 5. *de Cleric. conjugat.* nequeat pro taci-
ta beneficii renuntiatione allegari.

QUÆSTIO III.

Valeátne resignatio beneficii à Novitio ante duos menses proximos ante professionem?

Non valere, dictum est in *hoc cap. à num.* 33. 10
quæ sententia, teste Eminentiss. Vincentiô Petra ad
Constit. Apostol. to. 3. *pag.* 379. *num.* 20. est commu-
nior, atque, ut perhibet in *num.* 18. jam pridem à S.
Congregatione Concilii decisa. Et licèt Pius V. 11
Summus Pontifex, relatâ sibi S. Congregationis
sententiâ dixisse feratur, se non credere, quòd re-
nuntiatio beneficii sub dispositione Concil. Trident.
sess. 25. *de Regular. cap.* 16. comprehendatur;
ideòque in casu eveniente Sanctissimum esse con-
sulendum, suaserit Fagnanus in *cap. statutum de*
Regu-

12 *Regular. num.* 19. Attamen sententiam nostram non solum Rota Romana fuit amplexa in celebri causa *Ferrariens. Canonicatûs* die 1. Aprilis 1697. & 10. Januarii 1698 & 5. Martii eod. anno, & 3. Aprilis 1699. & 11. Decembr. hoc ipso anno, de quibus decisionibus videndus Pitonius *to. 1., sub cap.* 6. sed etiam
13 antefata S. Congregatio Concilii post Pium V. eandem opinionem semper tenuit, veluti testatur *cit.* Petra *pag.* 380. *num.* 22. & in *num. seq.* in doctrinæ consequentiam superaddit, quòd, si agatur de casu, quô professus post plures annos nullitatem professionis canonizari obtinuerit, recuperet beneficia, etiam ab
14 aliis possessa, prout est in bonis temporalibus; secus, si ex alia causa exierit, vel dispensativè habitu clericali se induerit, licèt sit capax aliorum beneficiorum. Corrad. in *praxi benefic. lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 3. *vers. & est hic notandum.* Paris. de *Resignat. lib.* 3. *quæst.* 13. *n.* 15. quia in primo casu reducitur professio ad non esse ex sui initio; non autem in secundo, ut etiam innuit *cit.* Corrad. in *praxi dispensat. lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 20. §. *cæterum &c.*

QUÆSTIO IV.

An resignanti beneficium liceat pœnitere?

15 Re adhuc integrâ resignanti pœnitentiam esse licitam, vix aliquis dubitat ob *Clem. un. de Renuntiat.* in qua, si quis mandatarium ad resignandum constituerit, supponitur, eidem competere facultatem, mandatum, re adhuc integrâ, revocandi. Card. de Luca
16 de *Benefic. disc.* 38. *n.* 2. Quandónam verò res non ampliùs censeatur esse integra? In resignationibus, factis in manus Ordinarii, facile est, dijudicare, quando scilicèt ab Ordinario, in cujus manibus est facien-
17 da, fuit admissa per *cap. admonet* 4. *d.* 1. De resignationibus autem, factis in Curia Romana præfatus Card. *numer.* 4. & 5. insinuat, antiquitus occurrisse difficultatem; hodie verò ex moderniori stylo illam cessare, nec priùs resignationem esse perfectam, quàm si consensus fuerit præstitus in Cancellaria, vel per ipsum resignantem, vel per procuratorem, & in libris extensus; non attentô, an supplicatio prius signata, vel data esset; quod etiam dilucidè habetur in *Reg. Cancell.* 40. *seu* 41. quam materiam illustrat Paris. de *Resignat. lib.* 9. *q.* 8. Jamque
18 in *hoc cap. n.* 122. observatum legitur, non censere beneficium in curia resignatum priùs vacare, quàm resignans, post acceptatam renuntiationem de novo consensum præstiterit.

Major tamen est difficultas, quando resignans con- 19
stituit mandatarium in Curia, & postea mandatum revocavit, mandatarius verò nihilo minùs consensum in Cancellaria formaliter præstitit. Sed & hanc difficultatem per Rotam decisam fuisse, meminit Card. de Luca *cit. disc. num.* 7. cum distinctione: aut enim agitur de certa & simplici resignatione, & tunc revocatio mandati notificanda est vel procuratori, vel Papæ, mediante ejus dimissione seu repositione in Dataria, ac apud Officiales, qui sunt illius organum; aut 20
verò agitur de renuntiatione in favorem certæ personæ, & tunc sufficiet notificatio ipsi principali, cujus favore resignatio erat facienda; vel aliàs certa notitia de facta revocatione. Rota in *rec. p.* 6 *decis.* 130. *n.* 24. *& seqq.* & apud Dunozzet *decis.* 881. *n.* 10. Paritius de *Resignat. d. lib.* 9. *quæst.* 27 *per tot.* præsertim *n.* 10.

QUÆSTIO V.

An resignatio, in favorem personæ sub certis conditionibus facta, iis non purificatis, faciat vacare beneficium ob omissam publicationem?

Discutit hanc quæstionem *cit.* Cardin. de Luca 21
disc. 39. referendô casum Ilerdensem, resolvitque negativè. Rationem dat generalem: quia resignatio ad favorem certæ personæ nullatenùs aufert jus vel possessionem à resignante, donec illa validè ac perfectè suum effectum sortiatur in persona resignatarii: ubi
autem non purificantur aut adimplentur conditiones, 22
sub quibus, & non aliàs erat facta resignatio, resignatio suum effectum in persona resignatarii non consequitur, sed evanescit actus in radice, ac si nunquam fuisset initus: ideóque etiam non subintrat necessitas publicationis, ex quo non entis nullæ sunt qualitates. Rota in *recent. part.* 9. *decis.* 90. *n.* 10. *& seqq.*

Nec refert, an conditiones illæ, sub quibus & non 23
aliàs intenta erat resignatio, contineant in se aliquid simoniacum, puta reservationem certæ pensionis, alteriùsve rei temporalis: quoniam, si resignatio (ve- 24
lut hîc supponitur) fiat in manus Papæ, & conditiones appositæ referantur ad beneplacitum Apostolicum cum clausula *& non aliàs*, nulla committitur simonia, cùm versemur in tali materia, in qua S. Pontifex saltem indirectè dispensare potest. *cit.* Card. *in ult. & disc.* 36. *àn.* 22.

TRACTATUS IV.

DE

POTESTATE ORDINIS.

Cclesiarum Prælati, quorum assumptioni præcedens Tractatus erat ex asse consecratus, duplici fulgent potestate, Ordinis & Jurisdictionis. Potestas Ordinis, velut in Ecclesia DEI præcipua, nec Angelis sed hominibus concessa, à Decretalium Conditore Potestati Jurisdictionis præponitur, atque à Tit. XI. *de Temporibus Ordinat. & qualitate Ordinand.* usque ad Tit. XXII. considerandа proponitur. Quem ordinem & ego servaturus, ago quàm proximè de Potestate Ordinis; &, ne materia sit incompleta, nonnullos Titulos ex Libro V. in quibus una vel altera species irregularitatis continetur, huc revoco.

CAPUT I.

De Natura, Origine, & Diversitate Potestatis Ordinis.

Canonistæ, ad Tit. XI. *h. l.* repetentes, de Ordinatione vel Ordinibus tractationem suam inscribere & continuare solent. Ab istis in effectu & re ipsa non differam ego, sed id ipsum, quod illi per Ordinationem vel Ordines intelligunt, per Ordinis Potestatem exponam; veluti mox patebit, ubi Naturam, originem, & diversitatem ejusdem explicavero.

SECTIO I.

De Natura & Origine Potestatis Ordinis.

SUMMARIA.

1. Nomen Potestatis. 2. & seqq. Nomen Ordinis exponitur. 9. Potestas Ordinis definitur. 10. Est facultas. 11. In Ecclesia DEI 12. Res sacras, & Divina ministeria peragendi. 13. Ordinandô, confirmandô, & consecrandô. 14. & 15. Sectariorum oppositiones contra Potestatis hujus originem afferuntur. 16. & seqq. Veritas & argumenta Catholicorum, in medium proferuntur. 21. & seqq. Sectariorum oppositiones radicitus evelluntur.

§. I.

Quid sit Potestas Ordinis quoad Nomen?

1 POtestas vi nominis latissimam habet significatio-
nem: utpote cùm prædicetur de Jurisdictione,
2 jure proprietatis, jure paterno, jure dominico
&c. prout notabitur in locis propriis. Hic autem
contrahitur ad Ordinem, qui & ipse, spectatô no-
mine, homonymus est. I. enim denotat justam sym-
metriam, ac convenientem rerum dispositionem,
juxta illud S. Augustini *lib. 19. de Civitat. DEI
cap. 13. ordo est parium impariumque unicuique
sua loca tribuens congrua dispositio.* II. indigitat 3
statum seu conditionem, pluribus communem;
qualis apud Romanos triplex erat, videlicèt Ordo
Senatorius, Equestris, & Plebejus. Gonzalez ad
cap. intelleximus 1. de Ord. Cognit. num. 10. III. 4
innuit certam vivendi rationem, cum debita sub-
ordinatione inferiorum & subditorum, juxta Re-
gulam & normam approbatam; quô sensu Reli-
giosorum instituta vocantur Ordines, ut notat Gon-
zalez *cit. l.* IV. significat gradum, dignitatem, 5
& excellentiam; in qua significatione peraccommo-
dè ad nostrum intentum in *Psalmo* 109. ℣. 4. de
Christo Domino pronuntiatur: *tu es Sacerdos in
æternum secundum Ordinem Melchisedech*, hoc est,
juxta excellentiam Sacerdotalis dignitatis, quà Mel-
chisedech panem & vinum offerebat in Sacrificio.
Reverendiss. D. Joannes Clericatus de *Sacram. Ord.
decis.* 1. *num.* 2. V. idem est ac Sacramentum, 6
prout frequentissimè deducitur ex Conciliis, præ-
sertim Tridentino in *Sess.* 23. *Can.* 2. *& seqq.* VI. 7
accipitur pro Potestate, quæ confertur per Sacra-
mentum Ordinis, uti supponitur in *cit.* Concil.
Can. 7. & notatur à prælaud. Clericato *num.* 3.
Ultima hæc notatio vel maximè quadrat ad nos- 8
trum propositum; & ideò, ad tollendam vocis am-
biguitatem, tractatum nostrum de *Potestate Ordinis*
inscripsimus.

§. II.

Quid sit Potestas Ordinis quoad rem ipsam?

Definitur Potestas Ordinis, quòd sit facultas in 9
Ecclesia DEI res sacras ac Divina ministeria pera-
gendi.
Dixi I. *facultas*; quô verbô Potestas Ordinis 10
non differat Potestate Jurisdictionis: nam utraque
dicit solam facultatem & potentiam, circa actum
& exercitium, sicut pleraque jura alia, tam sacra
quàm profana.
Dixi II. *in Ecclesia DEI.* Sicut enim Potestas 11
Ordinis ex fine primario tendit ad decorem, orna-
mentum, & emolumentum Ecclesiæ: sic nullibi,
quàm in Ecclesia DEI, convenientiùs exercetur.

Dixi

12 Dixi III. *res sacras ac Divina ministeria peragendi.* Ubi simul effectus formalis & essentiale discrimen ostenditur, quô Potestas Ordinis à reliquis juribus, nominatim à Potestate Jurisdictionis, distinguitur, quatenùs nempe dat potentiam, cum authoritate functiones sacras, & ministeria Divina obe-
13 undi. Consistit autem hæc potentia & facultas, teste P. Engel ad tit. *de Majoritat. & Obedient. n.* 36. potissimùm in tribus, nimirum in confirmando, ordinando, & consecrando, prout ex subsequentibus perspicaciùs elucescet.

§. III.

Undénam Potestas Ordinis sumat Originem?

14 Qui sacra profanis miscent, & fœdus cum sectariis nostri temporis jungunt, asserere non verentur, Potestatem Ordinis, humanô tantùm ingeniô proditam, & certis personis attributam esse: tum quia (ut illi garriunt) nec apicem in Testamento novo reperire licet, quô Potestas circa functiones sacras
15 distincta fuit: tum quia potiùs è sacris paginis eruitur, Christianos omnes similes, atque ex ipsa nativitate quasi Sacerdotes esse, dum D. Petrus *Epist.* 1. *cap.* 2. ℣. 9. fideles baptizatos *genus electum & regale Sacerdotium* appellat: quod ipsum confirmatur *Apocal* 5. ℣. 10. ibi: *redemisti nos DEO in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes.*
16 Sed procul, ò procul este profani. Dogma Catholicum & verum est, Potestatem Ordinis quoad primævam originem ex Jure Divino derivari, certisque solùm personis, à DEO & Ecclesia singula-
17 riter electis, communicari. Constat hoc inprimis ex Veteri Testamento, ubi ad sacra munia non quilibet promiscuè, sed qui erant de tribu Levitica, sunt admissi. Indéque Saul, quòd Sacrificium offerre præsumeret, cùm tamen ex tribu Levi non descenderet, à Samuele reprehensus legitur 1. *Reg. cap.* 13. Rex Ozias quoque *l.* 2. *Paral. cap.* 16. non alia de causa percussus est leprâ, nisi quòd ministerium Sacerdota-
18 le involaverit, incensum adolendô. Deinde in Testamento novo Divinus Legislator non omnes promiscuè spiritualium officiorum capaces esse voluit, sed, ut loquitur Gentium Doctor, ad *Ephes.* 4. ℣. 11. *quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores &c.* Quem in finem *Act.* 6. specialiter commemoratur, septem Diaconos ordinatos; *Act.* 13. refertur, Saulum & Barnabam in Episcopos inauguratos; *Actor.* 14. narratur, per *sin-*
19 *gulas Ecclesias Presbyteros* fuisse constitutos. Ut proinde D. Dionysius *de Ecclesiast. Hierarch.* relatus à Gonzalez ad *cap. ex literis* 2. *de Clerica non Ord. ministr. num.* 2. meritò scripserit: *at mihi quidem videtur audax & temerarius, si quis ea sumat, quæ propria sunt Sacerdotum, nec metu aut pudore à Divinarum tractatione præter captum ac mentem deterre-*
20 *tur.* Præter hæc neque videtur congruum, ut in Ecclesia, quæ *pulchra, & tanquàm castrorum acies ordinata*, deprædicatur, nullus graduum & officiorum spiritualium sit ordo, sed quilibet de plebe ad summum altaris ministerium accedere, ac jus & thus eâdē tractare manu permittatur; neque possibile est, ut quis operetur effectum supra naturam, ac Corpus & Sanguinem Domini sub speciebus Panis & Vini ponat, nisi per altiorem virtutem & ordinationem tam excelsam Potestatem acceperit. Unde Apostolus ad *Rom.* 13. *quæ à DEO sunt*, ait, *ordinata sunt.* Plures authoritates & rationes congerit D. Joannes Clericatus de *Sacram. Ord. cit. decis.* 1. à n. 5.
21 Sectariorum objecta refellere, negotium est leve. Quid dispositum fuerit in Lege Nova? Dictum in *num.* 18. Et, si deesset authoritas Scripturæ, non deficeret Ecclesiæ traditio, ad hæc usque tempora perpetim continuata; quæ sanè non contemnenda, sed summoperè reverenda est: quandoquidem Respublica Christiana, non tantùm Lege scriptâ, sed etiam non scriptâ & traditâ regitur & illuminatur *cap. Catholica* 8. *Dist.* 11.

Quòd autem fideles in textibus, in *num.* 15. allegatis, absque discrimine *Sacerdotes* compellari vi- 22
deantur; non recipit hunc sensum, quòd omnes omninò sint propriè dicti Sacerdotes: alioquin eâdem ratione propriè dicti *Reges* juxta tenorem horum textuum compellandi forent. Vocantur itaque Reges & Sacerdotes, mysticè ac metaphoricè tales, quatenùs & sibi ipsis imperant, & DEO Sacrificium laudis & hostiam meritorum offerunt. Vel, si lubeat
recitatos textus explicare de vero Sacerdotio, hôc 23
intellectu id faciendum est, quòd omnes fideles sint habiles ad Sacerdotium, si Divinæ vocationi paruerint, ac Orthodoxæ Ecclesiæ viam & modum tenuerint.

SECTIO II.

De Diversitate Potestatis Ordinis.

SUMMARIA.

24. *& seq. Potestas Ordinis dividitur in Confirmativam, Consecrativam, & Ordinativam.* 26. *& seq. Ordinativa vel est major vel minor.* 28. *& seqq. Probatur Sententia, negans, Primam Tonsuram esse Ordinem.* 33. *& seq. Ostenditur sententia affirmans.* 38. *& seq. Eligitur sententia media, quæ dicit, Primam Tonsuram esse Ordinem in significatione latiori, non strictiori.* 40. *& seq. Utilitas hujus disputationis commonstratur.* 43. *& seqq. Referuntur variæ opiniones de Episcopatu, num essentialiter à Sacerdotio distinguatur?* 46. *& seqq. Defenditur opinio affirmativa.* 50. *& seqq. Proponuntur fundamenta contraria.* 53. *& seqq. Resolvuntur.* 58. *Episcopatus non distinguitur ab Archi Episcopatu vel Papatu.* 59. *Solvitur* cap. 1. Dist. 21.

§. I.

Quatuplex sit Potestas Ordinis?

Potestas Ordinis dividi potest in Confirmativam 24
& Consecrativam. *Confirmativa Potestas* est facultas administrandi Sacramentum Confirmationis.
Consecrativa vel est in specie talis, vel est *Ordinati-* 25
va. Illa dicitur esse facultas, res profanas & temporales efficiendi sacras. Ista subdividitur in majorem
& minorem. *Major* appellatur, quæ confertur per 26
Ordines majores, Sub-Diaconatus, Diaconatum, & Presbyteratum. Appellatur etiam Potestas *Sacra* per excellentiam, dum non solùm proximiùs occupatur circa Ministerium Altaris & confectionem SS. Eucharistiæ, sed etiam specialem sanctitatem exigit à ministris, eósque ad servandam continentiam obstrin-
git. *Minor* Potestas dicitur, quæ confertur per Or- 27
dines minores, Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, & Acolytatum. Dicitur etiam *non-sacra*, non absolutè, quasi profana & sæcularis sit, (omnes siquidem Ordines personam ordinatam efficiunt sacram, & sacræ functionis capacem reddunt per *cap. de Ordinationibus* 116. *I. quæst.* 1. & Concil. Trident. *Sess.* 23. *cap.* 17.) sed comparativè ad Potesta-

testatem Majorem, dum ordinatos non obligat ad
castitatem, neque tam propinquè circa ministerium
Altaris versatur.

§. II.

An prima Tonsura Potestatem Ordinis conferat?

38 Dissensio est inter DD. an prima Tonsura Pote-
statem Ordinis conferat? Sive, ut vulgò loquun-
tur, an prima Tonsura sit Ordo? Negant Theologi
communiter cum S. Thoma & Sylvestro in *Verb. Or-
do* 1. *num.* 1. illisque ex Canonistis cum P. Engel ad
tit. de Temporib. Ordinat. num. 6. accedunt Magnif.
D. P. König *eòd. tit. n.* 3. Clarissl. P. Wiestner *ibid.
num.* 3. Clariss. P. Franciscus Schmalzgrueber ad
29 *cit. tit. num.* 3. Rationes sunt I. quia in *cap. seriatim*
14. *Dist.* 32. *cap. illud nos* 1. *Dist.* 77. *cap. à Sub-
Diacono* 5. *Dist.* 93. dum Ordines omnes distinctè
recensentur, altum est silentium de Prima Tonsura.
30 II. quia in Concilio Trid. apertè distinguitur prima
Tonsura ab Ordinibus, dum in *Sess.* 23. *de Sacram.
Ord. cap.* 2. Clericali tonsurâ insigniti *per Minores
ad Majores Ordines ascendere* dicuntur; & in ead.
Sess. cap. 6. 10. & 17. Minores Ordines, tanquàm
31 aliquid diversum à Prima Tonsura, referuntur. III.
quia in cæteris Ordinibus adhibetur certa materia &
forma: at in Prima Tonsura non adhibetur ulla ma-
teria, nec res aliqua tonsurato traditur, sed capilli
32 tantùm rescinduntur, & superpelliceô induitur. IV.
quia Potestas, quæ confertur per Tonsuram, neque
refertur ad ministerium Altaris, neque speciale mu-
nus tribuit in Ecclesia: tonsuratus quippe nil aliud
potest, quàm in Ecclesia psalmos cantare; quæ can-
tatio, velut ex Sarnellio notat Clericatus de *Sacram.
Ord. decis.* 11. n. 5. olim communis erat omnibus
fidelibus.

33 Affirmant econtrà potiores Canonistæ, quibus
adstipulantur Covarruv. in *cap. quia nos* 9. *de Testa-
ment. num.* 4. Pax Jordan, Episcopus Traguriensis
Elucubrat. divers. tom. 1. *lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 3. Sperellus
fori Eccles. decis. 114. à *num.* 19. Fagnanus ad *cap.
cùm contingat* 11. *de Ætate & qualit. & Ord.* à n. 44.
34 Rationes sunt I. quia in SS. Canonibus psalmistæ,
id est, tonsurati sparsim annumerantur ordinatis, pu-
ta in *cap. cleros* 1. *Dist.* 21. *cap. perlectis* 1. §. *ad
Psalmistam Dist.* 25. *cap. non oportet* 2. *Dist.* 44. II.
35 quia in iisdem Canonibus Prima Tonsura persæpe
vocatur Ordo Clericalis, præsertim in *d. cap. cùm
contingat* 11. *de Ætat. & qual. & Ord. cap. eò libentius*
6. *de Servis non ordinand. cap. præterea* 1. *de Apostat.*
36 *cap. un. de Vita & honest. Clericor. in* 6. III. quia in
degradatione, quâ aliquis deponitur ab Ordine, in-
cluditur etiam depositio à Tonsura *cap. si quis* 6.
XXVII. q. 1. *cap. degradatio* 2. *de Pæn. in* 6. ut adeò
tonsuratus non possit non Ordinem, quô privatur,
37 habere: cùm privatio supponat habitum. IV. quia
prima Tonsura producit varios effectus, puta trans-
lationem à statu laicali ad Clericalem; exemptionem
à foro sæculari; privilegium canonis; capacitatem
ad beneficia: qua de causa negari vix poterit, quin
Ordo sit, & Potestatem Ordinis tribuat.

38 Mihi sub distinctione, quam probat Clericatus
cit. decis. 11. *num.* 37. utraque placet sententia. Nem-
pe si Ordo consideretur largiùs, quatenùs dicit sta-
tum ex *num.* 3. aut certam vivendi rationem ex *num.*
4. aut gradum & excellentiam ex *num.* 5. Prima Ton-
sura non injustè numeratur inter Ordines, ut pro-
bant rationes secundæ sententiæ. Verùm, si Ordo
39 strictiùs consideretur, quatenùs ex *num.* 6. & 7. di-
cit Sacramentum, & tribuit Potestatem specialem in
ordine ad ministerium Altaris; Prima Tonsura non
potest inter Ordines computari, quemadmodùm ra-
tiones primæ sententiæ convincunt.

Ne autem ventilata quæstio nihil utilitatis conti- 40
nere videatur, sciendum est, in materia odiosa, ubi
constitutiones Ecclesiasticæ disponunt de Ordini-
bus, ordinandis, vel ordinatione, non comprehendi
Primam Tonsuram, aut tonsuratos: sic enim, dum 41
Concil. Trid. *sess.* 7. *de reformat. cap.* 10. sub pœna
interdicti prohibet, ne Capitulum, Sede vacante, in-
tra annum à die vacationis ordinandi licentiam aut
literas dimissorias concedat, Primam Toosuram non
subintelligi, decidit S. Congregatio apud Fagnanum
ad *cit. cap. cum contingat. num.* 38. Sic etiam, dum 42
idem Concilium sub pœna suspensionis vetat, ne E-
piscopus alienum Diœcesanum ordinet absque licen-
tia sui Ordinarii, Primæ Tonsuræ collationem non
esse comprehensam, censuit eadem S. Congregatio
apud *cit.* Fagnanum.

§. III.

An Episcopatus conferat Potestatem Ordi-nis, distinctam à Sacerdotio?

Alia, nec minor est contentio, an Episcopatus 43
conferat Potestatem Ordinis, distinctam à Sacerdo-
tio? Sive, an Episcopatus sit Ordo diversus à Sa-
cerdotio? Prima sententia simpliciter affirmat cum
Fagnano ad *cap. requisivit de Ordinat. ab Episcopo,
qui renuntiavit &c. à num.* 33. Schambogen ad *tit. de
Tempor. Ordinat. num.* 7. Cardinale de Laurea. Ma-
strio, & aliis, quos citat Clericatus de *Sacram. Ord.
decis.* 3. *num.* 28. eamque, quam veriorem, ac SS.
Canonibus conformiorem judicat Reverend. Petrus
Guetrather *Inst. Jur. Can. lib.* 1. *tit.* 24. *num.* 4. no-
vissimè defendit Clariss. P. Franciscus Schmalzgrue-
ber ad *d. tit. de Tempor. Ordinat. num.* 4. Secunda 44
sententia negat simpliciter cum plerisque Theologis,
è quibus numerantur Gonett, Salmanticenses de *Sa-
cram. Ord. tr.* 8. *cap.* 1. à *num.* 26. & alii apud *cit.*
Clericatum *num.* 30. Tertia sententia utramque dis- 45
tinctionis fœdere conciliat, ac Episcopatum non ad-
æquatè, sed tantùm inadæquatè diversum à Sacer-
dotio pronuntiat, quatenùs Sacerdotium per Episco-
patum magis completur, atque ad nova quædam mu-
nia extenditur. Ita cum Sylvestro *V. Ordo* 1. *n.* 1.
tenent Clariss. P. Engel ad *tit. de Temporib. Ord.
num.* 4. Clariss. P. Mezger *Theolog. Scholast. tract.*
19. *disp.* 51. *art.* 1. *n.* 10. Clariss. P. Wiestner ad
cit. tit. n. 6.

Triplex placitum in statera Juris dum appendo, 46
prioris momenta præponderare videntur. I. enim
Episcopatus, tanquàm Ordo distinctus à Sacerdotio,
agnoscitur partim in *cap.* 1. *Distinct.* 21. partim in
cap. de Syracusa 13. *Distinct.* 28. partim in *cap. om-
nium* 1. *Dist.* 32. ipsaque Episcopi institutio vocatur
sacra ordinatio & *consecratio cap. extra conscientiam*
5. *Dist.* 64. *cap. de persona* 4 *Dist.* 65. *cap. ult. Dist.*
66. *cap. un. XVIII. q.* 1. II. In Concilio Trident. 47
cit. sess. 23. *can.* 7. ita decretum legitur: *si quis di-
xerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores; vel non
habere Potestatem Confirmandi, & Ordinandi; vel
eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris commu-
nem, anathema sit.* Atqui vix ullus dubitavit, quin
Episcopi Sacerdotibus inadæquatè superiores exis-
tant; vix etiam quis vocavit in dubium, quin Epis-
coporum Potestas à Potestate Presbyterorum inadæ-
quatè sit distincta. Adeòque ex mente Concilii de-
bet intercedere adæquata distinctio inter Episcopa-
tum & Sacerdotium. III. Episcopatus tribuit gra- 48
tiam Sacramentalem, uti traditur 1. *Timoth.* 4. *v.* 14.
imprimit Characterem indelebilem, &, ubi semel est
legitimè collatus, nequit ampliùs repeti *cap. sicut se-
mel* 1. *Dist.* 68. *cap. non licet* 107. *de Consecrat. Dist.* 4.

Adeò,

Adeòque est Ordo specialis, & essentialiter distinc-
49 tus a Presbyteratu. IV. Episcopatus habet materiam, formam, ac Potestatem, totaliter à Sacerdotio diversam: siquidem pro materia agnoscit impositionem libri Evangeliorum super cervicem ac scapulas, nec non impositionem manuum super caput Episcopi consecrandi; pro forma sunt illa verba: *accipe Spiritum Sanctum &c.* Potestas, quæ confertur, habet annexam Ordinationem Clericorum, Consecrationem basilicarum, confectionem chrismatis, confirmationem baptizatorum &c. quæ utique Sacerdotibus non communicatur. Ergo &c.

50 Oppones I. constantem Ecclesiæ sensum & consensum fuisse quòd septem sint Ordines, ut patet ex *cap. illud* 1. *Dist.* 77. Trid. Concilio *sess.* 23. *cap.* 2. & aliis testimoniis, quæ accumulat Clericatus de *Sacram. Ord. decis.* 3. *num.* 38. *& seq.* Adeoque Episcopatum non censeri distinctum Ordinem à Sacerdo-
51 tio: utpote cùm alioquin forent 8. Ordines. II. Sacerdotium essentialiter ad Episcopatum prærequiri, nec posse Episcopatum validè conferri, nisi collato prius Sacerdotio per *cap. ex literis* 10. §. *cum igitur &c. de Excess. Prælator.* & ideò tantùm inadæquatè
52 unum Ordinem ab altero distingui. III. Potestatem, quâ resplendent Sacerdotes, longè majorem esse, quàm Potestatem consecrandi Corpus & Sanguinem Domini, sicut & Potestas ligandi ac solvendi, multò sublimior est, quàm Potestas Ordinandi Clericos.

53 Resp. ad I. contra sensum vel consensum Ecclesiæ non esse, si 8. Ordines admittantur: quando enim Ecclesia tantùm 7. Ordines agnoscere videtur, Sacerdotium accipit in genere, quatenùs includit Episcopatum & Sacerdotium in specie, concorditer ad Epistolam 3. S. Anacleti Papæ, docentis, *duos esse Sacerdotum Ordines, à Christo in Ecclesia relictos,*
54 *Episcoporum. & Presbyterorum.* Quando autem à nobis 8. Ordines statuuntur, Sacerdotium accipitur specificè, prout Episcopatui contradistinguitur, in quo sensu patrocinatur nobis *cap. illud* 1. *Dist.* 77. ubi per septem Ordines velut gradus ad Episcopalem Ordinationem ascendendum esse, à Cajo Pontifice decernitur.

55 Ad II. responderi potest I. cum Panormitano ad *cit. cap. ex literis num.* 4. & *in cap. un. de Clerico per saltum prom. num.* 5. Episcopatum absque prævio Sacerdotio validè conferri: executionem tamen Ordinis Episcopalis, ante Sacerdotium, propterea non haberi: quia inter principales actus Potestatis Episcopalis est Ordinatio Sacerdotis. Atqui Episcopus, qui ipsemet Sacerdos non est, alium Sacerdotem ordinare nequit.

56 Resp. II. consequentiam non esse legalem: Sacerdotium ad Episcopatum essentialiter prærequiritur: ergo ab eo essentialiter non distinguitur. Enimverò baptismus ad quoscunque Ordines, validè suscipiendos, essentialiter prærequiritur, & tamen, quòd Ordo distinguatur essentialiter à baptismo, à nemine negatur.

57 Ad III. Resp. negandô intentum. Illa siquidem Potestas est major, quàm aliquis non tantùm habet pro sua persona, sed etiam aliis communicare potest; sicuti Jurisdictio, quâ resplendent Supremi Principes, est major illâ, quæ reperitur in inferioribus: quia scilicèt Principes Supremi non tantùm ipsimet Jurisdictionem exercere, sed eandem in alios quoque diffundere non prohibentur. Cùm igitur Episcopi non solùm consecrare valeant Corpus & Sanguinem Christi, sed insuper hanc ipsam consecrandi facultatem per collationem Ordinis Sacerdotalis in alios dispensare, Potestas ipsorum longè præcellit, & præfertur Potestati Sacerdotum.

58 Quæres: an Potestas Ordinis, quæ residet in Archi-Episcopo, Patriarcha, Cardinale, vel Papa, sit major Episcopali Potestate?

Resp. negativè. Clericatus *cit. decis.* 3. *num.* 34. Ratio est: quia nec Papa, nec alius, habet alium Ordinem, quàm Episcopalem: unde nec aliam aut altiorem Potestatem Ordinis habeat, quàm Episcopalem, necessum est.

Nec obloquitur *cap. Cleros* 1. *Dist.* 21. ibi: *Ordo* 59
Episcoporum quadripartitus est, id est, in Patriarchis, Archi Episcopis, Metropolitanis, & Episcopis. Ordo siquidem hîc sumitur non pro Sacramento, & inde deducta Ordinis Potestate, sed pro gradu & dignitate: quia nimirum Archi Episcopi, Metropolitani, & Patriarchæ, censentur esse in majori dignitate positi, quam Episcopi. Barbosa ad *cit. cap.* n. 5. P. Reiffenstuel ad *tit. de Tempor. Ordinat. n.* 29.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Prima Tonsura non est Ordo Sacramentalis.* 2. *& seqq. Objiciuntur varii textus.* 8. *&* 9. *Resp. ad cap.* 11. de Æt. & qual. præfic. 10. *Ad* cap. 1. Dist. 21. 11. *Ad Concil. Trident.* 12. *&* 13. *Ad Bullam Sixtin.* 14. *Ad Pontificale Romanum.* 15. *Ad rationem.* 16. *Sacerdotium est Sacramentum.* 17. *De Episcopatu remissivè.* 18. *& seqq. Etiam Diaconatus & Sub Diaconatus est Sacramentum.* 21. *& seqq. De Minoribus Ordinibus idem quoque asseritur.* 25. *Declaratur, qua ratione Ordo sit unum Sacramentum.*

QUÆSTIO I.

An prima Tonsura sit Ordo?

Maneo in mea distinctione, datâ in *hoc cap. num.* 1
38. *& seq.* ubi non aliter primam Tonsuram inter Ordines referendam asserui, ac quatenùs dicit statum, aut certam vivendi rationem, aut gradum & excellentiam.

Inter Recentiores, qui oppositum tenent, P. Pi- 2
chler ad *tit. de Tempor. Ordinat.* pro prima Tonsura, quod sit Ordo Sacramentalis, objicit I. *cap. cum contingat* 11. *de Æt. & qualit. præfic.* ubi Innocentius III. ad præviam interrogationem, an Abbates, conferendô primam Tonsuram, conferant *Clericatus Ordinem?* respondit, quòd conferatur; utique non intelligens Ordinem Clericalem impropriè talem, de quo nemo dubitavit; sed verum & Sacramentalem: utpote cùm verba Pontificis, decisivè loquen-
tis, non sint impropriánda. II. *cap. cleros* 1. *Dist.* 21. 3
cap. non oportet 2. *Dist.* 44 *cap. si quis Episcopus* 6. *XXVII. quæst.* 1. ubi psalmistæ, cujus generis censentur primâ Tonsurâ initiati, numerantur inter Cle-
ricos & ordinatos. III. Concil. Trident. *sess.* 21. *de* 4
ref. cap. 1. ubi *pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis Tonsura*, prohibetur quid-
quam accipi. IV. Bullam Sixti V. quæ incipit *San-* 5
ctum, editam anno 1589. non. Jan. in *verb. ad suscipiendum clericalem characterem, aliosve Ordines.* V. 6
Pontificale Romanum, quod in rit. *de Ordinib. conferend.* adhibet hæc verba: *pro Clericis ordinandis*
parentur forfices pro incidendis capillis &c. VI. quia 7
in prima Tonsura cernitur specialis materia, puta vestis alba seu superpelliceum & rasio capillorum; item particularis forma, consistens in verbis: *induat te Dominus &c.* vel *oremus Dominum nostrum JESUM Christum &c.* item particularis potestas ad certum ministerium sacrum, ad cantandos psalmos, lectiones, & responsoria &c.

8 Ut verò compertum sit, relatis objectionibus non
infringi distinctionem nostram, ad singulas devenio,
& Resp. ad I. Innocentium III. nequaquam definis-
se, aut definire voluisse, quòd prima Tonsura sit
Ordo Sacramentalis: quæsitus enim ab Archi-Epis-
copo Rothomagensi, an Laicis, ad Monasteria con-
volantibus, clericalis ordo conferatur, quando à
suis Abbatibus tonsurantur? Respondit, utique cle-
ricalem ordinem conferri, si Abbates, existentes
in Ordine Sacerdotii, & ab Episcopo benedicti,
juxta formam, ab Ecclesia præscriptam, ejus-
modi Laicis Tonsuram impertiantur. Hic verò
nec verbalis occurrit de Ordine Sacramenta-
li, sed clericali duntaxat, qui solummodò de-
notat gradum seu statum clericalem, ad quem
9 Laici, Tonsurâ insigniti, elevantur. Voluit nam-
que Pontifex indicare, primam Tonsuram operari
eundem effectum, sive conferatur ab Episcopo,
sive ab Abbate Sacerdote, & benedicto, qui ex
privilegio, clausò in Corpore Juris, facultatem
habet, Regularibus sibi subditis primam Tonsuram
& Ordines Minores impertiendi.

10 Resp. ad II. tonsuratos, si cum psalmistis æqui-
pareotur, tam parum inter ordinatos Ordine Sa-
cramentali recenseri posse, quàm parum psallendi
muinis, solitariè consideratum, ad dignitatem Sa-
cramenti ascendit: psallere siquidem, aut psalmos
cantare officium est, non solùm Clericis, sed etiam
Laicis conveniens, velut inter alia constat ex
cap. presbyter 1. de Celebrat. Missar. ubi statutum
legitur, quòd Presbyteri seu Parochi diligenter ho-
ras Canonicas horis competentibus juxta possibilita-
tem *aut à se, aut scholaribus suis publicè* complere
teneantur.

11 Resp. ad III. quòd, si Concil. Tridentinum sub
termino generali *quorumcumque Ordinum* voluisset
comprehendere *primam Tonsuram*, non opus fuisset
speciali mentione & extensione *etiam clericalis ton-
suræ*. Adeòque magis indigitare voluit, sub nomine
Ordinum non intelligi primam Tonsuram, quam ideò
cum particula augmentativa *etiam* Ordinibus sub-
junxit, quia materia, ibidem tractata, nempe col-
latio Ordinum, gratis facienda, videtur æquè ada-
ptari primæ Tonsuræ, quatenùs ex *tot. tit. de Si-
monia, & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur vel
promittatur*, constat, nihil temporale pro simili-
bus functionibus spiritualibus dari vel recipi
posse.

12 Ad IV. Resp. in Bulla Sixtina per *clericalem
characterem* non denotari characterem Sacramen-
talem, animæ Divinitus impressum (de hac quippe
impressione silent tum SS. Canones tum PP. testi-
monia) sed characterem aliquem externum, & ho-
norificum, qui tonsuratos è statu sæculari extrahat
& collocet in statu & conditione clericali, sicque sit
13 signum distinctivum Clerici à Laico: &, quòd im-
mediatè subnectat, *aliòsve Ordines*, non fieri com-
parationem aut æquiparationem Tonsuræ cum Or-
dinibus in sensu stricto, sed in sensu latiori, quatenùs
indecens est, ut, qui vel Clericalem Ordinem, qui
per Tonsuram confertur, vel alios & Sacramentales
Ordines recipere cupit, dignum & idoneum anteà se
reddat.

14 Ad V. Resp. eâdem ratione, quâ prima Tonsura
dicitur Ordo in sensu largiori, ejusdem quoque colla-
tionem vocari ordinationem: cæteroquin Pontifi-
cale Romanum apertè distinguit Tonsuram ab Or-
dinibus, dum titulus de *Clerico faciendo* præmitti-
tur, & deinde primùm substituuntur tituli de *Ordina-
tione*.

15 Ad VI. Resp. materiam & formam, in prima Ton-
sura adhiberi solitam, nihil aliud præ se ferre, quàm
mutationem & transitum de statu laicali ad clericalem,
vi cujus tonsuratus hominem veterem ac mundanum
exuere, ac novum & spiritualem induere tenetur; ne-
que ullam specialem potestatem, ad ministerium alta-
ris relatam, per Tonsuram tribui: cùm psalmos canta-
re non tantùm laicis ex *n.* 10. commune sit, sed etiam
cum Altaris Sacramento nullam prorsus connexio-
nem habeat.

QUÆSTIO II.

An omnes Ordines, tum Majores, tum Minores, sint Sacramentum?

Sacerdotium esse verum Sacramentum, à Christo 16
Domino in ultima cœna institutum, de fide est, cla-
rèque definitur in Sacra Synodo Tridenti. *sess.* 23.
cap. 1. ibi: *Sacrificium & Sacerdotium ita Dei ordi-
natione conjuncta sunt, ut utrumque in omni Lege exti-
terit. Cùm igitur in novo Testamento Sanctum Eucha-
ristiæ Sacrificium visibile ex Domini institutione Catho-
lica Ecclesia acceperit; fateri etiam oportet, in ea no-
vum esse visibile & externum Sacerdotium, in quod ve-
tus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Sal-
vatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorum-
que Successoribus in Sacerdotio potestatem traditam
consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus & San-
guinem ejus, nec non & peccata dimittendi, & retinen-
di, sacræ literæ ostendunt, & Catholicæ Ecclesiæ tra-
ditio semper docuit.*

Quid de Episcopatu sentiendum, & anne dicen- 17
dus sit Ordo distinctus adæquatè à Sacerdotio? Ven-
tilatum invenies in hoc *cap. à n.* 43.

De Diaconatu & Sub-Diaconatu plerique conve- 18
niunt, utrumque esse Sacramentum: nam quoad Dia-
conatum constat ex *Act. Apostol. cap. 6. & 9.* pri-
mò septem Diaconos fuisse ordinatos ab Apostolis
per impositionem manuum, quâ aliàs conferuntur
Sacramenta & gratia Sacramentalis: quoad Sub- 19
Diaconatum admodum luculenter innuit Concilium
Florentinum in *Decret. Eug.* ubi, dum deciditur,
materiam Sacramenti Ordinis esse rem illam, quæ
traditur ab Episcopo, statim subnectitur exemplum
de Sacerdotio, Diaconatu, & Sub-Diaconatu: 20
& præter hæc Concil. Trident. *cit. sess. cap.* 2.
apertè suffragatur in *verb. non solùm de Sacerdo-
tibus, sed & de Diaconis sacræ literæ apertam men-
tionem faciunt &c.* & infra: *Sub Diaconatus ad
majores Ordines à Patribus & sacris Conciliis re-
fertur.*

Circa Minores Ordines, licèt aliqui dissentiant, 21
uti videre licet apud Clericatum de *Sacram. Ord.
decis. 6. num.* 19. communiùs receptum est, omnes
& singulos esse Sacramenta: tum quia Concil. Flo-
rent. *d. l.* ubi eorum materiam & formam indicat in
verb. & similiter de aliis (id est quatuor Minoribus)
*per rerum ad sua ministeria pertinentium assignatio-
nem*; & paulò pòst: *& sic de aliorum Ordinum
formis, prout in Pontificali Romano enumerantur*: tum
quia Concil. Trid. *d. sess. 23. cap. 2. cùm autem*, in- 22
quit, *Divina res sit tam Sancti Sacerdotii ministerium,
consentaneum fuit, quo digniùs & majori cum venera-
tione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dis-
positione plures & diversi essent Ministrorum Ordi-
nes, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distribu-
ti, ut, qui jam clericali Tonsurâ insigniti essent, per Mi-
nores ad Majores ascenderent &c.* & statim infra: *ab
ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque
uniuscujusque eorum propria ministeria, Sub-Diaconi sci-
licet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii, in usu
fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu*: tum quia 23
idem Concil. in *cap.* 3. mox generatim infert, *cùm Scri-
ptura*, inquiens, *testimonio, Apostolicâ traditione, & Pa-
trum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram
ordi-*

ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis : tum quia in *eod. l. can.* 2. *si quis dixe-*
24 *rit, ait, præter Sacerdotes non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & Majores & Minores, per quos velut gradus quosdam ad Sacerdotium tendatur, anathema sit*; uti etiam in *can.* 3. anathema in eum statuitur, qui dixerit, *Ordinem sive sacram ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum.*

25 Ne tamen ex hac Ordinum distincta varietate sequi putes Sacramentorum multiplicitatem ultra septem, Theologi rem ita declarant, quòd Sacramentum Ordinis sit unum duntaxat Sacramentum unitate generis & finis, in quantum omnes Ordines ordinantur ad Sacrosanctam Eucharistiam administrandã, & ultimatò compleatur in Sacerdotio. Vid. Clericat. *d. decis.* 6. *num.* 28. *& seqq.* & Eximius P. Cherubinus Mayr de *Ordin. Hierarch. part.* 2. *dist.* 1. *cap.* 6. *num.* 99.

CAPUT II.

De Ministro, per quem Potestas Ordinis exercetur.

Quamvis originaria & primaria causa Potestatis Ordinis sit Christus Dominus, *Sacerdos in æternum, secundùm Ordinem Melchisedech*, ut dictum & deductum est in *cap.* 1. *à num.* 16. Attamen, sicut cætera ministeria hominibus voluit esse communia; ita Ministros homines elegit, per quos Ordinis Potestas exerceatur, dispensetur, & propagetur in finem mundi. Unde D. Chrysostomus *lib.* 3. *de Sacerdot. qui terram*, ait, *incolunt, ea versantur, iis commissum est, ut ea, quæ in Cœlis sunt, dispensent; iis datum est, ut Potestatem habeant, quam DEUS Optimus neque Angelis, neque Arch-Angelis datum esse voluit.*

SECTIO I.

De Episcopis.

SUMMARIA.

1. *Minister Ordinis & Confirmationis est Episcopus ex Jure Divino.* 2. *Minister Consecrationis ex Jure Ecclesiastico.* 3. *Debet esse ritè electus.* 4. *Confirmatus & Consecratus.* 5. *&* 6. *Delegare potest hos actus ante Consecrationem.* 7. *& seqq. Episcopus, dummodò Sacerdos sit, potest Ordines inferiores, quos nunquam suscepit, validè conferre.* 10. *Episcopus, à mortuis resurgens, caret exercitiò Potestatis Ordinis.* 11. *Potest tamen à DEO habilitari.* 12. *& seqq. Enodatur, an & quomodò possit Episcopus Resignatus Ordines conferre?* 18. *& seqq. Moventur nonnulla dubia in contrarium.* 22. *& seqq. Resolvuntur.* 26. *& seqq. Ponuntur rationes dubitandi, an Episcopi, hæretici, schismatici, vel censurati possint ordinare?* 29. *& seqq. Stabilitur affirmativa.* 32. *Satisfit rationibus dubitandi.* 33. *& seq. Quando censura Episcopi est occulta, Ordines ab eo licitè recipiuntur.* 35. *Quando est notoria ob percussionem Clerici, recipiuntur illicitè.* 36. *& seqq. Quando est notoria ex alio capite, sed non denuntiata, rursus Ordines licitè accipiuntur.* 41. *& seqq. Agitur de dispensatione cum illicitè ordinatis.* 44. *& seqq. Episcopus resignatus vel censuratus Sacramentum Confirmationis illicitè administrat.* 48. *Actus Consecrationis facit illicitè, non autem invalidè.*

§. I.

Qualiter Episcopus sit Minister Ordinarius Potestatis Ordinis?

Minister Ordinarius, per quem Potestas Ordinis in tota sua latitudine exercetur, est Episcopus, ritè electus, confirmatus, & consecratus. 1
Et quidem Potestatem Ordinandi & Confirmandi Episcopus habet ex Jure Divino, juxta doctrinam Orthodoxam, in Concilio Nicæno *can.* 4. Florentino in *decreto Eugenii* §. *secundùm &* §. *sextum &c.*
Tridentino in *sess.* 23. *can.* 4. & 7. stabilitam. Verùm 2
Potestatem Consecrandi Episcopis ab antiquissimo tempore attribuit Ecclesia per textus in *cap. quamvis* 4. *Dist.* 68. *cap. nullus* 25. *de Consecrat. Dist.* 2. *cap. interdicimus* 10. *XVI. q.* 1. Laymann in *Quæst. canon. de Prælat. Eccles. Elect. cap.* 17. *quæst.* 217. *resp.* 2. Gonzalez in *cap. quanto de Consuet. n.* 9.

Dixi I. *ritè electus*. Idem est, si Episcopus aliô 3
modô, v. g. postulatione, nominatione, vel collatione sublimetur ad Episcopatum; ita ut etiam Episcopi Titulares, quos Ordinarii Germaniæ assumunt in Suffraganeos seu Coadjutores spirituales, Potestatem Ordinis rectè conferant.

Dixi II. *confirmatus & consecratus*. Itaque non 4
sufficit Confirmatio, sed etiam Consecratio requiritur ad exercendam & communicandam Ordinis Potestatem: quia, dum Confirmatio solummodò tribuit Episcopo Potestatem Jurisdictionis, non potest Episcopus Confirmatus Potestatem Ordinis, quam ipsemet non habet, exercere, vel aliis impertiri per *cap. transmissam* 15. *cap. quod sicut* 28. §. *super eo de Elect.*

Equidem non prohibetur Episcopus Confirmatus 5
Ordinationem, quâ Potestas Ordinis tribuitur, alteri Episcopo delegare *cap. suffraganeis* 11. *d. t.* Sed exinde non licet argumentari, quòd & ipse valeat
actum Ordinis exercere. Nam, ut memoratum, ac- 6
tum Ordinis exercere, supponit in exercente Potestatem Ordinis; at actum Ordinis alteri delegare, supponit in delegante tantùm Potestatem Jurisdictionis, ut dictum in *tract. præced. de Mod. acquir. Prælat. cap.* 1. *n.* 571.

Quid autem, si Episcopus esset per saltum ordina- 7.
tus, ac omissis, v. g. Ordinibus Minoribus, aut etiam Diaconatu vel Subdiaconatu, ad Episcopatum promotus: anne poterit Ordinem, quem nunquam suscepit, aliis validè conferre? Ratio dubitandi sumitur ex *cap.* 1. *num.* 55. ubi concessum est, Episcopum, omissô Sacerdotiô, consecratum, non posse alios in Sacerdotes ordinare: cùm, quod ipse non habet, aliis dare nequeat. Ergo etiam, si omissis aliis
Ordinibus, consecretur, non poterit Ordines, quos 8
nunquam suscepit, aliis conferre. Nihilominùs communior est opinio, quam præter Salmanticenses de *Sacram. Ord. cap.* 1. *n.* 41. Laymann *Theol. Moral. lib.* 5. *tr.* 9. *cap.* 9. *nu.* 8. & alios tradit Clericatus de *Sacram. Ord. decis.* 12. *n.* 8. Ordinem, ita collatum, esse validum. Ratio disparitatis hæc assignatur: quia
Potestas Sacerdotalis continet eminenter in se omnes 9
alios Ordines inferiores; cui, si addatur Potestas
Epis-

Episcopalis, ad eosdem Ordines, cæteris conferendos, elevatur.
10 Quid, si Episcopus decederet ex hac vita, ac rursus à mortuis resurgeret?
Resp. ipsum Ordinis Potestate quoad exercitium non amplius censeri præditum: quandoquidem Potestas Ordinis quoad actum cum vita deponitur, & solùm remanet character in habitu; prout insinuant Salmanticenses de *Sacram. Ord. cap.* 5. *num.* 15. & docet Eruditissimus Clericatus de *Sacram. Ord. decis.* 12. *num.* 27. quemadmodum aliquis Commissarius, qui terminum suæ commissionis absolvit, retinet quidem literas patentes, in quibus potestas illius
11 continebatur, nec tamen aliquid operari valet. Narrantur tamen apud *cit.* Clericatum à *num.* 31. aliquot historiæ, quòd de via extraordinaria Beati in Cœlis à Supremo Sacerdote fuerint ad exercendam Ordinis Potestatem deputati, quin & ipsemet Christus Dominus Annô 948. Sacellum Beatæ Virginis in Eremo Helvetica consecrandô, Potestatem Ordinis exercuisse legitur, velut authenticè commonstrat *citatus* Author *n.* 30.

§. II.

Qualiter Episcopi Resignati Potestatem Ordinandi exercere valeant?

12 In hac quæstione plurimùm refert, an loquamur de valore Potestatis exercitæ, an solùm de honesta-
13 te seu liciitate exercitii. Si primum; indistinctè tenendum, quòd Episcopus resignatus totam Ordinis Potestatem validè exerceat: tum quia in *cap. requisivit* 1. *de Ordinat. ab Episcopo, qui renuntiavit &c.* solùm dicitur, quòd ordinatus à tali Episcopo non habeat *executionem* Ordinis & Officii; ex quo consectaneum est, ipsum Ordinem & Officium quoad
14 valorem jam fuisse receptum: tum quia character Ordinis, semel impressus, non deletur per resignationem, sed indelebiliter inhæret animæ *cap. quod*
15 *quidam* 97. *I. q.* 1. Si secundum; distinguitur inter renuntiationem, an facta sit quoad locum tantummodò, seu quoad exercitium & administrationem; an etiam quoad dignitatem & munus Epis-
16 copale. Primò casu licitè potest Episcopus resignatus Majores & Minores Ordines conferre, accedente consensu successoris, vel alterius Episcopi, cui
17 ordinandus subest *d. cap. requisivit* 1. Alterô casu, suppositô tali consensu, Minores Ordines licitè confert, non autem Majores *d. cap.* quia Majores Ordines desiderant Episcopalem dignitatem, non item Minores.
18 Sunt tamen nonnulla quæ huic resolutioni videntur offendiculum parere. Et quidem inprimis de valore talis Ordinationis dubium movetur ex *num.* 10. ubi negatum est, quòd Episcopus mortuus, & denuò resuscitatus ad vitam, Potestatem Ordinis exercere
19 valeat: cur ergo resignatus possit? Deinde in *cap. post translationem* 11. *de Renunt. circa fin.* supponitur, Episcopum, qui renuntiat dignitati, etiam Ordini renuntiare; quô stante, non apparet, quâ ratione, qui per cessionem Ordine se abdicavit, Potes-
20 tatem Ordinis conferre possit. Ad hæc in *cap. illud quoque* 1. *cap. si quis* 3. *Dist.* 71. Ordinatio, quâ Episcopus ordinat non-subditum, habetur pro nulla. Atqui Episcopus resignatus non potest alium, quàm
21 non-subditum, ordinare. Ergo &c. Præterea Chorepiscopi poterant jure propriô Ordines Minores & non-sacros conferre, veluti perspicere est in Concilio Ancyrano *can.* 13. & in Concilio Antiocheno *can.* 10. apud Gonzalez in *cap. Episcopalia* 1. *de Privil. num.* 7. *& seqq.* & tamen hi Episcopi dignitate Episcopali carebant, utpote qui ob crimen aliquod depositi, actâ pœnitentiâ, ex motivo misericordiæ in pagis & villis tolerabantur, ut notat Clericatus de *Sacram. Ord. decis.* 14. *num.* 29.
Verùm, quòd inoffensô pede subsistat data re- 22
solutio, mox patebit. Ad primam siquidem objectionem disparitas est, quòd Episcopus resignatus nunquam desierit esse viator; sicque Characterem Ordinis nunquam amiserit quoad actum & usum, pro tempore statûs viatoris, suppositis supponendis, exercendum: cum econtrà Episcopus mortuus cessaverit esse viator, suumque characterem quoad actum & usum ulteriorem amiserit. Ad alteram Resp. cum Glossa, quam citat Fagnanus ad *cit.*
cap. requisivit num. 5. per renuntiationem Ordinis 23
non intelligi renuntiationem characteris, qui renuntiantis arbitrio non subjacet, sed animæ manet inscriptus; intelligi verò solam renuntiationem executionis seu exercitii Potestatis Or-
dinis, cujus illicitas patet ex *num.* 17. Ad ter- 24
tiam Resp. Ordinationem in *cit.* textibus haberi pro nulla quoad effectum seu executionem Ordinis, quam non-subditus, ob prohibitionem Juris,
non acquirit. Ad quartam Resp. Chorepiscopos, 25
quibus in *num.* 21. Potestas Ordinis adstruitur, fuisse Episcopos Titulares, qui jam priscis temporibus consecrabantur ad titulos Ecclesiarum Cathedralium, in partibus infidelium existentium: illi, servatâ dignitate Episcopali, Ordines non-sacros quasi ex jure proprio conferebant subditis Episcoporum, quorum Suffraganeos in vicis aut pagis agebant. Gonzalez *cit. l. num.* 9. Clericat. *cit. decis. num.* 31.

§. III.

Qualiter Episcopi heretici, schismatici, & censurati Potestatem Ordinis tribuere valeant?

Ordinationem, ab Episcopis hæreticis, schisma- 26
ticis, & excommunicatis factam, penitus invalidam esse, nonnulla Juris capitula primô intuitu insinuant. I. *cap. nos consecrationem* 1. *cum* 2. *seqq. IX. q.* 1. ubi Ordinationes, ab excommunicatis factæ, generatim pronuntiantur irritæ, ac pro nullis habendæ; jubeturque iterari, *quod minime probatur*
esse collatum. II. *cap. ordinationes* 5. *eâd. q.* 1. *& cap.* 27
quod à prædecessore 1. *de Schismat.* ubi nominatim Ordinationes, quas faciunt hæresiarchæ, dicuntur
irritæ. III. *canon.* 67. *Apostol. cap. Daibertum* 24. 28
cap. per illicitam 25. *I. q.* 7. ubi permittitur reordinatio seu iteratio Ordinationis, si quis ab hæreticis fuerit ordinatus.
Verùm, si hæretici, schismatici, & cæteri, Eccle- 29
siasticâ censurâ ligati, in Ordinatione debitam materiam & formam adhibeant, unà cum intentione faciendi, quod facit vera Ecclesia, tenendum est absque scrupulo, Collationem Ordinis valere. Covarruv. in *cap. alma mater de Sent. excomm. p.* 1. §. 6.
num. 6. partim quia nec hæresis, nec schisma, nec 30
censura tollit characterem, ex quo valor susceptorum
Ordinum dependet: partim quia in *cap. ab excom-* 31
municatis 4. *cap. ordinationes* 5. *d. IX. q.* 1. *cap. ult. de Episcopo qui renunt. Episcopat. cap. quod à prædecessore* 1. *de Schismat.* taliter ordinatis conceditur dispensatio; quæ, cùm super executionem Ordinum tantummodò cadat, ipsorum valorem antecedenter præsumit.
Ad textus adversos Resp. eos vel de sola Ordinum 32
executione declarandos; vel, si de nullitate formali & substantiali accipiantur, sic explicandos esse, quòd debita materia, forma, & intentio servata non fuerit. Fagnanus ad *cit. cap. quod à prædecessore* 1. *de Schismat. n.* 2. *& seqq.* Gonzalez ad *cap. fraternitati*
2. *eôd.*

2. eod. numer. 4 & 8. P. Engel ad *tit. de Ordinat. ab Episc. num.* 6. Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid. num.* 4.

33 Quæstio autem exsurgit, utrùm, si hæresis, schisma, vel censura Episcopi sit occulta, vel saltem judicialiter non denuntiata, Potestas Ordinis non tantùm sit validè collata quoad substantiam, sed etiam quoad executionem? Varia hic occurrunt DD. placita; & in hoc quidem omnes consentiunt, quòd, si censura sit occulta, Potestas Ordinis quoad substantiam & executionem censeatur validè collata. Ita Innocent. in *d. cap. quod à prædecessore n.* 3. Panormitanus in *cap. veritatis* 8. *de Dolo & contum. n.* 46. Covarruv. *cit. l. in cap. alma mater p.* 1. §. 2. *n.* 7. Barbosa de *Off. & pot. Episc. p.* 2. *alleg.* 2. *n.* 17.
34 P. Engel *cit. l. n.* 5. Hæcque resolutio solidè deducitur ex *Extravag. ad evitanda scandala*, quæ adscribitur Martino V. in Concilio Constantiensi, & synopticè refertur à Fagnano ad *cit. cap. quod à prædecessore n.* 54. & à Ludovico Bail. in *Summa Concilior.*
35 *tom.* 1. *pag.* 587. *col.* 1. *lit. E.* Similiter, si censura sit notoria, atque ex percussione Clerici contracta, nemini est dubium, quin Potestas Ordinis executivè non conferatur: utpote cùm in *cit. Extravag.* specificè excipiantur notorii Clericorum percussores, ac com-
36 municatio cum illis non permittatur. An autem si quis ex alio capite, v. g. simonia notoria sit excommunicatus, non verò denuntiatus, executionem Ordinis tribuere valeat? Covarruviæ *cit.* §. 2. *n.* 7. prorsus ambiguum est. Fagnanus *cit. l. n.* 53. *& seqq.* & Cle-
37 ricatus de *Sacram. Ord. decis.* 12. *à n.* 4. cum aliis citatis contentiosè negativam defendunt; pro quibus faciunt duo Concilia, Constantiensi posteriora, videlicèt Basileense *in sess.* 20. & Lateranense sub Leone X. *Sess.* 11. §. *statuimus insuper &c.* ubi censuratis, specificè denuntiatis, generatim æquiparantur illi, quos ita notoriè constat in excommunicationis sententiam incidisse, ut *nulla possit tergiversatione cela-*
38 *ri, aut aliquô Juris suffragiô excusari.* Econtrà Barbosa *cit. l.* P. Engel ad *tit. de Sent. excommunicat. num.* 56. P. Wiestner *ibid. n.* 63. P. Pirhing ad *tit. de Ordinat. ab Episc. n.* 5. tenent affirmativam, & meô judiciô non malè: cùm enim exceptio ponat regulam in casibus non exceptis; in Concilio autem Constantiensi solùm excipiantur notorii Clericorum percussores: consequens est, cæteros excommunicatos, non-denuntiatos, etiam notoriè tales, manere sub regula, & communicationem cum illis non esse vetitam.

39 Ad Concilium Basileense respondent laudati Engel & Wiestner, id maxima ex parte non haberi pro authentico, utpote revocatum ab Eugenio IV. &, præter articulos paucos, à nullo Pontifice con-
40 firmatum. Ad Concilium Lateranense responderi potest, ipsius decretum, si Concilio Constantiensi putetur adversum, non afficere totam Ecclesiam, sed solam Galliam: siquidem in summa Conciliorum, quam exhibet *cit. Bail. tom.* 1. *pag.* 614. *col. lit. C.* refertur inter Concordata, quæ Leo X. cum Francisco Galliarum Rege pepigit.

41 Porrò cum illicitè ordinatis ab Episcopo censurato dispensat Episcopus proprius, si privatô errore nescíverint, Ordinantem censurâ, ob quam vitandus erat, innodatum esse *cap. ult. de Ordinat.*
42 *ab Episcop. &c.* Sin autem ordinati sciverint, Episcopum ordinantem propter censuram esse vitandum, non dispensat alius, quàm S. Pontifex *arg. cit. cap. ult.* præterquàm si ordinatus ad Religionem se conferat, quô casu Prælato Regulari dispensandi facultatem tribuunt Barbosa ad *cit. cap. n.* 2. & P. Engel ad
43 *eund. tit. num.* 5. Nec interest in casu ignorantiæ, num Episcopus ordinans fuerit proprius vel alienus: quippe cùm in sententia Panormitan. ad *cit. cap. n.* 5. post absolutionem censuræ cum ordinato dispensare valeat, non minùs, ac Sacerdos delinquentem ex suo mandato absolvere.

§. IV.

An & quomodò Episcopi resignati, vel censurati cæteros actus Ordinis exercere valeant?

Quòd Episcopus resignatus vel censuratus Sacramentum Confirmationis validè conferat, dubitare 44
non sinit ratio, non semel hactenùs proposita: quia nimirum characterem Ordinis, à quo valor hujus Sacramenti dependet, neque resignatio neque censura perimit. Quòd etiam licitè conferat idem Sa- 45
cramentum, ex eo suadetur: quia tali Episcopo nil deest, quàm Jurisdictio: hanc autem Confirmatio, ut licitè fiat, non desiderat, per tradita à Barbosa de *Off. & pot. Ep. alleg.* 30. *num.* 14.

Nihilo minùs verius existimo, quòd nullus ex 46
Episcopis resignatis aut censuratis licitè Confirmationem impertiatur; quia, tametsi non requiratur Jurisdictio ordinaria, requiritur tamen Jurisdictio delegata, non quidem expressè, sed tacitè, quatenùs prudenter licet præsumere, proprium Episcopum non fore invitum. Atqui prudenter non licet præ- 47
sumere, proprium Episcopum non fore invitum, si Episcopus resignatus, & multò magis censuratus, administret Sacramentum Confirmationis: ille siquidem non ampliùs habet diœcesin propriam, extra quam ne quidem proprium subditum licet confirmare, prout *arg.* ex Concilio Trident. *sess.* 6. *de ref. cap.* 5. desumptô, cum allegatis tradit Barbosa *d. l. n.* 15. hic autem aliunde prohibetur officium Episcopale & Potestatem Ordinis, ex vinculo censuræ ligatam, exercere.

Eôdem ferè modô discurrendum est de consecra- 48
tione & benedictione: quamquàm enim facultatem consecrandi & benedicendi, quam Episcopi tantùm ex Jure Ecclesiastico sunt consecuti, Ecclesia illis in casu resignationis vel censuræ quàm optimô jure posset adimere; non tamen constat, quòd eandem facultatem ipsis de facto quoad valorem ademerit: etsi nec Episcopus censuratus, nec resignatus, li- 49
centiâ proprii Episcopi destitutus, cùm executione officii Episcopalis careant, licitè consecrent aut benedicant. Laymann *Theol. Moral. lib.* 5. *tr.* 9. *cap.* 9. *num.* 6.

SECTIO II.

De Prælatis Regularibus.

SUMMARIA.

50. *Prælati Regulares Primam Tonsuram & Ordines Minores conferre valent.* 51. *Si Sacerdotes, &* 52. *Benedicti sint.* 53. *& seqq. Aut ex privilegio habeant, ut sine Benedictione possint ordinare.* 56. *Aliis tamen, quàm subditis, nequeunt hos Ordines conferre.* 57. *Proponitur controversia de Novitiis.* 58. *Authores pro affirmativa.* 59. *Authores pro negativa.* 60. *& seqq. Eligitur, & probatur affirmativa opinio.* 66. *& seqq. Adducuntur fundamenta sententiæ, asserentis, Ordines Minores, non-subdito collatos à Prælatis Regularibus, esse invalidos.* 71. *& seqq. Sententiæ contraria motiva expenduntur.* 80. *& seqq. Tenetur hæc posterior, & respondetur ad fundamenta prioris.* 91. *Alia quæstio ponitur, an Prælati Regulares Ordines Minores non-subdito*

conferant licitè, quando literas dimissorias habet ab Episcopo? 93. & seqq. Negantes, & ipsorum rationes allegantur. 101. & seqq. Affirmantes, & eorum rationes proferuntur. 103. & seqq. Fit accessus ad istos,cum adductione rationum moventium. 106. & seqq.Negantium rationes confutantur.112.& seqq. Concluditur, quòd unus Abbas non possit alteri, sinè licentia Episcopi, delegare Potestatem ordinandi. 117. De Majoribus Ordinibus, & Sacramento Confirmationis remissivè. 118. & seqq. Explanatur, qualiter Prælati Regulares possint actus consecratorios exercere cum vel sine unctione.

§. I.

An & quales Prælati Regulares possint Ordines conferre?

50 PRæter Episcopos, ceu ordinarios Ordinum Ministros, extraordinarii quidam sunt Ministri;
in specie Prælati Regulares, qui ex universali privilegio, in corpore Juris contento, suis subditis
Regularibus, Primam Tonsuram & Ordines Minores conferre valent. Textus in *cap. quoniam* 1. *Dist.*
69. *cap. cùm contingat* 11. *de Ætate & qualit. & Ordin.* ubi Gonzalez *num.* 5. *cap. Abbates* 3. *de Privileg. in* 6.
51 Ut autem Prælati Regulares hâc facultate polleant, necessum est I. ut charactere Sacerdotali præcellant juxta *cit. cap. quoniam* 1. Gonzalez *ubi supra n.* 7. Rationem dat Clericatus de *Sacram. Ord. decis.* 15. *n.* 7. quia ordinare Clericos est eos disponere, ac præparare ad conficiendum Corpus Christi: igitur hanc dispositionem & præparationem provenire oportet ab eo, qui habet Potestatem consecrandi corpus Christi.
52 Necessum est II. ut iidem Prælati sint benedicti per *cap. statuimus* 1. *de Supplenda neglig. Prælat.* Gonzalez *cit. l.* Rationem dat rursus allegatus Clericatus: quia Benedictio, quæ solenniter datur Prælatis Regularibus, largô modô in Jure vocatur consecratio & ordinatio *cap. alienationes* 37. *XII. q.* 2. *cap. Abbatem* 4. *cap. quàm sit* 5. *XVIII. q.* 2. Sicut itaque Episcopus Potestatem Ordinis non acquirit nisi per consecrationem; ita nec Prælatus Re-
53 gularis aliter acquirit nisi per benedictionem. Quòd si Episcopus (verba sunt *cit. cap. statuimus* 1. *de Supplenda neglig. Prælat.*) *tertiò cum humilitate ac devotione (sicut convenit) requisitus, substitutos Abbates benedicere fortè renuerit, eisdem Abbatibus licet pro-*
54 *prios Monachos benedicere &c.* Ratio subnectitur à Gonzalez ad *idem cap. n.* 6. quia ex quo benedictio Prælatorum à Jure Ecclesiastico positivo fuit introducta, ac simul Potestas Ordinandi Monachos ab eodem Jure Prælatis concessa: non frustra in casu negligentiæ Episcopalis Jus ipsum Potestatem Ordinandi Prælatis Regularibus absque benedictione con-
55 cedit. Qua de causa Abbatibus Cassinensibus, esto, cùm solummodò temporales sint, solennem benedictionem non consequantur; jus tamen Ordines Minores conferendi concessum est ex speciali privilegio, quod dedit Eugenius IV. ut refert Tamburinus de *Jure Abbat. tom.* 1. *disp.* 11. *quæst.* 13. *num.* 1. & 2. & *tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 3. *num.* 3. & 4.
56 Necessum est III. ut personæ, quibus Abbates Regulares conferunt Ordines, sint subditi, non quilescunque, prout in *cap. Abbates* 3. *de Privileg. in* 6. permissum erat; sed Regulares, uti statuit Concilium Trident. *sess.* 23. *de Reformat. cap.* 10. Unde
57 Controversia non vulgaris movetur: utrùm Prælati Regulares suis Novitiis Primam Tonsuram & Ordines Minores conferre valeant? Gonzalez ad *cap. cùm contingat* 11. *de Ætate & qualit. n.* 6. refert Authores in utramque partem; non expressâ, quam ipse sequatur, opinione. Apertiùs animum suum 58
explicant, & in affirmativam transeunt Suarez *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 12. Passerinus ad *cit. cap. Abbates n. ult.* Laymann *Theol. Mor. lib.* 5. *tr.* 9. *cap.* 9. *n.* 2. Salmanticenses de *Sacram. Ord. cap.* 4. *n.* 39. Gobat *Theol. experiment. n.* 324. Pirhing ad *tit. de Temporib. Ordinat. n.* 55. Engel de *Privileg. Monasterior. privileg.* 49. *num.* 3. König ad *cit. tit. n.* 26. hancque sententiam P. Krimer in *quæstion. Canonic. ad cit. tit.* 2117. probabiliorem; & Reverendiss. D. Guetrather *Inst. Jur. Can. lib.* 1. *tit.* 24. *n.* 7. communi Doctorum sensu firmatam asserit. At in negativam 59
eôdem candore deflectunt quamplurimi, in specie Barbosa de *Offic. & pot. Episc. p.* 2. *alleg.* 3. *n.* 8. Pax Jordan. *lib.* 5. *tit.* 4. *n* 60. Tamburinus de *Jure Abbat. d. tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 10. *per tot.* Pasqualigo in *Addit. ad Lauret. de Franchis de Controvers. inter Episcop. & Regular. p.* 1. *n.* 10. P. Wiestner ad *tit. de Ordinat. ab Episcopo qui renunt. n.* 18. quam opinionem in praxi tenendam suadet Clericatus de *Sacram. Ord. cit. decis.* 15 *num.* 18. Cardo autem difficultatis in eo 60
præcipuè versatur, utrùm Novitii censeantur esse subditi Regulares ad mentem Concilii Tridentini, prohibentis, ne Abbates cuiquam, qui *Regularis subditus sibi non sit*, Tonsuram vel Minores Ordines conferant? Sanè, qui legit Authores, de Regula- 61
ribus scribentes, frequentissimô calamô consentiunt I. quòd Novitii in materia favorabili nomine Religiosorum comprehendantur per *cap. Religioso* 21. §. *quamvis de Sent. excommunicat. in* 6. II. quòd sortian- 62
tur forum contentiosum & Jurisdictionem in Monasterio. Sperell. *Fori Eccles. decis.* 16. *n.* 14. & *seq.* III. 63
quòd forum Sacramentale ibidem obtineant. Pasqualig. in *addit. ad Lauret. de Franch. p.* 2. *q.* 57. *n.* 2. Qui- 64
bus suppositis, sequela legitimè deducitur, Novitios censeri subditos Regulares ad mentem Concilii Tridentini; eáque propter non prohiberi, quò minùs à Prælatis Regularibus ad primam Tonsuram & Ordines Minores promoveantur. Confirmatur hæc se- 65
quela ex natura Juris correctorii, quod, cùm strictam ubivis interpretationem exposcat, non admittit, ut Jus antiquum in *cap. Abbates* 3. *de Privileg. in* 6. vi cujus licebat tam Novitiis quàm subditis sæcularibus primam Tonsuram & Ordines Minores conferre, per Jus posterius Concilii Tridentini dicatur etiam quoad Novitios abrogatum: quandoquidem in eodem Concilio nihil de Novitiis dicitur, sed de solis non-subditis Regularibus disponitur; consequenter quoad illos Jus antiquum manet immutatum.

§. II.

Possuntne Prælati Regulares alienis subditis validè saltem Primam Tonsuram & Ordines Minores conferre?

Hæc quæstio acriter inter Canonistas disceptatur. 66
Referam utriusque sententiæ, negantis, & affirmantis, fundamenta cum Authoribus, & meam deinde mentem exponam. Itaque sententia negans pro fundamento allegat I. verba Concilii Trident. sæpè *cit.* 67
sess. 23. *de Ref. cap.* 10. ibi: *Abbatibus ac aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum, intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel Minores Ordines conferre.* In hoc itaque decreto, quantumvis explicitè dicatur, talem collationem non esse licitam, vi ipsâ tamen & implicitè dicitur, collationem non esse validam: utpote cùm Lex prohibens sit

regu-

68 regulariter etiam irritans. II. si Prælati Regulares nunquam habuissent privilegium, Ordines Minores conferendi, nunquam validè potuissent ordinare. Ergo etiam non possunt ordinare, quando privilegium, quod olim acceperunt, ipsis ademptum est. Atqui privilegium, ordinandi subditos-non regulares ipsis in Trid.Conc.*cit.l.* est ademptum.Er-
69 go &c. III. Prælatus resignatus, aut ob lapsum statuti temporis officiò exutus, validè non potest ampliùs ordinare, prout innuit Declaratio Sacræ Congregationis die 5. Aprilis 1636. apud Pignatellum *tom.1.consult.*366.*n.*6. in qua resolutum erat, quòd *Abbas finitô officiô non possit conferre Ordines Minores, licèt sit procurator generalis in Curia.* Ergo nec Prælatus alius potest non-subditum validè ordinare: tum quia non minùs quàm Prælatus resignatus privilegiô destituitur: tum quia respectu non-subditi
70 non Prælatus, sed privatus est. IV. tametsi Sacerdotes in Ordinatione acquirant Potestatem, à peccatis absolvendi, nullus tamen confessiones cum valore Sacramenti potest excipere, nisi per approbationem Episcopi Jurisdictionem in actu receperit. Pariter ergo Prælati Regulares, quamquàm per benedictionem acquirant Potestatem ordinandi, eandem tamen cum valore Sacramenti non possunt exercere, nisi Jurisdictionem habeant in ordinandum. Et ita post alios, quos allegat P. Wex in *Epitom.de Prælat reg p.*2.*contr.*1.*n.*3.*&* 11.sentiunt Layman.*Theol.Mor.lib.*5.*tr.*9. *cap.* 9. *num.* 7. Pirhing ad *tit. de Temp. Ord.n.*49. P. Schmalzgrueber *ibid. num.* 34.

71 Sententia affirmans argumentum principale sic efformat. Quando Episcopus alieno subdito confert Ordines tam Majores quàm Minores, confert validè, prout omnes fatentur. Ergo etiam Prælatus Regularis, qui Minores Ordines alii, quàm subdito Regulari, confert, confert validè. Conseq.
72 prob. I. quia Potestas Ordinis, postquàm generale privilegium emanavit, eô modô reperitur in Prælatis Regularibus, quô modô reperitur in Episcopis; veluti patet ex *cap. ult. de Tempor. Ordinat.* in 6. ubi quoad exercitium Potestatis Ordinis in ordine ad Primam Tonsuram parificatur Episcopus & *quivis alius*, qui nempe ex alio titulo facultatem Ordines Minores conferendi accepit. Cùm igitur in Episcopis Potestas Ordinis quoad valorem sit absoluta & illimitata; non minùs Potestas Ordinis in Prælatis Regularibus quoad valorem erit ab-
73 soluta & illimitata. Prob. II. defectus Jurisdictionis non reddit Potestatem Ordinis invalidam, sed tantùm illicitam per *cit. cap. ult.* & Trid. Concil. *cit. sess.* 23. *cap.* 8. Atqui, quòd Prælatus Regularis personam non subditam ordinare non possit, provenit solùm ex defectu Jurisdictionis, sicuti planum & perspicuum videtur. Ergo &c.

74 Nec obest, quòd Potestas Ordinis, quâ præcellunt Regulares Prælati, non fundetur in radice characteris Sacramentalis, ad instar Potestatis Episcopalis, sed tantùm in principio extrinseco, seu gratia, & voluntate S. Pontificis: nihilo minùs enim quoad effectum imitatur Potestatem Episcopalem, ut quoad valorem censeatur universalis, & quoad licitum usum ad Jurisdictionem restricta: nam, servatâ proportione, benedictio præstat idem Abbatibus, quod consecratio præstat Episcopis *arg. cap. alienationes* 37. *XII. q.* 2. Fagnanus in *cap. statuimus* 1. *de Supplenda negligent. Prælat. num.*20.

75 Confirmatur argumentum propositum I. ex eodem Fagnan. *num.*47. *& seqq.* quia Potestas Ordinis non minùs est individua, atque adeò per partes aut subditos non distincta, quàm Spiritus S. qui principaliter operatur in Sacramentis. Unde, si quis possit unam personam validè ordinare, potest etiam aliam
76 ordinare. Et quamvis Potestas Ordinis de facto reperiatur distincta, dum Episcopi v. g. habent majorem Potestatem quàm Sacerdotes, & sic deinceps: id tamen solummodò procedit in Ordine diverso, non item in uno & eodem: quia, qui Sacerdotium v. g. recipit, potest omnes actus Ordinis, Sacerdotio connexos, cum valore exercere, licèt
77 ab extrinseco prohibeatur. Confirmatur II. ex eodem Auth. sub *num.*50. sequenti exemplô. Si ego tradidero alicui sigillum, ut imprimat in aliqua materia centum duntaxat, imagines, & ille, excedendò mandatum, faciat centum & quinquaginta vel plures, omnes erunt veræ imagines, & validè impressæ, licèt illicitè, quia mandatum obstabat. Ita in Ordinatione Prælatorum Regularium Ecclesia dedit ipsis sigillum, id est, Potestatem imprimendi Characterem spiritualem in anima per collationem Minorum Ordinum, sed eam restrinxit ad solos subditos Regulares. Is ergo, si excedat ordinandô etiam non sibi subditos, vel sibi subditos sæculares, validè omnes ordinat; sed illicitè, propter expressam Ecclesiæ
78 prohibitionem. Confirmatur III. ex variis Declarationibus Cardinalium, quos allegant *cit.* Fagnanus *num.*13.14.*&* 39. Gobat *Theol. Experiment.tract.* 8.*n.*333. *&* 336. Pignatelli *tom.* 3. *consult.* 8. *n.* 9. in quibus S. Congregatio decidit, ordinatos non subditos à Prælatis Regularibus non esse reordinandos.
79 Subscribunt Tamburinus de *Jure Abb. tom.* 2. *disput.* 2. *quæst.* 8. *num.*1. Fagnan. *cit. l.* à *num.*11. Gobat ubi supra. Clericatus de *Sacram. Ord. decis.*15. *num.*32. P. Engel de *Privileg. Monast. privil.* 49. *n.* 4. P. König ad *tit. de Tempor. Ordinat. num.* 7. P. Wex *cit. p.*2. *contr.*1. eamque tutissimam in praxi & certam appellat D. Guetrather *Inst. Jur. Can. lib.* 1. *tit.*14. *num.* 9.

80 Subscribo & ego, atque ad I. fundamentum negantis sententiæ resp. ex eo, quòd Concil. Trid. suam dispositionem per verba: *non liceat*, nobis intimaverit, bene concludi, Ordinationem, quâ Minores Ordines aliis quàm subditis Regularibus conferuntur, tantùm illicitam esse; non obstante regulâ, quæ Legem prohibentem simul irritantem vo-
81 cat: hanc enim, tametsi & nos recipiamus, limitare solemus tum in casu, in quo versamur in materia Juris correctorii; tum maximè, quando versamur in materia Sacramentorum, ubi quàm plurima sunt præcepta vel prohibita, nec tamen si contra præceptum vel prohibitionem agatur, actus pro nullo & infecto habetur.

82 Ad II. Resp. conseq. distinguendô: ergo non possunt ordinare, quando privilegium, quod olim acceperunt, ipsis ademptum est, *totaliter*, conced. conseq. quando ademptum est tantùm *partialiter*, neg. conseq. eademque distinctio applicatur ad pro-
83 positionem subsumptam. Privilegium ergo, quô Prælati Regulares olim potuerunt Ordines conferre, non fuit illis hodie ademptum totaliter, sed tantùm partialiter, quatenùs respectu subditorum Regularium mansit intactum tam quoad valorem quàm honestatem; & respectu non subditorum Regularium, salvô manente valore, quoad honestatem tantùm est sublatum.

84 Neque dicas: si Concilium Tridentinum ita statueret: liceat Prælatis Regularibus etiam non-subditis Regularibus Minores Ordines conferre, facilè concederemus, quòd Ordines alienis subditis validè conferantur & licitè. Ergo etiam, si Concilium statuat: non liceat non-subditis Ordines Minores conferre, concedere debemus, quòd Ordines alienis subditis nec validè nec licitè conferantur.

85 Resp. negandô consequentiam & paritatem. Præterquàm enim, quòd concessio privilegii sit favorabilior & largior quoad interpretationem, quàm illius revocatio: magna insuper occurrit disparitas

in eo, quòd Ordinum Collatio nequeat esse licita,
quin simul valida sit; & tamen (ut nemo non intelligit)
Ordines persæpe conferuntur validè, quin
licitè conferantur: quia videlicèt bonum ex integro;
malum ex quolibet defectu resultat.

86 Ad III. Resp. negandò conseq. & paritatem. Disparitas est:
quia Prælatus resignatus, aut aliàs Prælaturâ exutus,
amittit Potestatem Ordinandi non
tantùm partialiter, sed etiam totaliter: nec solùm
quoad non-subditos, sed etiam quoad subditos Re-
87 gulares; spectatò valore simul & honestate. Ratio
autem ulterior est: quia potestas Ordinandi, quam
habet Abbas Regularis Benedictus, videtur annexa
officio & dignitati: ideóque, officiò & dignitate
sepositâ, Potestas Ordinandi exspirat; ac, eô-
88 dem officio & dignitate retentâ, retinetur. Quòd
verò Prælatus respectu non subditi privatus sit,
æquè parum infirmat Ordinationem Abbatialem,
quàm Episcopalem infirmat defectus Jurisdictionis
respectu subditorum alienorum, esto respectu horum
non Prælatus, sed privatus agnoscatur.

89 Ad IV. Resp. ex eo fundamento probari, quòd
etiam Ordinatio, quâ Episcopus alieno subdito Diaconatum
vel Presbyteratum administrat, invalida
sit. Quæ tamen illatio, cùm falsa sit, non tolerari,
sed negari debet; adjungendò solidam rationem
90 diversitatis: quia absolutio Sacramentalis est actus
judicialis & jurisdictionalis, uti declaratur in Trid.
Concil. *sess.14. de ref. cap.5 & 6.* & *de Sacram. Pœn. ibid can.9.*
adeóque supponit pro suo valore jurisdictionem,
antecedenter in subditos habitam: at
Ordinatio non est actus judicialis vel jurisdictionalis,
sed actus Ordinis: unde jurisdictionem, antecedenter
in subditos habitam, per se loquendô
non desiderat.

§. III.

Possintne Prælati Regulares aliis, quàm subditis Regularibus, aliquando licitè Minores Ordines conferre?

91 Hæc quæstio, longè magis controversa, quàm
prior, duplicem aliam involvit. I. utrùm Ordines
Minores licitè possint conferri personis sæcularibus,
si proprii Diœcesani licentia accedat? II. utrùm
licitè possint conferri personis Regularibus alterius
Ordinis aut Monasterii, si proprii Abbatis licentia
prærequiratur?

92 In I. Controversia cum negantibus sentiunt Miranda,
Rodriquez, Navarrus & alii, quos citat &
sequitur Clericatus *cit. l. decis.15. num.30.* Barbosa
ad *Off. & pot. Ep. p.2. alleg.3. num.11.* Pignatellus *tom.2. consult.366. num.1.*
Allegant I. Trid. Concil. *cit. l.*
ubi perspicuè Abbatibus Ordinationem aliorum,
93 quàm subditorum Regularium, reddit illicitam. II.
arguunt ex absurdo, quòd nempe Trid. constitutio
vacua foret & vana, si Prælatis Regularibus
id modò liceret, quod licuit ante illam constitutionem,
ordinare scilicèt alienos subditos cum licentia
suorum Ordinariorum. III. urgent ex eod.
94 Concil. quòd Prælatis non tantùm prohibuerit, alienos
subditos ordinare, sed etiam literas dimissorias, ut ab
aliis ordinentur, concedere; unáque reservaverit Ordinationem
Episcopo, intra cujus diœcesin existunt.
95 IV. adducunt decisionem Rotæ coram Seraph. de
Die 27. Aprilis 1592. & huic conformem Declarationem
Cardinalium de die 23. Nov. 1641. confirmatam
ab Urbano VIII. cujus etiam meminit Fagnanus
ad *cap. aqua 9. de Consecrat. n.19.*

96 Affirmantibus consentiunt Suarez *tom.4. de Relig. tract.8. lib.2. cap.49. num.20.*
Tamburin. de *Jure Abb. tom.2. disp.2. quæst.7. num.1. & seqq.* Engel
de *Priv. Monaster. priv.49. n.4.* Wex *cit. Epitom. p.2. contr.1. à n.28.*
König ad *tit. de Tempor. Ord. n.7.*
Joan. Maria Sbogar *Theol. eadic. tract.27. cap.3. n.41.*
Reverendiss. Guetrather *Inst. Jur. Can. d. lib.1. tit.14. n.9.*
Clariss. P. Schmalzgrueber ad *cit. tit.32.* Consen- 97
tiunt etiam 30. Doctores, partim Theologi, partim
Canonistæ, ut fatetur Clericat. *cit. loc. num.24.* inter
quos ille notatu dignos censet & recenset 4. Episcopos,
Ciarlinum, Zerolam, Rodericum Acunam,
& Hieronymum Venero. Ratio autem est I. quia 98
ex disputatis à *num.70.* Abbates alienis subditis
validè conferunt Ordines Minores; nec ad licitam
Ordinationem aliquid deest, quàm jurisdictio. At,
quando intervenit licentia proprii Ordinarii, non
deest Abbatibus ordinantibus jurisdictio. Ergo &c.
Hinc dicere solemus: actum, quem jure propriô
quis exercere potest in suos, accedente delegatione
vel commissione posse exerceri in alium. II. 99
tametsi non liceat Episcopis alienos diœcesanos ordinare,
nihilo minùs, si literas dimissorias à suis
Diœcesanis exhibeant, ordinant licitè. Idque etiam
circa Episcopos Titulares obtinet vi Trid. *sess.14. de ref. cap.2.*
Ergo, tametsi non liceat Abbatibus,
non-subditos Regulares ordinare, si tamen ab
Episcopo, à quo cæteroquin Ordines recipere deberent,
literas dimissorias ostenderint, ordinant licitè
per *cap. ult. de Temporibus Ordinat. in 6.* ubi non obscurè
indicatur, quoad collationem Primæ Tonsuræ
respectu non-subditorum eandem esse conditionem
Episcoporum & aliorum Collatorum. III. prohibi- 100
tio Ordinationis, quæ facta est Abbatibus in Trid.
principaliter emanavit in favorem & honorem Episcoporum
velut indicant verba: *sed horum omnium Ordinatio ad Episcopos pertineat &c.*
Possunt igitur
Episcopi suo favori renuntiare, & Abbatibus per literas
dimissorias licentiam ordinandi concedere. IV. 101
Jus antiquum cum novo, quantùm est possibile, concordari
debet: est autem possibile, ut Trid. Concil.
seu Jus novius, cum antiquo concordetur, si cum
quadam limitatione, statim rescindendâ, dicatur, Abbatibus
esse licitum, cum assensu proprii Episcopi
alium, quàm subditum Regularem, ordinare.
Ergo &c.

In præsenti difficultate cum Fagnano in *cit. cap. aqua num.8. & seqq.* 102
censeo, posteriorem hanc optionem
in praxi securè deduci posse, si subditus
non-Regularis, ordinandus à Prælato Regulari,
non tantùm habeat licentiam generalem, sed etiam
specialem ab Episcopo. Movet me partim gemina 103
declaratio Cardinalium, quam authenticè refert
cit. Fagnanus *num.8. 10. & 18.* & Clericatus *cit. l. n.22.*
partim constitutio S. Caroli Borromæi, qui, cùm 104
Tridentinæ synodi zelosissimus propagator & observator
fuerit, sine dubio nihil contra Trid. statuit,
dum in Concil. Mediol. *p.3. de Sacram. Ord.*
Tonsuræ & Ordinum Minorum collationem prohibuit,
nisi & ipsius Episcopi consensus antecedat, & illi initiandi à suo Episcopo vel Regulari Superiore attulerint literas dimissorias, non generatim, sed *speciatim
concessas*: partim quia de praxi hujus sententiæ in 105
variis diœcesibus attestantur Engel in *annot. ad tit. priv.49. num.3.*
Gobat *Theol. experim. tract.8. num.328.*
Strein. *p.1. tit.16. §.3. num.3.* Sporer de *Sacram. p.1. cap.5. sect.3. num.43.*
König *cit. l.* Wex
cit. controv.1. num.33.

Responsiones ad opposita mox dabo. Ad I. patet 106
intentio Trid. ex dictis, quod illicitam reddiderit Ordinationem,
quam Prælati Regulares faciunt authoritate
propriâ; non illam, quam faciunt authoritate
delegatâ. Ad II. rursus expedita est responsio, dis- 107
positionem Conciliarem non esse vacuam & vanam:
quandoquidem ante Concilium licuit Abbatibus,
subditos sæculares ex jure propriô ordinare juxta
cap.

cap. Abbates 3. de Privileg. in 6. alios autem non-
subditos licuit ordinare cum licentia proprii Episco-
pi juxta *cap. ult. de Temporib. Ordinat. eôd. in 6.*
post Concil. verò non ampliùs licet, vel subditos
sæculares jure propriô ordinare, vel etiam alios ex
jure delegato, nisi illa delegatio & commissio sit spe-
108 cialis & expressa. Ad III. Resp. aliud esse, quòd
Prælatis Regularibus prohibita sit concessio litera-
rum dimissorialium; aliud, quòd ipsis prohibita sit
Ordinatio, quando ordinandus affert literas dimis-
sorias speciales ab Episcopo proprio. Prior prohi-
bitio continetur in Trid. Concil. non item poste-
109 rior. Ad IV. variè respondent Aa. opinionis affir-
mantis, vel quòd allegata Rotæ & Congregationis
decisio non emanaverit pro tota Ecclesia; vel quòd
usu & consuetudine contrariâ rursus fuerit abroga-
ta; vel quòd intelligenda sit in illa hypothesi, quâ
literæ dimissoriæ Episcoporum tantommodò gene-
rales sunt, nec specificam licentiam Prælatis Regu-
110 laribus indulgent. Et hanc ultimam responsionem ad
decisionem Rotæ suggerit etiam Fagnanus *cit. l. n.*
10. *& seqq.* Verùm ad objectam Declarationem Car-
dinalium non respondet, sed eam in *n.* 19. solummo-
dò refert his verbis: *post hæc scripta emanavit à S.
Congregatione Concilii infra scripta declaratio, quæ est
originaliter in libro memorialium &c.* nec tamen re-
sponsionem aut judicium suum desuper manifestat.
111 Salvô tamen meliori credderim, hanc ipsam Decla-
rationem eâ responsione, quæ data fuit ad decisio-
nem Rotæ, in favorem nostræ sententiæ explicari
posse; addendô. non sufficere generalem Episcopi
commissionem, sed pro singulis casibus singularem
requiri. Wex *ubi supra n.* 34.

112 In altera controversia existimat Pasqualig. in *ad-
dit. ad Lauret. de Franch. de Controv. inter Episcop.
& Regular. p.* 1. *n.* 10. utique non licere, ut Abbas
ordinet Religiosum alterius Religionis aut Mona-
sterii, quamvis alterius Abbatis habeatur licentia;
concedit tamen hic Author, quòd Abbas vices
suas alteri, facultatem conferendi Ordines haben-
ti, delegare possit: quia Concilium solùm restringit
facultatem ordinandi, non autem tollit facultatem
113 delegandi. Verum non satis assequor intentionem
Pasqualigi. Quamquàm enim non iverim inficias,
ad Ordinationem alieni subditi Regularis non suffi-
cere licentiam alterius Abbatis, sed insuper neces-
sariam esse specialem Episcopi concessionem: tum
quia Tridentinum admodùm clarè hoc innuit: tum
quia in sua prohibitione respexit favorem & hono-
rem Episcoporum; quorum proinde licentia nequit
omitti: tum quia declaratio Cardinalium in *num.*
114 103. nimiùm dilucidè sic ordinat. Nihilo tamen mi-
nùs etiam delegationem, nisi specialibus dimissoriis
ab Episcopo roboretur, non sufficere, contendo.
Ratio mea est: quia delegare vices Abbati alteri,
est idem, ac literas dimissorias ad eondem expe-
dire, eique facultatem ordinandi concedere. Sicut ita-
que non valet unus Abbas alterios subditum Regula-
rem ordinare; quantumvis Abbas illius subditi per
dimissorias det specialem licentiam: ita neque tunc
ordinare potest, quando Abbas illius subditi Or-
115 dinationem delegat. Confirmatur. Nullus Episco-
pus vel Prælatus licitè ordinat, nisi ordinandus
sit ipsi subditus vel jure propriô, vel jure delega-
tô. Atqui Prælatus Regularis Religiosum alterius
Ordinis aut Monasterii sibi subditum non habet ju-
re propriô. Ergo, ut licitè ordinet, debet illum
habere subjectum ex jure delegato. Ergo literis
dimissoriis instructus esse debet, non tantùm à Præ-
lato Regulari proprio, sed etiam ab Episcopo, cu-
jus favorem intendit Concil. Trid.

116 Quòd Concilium non restringat facultatem dele-
gandi, sed ordinandi, verissimum est. At hôc ipsô,
quòd Concilium restringat facultatem ordinandi, ve-
tat, ne alienus subditus ordinetur sinè licentia tum
Prælati Regularis, si ordinandus sit Regularis, tum
Episcopi. Ergo, licèt facultas delegandi non sit re-
stricta, non potest tamen aliter ab Abbate delegato
in Regularem non-subditum exerceri, præterquam si
literas dimissorias & Prælati Regularis, & Episcopi
exhibuerit.

§. IV.

*Quos alios actus Ordinis Prælati Regulares exer-
cere valeant?*

Circa collationem Majorum Ordinum, vel ad- 117
ministrationem Sacramenti Confirmationis, eadem
est facultas Prælatis Regularibus, quæ Sacerdoti-
bus simplicibus, de quibus in *sect.* 3. Verùm circa 118
Consecrationes & Benedictiones rerum sacrarum
Prælatis Regularibus, qui gaudent usu Pontifica-
lium, & propiùs accedunt ad Episcopos, longè ma-
jor competit Potestas, quàm cæteris Prælatis aut
Sacerdotibus: nam juxta declarationem S. Congre-
gationis *Abbas, qui est benedictus, vel ex privilegio
Sedis Apostolicæ habet, ut Pontificalia exercere pos-
sit, ac si esset benedictus, potest omnia sacra benedice-
re, illis exceptis, in quibus unctio requiritur.* Sylvester 119
V. benedictio num 5. Barbosa *J. E. V. lib.* 1. *cap.* 17. *n.*
62. Pax Jordan *lib.* 5. *tit.* 3. *n.* 54. Tamburin. *tom.* 1. *disp.*
22. *q.* 1. *& seqq.* Pasqual. in *addit. ad Lauret. de Franch.
p.* 1. *q.* 28. *num.* 2. Clericat. de *Sacrif. Missæ decis.* 47. *n.*
78 Antonell. in *tract. de Regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 17.
num. 15. Engel de *Privileg. Monast. privil.* 49. *num.* 5.
Wex in *Epitome de Prælat. Reg. p.* 1. *cap.* 6. *n.* 36. Præ- 120
terea jus consecrandi vel benedicendi cum unctione
datum est ab Innocentio VIII. 1489. Abbati Cister-
ciensi & quatuor primis Co-Abbatibus, uti testan-
tur Barbosa de *Off. & pot. Ep. alleg.* 27. *num.* 36. Tam-
burin. *d. l. disp.* 23. *q.* 1. *num.* 2. Antonell. *cit. n.* 15. Wex 121
cit. l. n. 37. Idem jus à Pio IV. 1565. indultum est
Abbatibus Congregationis Cassinensis, sicuti testa-
tum faciunt Pax Jordan *cit. l. n.* 55. Tamburin. *d. l. q.*
4. Clericat. de *Sacrif. Missæ decis* 13. *num.* 19. *& seq.*
Nicol. & Garuff. in *Notabil. pract. Verb. Abbas nu-
mer.* 20. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 68. *num* 6. Ad alios 122
quoque Prælatos similis facultas devolvitur vel spe-
ciali Summi Pontificis privilegiô, vel communica-
tione privilegiorum; de qua tamen, cùm multifaria
sit, multasque pariat controversias, nihil ulteriùs ad-
do, sed, si placeat, conferri possunt Clericatus *cit.
decis.* 42 *num.* 78. Pignatell. *cit. tom.* 3. *consult.* 68. *n.* 6.
Caramuel *Theol. reg. disp.* 124. *n.* 1567. Murga *Oper.
Moral. tom.* 2. *tit.* 6. *à num.* 244. Tamburin. *tom.* 1.
disp. 23. *quæst.* 12. *&* 13. Barbosa *cit. l.* Pax Jordan
d. lib. 5. *tit.* 3. *num.* 53. *& seqq.* Matthæucci in *Offic.
Cur. Regul. cap.* 4. & plures, ab his allegati.

SECTIO III.

De aliis Ministris extraordinariis, per quos Potestas Ordinis exercetur.

SUMMARIA.

123. *& seqq. Quilibet Sacerdos ad Ordines Minores conferendos authoritate Pontificiâ deputari potest.* 125. *& seq. Alius autem Clericus deputari non potest.* 128. *& seqq. Nonnulli obices removentur.* 136. *& seqq. Referuntur varia placita de Ordinibus Majoribus, utrùm à simplici Sacerdote, ex commissione Apostolica, conferri valeant?* 139. *& seqq. Defenditur hujusmodi collatio quoad Sub- & Diaconatum.* 143. *& seqq. Principalis objectio tangitur, & retun-*

ditur. 148. *& seqq. Argumenta, quæ collationem Sacerdotii probare videntur.* 151. *& seqq. Argumenta contraria.* 159. *& seqq. Priora refelluntur.* 163. *Simplex Sacerdos omnes actus Ordinum inferiorum exercere potest.* 164. *Consecrationes Episcopales facere potest ex delegatione Papæ.* 165. *& seqq. Potest etiam ex tali licentia administrare Sacramentum Confirmationis.* 169. *& seqq. Potest insuper conficere chrysma, quô confirmandus inungitur.*

§. I.

Possitne alius, quàm Sacerdos, ex speciali commissione S. Pontificis Primam Tonsuram & Ordines Minores conferre?

123 PRæter Abbates Regulares possunt etiam alii Sacerdotes non-Episcopi, tanquàm extraordinarii Ministri, Primam Tonsuram & Ordines Minores conferre: id, quod constat ex antiquissimo usu Ecclesiæ, cujus non obscurè meminerunt *cap. quoniam* 1. *Dist.* 69. *cap. requisivit* 2. *de Ordinat. ab Episcopo &c. cap. cùm contingat* 11. *de Ætat. & qual.*
124 *& Ord. præfic.* Constat insuper ex privilegio, quô tum Abbates Regulares, tum Cardinales non-Episcopi, tum novissimè Primicerius Ecclesiæ S. Marci Venetiis potestatem acceperunt, Primam Tonsuram & Ordines Minores conferendi. Clericatus de *Sacram. Ord. decis.* 14. à n. 1.

An autem alius, quàm Sacerdos, ex speciali
125 commissione S. Pontificis, Primam Tonsuram & Ordines Minores conferre possit? Quæritur; sed cum S. Thoma, Dicastillo, Paludano, Sylvestro in *V. Ordo* 3. *q.* 7. Salmanticens. *cit. tr.* 8. *de Sacram. Ord. cap.* 4. *num.* 20. Clericato de *Sacram.*
126 *Ord. decis.* 16. *à num.* 1. communissimè negatur. Ratio est I. quia videtur inconveniens & indecorum, ut quis Potestatem exerceat in Corpus Christi mysticum, Ordines conferendô, qui necdum Potestatem obtinuit in Corpus Christi verum per Sa-
127 cerdotium. II. quia non minùs inconcinnum est, ut assumatur in consortium Ordinis & Potestatis Episcopalis per deputationem ad collationem Ordinum, qui gradu remotiori distat ab Episcopo.
128 III. quia non constat, quòd vel uni S. Pontifex similem commissionem aut privilegium concesserit: cùm tamen non defuisset occasio vel ratio concedendi, præsertim Cardinalibus Diaconis, qui, licet ratione dignitatis supra Episcopos & Archi-Episcopos sint elevati, Minores tamen Ordines conferre nequeunt.

129 Dices: antiquitus etiam Laïcos sibimetipsis Primam Tonsuram per abscissionem capillorum contulisse, quando vel ad Religionem, vel ad Statum Clericalem. aspirabant, ut refert ex Gregorio Turonensi & nostro Mabillonio Clericatus *cit.* l. *num.* 9.

130 Resp. Tonsuram illam non fuisse Clericalem & immediatè dispositivam ad Ordines recipiendos, sed materialem duntaxat, qualem hodiedum privatus quisque in suo capillitio facere potest, absque eo, quòd Clericus efficiatur, aut privilegiis Clericorum gaudeat. Solebant autem crines sibimet amputare, qui ad Statum Clericalem aut Regularem accedere volebant, ut exteriùs ostenderent fervorem Spiritûs, quem intus in corde fovebant.

131 Instabis: Diacono non deesse Minores Ordines; adeóque, si ad eosdem Ordines, aliis conferendos, assumatur à Papa, non deesse ipsi Potestatem Ordinis, quâ memoratos Ordines aliis dispenset.

Resp. in *num.* 126. jam fuisse subindicatum, 132
quam ob rem hujusmodi assumptio Papalis nequeat habere locum: deficit nempe Diacono, ceu remotè nimis ab Episcopis distanti, Potestas in Corpus Christi verum: ut adeò nequeat evehi per commissionem Pontificis ad exercendam Potestatem in Corpus Christi mysticum, & Ordines fidelibus dispensandos.

Urgebis: non transcendere limites Potestatis 133
Pontificiæ, ut Episcopus ab uno solùm Episcopo & duobus Abbatibus consecretur, prout in *tract. de Mod. acquir. Prælat. cap.* 1. *à num.* 560. conclusum habetur: adeóque limites ejusdem Potestatis non excedere, ut Minorista ordinetur à Diacono.

Resp. ex Divina institutione ad consecrandum 134
Episcopum non requiri tres Episcopos, sed unum sufficere; neque Abbates, qui aliquando in locum Episcoporum substituuntur, munus consecrationis, sed solius assistentiæ peragere: unde nil implicat, quin ex peculiari dispositione Pontificis Episcopus ab uno Episcopo, in præsentia & assistentia duorum Abbatum, consecretur. At 135
Episcopus ex Divina Ordinatione constitutus est Minister Ordinum, æquè Minorum ac Majorum: hinc Pontifex non potest alium efficere Ministrum, qui longiùs ab Episcopali gradu remotus, necdum Potestatem in Corpus Christi Domini per characteris Sacerdotalis participationem accepit.

§. II.

Possitne simplex Sacerdos ex indulto Pontificio habilitari ad conferendum Ordinem Sub-Diaconatûs, vel Diaconatûs?

Invenio hic triplicem opinionem. I. tale in- 136
dultum Pontificium admittit quoad Sub-Diaconatum & Diaconatum. Ita Glossa in *cap. manu* 4. *de Consecrat. Dist.* 5. Panormitan. in *cap. quanto de Consuet. num.* 9. Innocent. in *cap. aqua de Consecrat. Eccles. vel Alt. num.* 9. Cardinalis de Laurea de *Sacram. Ord. disp.* 8. *num.* 23. quem citat, & sequitur Clericat. *Erotemat. Eccles. cap.* 128. *num.* 71. Tamburin. de *Jure Abbat. to.* 2. *disp.* 2. *q.* 5. *&* 6. P. Engel ad *tit. de Tempor. Ordinat. num.* 12. Clariss. P. Schmalzgr. *ibid. sub num.* 35. Clariss. P. Wex in *Epitome de Prælat. Regul. p.* 2. *contr.* 1. *per tot.* Clariss. P. Guetrather *Inst. Jur. Can. lib.* 1.
tit. 24. *numer.* 10. II. idem indultum quoad Sub- 137
& Diaconatum reputat impossibile Zoësius ad *cit. tit. num.* 7. Sylvester in *Verb. Ord.* 3. *q.* 7. Covarruv. *Var. resol. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 10. Laymann *Theol. Moral. lib.* 5. *tr.* 9. *cap.* 9. *numer.* 3. quibus apertè favet authoritas Doctoris Angelici *in* 4. *sent. dist.* 25. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 3. apud Clericatum *de Sa-*
cram. Ord. decis. 16. *num.* 12. III. indultum hoc 138
de Sub-Diaconatu possibile, de Diaconatu judicat impossibile. Salmanticenses in *tr. de Sacram. Ord. cap.* 4. *num.* 28. quos sequitur Clericatus *d. l. num.* 17. *&* 21.

Ego cum primis vexilla confero, atque indul- 139
tum Pontificium quoad Sub- & Diaconatum defendo I. quia Concilium Florentinum, dum in *decreto Eugenii* §. *sextum* de Sacramento Ordinis agit, decernit, Ordinis Sacramenti Episcopum esse Ministrum Ordinarium. Agnovit itaque, ejusdem Sacramenti Ministrum extraordinarium dari; nec alium sanè, quàm Sacerdotem, velut gradu & potestate Episcopo proximum; nec tantùm quoad Ordines Minores, sed etiam quoad Majores:
utpote cùm indefinitè loquatur. II. quia S. Pon- 140
tifex,

tifex, non obstante, quòd Episcopus sit Ordina-
rius Minister Sacramenti Confirmationis juxta Con-
cil. Trident. *Sess. 7. Can. 3.* simplici Presbytero fa-
cultatem administrandi Sacramentum Confirmatio-
nis indulgere potest, veluti monstrabimus infrà.
Ergo etiam simplici Presbytero facultatem admi-
nistrandi Sacramentum Ordinis, quoad Diacona-
141 tum & Sub Diaconatum, indulgere potest. III.
quia Authores, omni exceptione majores, perhi-
bent, ab Innocentio VIII. concessum fuisse pri-
vilegium Generali Ordinis Cisterciensis & quatuor
Co-Abbatibus ejusdem S. Ordinis, quòd suis Mo-
nachis Sub-& Diaconatum conferre valeant; nomi-
natim Illustriss. Caramuel *Comment. in Reg. S. Bened. disp.* 129. *num.* 1626. Tamburinus *de J. A. ta. 2. disp. 2. q. 5. in fin.* Suarez *tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. cap.* 29. Card. de Laurea apud *cit. Clericatum num.* 24. P. Wex *cit. p. 2. contr. 2. num.* 28. & apud
142 hunc alii. Consimile privilegium per Summos Pon-
tifices Prælatis Franciscanis in India concessum
esse, ex probatis Authoribus refert idem Clericat.
num. 25. Ea propter dubitandum haud est, quin
S. Pontifex pro sua plenitudine potestatis tale pri-
vilegium concedere possit: *nec est* (verba sunt D.
Anselmi de *Incarnat. Verbi cap.* 2.) *cur probus & prudens Theologus immittat cornua ad ventilandum ea, quæ Pontifices concesserunt.*

143 Oppones: commissio Papalis, quâ simplici Sa-
cerdoti datur Potestas, ordinandi Sub-vel Diaco-
num, vel est actus Jurisdictionis vel est actus Or-
dinis? At neutrum verificatur. Non primum: nam
Jurisdictio Pontificis non extenditur ad Corpus Chri-
sti naturale, & ea, quæ habent immediatam rela-
tionem ad illud, sed tantùm ad Corpus Christi
144 mysticum, quod est populus Christianus. Non se-
cundum: quia commissio S. Pontificis, quæ nihil
intrinsecè operatur in anima, non auget Ordinem
Sacerdotalem, cujus est, consecrare idem verum
& naturale Corpus Christi.

145 Resp. hoc argumentum omnibus esse solvendum,
qui cum nostra & certa sententia tenent, ex com-
missione S. Pontificis etiam simplici Sacerdoti facul-
tatem dispensandi Minores Ordines posse compe-
tere. Solvitur autem sequenti responsione, quòd
commissio Papalis sit partim actus Jurisdictionis,
146 partim actus Ordinis. *Actus Jurisdictionis* ideò:
quia simplex Sacerdos carat omni Jurisdictione, ad
147 licitam saltem Ordinationem necessariâ. *Actus Or-
dinis* verò: quia characterem Sacerdotalem, qui
continet eminenter omnem Potestatem Ordinum
inferiorum, elevat & extendit, ad Ordines illos
aliis communicandos; quemadmodùm amat fieri in
commissione de conferendis Ordinibus Minoribus.

§. III.

Possitne simplex Sacerdos ex delegatione Pontificia etiam Sacerdotium conferre?

148 Ita non pauci docuerunt, inter quos præcel-
lunt *cit.* Glossa in *cap. manus quoque 4. de Conse-
crat. Dist.* 5. Panormitanus in *cap. quanta de Con-
suet. num.* 9. Innocentius, & alii, quos citant Cle-
ricat. *d. decis.* 10. *num.* 33. *& seqq.* & P. Wex *cit. p.*
149 *2. contr. 2. num.* 12. Facit pro his I. quia Concilium
Florentinum juxta *num.* 139. indistinctè decernit,
Episcopum esse Ministrum Ordinarium Sacra-
menti Ordinis; consequenter etiam indistinctè ad-
mittit, Sacerdotem posse Ministrum extraordina-
150 riam agere Sacramenti Ordinis. II. quia Sacer-
dos ex nostra sententia delegari potest ad dispen-
sandum Sub-& Diaconatum, quantumvis uterque sit
Ordo sacer, & posterior valde propinquus sit Al-
taris ministerio. III. quia non extat ullus canon 151
aut constitutio, quâ similis delegatio Christi in
terris Vicario Generali, Romano Pontifici, repe-
riatur adempta.

Nos autem non sic; sed cum Salmanticensibus 152
de Sacram. Ord. cap. 4. *n.* 25. Palao *Oper. Moral. p.*
14. *num* 10. Engel ad *tit. de Temporib. Ordinat.* n.
22. Wex *cit. l. num.* 15. *& seqq* Clariss. P. Schmalz-
grueber ad *cit. tit. num.* 55. aliisve, quos adducit
& sectatur Clericatus *ubi supra n.* 35. implicantiam
in tali commissione agnoscimus. Ratio est I. quia 153
non constat de unico exemplo, quòd S. Pontifex
hâc Potestate aliquando fuerit usus; cùm tamen
occasio utendi procul dubiò non defuisset, præ-
sertim in partibus Indiæ. II. quia Potestas Sa- 154
cerdotalis tam quoad Corpus Christi verum, quàm
quoad Corpus mysticum, est tanta & tam excel-
lens, ut planè credibile sit, Christum Dominum
ad illius collationem specialem Ministrum pro om-
ni eventu destinâsse. III. quia Concil. Trident. 155
in *Sess.* 23. *de Sacramento Ord. Can.* 7. anathemata
percellit omnes, qui asserere non formidant, *Pote-
statem ordinandi*, quam habent Episcopi, *illis esse
cum Presbyteris communem.* Atqui, si Presbyter
simplex delegaretur ad Presbyterium conferendum,
Potestas ordinandi, quam habent Episcopi, illis
cum Presbytero communis esset. Ergo &c.

Neque respondeas, adhuc superesse differentiam 156
inter Potestatem Episcopalem & Sacerdotalem:
tum quia Potestas ordinandi competit Episcopis ex
jure proprio, Sacerdotibus autem ex jure delega-
to: tum quia Episcopo reservatur Potestas, crean-
di alios Episcopos; Sacerdoti verò solummodò li-
centia conceditur, Sacerdotes inaugurandi.

Resp. enim nec unam nec alteram differentiam, 157
ad salvandum canonem Trid. Concilii, habilem &
idoneam esse. Quòd enim Potestas Episcopalis
non communis, sed eminentior ac major sit Sacer-
dotali, de intrinseca Potestate, non autem extrin-
seca voluit intelligendum: at major non foret in-
trinsecè, si character Sacerdotalis æquè posset ele-
vari ad Sacerdotium conferendum, ac character
Episcopalis. Quòd prætereà Episcopo reservetur 158
potestas, creandi alios Episcopos, difficultatem non
absorbet: quæri etenim, & instari potest, cur Sa-
cerdos ex delegatione Pontificia sublimari valeat
ad impertiendum Sacerdotium, non autem ad Epi-
scopatum? Profectò disparitas non erit tam patula
vel solida, ut novâ rursus instantiâ premi vel ever-
ti non possit.

Quæ posita sunt ex adverso latere, non strin- 159
gunt. I. enim Concilium Florentinum non gratis
Episcopum pro Ordinario Ministro Sacramenti Or-
dinis deputavit: ostendere namque voluit, dari
sinè dubio Ministrum extraordinarium hujus Sa-
cramenti, non quidem indistinctè, & in tota la-
titudine, sed quoad Ordines Minores, item Sub-
& Diaconatum. Presbyteratus autem vel ex eo ca- 160
pite non potest inclusus censeri: quia, dum prop-
ter supereminentiam specialem Ministrum ex *n.* 154.
exigit, specialem quoque mentionem desiderat. II. 161
assignatur ingens discrimen inter Sacerdotium & re-
liquos Ordines sacros inferiores: nam Sacerdotium
immediatè tribuit Potestatem illam, plusquàm An-
gelicam, in Corpus Christi verum & mysticum;
reliqui Ordines econtrà solùm tribuunt Potestatem
ministrandi Sacerdoti, dum Sacratissimum Christi
Corpus & Sanguinem in tremendo Missæ Sacrificio
conficit. Ergo convenit, ut Sacerdotium habeat
alium & altiorem Ministrum, quàm cæteri Ordi-
nes inferiores. III. non est necesse, ut extet ullus 162
canon aut constitutio, quâ similis delegatio Christi
in terris Vicario Generali reperiatur adempta;

quin potiùs à contrario necessum foret, ut extaret canon aut constitutio, quâ delegatio tam insolita & excelsa Romano Pontifici nominatim concessa fuisset: nam aliunde, quæ sunt inconsueta, non præsumuntur.

§. IV.

Quos alios actus Ordinis simplex Sacerdos exercere possit?

163 Sacerdotem simpliecem posse omnes actus Sacerdotii & reliquorum Ordinum inferiorum exercere,
164 in confesso est. Similiter, quòd illas Consecrationes, quæ faciunt aliàs Episcopi, non ex Jure Divino, sed institutione Ecclesiæ, puta Consecrationem Altarium, calicum, patenarum &c. non possit exercere ex jure proprio, sed tantùm ex delegatione Sedis Apostolicæ, quæ raró conceditur, extra controversiam est, ut scribit Clericat. de *Sacrif. Missæ decis.* 13. *num.* 26.
165 Dubitabis autem I. an Potestas Confirmandi à Romano Pontifice simplici Sacerdoti possit delegari?

Resp. contra Durandum cum omnibus ferè Theologis & Canonistis affirmativè. Barbosa de *Offic. & pot. Ep. alleg.* 30. *n.* 2. Pignat. *to.* 6. *consult.* 11. *n.* 3. & 5. Pax Jordan *Elucubr. Div. lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 8. Clericat.
166 de *Sacram. Confirmat. decis.* 58. *n.* 3. *& seqq.* Sic enim jam pridem exempló suô docuit Magnus Gregorius in *cap. pervenit* 1. *Dist.* 95. & confirmavit jam Concilium Florentinum in *Decreto Eugenii* §. *secundum*, asserens, per Sedis Apostolicæ dispensationem, ex rationabili & urgente causa, Sacramentum Confirmationis à simplici Sacerdote fuisse administratum; quàm Tridentinum, quod, cum *in sess.* 7. *can.* 3. de Sacramento Confirmationis definiat, illius Ordinarium Ministrum esse Episcopum, tacitè suggerit, Sacerdotem alium esse Ministrum extraordinarium.
167 Equidem in *cap. quanto* 4. *de Consuet.* reprobatur consuetudo, vi cujus Sacramentum Confirmatio-
168 nis à simplicibus Sacerdotibus administratur. Sed minimè hinc eruitur, privilegium quoque vel delegationem S. Pontificis reprobari: notorium quippe est, longè plura per privilegium, quam per consuetudinem, licere posse.
169 Dubitabis II. an Potestas conficiendi chrysma, quô confirmandus inungitur, simplici Sacerdoti à S. Pontifice delegari valeat?

Diversâ semitâ hic incedunt Aa. Negativam frequentiori calculô receptam, testatur P. Wiestner ad *tit. de Sacra. Unct. num.* 13. quia ex *Decreto* Concilii Florentini *cit.* §. *secundùm* materia Confirmationis est *chrysma*, *confectum ex oleo & balsamo*, *ab Epis-*
170 *copo benedictum.* Sed affirmativam ab omnibus ferè Scholasticis, & præcipuè Scotistis, teneri, testis est Clericat. *cit. l. decis.* 54. *n.* 11. quia, sicut administratio Sacramenti, sic etiam confectio materiæ tribuitur Episcopis, tanquàm Ministris Ordinariis; nec excluditur Sacerdos simplex, velut Minister ex-
171 traordinarius. Utramque sententiam adeò dubiam censuit P. Wiestner *n.* 14. ut noluerit pandere suum judicium, sed illud suspenderit, & Apostolicæ Se-
172 di submiserit. Si tamen in re, necdum à S. Pontifice decisâ, liceat aperire sensum & sententiam meam, sanè præplacet affirmativa; licèt utique vix speranda sit talis delegatio: siquidem à tot retroactis sæculis facta nullibi reperitur.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Ab Episcopis censuratis, non denuntiatis, licitè & validè recipiuntur Ordines.* 2. & 3. *Extravag. Martini V. non est in dubium trahenda.* 4. *Ordinati per simoniam sunt ab Ordinibus suspensi.* 5. & *seq. Abbates, etiam non benedicti, ex privilegio possunt Ordines minores conferre.* 7. & 8. *De Novitiis & Oblatis, quòd nequeant à suis Abbatibus ordinari, refertur sententia Cardin. Petra.* 9. *Etsi gaudeant privilegiô fori.* 10. *Alienis subditis validè saltem hi Ordines conferuntur.* 11. & *seq. Ex Delegatione Pontificia etiam simplex Sacerdos Ordinem Diaconatûs & Sub-Diaconatûs conferre potest.* 13. & *seqq. Impugnatur privilegium Cisterciensium.* 16. & *seqq. Defenditur in ordine ad scopum nostrum.* 19. *An subditi, non ordinati à proprio Episcopo, possint appellare? Ratio dubitandi.* 20. *Arctati ratione beneficii possunt appellare.* 21. *Alii neutiquam.* 22. *Nec illi, qui beneficium needum actu obtinent.* 23. *Nisi beneficium sit pro certo ordine personarum.* 24. *Aut aliquis jam habeat Sub-Diaconatum.* 25. & *seq. Conceditur tamen gravatis recursus ad S. Congregationem.* 27. *Etsi Regulares sint.*

QUÆSTIO I.

Quid judicandum sit de Episcopis censuratis quoad Ordinum collationem?

DE his abundè discurrimus in *præs. cap. à num.* 26. Quæ omnia confirmat Eminentiss. Petra in *Comment. ad constit. Apostol. tom.* 1. *pag.* 306. *à num.* 27. *& pag. seq. n.* 32. & 33. ubi nobiscum adducit *Extravag.* Martini V. *ad evitanda scandala*, cujus tenore non tantùm validè, sed etiam licitè & quoad usum quis ordinatur ab Episcopo suspenso vel excommunicato, si is publicè ut talis non fuerit declaratus; idque providè dispositum fuisse, advertit, ne prætextu simulato simoniæ vel alterius delicti proprios Episcopos subditi negligerent, ac de suis Pastoribus & Patribus Judices agerent. Et 2
licèt aliqui dubitaverint de dicta *Extravaganti*, quasi à D. Antonino in *summa part.* 3. *tit.* 25. *cap.* 3. primò illius mentio sit facta; attamen, ut notat idem Petra, ejus legalitas comprobatur nedum ab innumeris Doctoribus, sed ab usu communi, Ecclesiæ consensu jam diu firmatô ac receptô. Suarez de *Censur. disput.* 9. *sect.* 2. *n.* 5. eamque Constitutio- 3
nibus Synodalibus Diœcesis Panpelonensis, jam Anno 1532. editis, insertam fuisse, perhibet noster P. Petrus de Murga in *Comment. ad constitut. Apostol.* nominatim ad *Constit.* 6. & 2. Alexandri IV. *num.* 403.

Limitandam verò hanc *Extravag.* meritò judicat 4
cit. Petra *pag.* 309. *n.* 39. in iis, qui Ordines ab Episcopo censurato, etiam non-declarato, simoniacè recipiunt: hos siquidem, cùm delicti participes se faciant, ipsô Jure ab Ordinibus suspensos esse, patet ex *Extrav. cùm detestabile* 2. *de Simonia inter commun.*

QUÆSTIO

QUÆSTIO II.

An & qualiter Prælati Regulares possint conferre Ordines Minores?

5 Multa quoad hunc articulum disputavimus in *hoc cap. à num.* 50. Igitur, ut nihil eorum repetamus, solùm appendicis locô adjungimus I. Prælatis Regularibus per se loquendô jus conferendi Ordines Minores solummodò competere, quando sunt benedicti; ita tamen, ut si à Sede Apostolica privilegium acceperint, ea omnia faciendi, quæ possunt Abbates benedicti, suis subditis Regularibus Tonsuram & Ordines Minores conferre, aliaque Pontificalia in sui Ordinis Monasteriorum Ecclesiis & limitibus exercere valeant; prout à S.
6 Congregatione Concilii resolutum, per Clementem VIII. Anno 1596. die 2. August. in forma Brevis in favorem Congregationis Benedictinæ Vallisoletanæ in Hispania confirmatum, & iterum Anno 1647. 16. Martii à Sacra Congregat. in *Cathanien.* & *Panormitana*, & recenter in *Vratislav.* Anno 1724. die 12. Febr. declaratum fuisse, refert Eminentiss. Petra in *Comment. ad Constitut. Apostol. tom.* 5. *pag.* 314. *num.* 34.

7 II. quoad Novitios ab eodem Eminentiss. Petra *tract.* 1. *pag.* 338. *num.* 18. illam opinionem veram censeri, quæ docet, eos à suis Abbatibus Ordines Minores recipere non posse ob decretum Clem. VIII. quod voluit, ut ordinandi sint *subditi Regulares*, quales non sunt Novitii ante professionem: cùm Regulares dici nequeant, nisi Regulam profiteantur; concordante Concil. Trident. *sess.* 23. *de Reformat. cap.* 10. ibi: *qui Regularis sibi subditus non*
8 *sit.* Imò & Oblatis, qui, licet gestent habitum Regularem, & in claustris sub obedientia Abbatis vivant, vota tamen solennia non emittunt, Ordines ab Abbatibus conferre non posse, concludit *cit.* Petra *num.* 21. quia ob defectum solennis professionis veri Regulares dici non possunt; adducens responsum S. Congregationis Concilii in una *Mutinens. ordinat.* die Anno 1689. die 14. Maii. Quòd
9 verò tam Novitii quàm Oblati gaudeant privilegiis Monasterii, fori, & exemptionis; id non provenire ex vi & virtute Regularis vitæ, sed ex qualitate personæ Ecclesiasticæ, quam acceperunt ex eo, quòd se dedicaverint Ecclesiæ, advertit mox allegat. Petra.

III. sententiam nostram, quâ Ordines Minores,
10 quos Prælati Regulares alienis subditis conferunt, validè (non tamen licitè) collatos defendimus, sat certam esse, utpote jam aliquoties approbatam à Sacra Congregat. Concilii in *cit. Panormitana* & *Mutinensi*, nec non *Colimbriens.* 26. Junii 1655. teste Eminentiss. Petra *tom.* 5. *pag.* 317. *num.* 40. semper enim altefata Congregat. respondit: *promotos non indigere aliâ collatione dictorum Ordinum, sed absolutione, & rehabilitatione, à Sanctissimo obtinendâ.*

QUÆSTIO III.

Possitne simplex Sacerdos ex indulto Pontificis habilitari ad conferendum Ordinem Sub-Diaconatûs, vel Diaconatûs?

11 Utrumque affirmavi in *hoc cap. num.* 139. *& seqq.* In cujus quidem confirmationem quoad Ordinem Sub-Diaconatûs existimat Clericatus de *Sacram. Ordin. decis.* 16. *n.* 17. deservire textum in *cap. requisivit* 1. *de Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui*, ubi Alexander III. interrogatus de valore Ordinum, collatorum ab Episcopo resignato, respondit: si à *tali Ordines usque ad Sub-Diaconatum aliquis acceperit*, eum in *illis deservire* posse: *quia hujusmodi Ordines à non-Episcopis quandoque conferuntur.* At mihi non videtur tutò applican- 12
dus hic textus: quippe qui de Sub-Diaconatu non loquitur inclusivè sed exclusivè, sicuti patet tum ex verbis antecedentibus, ubi distinguitur inter Ordines sacros & minores; &, ut subjunctum distinctionis membrum sibi cohæreat, non potest intelligi Sub-Diaconatus, tanquam Ordo Sacer; tum subsequentibus, ubi dicitur, taliter ordinatum posse deservire in receptis Ordinibus, *& ad majores*, ad quos etiam reducitur Sub-Diaconatus, *promoveri.*

Quod tamen ipsemet in robur meæ assertionis 13
in *num.* 141. assumpsi argumentum, petitum à privilegio, Cisterciensibus concessô, fortiter impugnatur à præfato Clericato: partim quia nullus ex Authoribus, allegantibus dictum privilegium, refert, se vidisse illius originale & authenticum, prout conveniret in materia tam gravi & inusitata; cùm tamen juxta *cap. cùm personæ* 7. *de Privileg. in* 6. asserenti, se habere privilegium Apostolicum,
non credatur, nisi illud in originali exhibuerit: par- 14
tim quia, qui illud se legisse dicunt, allegant sumptum ex sumpto, quod de Jure non probat, nisi transumptum extrahatur cum solennitatibus præscriptis in *cap. fin. de Fide Instrum.* Rota in *rec.*
p. 18. *decis.* 84. *n.* 2. & *decis.* 345. *num.* 6. partim quia, 15
si talia privilegia unquam ante Concilium Trident. fuissent concessa, per illud fuerunt revocata, nominatim *sess.* 23. *de Reform. cap.* 8. ubi præcipitur, ut unusquisque à proprio Episcopo ordinetur; & *d. sess. c.* 10. in quo non permittitur Abbatibus nisi collatio Tonsuræ & quatuor Minorum Ordinum subditis suis Regularibus; & iterum *cap.* 12. ubi præcipitur Regularibus, ut non ordinentur ab Episcopis, nisi prævio ejus diligenti examine, privilegiis quibuscunque penitus exclusis, & non obstantibus consuetudinibus, seu præscriptionibus etiam immemorialibus.

Non diffiteor, hæc, quæ ex Clericato relata 16
sunt, non carere suô pondere; ideóque nostram sententiam, si principaliter in allegato privilegio stabilita esset, non adeò de sua firmitate securam fore: quia verò in ejus probationem adductæ sunt aliæ rationes, & idem privilegium tantummodò allatum est in subsidium, & quidem ex ea suppositione, quòd juxta testimonium Authorum, omni exceptione majorum, reverà datum fuerit Cisterciensibus, satis adhuc tuta videtur. Et quidquid sit, an 17
omnia privilegia necessariò in originali ostendi debeant, cùm *cit. cap. cùm personæ* 7. *de Privileg. in* 6. tantùm loquatur de privilegio exemptionis: saltem id erit concedendum, quòd, si per testes fide dignos probetur, privilegium in usu, & Cistercienses in ejus possessione constitutos esse, sicuti quidam attestantur, Cisterciensium Generalem Romæ Anno 1662. sciente & annuente Alexandro VII. subditos suos in Sub-Diaconos & Diaconos ordinâsse; uti etiam Anno 1654. in Imperiali Monasterio Cæsariensi duos Diaconos ab eo promotos fuisse, copiam testimonii authentici producit P. Wex in sua *Epitome p.* 2. *contr.* 2. *sub n.* 60. ipsa originalis exhibitio cum tanto rigore non sit necessaria *arg. cit. cap. cùm personæ* 7.

Cæterùm, quòd Tridentini Concilii decretis non 18
fuerit abrogatum hoc privilegium, operosè ostendit *cit.* P. Wex *à num.* 34.

QUÆSTIO

QUÆSTIO IV.

Possitne Episcopus suis subditis denegare Ordines? Et, casu quò, an illi possint appellare ad Superiorem?

19 Ratio quærendi est: quia in Concilio Tridentin. *sess.* 21. *de Reformat. cap.* 2. videtur Episcoporum arbitrio relictum, an aliquam ordinare velint, nec ne, ibi: *nisi illi, quos Episcopi judicaverint assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum*; quod etiam relucet ex *d. sess. cap.* 16. ibi: *cùm nullus debeat ordinari, qui judiciò Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis &c.* item ea *sess.* 14. *de Reformat. cap.* 1. ibi: *cui ascensus ad Sacros Ordines à suo Prælato ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus.* Jam verò in causis, quæ remittuntur arbitrio & conscientiæ Episcoporum, cujus Scrutator est solus DEus, non dari appellationem, desumitur ex *cap. ad aures* 5. *de Temporib. Ordinan.* & docet Glossa in *cap. statutum* §. *assessorum v. relinquatur de Rescript. in* 6. Barb. in *Collectan. ad cit.* Concil. *sess.* 21. *de Reform. cap.* 2. *num.* 54. *& seqq.*

20 Verùm non ita absolutè procedendum, sed distinguendum putat Eminentiss. Petra *tom.* 1. *pag.* 325. à *num.* 17. Refert nimirum, an, qui ad Ordines aspirat, sit arctatus, puta quòd beneficium habeat, cui sit annexus certus Ordo; vel non. In primo casu tenetur Episcopus, si nulla causa Canonica obstet, arctato Ordines conferre; &, ubi hoc facere recusat, arctatus ad Superiorem appellare potest: utpote cùm in effectu privetur beneficiò, quod absque Ordine, intra tempus statutum non recep-
21 tô, retinere nequit. In altero casu, veluti si quis, nullum beneficium habens, ad titulum patrimonii ordinari desideret, in arbitrio Episcopi juxta citatum textum Concilii Trident. situm est, an velit ipsum admittere, nec ne; datâque repulsâ, denegatur appellatio ex dictis in *numer.* 19. Addatur Cardinalis de Luca de *Benefic. disc.* 71. *num.* 3. *& seq.* & in *Miscellan. Eccles. disc.* 25. *numer.* 9.
22 & Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 20. *num.* 4. Idem dicendum, quando quis, in nullo Ordine constitutus, tantummodò sperat consequi beneficium à Patrono; imò etiam, si Ordinem jam habens sit præsentatus à Patrono, nondum verò institutus, cùm nec dum jus certum obtineat, veluti cum Card. de Luca de *Benefic. d. disc.* 71. *numer.* 10. *&*
23 *seq.* observat *cit.* Card. Petra *pag.* 326. *numer.* 26. quamvis, si beneficium pro certo personarum genere sit fundatum, faciliùs appellationem permitti
24 censeat; arctatis tamen in *num.* 25. etiam annumeret Sub-Diaconum, ad Diaconatum & Presbyteratum, veluti finem ultimum, aspirantem: neque enim conveniens est, ut, qui ad statum laicalem retrocedere nequit, à consecutione sui finis retardetur.

25 Nihilo minùs etiam non-arctatis, in defectum appellationis, recursum ad Sacram Congregat. Episcoporum & Regularium vel Concilii esse concedendum, eô effectu, ut Episcopus, non quidem ipsi recorrenti, sed Sacræ Congregationi propalet causam denegatorum Ordinum, sentit idem Petra *pag.* 327. *num.* 39. *& seqq.* nam, quia arbitrium Episcopi non est planè voluntarium, sed limitatur à Jure, ejusmodi recursus non videtur esse præclusus. Card. de Luca *cit. disc.* 71. *de*
26 *Benefic. num.* 5. & *disc.* 21. *in Miscellan. n.* 5. Itáque respondit S. Congregatio Concilii in *Rhem.* cujus decretum refert præfatus Petra *sub num.* 44. hujus tenoris: *cùm nullus ordinari debeat, quem suus Episcopus sua Ecclesia utilem aut necessarium non judicaverit: Congregatio non semel declaravit, ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recursum duntaxat ad Sedem Apostolicam, quæ juxta ipsius Congregationis sententiam, per Gregorium XIII. fel. recordat. approbatam, quotiescunque Ordinarius recusaverit, quemquam ordinare, Metropolitano, aut viciniori Episcopo committit, ut ab eodem Ordinario priùs requirat causam recusationis, quô legitimam non allegante, liceat illi eundem recusatum ordinare.*

Circa Regulares monet sæpè *cit.* Petra *pag.* 328. 27
sub numer. 44. in casu, quò denegatur ordinatio ab Episcopo, recurri ad S. Congregationem Episcoporum; &, quando denegatur a proprio Superiore Regulari, recurri ad alios & majores Superiores, vel S. Congregationem Episcoporum & Regularium; &, ubi non obstant perversi mores, difficilem reddi justitiam denegatæ ordinationis: quia Regulares ordinantur ad titulum paupertatis; nec debent in statu simplici toto vitæ suæ tempore permanere, quando nullum impedimentum ipsos retardat.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

CAPUT III.

De Subjecto, in quod Potestas Ordinis exercetur.

Subjectum *in quod*, vel objectum *circa quod* exercetur & occupatur Potestas Ordinis, partim sunt personæ, partim res. Et quidem Potestas *Ordinativa* & *Confirmativa* solummodò pro objecto vel subjecto *in quod* agnoscit personas; Potestas autem *Consecrativa* tam personas quàm res admittit.

SECTIO I.

De Qualitatibus Ordinandorum.

SUMMARIA.

1. *& seqq. Ætas Ordinandorum præfigitur.* 8. *Sufficit annorum incohatio.* 9. *& seqq. Non sufficit moralis completio.* 12. *& seqq. Notabilis doctrina de anno bissextili.* 14. *In Regularibus eadem desideratur ætas.* 15. *Dubitans de ætate, tenetur ab Ordinibus abstinere.* 16. *& seqq. Agitur de Ordinatis ante rationis usum.* 20. *& seqq. Agitur de Ordinatione amentis.* 23. *& seqq. Fœminæ de Jure Divino sunt incapaces Ordinum.* 28. *& seqq. Quædam opposita removentur.* 36. *& seqq. Hermaphroditus habetur pro irregulari.* 38. *& seqq. Determinatur Ordinandorum scientia.* 41. *& seqq. Disquiritur, an & quomodò dispensari possit in scientia?* 44. *& seqq. Illiteratus non est propriè irregularis.* 48. *& seqq. Assignatur recta intentio Ordinandorum.* 51. *& seqq. Attingitur Ordinatio, ex metu facta.* 54. *Requiritur in ordinando baptismus.* 55. *Non æquè Catholica fides.* 56. *& seq. Requiritur Confirmatio.* 58. *Cælibatus.* 59. *& seq. Integritas vitæ & existimationis.*

§. I.

§. I.

De Ætate Ordinandorum.

1 PRima qualitas in personis Ordinandis est Ætas.
Ubi sciendum, nec hodie nec antiquitus Pri-
mam Tonsuram ante septennium completum, quò
rationis usus illucescere præsumitur conferri po-
tuisse *cap. ult. de Temporib. Ordinat. in 6.* Rota Rom.
2 in *rec. p. 4. tom. 2. decis. 403. n. 15.* Ordines Mino-
res certam ætatem non desiderant, si modò cæteræ
qualitates, præsertim scientia, ad eos Ordines re-
quisita, habeatur. Clericat. *de Sacram. Ord. decis.*
3 *40. n. 14.* Ordines Majores olim ætatem aliam, quàm
nunc, postulabant: debebant enim Subdiaconi vel
in 20. anno esse constituti *cap. Subdiaconus 4. Dist.*
77. vel in 18. juxta *Clem. ult. de Ætat. & qualit.*
4 *præficiend.* In Diaconis erat præscriptus annus 25.
cap. in veteri 7. cit. Dist. 77. & in *cit. Clem. ult.* erat de-
5 terminatus annus 30. In Sacerdotibus requirebatur
annus 30. *cap. si quis triginta 1. cap. nemo 2. cap.*
presbyter 4. cap. ult. Dist. 78. posteà annus 25. suffi-
6 ciebat. In Episcopis ætas 30. annorum semper vi-
debatur sufficiens *cap. cùm in cunctis 7 in pr. de Elect.*
uti declaratum in *tract. de Mod. acquir. Prælat. cap.*
1. num. 179.

7 At Tridentinum Concilium in *sess. 23. de ref. cap.*
12. notabilem mutationem fecit, ac disposuit, *ut nul-*
lus imposterùm ad Subdiaconatûs Ordinem ante vige-
simum secundum, ad Diaconatûs ante vigesimum ter-
tium, ad Presbyteratûs ante vigesimum quintum æta-
8 *tis suæ annum promoveatur.* Receptissima tamen sen-
tentia non desiderat, ut anni memorati sint completi,
sed eorum inchoatione contenta est. Clariss. P.
9 Schmalzgrueber ad *tit. de Temporib. Ord. n. 27.* Quin
etiam Clericatus *cit. l. n. 16.* cum Salmanticens. de *Sa-*
cram. Ord. cap. 5. n. 31. sufficere credit, ut v.g. in Sab-
bato 4. temporum ordinandus de mane in Sacerdo-
tem, vespere compleat annum 24. tum, quasi nempe
in hac materia, tanquàm favorabili, dies ultimus incep-
10 tus pro completo reputetur. Sed nolim huic placito
adstipulari: quandoquidem ad mentem Concilii Tri-
dentini sinè dubio ante annum 25. censetur ordina-
tus, qui necdum attigit annum 25. At qui ordinatur
de mane, & vespere complet annum 24. necdum at-
tigit annum 25. Ergo &c. Ita securior & certior sen-
tentia, de qua videri potest Gobat *Theol. experim.*
11 *tract. 8. à n. 521.* Unde propositum axioma, quòd dies
ultimus cœptus pro completo reputetur, solùm ap-
plicari potest, quando in materia favorabili certus an-
nus requiritur completus: at, quando non tantùm re-
quiritur, ut annus unus sit completus, sed etiam, ut
alius sit inchoatus, utique dies ultimus anterioris
anni, licèt sit cœptus, non facit, ut annus posterior
dicatur inchoatus. Ergo &c.

12 Notabile quoque videtur, quod scribit P. Reiffen-
stuel ad *tit. de Tempor. Ordinat. n. 64.* ab Anno Do-
mini 1700. usque ad annum 25. hujus sæculi ultra
annum 24. in Sacerdote semper addendum esse unum
13 diem, ex ea ratione: quia dies bissextilis, qui aliàs
singulis quadrienniis (ad complendas sex horas,
quæ de 365. diebus quotannis manent residuæ)
intercalari solet, memoratô annô 1700. juxta re-
gulas Correctionis Romani Calendarii non fuit in-
tercalatus, adeòque supplendus restat, prout in si-
mili à S. Congreg. decisum refert Fagnanus in *cap.*
ad nostram de Regular. n. 24.

14 Atque hæc ætas tam in personis Sæcularibus
quàm Regularibus est necessaria; non obstante quô-
cunque privilegiô, ante Concilium Tridentinum ob-
tentô: siquidem in eodem Concilio *d. sess. 23. cap. 12.*
expressè sancitur: *Regulares quoque nec in minore æta-*
te, nec sinè diligenti Episcopi examine ordinentur, pri-
vilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis. Cle-
ricat. *cit. decis. n. 18.* Gobat *cit. l. n. 514.*

Dubitanti, an impleverit ætatem Canonicam? ab 15
Ordinum susceptione abstinendum esse, consulit Cla-
riss. P. Schmalzgrueber *cit. l.* quia præceptum de non
suscipiendis Ordinibus ante legitimam ætatem est in
possessione, ac certum; adeóque vincit dubium, &
impedit Ordinationem.

Quæres: quid sentiendum de puero, qui rece- 16
pit Ordines Majores vel Minores ante usum ratio-
nis, an validè censeatur ordinatus?

Resp. contra Durandum affirmativè. Ita cum S.
Thoma Salmanticens. *cit. cap. 5. n. 23.* Clariss. P. Wiest-
ner ad *tit. de Temporib. Ordinat. sub num. 51.* Clericat.
cit. decis. 40. n. 20. Colligitur ex *cap. un. de Clerico per* 17
saltum promoto, ubi Sacerdos, qui ante discretionis
annos receperat Ordines Minores, & posteà, omis-
sô Diaconatu, Sacerdotio initiatus erat, solum
Diaconatum repetere jubetur. Ratio est: quia Bap- 18
tismus & Confirmatio, cùm imprimant characterem,
non efflagitant in baptizando vel confirmando ra-
tionis usum, & actum voluntatis: eò quòd actum
aliquem ex parte recipientis non exposcant, sed po-
tentiam duntaxat, ad recipiendum characterem. Er-
go nec Ordo in ordinando rationis usus & actum
voluntatis efflagitat: nam & Ordo solam poten-
tiam, ad recipiendum characterem, non autem actum
aliquem ex parte ordinandi, postulat. Et, licèt Or- 19
dinans ad validam Ordinationem debeat intentionem
habere: ordinandus tamen, qui necdum excessit
infantiam, absque intentione validè potest ordi-
nari: ille siquidem habet rationem agentis; hic
munus patientis sustinet: plus autem, cæteris
partibus, requiritur ad agendum, quàm ad pa-
tiendum.

De amente idem concedunt *cit.* P. Wiestner *num.* 20
67. & Clariss. P. Schmalzgrueber ad *cit. tit. de Tem-*
por. Ord. sub n. 26. quando rationis usuram nunquam
accepit, aut, habitâ rationis usurâ, Ordines postu-
lavit *cap. majores 3. §. item quæritur de Baptismo.*
Similiter, quando non postulavit Ordines, nec 21
etiam recusavit, dum integrâ valebat mente, Salman-
ticenses *cit. l. n. 27.* validam Ordinum collationem de-
fendunt propter *cit. cap. & §. in fin.* ibi: *tunc ergo*
Characterem Sacramentalis imprimit operatio, cùm
obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.
Ar, quando protestatus est contra susceptionem Or- 22
dinum, ex horum DD. sententia ordinatur invali-
dè: quia Sacramenta, quæ necessitatis non sunt, sed
voluntatis, repelli censentur, si non fuerint postula-
ta tempore, quô liberè postulari poterant.

§. II.

De Sexu Ordinandorum.

Altera qualitas Ordinandorum est sexus mascu- 23
linus: fœminas enim Jure Divinô Ordinum inca-
paces esse, nec validè ordinari posse, Theologi &
Canonistæ Orthodoxi tradunt unô calamô. Salman-
ticens. *cit. cap. 5. à num. 6.* Layman. *Theol. moral. tract.*
9. cap. 6. num. 2. Clericatus sæpè *cit. decis. 40. à num. 7.*
P. Engel de *Tempor. Ordinat. num. 23.* Magnif. *eòd.*
tit. num. 22. Deducitur I. ex institutione P. König 24
ibid. n. 8. Clariss. P. Schmalzgrueber & exemplo Chri-
sti, qui Potestatem Ordinis solummodò viris con-
cessit, ac non tantùm cæteras fœminas, sangui-
ne sibi conjunctas, sed etiam Virginem Matrem ejus-
dem Potestatis voluit expertem *cap. nova 10. de Pæ-*
nitent. & remission. Deducitur II. ex doctrina 25
Apostoli *1. ad Timoth. 2. ℣. 12.* ubi, *mulieri,* inquit,
docere non permitto, nec dominari in virum; ut ad-

eò

eò nec ordinari permittatur fœmina: cùm per Or-
dines Potestas docendi in Ecclesia & dominandi in
26 viros acquiratur. Deducitur III. ex constanti & con-
tinua observatione Ecclesiæ, quæ hactenùs nullam
mulierem ad Ordines admisit; quod signum non
modicum est, mulieres Ordinum planè incapaces
27 esse. Deducitur IV. ex ratione: quia Sacramentum
Ordinis est signum practicum, nec tantùm produ-
ctionem alicujus effectûs denotat, sed etiam signi-
ficationem gradûs & superioritatis includit. Cùm er-
go in fœminis non possit reperiri gradus & supe-
rioritas, præsertim in muneribus & officiis Eccle-
siasticis, juxta textum in *cap. 3. ℣. 16. Genes. cap.
mulier 29. Dist. 23. cap. mulier 20. de Consecrat.
Dist. 4.* hinc est, quòd nequeant ad Ordines
promoveri.

28 Nec favet mulieribus I. quòd olim in Diaconis-
sas, Presbyteras, & Episcopas inauguratæ legan-
tur *cap. presbyter* 18. *Dist.* 32. *cap. Diaconissam* 23.
29 *XXVII. quæst.* 1. Nam verum Ordinem, qui ratio-
nem Sacramenti & Potestatem Ordinis habebat an-
nexam, adeptæ non erant, sed tantùm benedictio-
nem simplicem & deputationem ad inferiora quæ-
dam officia, v. g. curam januæ & rerum Ecclesiæ,
instructionem catechumenorum, visitationem mu-
lierum infirmarum &c. quæ & alia officia pensicula-
tiùs examinat Clericat. de *Sacram. Ord. decis.* 31. *à*
30 *num.* 35. Vocabantur etiam Diaconissæ, Presbyte-
ræ, & Episcopæ mulieres Diaconorum, Presby-
terorum, & Episcoporum, qui cum earum con-
sensu Ordines sacros assumpsêre per text. in *cap.
ult. Dist.* 32.

31 Nec favet mulieribus II. quòd in antiquo & no-
vo testamento prophetiæ donô fuerint illustres, pro-
ut singulariter eâ prærogativâ ex Ordine D. Bene-
dicti celebres deprædicantur S. Elisabetha Schönau-
giensis, S. Hildegardis, S. Gertrudis, & S. Mechtildis.
32 Ad hoc enim ex S. Thoma *p. 3. quæst.* 39. respondet *cit.*
Clericat. *decis.* 40. *n.* 9. quòd *prophetia non est Sacra-
mentum, sed DEI donum: unde ibi non exigitur signi-
ficatio, sed solùm res: & quia secundum rem in his,
quæ sunt animæ, mulier non differt à viro, cùm quan-
doque mulier inveniatur melior, quantùm ad animam,
multis viris; ideò donum Prophetiæ potest recipere,
sed non Ordinis Sacramentum.*

33 Nec favet mulieribus III. quòd in regione Men-
grelia, quæ est antiqua Colchis, à Missionariis Apo-
stolicis Anno 1614. repertæ sint mulieres, quæ
Confessiones Sacramentales excipiebant, & cætera
Sacramenta conferebant, ut refert ex Batalgino
Episcopo Nucerino sæpe *cit.* Clericat. *d. decis.* 40. *n.*
34 6. Nam antiquum jam & verissimum est proverbium,
non attendi debere, quid fiat, sed quid faciendum
sit. Mulieres illæ Sacramentorum administrationem
de facto usurpare, non autem de jure exercere po-
terant: & ideò non merentur imitationem, sed, si
fuerint in errore inculpabili, compassionem; aut, si
35 steterint in pertinacia, indignationem. Affertur
quidem præter hæc in favorem mulierum historia
de Joanna Papissa. Sed *in tract. priori cap.* 1. *à num.*
651. jam ostendi, factum illud non inter historias,
sed fabulas esse referendum.

36 Petes: an saltem hermaphroditus ordinari va-
leat?

Resp. quòd, si sexus masculinus prævaleat, aut
saltem æqualis sit, ordinetur validè, non autem
licitè. Sylvester *Verb. Hermaphroditus*, Clericat. *d.
decis* 40. *num.* 12. Salmanticens. *cit. cap.* 5. *num.* 14. *&
seqq.* P. Wiestner ad *tit. de Temporibus Ordinat. num.*
37 42. Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid. num.* 23. Ratio
est: quia, tametsi hermaphroditus in tali condi-
tione pro viro habeatur *l. quæritur* 10. *ff. de S. H.*
attamen corpore vitiatus ac monstrosus esse cen-
setur; & ideò propter irregularitatem licitè non
potest ordinari *arg. cap. illiteratas* 1. *Dist.* 36.

§. III.

De Scientia Ordinandorum.

Tertia qualitas Ordinandorum est Scientia, quæ 38
tamen pro diversitate Ordinis est diversa. Pro pri-
ma Tonsura exigit Concil. Trid. *sess.* 23. *de ref. cap.*
4. ut Tonsurandus *rudimenta fidei edoctus sit, ac le-
gere & scribere sciat.* Concordat Rota in *rec. p.* 4.
tom. 4. *decis.* 539. *num.* 8. *Minores Ordines* ex præscrip- 39
to ejusdem Concilii *d. sess. cap.* 11. *iis, qui saltem lin-
guam latinam intelligunt, per temporum interstitia,
nisi aliud Episcopo magis expedire videretur, confer-
ri debent.* In Subdiaconis & Diaconis memoratum 40
Concilium *cap.* 13. requirit, ut *literis, & iis, quæ ad
Ordinem exercendum pertinent, instructi sint.* Sacer- 41
dotes ordinari præcipit idem Concil. *cap.* 14. *qui ad
populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium
est ad salutem, ac administranda Sacramenta, di-
ligenti examine præcedente, idonei comprobantur.* De
Episcoporum scientia actum est in *tract. priore d. cap.*
1. *num* 200. *& seqq.*

Cum eo autem, qui caret scientiâ necessariâ, nec 42
Episcopus dispensare potest, nec S. Pontifex: eò
quòd carentia scientiæ non solùm ex Jure positivo
humano, sed etiam ex Jure Divino, ponat obicem
Ordinationi; indignus enim est quòcunque mune-
re, qui nescit ea, quæ ad munus illud, ritè obeun-
dum, sunt necessaria. P. Pirhing ad *tit. de Temp. Ord.
n.* 14. P. Schmalzgrueber *ibid. sub num.* 28. Quòd si 43
Pontifex licentiam indulgeat, ut, qui legitimâ scien-
tiâ est destitutus, ordinetur, credendum est, ipsum
voluisse, ut ordinatus non utatur Ordine susceptô,
donec competentem scientiam acquisiverit. DD.
citati. Ad hæc si ordinandus aliquod principium 44
Grammatices habuerit, aut modicum quid sciverit,
& simul ostenderit spem majoris scientiæ, in futurum
acquirendæ, poterit cum eo dispensare Episcopus
ex mente Barbosæ *de Off. & pot. Episc. alleg.* 46. *num.*
13. Antonelli in *tract. de Regim. Ecclesiæ Episcop. lib.*
2. *cap.* 4. *num.* 7.

Sed utrùm verè sit irregularis, qui sinè debita 45
scientia fuit ordinatus, adeò ut absque Pontificia
dispensatione nequeat Ordinem susceptum exerce-
re, tametsi posteà scientiam requisitam suô studiô
& labore comparaverit? Ambigitur. Inter affirman-
tes & negantes DD. mediam incedunt viam Salman-
ticenses de *Sacram. Ord. tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 49. ac irre-
gularem censent, si penitus sit illiteratus, & prorsus
nihil de lingua latina sciat; secus, si aliquantulum sit
instructus in lingua latina. Cùm autem irregulari- 46
tas sit odiosa, nec sinè manifesta Juris determina-
tione statuenda per *cap. is qui* 18. *de Sent. excommu-
nicat. in* 6. hinc verius censeo, ordinatum, quantum-
cunque sit amusus & rudis literarum, non incurrere
propriè dictam irregularitatem: eò quòd textus &
determinatio Juris deficiat. Quapropter tantùm im- 47
propriè & temporaliter est irregularis, quatenus eo
usque, donec comparaverit scientiam sibi necessa-
riam, non potest in Ordine recepto ministrare. Id-
que cum Pace Jordan *Elucubrat. div. lib.* 3. *tit.* 6. *n.*
127. & P. Pirhing sentire videtur *cit.* Clarissimus P.
Schmalzgrueber.

§. IV.

De recta intentione Ordinandorum.

Quarta Ordinandorum qualitas est recta in- 48
tentio; quivis enim ex intentione speciale DEO
ser-

servitium, juxta præscriptum Ecclesiæ præstandi, ad Ordines accedere debet *arg. cap. commissa 35. de Elect. in* 6.
49 Qui Ordines suscipit ex alio fine, ac Primam Tonsuram v. g. & Ordines Minores assumit, ut tantummodò capax reddatur beneficii, ac, redditibus ex beneficio congregatis, redeat ad sæculum, & uxorem ducat, talis secundùm plurimos graviter peccat: quia detorquet Sacramentum ad alium finem, quàm fuerit institutum, DEOque & Ecclesiæ turpiter illudit. Salmanticens. sæpe *cit. cap.* 5. *num.* 55. Clericat. *cit. decis.* 40. *n.* 29.
50 Qui autem adultus est, & omninò nullam intentionem, nequidem habitualem habet, Ordines assumendi, non recipit Ordinem: nec enim in novo statu potest adultus homo collocari, quin aliquô modô consentiat per *cap. majores* 3. §. *item quæritur in fin. de Baptism.* P. Schmalzgrueber ad *tit. de Temporib. Ordinat. sub n.* 21.

51 Si per metum gravem & injustum quis ad Ordines suscipiendos cogatur, distinguendum est, an penitus & absolutè sit invitus, totaliter interiùs dissentiendô; vel conditionatè solùm reluctetur, quatenùs non consentiret, si metus abesset. In primo casu non valet Ordinatio; valet tamen in secundo per argumentum, ex baptismo petitum, de quo in *cit. cap. majores* 3. §. *item quæritur de Baptismo.* S. Pontifex Innocent. III. hunc in modum distinguit. P. Schmalzgrueber *cit. l. n.* 24. Clericatus *Erotem. Ecclesiast. cap.* 128. *n.* 22. Ratio prioris desumitur ex primùm dictis
52 in *n.* 50. Ratio posterioris est: quia coacta voluntas est voluntas *cap. meritò* 1. *XV. quæst.* 1. nec facit actus, ex coactione positos, irritos, uti dicetur in *lib.* 3. *tract. de Pact.*

53 Equidem in aliud placitum declinare videtur Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 77. ubi concludit & probat, susceptionem Sacrorum Ordinum, ex metu reverentiali, concurrentibus minis, irritam esse. Sed intelligi potest vel in primo casu; vel etiam in secundo quoad obligationem castitatis, de qua in *lib.* 4. Et ita resolvit Rota in *recent. p.* 6. *dec.* 40. *n.* 16. & coram Emerix *dec.* 180. *per tot.*

§. V.

De cæteris qualitatibus Ordinandorum.

54 Quinta Ordinandorum qualitas est baptismus, antecedenter ritè collatus: cùm enim baptismus sit janua & fundamentum omnium Sacramentorum *cap. per catechismum* 2. *de Cognat. Spirit. in* 6. non potest vel Ordo vel aliud Sacramentum, ante baptismi susceptionem, validè conferri, sed, quod factum est, reiterari debet *cap. si quis* 1. *cap. Apostolicam* 2. *de*
55 *Presbyt. non baptiz.* Sed utrùm, qui baptizatus est, attamen de fide Christiana dubitat, aut errorem apertum tuetur, ac in specie credit, non esse DEUM, validè ordinetur? In casu practico Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 231. *n.* 2. affirmativè respondit: quia in baptizato ad valorem Ordinis non fides integra, sed tantùm intentio ex *num.* 50. postulatur: quæ intentio consistere potest, tametsi quis atheus vel apostata fuerit.

56 Sexta qualitas est Confirmatio, quam Ordinandus ante Primam Tonsuram acceperit, opus est; non quidem ad validam, sed licitam Ordinationem per text.
57 in Trid. Conc. *Sess.* 23. *de ref. c.* 4. An verò sit peccatum, grave vel leve, sinè prævia Confirmatione ad Ordines ascendere? Lis est apud DD. Vid. Barbosa *de Off. & pot. Ep. alleg.* 2. *n.* 15. P. Wiestner ad *tit. de Temp. Ord. n.* 49.

58 Septima qualitas est cælibatus: nam Ordines sacri non possunt licitè conferri personæ conjugatæ *cap. ult. de Temp. Ord. in* 6. nisi consentiat uxor, & Religionem intret; aut, si de incontinentia non fuerit suspecta, votum emittat *d. cap. ult. cap. cùm sis* 4. *cap. conjugatus* 5. *cap. uxoratus* 8. *de Convers. conjugat.* aut saltem maritus habeat causam, perpetuum divortium petendi *arg. cap. de illa* 6. *de Divort.* Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 63. *n.* 13. *& seqq.*

Octava qualitas est integritas vitæ & existimatio- 59
nis: qui enim laborat infamiâ Juris aut facti; vel delictum enorme, quod depositionem meretur, admisit, nequit, salvâ conscientiâ, promoveri ad Ordines *cap. infames* 17. *VI. quæst.* 1. *cap. ex tenore* 4. *cap. ult. de*
Tempor. Ordinat. Cæterùm de infamia tradentur 60
plura infra *cap. ult.* De crimine verò docetur communiter, quòd, si occultum sit, non obstet Ordinum susceptioni per textus citatos & *cap. ult. de Furt.* Barbosa de *Off. & pot. Ep. alleg.* 43. *à n.* 13. Antonell. *cit. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 3. *& seqq.*

SECTIO II.

De Subjectione Ordinandorum, & Literis dimissoriis.

SUMMARIA.

61. *Ordinandus debet esse subditus Ordinanti.* 62. *Primus titulus subjectionis est domicilium originis.* 63. *& seq. Fortuita nativitas non tribuit originem.* 65. *& seq. Ubi nec origo paterna.* 67. *Assignatur domicilium illegitimorum.* 68. *Item paganorum & Judæorum baptizatorum.* 70. *Secundus titulus est domicilium habitationis.* 71. *& seq. Adducitur Bulla Innocentii XII.* 73. *Agitur de Regularibus.* 74. *Tertius titulus est beneficium.* 75. *Secundùm aliquos quodcunque.* 76. *Sed juxta cit. Constitut. Innocent. requiritur tale, quod sufficit ad congruam sustentationem.* 77. *Ordinandus ex titulo beneficii debet afferre literas testimoniales ab Episcopo originis & domicilii.* 78. *Nec sufficit, quòd possit habere beneficium; sed* 79. *Illud actualiter possidere debet.* 80. *& seqq. Dicitur, quid Juris de beneficiis manualibus.* 83. *Quartus titulus est familiaritas triennalis.* 84. *Si Episcopus familiari suo mox beneficium conferat;* 85. *Et testimonium habeat ab Episcopo originis & domicilii.* 86. *& seq. Explicatur, quinam veniant sub nomine familiarium.* 88. *Praxis Bullæ Innocentianæ.* 89. *& seqq. Proponuntur rationes sententiæ, quæ negat variationem in Ordinum receptione.* 92. *& seq. Probatur sententia adversa.* 94. *& seqq. Respondetur ad rationes negantes.* 98. *& seqq. Quando proprius Episcopus ob Ordinationem alieni subditi est notoriè suspensus, possunt illius subditi à vicinis Episcopis ordinari.* 101. *& seq. Sed juxta nonnullos id solùm procedit quoad Ordines Majores.* 103. *& seqq. Tractatur de Regularibus.* 106. *& seq. Ponitur & resolvitur casus de eo, qui nescit domicilium originis aut habitationis.* 108. *Non-subditus debet habere literas dimissorias.* 109. *Has concedit Episcopus proprius.* 110. *Aliquando ipsius Vicarius.* 111. *& seq. Aliquando Capitulum Sede vacante.* 113. *Prælati Regulares illas ad proprium Episcopum concedunt.* 114. *Latè disputatur de Prælatis exemptis.* 120. *& seqq. Exprimenda in dimissoriis.* 123. *& seqq. Duratio talium literarum explicatur.*

§. I.

Quibus ex titulis Ordinandus censeatur esse subditus Ordinanti?

61 PRæter qualitates, in priori *sect.* expositas, requiritur in Ordinando, ut uno ex titulis, mox adstruendis, sit Ordinanti subjectus *cap. nullus 1. IX. q. 2. cap. ult. de Temporib. Ordin.* in 6. Trident. *Sess. 14. de Ref. cap. 2. & Sess. 23. cap. 8.*

62 Primus autem titulus subjectionis est domicilium originis: ex qua enim diœcesi quis oriundus est, sive in qua pater alicujus tempore nativitatis domicilium habitationis constitutum habuit, ab illo Diœcesano potest ordinari juxta *cap. cùm nullus 3. in pr. d. t. in* 6. & novissimam Constitutionem Innocentii XII. de Anno 1694. quæ incipit *Speculatores domus*
63 *Israël &c. §. cæterùm.* Ex accidenti si quis nascatur in aliqua diœcesi, *occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusmodi alterius temporalis mora seu permanentia ejus patris in illo loco, non ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum & naturalis patris origo erit attendenda*, prout in formalibus statuitur in *d. constit. Innocentii XII. §. cæterùm &c.* nam, ut dicemus in *lib. seq. tr. 1.* fortuita nativitas ne
64 quidem forum in causis judicialibus tribuit. Interim, si quis tantò temporis spatiô in eo loco, ubi ex accidenti natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonicô aliquô impedimentô irretiri, *tunc etiam ab Ordinario ejus loci literas testimoniales obtinere, illásque Episcopo Ordinanti, per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas, præsentare tenetur*; sicuti in *cit.* Bulla in *verb. sequent.* est expressum.
65 At qui concedunt, filium etiam in loco originis paternæ, atque adeò in diœcesi, in qua natus est ipsius pater, ordinari posse: quia nimirum domicilium originis paternæ censetur etiam domicilium filii *l. assumptio 6. §. 1. ff. ad Municipal.* Barbosa *de Off. & pot. Episc. alleg. 4. n. 18.* Pro qua doctrina affertur Declaratio Cardinalium de Anno 1599. & 1628. ab Antonello de *Regim. Eccles. Episcop. lib. 2. cap. 1. § 1. n. 5.*
66 Sed manifestè contradicit *cit.* constitutio Innocentiana § *cæterùm* in verbis: *si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eô animô permanserit, ut inibi verè domicilium de Jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitimè, ut præfertur, contractum, pro Ordinatione ejusdem filii attendi debet.* P. Reiffenstuel ad *tit. de Temporib. Ordinat. n. 90.*
67 In liberis illegitimis, cùm patre legitimô careant, spectatur domicilium aut origo matris *l. municipem 1. § 2 l. ejus qui 9. ff. ad Municipal.* Barbosa *cit. l. n.*
68 15. In expositis consideratur locus nativitatis vel expositionis *arg. l. municipem 1. in pr. ff. d. t.* Anto-
69 nell. *cit. l. n.* 6. In paganis & Judæis, ad fidem conversis, locus baptismi, per quem spiritualiter regenerantur, attenditur. Magnif. D. P. König ad *tit. de Temporib. Ordinat. num. 61.* Clariss. P. Wiestner *ibid. num. 59.* Clariss. P. Schmalzgr. *ibid. sub num. 38.*
70 Secundus titulus subjectionis est *domicilium habitationis*: nam, ubi quis habitat, animô ibidem perpetuò manendi, nisi quid avocet, ab Episcopo illius loci potest Ordines suscipere, tametsi sit alibi natus
71 *d. cap. cùm nullus 3. de Temporib. Ordinat. in 6.* Ubi tamen singulariter expendi velim *citatæ* Constitutionis Innocent. §. *cæterùm* tenorem, qui sic sonat: *subditus autem ratione domicilii, ad effectum suscipiendi Ordines, is duntaxat censeatur, qui, licèt alibi natus fuerit, illud tamen adeò stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitandô, vel majorem rerum ac bonorum partem cum instructis adibus in locum hujusmodi transferendô, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorandô, satis superque suum perpetuò ibidem permanendi animum demonstraverit; & nihilo minùs ulteriùs in utroque casu se verè & realiter animum hujusmodi habere, jurejurandô affirmet.* Hæc ibi; circa quæ paulò aliter 72
discurri solet in materia fori judicialis, veluti patebit ex dicendis in *lib. 2. cit. tr. 1.* Quod ipsum permulti faciunt de loco Ordinationis, ut videre est apud Reverendiss. & Illustriss. DD. Joannem Sigismundum L. B. de Zeller, Episcopum Bellinensem, Præpositum, & Suffraganeum Frisingens. *Consil. 23. num. 10.* qui tamen in fine sapienter monet, ut *cit.* Bulla consulatur.

Quoad Regulares à Sacra Congregatione, post 73
Barbosam *cit. alleg. 4. n. 61.* decisum refert Antonell. *d. lib. 2. cap. 1. §. 1. num. 15.* illos ab Episcopo loci, in quo situm est Monasterium, ordinandos esse, tametsi non habeant animum, ibi perpetuò manendi.

Tertius titulus est *beneficium*, ratione cujus bene- 74
ficiatus ordinari potest ab Episcopo, cujus Jurisdictioni beneficium subest sæpe *cit. cap. cùm nullus 3.*
de Temporib. Ordinat. in 6. Et quidem, ut docet *cit.* 75
Antonellus *num. 19.* ac cum eo Pignatell. *to. 3. consult. 13. n. 3.* nihil interest, sitne beneficium pingue vel tenue: cùm etiam, si non ferat ampliores reditus, quàm duos aureos, sufficiat, dummodò patrimonium, ad victum sufficiens, adjungatur: nam, si beneficium, ajunt hi Authores, duorum aureorum est sufficiens, ut quis gaudeat privilegiô fori, ut resolvit Sacra Congregatio; quare non erit sufficiens, ut quis tanquam subditus ad Ordines promoveatur? Verùm 76
aliud rursus in eadem Bulla Innocentii §. *licèt verò &c.* ordinatum invenio, quòd scilicèt *nemo subjectionem, ad effectum suscipiendi Ordines, acquirere censeatur, nisi beneficium ejus sit reditûs, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive eâ deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab Ordinando pacificè possideatur, sublatâ quâcunque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem beneficii cum adjectione patrimonii, etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu alia quavis diœcesi, obtineret.* Additur quoque in verbis 77.
mox subsequentibus: neminem *posse ab alio Episcopo, ratione ac titulo cujuscunque beneficii, in illius diœcesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorundem susceptionem testimoniales literas proprii Episcopi, tam originis quàm domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit.*

Porrò nec illud satis est, quòd ordinandus statim, 78
ac Ordinis charactere fuerit insignitus, in beneficio possit institui, vel antecedenter ad id præsentatus aut nominatus sit; vel beneficium eâ lege fundatum, ut ordinatus immediatè, post Clericalem characterem susceptum, ad illud instituatur, prout in formalibus ferè in eadem Bulla ante *cit.* §. *licet vero &c.* statuitur. Debebit igitur ordinandus ab Episcopo 79
ex titulo beneficii id ante Ordinationem jam possedisse: cingendus enim non habetur pro cincto, vel subjiciendus pro subjecto, priusquàm unô ex recensitis titulis actualem subjectionem acceperit.

Interim non referre, quale sit beneficium, cum- 80
vel absque residentia. sentit cum communi *cit.* Pignatell. *num. 6.* nec referre, sitne manuale vel titulare, post Garciam *de Benefic. p. 4. cap. 4. n. 3.* asserit Clariss. P. Schmalzgrueber ad *tit. de Temporib. Ordinat. n. 41.* At Reverendiss. & Illustriss. DD. Baro de 81
Zeller *cit. Consil. 23. num. 8.* sola beneficia manualia, quæ habent Religiosi, pro fundanda Ordinariorum subjectione, censet idonea; quódve iidem Religiosi, si

si mittantur ad alia Monasteria alterius diœcesis non-exempta, ab Ordinariis saltum Monasteriorum ordinari valeant, habetur in *cap. cùm nullus* 3. §. *Religiosi verò de Tempor. Ordinat. in* 6. Imò & Religiosos in Monasteriis exemptis sic ordinari posse, tradit, atque à se ita visum & practicatum esse, testatur *cit.*
82 Illustriss. scriptor *d. n.* 8. *in fin.* De Capellis Laicalibus, etiam in perpetuum concessis, dubitari posset, an sufficiant ad stabiliendam Jurisdictionem Episcopi ordinantis? Sed, quia non sunt beneficia Ecclesiastica, ut notat Lotter de *re Benefic. lib.* 1. *n.* 59. negativam pro certa tenent Passerinus ad *cit. cap. n.* 66. & Monacell. in *appendice ad formul. leg. part. pag. m.* 464. *n.* 6.

83 Quartus titulus est *familiaritas*: siquidem Episcopus familiarem suum, cæteroquin non subditum, quem per integrum & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuit, ac suis sumptibus
84 aluit, ordinare potest, si duo concurrant. Primum est, ut Episcopus eidem beneficium, quod ad vitam sustentandam sufficiat, quacunque fraude cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius men-
85 sis à die factæ Ordinationis, re ipsà conferat. Alterum, ut familiaris literas testimoniales super natalibus, ætate, moribus, vita, ab Episcopo originis & domicilii exhibeat. Ita Trid. *Sess.* 23. *de Ref. cap.* 9. & Bulla Innocentiana §. *ad hæc nullus &c.* Conferat. Pax Jordan *Div. elucubr. lib.* 3. *tit.* 6. *à num.* 157. Clericat. *Erotemat. Ecclesiast. cap.* 128. *num.* 84.

86 Nomine familiarium autem non solùm intelliguntur, qui immediatè serviunt Episcopo, sed etiam, qui famulantur familiaribus & ministris Episcopi, simulque in ædibus Episcopalibus commorantur, & aluntur, ut tradunt Clericat. *d. l. n.* 85. & Antonell. de *Reg. Eccles. Episcop. lib.* 2. *cap.* 1.
87 *num.* 25. Excluduntur econtrà familiares Episcoporum Titularium, quorum Ecclesiæ in partibus infidelium existunt: his enim in Trident. Concil. *Sess.* 14. *de Ref. cap.* 2. apertè prohibetur, ne ordinent subditum alterius, etiam sub prætextu familiaritatis aut continuæ commensalitatis, absque consensu Prælati proprii, P. Reiffenstuel ad *tit. de Temporib. Ordinat. n.* 103.

88 Si curiosiùs indages: cur Bullam Innocentii XII. tam crebrò allegaverim? In promptu responsio est: quia, ut certissimè compertum habeo, in hac Archi-Diœcesi Salisburgensi recepta, atque ad Suffraganeos Celsissimi DD. Archi-Episcopi est transmissa, teste P. Krimer ad *tit. de Temporib. Ordinat. n.* 2124.

§. II.

An liceat variare, ac diversos Ordines à diversis Episcopis, quibus aliquis est subjectus, recipere?

89 Canonistas id communiter negare, perhibet Clericat. *Erotem. Eccles. d. cap.* 178. *n.* 79. Refert nonnullos, & sequitur Antonell. *d. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 2. & 3. Ratio desumi potest I. ex *cap. cùm in distribuendis* 13. *de Temporib. Ordinat.* ubi, qui semel a S. Pontifice fuit ordinatus, sinè Pontificia licentia non potest
90 ab alio Episcopo ordinari. II. ex *l. apud Aufidium* 20. *ff. de Opt. vel elect. leg.* ubi innuitur, electione vel optione unius rei ex pluribus semel factâ, jus omne
91 consumi. III. ex paritate Jurisdictionis, quæ, si pluribus competat, & ab uno semel præoccupata fuerit, respectu cæterorum exspirat per *cap. proposuisti* 19. *de Foro compet.*

92 His tamen non attentis, variationem quàm optimè permittunt Reverendiss. & Illustriss. DD. Baro de Zeller *consil.* 6. *n.* 84. Zypens *Consult. Canon. lib.* 1. *tit. de æt. & qual. & Ord. consult.* 3. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 38. *n.* 7. Clericat. *d. n.* 79. Wiestner ad *tit. de Tempor. Ordinat. n.* 69. Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid. n.* 29. Sic enim à Sacra Congregatione de die 20. Maii 1594. & de die 27. Februarii 1666. ut narrat *cit.* Pignatell. definitum est. Ratio petitur ex *cap.* 93
cùm nullus 3. *d. t. in* 6. ubi, cùm ordinando detur arbitrium & facultas, Ordines à quolibet Episcopo, cui unô ex adductis titulis est subjectus, recipiendi: consectaneum est, hanc facultatem non tolli, quando Ordines, sive Majores, sive Minores, ab uno Episcopo sunt recepti.

Nec obsunt opposita. Ad I. Resp. in honorem 94
& reverentiam Summi Pontificis decretum esse, ut, qui semel ab ipso fuit ordinatus, ab alio, citra specialem illius licentiam non ordinetur: quemadmodùm in venerationem Episcopi in *cap. ult. de Consecrat. Dist.* 2. constitutum legitur, ut nullus eâ die celebret in Altari, in quo celebravit Episcopus.

Ad II. Resp. electione factâ jus omne consumi, non 95
absolutè, sed tantùm respectu illius rei, quæ jam fuit electa; salvô manente eligendi jure quoad cæteras res, necdum exhibitas & electas *l. scyphi electione* 4.
ff. de Opt. vel elect. leg. Cùm itaque unus Ordo sit di- 96
stinctus & diversus ab altero, is, qui elegit unum, non prohibetur alterum eligere: quippe cùm electio tantùm sit perempta quoad Ordinem electum, non autem quoad eligendum.

Ad III. Resp. sicut ei, qui plures habet Judices, 97
manet integrum, electô in una causa Judice in alia causa Judicem alium adire: ita ordinando, qui pluribus Episcopis est subjectus, manet liberum, aditô quoad unum Ordinem Episcopô, postmodùm quoad alios Ordines alium accedere.

§. III.

Utrùm aliquando liceat, alienum subditum ordinare?

A Regula, quæ prohibet, ne quis alienum sub- 98
ditum ordinet, exceptus est I. casus, quô Episcopus proprius ob Ordinationem alieni subditi censuram suspensionis incurrit: hæc enim suspensio, si manifesta sit, facit, ut subditi, sinè ulteriori licentia, Ordines *ab aliis vicinis Episcopis* recipere possint secundùm *cap. eos qui* 2. *de Temporib. Ordinat. in* 6. ubi Passerin.
n. 30. & *seqq.* An autem hæc suspensio sit manifesta 99
per evidentiam facti, vel notorietatem Juris? Non interest: quamquàm sit admodùm difficile, ut manifesta fiat per evidentiam facti, dum suspensio illa incurritur propter Ordinationem alieni subditi, non habentis licentiam ab Ordinario proprio; quæ carentia licentiæ, veluti mera negatio, tam facilè non potest innotescere, ut rectè notavit Passerinus *cit. cap. eos qui n.* 29.

Dixi: *ab aliis vicinis Episcopis.* Quô nomine 100
comprehenditur quidem Archi-Episcopus, quando vicinus est; excluditur autem omnis alius, qui à diœcesi Episcopi suspensi remotiùs distat, & hoc ideò: quia per Episcopos vicinos faciliùs & meliùs qualitates & mores Ordinandorum cognosci valent. Passerin. *d. l. n.* 30.

Hanc ipsam tamen exceptionem Clariss. P. 101
Schmalzgrueber ad *tit. de Temporib. Ordinat. n.* 42. limitat ad Ordines, Majores & Minores, Primamque Tonsuram removet: eò quòd *cit. cap. eos qui* loquatur de *Clericis*, ad *Ordines* promovendis; adeòque supponat, ordinandum jam esse Clericum, & Primâ
Tonsurâ initiatum. Cujus ulterior ratio est: quia 102
non apparet tanta necessitas in Laicis, nunquàm ordinatis, quanta in Clericis, ad Ordines Superiores aspirantibus.

103 II. exceptus est casus, quô privilegiô quis gaudet, à quolibet Episcopo Ordines recipiendi: quale privilegium Societati JEsu à Gregorio XIII. concessum esse, cum Antonello de *Regim. Eccles. Episcopal. lib. 2. cap. 1. n. 16.* memorat *citat.* P. Schmalz-
104 gruber. Cæteri Regulares Ordinum exemptorum, ab Episcopo diœcesis, in qua illud Monasterium est situm; vel a vicinori, si locus sit nullius diœcesis,
105 ordinari debent; nisi Episcopus diœcesanus non habeat Ordinationem: in qua circumstantia licet Abbati vel Superiori Regulari concedere dimissorias ad quemcunque alium Episcopum; itáque in hac diœcesi servari, docet P. Engel ad *tit. de Temporib. Ordinat. n. 33.* conformiter mandato Clementis VIII. relato à Tamburino de *Jure Abbat. to. 2. disp. 2. q. 25. n. 3.* Card. de Luca *in annot.* ad Concil. Trident. *disc.* 14. *n. 17. & seq.*

106 Casus autem dubius videtur, quem P. Gobat *Theol. experiment. tr. 8. n. 286.* refert de aliquo, qui natus est in Gallia, patre nutite, nec, cùm parentes jam mortui fuerint, nullibique certum domicilium fixerint, scit, in qua civitate vel Episcopatu sit na-
107 tus. Verùm *cit.* Gobat *d. l. n. 288.* judicat, talem à nullo Ordinario licitè ordinari posse, sed à Sede Apostolica impetrare debere facultatem, aliquem Ordinatorem eligendi: quandoquidem ex mente S. Congregationis illi, qui nati sunt in loco nullius diœcesis, possunt à nullo Ordinario promoveri. Similem casum ponit Card. de Luca in *Annotat.* ad Concil. Trident. *cit. disc.* 14. *num.* 14. de eo, qui natus est in diœcesi, ab infidelibus occupatâ, vel ab hæreticis possessâ.

§. IV.

An & quando possit alienus subditus cum literis dimissoriis ordinari?

108 Qui subditus non est, extra casus exceptos, debet habere literas dimissorias (quas aliqui *reverendas* vocant) ab Ordinario proprio, ut ab alio licitè ordinetur; quæ quidem literæ, extra casum in *cap. sæpe contingit* 1. *de Temporib. Ordinat. in* 6. quô Episcopi Italiæ aliquem ultramontanum ordinare volunt, non sunt necessariæ, quando de Episcopi proprii licentia aliunde constat, ut innuitur in Tridentin. *Sess.* 14. *de Reformat. cap.* 2. & docet Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 66. *n.* 21. Ordinariè tamen concedi solent. Sed hic

109 Quæritur I. quis possit literas dimissorias concedere?

In hac quæstione certum est I. præter S. Pontificem literas dimissorias concedi ab Ordinario proprio, qui talis est ex titulo originis, domicilii, vel beneficii, vel etiam familiaritatis per *cap. cùm nullus* 3. *de Temporib. Ordinat. in* 6. P. Reiffenstuel ad *eund. tit. n.* 119. licèt quoad familiaritatem aliqui dissentiant apud Reverendiss. & Illustriss. DD. Baronem de
110 Zeller *Concil.* 6. *n.* 11. Certum est II. Vicario Generali potestatem concedendi literas dimissorias non competere *d. cap. cùm nullus* 3. §. *inferiores de Temporib. Ordinat. in* 6. Nisi speciale mandatum habeat ab Episcopo; vel iste degat in remotis *d.* §. *inferiores*, id est, extra diœcesim commoretur *arg. cap. coram dilecto* 35. *de Electionib.* Vid. Pax Jordan *Elucubrat. diverf. lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 130. Pignatell. *tom.* 10.
111 *consult.* 158. *n.* 13. *& seq.* Certum est III. Capitulo, Sede vacante, olim licuisse literas dimissorias concedere *d. cap. cùm nullus* §. *inferiores*: hanc verò licentiam fuisse à Tridentin. *Sess.* 7. *de Reformat. cap.* 10. restrictam ad solum casum, quô ordinandus est arctatus vel ratione beneficii recepti, quia scilicet exigit certum Ordinem v. g. Sacerdotium, intra spatium annale recipiendum; vel ratione beneficii, primum recipiendi, quod in actuali collatione certum Ordinem ex parte subjecti requirit. Idem est, si quis 112 speret beneficium, ac nullos adhuc Ordines, quin nec Primam Tonsuram, habeat: talis etenim arctatus est ratione beneficii recipiendi, utpote cùm illius sit incapax, nisi vel Ordinibus, vel saltem Tonsura fuerit insignitus. Pignatell. *d. l. n.* 4. Reiffenstuel *cit. l. n.*
113. Certum est IV. Prælatos Regulares suis subditis Regularibus literas dimissorias ad Diœcesanum proprium dare posse & debere *ex cit. cap. cùm nullus* 3. *de Temporib. Ord. in* 6. Tridentin. *Sess.* 23. *de Ref. cap.* 3. Nec dubium est, quin possint easdem dimissorias ad alium Episcopum concedere, si, ut dictum in *n.* 103. ab Episcopo quocunque ex privilegio valeant ordinari; Pax Jordan *d. l. n.* 145. & n. 150. aut Episcopus proprius Ordinationem non habeat ex Decreto S. Congregat. Concilii die 15. Martii 1596. quod refert Matthæucci in *Officiali Cur. regul. cap.* 20. *n.* 6. 113

Incertum autem & ambiguum est: utrùm aliqui 114 Prælati, seu Regulares, seu Sæculares, Episcopô inferiores, suis subditis Sæcularibus, in quos Jurisdictionem quasi-Episcopalem exercent, dimissorias concedere valeant ad quemvis Episcopum? Ratio dubitandi præcipua movetur ex Concilio Tridentin. *Sess.* 23. *de Ref. cap.* 10. ubi sic cavetur: *nec ipsi Abbates, & alii exempti, aut Collegia vel Capitula quæcunque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, literas dimissorias aliquibus Clericis Sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant.* Accedunt variæ Declarationes 115 Cardinalium, quas affert Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 59. *à n.* 27. quarum tenore persuasus, cum Fagnano ad *cap. significasti de Offic. Archi Diac. à n.* 12. censet, non licere qualicunque Prælato, qualemcunque Jurisdictionem exercenti, post Trident. Concil. dimissorias concedere. Invenio tamen Doctores alios, magni 116 nominis & authoritatis, Borbosam *J. E. U. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 61. Clericatum de *Sacram. Ord. decis.* 15. *à n.* 41. Illustriss. & Reverendiss. DD. Baronem de Zeller *Consil.* 6. *num.* 7. aliósque, ab his citatos, qui equidem non diffitentur, vi solius Jurisdictionis quasi-Episcopalis non competere Prælatis, Episcopo inferioribus, esto nullius diœcesis esse dicantur, facultatem, dimissorias largiendi; affirmant autem & 117 propugnant hanc facultatem in Prælatis, qui habent proprium & separatum territorium, cum omnimoda Jurisdictione, & exclusione Episcopi, etiam quoad actus, ad Potestatem Ordinis spectantes. Siquidem Concilium Tridentinum de talibus Prælatis 118 nihil disposuisse videtur, dum in *cit. cap.* in verbis mox sequentibus ait: *sed horum omnium Ordinatio ad Episcopos, intra quorum diœcesis fines existunt, pertineat*: adeóque supponit, Prælatum ejusmodi non habere territorium penitus separatum, sed intra fines alterius Episcopatus existere. Adducuntur etiam pro 119 hac opinione tam Cardinalium Declarationes, quàm S. Rotæ Decisiones, præsertim in una Avellina Jurisdictionis 4. Julii 1646. coram Eminentiss. Card. Ottobono, qui posteà fuit creatus Pontifex Alexander VIII.

Incertum quoque & ambiguum est: utrùm Archi-Episcopus subditis Suffraganeorum suorum non 120 possit literas dimissorias impertiri, casu quô à propriis Episcopis ab Ordinibus repulsi ad Archi-Episcopum appellarunt?

Pignatell. *to.* 1. *consult.* 336. *num.* 1. negativam intrepidè complectitur. Argumentum petit ex Concil. Tridentin. *Sess.* 14. *de Ref. cap.* 1. ibi: *nullâ contra ipsius* (Episcopi) *voluntatem concessa licentia de se promovenda &c. suffragetur.* Confirmationem facit ex declaratione S. Congregationis, *eôd. num. citatâ.*

Quæ-

121 Quæritur II. quid exprimendum sit in literis dimissoriis?

Resp. exprimendum esse nomen concedentis; nomen ordinandi; numerum & qualitatem Ordinum, non subdito conferendorum; item nomen Episcopi ordinantis, nisi generaliter detur licentia Ordines suscipiendi à quocunque Antistite, ritè & canonicè promoto, ac gratiam & communionem S. Sedis Apostolicæ obtinente. P. Reiffenstuel ad *tit. de Temp.*
122 *Ordinat. n.* 114. Præterea de Jure Concil. Trid. *seß.* 23 *de Ref. cap.* 3. deberet examen præmitti; si tamen ordinandus sit absens, nec possit Episcopum propriũ absque notabili incommodo accedere, potest examen Episcopo ordinaturo delegari, sicut pluries practicari consuevit, & decisum esse, refert Barb. de
123 *Off. & pot. Episcop. alleg.* 7. *n.* 29. Similiter ex eodem Concil. *seß.* 7. *de Ref. c.* 11. deberet in literis exprimi causa rationabilis, Pignatell. *d. tom.* 10. *consult.* 158. *n.* 3. *& seq.* licèt hoc de consuetudine non observetur. Gobat *tr.* 8. *n.* 575.
124 Quæritur III. quàmdiu literæ dimissoriæ vigorem suum retineant?

Resp. eas tamdiu durare, donec à concedente vel ejus successore revocentur. Barbosa *cit. l. n.* 23. Pignatell. *d. l. num.* 49. Pirhing ad *tit. de Tempor. Ord. num.* 67. Reiffenstuel *ibid. num.* 139. quia concessio dimissorialium habet qualitatem & naturam gratiæ, quæ, nisi revocata fuerit à concedente vel ejus successore, vigorem semper retinet per *cap. si super 9. de Offic. deleg. in 6. cap. decet 16. de R. J. eôd. in 6.*

SECTIO III.

De Titulo, ad Ordines requisitô.

SUMMARIA.

125. *& seqq. Ad Ordinationem requiritur titulus.* 128. *Intelligendô Majores, non autem Minores.* 129. *Primus titulus sumitur ex beneficio.* 130. *& seq. Quod debet esse perpetuum.* 132. *& seqq. Sufficere ad honestam sustentationem.* 136. *& seq. Et actu possideri.* 138. *Alter titulus est patrimonium.* 139. *Hujus summaria requisita.* 140. *Non sufficit nuda promissio de alterius sustentatione.* 141. *& seqq. Nec sufficit spes hæreditatis paternæ.* 145. *Nec industria personæ.* 146. *& seq. Nec bona mobilia.* 148. *Nec immobilia, non tamen stabilia.* 149. *Tertius titulus est titulus mensæ.* 150. *& seq. Qui diversimodè concipitur.* 152. *A privatis non potest concedi sinè hypotheca.* 153. *Bene tamen à communitatibus.* 154. *& seq. Si consentiant, qui aliàs communitatem obligare valent.* 156. *Cautela.* 157. *Quartus titulus est paupertas seu professio Religiosa.* 158. *& seqq. Si validè fuerit emissa.* 162. *& seq. Speciale Jus Religiosorum ex Societate JESU quoad titulum Ordinationis.*

§. I.

De Titulo Beneficii.

125 EX parte promovendorum ad SS. Ordines ultra subjectionem aut literas dimissorias necessarius est *titulus* sustentationis, seu causa vel medium, ad Clericum ordinatum honestè sustentandum, conducens *cap. neminem 1. cap. Sanctorum 2. Dist. 70. cap. non liceat 2. de Præbend.* Trid. *seß.* 21. *de Ref. cap.* 2. Fusè & egregiè Clericatus de *Sacram. Ord. decis.* 28.
126 à n. 1. Cùm enim non deceat, ut Clerici post promotionem ad SS. Ordines aut cum dedecore status Clericalis stipem colligant, aut sordidum aliquod officium vel quæstum exerceant *cap. Diaconi sunt* 23. §. *mendicat. Distinct.* 93. omninò convenit, ut sinè titulo sustentationis non promoveantur. Et ideò, si 127
Episcopus de facto Clericum in Majoribus sinè titulo ordinare præsumat, tamdiu eidem necessaria subministrare tenetur, usque dum beneficium, unde perpetuam alimoniam haurire queat, acquirat *cap. Episcopus 4. de Præb.*

Dixi: *ad SS. Ordines.* Ad minores enim titulus 128
prævie non requiritur: cùm Clericus in Minoribus neque ad sæculum redire, neque munus aliud, Clericis Majoribus cæteroquin indecens, exercere prohibeatur. P. Engel ad *tit. de Ætate & qualit. præficiend.* n. 11. P. Reiffenstuel ad *tit. de Temporib. Ordinat.* n. 70.

Primus autem titulus est *beneficium*, de quo Trid. 129
synodus *cit. loc.* ita disponit: *ne quis deinceps Clericus Secularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientiâ, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi priùs legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestum sufficiat, pacificè possidere.* Ex 130
qua dispositione ad titulum beneficii requiritur I. ut sit perpetuum: nisi enim Clericus perpetuum jus ad alimenta consequatur, dici non potest, quòd beneficium ad victum honestum sufficiat. Pax Jordan *Elucubrat. divers. lib.* 3. *tit.* 6. n. 308. Clericat. *cit. l. n.* 14. Quâ ratione nec beneficium manuale, nec coadjutoria, commenda, vicaria, vel pensio temporalis sufficit. P. König ad *tit. de Temporib. Ord. n.* 29. P. Wiestner *n.* 77. Antonell. de *Regim. Eccles. Episcopal. lib.* 2. *cap.* 2. n. 1.

II. requiritur, ut sit Ecclesiasticum: nam Capel- 131
lania laicalis, quia beneficii Ecclesiastici naturam & proprietatem, ob defectum institutionis vel approbationis Episcopalis non habet, uti notatum erat in n. 82. titulum beneficii conferre nequit. Monacelli in *append. ad formul. legale pract. pag. m.* 463. *n.* 1. *& seqq.*

III. requiritur, ut honestæ & decenti sustenta- 132
tioni pro Clerico sit accommodatum. Qua in re, ex judicio Jordani *cit. l.* n. 296. *& seqq.* nihil interest, an Clericus sit communis & inferioris sortis ac conditionis, an verò sit Nobilis aut Graduatus. At, quia 133
honesta sustentatio non consistit in indivisibili, sed major quantitas pro famulatu, hospitalitate, vestitu & similibus est necessaria respectu Clerici Nobilis aut Graduati, quàm respectu alterius ex tribu communi; hinc ad qualitatem Clerici quoad sustentationis quantitatem reflectendum esse, existimant Salmanticens. de *Sacram. Ord. tr.* 8. *cap.* 6. n. 67. Pignatell. *to.* 9. *Consult.* 168. n. 33. Clericat. *cit. decis.* 28. n. 15.
Coadjutoria quoque, tametsi perpetua sit, non cen- 134
setur esse beneficium sufficiens, nisi Coadjutori jus actuale tribuat ad alimenta. Antonell. *cit. l. num.* 16.
Wiestner *d. n.* 77. Quòd si fructus beneficii, junctô 135
patrimoniô, ad congruam sustentationem conducant, titulum pronuntiat appositum Clarist. P. Schmalzgrueber ad *tit. de Tempor. Ordinat. n.* 53. sicque à Sacra Congreg. declaratum ait Clericat. *d. l. num.* 18.

IV. requiritur, ut beneficium sit actu & pacificè 136
possessum. Unde excluditur tam beneficium litigiosum (præterquàm si lis concerneret solummodò prædium aliquod particulare beneficii, alioquin pacificè jam possessi. Pax Jordan *d. tit.* 6. *n.* 305.) quàm beneficium, ad quod aliquis, necdum secutâ institutione vel confirmatione, nominatus, præsentatus, aut electus est. Barbosa de *Off. & pot. Episc. alleg.* 19.
n. 28. Interim nil obstat, quò minùs Clericus or- 137
dinari possit Subdiaconus vel Diaconus, etiamsi fructus beneficii post Sacerdotium primùm acquirat.

Antonell. *cit.cap.2.n.10.* Gobat *cit.loc. n.633.* Barb. *allegat.19. n.29.*

§. II.

De Titulo Patrimonii.

138 Secundus titulus sustentationis est *Patrimonium*, de quo Trid. Concil. *cit.sess. 21. de Ref.c.2.* ita disserit: *Patrimonium vel pensionem obtinentes ordinari posthàc non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum: eò quoque priùs perspectô, patrimonium illud vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint, atque illa deinceps sinè licentia Episcopi alienari, aut extingui vel remitti nullatenùs possint &c.*

139 Patrimonium itaque ipsius ordinandi vicem tituli subit, quando sequentia concurrunt, quòd nempe sufficiat honestæ sustentationi (qualis est, ea usu apud eos recepto, capitale 1000. imperialium, ut testatur P. Engel ad *tit. de Ætat.qual.& Ord. num.* 22.) quòd verè obtineatur seu possideatur ab ordinando; quódve nequeat alienari vel abdicari. Unde

140 Deducitur I. obligationem, quâ Patronus vel amicus spondet, se ordinando quoad victum & vestitum omnia subministraturum, non haberi pro titulo patrimonii: nec enim patrimonium habere vel possidere censetur, qui vivit ex gratia & liberalitate alterius. Pax Jordan *cit. Elucubrat. divers. lib.3. tit.6.n.* 336. Gobat *Theol. experiment. tr.* 8.n.514. Monacelli in *append. ad formulare legale pract. pag.m.* 464. *n.* 8. *& seqq.*

141 Deducitur II. filium ad titulum hæreditatis paternæ ordinari non posse. Quamquàm enim filius habeat jus suitatis, ratione cujus jam censetur hæres bonorum paternorum in vita, & post mortem non tam in alienum quàm suum patrimonium succedere dicatur §. *sui autem 2. Institut. de Hæred.*
142 *qualit. & differ.* Quia tamen hæc solùm procedunt fictione juris; resque non parum incerta & lubrica est, spem unicam fundare in bonis, quæ pendent ea libera patris dispositione, ac persæpe dilapidantur, aut alienantur: hinc ad mentem Concilii Trid. quod requirit veram patrimonii possessionem, titulus hæreditatis paternæ, necdum delatæ, ad Ordinationem non conducit. P. Engel ad *cit. tit. de Ætat. & qual. præficiend. num.* 23. Schmalzgrueber
143 ad *tit. de Temp. Ordinat. sub num.* 56. Nihilo minùs prior ex his Authoribus in *num.* 24. cum Barbosa de *Off. & pot. Ep. alleg.* 19. *num.* 63. existimat, quòd, sicut pater tenetur filio vel filiæ, profanas nuptias celebraturis, donationem propter nuptias aut dotem constituere *l. ult. Cod. de Dot. promiss.* sic teneatur filio vel filiæ, spirituales nuptias per Sacram professionem aut Ordinationem inituris,
144 similem largitatem exhibere. Posterior autem cum P. Pirhing ad *cit. tit.n.* 74. asseverat, quòd ex consuetudine quarundam provinciarum promissio sustentationis, quam pater nobilis aut unus ex Magnatibus authenticè facit, pro titulo patrimonii agnoscatur.

145 Deducitur III. neminem ordinari posse, tametsi speret, se ea propria industria, labore, vel officio, musica, Cathedra (nisi Professores, etiam impotentes ad functiones Scholasticas, suum stipendium accipiant) honestè victurum: cùm senium, infirmitas, & alia multa possint accidere, quæ fructus industriæ, laboris, vel officii &c. impediant. Itaque declaravit Congregatio Concilii, quam attingit Gobat *cit. tract.* 8. *n.*626.

146 Deducitur IV. bona mobilia, hôc ipsô, quòd moveri & amoveri possint, pro congruo patrimonio non reputari, sed immobilia, ac stabilia, nec non frugifera, vel saltem immobilibus æquipollentia, v. g. census annuos, desiderari, sicuti respondit S. Congregatio apud Antonellum de *Reg. Eccles.*
Episcop. lib. 2. cap. 2. num. 20. Si autem census an- 147
nuus esset redimibilis, tunc cavere debet Episcopus, ut in casu redemptionis sors capitalis quantociùs in alium locum collocetur, per ea, quæ tradit *cit.* Antonell. *n.* 21.

Deducitur V. bona etiam immobilia, non tamen 148
stabilia, sed à possessore auferibilia, puta, quòd hypothecâ vel fideicommissô (cujus dies ante possessoris mortem cedet & veniet) onerata sint, propter periculum defecturæ quondam alimoniæ, non fundare titulum requisiti patrimonii. P. Wiestner ad *tit. de Tempor. Ordinat. num.* 80. P. Schmalzgrueber *ibid. sub n.* 55.

§. III.

De Titulo Mensæ.

Tertius titulus sustentationis simpliciter vocatur 149
titulus mensæ, qui suam originem non habet ex Jure scripto, sed ex Jure consuetudinario Germaniæ: solent enim non solùm Principes, Comites, & alii Domini Territoriales, sed etiam Communitates, tam sacræ quàm profanæ, ordinandis, si beneficiô careant & patrimoniô, per literas se obligare, quòd ipsis honesta alimenta præstare velint, vel in casum, quô propter senium aut ægritudinem non ampliùs se ipsos alere possunt; vel etiam in casum, quô neque beneficium, neque patrimonium alimen-
ta sufficientia præstabit. Unde literarum tenor gra- 150
viter inspiciendus erit; nec poterit Patronus tituli obligari ad Clericum adhuc sanum & vegetum, in defectum tituli vel beneficii, alendum, si titulus ad solum casum senii vel ægritudinis fuerit restrictus: quippe cùm obligatio nequeat extendi ultra limites intentionis. P. Engel ad *tit. de Ætat. qual. &*
*Ord. præficiend. n.*15. Sin autem titulus in generali- 151
bus terminis sit indultus, Patronum ad alendum Clericum obligari, tradit idem P. Engel; nisi ex Missarum stipendiis, aut alio honesto labore vel officio, Clericum non dedecente, alimenta sibi comparare valeat: tunc enim non magis Patronus suum alumnum, quàm pater filium, qui se ipsum alere potest, sustentare tenetur per *l. si quis 5. §. 7. ff. de Agnoscend. & alend. liber.*

Dixi: titulum mensæ à Dominis Territorialibus 152
& communitatibus concedi solere: à privatis non aliter concedi potest, quàm sub obligatione reali & hypotheca bonorum immobilium: cùm obligatio personalis cum persona exspiret, nec hæredem afficiat, nisi cum respectu ad bona hæreditaria, quæ
quandoque nulla vel tenuia sunt. Econtrà in Com- 153
munitatibus & Dominis Territorialibus satis prospectum creditur per cautionem personalem: utpote cùm media ipsis nunquam deficiant, Clericum titularem alimentandi. P. Engel *cit. l. n.*17. P. Pirhing ad *tit. de Temporib. Ordinat. n.* 73. P. Wiestner *ibid.*
num. 88. P. Schmalzgrueber *num.* 57. Quoad Com- 154
munitates tamen attendendum erit, ut, si Ecclesiastica sit, adhibeatur consensus Capituli; &, si laicalis sit, ipsa Communitas, major pars, aut illi, qui repræsentant Communitatem, consentiant, uti cum P. Engel *cit. l. n.* 28. *& seq.* tradunt Authores, mox com-
mendati. Cujus ratio est: quia nec Prælatus potest 155
obligare successorem suum in Prælatura sinè consensu Capituli *cap. quod quibusdam 4. de Fidejussor. cap. ad hoc 1. cap. si quorundam 2. de Solutionib.* nec Communitas alis potest obligari, nisi Communitas

ipsa,

ipsa, major pars, vel, qui Communitatem repræsentant, in unum conveniant *arg. l. civitas 27. ff. de R. C.* prout alibi, nempe in *lib. 3. tract. de Pact.* traditur.

156 Porrò cùm usus tituli mensæ, laudabiliter olim propter multitudinem populi & paucitatem beneficiorum introductus, degeneraverit in abusum, dum non tantùm Clerici, penes quos spes bona promotionis est, sed sine delectu quicunque absque beneficio & spe beneficii ordinati sunt, qui miseram plerumque vitam & scandalosam agunt (verba sunt P. Engel *d. l. num. 14.*) hinc evenisse credo, ut in multis diœcesibus non tam facilè ad Ordines Majores admittantur, qui solum titulum mensæ possunt exhibere.

§. IV.

De Titulo Paupertatis.

157 Quartus titulus, sed solis Regularibus Clericis accommodatus, est titulus *paupertatis*: qui enim Regularem vitam, emissô cum aliis Votô paupertatis, validè profitentur, non indigent aliô titulô ad Ordinationem, quàm titulô paupertatis, seu professionis Religiosæ, vi cujus, etsi dominium rerum temporalium in particulari à se abdicaverint, titulum mensæ & jus ad honestam sustentationem in Monasterio consequuntur. Ita jam olim statutum erat in *cap. neminem 1. Dist. 70.*

158 Dixi tamen: *validè profitentur.* Ut indicarem I. Novitios, qui professionem non emiserunt, ordinari non posse, nisi unum ex 3. primis titulis monstrare queant: nec enim titulô mensæ potiuntur ante professionem. P. Reiffenstuel ad *tit. de Temp. Ord. num 74.* Ut indicarem II. professos quoque, sed

159 invalidè, non gaudere titulô paupertatis: quia, quod nullum est, nullum parit effectum, nullúmve jus tribuit. Reiffenstuel *cit. l.* Unde, si Regu-

160 laris sciat, professionem esse nullam, & nihilo minùs ad Sacros Ordines sub ficto paupertatis titulo se conferat, incurrit pœnam ordinariam, quæ in Clericos, sine titulo promotos, est lata. Cle-

161 ricat. de *Sacram. Ord. decis.* 28. *num.* 23. Sin autem per errorem existimet, professionem valere; vel, si sciat, eam non valere, non ausit tamen contradicere propter scandalum aut metum gravem, à pœna simul & culpa excusatur. Clericat. *d. l. n. 34.*

162 Planè Religiosi Societatis JESU, quantumvis post biennalem Novitiatum emittant Vota simplicia ac solubilia, tamen ex privilegiis Apostolicis, Gregorii XIII. Gregorii XIV. & Pauli V. ad titulum paupertatis rectè ordinantur. Pignatell. *tom.* 10. *consult.* 92. à n. 9. Gobat *Theol. experim. d. tract.* 8. *num.* 644. addens in *num.* 645. illud singulare, quòd decem primi PP. Societatis in variis locis ad titulum paupertatis ordinati fuerint, priusquàm se fe stitissent Summo Pontifici pro obtinenda approbatione suæ novæ Religionis, quam nec dum propriè inchoaverant.

SECTIO IV.

De Personis & Rebus Confirmandis, aut Consecrandis.

SUMMARIA.

164. *Confirmandus debet esse baptizatus.* 165. *& seq. Certam ætatem non requirit.* 167. *In adulto peccatore requiritur contritio vel confessio.* 168. *Subjectio non desideratur.* 169. *& seq. Etiam moribundi rectè confirmantur.* 171. *Unctione Sacramentali consecrantur baptizandi.* 172. *& seq. Quæ tamen unctio non est essentialis.* 174. *Consecrantur etiam confirmandi.* 175. *Infirmi.* 176. *& seq. Et Sacerdotes, nec non Episcopi.* 178. *& seqq. Unctione non-Sacramentali consecrantur Imperator, Rex, Regina &c.* 181. *& seqq. Nihil tamen hæc Consecratio, quàm specialem reverentiam tribuit.* 184. *De aliis personis;* & 185. *De rebus consecrandis remissivè.*

§. I.

De Personis Confirmandis.

IN personis Confirmandis requiritur I. ut baptismum anteà receperint, ob rationem in n. 54. datam: quia baptismus est janua Sacramentorum. 164

II. non requiritur quidem determinata ætas, dum 165 etiam infantibus, recens genitis, olim Confirmatio statim post baptismum conferebatur; & hodiedum amentibus & fatuis conferri valet ex opinione Pacis Jordani *Elucubrat. div. lib. 3. tit. 2. num.* 20. nihilo 166 minùs, si causa rationabilis non subsit (qualis est periculum mortis aut defectus occasionis, posthac non ampliùs habendæ) suadetur à DD. communiter, ut idem Sacramentum post annos discretionis conferatur, ut confirmatus & majorem fructum percipiat, & firmiorem acceptæ gratiæ memoriam habeat. Barbosa de *Off. & pot. Episcop. allegat.* 30. *n.* 17. Gobat *Theol. experim. tr. 2. n.* 266.

III. in adultis qui peccati mortalis se reos agnoscunt, requiritur aut confessio aut contritio, cum intentione saltem habituali, recipiendi Sacramentum per *cap. majores 3. §. item quæritur de Baptismo.* Pax Jordan *d. l. n.* 52. Gobat *cit. l. n.* 764. 167

IV. de Jure Communi deberet quidem confirmandus esse subditus Confirmantis; ex consuetudine tamen sufficit tacitus aut præsumptus alterius Episcopi consensus: plerique enim (saltem in Germania) Episcopi, non contradicunt, etiamsi videant, suos subditos ab aliis Episcopis confirmari, juxta dicta in *cap.* 2. *n.* 45. & 47. Pax Jordan *d. l. n.* 49. P. Wiestner ad *tit. de Sacra Unct. n.* 25. 168

Sciscitaberis: utrùm Confirmatio possit adhiberi moribundis aut capite damnatis? 169

Resp. cum Gobat *cit. l. n.* 768. P. Wiestner *d. t. n.* 21. affirmativè. Sic enim docet Angelicus Doctor *quæst.* 72. *Artic.* 8. *ad* 4. apud eundem Gobat citatus; & ratio est: tum quia gratia Sacramentalis nunquam non prodest: tum quia in ultima lucta præprimis conducit Sacramentum Confirmationis, quô Athletæ Christiani ad debellandas inferorum potestates inunguntur, & muniuntur *cap. Spiritus sanctus* 2. *de Consecrat. Dist.* 5. 170

§. II.

De Personis Unctione Sacramentali consecrandis.

Personæ nonnunquàm consecrantur unctione Sacramentali; interdum unctione non-Sacramentali. Unctione Sacramentali consecrantur I. baptizandi, & quidem ter: primâ vice inunguntur in pectore; secundâ inter scapulas; tertiâ in vertice. Prima & secunda unctio peragitur cum oleo catechumenorum; tertia cum chrysmate, seu oleo cum balsamo commixto. Textus in *cap. deinde* 70. *cap. si quis de alio* 112. *de Consecrat. Dist.* 4. *cap. un.* §. *quia verò de Sacra Unct.* Hanc autem Consecrationem unctivam in baptismo non esse necessariam quoad substan- 171 172 173

 tiam,

tiam, sed tantùm ex præcepto Ecclesiæ ad baptismum solennem requiri, patet ex eo: quia, dum laicus baptizat, non potest unctionem adhibere, tamenſi validè baptizet. P. Wiestn. ad *cit. tit. de Sacra Unct.n.4.* P. Schmalzgrueb. *ib.n.a.*

174 II. Unctione Sacramentali & chrysmatica initiantur confirmandi *d. cap. un. §. per frontis.* nec tantùm ex præcepto vel cæremonia Ecclesiæ, sed ex institutione Divina, velut habetur in Concilio Florent. in *decreto Eugenii* §. *secundum* & Trid. *seſſ. 7. can.* 1.

175 III. Unctione Sacramentali cum oleo olivarum ex Ordinatione Divina inunguntur infirmi, quatenùs vim morbi patientiùs ferre, & diabolicis tentationibus fortiùs resistere valeant. Concil. Florent. *cit. loc. §. quintum*; & Trid. *seſſ.* 14. *de Extrema unct. cap.* 1.

176 IV. Unctione Sacramentali consecrantur Sacerdotes, Episcopi, & Summi Pontifices; cum hac tamen differentia, quòd Sacerdotes in manibus oleô catechumenorum; Episcopi in capite eôdem chrysmate inungantur. Textus in *cap. un.* §. *hoc ergo* & §. *unde in veteri in fin.*

177 Neutram ex relatis unctionibus ad substantiam Consecrationis & Ordinationis Sacerdotalis, Episcopalis, aut Pontificalis, desiderari, deducitur ex *cit. cap. un. inpr.* ubi S. Pontifex in casu, quò omissa fuit unctio, nihil iterari, sed tantùm, quod omissum fuit, suppleri jubet. Gonzalez *ib. n.4.* P. Wiestner ad *eund. tit. à n.* 35. Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid. n.* 8.

§. III.

De Personis, Unctione non-Sacramentali consecrandis.

178 Personæ, quæ consecrantur unctione non-Sacramentali, sunt Imperatores & Reges, nec non Imperatrices & Reginæ. Imperatores & Reges oleô catechumenorum inunguntur in brachio dextro vel humero inter juncturam manûs & cubiti: brachium enim, pars hominis robustissima, significat potestatem, dignitatem, & principatum temporalem *d. cap. un.* §. *unde in Veteri de Sacra unct.* Imperatrices & Reginæ eôdem modô inunguntur, nisi Reginæ sint Regni Dominæ, quô casu inunguntur inter juncturam cubiti & scapulam. Pax Jordan *lib.* 5. *tit.6.n.17.*

179 Ungitur autem Imperator Romano-Germanicus in Romana coronatione à Summo Pontifice *cap. per venerabilem* 34. *de Elect. Clem. Romani de Jurejurando.* In Coronatione Germanica inungitur ab Electore Moguntino vel Coloniensi, ficuti notatum est in *tract.* 3. *de Mod. acquir. Prælat. cap.* 1.

180 *num.* 898. & *seq.* Cæteri Reges plerumque consecrantur ab Archi-Episcopis, Regni Primatibus, nempe Rex Galliæ à Rhemensi; Rex Hungariæ à Strigoniensi; Rex Poloniæ à Gnesensi; Rex Bohemiæ à Pragensi. Magnif. D. P. König ad *tit. de Sacra Unct.n.7.* Clariss. D. Hermes *in fascic. Jur. publ. cap.10.n.6.*

181 Hæc tamen Consecratio, ut obiter dictum in *n.* 178. non est Sacramentalis, nec gratiam aut effectum Sacramentalem confert; nec ut aliqui falsò existimant, consecrato Potestatem Ordinis Diaconalis vel Subdiaconalis tribuit: siquidem ex Sacris paginis nihil eruitur; imò de Imperatrice vel Regina, quòd Ordinis Sacri penitus sint incapaces,

182 liquet ex *num.* 23. Constat etiam ex Ecclesiæ traditione, Imperatores & Reges post Consecrationem pro Laicis haberi, ac liberè matrimonium contrahere. Gonzalez ad *cit. cap. un. num.* 20. Wiestner ad *eund. tit. n.* 64. Interim specialem reverentiam ex ista Consecratione Principes consecrati acquirunt; possunt ad Altare propiùs accedere; vocantur etiam Imperatores Sacratissimi, & Sacratissima Majestas; Reges autem appellantur Sacri & Sacra Majestas. 183

Superſunt adhuc aliæ personæ consecrandæ, non quidem Consecratione unctivâ, sed benedictivâ tantùm & deprecatoriâ, puta, Abbates & Abbatissæ &c. Item Consecratio Virginum Monialium, ex Ordine non-Mendicantium. Sed de illa sufficienter dicta in *cit. tr. de Mod.acquir.Prælcap.t. à n.*795. De hac largiore penna scribit Pax Jor. *cit. lib.* 5. *tit.* 5. *per tot.* 184

§. IV.

De Rebus consecrandis.

Præter personas etiam res aliquando consecrantur, videlicet Ecclesiæ, Altaria, calices, patenæ, campanæ &c. Cùm autem non pauca de his subjicienda sint in *lib.* 3. *tract. de Person. Reb. & Jur. Eccles.p.2. cap.2. sect.3. per tot.* ulteriori nunc explanatione supersedeo. 185

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. & *seqq. Adducuntur ea, quæ circa qualitates ordinandorum in Concilio Romano constituta sunt.* 9. *Regulares à proprio Episcopo sunt ordinandi,* 10. & *seq. Qualis est ille, in cujus diœcesi monasterium est situm.* 12. *Unde nequeunt ordinari ab Episcopo originis.* 13. *Licèt ordinari possint ab Episcopo, in cujus diœcesi habent beneficium sæculare.* 14. & 15. *Attinguntur casus, quô Regulares à quocunque Episcopo ordinari valent.* 16. *Præmissô examine quoad doctrinam.* 17. & *seqq. Discutitur quæstio, an, qui literas dimissorias obtinuit ad Ordines majores, censeatur etiam dimissus quoad minores?* 20. & *seqq. Ostenduntur ex Concil. Roman. à quonam Episcopo ordinari debeant, qui dispensationem aut privilegium impetrarunt, Ordines extra tempora suscipiendi?* 23. & *seqq. Explanatur dubium, & an & qualiter aliquis cum dimissorialibus ab Episcopis Italis ordinari possit?*

QUÆSTIO I.

Quibus qualitatibus ordinandi pollere debeant?

Scripsimus multa de his in toto hoc *cap.* præsertim *sect.* 1. Quia tamen in novissimo Concilio Romano, à Sanctiss. D. N. Benedicto XIII. habitô, non nulla continentur, in rem præsentem idonea; juvat ea, paucis adscribere. Nempe in *tit.*6. *cap.* 1. de Scholaribus, ad primam Tonsuram admittendis, præcipit Episcopis, ut inquirant, *an tales sint, qui probabile judicium, non humanô quidem consiliô, aut fori sæcularis declinandi, vel à Laicalibus se muneribus & oneribus eximendi cautâ, Ecclesiasticæ eos militiæ adscribi velle, præ se ferant; sed tale ipsos vitæ genus eligere, ut jugi Ecclesiæ servitio mancipati, majorem DEO cultum valeant exhibere. Caveant insuper*, ait ulteriùs Pontifex, ne alios ad clericalem ipsam Tonsuram admittant, quàm quos, juxta Tridentini Concilii sanctiones *seſſ.* 23. *de Reform. cap.* 4. & 6. *literarum studiis operam sic dare constiterit, ut quasi in via ad reliquos Ordines suscipiendos versari videantur, & quos* 2 3

tan-

tantummodò pro Ecclesiarum necessitate vel utilitate
4 *Divinis Ministeriis deputari noverint expedire.* Ultra
hæc in *cap.* 2. mandat, *ut Clericali Tonsurâ nullus*
initietur, nisi eôdem tempore Ecclesiæ illi adscribatur, pro cujus servitio debet ordinari. Si qui verò
sint, etiam minoribus aut Sacris Ordinibus insigniti,
qui nulli certæ Ecclesiæ fuerint adscripti, Episcopi
adscriptionem hujusmodi, etiam à suis Prædecessoribus omissam, suppleant, & pro arbitrio servitium
toties, quoties opus fuerit, præstandum designent:
quam adscriptionem quoad eos, qui jam promoti extra diœcesim vel studiorum causâ, vel aliâ, ab Episcopis probatâ, commorantur, ad tempus ipsismet Episcopis bene visum, differri posse, indulgetur. *Ita au-*
5 *tem adscripti, etsi Clerici sint, etiam conjugati, aut*
beneficia vel officia Ecclesiastica non obtineant, ab
Ecclesiæ servitio, cui fuerint deputati, festis diebus
singulis, præsertim solemnioribus, adesse jubentur,
propria ibi munia obituri; aliàs præcipitur, ut ad altiores gradus promovendi, non promoveantur, etiam
promoti, Episcoporum arbitriô, pro obedientia gra-
6 *vitate mulctentur. Crescente verò contumacia, Episcopi ultra pœnas, à Tridentino Concilio* (puta in d.
sess. 23. *cap.* 6. & 16.) *indictas, post trinam canonicam monitionem, contra inobedientes & contumaces*
procedere debent *ad omnium usque privilegiorum*
7 *Clericalium privationem &c.* Insuper decernit in
cap. 3. *ut, qui propiùs ad Sacratissima Mysteria accessuri sunt, ultra cætera requisita, eâ scientiâ polleant & pietate, ut Ecclesiæ Sacramenta dignè ministrare, Christi fideles sanam doctrinam edocere, &*
eos in via salutis, non minùs exemplis, quàm verbis
8 *valeant anteire. Quapropter* (concludit Sanctissimus)
Episcopi non alios ad Sacros Ordines promoveant,
quam quos verè dignos, & habiles, requisita etiam
habentes, à Sacra ipsa Tridentina Synodo d. sess. 23.
cap. 13. & 14. *præscripta, per diligentem inquisitionem compererint. Verùm, qui ad Presbyteratum erunt*
assumendi, idonei priùs ad Sacramenta ministranda
per diligens examen comprobentur, & ad ea populum docendum, quæ scire pertinet ad salutem; quod
quidem, ut rectè præstari possit, eosdem Episcopos in
Domino exhortatur, ut, quantùm fieri potest, eos tantùm ad Sacerdotium assumant, quos saltem Theologiæ Moralis competenter peritos agnoscant. Quæ
quidem constitutio omninò salubris, & praxi donanda est.

QUÆSTIO II.

A quónam Episcopo Regulares sint ordinandi?

9 Regulares ab Episcopo proprio ordinandos esse,
innuitur à Concilio Trid. in variis locis, signanter
in *sess.* 7. *cap.* 11. & *sess.* 23. *de Reform. cap.* 8. & 10.
10 Quisnam autem sit proprius Regularium Episcopus? Ad mentem S. Congregationis Concilii, de
Anno 1596. die 15. mensis Martii, à Clemente VIII.
approbatam; confirmatamque tum à S. M. Innocentio XIII. in Bulla, quæ incipit, *Apostolici ministerii*, sub die 13. Maii 1723. tum à Sanctiss. D.
N. Benedicto XIII. in nova constit. quæ incipit,
in *supremo* sub die 23. Sept. §. 15. & habetur in
Appendice Concilii Romani *pag.* 220. & *seqq.* ex-
11 ponit Eminentiss. Petra *cit. tom.* 1. *pag.* 336. *num.*
8.. quòd nempe sit Episcopus, in cujus diœcesi situm est Monasterium, cujus Regulares ordinandi
membra existunt: ibi namque domicilium contrahere censentur, etiamsi stabilitatem, sicut in Ordinibus Mendicantium accidit, non habeant: utpote
cùm absque licentia Superiorum inde non possint
ampliùs discedere *arg. cap. cùm nullus* 3. §. *Religiosi*
de Temporib. Ordin. in 6. Passerin. ad *cap. hac constitutione de Offic. & pot. Jud. deleg. eod. in* 6. *num.* 27.
Unde non possunt ordinari in loco originis: ex 12
quo enim sæculo mortui dicuntur, nihil ampliùs
commune habent cum loco nativitatis; prout concludit *cit.* Petra *num.* 9. & *num. seq.* rejicit sententiam contrariam Zypæi in *Consultat. Canon. lib.* 1.
consultat. 3. utpote quæ cum allegata declaratione
S. Congregationis, Pontificiô oraculô roboratâ,
componi non potest. Concedit tamen memoratus 13
Petra *num.* 14. quòd, si Regularis cum dispensatione Apostolica obtinuisset beneficium aliquod sæculare, ab Episcopo, in cujus diœcesi beneficium existit, ordinari non prohibeatur: eò quòd efficiatur verus beneficiatus, ac participet omnia consequentia,
inter quæ est ordinatio ab Episcopo, cui beneficium
subjacet, facienda.

Porrò in eadem declaratione S. Congregationis 14
excipitur casus, *si Diœcesanus absfuerit, vel non esset*
habiturus Ordinationem, vel Sedes Episcopalis vacaret: tunc enim Prælatus Regularis suo subdito
potest concedere *literas dimissorias ad quemcunque*
alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui
Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, &
dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quò Episcopus
Diœcesanus, vel absfuturus, vel nullas habiturus es-
set Ordinationes. In hoc tamen casu à *Superioribus* 15
Regularibus in literis dimissoriis *hujusmodi causam*
absentiæ Diœcesani Episcopi vel Ordinationum ab eo
non habendarum exprimendam esse, statuit eadem S.
Congregatio. Petra *cit. l. pag.* 335. & *seq.* sub *n.* 5. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 390.

Interim, sive Regularis ordinetur à Diœcesano, 16
sive ab alio Episcopo, nil aliud ab eo inquiri debere,
quàm doctrinam, cùm in reliquis requisitis quoad
ætatem & similia debeat stare attestationi Regularium Superiorum, allegatâ rursus S. Congregationis resolutione, docet sæpe Card. Petra *pag.* 342.
num. 42.

QUÆSTIO III.

An, qui literas dimissorias obtinuit ad Sacros Ordines, possit promoveri ad Ordines Minores, si eos nondum receperit?

Eminentiss. Petra, cujus incomparabilem doctri- 17
nam in omnibus impensè veneror, in *Commentar. Apostol. tom.* 3. *pag.* 141. *n.* 51. narrat, cuidam Clerico, qui
dimissorias obtinuit ad Ordines Sacros, nullâ de
Minoribus factâ mentione, fuisse à Sacra Congreg.
Concilii in *Andegaven.* 22. Junii 1707. permissum,
ut cum eisdem dimissoriis posset etiam ordinari in 18
Minoribus: præsumi enim potest, quòd, qui dimisit suum subditum ad Sacros Ordines, qui sinè
Minoribus conferri non possunt, dimiserit similiter
ad Minores. Quamvis præfatus Author tutius es- 19
se censeat, in tali eventu ad eandem S. Congr. recurrere.

QUÆSTIO IV.

A quónam Episcopo ordinari debeant, qui dispensationem aut privilegia obtinuerunt, Ordines extra tempora suscipiendi?

Videtur quæstio clarè decisa in noviss. Concilio 20
Romano *tit.* 5. *cap.* 1. tam in rubrica ibi: *promovendi ad Sacros Ordines extra tempora vigore dispensationis Apostolicæ, non à quocunque, sed à proprio*
Episcopo ordinentur; quàm in nigro ibi: *singulis verò* 21
promovendorum expressè significamus, ut, si quis ipsorum Apostolicæ dispensationis literas, sive per Datariam,

tariam, sive per Brevium Secretariam, sive aliò quocunque modò expeditas, quatenùs ad Sacros Ordines extra consueta Ordinationum tempora à quocunque maluerit Catholica Episcopo promoveri valeat, obtinuerit, illas semper, nonnisi cum clausula, servatâ formâ decreti Clementis VIII. concessas fuisse intelligat, atque ita, & non aliter executioni ab ipsismet Episcopis promoventibus demandandas fore,
22 *declaramus.* Hoc verò decretum non est aliud, quàm supra in *num.* 10. & 14. allegatum, quod, *ne quem Superiorum excuset illius ignorantia, ad verbum subjungendum* altefatus Pontifex Benedictus XIII. decrevit in *ead.* Concil. Rom. *tit.* 21. *de Regular. c.* 2.

QUÆSTIO V.

An, & qualiter aliquis cum dimissorialibus ab Episcopis Italis ordinari possit?

23 Bonifacius VIII. in *cap. sæpe contingit* 1. *de Tempor. Ordinat. in* 6. eumque secutus Pius II. in sua constitutione, quæ incipit: *cùm ex Sacrorum*, datâ die 17. Novembr. 1460. providè ordinârunt, quòd ultramontani, etiamsi ab Ordinariis suis habeant literas dimissorias, nequeant tamen ab Episcopis Italiæ ordinari, nisi licentia Summi Pontificis aut Sacræ Congregationis Episcoporum & Re-
24 gularium accesserit. Voluerunt scilicèt obviare multorum fraudibus, qui fictas dimissorias à longinquis regionibus detulerunt ad Episcopos Italiæ, & sic Ordines, absque vera Ordinariorum suorum con-
25 cessione, impetrârunt. Sub hoc tamen decreto non comprehendi Regulares, utpote de quibus expressa mentio non fit, ab eadem Sacra Congregatione in una *Neapolitana* 30. Decemb. 1617. declaratum ex Barbosa refert Eminentiss. Petra *Commentar. ad*
26 *Constit. Apostol. tom.* 5. *pag.* 275. *n.* 76. Constituit etiam Clemens VIII. Anno 1603. firmavitque Alexander VII. Anno 1664. quòd commorantes in Urbe nequeant ordinari extra Urbem cum literis dimissoriis proprii Ordinarii, sed literæ sint præsentandæ Cardinali Urbis Vicario, atque ab eo Ordines recipiendi. Petra *d. l. n.* 78.

CAPUT IV.

De Forma & Modo, quô Potestas Ordinis exercetur.

Forma & Modus, quô Potestas Ordinis exercetur, quàmplurima desiderat non tam in Confirmatione & Consecratione, quàm in Ordinatione. Ut igitur omnia & singula distinctè enumerentur, quatuor Sectiones ponentur, atque in tribus anterioribus forma & modus Ordinationis; in subsequentibus forma & modus Confirmationis ac Consecrationis examinabitur.

SECTIO I.

De quibusdam præliminaribus, ante Ordinationem requisitis.

SUMMARIA.

1. Antequàm Ordines recipiantur, servanda sunt interstitia. 2. & seq. Adducitur constitutio Innocentii XII. 4. Pro Minoribus non sunt interstitia præfixa. 5. & seq. Sed tantùm pro Majoribus. 7. Non possunt eâdem die plures Ordines Majores conferri. 8. Sabbatô ordinatus Sacerdos, die Dominicâ potest in Episcopum consecrari. 9. & seq. De Consuetudine plures Ordines eâdem die possunt recipi. 11. & seqq. Latè ostenditur, quisnam in interstitiis dispensare possit. 18. & seqq. Indicantur causæ, ex quibus dispensari solet & potest in interstitiis. 23. Ordinationi præmittitur examen. 25. & seqq. Explicatur primum examen. 28. & seqq. Alterum examen declaratur. 32. & seq. Tertium explanatur. 34. & seqq. Ostenditur, quid agendum sit ArchiDiacono, qui scit alicujus ordinandi defectum occultum. 38. & seqq. Plerumque ordinatur validè, qui laborat tali defectu. 42. Jejunium non debet Ordinationi necessariò præmitti. 41. & seq. In ipsa die Ordinationis debet ordinans & ordinandus esse jejunus. 45. & seq. Communio non spectat de necessitate ad Ordines.

§. I.

De Interstitiis.

Antequàm deveniatur ad actum Ordinationis, 1
quædam præliminaria sunt observanda. Et quidem inprimis observari debent interstitia, hoc est, intervalla temporum, ut non omnes Ordines simul & semel, sed successivè per temporum intercapedi-
nes assumantur. Quam in rem juverit attulisse ver- 2
ba Innocentii XII. in supra commendata *constitut.* quæ incipit *speculatores*, ubi pereleganter, initò „ consiliò, inquit, non alios, quantum fieri potest, „ quàm qui in sanctitate & justitia per ordinatissi„ mos Ecclesiasticæ militiæ gradus statis interval„ lis ambulaverint, ac piè & fideliter in ministeriis „ anteactis se gesserint, ad Sacerdotium assumi, Sa„ crosque Ordines juxta priscum Ecclesiæ morem, „ præscriptis à Jure temporibus, orationi & jejunio „ consecratis, haberi cupientes, severiorem quan„ dam in concedendis Indultis suscipiendi Sacros „ Ordines extra tempora hujusmodi, & Interstitiis,
„ ad id designatis, minimè servatis, ultrò Nobis 3
„ proposuimus adhibendam rationem, quâ videli„ cèt servatâ, ante meritum laboris, ante tempus „ examinis, ante experientiam disciplinæ, Sacerdo„ talis honor non probatis minimè tribuatur, nec „ unquam heri sacrilegi, hodie Sacerdotes; heri „ profani, hodie Sacrorum Antistites; veteres vitiô, „ virtute rudes & recentes; discipuli simul & Magi„ stri pietatis creentur &c.

Sunt autem pro Minoribus Ordinibus certa inter- 4
stitia non præscripta, sed Episcoporum arbitrio relicta in Trid. *sess.* 23. *de ref. cap.* 13. Hinc ea Germaniæ recepta consuetudine solent eôdem die cum Prima Tonsura Minores Ordines omnes conferri. P. Engel ad *tit. de Temporib. Ordinat. n.* 20. P. Pirhing *ibid. n.* 83. P. Wiestner *n.* 34. P. Schmalzgrueber *n.* 12.
Verùm pro Ordinibus Majoribus constitutus est an- 5
nus, ut scilicèt à tempore, quô collatus erat ultimus ex Ordine, per annum exspectetur, donec ascendatur ad Ordinem altum & superiorem juxta Tridentin. Concil. *sess.* 23. *de Reformat. cap.* 11. 13. & 14.
Quamquàm hic annus non debeat computari natu- 6
raliter, sed potiùs Ecclesiasticè, puta à Paschate hujus anni ad Pascha sequentis, esto numerus dierum 365. necdum fuerit absolutus. Sicque resolutum à S. Congregatione asserit Lauret. de Franch. *de Controvers. inter Episcop. & Regular. p.* 1. *num.* 264. & *seq.* Barbosa *de Off. & pot. Episc. allegat.* 18. *num.* 2. Reiffenstuel ad *tit. de Temporib. Ordinat. num.* 145.

Ma-

Mathæucci in *Officiali Curia Regular. cap.* 23. *n.* 14.
7 Consequens ex dictis est, quòd duo vel plures
ex Ordinibus Majoribus non possint eâdem die con-
ferri *d. sess.* 23. *cap.* 13. quòdve etiam, si continue-
tur jejunium, non possit ordinari in Sacerdotem die
dominicâ, qui præcedenti die sabbati fuit ordina-
tus in Diaconum *cap. literas* 13. *cap. dilectus* 15.
8 *de Temporib. Ordin.* Eum verò, qui fuit sabbatô
inauguratus Sacerdos, dominicâ in Episcopum con-
secrari posse, cum Glossa in *cap. quod a patribus Dist.*
9 75. tenet P. Reiffenstuel *cit. tit. n.* 164. Consuetudi-
ni quoque vim inesse tantam, ut eâdem die Subdia-
conatus unà cum Ordinibus Minoribus conferri va-
leat, admittunt P. Pirhing ad *tit. de Temporib. Ordi-
nat.* n. 83. P. Wiestner *ibid. n.* 35. P. Schmalzgrueber
10 *ibid. sub n.* 19. non obstante Concil. Trident. *sess.* 23.
cap. 13. *inf.* ubi privilegia & facultates, plures Or-
dines unâ die conferendi, sustulit: nil enim de con-
suetudine meminit; ut proinde, cùm sublata non sit,
stare non prohibeatur *arg. l. præcipimus* 32. *§. ult. Cod.
de Appellat.*
11 Exquires tamen I. quis possit in interstitiis dispen-
sare?
Resp. I. Episcopum proprium in interstitiis dis-
pensare posse, veluti sæpiùs insinuatur in Tridentino
d. l. cap. 11. 13. & 14. Episcopum verò non-pro-
prium, esto ad ipsum sint directæ literæ dimissoriæ,
dispensare non posse, sicuti colligitur ex *cit. l. cap.*
12 16. *in verb. sui Episcopi &c.* Rationem dat P. Engel
ad *tit. de Temporib. Ordinat. sub* n. 20. quia dispensa-
tio est actus Jurisdictionis (subintellige voluntariæ
mixtæ, requirentis causæ cognitionem) qui in pro-
prios tantùm, non autem alienos subditos, exerceri
13 potest. Existimat tamen idem Clariss. Author, ex
epikia & benigna præsumptione tunc saltem dispen-
sari posse, quando in diœcesi, ex qua venit ordi-
14 nandus, interstitia non observantur. Credit etiam
Antonell. *de Regim. Eccles. Episcopal. lib.* 2. *cap.* 3. *n.*
9. ex decisione S. Congregationis, Episcopo non esse
interdictum, cum familiari suo, cæteroquin non-
subdito, dispensare: quandoquidem Potestas, quâ
quis jure propriô valet ordinare, comprehendit etiam
facultatem de illis, quæ connexa sunt cum Ordina-
tione, disponendi.
15 Resp. II. facultatem in interstitiis dispensandi
in Capitulum Cathedrale, Sede vacante, trans-
ferri pro illis casibus, in quibus literas dimissorias
concedere potest *arg.* Concilii Trident. *sess.* 7. *de
reformat. cap.* 10. Clariss. P. Schmalzgrueber ad
tit. de Temporib. Ordinat. sub numer. 13. ubi de-
cisionem S. Congregation. Concilii ex Quaranta
adducit.
16 Resp. III. Vicario Episcopi hanc licentiam com-
petere, quando speciale mandatum habet, veluti cen-
suit S. Congregatio apud Lauret. de Franch. de *Con-
tr. inter Episcop. & Regul. p.* 1. *n.* 256. Reiffenstuel ad
cit. tit. n. 255.
17 Resp. IV. Prælatis Regularibus dispensationem
in interstitiis quoad solos Ordines Minores, quos
Regularibus subditis ex jure proprio conferre pos-
sunt, concessam esse; dispensationem autem quoad
Ordines Majores eatenùs ad Episcopos spectare,
quatenùs suum judicium in ordine ad causam dispen-
sandi formare debent ex attestatione Superiorum Re-
gularium. Ita resolvit S. Congreg. apud *cit.* Laur. de
Fr. *d. l.* n. 255. Bar. de *Off. & pot. Ep. all.* 18. n. 10.
18 Exquires II. quibus ex causis in interstitiis dispen-
sari valeat?
Resp. causas in decreto S. Congregation. Cardi-
nal. & Prælat. Annô 1693. de die 14. Decembr.
quod referunt Clariss. P. Wiestner ad *tit. de Tempor.
Ordinat. n.* 40. & P. Schmalzgrueber *ibid. sub n.* 14.
expressas, esse sequentes. I. si ordinandi sint Refe-
rendarii utriusque Signaturæ; familiares Papæ;
Canonici Cathedralium aut Collegiatarum Ecclesia-
rum, vel eorum adjutores. II. si iidem sint Magi- 19
stri, hoc est, Doctores, Licentiati, vel etiam Bac-
calaurei SS. Theologiæ, vel Doctores, aut Licen-
tiati Utriusque, aut saltem Canonici Juris, in pu-
blica & approbata Universitate ejusmodi Graduum
aliquem consecuti: uti etiam si triennió SS. Theo-
logiæ studiis sedulam navârint operam. III. si be- 20
neficium habeant, quod Sacerdotalem Ordinem
exigit, vel aliud perpetuum, aut etiam Capellaniam
ad tempus vitæ sibi concessam, ut illi deservire
per seipsos possint IV. ob penuriam Sacerdotum, 21
Sæcularium vel Regularium, in provincia, diœce-
si, vel Monasterio. V. ob solatium patris vel ma- 22
tris, si 50. annos jam excesserint; vel etiam, si
ordinandus jam expleverit annum 26. quô tamen
utrôque casu necessum est, ut ordinandus per
triennium in habitu Clericali laudabiliter & hone-
stè vixerit.

§. II.

De Examine Ordinandorum.

Alterum, quod Ordinationem præcedit, est exa- 23
men, seu, ut vocatur à SS. Canonibus in *tit. de
Scrutinio in Ordine faciendo* scrutinium ordinando-
rum. Hoc triplex est. De primo tractat Concil. Tri- 24
dent. *sess.* 23. *cap.* 5. his verbis: *ad Minores Ordines
promovendi bonum à Parocho, & à Magistro Scholæ, in
qua educantur, testimonium habeant. Hi verò, qui* 25
*ad singulos Majores erunt assumendi, per mensem ante
Ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut al-
teri, cui magis expedire videbitur, committat, ut no-
minibus ac desiderio eorum, qui volunt promoveri, pu-
blicè in Ecclesia propositis, de ipsorum Ordinandorum
natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligen-
ter inquirat, & literas testimoniales, ipsam inquisitio-
nem factam continentes ad Episcopum quam primùm
transmittat.* In Germania tamen hoc scrutinium in 26
usu non esse, liquet ex praxi, & testantur P. Engel
ad *tit. de Scrut. in ord fac. n.* 1. P. König *ib. num.* 6. P.
Wiestner *n.* 1. P. Schmalzgrueber *n.* 1. Primus autem
ex his Doctoribus ait, expediens futurum, tam salu-
brem constitutionem observari, ut secundùm Apo-
stoli præceptum *nemini citò manus imponatur*; duo
posteriores econtrà notant, in locum talis scrutinii
recipi testimonia à Professoribus literarum de vita,
moribus, & doctrina ordinandi.
Alterum scrutinium, quod adhuc observatur, in- 27
stituitur ab Episcopo vel alio ex ipsius commissione,
paucis diebus ante Ordinationem, ubi in personam,
genus, ætatem, titulum, doctrinam, vitam, mores
&c. ordinandorum inquiritur, conformiter Tri-
dent. *cit. sess.* 23. *de ref. cap.* 7. Quæ tamen inqui- 28
sitio quoad personas Regulares Ordinum (quantum
attinet ad mores & cæteras qualitates, exceptâ do-
ctrinâ) solet omitti, ac Superiorum testimonio fides
adhiberi, sicuti post Barbosam & Nicolium advertit
Monacelli in *formulari legali part. p.* 1. *pag. m.* 85. *n.*
2. Quoad cæteros etiam ordinandos examen de 29
scientia discretè potest dissimulari, quando Gradu
Doctoratûs aut Licentiatûs sunt insignes, *arg.* ex
Trid. Concil. *sess.* 7. *de refor. cap.* 13. ubi electi seu
nominati ab Universitatibus ad beneficia ab ejusmo-
di examine liberi promoventur. P. König ad *tit. de
scrutin. n.* 3.
Neque putes, hanc inquisitionem gratis institui: 30
quandoquidem ex *cap. ult. de Præsumpt. quilibet primâ
facie præsumitur idoneus, nisi contrarium ostendatur.*
Nam illa præsumptio solùm verificatur de idoneita- 31
te intrinseca & naturali, qualis est probitas, conti-
nentia,

nentia, sobrietas &c. qualitates autem accidenta-
les & extrinsecæ, nempe titulus, genus, ætas &c.
32 cùm in facto consistant, *non præsumuntur*, si quis
actum vel negotium assumat, ad quod ejusmodi qua-
litates requiruntur: tunc enim procedit regula con-
traria, quòd fundamentum intentionis, sinè quo
non admittitur ad Ordines, probare teneatur; prout
in simili discurremus de probatione ætatis in *lib. 2.
tr. 3.*

33 Tertium scrutinium peragitur in ipsa Ordinatione,
quando Diaconi & Presbyteri ordinantur: solet enim
tunc Archi-Diaconus, vel, ut hodie moris est, Sa-
cellanus aut alius Minister Episcopi ordinantis, pu-
blicâ vel clarâ voce dicere: *Reverendissime Pater:
postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hos præ-
sentes Subdiaconos ad onus Diaconi, & hos præsentes
Diaconos ad onus Presbyterii ordinetis.* Cui Episcopus
ordinans, *si eos*, respondet, *cognoveris esse dignos.* Ad
quam responsionem denuò subjungit Archi-Diaco-
nus: *quantum humana fragilitas nosse sinit, & scio, &
testificor, ipsos dignos esse ad hujus onus officii.* Textus
in *cap. un. de scrutin. in Ord.*

34 Dubitanti Archi-Diacono, quid agere debeat, si
sciat aliquem ex Ordinandis occultò laborare defe-
ctu? Suadent Authores, infrà citandi I. ut, si ra-
tionabiliter speret, ordinandum ab Ordinatione re-
35 cessurum, ipsum admoneat secretò. II. ut, si præ-
videat, se nihil effecturum, studeat pro illa vice
functionem hanc declinare; &, si neque hoc videa-
tur consultum aut possibile, Episcopo interrogan-
36 ti præfatô modô respondeat. Nec enim mendacii
reatum tunc incurrit: utpote cùm defectum non
sciat scientiâ publicâ & communicabili, sed priva-
tâ & incommunicabili. Ita Abbas in *cap. un. de
Scrutinio in Ordine fac.* in f. P. Pirhing *eôd. tit. num.*
7. P. Wiestner n. 10. Clariss. P. Schmalzgrueber *n.*
37 5. Ipsemet ordinandus autem, tametsi defectus sit
occultus, abstinere debet ab Ordinibus per *cap. ex
pænitentibus* 55. *Dist.* 50. *cap. quicunque* 5. *Dist.* 81.
cap. innotuit 20. *de Elect.* & dicta in *tract. de
Mod. acquir. Prælat. cap.* 1. *num.* 267. siquidem
non habet, quod metuat periculum infamiæ: cùm
per abstinentiam ab Ordinibus, veluti rem licitam,
notam non incurrat. P. König ad *cit. tit. de Scru-
tin.* n. 5.

38 Sed quid, an validè censebitur ordinatus, qui
cum defectu occultô, tanquam indignus, ordina-
tur? Ratio dubitandi est: quia in Ordinante defice-
re videtur intentio, sinè qua non potest Ordinatio
39 convalescere. Nihilo minùs cum P. Gobat *Theol. ex-
periment. tr.* 8. *n.* 317. & P. Wiestner ad *tit. de eo,
qui Ordinem furtivè &c. n.* 3. tenendum est Ordina-
tionem valere, nisi Episcopus expressam & positi-
vam intentionem contrariam habuerit, indignum
40 non ordinandi: quia præsumitur, quòd Episcopus
habuerit intentionem faciendi, quod facit Eccle-
sia; & sic Ordines omnibus, qui Characteris Sacra-
mentalis incapaces non sunt, validè conferendi.
41 Protestatio autem, quæ verbotenùs interponitur,
tantummodò fit ad absterrendos indignos, & osten-
dendam displicentiam, quòd scilicèt Episcopus non
velit per Ordinationem indigni se facere delicti par-
ticipem.

§. III.

De Jejunio Ordinantis & Ordinandorum.

42 Tertium, quod Ordinationi præmittitur, est Je-
junium Ordinantis & Ordinandorum. Et quidem
nonnulli putant, pridie Ordinationis ab Ordinante
& Ordinando jejunandum esse; quod, etsi merito-
rium & salubre sit, nullibi tamen præceptum in Ju-
re reperitur, nec etiam Doctores quidpiam de hoc
scribunt, ut notat Gobat *cit. tr.* 8. n. 357. Unde, qui
ordinat & ordinatur extra quatuor tempora, vel ad
Ordines Minores, vel ex privilegio ad Majores, jeju-
nium præmittere non tenetur.

In ipsa autem Ordinationis die tam Ordinans 43
quàm Ordinatus jejunet, opus est juxta *cap. reliqui
1. Dist. 67. cap. quod à patribus 4. Distinct. 75.* Pax Jor-
dan *Elucubr. div. lib. 5. tit. 2. n.* 59. Non quòd jeju- 44
nium spectet ad substantiam Ordinationis (prout abs-
que fundamento senserunt Hostiensis & Butrius)
sed tantùm ad illius honestatem & decentiam. Gobat
cit. l. n. 352. ubi etiam obligationem jejunandi limitat
in collatione Minorum Ordinum, quæ subinde post
prandium contingit.

Petes: an etiam jejunio conjungenda sit commu- 45
nio & sumptio S. Eucharistiæ?

Resp. sic quidem observari de consuetudine; atta-
men, ut docet *citat.* Gobat *n.* 358. non esse obliga-
tionem communicandi sub mortali: quippe cùm nul- 46
lô probetur Jure; & tamen valde durum, & à pieta-
te Christiana videatur alienum, mittere aliquem in
infernum, aut dicere, quòd peccet mortaliter, sinè
evidenti & certa ratione; prout dicendum foret in
opposita sententia.

SECTIO II.

De Tempore & Loco Ordinationis.

SUMMARIA.

47. *Ordines Minores conferendi sunt diebus domi-
nicis vel festivis.* 48. *Ordines Majores in sabbatis
4. temporum &c.* 49. *Episcopatus qualibet domini-
câ;* 50. *Vel etiam in festis Apostolorum.* 51. *Prima
Tonsura potest omni tempore impertiri.* 52. *Ordi-
nes propriè dicti tempore matutinô conferri debent.*
53. *& seq. Consuetudo, quâ Ordines sacri extra
tempora conferuntur, reprobatur.* 55. *Privilegia
tamen Summorum Pontificum sunt attendenda.* 56.
*& seqq. Sub diebus festivis intelliguntur festa in
choro & foro.* 60. *Ordinatio, die sabbati non abso-
luta, potest in dominicam transferri.* 61. *& seqq.
Missæ celebratio non est de substantia Ordinationis.*
64. *& seqq. Requiritur tantum ex præcepto Ecclesiæ
pro Ordinibus Sacris.* 61. *& seqq. Sacrum tantum-
modo provenit ex præcepto Ecclesiæ; & ideò in casu
necessitatis potest omitti.* 69. *Locus Ordinationis ex-
plicatur.* 70. *Ordines non-sacri in quolibet loco ho-
nesto rectè conferuntur.* 71. *Sacri quoque, si confe-
rantur extra tempora, ibidem conferri possunt.* 72.
Imò etiam si statutis temporibus conferantur. 73. *&
seqq. Extra diœcesin nequidem Primam Tonsuram
conferre licet.* 76. *In loco exempto intra diœcesin
Ordinatio non est prohibita.*

§. I.

Quibus diebus habenda sit Ordinatio?

ORdinatio non debet omni tempore fieri, sed Or- 47
dines Minores conferendi sunt diebus Domi-
nicis vel festivis *cap. de eo autem 3. de Temporib. Or-
dinat.* ubi quidem S. Pontifex tantummodo loquitur
de uno vel duobus ordinandis; Glossa tamen, Syl-
vester, & Innocentius apud Gonzalez *ad cit. cap. n.* 2.
existimant, plures ordinari posse, dummodò gene-
ralis Ordinatio non fiat. Ordines autem Majores 48
conferri debent in sabbato 4. temporum, sabbato
sitientium ante Dominicam passionis, vel sabbato
sancto

sancto *d. cap. de eo autē & cap. ult. Dist. 75.* partim quia
tunc jejunium ab Ecclesia servatur: partim quia
sabbatum denotat quietem & cessationem à labore
quæ, quantum ad negotia sæcularia, summoperè
49 commendatur in Clericis. Episcopatus verò quãlibet
die dominicâ confertur: cùm, *quidquid à Domino
est magnus constitutum, in hujus diei dignitate sit ge-*
50 *stum cap. quod die 5. Dist. 75.* Imò in Natalitiis Apo-
stolorum quoque promotionem Episcopalem insti-
tui posse, tradit Clariss. P. Schmalzgrueber ad *cit.
tit. de Temporib. Ordinat. sub num.* 8. quia in munere
pastorali succedunt Apostolis *cap. in novo 2. Dist.* 21.
51 Pro prima Tonsura, cum propriè non sit Ordo,
nec tempus, nec diem, nec certam horam præscri-
ptam esse testatur Pontificale Roman. *tit. de Confe-
rend. Ordin. §. Clericatus*, & ostendit universalis
52 consuetudo, quam allegat Fagnanus ad *tit. cap. de
eo autem num.* 4. At pro Ordinibus Majoribus de-
terminatum est tempus matutinum *arg.* Concil. Trid.
sess. 22. *in decretô de observand. & vitand. tempore
Missæ*; licèt olim, dum sacra diebus jejuniorum sub
vesperum legebantur, sub vesperum habita sit Ordi-
natio, testatur id Gonzalez ad *cap. literas* 13. *de
Temporib. Ordin. num.* 4. quin & hodie Minores Or-
dines in Hispania conferuntur vespere feriæ sextæ
ante sabbatum 4. temporum. Gobat *cit. tract.* 8. *n.*
452.
53 Extra tempora constituta non posse per consuetu-
dinem introduci, ut Ordines Sacri conferantur, san-
citur in *cap. fine 2. de Temporib. Ordin.* ubi similis
consuetudo, tanquàm *institutioni Ecclesiasticæ inimi-*
54 *ca, penitus reprobanda dicitur.* Et licèt aliàs, repro-
batâ consuetudine, non censeatur esse reprobata im-
memorialis: attamen, cùm in *cit. cap.* reprobetur con-
suetudo *antiqua*, permultis est credibilius, etiam im-
memorialem, nisi ea capite aliquo possit legitimari, re-
55 probatam esse. Quin tamen; et privilegium Apostoli-
cum concedi possit facultas ordinandi extra tempo-
ra, nemo dubitat, postquàm ea solo Jure humano
tempus Ordinationum præfixum, & quibusdam Re-
ligionibus tale privilegium de facto est concessum;
quo de pluribus disputant Mathæucci in *Officiali Cu-
riæ Regul. cap.* 20. *num.* 15. *& seqq.* Reiffenstuel ad
cit. tit. à num. 40. Videantur etiam Salmanticens. de
Sacram. Ord. cap. 4. *num.* 94. *& seq.*
56 De reliquo, cùm talia privilegia plerumque con-
tineant hanc clausulam, quòd Ordines extra tempora
conferri possint diebus dominicis aut festivis; ac supe-
riùs jã in *n.* 47. dictum sit, Ordines Minores diebus fe-
stivis conferri posse: hinc dubium oritur, an sub die-
bus festivis contineantur festa duplicia, quæ tantùm
in choro, non autem in foro à populo celebrantur?
57 Affirmativam quam tradit Barbosa ad *tit. de Off. &
pot. Episc. alleg.* 17. *num.* 7. probabilem dicunt P.
Engel ad *tit. de Temporib. Ordinat. num.* 18. & Go-
bat. *cit. tr.* 8. *num.* 472. Textus eam in rem adduci
potest ex *cap. un. de Reliq. & Venerat. Sanct. in* 6.
ubi sub nomine *festivitatum* intelliguntur festa dupli-
cia quatuor Evangelistarū, & quatuor Ecclesiæ Do-
ctorum, licèt hæc (si excipias festa Evangelistarum,
qui simul Apostoli sunt) tantùm in choro celebren-
58 tur. At negativam à Sacra Congregatione Concil.
decisam, asserit Fagnanus ad *cit. cap. de eo autem* 3.
de Temporib. Ordin. num. 42. eàmque sequuntur Syl-
vester in *v. Ordo* 2. *q.* 6. Reiffenstuel *cit. l. num.* 53.
P. Wiestner *ib. num.* 43. P. Schmalzgrueber ad *d.
tit. num* 9. Ratio est: quia nomine festi non solùm
in vulgari sermone, sed etiam in Jure communiter
intelligitur festum in choro & foro, prout constat ex
cap. pronunciandum 1. *de Consecrat. dist.* 3. *cap. ult.
de Feriis*, Tridentin. Concil. *sess.* 24. *de ref. Matrim.
cap* 1. Unde hic intellectus etiam in præsenti ma-
teria capiendus erit.

Ad *cap. un. de Reliq. in* 6. resp. ex subjecta ibidem 59
materia satis colligi, quòd festum accipiatur in ordi-
ne ad chorum & officium Divinum; quô sensu
etiam festum semi duplex aut simplex appellari so-
let.

Id portò in *cap. quod à patribus* 5. *Dist.* 75. 60
apertè concessum est, ut, si Episcopus propter mul-
titudinem ordinandorum non possit in sabbato totam
Ordinationem absolvere, possit illam in sequentem
Dominicã, continuatô jejuniô, continuare: quia con-
tinuatio jejunii fictione Juris ex sabbato & dominica
conficit unam diem *cap. literas* 13. *de Temporib. Or-
dinat.* & ibi Interpretes.

§. II.

*Utrùm Ordinatio facienda sit inter Missarum solen-
nia?*

Ad ordinationem essentialiter spectare, ut fiat in- 61
ter Missarum solennia, docuit Sylvester in *verf. Or-
do* 2. *q.* 9. *Dist.* 2. sic scribens: „ si Missa non præ-
„ mittatur, nihil fit, sed totum est iterandum; &,
„ si unus dicat Missam, alius ordinet, tenet Ordo in
„ Minoribus, non in Sacris, sed est de substantia.
Verùm hæc sinè omni probabilitatis specie scripta 62
fuisse, tradit Gobat sæpe *cit. tract.* 8. *num.*
257. estque Jordani *lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 447. Barbo-
sæ *de Off. & pot. Ep. alleg.* 14. *num.* 16. & aliorum
certa sententia, Missæ celebrationem de substantia
Ordinationis haud esse. Ratio est manifesta: quia 63
nihil ad Ordinationis substantiam est necessarium,
præter materiam, formam, & intentionem Ministri.
Sed Missæ celebratio nihil habet proprium cum ma-
teria, forma, vel intentione Ministri. Ergo &c.

Igitur ut Ordines inter Missarum solennia confe- 64
rantur, provenit ex præcepto Ecclesiæ, veluti col-
ligitur tum ex Pontificali Romano; tum ex consti-
tutione D. Clementis, quam citat Gonzalez ad *cit.
cap. literas* 13. *de Tempor. Ordinat. num.* 4. tum ex
cap. quod sicut 28. *§. super eo de Elect.* tum ex usu &
consuetudine. Cùm enim per Ordinationem novi Al- 65
taris Ministri creentur: via opportunius aut con-
gruentius tempus pro Ordinatione potest inveniri,
quàm ubi Sacrificium & Ministerium Altaris exerce- 66
tur. Nec tamen hoc præceptum ad omnes Ordines
extendendum: Minores enim extra Sacrificium Mis-
sæ conferri posse, & solere, patescit ex suprà dictis in
n. 52. & tenet Pater Jordan *cit. l. n.* 448.

Quid verò dicendum in casu, quô tempus instat 67
Ordinationis consuetæ, nec potest Episcopus, Suf-
fraganeô destitutus, præ senio, debilitate, vel in-
firmitate Missam celebrare: poteritne nihilomi-
nùs ordinare, & curare, ut intereà legatur Mis-
sa ab alio Sacerdote? Affirmat Jordan *cit. l. n.* 446.
& Gobat *ubi supra n.* 259. quia concursus Ordinan- 68
dorum ad tempus, aliàs Ordinationi deputatum,
est utique causa sufficiens, & gravis, propter quam
ex epikia & benigna interpretatione Lex Ecclesiasti-
ca, seu scripta seu non-scripta, imponens Ordinanti
celebrationem Missæ, relaxari, ac Missa per alium
celebrari valet: satis etenim foret difficile, tot Or-
dinum Candidatos spe suâ frustrare, sinè charactere
desideratô domum remittere, ac sumptus & molestias
itineris geminare.

§. III.

In qua loca facienda sit Ordinatio?

Quoad locum Ordinationis sequentia statuit Con- 69
cilium Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. *Ordinationes Sacro-
rum Ordinum, statutis à Jure temporibus, ac in Ca-
thedrali Ecclesia, vocatis præsentibusque ad id Eccle-
siæ Canonicis, publicè celebrentur. Si autem in alio diœ-*

cesis loco, præsente Clerô loci, dignior, quantùm fieri poterit, Eccl-sia semper adeatur. Unde

70 Deducitur I. collationem Ordinum Minorum non
tantùm in Ecclesia Cathedrali, sed etiam in Capella
vel domo Episcopali, vel alio loco honesto fieri pos-
se: quippe cùm allegatum Conc. loquatur de Sacris
Ordinibus; sicq; se non immutet dispositionem Juris
antiqui, quô Ordines non-sacri seu Minores, *ubi li-
bitum fuerit*, conferri possunt ex *cap. quando 6. Dist. 75.*

71 Deducitur II. collationem Ordinum extra tempo-
ra fieri posse in quovis honesto loco. Gobat *cit. tract.*
8. *num.* 319. Concilium enim tantum modò loqui-
tur de Ordinatione generali, quæ *statutis à Jure tem-
poribus* peragitur.

Deducitur III. Ordinationem, etiam consuetam
72 & generalem, extra Ecclesiam Cathedralem in alio
loco celebrari posse: quandoquidem Concil. *d. l.* non
præcisè determinat Ecclesiam Cathedralem, sed etiam
permittit Ordinationem in alio Diœcesis loco; solum-
que mandat, ut, *quantùm fieri potest, dignior* Eccle-
sia semper adeatur. Clariss. P. Schmalzgrueber ad *tit.
de Temporib. Ord. n.* 17.

73 Cæterùm Ordinatio fieri debet intra Diœcesin Ordi-
nantis: extra Diœcesin ne quidem proprium subditum
Episcopus ordinare potest, nisi illius Diœcesis Ordi-
narius consentiat Trid. *sess. 6. de ref. cap.* 5. P. Engel
74 ad *tit. de Temporib. Ordinat. n.* 13. Idque tam de
Ordinibus strictè talibus, quàm prima Tonsura exau-
diendum esse, contra Salmanticenses de *Sacram. Ord.
cap. 4. n.* 75. & alios plures cum P. Pirhing ad *eund.*
75 *tit. n.* 77. aditrum *cit.* P. Schmalzgrueber *n.* 18. Tamet-
si enim Concil. *cit. l.* tantùm disserat de exercitio *Pon-
tificalem*; Prima Tonsura verò, secundum aliquos,
si privatim conferatur, non requirat insignia Pontifi-
calia: nihilotamen minùs indubitatè cōprehendit col-
lationem Primæ Tonsuræ; cùm etiam, si peragatur
absque Pontificalibus insignibus, sit actus Pontificalis,
ex Officio Episcopali descendens.

Planè quòd Episcopus in loco exempto suæ Diœ-
76 cesis ordinare valeat, valde luculenter eruitur ex
Clem. Archi-Episcopo 2. de Privileg. ubi eidem gene-
ralis licentia conceditur, in tali loco Divina officia
cum Pontificalibus celebrandi. Pignatell. *tom. 7. con-
sult. 7. à n.* 8.

SECTIO III.

De Actuali Ordinatione.

SUMMARIA.

77. *Essentialia Ordinationi sunt materia, forma, & intentio Ministri.* 78. *& seqq. Assignatur materia remota omnium Ordinum, in genere & in specie.* 87. *Materia proxima est traditio Symboli.* 88. *& seq. Traditio fieri debet ab ipsomet Ordinante.* 90. *& seq. Adstruitur forma singulorum Ordinū* 97. *& seq. De controversiis circa materiam & formam remissivè.* 99. *& seqq. Suggeritur ratio, cur verba in Ordinatione proferantur imperativè.* 103. *Materia est tangenda.* 104. *& seq. Mediatè vel immediatè.* 106. *& seq. In eodem instanti morali, quô traditur.* 108. *& seqq. Secundùm aliquos non requiritur attactus physicus.* 112. *& seqq Secundùm alios est absolutè necessarius.* 116. *& seqq. Priorum argumenta diluuntur.* 120. *& seqq. Pauca de accidentalibus Ordinationis subjiciuntur.*

§. I.

De Traditione Materiæ, & pronuntiatione Formæ.

77 POsteaquàm nonnulla præliminariter tractavimus
de Ordinatione; nunc delabimur ad ipsum Ordi-
nationis actum, in quo præcipuè sunt considerandæ
materia, forma, & intentio Ministri: in his enim es-
sentiam & substantiam tam reliquorum Sacramento-
rum, quàm Sacramenti Ordinis consistere, res apud
omnes Catholicos est certa, & definita in Concilio
Florentino in *Decreto Eugenii §. quinto.*

Materiam Ordinationis, quod attinet, illa vel est re- 78
mota, vel est proxima. *Remota* est res externa, symbo-
lum, vel instrumentum, quod ordinando traditur
in signum acceptæ Potestatis; & quidem in *Os- 79
tiariatu* sunt claves Ecclesiæ & cymbalum, quô po-
pulus convocatur. In *Lectoratu* est liber lectionum, 80
quæ ex SS. Paginis & SS. Patribus in Ecclesia le-
gi consueverunt. In *Exorcistatu* est liber exorcismo- 81
rum, seu Rituale Romanum, in quo post rubricas de
*Sacramentis, de Exequiis, de Benedictionibus & Pro-
cessionibus* extat titulus de *Exorcizandis obsessis à dæ-
monio*; item *de Conjurationibus ad fugandas tempesta- 82
tes.* In *Acolytatu* est urceolus vacuus & candelabrum
cum cereo extincto; quod utrumque symbolum in
sententia Doctoris Angelici necessarium esse, contra
nonnullos propugnant Salmanticenses de *Sacram.
Ord. cap. 3. n.* 17. In *Subdiaconatu* diversas quidem 83
opiniones recenset Clericatus de *Sacram. Ord. decis.*
22. *an.* 1. Sed tamen in *n.* 26. infallibilem & certam
appellat, quæ propriam illius materiam calicem va-
cuum & patenam vacuam statuit; requirens in *n.* 29.
insuper de necessitate, ut calix unà cum patena sit
consecratus, ut docent Salmanticens. *d. cap. 3. n.* 22.
In *Diaconatu* rursus multiplicia DD. placita refert 84
Clericat. *d. l. decis.* 29. *à n.* 5. ex decreto tamen Eu-
genii *cit. §. quintò* materia est liber Evangeliorum;
cui num de substantia sit conjungenda manuum impo-
sitio? Disputatur; negativæ subsidium maximum
præstante Sacra Scripturâ, quâ *Actor.* 6. primos se-
ptem Diaconos per impositionem manuum ordinatos
fuisse, constat. In *Presbyteratu* quoad collationem 85
Potestatis in Corpus Christi verum est calix cum vi-
no, & patena cum hostia; quoad collationem verò
Potestatis in Corpus Christi mysticum est impositio
manuum Episcopi. In *Episcopatu* est partim impositio 86
libri Evangeliorum super cervicem & scapulas Epis-
copi consecrandi; partim impositio manuum super
caput ejusdem ab Episcopo consecratore.

Materia proxima Ordinationis est traditio illius 87
symboli vel instrumenti, exhibenda ab Episcopo.
Quantumvis enim nonnulli doceant, in Ordinibus
Minoribus non esse materiam ab ipsomet Ordinante
porrigendam ordinando, sed ab alio, Ordinantis man- 88
datô, rectè porrigi per *cap. Acolytus 16. Dist.* 23. Se-
curior tamen & melior sententia docet, in omnibus
Ordinibus materiam ab ipsomet Ordinis Ministro
tradendam esse: quia, dum verba proferuntur à Mi-
nistro super materiam, ad eorum verificationem mate-
riam ipsemet exhibeat, necessū videtur. Salmanticens.
de *Sacram. Ord. cap. 2. n. 22. & 23.* Sicque, ut Author 89
est Clericatus de *Sacram. Ord. decis. 9. n. 15. & seq.*
non tantùm in Rituali Romano, nonô sæculô jam
conscriptô, ordinatum, sed etiam à Clemente
VIII. mandatum legitur, ut Clerici, quibus E-
piscopus Sagiensis instrumenta Ordinum propriis ma-
nibus non tradiderat, sub conditione rursus ordi-
nentur.

Forma Ordinationis consistit in verbis, quæ ab 90.
Ordinante, dum is materiam ordinando tradit,
cum significatione Potestatis, per Ordinem colla-
tæ, pronuntiantur. Sunt autem in *Ostiariatu* se-
quentia: *sic agite, quasi reddituri DEO ra-
tionem, pro iis rebus, quæ his clavibus reclu-
duntur.* In *Lectoratu*: *accipite, & estote Verbi* 91
*DEI relatores, habituri, si fideliter, & utili-
ter impleveritis officium vestrum, partem cum iis,* 92
qui Verbum DEI bene administraverunt ab initio. In

Exor-

Exorcistatu: accipite, & commendate memoriæ, &
habete Potestatem, imponendi manus super energume-
93 *nos, sive baptizatos, sive catechumenos.* In *Acolytatu*
ad traditionem candelabri: *accipite ceroferarium cum*
cereo, & sciatis, vos ad accendenda Ecclesiæ lumina-
ria mancipari in nomine Domini; ad traditionem ur-
ceoli: *accipite urceolum, ad suggerendum vinum &*
aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Do-
94 *mini.* In *Subdiaconatu*: *videte, cujus ministerium vo-*
bis traditur; ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis,
95 *ut DEO placere possitis.* In *Diaconatu*: *accipe Potes-*
tatem legendi Evangelium in Ecclesia DEI, tam pro
96 *vivis, quam defunctis, in nomine Domini.* In *Presbyte-*
ratu ad traditionem calicis & patenæ: *accipe Potestatē,*
offerre Sacrificium DEO, Missasque celebrare, tam pro
vivis, quam pro defunctis in nomine Domini; ad im-
positionem manuum Episcopi: *accipe Spiritum Sanc-*
tum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quo-
rum retinueris, retenta sunt. In *Episcopatu*: *accipe*
Spiritum sanctum &c.

97 Scio equidem, apud Theologos tam circa mate-
rias, quam circa formas singulorum Ordinum plu-
res adhuc moveri controversias, prout eas mira cum
eruditione per folia quàmplurima discutit Clericat.
98 de *Sacram. Ord. decis. 17. & plurib. seqq.* Sed quia
tales disputationes à foro nostro remotiores viden-
tur; hinc communem tantummodò sensum & sen-
tentiam DD. cum Clariss. P. Schmalzgrueber ad
tit. de Temp. Ord. num. 5. & 6. referre volui.
Id unicum omittere nequeo, quòd verba in Sa-
99 cramento Ordinis proferantur imperativô modô,
v. g. *accipe Potestatem &c.* in aliis autem Sacra-
mentis proferantur indicativô modô, v. g. ego te *bap-*
100 *tizo &c.* Rationem diversitatis ex S. Thoma assignat
Clericatus *cit. l. decis. 7. num. 4.* quia cætera Sacra-
menta principaliùs sunt instituta ad sanctificandum
suscipientem, quatenùs est persona particularis; &
ideò sufficit, gratiam sanctificantem, quæ per Sacra-
mentum confertur, indicare per verba indicativi mo-
101 di. At Sacramentum Ordinis est institutum a Chris-
to Domino principaliùs ad sanctificationem Ministri,
quatenùs agit personam publicam in Ecclesia; idcir-
cò verba proferuntur imperativô modô, ut denote-
tur imperium & Potestas, quæ confertur in Ordina-
102 tione; Sicut accidere solet in Ministris Reipublicæ
profanæ, dum eis in sua creatione Authoritas &
Potestas conceditur per verba imperativa: *accipe sce-*
ptrum, gladium, vel baculum &c.

§. II.

De Contactu Materiæ.

103 Dum Minister Ordinis tradit materiam, & for-
mam pronuntiat, apud plerosque convenit, mate-
riam illam ab ordinando corporaliter attingendam
esse per textum in *cap. ult. de Sacram. non iterand.*
ubi Gregorius IX. asserit, Presbyteros & Diaco-
nos, cùm ordinantur, *manûs impositionem tactu cor-*
porali recipere. Clericat. *cit. loc. decis. 7. num.*
104 *20. & 21.* Hic autem attactus non debet de necessi-
tate immediatus esse: tum quia, qui tangit calicem,
censetur etiam tangere vinum, in calice conten-
tum; &, qui tangit patenam, hostiam quoque, pa-
tenæ superimpositam, tangere videtur. Salmanticens.
de *Sacram. Ord. cap. 2. num. 21.* Gobat de *eodem*
105 *Sacram. tr. 8. num. 103. & seqq.* tum quia, qui tangit
materiam coopertâ manu, ac sudariolô, chirothecâ,
vel superpelliceô involutâ, creditur tactum physi-
cum exercere, sicut physicè dicitur alterum palpa-
re, vel apprehendere, qui coopertâ manu palpat vel
apprehendit. Salmant. *d. l. num. 10.* Gobat *d. l. n.*
106 60. Clericat. *d. decis. 9. num. 10.* Præterea non de-

bet attactus ille in momento, quô Episcopus verba
pronuntiat, concurrere, veluti contra nonnullos
statuunt Salmant. *d. l. num. 20.* Clericat. *num. 11.*
Clariss. P. Schmalzgrueber ad *tit. de Temporibus Or-*
dinat. num. 7. Sicut enim in reliquis Sacramentis, 107
v. g. baptismo vel pœnitentia, non requiritur, ut
eôdem punctô, quô profertur forma, applicetur ma-
teria, sed moralis utriusque concursus sufficere cre-
ditur: ita & in Sacramento Ordinis sufficiet, si fiat
concursus moralis, ac, verbis jam prolatis, interje-
ctô parvi temporis intervallô, materia tangatur.

Solennis verò controversia movetur: utrùm attac- 108
tus physicus materiæ, vel mediatus, vel immedia-
tus, sit de essentia Sacramenti Ordinis? Negant
P. Laymann in *Theol. Mor. lib. 5. tract. 9. cap. 5.*
num. 4. P. Engel ad *tit. de Temporib. Ordinat. num.*
10. P. Gobat *cit. tract. 8. num. 57.* Rationes sunt I. 109
quia non apparet ratio, cur attactus physicus mate-
riæ sit de essentia Sacramenti Ordinis, nisi fortassis
hac, ut verificentur verba formæ: *accipe &c.* At
ista ratio nihil probat: nam etiam in civilibus ad ve-
rificanda similia verba, & tradendam Potestatem, sa-
tis est, moraliter rem tangere, ac domum v. g. emi-
nùs ostensam aspicere *l. clavibus 74. ff. de Contrah.*
empt. II. quia, dum parvuli & infantes unius diei ex 110
cap. 3. num. 16. ordinari possunt, nulla videtur hu-
jusmodi contactus necessitas: neque enim in parvu-
lis & infantibus sperandus est contactus, qui verbis
Ordinationis correspondeat. III. quia, tametsi ma- 111
teria in Sacramento Matrimonii sint corpora conju-
gum, & eorum traditio, attamen sufficit sola tradi-
tio, quæ mutuò consensu perficitur. Idem itaque di-
cendum in Ordine.

Affirmant econtrà Salmanticens. *cit. cap. 2. num.* 112
14. Sylvester *V. Ordo 2. q. 5.* Clericat. ubi supra *de-*
cis. 8. num. 27. P. König ad *tit. de Temp. Ord. num.*
33. P. Schmalzgrueber *ibid. sub num. 7.* Rationes 113
sunt I. quia ad verificanda verba Ordinationis om-
ninò necessarium est, materiam corporaliter attinge-
re: nec enim cum veritate accipit calicem, qui
eum, dum exhibetur ab Episcopo, non tangit. II. 114
quia in cæteris Sacramentis, ubi signum externum
applicatur, in suscipiente contactus physicus deside-
ratur: Infans siquidem non judicatur baptizatus, si
per aquæ contactum non fuerit ablutus. Ergo hoc
idem in Sacramento Ordinis est dicendum. III. 115
quia praxis Ecclesiæ demonstrat, quòd Ordinan-
tes & eorum Ministri sollicitè curent, ut materia Or-
dinum ab ordinandis tangatur: ipse quoque P. Go-
bat ubi supra *num. 57.* admittit, Sacerdotem, qui
calicem physicè non tetigit, reordinandum esse. Ex
quo concluditur, tutiorem ac longè probabiliorem
esse posteriorem hanc opinionem, quam etiam ample-
ctor, &

Ad I. rationem contrariam Resp. illam probare ni- 116
miùm, quòd nempe ne quidem realis exhibitio ma-
teriæ ex parte Ministri exigatur: quippe cùm in ci-
vilibus non exigatur exhibitio materiæ, sed ex clau-
sola constituti quis possit consequi possessionem rei
absentis, multùm dissitæ, & nunquam perspectæ
per *l. quod meo 18. in pr. ff. de Acquir. vel amitt. pos-*
sess. Cur autem moralis contactus ad verificandam 117
Ordinationis formam non sit appositus, ea est ratio:
quia Christus Dominus in Sacramentorum institutio-
ne magis rem ipsam, quàm Juris fictionem attendisse
videtur: adeòque contactu morali, qui Juris fic-
tione nititur, contentus non erat. Ad II. Resp. 118
Clericatus *d. l. num. 32.* in illa hypothesi, quâ par-
vulus aut infans ordinatur, contactum physicum non
minùs, quàm in baptismo, intervenire: quamquàm
defectus intelligentiæ tam in Ordinatione, quàm in
baptismo suppleatur ab Ecclesia. Ad III. Resp. 119
quòd, sicut matrimonium est Contractus civilis,

nec, post elevationem ad Sacramentum, immutatum,
sed in sua natura fuit relictum: ita nil aliud desidera-
te, quàm traditionem civilem, mutuò consensu de
præsenti manifestatam.

§. III.

De relictis, in actuali Ordinatione observandis.

120 Hæc, quæ adduximus Ordinationi sunt essen-
tialia. Accidentalia, nec tamen omittenda, sed
cautè servanda sunt, quæ circa ritus & cæremonias
121 in Pontificali Romano præscribuntur. Qua in re præ
oculis habendum est monitum Jordani *lib.* 3. *tit.* 6.
num. 456. ut Minister Ordinans advertat diligenter,
maturè procedat, Pontificale frequenter inspiciat,
122 nec memoriæ suæ nimiùm fidat. Ut præterea for-
mam integrè proferat, ac morali simultate instrumen-
ta porrigat ordinandis &c. insuper secretas orationes
morosè pronuntiet, ut ordinandi ad Sacerdotium
commodè possint cùm Ordinante concelebrare &c.
123 Illud etiam advertet Ordinans, ut ornatus sit
omnibus Pontificalibus indumentis, à Romano Pon-
tificali designatis. Nimirum pro Prima Tonsura &
Ordinibus Minoribus, quando conferuntur extra
Missam, Rochetô, stolâ, & mitrâ simplici; pro sa-
cris autem Ordinibus, sive privatim sive publicè
conferantur, sive Missa decantetur, sive tantùm
recitetur, omnibus Pontificalibus insignibus res-
plendeat, oportet. Pax Jordan *cit. l. n.* 453. ubi
plura videri possunt.

SECTIO IV.

De Modo & Forma Confirmandi & Consecrandi.

SUMMARIA.

124. *Explicantur, quæ Sacramento Confirmationis sunt essentialia.* 125. *& seqq. Discutitur quæstio, an chrysma sit de essentia Confirmationis?* 130. *& seq. Respondetur ad fundamentum sententiæ affirmantis.* 132. *Unctio in fronte est materia proxima.* 133. *Forma consistit in verbis.* 134. *Ad accidentalia refertur locus.* 135. *Diœcesis.* 136. *& seqq. Tempus.* 139. *Habitus Pontificalis.* 140. *& seq. Assistentia & levatio patrini.* 142. *& seq. Fascia, quâ frons circumligatur.* 144. *Alapa.* 145. *Procuratio canonica Episcopo confirmanti non solvitur.* 146. *& seq. De forma Consecrationis agitur remissivè.*

§. I.

De Essentiali Materia & Forma Confirmationis.

124 IN administratione Sacramenti Confirmationis
spectari possunt tam ea, quæ sunt essentialia, quàm
accidentalia. Essentialia sunt materia & forma cum
intentione Ministri. Quænam verò sit materia re-
mota Confirmationis? Hæret in bivio. Non pau-
125 ci defendunt, chrysma, seu oleum cum balsamo
mixtum, esse materiam remotam & essentialem;
quorum ratio principalis fundatur in Concil. Flo-
rent. in *decreto Eug. §. secundum*, ubi definitum
habetur, *materiam hujus Sacramenti esse chrysma,
confectum ex oleo & balsamo.* Pax Jordan *lib.* 3.
tit. 2. *num.* 33. Gobat *Theol. experim. tr.* 2. *num.* 743.
Pirhing ad *tit. de Sacram. non iter. num.* 3. Clerica-
126 tus de *Sacram. Conf. decis.* 54. *num.* 6. Alii propu-
gnant, chrysma solùm exigi de necessitate præcepti,
oleum simplex autem pro materia essentiali reputan-
dum esse. Ratio fundamentalis eruitur ex *cap. pa-
storalis* 1. *de Sacrament. non iterand.* ubi S. Pontifex
Innocentius III. rescribit, in casu, quò confirman-
dus non chrysmate, sed oleô fuit delinitus, non esse
aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod in-
cautè fuerat prætermissum; id est, ut explicat P. En-
gel ad *cit. tit. num.* 5. suppletionem esse faciendam
per inunctionem chrysmatis, sed sine repetitione for-
mæ, vel saltem cum intentione nullum conficiendi Sa-
cramentum. Atqui Sacramentum Confirmationis
haud dubiè repetendum foret, si chrysma materiam
essentialem constitueret. Ergo &c.
Scio equidem, quòd Clericatus *cit. l. num.* 7. as- 127
serat, Moralistas, unum post alium, in citatum tex-
tum impingere, & ab ejus intelligentia aberrare,
supponentes, validam Confirmationem cum solo
oleo pronuntiatam fuisse; cùm tamen ibidem sermo
fiat de Subdiacono, *qui sine impositione manuum*, id
est, absque præcedenti valida Confirmatione fuit
ordinatus; ac proinde responsum sit, non esse ite-
randam Ordinationem, sed tantùm repetendam Con-
firmationem. Verum, si textum proximiùs contuear, 128
hæc expositio non videtur accommodata: tum quia
S. Pontifex duplicem ibidem casum ponit, unum de
Ordinatione Subdiaconi (vel, ut putat Gonzalez
ibid. num. 2. Diaconi) alterum de Confirmatione,
ac in utroque pariter decidit, nihil iterandum esse,
tametsi in priori manûs impositio; in posteriori unc-
tio cum chrysmate fuerit omissa: tum quia, si, da- 129
tô non concessô, locutus fuisset de sola Confirma-
tione, nihilominùs perspicuè declarat, *nihil iteran-
dum esse*; quod sanè manifestum est argumentum,
chrysma non esse materiam essentialem Confirmatio-
nis: utpote cùm, hâc omissâ, Confirmatio reiteran-
da foret. Et ita sentiunt Barbosa de *Off. & pot. Episc.
alleg.* 31. *num.* 3. Covarruv. *var. resolut. lib.* 1. *cap.*
10. *num.* 4. Gonzalez ad *cap. ult. de Sacram. non ite-
rand.* 7. & 10. allegans S. Thomam; König ad *cit.
tit. de Sacra Unct. num.* 18. Schmalzgrueber *ibid.
num.* 4.
Ad rationem oppositam Resp. Concilium Floren- 130
tinum loqui de materia Confirmationis non-essen-
tiali, atque adeò tantùm ex necessitate præcepti
requisitâ; nec gratis ita respondetur: quandoqui-
dem Concil. ut refert Bail. in *Summa Concil. tom.* 2.
pag. m. 597. in §. *tertium* mox *seq.* definit, mate-
riam Eucharistiæ esse vinum de vite cum admixtio-
ne modicissimæ aquæ; & in §. *quartum* decernit,
materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse satisfactio-
nem: cùm tamen indubitatum sit, admixtionem aquæ 131
solùm ex præcepto Ecclesiæ ad Eucharistiam exigi;
& satisfactionem tantùm esse partem integralem Pœ-
nitentiæ.
Materia proxima Confirmationis est unctio chrys- 132
matica per modum Crucis facta in fronte, cum im-
positione manuum. Gobat *Theol. experiment. tr.* 2.
num. 746.
Forma consistit in verbis sequentibus: *Signo te si-* 133
*gnô Crucis, & confirmo te chrysmate salutis in nomine
Patris & Filii & Spiritus sancti.* Vid. Clericatus de
Sacram. Confirmat. decis. 55. *per tot.*

§. II.

De accidentali Forma Confirmationis.

Accidentalia Confirmationis sunt I. *locus*, qui 134
quidem ex decentia deberet esse sacer, seu Ecclesia;
ex rationabili tamen causa in quovis honesto loco
Sacramentum Confirmationis administrari posse,
testantur Pax Jordan. *d. lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 16. &
seq. & Gobat *cit. l. n.* 775. & *seq.* Interim extra pro- 135
priam

priam Diœcesin Episcopo non licet, etiam proprium subditum confirmare, ut patet ex dictis *à n.* 73.

136 II. est *tempus*; quod olim erat sabbatum Paschæ & Pentecostes; nunc autem est quivis dies, festivus & non festivus; ante & pomeridianus: nec enim requiritur, ut Confirmatio de manè ab Episcopo jejuno jejunis impertiatur, sicuti monstrat praxis Germaniæ & Romæ. Jordan *d. l. num.* 13. Gobat *d. l.*
137 *num.* 769. Hinc textus in *cap. ut jejuni* 6. *de Consecrat. Dist.* 5. cùm desumptus sit ex Concilio Aurelianensi, quod tantùm erat particulare, vel nunquam in nostris partibus receptus, vel contrariâ consuetudine rursus est abrogatus.

138 Quoties porrò Episcopi debeant administrare Sacramentum Confirmationis? Neque in Jure, neque apud DD. est definitum. Clericatus de *Sacram. Confirmat. cit. decis.* 57. *num.* 7. asserit, id pendere à prudentia Episcopi, qui mortaliter peccaret, si nimis differret hujus Sacramenti collationem, videlicèt ultra 4. aut 5. annos; & ideò teneri perlustrare Diœcesin, etiam ad hunc solum effectum ministrandæ Confirmationis.

139 III. est *habitus*: nam Episcopus confirmans debet esse vestitus pluviali, mitrâ, stolâ, & baculò pastorali; quamvis ob æstivos calores & multitudinem confirmandorum liceat deponere pluviale. Clericat. *d. n.* 7.

140 IV. est *assistentia & levatio patrini*: non minùs enim confirmandi, quàm baptizandi, suos habent patrinos, ut in spirituali certamine doceantur, qualiter ab hostibus se tueri valeant, ait Jordan *cit. lib.* 3. *tit.*
141 2. *n.* 60. In Diœcesi verò Constantiensi plerosque confirmari chrismate salutis absque patrino, pro notorio allegat Gobat *cit. tr.* 2. *n.* 781.

142 V. est velamen, vita seu fascia linea, quâ caput personæ confirmatæ, propter reverentiam sacri chrysmatis, ambitur; nec ab alio, quàm Sa-
143 cerdote, deponitur. Gobat *d. l. num.* 779. Alicubi tamen non adhiberi fasciam, sed chrysma ab uno ex Sacerdotibus mox spongiâ vel aliô linteô abstergi, perhibet idem Gobat cum Jordane *d. tit.* 2. *n.* 81. *& seq.*

144 VI. est *alapa*, quam ex præscripto Romani Pontificalis Episcopus impingit confirmatis, ut discant amore Christi patienter sufferre injurias; sciant, se adscriptos militiæ, in qua vincitur per patientiam, non per vindictam; ac memoriam collati Sacramenti non obliterent. Jordan *d. l. n.* 43. Barbosa de *Off. & pot. alleg.* 30. *n.* 26.

145 Quæres: an Episcopus, qui Diœcesin peragrat, præcisè ex motivo Sacramentum Confirmationis administrandi, procurationem canonicam, seu sumptus à populis recipere valeat?

Resp. id negari à Barbosa *d. l. num.* 10. *& alleg.* 73. *num.* 53. Jord. *n.* 15. Fagnano ad *cap. venerabili de Censib. num.* 19.

§. III.

De Forma & Modo Consecrationis.

146 Forma & modus consecrandi pro multiplicatione Consecrationis est multiplex. Exhibetur potissimùm in Pontificali Romano, ubi ritus, cæremoniæ, habitus, & omnia, quæ requiruntur ad singulas Consecratio-
147 nes, accuratè descripta reperiuntur. Quòd si dubia quædam de Consecratione occurrant, adiri poterit sæpe citatus Pax Jordan. qui *tot. lib.* 5. de Consecrationibus prolixè tractat.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Ordinatio extra tempora justificatur ex indulto Apostolico.* 2. *Recensentur causæ ex quibus concedi solent.* 3. *An indulta perpetua sint revocata?* 4. *Deciditur.* 5. *Ordines extra Missarum solemnia validè conferuntur.* 6. *& 7. An etiam licitè conferantur?* 8. *& seqq. Utrum invalidè ordinetur, qui laborat impedimentô occultô?*

QUÆSTIO I.

Qualiter Ordinatio extra tempora sit licita?

Ordinationes extra tempora, à SS. Canonibus præfinita, fieri possunt licitè, quando vel Episco- 1
pus ordinans indultum obtinuit, Ordines extra tempora conferendi; vel ordinandus simile indultum
accepit, Ordines extra tempora suscipiendi. Solent 2
autem ejusmodi indulta juxta decretum particularis Congregationis, ab Innocentio XII. deputatæ de Anno 1693. die 14. Decembris relatum apud Petram *d. tom.* 5. *pag.* 257. *num.* 21. concedi sequentibus; videlicèt si quis beneficium habuerit, vi cujus arctatur ad Presbyteratûs Ordinem suscipiendum; vel etiam aliud perpetuum beneficium, vel Capellaniam, ad vitam sibi concessam, obtinuerit, cui per se ipsum inservire debeat; item ob penuriam Sacerdotum in illis partibus, vel in Monasterio pro Regularibus; item ob solatium patris, vel matris, dummodò quinquaginta annos excedant, & Orator saltem per triennium in clericali habitu honestè & laudabiliter vixerit; item pro Canonicis Cathedralis vel etiam Collegiatæ Ecclesiæ, eorumque Coadjutoribus, Magistris, seu etiam Baccalaureis in Sacra Theologia, Doctoribus utriusque, vel saltem Canonici Juris, seu Licentiatis, dummodò singulos præfatos Gradus in publica & approbata Universitate obtinuerint; item pro illis, qui saltem per triennium sedulam Theologiæ studiis operam navaverint: ac tandem vigesimum sextum ætatis annum excedentibus, si per triennium in clericali habitu honestè & laudabiliter fuerint conversati.

Hujus generis indulta quoque per modum dis- 3
pensationis perpetuæ à Summis Pontificibus aliquibus Ordinibus Regularibus sunt concessa, de quibus tamen, si primùm post Concilium Tridentinum emanaverint, multùm inter DD. huc usque disputatum erat, an non per idem Concilium *sess.*
23. *de Refor. cap.* 8. fuerint abrogata? Prout vi- 4
dere est apud *cit.* Petram *pag.* 258. *num.* 23. *& seqq.* Sed hodie cessat omnis disceptatio, postquàm Sanctiss. D. N. Benedictus XIII. in Concilio Romano *tit.* 5. *cap.* 2. decrevit: *quò verò ad Regulares, privilegia à Summis Pontificibus habentes, sive expressè sive per viam communicationis concessa, Sacros videlicèt Ordines extra tempora recipiendi, cùm privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet, Regulares eosdem, absque novo indulto Apostolico, tutò posse extra tempora ordinari.*

QUÆSTIO II.

An & qualiter Ordinatio fieri debeat intra Missarum solemnia?

Resolutio petenda erit ex hoc *cap. à num.* 61. quòd 5
nempe id sit de præcepto Ecclesiæ, non autem de forma & substantia Ordinationis; idque certum, ac in casu practico decisum esse, patet ex Eminentiss. Petra *d. tom.* 5. *p.* 289. *num.* 41. Apostoli enim solùm

solùm per manuum impositionem dabant Spiritum Sanctum.

6 Quia verò in *num. 67. & seqq.* retuli Authores, asserentes, in quibusdam circumstantiis licitam quoque ordinationem esse, etiamsi Ordinans ipsemet non celebret, sed per alium Presbyterum Missa dicatur; advertere consultum duxi, hanc sententiam à S. Congregatione, si illuc deferretur, fortè improbandam fore: refertur enim ab eodem Petra

7 *pag. 288. num. 37.* casus de quodam Hiberniae Episcopo, qui ob decrepitam aetatem lumine omninò orbatus, & inhabilis ad quamlibet functionem, pluribus Sacros Ordines contulit absque celebratione Missae, aliò Sacerdote celebrante, & legente verba Ordinationis, ab Episcopo cum Sacris caeremoniis repetita; fuitque hic Episcopus judicatus valde culpabilis, etiamsi censuram aliquam, cùm nulla reperiatur à Jure statuta, de facto non incurrerit.

QUÆSTIO III.

Utrùm validè ordinetur, qui laborat impedimentò occultò, si Ordinans per se vel alium protestetur, se nolle ordinare indignos?

8 Dubium hoc resolvendum ex dictis in *hoc cap.* à *num. 38.* agitque de eo prolixiùs Eminentiss. Petra *cit. tom. 5. pag. 281. num. 2. & seqq.* Cùm verò de intentione Ordinantis dubitari possit, an sit vera & seria, an verò solùm ad terrorem facta

9 sit protestatio? Hinc *cit.* Petra *pag. 282. num. 6.* tutius arbitratur, si ordinatio sub conditione reiteretur, licèt opinio, favens ordinationi validae, esset speculativè probabilior; praesertim ubi agitur de Presbyteratu, ex cujus invalida collatione, in magnam animarum perniciem, innumeri alii actus invalidi sequerentur: itàque à Sacra poenitentiaria servari, testatur Pignatell. *tom. 4. consf. 140. n. 6.*

10 Quamobrem Sacra Congregatio in casu sibi proposito, quò etiam Decanus attestabatur, se ab Episcopo Ordinante audivisse, quòd hujusmodi protestationem fecerit ad solum terrorem, noluit ordinationem pro valida pronuntiare, sed rem ad Papam referri debere censuit. Petra *d. l. numero 5.*

CAPUT V.

De Effectu, quem producit Potestas Ordinis.

Effectus, quem Potestas Ordinis producit, multifarius est. Hic autem principaliter attingemus solos effectus, qui consequuntur ex Ordinatione; minùs principaliter autem aliquot verba faciemus de effectu, quem operatur Confirmatio & Consecratio.

SECTIO I.

De Effectu Ordinationis.

SUMMARIA.

1. *Effectus Ordinationis generatim est spiritualis Potestas.* 2. *Gratia sanctificans.* 3. *Character.* 4. *Privilegia & onera.* 5. *Semel valida non repetitur.* 6. *Invalida rursus assumitur.* 7. *In omissione accidentium eorum fit suppletio.* 8. *& seq. In dubio fit reiteratio sub conditione.* 10. *& seqq. In Ordinatione Presbyteri, quâ confertur Potestas in Corpus Christi verum, manuum impositio omissa non causat Ordinationis iterationem.* 13. *Causat verò, si omissa sit in Ordinatione, quâ confertis Potestas in Corpus Christi mysticum.* 14. *Sola tamen Ordinatio posterior repetitur.* 15. *Quamvis, si prima sit irrita, posterior quoque non teneat.* 16. *& seq. Omissio unctionis in Ordinatione Sacerdotis aut Episcopi non est defectus substantialis.* 18. *& seq. Explicatur Potestas Ostiarii.* 20. *& seqq. Lectoris.* 25. *& seq. Exorcistae.* 27. *& seq. Acolyti.* 29. *& seqq. Subdiaconi.* 32. *& seqq. Diaconi.* 40. *Presbyteri.* 41. *Episcopi.*

§. I.

Quid generatim operetur Ordinatio?

Ordinatio quinque praecipuos effectus generatim producit. I. est spiritualis Potestas, & jus, aliquod officium & munus in Ecclesia DEI circa Sacram Eucharistiam peragendi; de qua plura in §. 3. 1

II. est gratia sanctificans, quae ordinatis Divinitus infunditur, ad Ministerium Altaris, cuilibet Ordini convenienter, & decenter obeundum; de qua Theologi. 2

III. est character, seu qualitas supernaturalis, animae invisibiliter & indelebiliter inhaerens, per quem ordinatus, tanquam specialis Minister Divinae Majestatis, à non-ordinatis distinguitur, & intrinsecè perficitur, ut ministeriò Divinò ritè fungatur; de quo rursus in §. 2. aliqua dicentur. 3

IV. sunt privilegia & onera, quae tribuuntur ordinatis ab Ecclesia; de quibus agemus in *lib. III. tract. de Pers. Eccl. & Jur. Eccles. p. 1. per tot.* 4

§. II.

An & quando reiterari possit, & debeat Ordinatio?

Ex impressione Characteris deducitur alius effectus, quòd scilicet Ordinatio, validè peracta, sinè gravi sacrilegio reiterari nequeat. Est enim de fide certum & definitum à Concil. Flor. in *decreto Eug. §. quinto*; & Trid. *sess. 7. can. 9.* Sacramenta, quae characterem imprimunt, iterari, vel saepiùs conferri non posse. Invalidè si peragatur Ordinatio, propter defectum substantialem, sinè periculo sacrilegii potest & debet reassumi *cap. si quis 1. de Presbyt. non baptiz.* nec enim *intelligitur iteratum, quod nescitur esse factum cap. solemnitates 16. Dist. 1. de Consecrat.* Accidentia tantùm, solennitates, ritus & caeremoniae, si fuerint omissa, nihil iteratur quoad substantialia, sed illa ipsa accidentia, quae fuerunt omissa, supplentur *cap. pastoralis 1. cap. ult. de Sacrament. non iterand.* 5 6 7

Dubitatur verò I. quid faciendum sit in dubio, num Ordinatio validè peracta fuerit? 8

Resp. quòd, si dubium sit prudens, & gravi ratione subnixum, Ordinatio sub conditione repetenda sit per textum in *cap. ult. de Presbyt. non baptiz.* quia, ut ibidem loquitur Innocentius III. *non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum.* Magnif. D. P. König ad *tit. de Sacram. non iterand. num. ult.* Advertit autem P. Gobat *Theol. experim. tr. 8. num. 206.* dubium, quod circa validam Ordinationem suboritur ob defectum materiae vel formae, rariùs esse rationabile, adeòque spernendum: cùm enim praeter 9

Minis-

Ministrum Ordinis plures aliæ personæ concurrant
ad Ordinationem, non est credibile, quòd defectum
substantialem, si quis accidisset, nemo obser-
vásset.

10 Dubitatur II. quid agendum, si in Ordinatio-
ne Diaconi vel Presbyteri manus impositio fuerit
omissa?

Ad hoc dubium respondet Gregorius IX. in *cap.
ult. de Sacrament. non iterand. non esse aliquatenus
iterandum, sed statutô tempore ad hujusmodi Or-
dines conferendos cautè supplendum, quod per
11 errorem exstiterit prætermissum.* Hæc tamen res-
ponsio, quamvis de Ordinatione Diaconi simpliciter
procedat; nihilo minùs de Ordinatione Presbyteri
cum aliqua distinctione temperari debet. Refert ni-
mirum, an impositio manuum omissa fuerit in pri-
ma Ordinatione Presbyteri, quâ confertur Potes-
tas in Corpus Christi verum per Consecrationem Pa-
nis & Vini; an in secunda, quâ confertur Potes-
tas in Corpus Christi mysticum per absolutionem
12 à peccatis. Primò casu non repetitur Ordinatio, sed
impositio manuum duntaxat suppletur: quia manuū
impositio in prima Ordinatione Presbyteri non
est essentialis, sed tantùm deprecatoria & acciden-
13 talis. Alterô casu repetitur Ordinatio, non quidem
totaliter, sed partialiter, ac nova manuum impo-
sitio cum pronuntiatione verborum formalium ad-
hibetur: quia constituit materiam essentialem. P. En-
gel ad *tit. de Sacram. non iterand. num.* 6. Clariss. P.
Schmalzgrueber *ibid. n.* 4.

14 Dixi: *totalem Ordinationem non repeti*: cùm
enim Ordinatio prima consistere valeat absque se-
cunda, ac diversis temporibus una & altera lega-
tur Apostolis collata; illa scilicèt in ultima cœ-
na; hæc post resurrectionem Domini: sanè de pri-
ma nihil est reiterandum, esto secunda fuerit irri-
15 ta. Aliud foret, si prior Ordinatio propter defe-
ctum substantialem fuisset nulla: tunc enim pos-
terior, licèt defectu substantiali non laboraret,
deberet iterari: quia Potestas in Corpus Christi
mysticum conferri nequit, antequàm in Corpus
Christi verum collata supponatur; prout colligi-
tur exemplô Christi, qui suis Apostolis tum pri-
mùm concessit Potestatem ligandi & solvendi,
postquàm eisdem Potestatem consecrandi concesse-
rat.

16 Dubitatur III. utrùm reiteranda sit Ordinatio Sa-
cerdotis aut Episcopi, quando per oblivionem omis-
sa fuit unctio; vel quando Episcopus tantùm est un-
ctus oleô simplici, vel etiam commixtô cum balsamo
artificiali?

17 Resp. negativè. Ita decidit Innocentius III. in
cap. un. de Sacra unct. in pr. dum ad casum pro-
positum de Bracharensi Episcopo, qui in Conse-
cratione sua non acceperat sacram unctionem, non
jussit Ordinationem iterari, sed tantùm unctionem
chrysmatis suppleri. Gonzalez ad *cit. cap. num.*
3. & 4. P. Wiestner ad tit. *de Sacram. non ite-
rand. num.* 14. P. Schmalzgrueber *ibid. num.* 5.
qui duo posteriores etiam in *num. sequentib.* ex
decisione Apostolica docent, ne quidem supple-
tionem (minùs iterationem) esse faciendam, quan-
do Episcopus est consecratus cum unctione olei,
cui balsamum artificiale fuit admixtum: quia sci-
licèt etiam naturali balsamo solet admisceri artifi-
ciale: ut proinde Ecclesiæ præcepto per unctio-
nem olei, cui balsamum artificiale fuit admixtum,
jam censeatur esse satisfactum.

§. III.

*Qualis Potestas & Officium per singulos Ordines con-
feratur?*

Effectus specialis, ac cuilibet Ordini proprius 18
est specialis Potestas & Officium. Ut autem ordia-
mur à primo Ordine: Potestas & officium *Ostia-
rii* est, aperire & claudere januas Ecclesiarum; ea-
rundem ostiis assistere; indignos, præsertim excom-
municatos, excludere. Textus in *cap. perlectis* 1.
§. *ad ostiarium Dist.* 25. Additur in Concilio Me- 19
diolanensi, sub D. Carolo Borromeo, quod citat
Clericat. *decis.* 17. *num.* 31. ut *ostiarius arceat
populum, ne accedat ad Sacerdotem, facientem Di-
vina; campanas pulset; in Ecclesia deambulantes,
dormientes, vendentes, tumultum facientes, ad Superio-
rem deferat, & expellat; mendicantes ab Ecclesia exclu-
dat; Ecclesiam verrendam curet; canes & alia bruta
expellat; & omne indecens ab Ecclesia removeat.*

Potestas & officium *Lectoris* est I. studere Sacræ 20
Scripturæ, & ejusdem libros fideliter & diligenter
custodire. Clericat. *decis.* 18. *num.* 24. II. lectiones 21
Horarum Canonicarum in Ecclesia recitare; necnon
prophetias, quando legendæ sunt in Missa, legere;
item Introitum, Graduale, & alia, de more canen-
da, cantare *cap. Cleros* 1. *Dist.* 21. III. Verbum 22
DEI prædicare, non quidem solenniter & intra Mis-
sarum solennia (sic enim contradiceret textus in
cap. adjicimus 19. *XVI. q.* 1. in quo statutum habe-
tur: ut *nullus præter Domini Sacerdotes audeat præ-
dicare*) sed privatim, explicandô Christianam doc-
trinam; catechumenos de fidei nostræ principiis ins-
truendô; cæterósque fideles ad justitiæ semitam ex-
citandô; quô sensu in *cap. perlectis* 1. §. *ad lecto- 23
rem Dist.* 25. dicitur: *ad Lectorem pertinet, lectio-
nes pronuntiare, & ea, quæ Prophetæ vaticinârunt,
populis prædicare.* Similiter in Ordinatione Lectoris
dicitur: *accipe, & esto relator Verbi DEI &c. habi-
turus partem cum eis, qui Verbum DEI ministrave-
rint.* Vid. Salmanticenses de *Sacram. Ord. cap.* 3. *n.*
14. Additur in Pontificali Romano: Lectores posse 24
benedicere panem, & omnes fructus novos; quæ tamen
benedictio, veluti notavit Gobat *Theolog. experim.
tr.* 8. *num.* 66. Lectoratui prorsus est accidentaria,
nec ampliùs usitata.

Potestas & officium *Exorcistarum* est, dæmones è 25
corporibus hominum obsessorum per adjurationes,
& exorcismos, ab Ecclesia præscriptos, expellere *d.
cap. perlectis* 1. §. *ad Exorcistam Dist.* 25. Vid. Cleri-
cat. *decis.* 17. *per tot.* Verùm ob copiam tot Sacer- 26
dotum, quibus nunc abundat Ecclesia, Superio-
res Ecclesiastici memoratis Exorcistis usum Pote-
statis suæ non permittunt. Gobat *cit. l. nume-
ro* 68.

Potestas & officium *Acolythorum* duplex est; 27
unum, deferre candelabrum cum accensis lumini-
bus ante Sacerdotem, & quando legitur Evangelium; 28
alterum, Subdiacono porrigere urceolos cum vino
& aqua pro consecrando Sanguine Christi in Sa-
crificio. Textus in *cap. Cleros* 1. §. *ult. Dist.* 21.
cap. acolythus 16. *Dist.* 23. *d. cap. perlectis* 1. §. *ad aco-
lythum Dist.* 25.

Potestas & officium *Subdiaconorum* olim erat, 29
ostiariis invigilare, ut constat ex Clementis Papæ *lib.*
8. *cap.* 11. res & gesta Martyrum conscribere, ut pa-
tet ex Epistola prima S. Fabiani Papæ; colligere
oblationes, in Ecclesia factas, ut liquet ex *cap. Cle-
ros* 1. §. *hypodiaconi Dist.* 21. Clericat. *decis.* 24. à
num. 2. Hodie verò, ut relucet ex Pontific. Rom. 30
de Subdiaconi Ordinatione, Subdiaconorum est,
aquam ad ministerium altaris præparare, Diacono

ministrare; pallas altaris & corporalia abluere; cali-
cem & patenam in usum sacrificii eidem offerre; pa-
nem consecrandum, quantùm sufficiet pro commu-
31 nione populi, deferre. Clericat. *d. l. num.* 15. Ad-
de, quòd Subdiaconis hodie incumbat, ut induti
albâ, tunicellâ, & manipulô, canteni Epistolam in
Missa solenni; patenam, velò involutam, teneant;
crucem in processionibus præferant. Clericat. *d. l. n.*
24. *& seqq.*
32 Potestas & Officium *Diaconorum* est I. Sacerdoti
celebranti, vel alia Sacramenta dispensanti, imme-
diatè ministrare *d. cap. perlectis* 1. §. *ad Diaconum*
33 *Dist.* 25. II. Evangelium in Missa solenni cantare,
sicuti deducitur ex formula Ordinationis, ubi ad
Diaconos dicitur: *curate, ut, quibus Evangelium*
34 *ore annunciatis, vivis operibus exponatis.* III. In
casu necessitatis saltem S. Eucharistiam fidelibus dis-
pensare, prout fecit D. Laurentius, qui ad S. Xy-
stum Pontificem, *experire*, inquiebat, *utrùm idoneum
Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis
dispensationem*; atque à Conciliis firmatum osten-
dit Clariss. P. Cœlestinus Pley in *Theoremat. Angel.*
35 *Theolog. pag. m.* 415. IV. in eodem necessitatis ca-
su, vel etiam ex commissione Parochi, solennem
baptismum conferre per textum in *cap. constat.* 19. *de
Consecrat. dist.* 4. ibi: *baptismi mysterium* (vel, ut
alii legunt, ministerium) *nec ipsis Diaconis explere
est licitum, absque Episcopo vel Presbytero, nisi his
procul absentibus ultima languoris necessitas cogat.* Cle-
36 ricat. *decis.* 30. *num.* 33. V. Verbum DEI prædica-
re, juxta verba Ordinationis Diaconalis: *provehen-
di filii dilectissimi ad Leviticum Ordinem, cogitate
magnoperè, ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis:
Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptiza-
re, & prædicare*; & *cit. cap. perlectis* 1. §. *ad Dia-
conum Dist.* 25. Clericat. *d. l. num.* 30. Clariss. P.
37 Pley *cit. l. pag.* 414. Sed hanc prædicandi facultа-
tem à Diacono exerceri non posse, nisi authoritas &
licentia Episcopi vel Parochi accedat, propter tex-
tum in supra *cit. cap. adjicimus* 19. *XVI. q.* 1. con-
cludunt Pax Jordan *lib.* 6. *tit.* 1. *n.* 83. & Gobat *cit.
tract.* 8. *n.* 79.
38 Equidem ex *cap. fures* 2. *de Furt.* colligi videtur,
Diacono quoque fas esse, confessiones excipere,
ibi: *si comprehensi* (fures) *aut vulnerati Presbytero
vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non ne-
39 gamus.* At, omissis aliorum responsionibus, quas re-
fert & expendit Gonzalez ad *eund. tit. in not. num.* 3.
cum eodem Authore dicendum est, intellectum *cit.
cap.* hunc esse, quòd, si fures & latrones, antequàm
comprehensi fuerint, dederint signa pœnitentiæ co-
ram Presbytero vel Diacono, ad communionem ad-
mittantur, ita ut Presbyter vel Diaconus, non tan-
quam Ministri absolutionis Sacramentalis, sed tes-
tes signorum pœnitentiæ adstiterint; in qua hypothe-
si communio, quatenùs opponitur excommunicatio-
ni, & facit aliquem participem commercii fidelium
extra & intra Divina, talibus haud denegatur.
40 Potestas & Officium *Presbyterorum* est, conficere
Corpus & Sanguinem Domini, absolvere à pecca-
tis, & cætera Sacramenta fidelibus administrare. La-
tè Clericat. *dec.* 34. *per tot.*
41 Potestatem & officium *Episcoporum* per decursum
hujus tractatus ex instituto discussimus, dum in *Cap.*
2. *Sect.* 1. *per tot.* ostendimus, eum Ministrum Or-
dinarium esse, per quem tota Potestas Ordinis in sua
latitudine exercetur.

SECTIO II.

De Pœnis malè Ordinantium, & Ordinatorum.

SUMMARIA.

42. *Ad effectum Ordinationis referuntur pœna.* 43. *Pœna conferentis Primam Tonsuram infanti.* 44. *In conferentem Minores ante canonicam ætatem nulla in Jure est determinata pœna.* 45. *& seqq. Pœna conferentis Majores Ordines ante ætatem.* 49. *Pœna ordinati ante legitimam ætatem.* 50. *Solùm incurritur in susceptione Majorum Ordinum.* 51. *Mala fide per istâ.* 52. *& seq. Habitâ notitiâ non potest in Ordine suscepto ministrare.* 54. *& seq. Inter Regulares & Sæculares in hoc puncto non est facienda distinctio.* 56. *& seqq. Pœna Ordinantis alienum subditum absque literis dimissoriis.* 59. *Pœna ordinati non-subditi.* 60. *Ordinatio tamen non est nulla quoad effectum.* 61. *& seqq. Pœna Ordinantis & ordinati extra Diœcesin.* 67. *& seqq. Pœna Ordinantis & ordinati extra tempora.* 72. *& seqq. Agitur de Absolutione ab his pœnis.* 76. *& seq. Agitur de Ordinatione, non servatis interstitiis facta.* 78. *& seqq. Pœna Ordinantis aliquem sine titulo.* 83. *& seqq. Pœna ordinati sine titulo.*

§. I.

De Poena Ordinantis vel Ordinati ante legitimam ætatem.

AD effectum Ordinationis revocantur pœnæ, 42
in malè Ordinantes & ordinatos constitutæ.
Has strictim lustraturi, incipimus a pœna, quæ sta-
tuta noscitur in Ordinantem & ordinatum ante legi-
timam ætatem. Ubi ex parte Ordinantis est dis-
tinguendum inter Primam Tonsuram, Ordines Mi-
nores, & Majores. Primam Tonsuram si conferat 43
infanti (quod ipsum extenditur ad illiteratos &
conjugatos, si tonsurentur extra casus, à Jure per-
missos) ab illius collatione per integrum annum
est ipsô Jure suspensus *cap. ult. de Temporib. Or-
dinat. in* 6. In Minoribus Ordinibus, ante canoni- 44
cam ætatem collatis, eandem pœnam ab Ordi-
nante incurri, quidam ex paritate *cit. cap. ult.* de-
ducunt. Sed quia constitutio pœnalis est, lo-
quens de sola Tonsura, non extendi, sed coarctari
debet ad suos limites; adeòque punitio Superio-
ris arbitrio relinqui. P. Wiestner ad *tit. de Temp.
Ordinat. num.* 91. P. Schmalzgrueber *ibid. nume-
ro* 60.
Quando Majores Ordines ante definitam æta- 45
tem conferuntur, ordinans à collatione Ordinum
indefinitè & simpliciter per sententiam dicitur sus-
pendendus *cap. vel non est* 14. *de Temporib. Or-
dinat.* Fagnanus *ibid. num.* 32. Unde, si Ordinans, 46
insuper habitâ suspensione, nihilo minùs ordinare
præsumpserit, contrahit irregularitatem non minùs,
quàm alius, qui ministrat in Ordine, à cujus ex-
ercitio suspensus est per *cap. is cui* 20. *de Sen-
tent. excommunicat. in* 6. Idemque contingere, si 47
in tali suspensione Primam Tonsuram impertiatur,
docet *cit.* Fagnan. *num.* 35. non immemor scilicèt
opinionis, aliàs à se defensæ, quòd Prima Tonsu-
ra sit Ordo propriè talis. Sed, quia à nobis in *cap.* 48
1. *num.* 38. eadem Tonsura ab Ordine propriè ta-
li fuit exclusa, non possumus Fagnani placito men-
tem inclinare: utpote cùm in *cit. cap. vel non est* Or-
dinans

dinans tantùm à collatione Ordinum (quorum no-
mine in materia pœnali non comprehenditur Or-
do impropriua) suspensus referatur. Aa. mox ci-
tari.
49 Ordinatus ante præfixam ætatem de Jure Com-
muni in *cit. cap. vel non est* per sententiam suspen-
di jubetur; at in constitutione Pii II. quæ inci-
pit *cùm ex Sacrarum* 1461. editâ, suspensio est
latæ sententiæ, si Ordo collatus sit unus ex Ma-
joribus; & ordinatus eundem mala fide, id est,
sciens, se in ætate minori constitutum, recepe-
50 rit. Sin Ordo collatus sit unus ex Minoribus, tunc,
quia *cit. cap. vel non est* apertè loquitur de Dia-
conatu; & constitutio Piana sermonem facit de Or-
dinibus Sacris: bene concluditur, Primam Tonsu-
ram & Ordines Minores, ceu non-sacros, ibidem
non includi. Barbosa de *Off. & pot. Ep. alleg.* 16.
num. 14. Antonell. de *Regim. Eccles. Episc. lib.*
2. *cap.* 2. *num.* 2. P. Reiffenstuel ad *tit. de Tem-
porib. Ordinat. num.* 170. P. Schmalzgrueber *ib.*
51 *num.* 62. Præterea, cùm eadem Piana voluerit re-
primere temeritatem ordinatorum, ac aliunde sit
notum, pœnas in ignorantes, & culpâ carentes,
non statui: is, qui bonâ fide credidit, se annos
canonicos jam jam attigisse, à pœna suspensionis
erit immunis. Barbosa *ad cit. cap. vel non est n.*
52 8. Antonellus *d. cap.* 2. n. 4. Interim, si ordi-
natus successu temporis acquisiverit notitiam, se
in ætate non competenti ordinatum fuisse, non poterit
ante ætatem plenè habitam in Ordine suscepto minis-
trare: quippe cùm bona fides, quamdiù non resol-
vitur, excuset quidem à culpa, non tamen aufe-
rat impedimentum, à Jure constitutum. Reiffen-
53 stuel *cit. l. num.* 180. Quamquàm ne hoc quidem
casu irregularitatem contrahat *arg. cap. is qui* 18.
de Sent. excommunicat. in 6. Wiestner *cit. l. num.*
96. Antonellus *cit. n.* 4.
54 Num porrò Clericus ordinatus sit Regularis vel
Sæcularis, nihil interesse, docuerunt Antonell. *d.*
l. n. 1. Barbosa *d. alleg. num.* 25. P. Pirhing ad *tit.*
de Temporib. Ordinat. num. 95. P. Schmalzgrueber
55 *ibid. num.* 63. Siquidem *cit.* constitutio Pii II. licèt
ab initio de solis Clericis Sæcularibus disserere videa-
tur; in decursu tamen de omnibus & singulis,
qui ante canonicam ætatem ordinantur, dis-
ponit.

§. II.

De Pœna malè Ordinantis & Ordinati propter defectum subjectionis.

56 Specialis quoque pœna reperitur decreta in illum,
qui scienter aut affectatâ ignorantia ordinat alienum
subditum absque literis dimissoriis sui Ordinarii:
hinc enim ab Ordinum collatione per annum est
ipsô Jure suspensus *cap. eos qui* 2. *de Temporib.*
Ordinat. in 6. Trid. *sess.* 23. *de ref. cap.* 8. *in fin.* Const.
57 Innocentii XII. quæ incipit: *speculatores &c.* Quòd-
ve hæc suspensio sit universalis, atque ad omnes
Ordines porrigatur, colligitur ex *cit. cap. eos qui*,
ubi non tantùm constitutio & locutio de Ordini-
bus est universalis & indefinita, sed etiam licentia,
quæ datur subditis talis Episcopi, Ordines à vicinis
Episcopis recipiendi (de qua in *cap.* 3. *num.* 98.)
est absoluta & generalis. Pignatell. *tom.* 9. *consult.*
189. *num.* 97. *& seq.* Pirhing *cit. l. num.* 98. Wiestner
ibid. num. 110. Econtrà Primæ Tonsuræ collatio-
58 nem in illa suspensione non contineri, satis proba-
tur ex dictis in *num.* 48. quia scilicèt in propria si-
gnificatione Ordinum numerô non intelligitur. Cla-
riss. P. Schmalzgrueber *cit. l. n.* 66.
59 Ordinatus quoque non-subditus in pœnam teme-
ritatis tamdiu manet ab Ordinum (Majorum &
Minorum, utpote cùm Trid. Concilium, mox citan-
dum, absque distinctione loquatur) executione sus-
pensus, donec cum eo dispensetur ab Episcopo pro-
prio *cap. illud* 1. *cap. si quis* 3. *Dist.* 71. *cap. eos qui*
2. *de Temporibus Ordinat. in* 6. Trid. *d. sess.* 23. *de*
Ref. cap. 8. Barbosa *de Off. & pot. Ep. alleg.* 8. n. 11.
Et licèt in *cap. nullus* 1. *IX. q.* 1. talis Ordinatio pla- 60
nè declaretur nulla; hoc tamen est exaudiendum de
solo effectu seu executione Ordinum per *cap. ult.*
ead. quæst. 3. Pignatell. *cit. l. n.* 93. *& seq.*
Quæres: an & qualis pœna sit statuta, si quis 61
in aliena Diœcesi, sinè illius Diœcesani licentia, or-
dinet?
Resp. in Trid. Concil. *sess.* 6. *de ref. cap.* 5. in Or-
dinantem statutam esse suspensionem ab *exercitio Pon-
tificalium*, id est, omnium actuum, qui proprii
sunt Ordinis Episcopalis, etiam Primæ Tonsuræ ex
cap. 14. *num.* 74. *& seq.* in ordinatos verò suspensio-
nem ab executione Ordinum ipsô Jure decretam es-
se. Hæc autem suspensio, cùm pœna non levis 62
sit, non incurritur ab Ordinante vel ordinato,
si fuerint in bona fide, ac probabiliter existimârint,
Episcopum Diœcesanum non fore invitum. Schmalz-
grueber ad *tit. de Tempor. Ordinat. sub num.* 71.
Nihilo minùs, ut cum eodem Authore docent P. Pir- 63
hing ad *cit. tit. num.* 105. & P. Wiestner *ibid. num.*
208. ordinatus est suspensus impropriè, nec potest
Ordinem susceptum exercere, donec Episcopus lo-
ci, ubi peracta est Ordinatio, cum eo dispenset: quia
scilicèt talis Ordinatio, ferè ad instar sententiæ,
extra territorium latæ, quoad executionem est nul-
la *cap. Episcopum* 7. *IX. q.* 2. Verùm, ut verum 64
fatear, difficulter in hanc doctrinam consentio:
tum quia in effectu parum aut nihil interest, sive
talem ordinatum dicamus impropriè suspensum, sive
propriè, cùm in utroque sensu indigeat dispensa-
tione: tum quia Ordinationem quoad executionem 65
invalidam non magis convalidare potest Episcopus
alienæ Diœcesis, quàm Judex alterius territorii sen-
tentiam ea se nullam potest firmitati restituere: tum 66
denique quia *cit. cap. Episcopum* desumptum est ex
Concilio Antiocheno, quod, cùm particulare fue-
rit, totam Ecclesiam non potuit obligare.

§. III.

De Pœna Ordinantis vel Ordinati extra tempora, vel interstitiis non servatis.

Ordinantis & ordinati pœna extra tempora consue- 67
ta est suspensio ferendæ sententiæ per *cap. sane* 2. &
cap. cùm quidam 8. *de Temporib. Ordinat.* ettu in su-
pra *cit.* Bulla Pii II. *cùm ex sacrorum &c.* quoad or-
dinatum facta sit latæ sententiæ. Imò etiam quoad 68
Ordinantem posset videri, pœnam ferendæ sententiæ
per Concil. Trid. *sess.* 23. *de ref. cap.* 8. & Bullam
91. Sixti V. in pœnam latæ sententiæ fuisse com-
mutatam. Sed, ut rectè sentit P. Engel ad *cit. tit. de* 69
Tempor. Ord. num. 16. illa constitutio Conciliaris
duos casus complectitur, ac ab initio præcipit, ut
Ordines statutis de Jure temporibus conferantur;
postea verò prohibet, ne alienus subditus ordinetur
absque testimonio sui Ordinarii: & quia suspensionis
pœna solùm adjicitur casui posteriori; ob strictam
Legum pœnalium naturam, extensionem ad priorem
non patitur. Bullam quoque Sixti V. à Clemente V.
temperatam esse, testatur Pignatell. *tom.* 10. *consult.*
159. *n.* 18.
Hæc autem suspensio neque incurritur, quando 70
Ordines Minores tantùm sunt collati: eò quòd *cap.*
sanè 2. & *cap. consultationi* 16. *d. t.* de Sacris Ordi-
nibus mentionem ingerant; neque privationem ex-
ercitii

ercitii quoad alium Ordinem, quàm extra tempo-
ra illicitè susceptum, eòque superiorem, inducit, ut
in eo, quò quisque deliquit, puniatur. Panormitan.
ad *cap. vel non est eit. tit. n.* 5. Fagnan. *ibid. n.* 16.
Reiffenstuel ad *cit. tit.* n. 181.
72 Quis autem absolvere valeat à tali suspensione?
Intricatè discurrunt Aa. Crediderim tamen, Epis-
copum, extra tempora perperam Ordinantem, & ita
ordinatos absolvi posse ab Archi-Episcopo; illum
quidem ex Jure Decretalium potestate ordinariâ *arg.*
cap. pastoralis 11. *in fine princ. de Offic. Judic. Or-*
73 *dinat.* hos autem potestate delegatâ per *cap. consul-*
tationi 16. *de Temporibus Ordinat.* P. Engel ad *eund.*
tit. num. 17. Archi-Episcopus enim est immediatus
Superior Episcopi Suffraganei, non autem subdi-
74 torum illius. Quòd si Episcopus Ordinans sinè cul-
pa, ordinatus econtra sit culpabilis, ipsemet Epis-
copus absolvere poterit: quia Episcopus genera-
tim à suspensione, quæ sinè certi temporis deter-
minatione infertur, absolvere potest per *cap. ex lite-*
ris 11. *de Constitut. cap. nuper* 29. *de Sent. excommu-*
nicat. P. Pirhing ad *tit. de Temporib. Ordinat. num.*
107. P. Wiestner *num.* 103. P. Schmalzgrueber *n.* 72.
75 Nec putes: suspensionem hanc Summo Ponti-
fici reservatam esse per *cap. cùm quidam* 8. *de Tem-*
porib. Ordinat. reservata siquidem est tantùm respe-
ctu ordinati in casu primo, quo Episcopus delicti se
participem fecit; imò in hoc ipso casu per *d. cap.*
consultationi 16. Archi-Episcopo jus absolvendi de-
legatum est.
76 Quoad Ordinationem, non servatis interstitiis
factam, non legitur in Jure pœna quædam ex-
pressa, nisi eôdem die vel continuatô jejuniô duo-
bus, plures Ordines Majores, vel Minores cum
Subdiaconatu conferantur: tunc enim Ordinans à
collatione Ordinum sic collatorum; ordinatus au-
tem ab exercitio posterioris Ordinis, non ritè sus-
cepti, suspenditur *cap. literas* 13. *de Temporib.*
77 *Ordinat.* Hæcque suspensio est Summo Pontifi-
ci per *cit. cap.* reservata; licèt Archi-Episcopo
facultatem absolvendi jure delegatô concedat P.
Engel ad *cit. tit. num.* 19.

§. IV.

De Pœna Ordinantis & Ordinati sinè titulo.

78 Pœna Ordinantis aliquem sinè titulo, veluti jam
indicatum erat in *cap.* 3. *num.* 127. est, quòd or-
dinato teneatur alimenta necessaria subministrare,
donec beneficium Ecclesiasticum consequatur *cap.*
Episcopus 4. *cap. cùm secundum* 16. *de Præbend. cap.*
79 *si Episcopus* 37. *eôd. in* 6. Hæcque obligatio (quod
mirum videtur) non tantùm afficit Episcopum Or-
dinantem, sed etiam illius successorem, qui nihil
deliquit; non quidem in pœnam, sed ad tollendum
opprobrium, ut ait Pignatell. *to.* 5. *consult.* 77. *num.*
80 2. *d. cap. cùm secundum* 16. Ipsum verò Episcopum
Ordinantem non aliter stringit, quàm si culpabilis
extiterit, ac vel sciverit, ordinatum carere titulô,
vel inquirere neglexerit. Fagnanus in *cit. cap. cùm*
secundum num. 61. Pirhing ad *tit. de Temporib. Ordi-*
nat. n. 211. Pignatell. *cit. l. n.* 14. P. Schmalzgrue-
ber *ib. sub n.* 69.
81 Ab alio Episcopo si quis ordinatus fuerit, refert,
an ille habuerit generalem commissionem ab Episco-
po proprio, vel specialem. Primô casu ad sustenta-
tionem Clerici ordinati sinè titulo obligatur Epis-
copus alienus, utpote qui propter generalem com-
missionem fuisset obligatus ad inquisitionem, de ti-
82 tulo faciendam. Secundô casu tenetur Episcopus
proprius, cui antequàm literas dimissorias conce-
dat, à Concil. Trid. *sess.* 23. *de Ref. cap.* 3. injungitur,
ut suos subditos probet & examinet. P. Reiffenstuel
ad *cit. tit. de Temporibus Ordinat. n.* 174.
Ordinatus sinè titulo de Jure antiquiori in *cap.* 83
neminè 1. & *cap. seq. Dist.* 70. incurrebat suspensionem:
eò quod Ordinatio in *cit.* textibus irrita (intellige
quoad executionem) pronuntietur. Verum de Ju- 84
re noviori per *cit. cap. cum secundum* immutatum est,
in verbis: *licèt autem prædecessores nostri Ordinatio-*
nes eorum, qui sinè certo titulo promoventur, in inju-
riam Ordinantium irritas esse voluerint, & inanes:
nos tamen benignius agere cupientes, tamdiu per Ordi-
natores vel successores eorum provideri volumus ordi-
natis, donec per eos Ecclesiastica beneficia consequan-
tur. Si tamen ordinati fraudulenter egissent, titu- 85
lum fingendô, quem nunquàm acceperunt, pœna sus-
pensionis, Jure antiquiori statuta, non censeretur es-
se revocata: nec enim fraudulentis & decipientibus
Jura succurrere, sed potius indignari solent. Barbo-
sa de *Off. & pot. Episc. alleg.* 20. *num.* 27. Fagnanus
cit. loc. num. 69. *in fin.* Pignatell. *d. consult.* 77. *num.*
15. Reiffenstuel *cit. l. num.* 197. Clariss. P. Schmal-
zgrueber *d. l. num.* 70 qui Authores in confirmatio-
nem hujus asserti tam Bullam Urbani VIII. quæ in-
cipit: *Secretis æternæ providentiæ &c.* quàm Decla-
rationem Cardinalium ac stylum Curiæ allegant.
Neque opinetur: pœnam suspensionis incurri, ta- 86
metsi ordinatus fraudulenter non egerit, dum Conc.
Trid. *sess.* 21. *de Ref. cap.* 2. *antiquorum Canonum pœ-*
nas super his innovavit. Innovavit enim, hoc est, de-
nuò confirmavit pœnas, necdum à Jure posteriori le-
gitimè abrogatas.

SECTIO III.

De Effectu Confirmationis & Consecrationis.

SUMMARIA.

87. *Confirmationis effectus est gratia sanctificans.* 88. *Impressio characteris.* 89. *Illius reiteratio non causat irregularitatem.* 90. *Cognatio spiritualis.* 91. *Effectus Consecrationis describitur.* 92. *Semel valida non repetitur.* 93. *Quando dubium est de valore, repetitur sub conditione.*

§. I.

De Effectu Confirmationis.

Confirmatio triplicem effectum operatur. I. est 87
gratia sanctificans, quâ confirmatus acquirit ro-
bur & fortitudinem ad fidem Christianam, constanter
& perseveranter propugnandam. Textus in *cap. om-*
nes 1. *cap. spiritus* 2. *de Consecrat. Dist.* 5. *cap. un.* §.
per frontis de Sacra Unct.
II. est character indelebilis, quô confirmatus spiri- 88
tualiter in anima signatur in militem Christi; ratione
cujus Confirmatio, legitimè collata, reiterari nequit.
Concil. Florent. in *decreto Eugenii* §. *quintò.* Trid.
sess. 7. *de Sacram. can.* 9.
Si tamen de facto fieret reiteratio, nec Minister 89
nec suscipiens irregularitatem vel censuram incurre-
rent: siquidem extra reiterationem baptismi, de qua
loquitur *cap. qui in qualibet* 10. *I. quæst.* 7. *cap. præ-*
tereà 1. *de Apostat.* non habetur aliqua irregularitas
vel censura statuta. P. Engel ad *tit. de Sacram. non*
iterand. num. 3. Clericat. de *Sacram. Confirmat.*
decis. 58. *num.* 3. Barbosa de *Off. & pot. Ep.*
alleg. 30. *num.* 30. Gonzalez ad *cap. ex tenore* 4. *de*
Temporib. Ordinat. n. 7
III. est cognatio spiritualis, inter confirmantem, 90
confirma-

confirmatum, ejus parentes & patrinos contracta; de qua speciatim in *Lib. IV. tract. 3. de Impediment.*

§. II.

De Effectu Consecrationis.

91 Consecrationis effectum jam enodabimus in *Lib. III. tract. de Person. Reb. & Jur. Ecclesiast. p. 2.* ubi de rebus sacris concludemus, quòd ad usum pium & rei gestum applicari; cum omni reverentia & veneratione tractari; nec in contractus onerosos, in quibus ex altera parte temporale quid redditur, venire debeant.

92 Id solum de Consecratione quacunque adverto, quod, ubi validè & ritè celebrata fuit, non amplius sit repetenda per *cap. Ecclesiis 20. de Consecrat. Dist. 1.* ubi ex Nicæno Concilio dicitur: *Ecclesiis, semel DEO consecratis, non debet iterum Consecratio adhiberi: quia, sicut infans à qualicunque Sacerdote in nomine Patris & Filii & Spiritus S. semel baptizatus, non debet iterum baptizari: ita nec locus, DEO dicatus, iterum consecrandus est.* Pax Jordan *lib. 5. tit. 9. num. 62.*

Si tamen occurrat dubium: an Consecratio fuerit
93 celebrata; vel, si constet quidem de Consecratione, dubitetur tamen de illius valore, denuò sub conditione consecratur per *cap. solemnitates 16. d. Dist. 1. de Consecrat.* Pax Jordan *d. l. n. 63. & seqq.*

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Ordinati ante legitimam ætatem, extra tempora, aut sine literis dimissoriis incurrunt suspensionem universalem ex constitutione Pii V. 2. & 3. Quæ tamen constitutio quoad ordinatos sine dimissoriis est immutata. 4. & seqq. Episcopus, alieno subdito absque dimissoriis Primam Tonsuram conferens, per annum à collatione ejusdem censura suspensus est. 7. & seqq. Ordinatus cum uno ex præfatis impedimentis in Sub-Diaconum, Diaconum, aut Sacerdotem, per solam ordinationem non fit irregularis. 10. Cum ordinatis ante ætatem aut extra tempora dispensat Episcopus. 11. Non obstante Bullâ Sixti V. quæ revocata est. 12. Quoad solam suspensionem; non item quoad irregularitatem.*

QUÆSTIO I.

An suspensio, quam incurrunt ordinati ante legitimam ætatem, extra tempora, aut sine Literis dimissoriis, sit universalis, an solùm particularis quoad Ordinem susceptum?

Resp. esse universalem: quia constitutio Pii II.
1 *cum ex Sacrorum* de ejusmodi ordinatis universaliter loquitur, quòd, *si ad aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerint promoveri, à suorum Ordinum executione ipso jure suspensi sint, &, si hujusmodi suspensione durante in iisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eò ipsò irregularitatem incurrant.* Fagnanus in *cap. vel non est de Tempor. Ordinat. num. 11. &*
2 *14.* Quia verò Concilium Tridentinum *sess. 14. de Reformat. cap. 2. & sess. 23. cap. 8.* de iis, qui ordinantur absque literis dimissoriis, distictè loquitur, quòd *à susceptorum Ordinum executione, quàmdiu pro-*
3 *prio Ordinario videbitur expedire, sint suspensi*; idque etiam dilucidè repetitur in Bulla Innocentii XII. quæ incipit; *Speculatores* de Anno 1694. hinc Pianam constitutionem quoad ordinatos sine dimissoriis correctam esse, cum Matthæucci de *Officiali Curiæ Eccles. cap. 35. n. 10.* tradit Eminentiss. Petra *cit. tom. 5. pag. 284. n. 11.*

QUÆSTIO II.

An Episcopus, qui alieno subdito Primam Tonsuram absque literis dimissoriis confert, incurrat aliquam suspensionem?

Videri posset, quòd non: quia in hoc *cap. n.* 4
58. diximus, in suspensione, quam incurrit Ordinans, alienum subditum, non involvi collationem Primæ Tonsuræ. Sed perperam. Quod enim *d. l.* dictum est, pertinet ad Episcopum, qui alieno 5
subdito confert Ordines Majores aut Minores; quo in eventu suspensus est per annum à collatione Ordinum, majorum aut minorum, sed non à collatione Tonsuræ, quæ juxta nos Ordo propriè talis non censetur. At verò, si Episcopus alieno subdito ipsam 6
Tonsuram conferat, *ut in eo, in quo peccavit, puniatur, per unum annum à collatione Clericalis Tonsuræ duntaxat noverit se suspensum*, ut habet expressus textus in *cap. ult. de Temporib. Ordinat. in 6.*

QUÆSTIO III.

An, qui sine legitima ætate, aut literis dimissoriis; aut extra tempora ordinatus suspensionem incurrit, si posteà in Sacerdotem ordinetur, ipsâ ordinatione incurrat irregularitatem?

Ratio affirmandi desumitur ex prædicta Bulla 7
Pii II. quæ, cùm ita ordinatos declaret irregulares, si durante suspensione ministraverint in Ordinibus, etiam ordinatos in Sacerdotem videtur includere: quippe qui in ipsa ordinatione exercent actum Ordinis Sacerdotalis, celebrandò Missam cum Episcopo ordinante. Sicque cum nonnullis docet Ventriglia in *Annot. ad Concil. Trident. 44. num. 22.* Sed meliùs cum Barbosa ad *cit. sess. 23. Concil. Trident. cap. 12. num. 7.* negat *cit.* Petra *pag.* 8
285. num. 19. tum quia non potest in rigore generaliter dici ministrare in Ordine, qui eum primùm recipit: tum quia specialiter pro Missa propria talis non habetur ab Ecclesia, quam Presbyter in actuali ordinatione cum Episcopo concelebrat, sed potiùs pars esse reputatur Sacerdotalis ordinationis. Idemque de receptione Diaconatûs 9
aut Sub-Diaconatus tenet idem Petra *num. 20.* tametsi enim horum Ordinum functio fieri censeatur post totam ordinationem, moratur tamen loquendò fit infra ordinationem, quæ durare censetur, quàmdiu Missa durat.

QUÆSTIO IV.

Quis dispenset cum ordinatis ante legitimam ætatem aut extra tempora?

Dispensare posse Episcopum Ordinantem quoad 10
suspensionem, dummodò non fuerit ipsemet culpabilis, docet Barbosa ad Concil. Trident. *sess. 23. de Reformat. cap. 12. num. 22.* quia neque in dicta Piana constitutione, neque in Jure Communi hæc dispensatio fuit Summo Pontifici reservata. Et quamquàm in Bulla Sixti V. fa- 11
cta sit reservatio contra malè promotos; ea tamen à Clemente VIII. ad terminos illius Pianæ & Concil. Tridentini revocata, & redacta noscitur. Petra *pag. 286. n. 21.*

Dixi:

12 Dixi: *quoad suspensionem*: siquidem irregularitatem, quæ oritur ex ministerio in Ordine, malè suscepto, non alius tollit, quàm Summus Pontifex; præterquàm si fuerit occulta, in qua post Conc. Trid. *seß.* 24. *de Ref. c.* 6. dispensat Episcopus. Petra *pag.* 287. *n.* 28.

CAPUT VI.

De Impedimentis, quæ Potestati Ordinis sunt contraria.

Potestati Ordinis, quò minùs acquiri, vel jam acquisita exerceri possit, contraria sunt impedimenta, seu irregularitates, quæ obstant non solùm Ordinum susceptioni, sed etiam usui & exercitio. De his itaque, cùm propriè spectent ad forum nostrum Canonicum, pro Conclusione totius materiæ largiori manu differemus.

SECTIO I.

De Illegitimitate.

SUMMARIA.

1. *Describitur illegitimitas.* 2. *Est macula nativitatis.* 3. & 4 *Ex concubitu illicito contracta.* 5. & *seqq. Faciens, ut aliquis ad Ordines promoveri non poßit.* 9. & *seqq. Illegitimi sunt etiam inhabiles ad Ordines Minores.* 13. & *seqq. Quidam illegitimos occultos non putant esse irregulares.* 16. & *seqq. Alii rectiùs tenent contrarium.* 20. & *seqq. Objecta solvuntur.* 24. *In dubio præsumitur quis legitimus.* 25. & *seq. Infantes expositi à quibusdam habentur pro illegitimis.* 27. & *seqq. Ab aliis habentur pro legitimis.* 33. *Debent nihilominus natales suos aliter probare, si velint ad Ordines promoveri.* 34. *Potest cum illis Episcopus dispensare.* 35. *Refertur Bulla Gregorii XIV.* 36. & *seqq. Discutitur quæstio, an liberi ex parentibus, votó solenni ligatis, editi, sint legitimi?* 39. & *seq. Deciditur, quòd sint legitimi civiliter, non autem canonicè.* 43. *Illegitimitas tollitur per profeßionem Religiosam.* 44. *Etiam apud PP. S. JESU.* 45. & *seqq. Non autem per Novitiatum.* 54. *Illegitimitas nō tollitur quoad Prælaturas.* 55. & *seqq. Tollitur tamen quoad beneficia.* 60. & *seq. Filius illegitimus non potest cum patre in eodem Monasterio conversari.* 62. *Illegitimitas tollitur per legitimationem per subsequens matrimonium.* 64. & *seq. Etiam quoad Episcopatum.* 66. *Exceptô Cardinalatu.* 67. *Legitimatus per rescriptum Pontificium est habilis ad Ordines.* 62. *Nisi specialiter requiratur legitima nativitas.* 69. & *seqq. Legitimatus per rescriptum Principis Sæcularis est inhabilis ad Ordines.* 75. *Illegitimitas tollitur per dispensationē.* 76. & *seqq. Hanc concedit S. Pontifex.* 79. & *seqq. Episcopus regulariter dispensat ad sola beneficia simplicia.* 82. & *seqq. Defenditur, quòd Episcopus dispensare poßit in Illegitimitate occulta.* 90. & *seqq. Dispensatio ad beneficia est strictæ interpretationis.* 94. & *seqq. Dispensatus ad Ordines sacros est dispensatus ad beneficium simplex.* 99. *Secus dicendum de eo, qui dispensatus est tantùm ad Ordines non-sacros.* 100. *Prælati Regulares cum suis illegitimis ad Prælaturas ejusdem Ordinis dispensare valent.* 101. & *seqq. Illegitimi Presbyterorum filii non possunt in Ecclesia suis patris habere beneficium vel ministerium.* 104. & *seqq. Quod etiam probabiliter de nepotibus ipsorum asseritur.* 108. *Non item de patre, qui potest habere beneficium filii spurii post ejus mortem & resignationem.* 109. & *seqq. Filius legitimus Sacerdotis non potest immediatè suo patri in beneficio succedere.* 112. *Nisi beneficium non habuerit in titulum.* 113. & *seq. Hæc prohibitio non spectat ad fratres & cæteros collaterales.* 115. & *seq. Neque ad patrem.* 117. *Neque ad nepotes.* 118. *Si pater adhuc superstes sit.* 119. *Suggeritur ratio.* 120. & *seqq. Eidem ferè modô discurritur de nepote, ex filio illegitimo legitimè procreato.* 123. & *seq. In his casibus dispensat solus Papa.*

§. I.

Quid sit Illegitimitas?

PRimum impedimentum primàque species irregu- 1
laritatis est Illegitimitas, seu vitium originis; ac
describitur, quòd sit macula nativitatis, ex concu-
bitu illicito contracta, faciens, ut aliquis ad Ordines
promoveri non possit.
Dixi I. *macula nativitatis*: qui enim nascitur ex 2
thoro non legitimo, censetur maculam contrahere,
non ex vitio proprio & actuali, sed ex alieno & qua-
si originali, dum paternum delictum luere debent
innocentes liberi, non quidem ex culpa, sed ex causa
in *n.* 5. & *seqq.* assignandâ.
Dixi II. *ex concubitu illicito contracta.* Ubi quidem 3
in ordine ad legitimationem, vel successionem hære-
ditariam varie distinguitur, utrum concubitus il-
le sit simplex & fornicarius in specie, an verò sit
adulterinus, sacrilegus, aut nefarius: verùm in or-
dine ad Ordines suscipiendos nulla fit distinctio,
sed omnes, quotquot ex thoro illicito, atque adeò à
personis, Jure connubiali inter se non colligatis, sunt
geniti, inhabiles ad suscipiendos Ordines reputantur
cap. ut filii 1. *cap. ult. de Filiis Presbyter. Ordinand.*
cap. is qui 1. *eòd. in* 6.
Dixi III. *faciens, ut aliquis ad Ordines promo-* 4
veri non poßit. Rationes, quæ Legislatores Eccle-
siasticos ad statuendum hoc impedimentum move-
runt, sunt partim incontinentia paterna, cujus il-
legitimi liberi præsumuntur hæredes futuri per *cap.*
si gens 10. *Dist.* 56. partim detestatio criminis pa- 5
terni, quod, ad terrorem parentum, etiam in liberis
innocentibus punitur *arg. cap. vergentis* 10. *de Hæ-* 6
retic. partim memoria impudicitiæ, quæ procul ab
Ecclesia, in qua Agnus immaculatus offertur, remo-
veri debet *arg.* Trident. Concil. *seß.* 25. *de Refor-*
mat. cap. 15. partim excellentia Potestatis Ordinis, 7
ad quam personæ viles & defectuosæ non admittun-
tur per *cap. inter dilectos* 11. *de Exceßib. Prælat.* Cla-
riss. P. Wolfgangus Obermayr in *Quæst. Canon. Ci-*
vil. de Natal. dess. q. 4. *cap.* 1. *n.* 1. & 2.
Hic autem quædam dubia veniunt enodanda. Et 8
I. quidem dubitatur: utrùm illegitimi sint etiam
inhabiles ad Ordines Minores? Ratio dubitandi de-
sumitur ex *cap. presbyterorum* 1. *Dist.* 56. *cap. ut fi-*
lii 1. *de Filiis Presbyteror.* ubi illegitimi repellun-
tur ab Ordinibus sacris, quorum numerô Minores
non continentur per *cap. à multis* 9. *de Ætat. qual. &*
Ordin. præficiend. Verùm indubitatè credendum est, 9
illegitimos etiam ab Ordinibus Minoribus arceri per
textum concludentem in *cap. is, qui* 1. *de Filiis Pres-*
byt. in 6. ubi *is, qui defectum patitur natalium, ex dis-*
pensatione Episcopi licitè dicitur ad *Ordines Minores*
promoveri posse; optimô argumentô, quòd de Jure
Communi talis promotio non sit concessa. Ratio est: 10
quia

quia motiva, in *n.* 5. *& seqq.* allegata, non solum
stringunt pro Ordinibus Majoribus, sed etiam pro
Minoribus; imò, ut plerique docent cum Garcia
apud *citat.* P. Obermayr *q.* 4. *cap.* 1. *n.*3. etiam pro
Clericatu simplici seu Prima Tonsura.
11 Ad rationem dubitandi Resp. I. Ordines sa-
cros in *citat.* textibus vocari tales in sensu abso-
luto, quatenùs personam ordinatam efficiunt sa-
cram, & sacræ functionis capacem reddunt; sic-
que Minores æquè ac Majores comprehendi per
cap. 1. *n.* 27.
12 Dubitatur II. utrùm, si illegitimitas sit occulta,
impediat Ordinationem? Negativa tribuitur Al-
phonso de Castro: tum quia in *cap. ex tenore* 4. *de*
Temporib. Ordinat. crimen occultum non impedit
13 Ordinationem: tum quia illegitimitas, quæ non est
notoria & manifesta, non repellit aliquem à bene-
ficiis Ecclesiasticis *cap. quoniam* 10. *de Filiis Pres-*
14 *byt.* tum quia nec Ecclesiæ deturpatur honor, nec
reverentia sacri ministerii periclitatur, nec pericu-
lum scandali subest, quando macula natalium est
occulta: tum quia rigorosum & difficile foret, si
illegitimus delectum occultum manifestare, & se-
16 ipsum infamare teneretur. Sed affirmativa, quam
tuentur Covarruv. in *Clem. si furiosus p.* 2. §. 3. *n.* 4.
Thomas Tamburinus *de Censur. & irregularitat.*
cap. 17. §. 1. *n.* 4. *&* 5. P. Wiestner ad *cit. tit. de Fi-*
liis Presbyt. n. 4. Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid.*
17 *n.* 2. & communior & solidior est. Ratio est: quia
ex textibus in *n.* 4. apparet, illegitimos indistinctè
repelli ab Ordinibus; nec ullus ex adverso textus
est reperibilis, qui reflexionem faciat ad illegitimi-
18 tatem manifestam. Accedit, quòd cæteræ spe-
cies irregularitatum obstent Ordinibus, sive noto-
riæ sint, sive absconditæ, veluti patet ex Trid. Con-
cil. *sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. ubi Episcopis datur facul-
tas, in irregularitate ex delicto occulto dispensandi;
quæ facultas non fuisset necessaria, si irregularitas
non-patens non causaret impedimentum.
19 Objecta pro negativa non nocent. Ad I. Resp.
per crimen occultum, cui ex speciali Juris dispo-
sitione non est annexa irregularitas, non impedit
Ordinationem, nisi ex illo sequatur infamia facti,
quæ tamen non aliter consurgit, ac si crimen eva-
dat notorium. Gonzalez ad *cit. cap. ex tenore n.*
7. 8. *&* 10.
20 Ad II. Resp. illegitimos à beneficiis excludi,
non tantùm, si notorium, sed etiam si occultum
fuerit, quòd patres ipsorum in eadem Ecclesia,
in qua beneficiatos agere cupiunt, beneficium ali-
quod habuerint; eô discrimine servatô, quòd in
casu notorietatis absque ulteriori indagine & pro-
cessu removeri possint: utpote cùm manifesta non
21 egeant longiori discussione. Ad III. Resp. et-
iamsi in illegitimitate occulta cesset una ratio,
propter quam irregularitas est introducta, non ta-
men cessare reliquas, præsertim detestationem cri-
minis paterni, & præsumptionem hæreditariæ in-
22 continentiæ ex *n.* 5. *&* 6. Ad IV. Resp. ex *cap.*
4. n. 37. quòd talis illegitimus nec defectum occul-
tum manifestare, nec se ipsum infamare teneatur:
potest siquidem ab Ordinibus abstinere, causâ ab-
stinentiæ non expressâ; quod sanè non probrosum
aut rigorosum est.
23 Dubitatur III. utrùm illegitimitas dubia ponat
obicem Ordinationi?
Resp. negativè. Ratio est: partim quia in du-
bio præsumenda sunt benigniora: partim quia in
dubio non contrahitur irregularitas, sed expressa
Juris sanctio desideratur per textum in *cap. is qui*
18. *de Sent. excommunicat.* in 6. Magnif. D. P. Kö-
nig ad *tit. de Filiis Presbyt. n.* 8. P. Wiestner *d. l.* n.
5. P. Schmalzgrueber *cit. n.* 2.

Dubitatur IV. utrùm infantes expositi sint cen- 24
sendi illegitimi, & inhabiles ad Ordines? Hîc in
utramque partem inveniuntur multi DD. In affir-
mativam eunt Covarruv. *in cit. Clem. p.* 1. *num.* 9.
Ugolin. de *Off. Ep. cap.* 44. §. 7. *n.* 1. P. Engel ad *tit.*
de Filiis Presbyt. n. 5. Bonacina de *Censur. disp.* 7. *q.*
2. *p.* 3. *n.* 10. Ratio est: quia in dubio præsumptio 25
capitur ex illis, quæ frequentiùs accidere solent:
frequentius autem accidit, ut exponantur illegiti-
mi, quàm legitimi, dum parentes, coitum impro-
batum celaturi, prolem spuriam abjiciunt, & in pla-
tea, aut foribus Ecclesiarum, vel aliarum ædium
exponunt. In negativam transeunt Magnif. D. P. 26
Konig ad *tit. qui filii sint legit.* n. 15. Clariss. D. de
Chlingensperg ad *tit. Inst. de Ingen. q.* 6. Clariss. P.
Obermayr in *Quæst. Canonico-Civ. de Natal. def. q.*
2. *cap.* 2. *n.* 9. Anton. de *Reg. Eccl. Ep. lib.* 2. *cap.* 7.
P. Wiestner ad *tit. de Infant. & lang. expos.* n. 10.
Ratio est I. quia generalis præsumptio in dubio non 27
solùm stat pro parte benigniori, sed etiam pro par-
te, quæ caret delictô *cap. ult. de Præsumpt. cap. estote*
2. *de R. J.* adeóque etiam pro legitimitate, quæ fa-
vorabilis est, & delictô caret. II. quia speciatim Ju- 28
ra sunt prona in favorem liberorum, quorum legiti-
mitatem, quantùm fieri potest, potius facilitant &
adjuvant, quàm coarctant & impediunt *cap. ex te-*
nore 14. *Qui filii sint legit.* III. quia adhuc specia- 29
lius SS. Canones favent infantibus expositis, dum
ipsos in *cap. un. de Infant. & languid. expos.* à patria
potestate liberos declarant: quod fieri non posset,
nisi præsumerentur legitimi, dum patria potestas ex
solo legitimo thoro subnascitur §. *ult. Inst. de Patria*
pot. §. *ult. Inst. de Nupt.* IV. quia specialissimè quoad 30
Sacros Ordines Jus sacrũ patrocinatur expositis, dũ
in *cap. accedens* 14. *de Purgat. Canon.* Diacono non
aliter indicitur purgatio Canonica super natalis de-
fectu, quàm si *publicè fuerit notâ* (hoc est, infamiâ)
respersus. V. quia non desunt exempla, quòd libe- 31
ri legitimi quoque fuerint expositi, vel ad inopiam
sublevandam, vel ad periculum declinandũ; quem-
admodùm evenit Magno Prophetæ & Duci Israëli-
tico Moysi, ut patet ex libro *Exodi cap.* 2. Unde
præsumptio, quæ sumitur pro legitimitate, tanquã
proli benignior, & delicti exclusiva, præferenda est
alteri, quæ sumitur ex communiter accidentibus.
Hanc posteriorem opinionem censeo probabi- 32
liorem. Quia tamen in *cap.* 4. n. 28. *& seqq.* ad-
verti, ei, qui aspirat ad Ordines, qualitates extrin-
secas, qualis etiam est legitimitas, esse probandas:
hinc cum Francisco à Mostazzo in *tract. de Caus.*
piis lib. 4. *cap.* 11. *n.* 76. censeo, liberos expositos,
non minùs ac alios, ad Ordines non esse admitten-
dos absque dispensatione, si legitimos natales aliis
adminiculis non probaverint. Hæc verò dispen- 33
satio, cùm versetur circa rem dubiam, non est de
necessitate petenda à Summo Pontifice, sed potest
ab Episcopo peti & concedi, veluti cum Laymann.
tradit *cit.* à Mostazzo. Quod ipsum generaliter
erit annectendum ad *n.* 24. ubi actum est de illegi-
timitate dubia.
Affertur quidem Bulla Gregorii XIV. anno 34
1591. edita, per quam expositi etiam ad Ordi-
nes pro legitimis haberi videntur. Sed idem Au-
thor respondet, eandem Bullam in gratiam Con-
fraternitatum, pro liberis expositis institutarum,
emanâsse; proindeque solos expositos illarum Con-
fraternitatum ad Ordines admitti posse.
Dubitatur IV. utrùm ad Ordines suscipiendos 35
idoneus censeatur, qui natus est ex conjugibus,
quorum unus vel uterque, post matrimonium con-
summatum, solemniter professus est Religionem;
aut quando maritus cum uxoris assensu Majores Or-
dines suscepit? Ratio affirmandi petitur ex eo: quia

filius, ex legitimo thoro procreatus, est legitimus
36 & idoneus ad Ordines. Atqui talis filius est pro-
creatus ex legitimo thoro: etenim votum solem-
ne castitatis, quantumvis emittatur post matrimo-
nium consummatum, non solvit vinculum conju-
gii, nec aufert jus & proprietatem quoad thorum
& munus conjugale, ut rectè notavit Panormitan.
ad *cap. literas* 14. *de Filiis Presbyt. n.* 4. Ergo &c.
37 Ratio negandi eruitur ex *cit. cap. literas* 14. ubi fi-
lius, post Sacerdotium patris ex uxore legitima ge-
nitus, dispensativè solùm ad Ordines admittitur:
quod signum est perspicuum, de Jure communi si-
miles filios ad Ordines reputari inhabiles.

38 In hoc dubio dicendum, natum ex conjugibus,
quorum alter vel uterque ligatus est votô solemni,
censeri quidem legitimum Civiliter & politicè, re-
spectu successionis hæreditariæ & aliorum jurium
temporalium; non autem Canonicè respectu Ordi-
num & beneficiorum. Ita Gonzalez ad *cit. cap. li-
teras* 14.*n.*3. P. Konig ad *eund. tit. n.*6. P. Schmalz-
grueber *ibid.n.*4. P. Wiestner ad *tit. Qui filii sint le-*
39 *git. n.* 24. Ratio discriminis est: quia Jus Civile
in legitimitate liberorum præcipuè considerat ju-
stas nuptias, quas superveniens votum solemne non
40 vitiat aut inficit ex *n.* 36. Jus Canonicum verò
non tantùm attendit justas nuptias, sed etiam in-
continentiam paternam, quæ juxta *cit. cap. a fi-
liis modis omnibus est propellenda*: adeóque, cum
in casu nostro de incontinentia paterna constet,
filius exinde progenitus repellitur ab Ordinibus &
beneficio.

41 Cætera dubia, quæ de legitimitate liberorum
moveri solent, discutientur in loco proprio in *lib.
IV. tract.* 2. *de Matrim.* Interim sufficiat, indicâs-
se, omnes illegitimos Ordinum & beneficiorum in-
capaces esse; &, si de facto ordinentur, aut pro-
moveantur ad beneficia, Ordinum collationem
quidem (sed absque executione) valere. P. Wiestner
ad *tit. de Filiis Presbyt. n.*6. promotionem autem ad
beneficia prorsus invalidam esse, ut patet ex *tract.
de Mod. acquir. Prælat. cap.* 1. *n.* 267.

§. II.

Quomodò per Religiosam Profession. tollatur impedimentum illegitimitatis?

42 Impedimentum illegitimitatis tollitur primò Re-
ligiosâ professione: cùm enim, ut pientissimè effa-
tur Imperator Justinianus in *præfat. ad Nov.* 5. *con-
versationis Monachalis vita sic honesta sit, sicque com-
mendare noverit DEO ad hoc venientem hominem,
ut omnem quidem humanam ejus maculam detergat,
purum autem declaret, ac rationabili natura decen-
tem, & plurima secundùm mentem operantem, & hu-
manis mentibus celsiorem*: hinc professio Religiosa
maculam quoque natalium abstergere, & illegitimos
ad Ordines habilitare potest *cap. presbyterorum* 1.
Distinct. 56. *cap. ut filii* 1. *de filiis Presbyteror.*
43 Dixi: *Religiosa*; quæ hunc valorem etiam ha-
bet apud PP. Societatis JESU, conformiter Bullæ
Gregorianæ, quæ incipit *ascendente Domino de an-*
44 *no* 1584. editæ. Solus tamen ingressus in Novi-
tiatum eô favore & valore non gaudet, sicuti con-
tra Rodriquez *tom.* 1. *Reg.q.*13. *art.* 4. adstruunt P.
Pirhing ad *cit. tit. de Filiis Presbyt.n.*6. P. Wiestner
ib. n. 12. P. Schmalzgrueber *ibid. n.*8. & alii pleri-
45 que. Ratio est: tum quia in *cit. cap. Presbyterorum*
1. *Dist.*56. apertè requiritur, ut illegitimi in *cœno-
biis aut in canoniis religiosè probati fuerint conversa-
ti*, hoc est, præcedente probatione seu Novitiatu
46 vitam Religiosam professi: tùm quia in *cit. cap. ut
filii* 1. *de Fil. Presbyt.* æquè dilucidè statuitur, ut
Monachi fiant; quæ verba, ut verificentur, debent
accipi cum effectu, seu inclusione professionis, cujus
intuitu privilegium legitimitatis concessum intelli-
gitur per *cap. quia ingredientibus* 7. *cap. si qua mulier*
9. *in pr. XIX. q.* 3. *Auth. ingressi Cod. de SS. Eccles.*

Nec opponas: in eodem *cap. ut filii* sub disjunc- 47
tione constituti, ut liberi fornicarii aut *Monachi
fiant*, vel *in Congregatione Canonicorum regulariter
vivant*; eamque constitutionem, cùm favorabilis
sit, latiùs accipiendam, atque ad Novitios, qui et-
iam vivunt regulariter, extendendam esse. Nam, 48
ut probè legenti textum innotescet, hæc constitu-
tio disjunctiva eum duntaxat in finem ponitur, ut
Monachi & Canonici Regulares simul comprehen-
dantur, non etiam, ut includantur Novitii: hi nam-
que, licèt regulariter vivant, non vivunt tamen sta-
biliter & perpetuò, cum emissione votorum solem-
nium. Cæteroquin fraus evenire posset, ac No- 49
vitius eâ tantùm intentione Monasterium ingredi,
ut, acquisitâ legitimatione, mox regrediatur.

Dices: fraudis hujus periculum non esse, dum 50
Novitii, regredientes ad sæculum, rursus in irre-
gularitatem incidunt: quemadmodùm & alii jam
professi, postquam ex Ordine vel Monasterio di-
mittuntur, aut ejiciuntur, in pristinam irregulari-
tatem relabuntur: cùm, cessante causâ, cesset effe-
ctus *cap. cum cessante* 60. *de Appellat.*

Resp. hæc gratis & absque sufficienti fundamen- 51
to dici: nam irregularitas, per professionem semel
ablata, non amplius reviviscit, etsi quis ex Ordine
vel Monasterio dimittatur, aut ejiciatur, ut cum
Suarez & Sanchez docent Antonell. de *Regim. Ec-
cles. secul. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 16. Barbosa ad *cit. cap.
ut filii n.* 2. P. Pirhing *eòd. tit. num.* 6. Clariss. P.
Schmalzgrueber *n.* 7. Ratio est: quia stabilitas & 53
perseverantia in Monasterio est quidem causa sub-
latæ irregularitatis, quatenus firmiter à profiten-
te intenditur; non autem quatenùs actu conti-
nuatur & observatur: nam ipse actus professionis,
seriò emissæ, meretur specialem Juris prærogati-
vam, tametsi professus postmodùm sacrilegii reus
efficiatur.

Interim illegitimitas, quæ aboletur per Reli- 54
giosam professionem, soli tantùm Ordinationi non
obest; impedimentum nihilominùs ponit electioni
vel promotioni ad Prælaturas Ecclesiasticas, tam
respectu virorum, quàm respectu monialium per tex-
tum in *cit. cap. ut filii* 1. *in verb. prælationes verò
nullatenùs habeant.* & dicta in *tract. de Mod. acquir.
Prælat. cap.* 1.*n.*755. Incertum verò & dubium est, 55
utrùm illegitimi per professionem saltem legitimen-
tur ad alia beneficia Ecclesiastica, curata, & non-
curata? Negat absolutè Suarez apud P. Wiestner ad
cit. tit. n. 14. eique quoad beneficia curata subscri-
bunt Abbas in *cit. cap. n.*6. Fagnanus *ibid. n.*20. Pir-
hing ad *d.t. n.*7. Quibus suffragatur textus in *cap.* 56
ult. d.t. ubi *filii Sacerdotum & alii non legitimè nati
ad dignitates, personatus, & alia beneficia, curam
animarum habentia, sine dispensatione promoveri ve-
tantur.* Cui generali definitioni tantò fortiùs parere
tenentur Religiosi, quòd in *cit. cap. ut filii* tantum
habilitentur ad Sacros Ordines, non autem ad bene-
ficia. Hanc sententiam in praxi receptam, & tenen- 57
dam suadet P. Wiestner *cit. l. n.* 15. à Jure tamen
non censet alienam sententiam Castropalai, simpli-
citer Religiosos ad beneficia sine Prælatura admit-
tentis. Ratio est: quia in *cit. cap. ut filii* Religiosi,
per professionem ad SS. Ordines habilitati, solùm
excluduntur à Prælaturis. Ergo ad cætera benefi-
cia tacitè judicantur idonei: eò quòd exceptio fir-
met regulam in casibus, non exceptis *arg. l. cùm
prætor* 12. *in pr. ff. de Judic. l. quæsitum* 12. *§.* 4. *v.
non qui ff. de Instruct. vel Instrum. leg.*

Poste-

58 Posteriori sententiæ accedendum puto, & ad
textum in *cit. cap. ult.* Resp. illum loqui de Clericis
Sæcularibus, quibus nec sacra professio, nec modus
alius, quô defectus natalium purgari solet, patrocinatur:
per hos enim, cùm maculâ nativitatis
adhuc sordescant, *Ecclesia deformatur honestas*, ut
59 innuitur in *eod. cap. ult. in pr.* Nec officit, quòd in
cit. cap. ut filii sola mentio fiat de Ordinibus: jam
enim in *n. 57.* subjeci, tacitam saltem mentionem de
beneficiis fieri, quatenùs solæ Prælaturæ excipiuntur,
& sic beneficia cætera non excepta supponuntur.
60 Quæres: an filius illegitimus possit ingredi Religionem
vel Monasterium, in quo pater ipsius professionem
amisit, & adhuc vivit?

Ad hoc quæsitum respond. Clariss. P. Obermayr
in *quæst. canon. de Nat. def. q. 4. n. 46.* extare constitutionem
Gregorii XIV. quæ incipit: *circumspecta*,
ac prohibet, ne talis admissio concedatur.
61 Ratio est: quia specialis indecentia videtur, ut filius
illegitimus cum suo patre ad eandem Religionem
vel Monasterium assumatur: exemplum enim
incontinentiæ paternæ continuò repræsentatur
oculis, nec tam aliis, quàm ipsimet patri & filio,
notam generat.

§. III.

Qualiter per Legitimationem tollatur impedimentum illegitimitatis?

62 Secundò tollitur impedimentum illegitimitatis per
legitimationem, quæ principaliter est duplex, una
per matrimonium, altera per rescriptum Principis.
Et quidem de legitimatione per matrimonium (de
qua plura in *lib. 4. Tract. 1.*) indubitatum est, eam
prorsus abolere defectum Natalium, & facere, ut
filius sic legitimatus admittatur ad Ordines, beneficia,
dignitates, & Prælaturas Ecclesiasticas.
63 Antonell. *de Regim. Eccles. sac. d. lib. 2. cap. 2.
n. 11.* Eò quòd in *cap. tanta 6. Qui filii sint legit.*
liberi, per subsequens matrimonium legitimati, per
64 omnia æquiparentur legitimè natis. Et quamvis de
Episcopatu plenè non consentiat Fachinæus *lib. 4.
controv. cap. 54.* dum in *cap. cùm in cunctis 7. in pr.
de Elect.* in Episcopo requiritur, ut *de legitimo
matrimonio sit natus*; attamen nec ipse meretur as-
65 sensum: quandoquidem per *cit. cap. tanta est vis*
per Juris fictionem matrimonium evadit legitimum,
quod contrahitur à personis, quibus antecedenter
per congressum extramatrimonialem filius illegitimus
est conceptus. P. König ad *d. tit. qui filii sint*
66 *leg. n. 19.* Excipitur sola Dignitas Cardinalitia,
à qua legitimatos per subsequens matrimonium peculiari
constitutione, quæ incipit: *postquàm*, removit
Sixtus V. anno 1590.
67 Quod concernit legitimationem per rescriptum
Principis, videndum est, an ille sit Ecclesiasticus,
puta S. Pontifex; an Sæcularis, nimirum Imperator
aut Rex. Primô casu legitimatus est capax Ordinum
& beneficiorum Ecclesiasticorum: etenim S.
Pontifex potest haud dubiè illegitimos ad Ordines
& beneficia habiles efficere; &, si rescriptum legitimationis
concedat, id ipsum efficaciter velle censetur.
At, ubi concurrit voluntas & potestas legitimandi,
consequitur necessariò legitimationis effe-
68 ctus. Ergo &c. Quòd si tamen in lege, fundatione,
vel statuto specialiter requiratur, ut promovendus
ad beneficium vel dignitatem Ecclesiasticam
sit legitimè natus, veluti requiritur in promovendis
ad Episcopatum *d. cap. cùm in cunctis in pr.
de Elect.* legitimatum per rescriptum S. Pontificis
non admitti, concludit P. König ad *cit. tit. Qui
filii sint legit. n. 48.*

Alterô casu legitimatus remanet inhabilis ad Or- 69
dines & beneficia Ecclesiastica. Panormit. ad *cap.
per venerabilem 13. Qui filii sint legit. n. 16.* P. Engel
ad *tit. de Filiis Presbyter. n. 10.* Ratio est: quia
effectus illegitimorum natalium, quos induxit Jus
Ecclesiasticum, nemo potest tollere, nisi qui est supra
Jus Ecclesiasticum. Atqui Imperator vel alii
Reges non sunt supra Jus Ecclesiasticum: utpote
cùm laici sint, & Ecclesiæ subditi, ipsosque *maneat
necessitas obsequendi, non auctoritas imperandi.*
Ergo effectus illegitimorum natalium, quos induxit
Jus Ecclesiasticum, tollere non possunt; sicque
verum est, quod scribit Nicolaus Papa in *cap. lege
Imperatorum 1. Dist. 10. Imperiali Judiciô Ecclesiastica
Jura dissolvi non posse.*

Confirmatur: quia legitimatio, facta in uno Reg- 70
no, non extenditur ad aliud regnum, ut bene demonstrat
Fachin. *lib. 3. Contr. cap. 58.* Ergo etiam
legitimatio, facta ab Imperatore in Romano Imperio,
non extenditur ad Regnum Ecclesiæ.

Objicias: irregularitas, quæ provenit ex servitu- 71
te, per manumissionem domini solvitur in utroque
foro, tam Ecclesiastico, quàm Sæculari. Ergo etiam
irregularitas, quæ provenit ex vitio natalium,
per rescriptum Principis Sæcularis solvitur in utroque
foro, Ecclesiastico & Sæculari.

Resp. negandô conseq. Disparitas est: quia ir- 72
regularitas ex servitute non est absoluta, sed respectiva
tantùm, quatenùs concernit præjudicium
domini: & ideò, si dominus per servi manumissionem
velit cedere juri suo, irregularitas evanescit.
At irregularitas ex vitio natalium est absoluta, nec
cessat in foro Ecclesiastico, nisi Supremus Princeps
Ecclesiæ consensum præbeat.

Instabis: hoc ipsô, quòd Princeps Sæcularis per 73
rescriptum gratiæ abstergat maculam natalium, cessare
rationem, ob quam illegitimi de Jure Canonico
judicantur inhabiles ad Ordines & beneficia.

Resp. rationem illam cessare solùm in illo foro, 74
in quo macula natalium est abstersa, id est, in foro
Sæculari; at in foro Ecclesiastico necdum est
abstersa natalium macula: utpote cùm S. Pontifex,
cujus authoritate irregularitas ob natales illegitimos
fuit introducta, necdum dederit assensum.
Ergo non cessat ratio.

§. IV.

Qualiter per dispensationem tollatur impedimentum illegitimitatis?

Tertiò impedimentum illegitimatis tollitur per 75
dispensationem Superioris Ecclesiastici; quæ principaliter
à legitimatione per rescriptum differt in
eo, quòd ista totaliter & radicaliter tollat irregularitatem
quoad omnes effectus; illa è diametro
solvat irregularitatem tantùm partialiter, & quoad
effectus, in literis dispensationis expressos. Covarruv.
de *Sponsalib. & Matrim. p. 2. cap. 8. §. 8.
n. 1.* Lotter de *Re Beneficiar. lib. 2. quæst. 48. n.
118. & seqq.*

Dispensat autem cum illegitimis S. Pontifex tam 76
ad Ordines, quàm ad beneficia qualiacunque:
quàmquam enim in Jure Divino Veteris Testamenti
Deuteron. 23. v. 2. statutum inveniatur: *non ingredietur
manzer, hoc est, de scorto natus, in Ecclesiam
Domini usque ad decimam generationem*; adeóque
concludendum videatur, quòd S. Pontifex dispensare
non valeat: attamen, cum Lex illa Veteris Te- 77
stamenti non fuerit moralis, sed cæremonialis aut
judicialis; imò, ut docent Interpretes apud P. Obermayr
de *Natal. def. q. 4. cap. 2. n. 17.* de dignitatibus
solùm temporalibus in Republica Hebræorum dis-

78 posuerit: hioc vim obligandi non habet in Testamento Novo, sed sicut illegitimitas spontaneè fuit à Summis Pontificibus pro impedimento Ordinum assumpta; sic spontaneè rursus abrogari potest, vel in totum, vel ex parte.

79 Episcopus potestatem dispensandi non habet, nisi ad Ordines Minores & beneficia simplicia *cap. is qui* 1. *in pr. de Filiis Presbyt. in* 6. quorum nomine Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium post Concilium Tridentinum, Ordinem Sacrum in Canonicis talium Ecclesiarum requirens in *sess.* 24. *de ref. cap.* 12. non contineri, docet Lotter *d. q.*48.n.154. *& seqq.* allegans in n. 155. decisionem Rotæ; P.
80 Wiestner ad *cit. tit.* n. 22. Continentur autem Canonicatus Ecclesiarum Collegiatarum, nisi ex statuto vel consuetudine requirant Ordinem Sacrum, ut tradit Antonell. de *Reg. Eccles. Episcop. d. l.* 2.
81 *cap.* 2. n. 4. Ad beneficia curata tum demum dispensat Episcopus, si beneficio simplici accessoriè sint unita: eò quòd accessorium sequatur naturam sui principalis. Barbosa de *Off. & pot. Episcop. alleg.* 45. *n.* 24.

82 Disceptari video: num Episcopus cum illegitimis absolutè dispensare possit, quando illegitimitas est occulta? Rationem disceptandi movet Concilium Trid. *cit. sess.* 24. *cap.* 6. ubi Episcopis datur potestas dispensandi in omnibus censuris & irregularitatibus, ex delicto occulto (exceptò homicidiò
83 voluntariò) provenientibus. Unde, cùm etiam illegitimitas oriatur ex occulto delicto, non quidem liberorum, sed parentum, satis probabiliter potestatem dispensandi Episcopo concedi posse, cum Avila in *tract. de censur. p.*7. *disp.* 3. *dub.*7. & Diana *p.* 3.*tract.*1. *miscell. resol.*21. asserunt Barbosa *J.E.V. lib.*1. *cap.*13. n. 156. & P. Engel ad *tit. de Fil. Pres-*
84 *byteror.* n. 9. Alii verò hanc potestatem negant Episcopo: partim quia delictum, quod propriâ culpâ quis non committit, verum delictum non est:
85 partim quia irregularitas illegitimæ nativitatis magis contrahitur ob notam & indecentiam, quàm ob delictum, ut patet in casu, quô personæ solutæ, ac rationis usu destitutæ, sinè peccato congrediuntur. Ita Piasec. *in praxi Episcop. p.*1. *cap.* 1. *n.* 56. Clariss. P. Schmalzgrueber ad *tit. de Filiis Presbyt. sub n.*11. & alii, quos citat & probat Antonell. *cit. cap.* 2. *n.* 9.

86 Ego libentiùs in priorem sententiam concedo, ex ea ratione, quòd *cit.* constitutio Conciliaris, tanquàm favorabilis, sit amplianda, nec tantùm ad delictum proprium coarctanda: cæteroquin enim hoc absurdum eveniret, quòd melioris conditionis sint, qui per delictum proprium seipsos reddunt irregulares, ac qui per alienam culpam eô-
87 dem impedimentô innodatur. Unde, quod in *n.* 84. dictum est, delictum alienum non esse delictum verum, non impedit: quia, ut mox adverti, memorata constitutio est favorabilis & largè expli-
88 canda, præsertim ut absurditas evitetur. Quod additum est in *n.* 85. irregularitatem istam ob delictum non contrahi; simpliciter negatur: siquidem, si concubitus extra matrimonium non esset vetitus, nulla in liberos nota vel indecentia, propter quam repelli deberent à ministeriis & benefi-
89 ciis Ecclesiasticis, redundaret. Et licèt personæ solutæ, ac rationis usu destitutæ, per congressum extra matrimonium non peccent formaliter, peccant tamen materialiter, dum actus ex se & natura sua est interdictus. Idque sufficit, ad irregularitatem in liberos, ex tali congressu susceptos, transfundendam.

90 Porrò, quantumvis potestas dispensandi in irregularitate ex dictis sit favorabilis; ipsa tamen dispensatio censetur esse odiosa, ideóque, quantum fieri potest, restringenda per *cap. is qui* 1. §. *ille verò de Filiis Presbyt. in* 6. Ex quo deducitur, 91
dispensatum ad Ordines, tantùm ad Minores, non item ad Majores, dispensatum reputari. Barbosa de *Off. & pot. Episcop. alleg.* 45.n 4. Quemadmodùm 92
etiam dispensatus ad beneficium, non censetur esse dispensatus ad curatum per *cap. quamvis* 4. *de Præbend. in* 6. Eadem est ratio de dignitatibus, 93
personatibus, & Canonicatibus Ecclesiæ Cathedralis, ad quos illegitimus, qui dispensationem ad beneficia simpliciter obtinuit, non admittitur. Barbosa *cit. l. n.*7. *& seqq.* P. Engel *cit. l. n.*7. P. Schmalzgrueber *ibid.* n. 14.

An dispensatus ad Ordines, censeatur esse dispensatus ad beneficia? Res ambigua est, in qua cum 94
P. Engel *cit. l. n.*8. P. Pirhing ad *cit. tit.* n. 22. P. Wiestner *ibid. n.*26. sentio, quod, si dispensatio concessa fuerit ad Ordines Majores, ad beneficium 95
simplex quoque videatur concessa. Ratio est: quia, non obstante, quòd dispensatio sit stricti juris, attamen juxta verosimilem dispensantis & supplicantis mentem exponi debet. At, ubi conceditur & petitur dispensatio ad Ordines Majores, mens dispensantis & supplicantis est, ut simul dispensetur ad consequendum beneficium simplex: dum juxta SS. Canones nemo promoveri debet ad Ordines Sacros, qui beneficium non habet, ut constat ex *cap.*3. à n.125. Accedit, quòd ipsemet Pontifex 96
in *cap. proposuit* 6. *de Fil. Presbyter.* fateatur, *indignum esse, ut, postquàm aliquis est in Subdiaconum ordinatus, omninò debeat Ecclesiastici beneficii provisione carere*: ne scilicèt cum dedecore statûs Clericalis ex mendicitate vel officio incompetenti victum quærere cogatur. Ergo ipsemet Pontifex agnoscit, dispensationem ad Ordines Majores secum trahere dispensationem ad beneficium simplex. Præterea, cùm Episcopus Clerico illegitimo, Mi- 97
noribus Ordinibus initiato, possit conferre beneficium simplex *cap. is qui* 1. *in pr. d. t. in* 6. cur non possit Clerico illegitimo, ad Majores Ordines dispensato, simile beneficium conferre?

Nec turbat *cap. ad præsentiam* 2. *X. d. t.* quis loquitur de dispensatione, subreptitiè impetrata; qualis dispensatio ex dictis in *tract. de Jure Leg. cap.* 8. à n.83. non habet vigorem. 98

Aliud dicendum in dispensatione ad Ordines minores: illi siquidem, cùm titulum beneficii de necessitate non exigant, dispensationis extensionem ad beneficium ex verosimili dispensantis & supplicantis mente non inferunt. Aa. anteà citati. 99

Quòd Prælati singulorum Ordinum Religiosorum cum professis illegitimis ad Prælaturas, in suo Ordine capessendas, dispensare valeant, à Gregorio XIV. in Bulla, quæ incipit: *circumspecta &c.* concessum esse, testatur Antonell. de *Regim. Eccles. l.* 2. *cap.* 7. n. 14. 100

§. V.

Quænam specialia sint in Jure constituta circa filios Presbyterorum?

Circa filios Presbyterorum, & aliorum Clericorum Majorum tum legitimos, hoc est, ante Sacerdotii vel Majorum Ordinum susceptionem genitos, tum illegitimos, quoad beneficia Ecclesiastica quædam specialia sunt constituta. Nempe de illegitimis SS. Canones decreverunt, ut, licèt dispensationem super natalium defectu obtinuerint, beneficium tamen, officium, aut ministerium Ecclesiasticum in Ecclesia, in qua pater ipsorum quodcunque beneficium habuit, non obtineant, & , si aliquod obtinuerint, eô priventur. Textus in *cit. cap.* 101

102 *cap. ad præsentiam 2. cap. præsentium 3. cap. con-*
querente 4. cap. eum decorem 15. cap. ad abolendam
16. *de Filiis Presbyt.* Rationem pandit Concil. Trid.
sess. 25. de Reformat. cap. 15. ut paternæ incontinentiæ
memoria à locis, DEO consecratis, quos maximè pu-
103 *ritas sanctitasque decet, longissimè arceatur.* Itaque
filius illegitimos non tantùm verum beneficium in
Ecclesia, in qua pater ipsius beneficium, ministe-
rium, aut aliam functionem habuit, consequi non
potest, sed neque ministerium, aut aliam functio-
nem v. g. Sacristæ, Cantoris &c. adipisci per *cit.*
textus, præcipuè Conc. Trid. Barbosa de *Off. &*
pot. Episcop. alleg. 65. *n.* 20. P. Engel ad *tit. de Filiis*
Presbyt. n. 8. P. Wiestner *ibid. n.* 30. P. Reiffenstuel
104 *n.* 31. Quod ipsum de nepotibus, ex illegitimo Sa-
cerdotis filio legitimè natis, procedere, statuit P.
Engel *d. l. n.* 4. eâ permotus ratione, quòd Concil.
Trid. *d. l.* memoriam incontinentiæ paternæ quam
longissimè removere voluerit à locis consecratis; sic-
que non tantùm illegitimos filios, sed etiam legiti-
mos eorum nepotes repellere per *l. liberorum* 220. *in*
105 *princ. ff. de V. S.* Dissentiunt verò P. Pirhing ad *cit.*
tit. n. 51. P. Wiestner *n.* 31. P. Schmalzgrueber *n.* 23.
nec admittunt, ut constitutio, filiorum exclusiva,
tanquàm pœnalis & odiosa, porrigatur ad nepotes,
in eadem constitutione nominatim non comprehen-
106 sos. At *cit.* P. Engel non sinè fundamento ne-
gat, hanc constitutionem esse pœnalem: utpote
cùm principaliter emanaverit ob decentiam & ho-
107 nestatem, locis sacris congruentem. Si tamen
sententia, quæ favet nepotibus, à Sacra Congreg.
Concilii sit decisa, prout ex Garcia testatur P. Reif-
fenstuel *cit. tit. n.* 32. *propè fin.* eidem haud dubiè
108 acquiescendum erit. Sanè, quòd pater filii spurii
possit in Ecclesia, ubi filius beneficium habuit, post
ejus mortem vel resignationem, beneficium quod-
dam adipisci, ab eadem Congregatione decisum re-
fert P. Schmalzgrueber *d. l. n.* 19. *in fin.* quia scilicèt
dispositio, quæ concernit filium, non extenditur
ad patrem: utpote cùm filius, qui est patris imago,
illius mores & vitia expressiùs repræsentet, quam
pater mores & vitia sui filii.

109 De filiis legitimis (per quos Lotter de *Re Benefic.*
cit. lib. 2. quæst. 48. *n.* 186. etiam adoptivos intelli-
git) Presbyterorum & Clericorum Majorum dis-
positum invenimus, quòd beneficiorum quidem in
Ecclesia, in qua patres ipsorum ministrârunt, inca-
paces non sint *cap. adhæc* 12. *de Fil. Presbyt.* benefi-
cia tamen, quæ patres ipsorum in titulum habue-
110 runt, immediatè possidere nequeant. Textus in
cap. ad extirpandas 11. *cap. Michael* 13. *cap. dilec-*
tus 17. *d. t.* Concil. Trid. *d. sess.* 25. *de Reformat.*
cap. 7. ubi ratio assignatur, ne in Ecclesiam DEI
invehatur species *successionis hæreditariæ, quæ in be-*
neficiis Ecclesiasticis Sacris constitutionibus odiosa,
111 *& Patrum decretis est contraria.* Mediatè verò, si
nempe post obitum aut decessum patris alius qui-
dam successerit, filii non prohibentur, ad beneficium
paternum admitti *cap. ex transmissa* 7. *d. t.* quoniam
deficit hîc imago successionis hæreditariæ, dum fi-
lius non tam patri, quam ejus successori succedere
112 videtur. Quin etiam potest filius immediatè patri
succedere, quando is beneficium habuit, non in ti-
tulum; sed ad nutum & libitum alterius, tanquàm
provisor, administrator, aut vicarius temporalis
cap. constitut. 8. *d. t.* deficit enim in hoc etiam casu
figura successionis hæreditariæ: quia pater Jus in
beneficio nunquàm habuit.

113 Quæri hîc solet I. an, quod sancitum est de fi-
liis, verificetur etiam de patre, fratribus, aut ne-
potibus, ut nec ipsi possint aspirare ad beneficium,
quod filius, frater, aut avus ipsorum immediatè pos-
sedit? De fratribus, & cæteris collateralibus ab om-
nibus ferè respondetur, quòd illi non removeantur
à talibus beneficiis per *cap. ex parte* 12. *de Off. &*
pot. Judic. deleg. cap. non sinè 2. *de Arbitr.* Gonza-
lez ad *cap. dilectus* 17. *de Filiis Presbyt. n.* 15. Col- 114
laterales namque tantam inter se propinquitatem
non habent, quantam ascendentes & descendentes;
nec tanta cum necessitate defertur illis hæredi-
tas, quantâ defertur illis. De patre quoque re- 115
sponsum esse à Sacra Congreg. perhibet Reiffen-
stuel *cit. l. n.* 39. quòd immediatè suo filio possit in be-
neficio succedere; tenentque Barbosa *d. alleg.* 65.
n. 17. Gonzalez *cit. l. n.* 10. Engel *cit. l. n.* 3. Nam, 116
esto parentes alias succedant liberis, succedunt ta-
men irregulariter, ac turbatô mortalitatis ordine:
unde à successione in beneficio nuspiam exclusi re-
periuntur.

Tota igitur quæstio movetur de nepotibus, quos 117
pariter non exclusos arbitrantur Joannes Andreas,
Ancharanus, & Azor, quos citat & sequitur Gon-
zalez *d. l. n.* 15. quia scilicèt nepotes, cum nullibi
expressim à successione deturbentur, in materia
odiosa filiorum nomine haud continentur *arg. l. Le-*
ge Julia 44. *§.* 1. *&* 2. *ff. de R. N.* Verùm rectiùs 118
distinguunt P. Engel *cit. l.* P. Reiffenstuel *d. l. n.* 40.
Zoësius ad *d. tit. de Filiis Presbyt. n.* 10. Clariss. P.
Schmalzgrueber *ibid. n.* 21. an pater nepotis adhuc
vivat, an jam decesserit. Priore casu nepos in be-
neficio avito potest succedere; non item in posterio-
re. Ratio diversitatis est: quia, dum pater nepotis 119
vivit, is non est hæres suus, nec jure successionis
gaudet: at, ubi pater est mortuus, fit hæres suus
ac jure successionis potitur §. *sui autem* 2. *Inst. de*
Hæred. qual. & Diff. Igitur in casu priore species
successionis hæreditariæ non tam vivaciter & exa-
ctè refertur, sicut in casu posteriore.

Quæri solet II. an nepos immediatè succedere 120
possit avo, qui ex filio avi illegitimo legitimè pro-
creatus est?

Resp. quòd, si filius legitimatus non fuerit, ne-
pos immediatè succedere possit avo; quô sensu de-
clarationem S. Congregationis, quam ex Garcia ci-
tat P. Schmalzgrueber *cit. l. n.* 22. intelligo. Ratio est: 121
quia nepos in tali eventu non habet jus avo succe-
dendi: utpote cùm deficiat medium, per quod in
numerum liberorum, ex avo legitimè descenden- 122
tium, referri queat. At, si filius legitimatus fue-
rit, reperio distinctionem, antecedenter datam cum
cit. P. Schmalzgrueber: cùm, ut patebis examinan-
ti, utrobique versetur idem casus & ratio.

Quæri solet III. quis cum filiis Presbyterorum 123
ad beneficia, in Ecclesia patris obtinenda, dispenset?

Resp. de Jure solum Pontificem dispensare, vel-
uti de beneficiis, immediatè obtinendis à filiis Pres-
byterorum legitimis, decisum extat in *cap. dilectus*
17. *in fin. de Filiis Presbyt.* ibi: *non obstante dispen-*
satione aliqua, quæ à Sede Apostolica non manaverit. 124
De aliis autem ostendit ratio, quòd prohibitio-
nem Canonicam, in textibus *jam* 102. expressam,
non possit alius solvere, ac qui supra Jus est per
Clem. Romani 2. *de Elect.* Petrus de Murga in *tract.*
de Benefic. q. 3. *à n.* 612.

SECTIO II.

De Bigamis.

SUMMARIA.

125. *Describitur Bigamia.* 126. *Est reiteratio*
matrimonii. 127. *& seqq. Afficiens non tantùm*
fideles, sed etiam infideles, pro tempore fidelitatis.

134. *Atque ab Ordinibus repellens.* 135. *& seqq. Originem trahit ex Jure Ecclesiastico.* 138. *Clericus in Minoribus, si fiat bigamus, omni privilegiô Clericali privatur.* 139. *Describitur vera bigamia.* 140. *Requirit duplex matrimonium.* 141. *Validum.* 142. *Et affectu maritali consummatum.* 143. *& seqq. Verè bigamus non est, qui extra matrimonium constitutus cum una vel pluribus sæpius est fornicatus.* 147. *& seqq. Respondetur ad rationem dubitandi.* 150. *& seq. Idem asseritur de eo, qui ante, post, vel in matrimonio cum pluribus carnaliter est commixtus.* 152. *Describitur bigamia interpretativa.* 153. *& seq. Talis est, si quis contrahat unum vel duo matrimonia invalidè.* 155. *& seq. Idem est, si matrimonium contrahat cum vidua vel corrupta ab alio.* 157. *Etiam invalidè.* 158. *Et ignoranter.* 159. *& seqq. Non autem, si ducat illam, quam ipsemet corrupit.* 162. *& seq. Item si quis accedat ad uxorem suam, quæ cum alio commisit adulterium.* 164. *& seqq. Qui ducit virginem, quam putat corruptam, non fit irregularis.* 167. *& seqq. Si matrimonium ineat, quod nullum est defectu consensûs, irregularis non efficitur.* 171. *& seq. Bigamia similitudinaria describitur.* 173. *& seqq. Si Clericus in majoribus aut Religiosus non contrahat & consummet cum unica & virgine, non fit irregularis similitudinariè.* 177. *& seq. Nunquam etiam amittit privilegium Clericale.* 179. *& seqq. In omni bigamia dispensat S. Pontifex.* 182. *& seq. Episcopus dispensat in similitudinaria.* 184. *Non autem in alia.* 185. *& seqq. Ne quidem ad Ordines Minores.* 192. *& seqq. Nisi descendat ex crimine occulto.* 194. *& seqq. Vel aliàs sit occulta.* 198. *Prælati Regulares ferè possunt, quod Episcopi.* 199. *& seqq. Adstruitur pœna Ordinantium, & ordinatorum bigamorum.*

§. I.

Quid sit Bigamia?

125 Secundum impedimentum, & altera species irregularitatis est Bigamia, seu Digamia, quæ communiter describitur, quòd sit reiteratio matrimonii, faciens, ut quis ad Ordines promoveri non possit.

126 Dixi I. *reiteratio matrimonii.* Quamvis enim nemini sit prohibitum, reiterare matrimonium, &, uxore mortuâ, ducere aliam; ista tamen matrimonii reiteratio causat impedimentum, quod bigamum ab Ordinum susceptione repellit, ex ratione, in *n.* 133. referendâ.

127 Dixi II. *faciens, ut quis.* Ubi non distinguitur, sitne quis fidelis, aut infidelis: nam etiam, qui duas uxores aut unam duxit in infidelitate, & alteram post conversionem ad fidem, censetur esse bigamus & irregularis, non ex tunc, seu pro tempore infidelitatis; sed ex nunc, seu pro tempore fidelitatis, uti ad mentem D. Augustini in *cap. acutius* 2. *Dist.* 26. decidit Innocentius Papa in *cap. deinde* 3. *eâd.*
128 *Dist.* Cujus ratio est: quia in infidelibus bigamis, ad fidem conversis, æquè ac in fidelibus, occurrit ratio, propter quam impedimentum bigamiæ fuit statutum. Eapropter non minùs infideles pro tempore fidelitatis, quàm fideles, sunt irregulares, & Ordinum incapaces.

129 Nec obest I. quòd, qui commisit homicidium ante baptismum, non fiat irregularis, possitque ad Ordines, post baptismum, promoveri per *cap. si quis viduam* 8. *Dist.* 50. *cap. si quis post* 4. *Dist.* 51. quia nimirum irregularitas ex homicidio oritur
130 sola Juris humani authoritate. Enimverò ad irregularitatem ex bigamia, quæ & ipsa nititur solâ humani Juris authoritate, exinde non licèt argumentari: quia prior irregularitas oritur ex delicto, quod est aliquid transiens, ac baptismi lavacrô purgatur; posterior autem provenit ex defectu significationis, qui est aliquid permanens, sacrôve fonte non abstergitur *cap. si quis viduam* 13. *Dist.* 34.

Nec obest II. quòd in *can.* 16. *Apostol. & cap.* 131
maritum 2. *Dist.* 33. bigamia dicatur contrahi, quando post baptismum duo contrahuntur matrimonia. Resp. enim, argumentum à sensu contrario in præsenti non stringere, quasi videlicèt duplex matrimonium, contractum ante baptismum, non causet irregularitatem: cùm Juris sanctio tam aperta stet
in oppositum. Imò, cùm matrimonium, ante 132
baptismum initum, adhuc perseveret virtualiter post baptismum, quatenùs defectus significationis Sacramentalis perseverat: non incongruè dicitur, quòd virtualiter sint duo matrimonia contracta post baptismum, quando formaliter sunt ante baptismum contracta.

Dixi III. *ab Ordinum susceptione repellit.* Ratio, 133
quæ movit Ecclesiam ad bigamos, ab Ordinum susceptione repellendos, est defectus significationis Sacramentalis. Cùm enim matrimonium sit institutum ad repræsentandam conjunctionem Christi cum Ecclesia per humanæ carnis assumptionem, juxta illud Apostoli ad *Ephes.* 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & Ecclesia;* conjunctio autem Christi cum Ecclesia sit unius
cum unica & immaculata Sponsa: profectò hæc 134
repræsentatio & significatio cessat in bigamo, qui carnem suam divisit in plures, ac duas uxores, aut viduam, vel ab alio corruptam duxit. Textus in *d. cap. acutius* 2. *Dist.* 26. *cap. debitum* 5. *de Bigam. non ordinand.*

Dixi repetitim, irregularitatem ex bigamia Juris 135
humani authoritate sancitam esse. Tametsi enim Turrianus & Socinus, quos nominat Gonzalez ad *cit. cap. debitum n.* 7. existimaverint, eam ex Jure Divino suam originem traxisse, propter textum Apostoli 1. ad Timoth. 3. ibi: *oportet Episcopum unius uxoris virum esse*; & : *Diaconi sint unius uxoris viri:*
nihilo minùs opinionem nostram idem Gonz. cer- 136
tam appellat, atque à Theologis & Canonistis comprobatam: quia non quævis sanctio Apostolorum est sanctio Divina; tuncque solùm à DEO quid statutum esse colligitur, quando Apostolus hâc vel simili loquendi formulâ utitur: *Dominus ordinavit*; aut, *non ego præcipio, sed Dominus &c.* ut
notavi in *tract. de Jure Leg. cap.* 3. *n.* 51. Cùm au- 137
tem in citatis locis Apostolus simili formulâ non utatur, nec aliunde ex S. Scriptura fundamentum hujus irregularitatis eruatur: credendum est, illam ab Apostolis, quatenùs erant Prælati & Legislatores Ecclesiarum, ordinatam esse, sicuti constat ex *can.* 16. *Apostolor.*

Petes: quid Juris, si quis Minores Ordines sus- 138
ceperit, ac posteà bigamiam contraxerit?

Resp. talem omni privilegiô Clericali, quod antehàc, tanquàm unius & virginis maritus habebat, ipsô factô privari. Textus in *cap. un. de Bigam. non ordinand. in* 6. ubi latè Passerin. & Reiffenstuel ad *cit. tit. n.* 24. *& seqq.*

§. II.

Quandònam contrahatur vera Bigamia?

Bigamia triplex est, vera, interpretativa, & si- 139
militudinaria. *Vera* dicitur, quando quis duo successivè matrimonia validè contrahit cum duabus,
& consummat. Tria itaque requiruntur ad veram 140
bigamiam,

bigamiam. I. duplex matrimonium: sponsalia si-
quidem, cùm tantùm operentur conjunctionem
animorum, bigamiam non causant, etiamsi cum
pluribus ineantur, habitâ quoque carnali copulâ,
sinè affectu maritali *arg. cap. fraternitatis 7. Dist.*
141 34. *cap. quia circa 6. de Bigam.* non *Ordinand.* II.
matrimonium validè contractum cum duabus: in-
validè si contrahatur, saltem ex defectu consensûs,
vera bigamia non consurgit: deficit enim affectus
maritalis, qui, ut liquet ex citatis textibus, præ-
cipuè spectatur in bigamia. Clariss. P. Schmalz-
142 grueber *cit. l. n. 2.* III. utriusque matrimonii con-
summatio: quâ deficiente, non potest dici, quòd
caro verè divisa fuerit in plures: sicque non defi-
cit ratio significationis Sacramentalis *arg. cap. ult.*
Dist. 34. & *cap. debitum 5. de Bigam. non Ordinand.*
Antonell. *de Reg. Eccles. Episcop. lib. 2. cap. 9. n. 2.*
3. & 5. P. König ad *cit. tit. n. 3.*

143 Dubitatur autem I. an efficiatur bigamus & ir-
regularis, qui, extra matrimonium constitutus,
cum una vel pluribus sæpiùs est fornicatus? Ra-
tio dubitandi est: quia, si copula conjugalis,
cum duabus uxoribus licitè exercita, pariat irre-
gularitatem bigamiæ; utique etiam copula fornica-
ria, cum pluribus illicitè exercita, pariet irregu-
laritatem: alioquin Jura plus fovere censentur im-
probatos coitus, quàm commercium conjugale.
144 Accedunt textus in *cap. maritum 2. Dist. 33.* ubi
statuitur, *maritum duarum post baptismum matrona-*
rum, Clericum non ordinandum; neque eum, qui unam
quidem, sed concubinam, non matronam habuit; item
in *cap. si quis post acceptum 1. eâd. Dist.* ibi: *si quis*
post acceptum baptisma secundis nuptiis fuerit copu-
latus, aut concubinam habuerit, non potest fieri Epis-
copus, non Presbyter, aut Diaconus &c. item in *cap.*
Laici 6. eâd. Dist. ubi de Laicis dicitur, quòd *non*
prohibeantur ad Clericatûs sortem assumi, si concu-
binam, aut *pellicem non noverint.*

145 Respondendum nihilo minùs est negativè. Tex-
tus sat perspicuus in *cap. quia circa 6. de Bigam.*
non Ordinand. ubi juxta lecturam Gonzalezii ita ha-
betur: *cùm Sacerdotes sive uno sive diversis tempo-*
ribus plures habuerint concubinas, irregularitatem
non incurrerint bigamiæ &c. Panorm. ad idem *cap. n.*
146 2. P. Reiffenstuel ad *cit. tit. n. 17.* Ratio est: quia,
ut dictum in *n. 134.* irregularitas bigamiæ contrahi-
tur ex defectu significationis Sacramenti matrimo-
nii. At, ubi nullum præcessit matrimonium, sed
tantùm congressus fornicarius, non occurrit defe-
ctus significationis. Ergo &c.

147 Ad rationem dubitandi Resp. nihil inconveniens
esse, ut irregularitas contrahatur sinè delicto, & non
contrahatur cum delicto; si illinc reperiatur illius
fundamentum, istbinc deficiat, veluti jam declara-
tum est. Sic enim, qui ex officio pronuntiat sen-
tentiam in causa sanguinis, fit irregularis, esto non
delinquat, sed opus virtutis exerceat: quia scilicèt
adest fundamentum irregularitatis, hoc est, defe-
ctus lenitatis.

148 Ad textus contrarios Resp. Gonzalez *cit. l. n. 4.*
& 5. ex illis solùm probari, quòd, qui concubinam
habet, sit irregularis ex delicto, non autem quòd
bigamus sit, & defectum in significatione patiatur.
149 Hæc ipsa tamen irregularitas solummodò effectum
habuit de Jure antiquiori; de Jure noviori verò in
cit. cap. quia circa 6. rursus est sublata, prout solidè
attestantur P. Wiestner ad *cit. tit. de Bigam. non Or-*
din. sub n. 6. P. Schmalzgrueber *ibid. n. 6. in f.*

150 Dubitatur II. an bigamus & irregularis sit, qui
contraxit matrimonium, & consummavit, ac post
vel ante matrimonium, vel etiam stante matrimo-
niô, cum una vel pluribus carnaliter est com-
miatus?

Resp. negativè. Textus omninò clarus in *cap.*
fraternitatis 7. Dist. 34. junctô sæpè *cit. cap. quia*
circa 6. de Bigam. Clariss. P. Schmalzgrueber *cit.*
l. n. 4. Ratio est: quia, non obstante, quòd ma- 151
trimonium quis contraxerit cum una, & cum aliis
mulieribus sit fornicatus, nullus tamen defectus
intervenit in significatione: quia divisio carnis in
plures non est facta cum animo & affectu marita-
li, sed fornicariô.

§. III.

Quandónam contrahatur Bigamia Interpretativa?

Bigamia *Interpretativa* vocatur, quando quis 152
non quidem verè seu formaliter contraxit & con-
summavit duo matrimonia, sed tantùm virtualiter
& æquivalenter, ex interpretatione Juris. Talis 153
est I. si quis contraxerit duo matrimonia, & affe-
ctu maritali consummaverit, quorum utrumque vel
saltem unum erat invalidum, non *propter defectum*
Sacramenti, sed propter affectum intentionis cum
opere subsecuto, uti dicitur in *cap. nuper 4. de Bi-*
gam. non ordinan. Quod quidem loquitur de 154
Clericis Majoribus, attamen ex communi DD. con-
sensu, de quo testis est P. Schmalzgrueber *cit. l. n.*
5. extenditur ad Laicos, duplex matrimonium præ-
fatô modô contrahentes. P. Engel ad *cit. tit. 3. &*
4. P. Konig *ibid. n. 3.*

Talis est II. si quis contraxerit unum matrimo- 155
nium cum vidua, jam cognitâ, vel alia fœmina, ab
alio corruptâ. Text. in *cap. curandum 9. cap. præ-*
cipimus 10. cap. si quis viduam 13. Dist. 34. cap. de
bigamis 3. cap. debitum 5. de Bigam. non ordinand.
Rationem dat P. Engel *cit. n. 3.* quia, licèt matri- 156
monium, cum vidua vel corrupta contractum, ve-
rum sit Sacramentum, repræsentans conjunctionem
Christi & animæ justæ, non est tamen quoad signi-
ficationem omninò perfectum: eò quòd minimè sig-
nificet conjunctionem Christi cum unica & imma-
culata Sponsa Ecclesia. Idque etiam tenendum est, 157
quando matrimonium invalidè sic contrahitur per
textus in *cap. si quis 15. d. Dist. 34. cap. ut Bigami*
1. de Bigam. non ordin. ubi matrimonium cum repu-
diata, quod utique nullum est, irregularitatem pa-
rere dicitur: quia nempe inspicitur affectus inten-
tionis cum opere subsecuto. Konig *cit. l. num. 3.*
Schmalzgrueber *cit. l.* n. 6. Id ipsum asserendum, 158
quando aliquis ignoranter cum vidua vel corrupta
post matrimonium est congressus. Barbosa de *Off.*
& pot. Episcop. alleg. 49. n. 9. Fagnanus ad *cap. nu-*
per de Bigam. n. 5. P. Reiffenstuel *eâd. tit. num. 13.*
quia defectus Sacramenti nihilo minùs inducitur.
Secus autem dicendum, quando quis duxit mu- 159
lierem, à se priùs corruptam. Panormitanus in *cap.*
debitum d. t. n. 2. Covarruv. in *relect. Clem. si fu-*
riosus de homic. p. 1. §. 1. sub n. 3. Barbosa *de Off. &*
pot. Ep. alleg. 49. n. 7. Antonell. de *Reg. Eccles. l. 2.*
cap. 9. n. 6. P. Reiffenstuel ad *d. t. nu. 22.* Ra- 160
tio est: quia tunc non est defectus in significatio-
ne Sacramenti: nam caro non fuit divisa in plures,
& mulier, à ducente priùs corrupta, adhuc est
unica unici.

Si rationem quæras: cur irregularis fiat, qui 161
ducit corruptam ab alio, non etiam, qui ducit
unam, & plures alias corrupit, ac sæpe corrup-
tus est?

Responderi solet, quòd, sicut consensus matri-
monialis non cadit supra se ipsum, sed super alte-
rum conjugem; sic etiam affectus maritalis non
causet irregularitatem, nisi habeatur ad conjugem,
antehàc ab alio corruptam. P. Engel *d. l. n. 6.* P.
Pirhing *ibid. n. 13.*

162 Talis est III. si maritus accesserit ad uxorem pro-
priam, ab alio per adulterium corruptam *cap. si cu-
jus 11. & seq. Dist.* 34. quia ex Juris interpretatione
idem est, accedere ad corruptam post matrimonium,
ac matrimonium inire cum illa, quæ fuit ab alio
corrupta: utrobique enim deficit significatio Sacra-
163 menti. Et hinc non refert, utrùm maritus sciverit
adulterium uxoris, vel nesciverit: quia scientia vel
ignorantia adulterii nec efficit, nec impedit defec-
tum significationis. P. Pirhing ad *cit. tit. n.* 14. P.
Schmalzgrueber *n.* 7. & alii, in *n.* 158. citati.
164 Hæsitabis tamen I. an, qui duxit virginem, per
errorem existimans, illam ab alio corruptam esse,
bigamus fiat & irregularis?
165 Resp. negativè. P. Pirhing *cit. l. n.* 10. Ratio est:
quia ad bigamiam, & inde resultantem irregulari-
tatem, sola intentio non sufficit, sed factum requiri-
tur, in quo fundatur defectus significationis Sacra-
166 mentalis. Sicque etiam usu venit in aliis irregula-
ritatibus v. g. ex homicidio, ubi, qui feram muti-
lavit, aut occidit, putans se mutilare vel occidere
hominem, non incurrit irregularitatem.
167 Hæsitabis II. utrum, si matrimonium cum viduâ
vel corrupta sit nullum ob defectum consensûs, bi-
gamia nihilominùs oriatur? Ita quidem opinatur
Zoësius ad *cit. tit, n.* 11. ex ea ratione: quia Ecclesia
magis attendit consensum externum, quàm inter-
num, ut patet ex *cap. nuper 4 de Bigam.* utpote
cùm scandalum & indecentia proveniat ex consen-
su externo, non interno. Sed
168 Resp. probabiliùs negativè. Ita P. Engel ad *cit.
tit. n.* 5. Antonelius de *Regim. Eccles. Episcopal. lib.*
2. *cap.* 9. *n.* 4. Ratio est: quia, ut crebrius jam adver-
timus, SS. Canones ad bigamiam essentialiter desi-
derant intentionem & affectum maritalem. At, qui
matrimonium nulliter ob defectum consensûs con-
traxit, in usu & commercio carnali non habet inten-
tionem & affectum maritalem. Ergo &c.
169 Ad rationem Zoësii Resp. Ecclesiam, quæ de
internis & occultis judicium non exercet, magis
attendere consensum externum, quàm internum; &
consequenter in dubio præsumere, quòd verba,
exteriùs prolata, correspondeant menti & intentio-
170 ni. Si tamen in foro conscientiæ aliquis certus esset
de defectu intentionis, ac v. g. cum corrupta, quæ
publicè credebatur virgo, contraheret, irregularis
non foret, sed ad Ordines securè posset accedere;
non obstante textu in *cit. cap. nuper*, in quo Subdia-
conus, matrimonium contrahens, pronuntiatur ir-
regularis: quia non defuit intentio & consensus na-
turalis, sed tantùm juridicus seu canonicus.

§. IV.

Quandónam Bigamia Similitudinaria contrahatur?

171 Bigamia *Similitudinaria* nuncupatur, quando
quis duo matrimonia contrahit similitudinariè; ve-
lut quando Clericus post susceptum Ordinem Sa-
crum, aut Religiosus post emissam professionem
in Religione approbata matrimonium contrahit cum
172 unica & virgine, & consummat. Talis siquidem
invalidè quidem contrahit matrimonium; adeó-
que nec verè, nec interpretativè fit bigamus: quia
tamen spirituale matrimonium antecedenter vali-
dè contraxisse videtur cum Ecclesia vel Religione
per Votum solemne, & postea matrimonium car-
nale attentat, & de facto saltem consummat in-
tentione & affectu maritali, per aliquam similitu-
dinem efficitur bigamus *cap. quia Christo* 10. *cap.
quotquot* 24. *XXVII. q.* 1. *cap. de Diacono* 1. *cap. ex
literarum* 2. *Qui Clerici vel vovent.* non propter
defectum Sacramenti, sed propter affectum inten-
tionis cum opere subsecuto per *cap. nuper* 4. &
cap. ult. de Bigam.
Dixi suprà: *cum unica & virgine.* Quamquàm 173
enim nonnulli arbitrentur, bigamiam similitudina-
riam etiam tunc oriri, quando Clericus in Majori-
bus post mortem uxoris, ante Clericatum ductæ,
aliam de facto ducit; aut quando ejusmodi Cleri-
cus aut Religiosus ducit viduam, vel corruptam
ab alio per textus in *d. cap. nuper* 4. & *cap. ult.*
Attamen longè meliùs cum Fagnano ad *cit. cap.* 174
nuper n. 40. & *seqq.* & P. Pirhing ad *eund. tit. n.* 20.
docent P. König ad *cit. tit. n.* 4. *inf.* & P. Schmalz-
grueber *ibid. n.* 9. in similibus casibus non similitu-
dinariam, sed interpretativam bigamiam contrahi.
Ratio est: quia tam ille, qui contrahit secundum 175
matrimonium invalidè; quàm ille, qui primum
matrimonium invalidè celebrat cum vidua vel cor-
rupta, si consensus naturalis haud deficiat, in-
terpretativè bigamus efficitur per textus, in *num.*
157. allegatos: quantùm enim est ex parte contra-
hentium, censeotur ex Juris interpretatione affec-
tum maritalem divisisse in duas, nec ampliùs habe-
re significationis Sacramentalis integritatem. Et 176
ideò quoad dispensationem non aliter de talibus
est discurrendum, quàm de bigamis interpretati-
vè talibus, ut patet ex *cit.* textibus in *cap. nuper*
4. & *ult. de Bigam.* qui certè non Adversariis fa-
vent, sed nobis.
Porrò Clerici in Sacris, & Religiosi, si matrimo- 177
nium contrahere de facto præsumpserint, incurrunt
excommunicationem latæ sententiæ *Clem. un. de
Consanguin. & affinit.* privilegiis tamen Clericalibus
non privantur, non tantùm si contraxerint cum uni-
ca & virgine, atque adeò bigamiam similitudina-
riam incurrerint, sed etiam si contraxerint cum vi-
dua vel corrupta, & evaserint bigami interpretativi:
siquidem textus in *cap. un. de Bigam. non ordinand.* 178
in 6. dum bigamos omni privilegiō Clericali privat,
intelligendus est de Clericis in Minoribus, biga-
miam veram aut interpretativam contrahentibus:
utpote cùm bigamis prohibeat deportationem habi-
tûs & tonsuræ; Clericis verò Majoribus non pro-
hibitum, sed præceptum sit, habitum & tonsuram
portare. P. Wiestner ad *tit. de Bigam. non ordinand.*
n. 12. & *seq.* P. Schmalzgrueber *ibid. n.* 12.

§. V.

An & à quo in Bigamia dispensetur?

Impedimentum bigamiæ prorsus indispensabile 179
videri posset, si quis inspiciat textum in *cap. super
eo* 2. *cap. nuper* 4. *cap. ult. d. t.* ubi S. Pontifex lu-
culenter fatetur, quòd in bigamia dispensare non
liceat contra Apostolum, utpote qui 1. *ad Timoth.*
3. bigamos ab Episcopatu repellit. Verùm, si re- 180
petantur dicta in *n.* 136. ubi dictum est, impedi-
mentum bigamiæ solùm ex Jure Ecclesiastico suam
originem traxisse: evidenter concluditur, id Pon-
tificiâ dispensatione rursus auferri posse. Quòd au- 181
tem in *citat.* textibus dicatur, in bigamia non dis-
pensari contra Apostolum, non denotat impossibili-
tatem, sed difficultatem dispensationis; eò quòd
Pontifex in hac irregularitate, quæ temporibus
Apostolorum jam viguit, non facilè soleat dispen-
sare per *cap. nisi cùm* 10. *vers. persona verò de Re-
nuntiat.*
Solùm igitur controverti potest, an Episcopus 182
aliquando dispensare valeat cum bigamis? Ubi de-
nuò cum plerisque supponitur, Episcopum dispen-
sare posse cum bigamis, similitudinariè talibus, si,
peracta pœnitentiâ, laudabiliter vixerint. Textus in
cap. sane 4. *de Clericis conjugat. cap. de Diacono* 1.
Qui

183 *Clerici vel vovens.* Rationem dant: quòd isthæc
bigamia non tam oriatur ex defectu significationis,
quam ex delicto; & consequenter faciliorem dis-
pensationem inveniat.
184 Supponendum quoque Episcopum in vera & in-
terpretativa bigamia ad susceptionem Ordinum Ma-
jorum dispensare non posse: nec enim textus alicu-
bi reperitur, in quo dispensandi potestas Episcopo
185 concessa legitur. Adeòque controversia tantùm
est de susceptione Ordinum Minorum, ad quos
Episcopo dispensandi facultatem tribuunt Sylvester
in *Summa V. Bigamia q.* 6. S. Thom. Sanchez, &
Avila, quos citat P. Pirhing ad *tit. de Bigam. n.*28.
Negant è contrà Innocent. in *cap. super eo* 2. *de Bi-*
*gam. n.*1. Abbas *ibid. n.*5. Barbosa de *Off. & pot. Ep.*
alleg. 49. *n.*25. P. Pirhing *d. l.* Clariss. P. Schmalz-
grueber ad *cit. tit. n.*15. Hancque sententiam ho-
die per *cap. un. de Bigam. in* 6. decisam esse, adver-
tit Reverendiss. D. Guetrather ad idem *cap. n.* 55.
186 Ibi enim Clerici Minores, si bigami fiant, ex con-
stitutione & decisione Concilii Lugdunensis exuun-
tur omni privilegiô Clericali, foro sæculari subji-
ciuntur, &, sub pœna excommunicationis, à de-
portatione habitûs & tonsuræ excluduntur: ex quo
deducitur, Episcopo non licere, decisionem Con-
ciliarem infringere, & dispensationem concedere ad
Ordines Minores, à quorum exercitio, juribus, &
187 privilegiis Clerici jam ordinati removentur. Suf-
fragatur etiam Jus antiquius in *cap. non confidat* 59.
Dist. 50. & Jus novius in Concilio Tridentino *sess.*
23. *de Reform. cap.* 17. ubi prohibetur, ne ad Ordi-
nes Minores ab Episcopis assumantur bigami; sic-
que insinuatur, in potestate Episcopi non esse, ad
eosdem Ordines dispensare.
188 Nec obstat I. quòd in *cap. Lector* 18. *Dist.*34. as-
seratur: *Lector, si viduam alterius uxorem acceperit,*
in Lectoratu permaneat: aut, si forte necessitas sit,
Subdiaconus fiat; nihil autem supra: similiter, & si
189 *bigamus fuerit.* Resp. enim hunc textum procedere
de Jure antiquiori, quô in casu necessitatis, dum
erat penuria Clericorum, licebat Episcopo, biga-
mos ad Ordines Minores, aut etiam ad Subdiaco-
natum promovere; qui tamen hodie per *cit. cap.*
un. & Trid. *cit. sess.* 23. *cap.* 17. abrogatus manet.
190 Nec obstat II. quod Episcopus ad Ordines Mi-
nores valeat dispensare cum illegitimis *cap. is qui* 1.
de Filiis Presbyt. in 6. nec non cum adulteris &
aliis criminosis *cap. & si Clerici* 4. §. *de adulteriis*
191 *de Judic.* Nam exinde non potest eadem potestas
ad bigamos extendi: utpote cùm extensio de casu ad
casum, planè distinctum, permissa non sit; præser-
tim ubi discrimen assignari potest, uti hic: quia
fundamentum irregularitatis, seu defectus signi-
ficationis Sacramentalis, aboleri non potest; sic-
uti purgari potest macula, ex natalibus aut crimi-
nibus contracta.
192 Major est controversia: num Episcopus tunc
saltem dispensare possit in bigamia, quando illa
est occulta? Affirmant potiores contra Suare-
zium, quando bigamia oritur ex delicto occulto,
veluti si quis secundum matrimonium scienter &
invalidè contrahat, ac consommet. Barbosa de *Off.*
193 *& pot. Epis. d. alleg.* 49. *n.* 25. & 27. Antonellus
de *Regim. Ecclesia Episcop. d. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 19.
Fagnan. ad *cap. nuper de Bigam. n.* 9. & 10. P.
Reiffenstuel *eòd. tit.* n.31. P. Wiestner ad *cit. tit. n.*
18. Ratio petitur ex Concil. Trid. *sess.* 24. *de ref.*
cap. 6. ubi Episcopis datur potestas dispensandi in
irregularitatibus, quæ promanant ex delicto oc-
194 culto. Negant è contra, quando bigamia est sinè
delicto, uti si quis validè contraxisset duo matri-
monia, aut viduam vel corruptam validè duxisset:
tunc enim Concil. Trid. quod potestatem dispen-
sandi restringit ad irregularitatem ex delicto oc-
culto, patrocinari nequit.
Verùm P. Engel ad *tit. de Majorit. & obed. n.* 195
50. existimat, aliquem errorίs damnari non posse,
qui generaliter doceret, Episcopum in quacunque
irregularitate occulta, quæ habet annexum defectum
juridicum, hoc est, defectum in virtute vel signifi-
catione, qualem patitur bigamus, dispensare pos-
se. Ratio repetitur ex n. 86. ubi dictum est, hanc 196
dispensandi potestatem, cum favorabilis sit, ac Ju-
re Communi indulta, latius explicandam; ideóque
etiam ad delicta minus propria extendendam esse;
ne melioris sit conditionis, & citius dispensationem
impetret, qui deliquit, ac duo v. g. vel unum ma-
trimonium scienter ac invalidè contraxit, ac qui
non deliquit, sed v. g. cum illa, quæ occultè erat
ab alio corrupta, validè matrimonium celebravit.
Accedit, quòd, ut probè notavit *cit.* P. Engel, 197
Concil. Tridentinum delicti mentionem fecerit,
non tam propter irregularitatem, quam propter
suspensionem, quæ si rationem habeat censuræ,
semper delictum habet annexum.
De Prælatis Regularibus, qui Jurisdictionem 198
quasi-Episcopalem in suos subditos Regulares exer-
cent, communiter doceri comperio, quòd in biga-
mia similitudinaria cum illis dispensare possint. Bar-
bosa de *Off. & pot. Episcop. d. alleg.* 49. *n.* 31. An-
tonell. *d. l.* 2. *c.* 9. *n* 10. P. Engel ad *tit. de Bigam.*
n. ult. P. Pirhing *ibid. n.* 32.
Quòd si Episcopus bigamum absque dispensatio- 199
ne scienter ordinat, incurrit suspensionem eorum
Ordinum, quos bigamo contulit, eique per inte-
grum annum non ampliùs licet celebrare Missam
cap. nullus 2. *Dist.* 55. *cap. super eo* 2. *de Bigam. non*
ordinand. Hanc verò pœnam non esse latæ, sed fe- 200
rendæ sententiæ, ex verbis *cit. cap. super eo* 2. jure
deducunt P. Pirhing *cit. l. n.*26. Clariss. P. Schmalz-
grueber ad *eund. tit. n.* 10 Ordinatus è contrà 201
privatur usu & exercitiô omnium Ordinum *d. cap.*
super eo & seqq. d. t. Irregularitas siquidem per
sacrilegam Ordinum susceptionem non allevia-
tur, sed aggravatur. Consentitur P. Schmalzgrue-
ber *cit. l. n.* 11.

SECTIO III.

De Vitio Corporis.

SUMMARIA.

202. *Describitur Vitium Corporis.* 203. *Est defe-ctus in Corpore.* 204. *& seq. Obstans, quò minùs aliquis ordinari possit.* 206. *& seqq. Describitur mutilatio.* 209. *& seqq. Qui propriâ culpâ mini-mam partem per mutilationem amisit, est irregu-laris.* 213. *& seqq. Qui sinè culpa mutilatus est, non aliter fit irregularis, quàm si per amissionem partis corporalis fit inhabilis ad functionem Ordi-nis.* 216. *& seq. Quidam castratos ob conserva-tionem vocis absolvunt ab irregularitate.* 218. *Alii rectiùs non absolvunt.* 219. *& seqq. Satis-fit objectionibus.* 221. *& seqq. Secundum aliquos irregulares fiunt, qui dant operam rei illicitæ, & mutilationibus obnoxiæ.* 227. *Contrarium asseri-tur.* 228. *& seqq. Opposita removentur.* 231. *& seqq. Ostenditur, quòd irregularitas ex mutilatione sit absoluta, & ab omnibus Ordinibus aliquem re-pellat.* 234. *& seqq. Si autem post Ordinationem si-nè propria culpa superveniat, tantùm est partialis, respectu actûs, quem impedit.* 238. *& seq. Muti-latio culpabilis, etsi notoria sit, irregularitatē ponit.* 240.

240. Describitur debilitas. 241. Subjiciuntur exempla. 242. & seq. Carentia oculi dextri non causat irregularitatem. 244. & seqq. Neque carentia sinistri, vel alius defectus, si nulla concurrat deformitas. 248. Irregularitas ex debilitate est absoluta. 249. & seqq. Abstemius tantùm prohibetur ordinari in Sacerdotem. 253. & seqq. Morbus, qui impedit usum Ordinum, est causa irregularitatis. 258. & seqq. Si debilitas Ordinibus jam susceptis superveniat, tantùm parit irregularitatem partialem. 262. & seq. Describitur deformitas. 264. & seqq. Dantur exempla. 268. & seqq. Is, cui oculus est erutus, est irregularis, licèt fictitius substituatur. 271. & seq. Deformitas infert irregularitatem universalem. 273. Si Ordinibus superveniat, impedit exercitium publicum. 274. & seq. Privatum quandoque cum Episcopi licentia conceditur. 276. Irregulariter ex vitio corporis tollitur Apostolicâ dispensatione. 277. & seq. Quæ tamen rariùs conceduntur. 279. & seq. Episcopus dispensat in irregularitate, quæ provenit ex occulta mutilatione. 281. & seq. Non dispensat in irregularitate manifesta. 283. & seqq. Nisi irregularitas sit dubia.

§. I.

Quid sit Vitium Corporis?

202 TErtium impedimentum seu species irregularitatis est *Vitium Corporis*, hoc est, defectus in corpore, obstans, quò minùs aliquis ad ministerium Altaris promoveri valeat.

203 Dixi I. *defectus in corpore*. Quamquàm enim vitium alias tam defectum animi quam corporis complectatur *l. Labeo 1. §. 9. ff. de Ædilit. ed.* attamen in præsenti tantummodò denotat defectum corporalem, ut patet ex rubrica & nigro *tit. de Corpore Vitiatis Ordinand. vel non & tot. Dist. 55.*

204 Dixi II. *obstans, quò minùs aliquis*. Quis ille sit, non attenditur: quicunque enim defectum in corpore juxta dicenda in §. 2. & §§. *sequent.* patiuntur, ratione cujus ad ministerium Altaris minùs habiles aut digni reputantur, sunt irregulares *cap. illiteratos 1. Dist. 36.*

205 Dixi III. *ad ministerium Altaris promoveri valeat*. Itaque non possunt Ordinibus Ecclesiasticis insigniri, qui notabilium in corpore defectum habent: cùm enim in antiqua jam Lege *Levit.* 17. decretum fuerit, ut, qui corpore vitiati vel maculati erant, non admitterentur ad ministeria Divina: longè magis in Lege nova ab Altaris ministerio, quod eminenter est sanctius & excellentius, arceri debent. Gonzalez ad *cap. cùm de tua 2. de Corpore Vitiat. n. 6.* Revideantur dicta in *tract. de Mod. acquir. Prælat. cap. 1. n. 233. & seq.*

§. II.

Quid sit Mutilatio?

206 Vitium corporis est triplex, Mutilatio, Debilitas, & Deformitas. *Mutilatio*, de qua hic, est carentia alicujus membri, ut notant Canonistæ cum
207 P. Engel ad *cit. tit. n. 1.* P. Konig *ibid. n. 2.* Membrum autem, in rigore loquendo, est pars corporis, quæ notabilem & peculiarem functionem, à cæteris partibus distinctam, habet, v. g. lingua,
208 oculus, auris, manus. Quæ verò peculiarem & notabilem functionem non habet, sed tantùm ad eam functionem coadjuvat, v. g. digitus, articulus, ungula &c. non membrum, sed pars membri dicitur *arg. l. idem Ofilius 10. in pr. & l. cui dens 11, ff. de Ædilit. Ed.* P. Wiestner ad *cit. tit. num. 2.* P. Schmalzgrueber *ibid. n. 2.*

Verùm, quidquid de hoc sit, in ordine ad præ- 209
sens argumentum est distinguendum, utrùm aliquis
per culpam propriam fuerit mutilatus, fortè quòd
seipsum absque necessitate truncaverit, aut ab alio
truncari voluntariè procuraverit, vel permiserit;
an sinè culpa propria. Primò casu est irregularis, 210
esto neque necessarium, neque membrum integrum, sed partem duntaxat, amiserit. Textus in 211
cap. qui partem 6. Dist 55. & ratio ibidem redditur:
quia in hujusmodi casu non tam attenditur defectus aut deformitas corporis, quàm sævitia & crudelitas voluntatis, qua quis in injuriam Creatoris illius imaginem aggredi, & truncare præsumit. P. Engel *cit. l. n. 7.* P. Schmalzgrueber *ibid. n. 3.* Tamburin. *de Censur. & irregular. cap. 8. §. 2. n. 4. & seqq.* notans, aliud esse in abscissione particulæ carnis v. g. unguis, barbæ, capilli &c.

Nec obstat, quòd ille, qui alterum mutilat tan- 212
tùm in parte membri, ac digitum v. g. amputat,
non fiat irregularis. Disparitas enim est, quòd, sicut ordinata charitas incipit à persona propria; sic
etiam magis contra charitatem delinquat, qui in
seipsum, quàm in alterum, crudelis est. Secundò 213
casu mutilatus non aliter fit irregularis, quàm si
per amissionem partis corporalis factus sit inhabilis ad functionem Ordinis; veluti si quis manum aut indicem vel pollicem amiserit; aut redditus fuerit deformis per *cap. exposuisti 6. de Corpore Vitiat.*
Unde, qui propter infirmitatem, aut saltem contra 214
voluntatem castratus est, vel aliò membrò truncatus, non repellitur ab Ordinibus *cap. his qui 5. &
seqq. Dist. 55. cap. ex parte 3. d. t.* Similiter si quis 215
in pollice vel illius articulo casu vel culpâ alterius sit vulneratus ac mutilatus, attamen ad frangendam hostiam in sacrificio sat potens & fortis remanserit, irregularis non censetur *cap. ult. d. t.*

Dubitatur autem I. utrum, qui castratus est, ex 216
causa retinendæ & conservandæ vocis, irregularis efficiatur? Ratio dubitandi est: quia castratio propter conservationem vocis est medium perquàm opportunum, quò non tantùm castratus poterit faciliùs se ipsum alere, sed etiam DEUM & Superos
in Ecclesia laudare. Unde, quantumvis alias di- 217
catur, quòd homo non sit dominus membrorum suorum, poterit tamen ex causa tam honesta in virilium abscissionem consentire: quia saltem est usufructuarius membrorum, & ea in melius & utilius opus commutare potest. Itaque cum aliquibus sentit Illustriss. Caramuel in *Theologia fundament. fundam. 45. §. 19.* & probabile judicat Tamburin. *cit. l. §. 2. n. 16.* Sed

Respondendum, ac dicendum, taliter castratum 218
irregularem effici. Ita Pignatell. *tom. 7. consult. 66. post n. 17.* ubi hanc quæstionem ex instituto movet, ac inter Authores contrarios P. Emanuelem Sanz refutat. Ita Gonzalez ad *cap. ex parte 5. de Corpore Vitiat. n. 5. in fin.* P. Engel *d. l. n. 12.* P. König ad *d. tit. n. 5.* P. Wiestner *ib. n. 22.* P. Schmalzgrueber *n. 5.* Ratio est I. quia, si quis irregularis fiat, quando ad servandam castitatem, & superandas carnis tentationes, aut se ipsum castrat, aut ab alio se castrari sinit, ut habent textus clarissimi in *cap. si quis 4. & mult. seqq. Dist. 55. cap. ex parte 5. de Corpore Vitiat.* quantò magis irregularis erit,
qui castratur ex causa conservandæ vocis? II. 219
quia, ut constat ex *n. 210.* quæcunque mutilatio, quæ provenit ex culpa propria, causat irregularitatem: nec enim in se ipsum sævire, & corpus, cujus dominium non habet, truncare vel mutilare alicui concessum est, nisi hoc exigat necessitas aut salus totius corporis.

Ad

220 Ad rationem dubitandi Resp. castrationem inprimis non esse medium, ad vitæ conservationem ex natura rei destinatum: tum quia sunt alia media, longè expeditiora, quibus de victu & vestitu quis sibi providere potest: tum quia vox est res valde fragilis & instabilis, &, semel à castratis amissa, vix
221 ampliùs recuperari potest. Deinde gloria & laus Divina perinde aut meliùs promovetur per voces & modulationes adolescentûm & aliorum, quàm per voces & modulationes castratorum; nihil dicendô cum P. Engel *cit. l.* quòd suavitas vocis nonnûquàm intra, frequentiùs autem extra Ecclesiam, ad lasci-
222 viam deserviat. Quòd autem homo dicatur usufructuarius membrorum suorum, non tam proficit, quàm officit castratis: nam usufructuarius rem, in usumfructum concessam, salvam & integram conservare tenetur, nec potest rem minùs utilem, v. g. arborem aridam & infructuosam, eradicare, & aliam meliorem substituere per textum in *l. usufructu 7. §.*
223 *ult. in fin. l. quamvis 8. ff. de Usufr.* Ergo nec homo poterit unum ex membris, quamvis inutile videatur, sub spe majoris utilitatis abscindere: utpote cùm ista abscissio cedat in injuriam Creatoris, & tales abscissores *inimici conditionis DEI* appellentur *cap. si quis 4. Dist. 55.* ac per ipsas quoque Civiles Leges severè puniantur, ut patet ex *l. ejusdem 3. §. 4. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. si quis 1. Cod. de Eunuch. Nov. 142. per tot.* Gonzalez *ubi suprà n. 7.*

224 Dubitatur II. utrùm irregularis fiat, qui dedit operam rei illicitæ; ac propterea membrum aliquod aut partem illius amisit? Multi cum Covarruv. in *Clem. si furiosus de Homicid. p. 2. §. 4 à n. 2.* Barbosa in *cap. ex parte 3. de Corpore Vitiat. n. 3.* P. Pirhing ad *d. t. sub n. 12.* Reiffenstuel ad *eund. tit. n 32.* distinguunt, utrùm actio illicita sit de se periculosa, ac mutilationi obnoxia, qualis est duellum; an verò actio illicita tali periculô careat, qualis est adulte-
225 rium. Priore casu asserunt, irregularitatem contrahi per textum in *cap. de presbytero 1. de Corpore Vitiat.* & paritatem, ex homicidio deductam in *cap. presbyterum 7. cum seq. de Homicid.* ubi, qui alterum occidit, quòd dederit operam rei illicitæ, ir-
226 regularis declaratur; posteriore casu negant, irregularitatem consurgere: quia textum & rationem adducere non possunt.

227 Ego tamen cum P. Wiestner ad *tit. de Corpore Vitiat. n. 19.* & P. Schmalzgrueber *ibid. sub n. 8.* propensior sum in eam sententiam, quæ negat irregularitatem indistinctè. Ratio unica, sed stringens est: quia irregularitas est odiosissima, nec potest adstrui sinè manifesto textu per *cap. is qui 18. de Sent. excommunicat. in 6.* Manifestus autem textus non legitur, quô statuatur irregularitas in casu, quô quis operam dedit rei illicitæ, actionem ex se periculosam, & mutilationi obnoxiam, instituendô. Ergo &c.

228 Ad textum in *cap. de Presbytero 1. de Corpore Vitiat.* Resp. ex eo non mediocre robur accedere resolutioni nostræ: nam Presbytero, qui duellum sponte obtulerat, & susceperat, ac partem digiti perdiderat, indulgetur facultas, in Ordine suo ministrandi; additâ ratione: *quòd non perdiderit tantum de digito, quin sinè scandalo possit solenniter cele-*
229 *brare.* Et licèt hæc facultas indulgeatur *misericorditer,* ac *peractâ* demùm *pœnitentiâ*: id tamen nequaquàm accidit propter irregularitatem, sed propter scandalum, publicè datum, ac pœnam suspensionis, quam aliàs propter duellum commeruisset.

230 Ad paritatem adductam de homicidio vel mutilatione alterius Resp. illam in exosa & odiosa hac materia claudicare: dum irregularitas à casu, in Jure expresso, ad alterum, non expressum, extendi nequit.

Dubitatur III. utrùm, qui propter mutilatio- 231
nem tantùm est inhabilis ad unum Ordinem, ac v. g. propter amissionem pollicis vel indicis solùm est ineptus ad Sacerdotium, possit ad alios Ordines promoveri?

Resp. negativè. Ita P. Pirhing ad *cit. tit. sub n. 17.* P. Reiffenstuel *ibid. n. 9. & seqq.* & plures, quos refert, & sequitur Clariss. P. Schmalzgrueber ad *eund. tit. n. 12.* adducens ex Garcia declarationem
Congregat. Cardinal. Textus admodùm luculenti 232
in *cap. illiteratos 2. Dist. 36. cap. non confidat 59. Dist. 50. cap. exposuisti 6. d. t.* ubi vitiosi generaliter, & in specie mutilati prohibentur ad Clericatum, servitium Divinum, & Sacros Ordines promove-
ri. Ratio desumitur ex *d. cap. illiteratos*, ubi 233
dicitur, quòd juxta Legalia præcepta nihil vitiosum DEO offerri possit: ideóque mutilatio, cùm faciat hominem in corpore vitiosum, causat absolutam irregularitatem, & facit, ut neque Sacerdos fieri, neque ad alios Ordines promoveri possit.

Dubitatur IV. utrùm irregularitas inducatur, 234
quando mutilatio post Ordines jam susceptos accidit?

Resp. quòd, si culpa propria mutilati non accesserit, irregularitas tantùm inducatur quoad Ordinem vel illius actum, respectu cujus mutilatio po-
nit impedimentum. Textus in *cap. presbyterum 2.* 235
de Clerico ægrot. ubi Presbytero, sic mutilato, tantùm celebratio Missæ, non autem functio cæterorum actuum Sacerdotalium interdicitur. Gonzalez ad *cap. cùm de tua 2. de Corpore vitiat. n. 8. in fin.*
Reiffenstuel ad *eund. tit. n. 12.* Ratio est: quia, 236
prærterquam quòd afflicto non sit addenda afflictio; insuper non solet quis tam facilè privari jure jam quæsitô, sinè proprio delicto; quàm jure, primùm
quærendô. Dixi: *si culpa propria non accesserit.* 237
Hæc enim impedit Ordinis susceptionem, & simul privat usu Ordinum susceptorum ex *n. 210.*

Dubitatur V. utrùm irregularis reddatur, qui 238
juxta *n. 210.* propriâ culpâ mutilatus est, esto mutilatio, quòd acciderit in membro vel parte corporis occulta, non sit notoria?

Resp. cum Suarez, Garcia, & aliis, quos laudat & sectatur P. Reiffenstuel ad *cit. tit. n. 29.* affirma-
tivè. Ratio depromitur ex *cap. si quis 4. & seqq.* 239
Dist. 55. ubi non solùm generaliter & indistinctè pronuntiantur irregulares, qui seipsos mutilârunt; sed etiam in specie, qui partes corporis occultas sibi absciderunt, vel abscindi fecerunt: quia scilicèt in DEUM injurii, & in seipsos crudeles fuerunt. Ergo recitati textus non attendunt mutilationis notoreitatem, sed DEI injuriam, & crudelitatem voluntatis, quæ perinde committitur, si mutilatio maneat occulta.

§. III.

Quid sit Debilitas?

Debilitas est defectus vigoris & activitatis in 240
membro, ad exercendam functionem & ministerium, ad quod à natura fuit destinatum. Adeóque, si quis omnia quidem & integra habeat membra, sed tamen unum vel alterum, quod pertinet ad officium Altaris, inutile & insufficiens, v. g. oculos cæcos, aures surdas, os mutum, pedes li-
gatos &c. est irregularis, & ineptus ad Ordines. Ita 241
de surdis (non surdastris) & mutis statuitur in *can. 77.* Apostolorum; de cæcis in *cap. constitutionem 2. in pr. de V. S. in 6.* de claudis & cum baculo incedentibus in *cap. nullus Episcopus 57. de Cons. Dist. 1.* Secus est de claudis, baculô non egentibus *cap. si quis*

quis 10. *Dist.* 55. ficut etiam de habentibus pedem
ligneum, non tamen vifibilem cum deformitate.
Tamburin. *cit. l.* §. 1. *n.* 17. Verùm
242 Dubitatur I. an, qui in unico tantùm oculo cæ-
cus, & potentiâ vifivâ eft deftitutus, fit irregularis?
Resp. fi oculus dexter potentiâ vifivâ deftitutus,
finifter verò fit integer & videns, ex communi DD.
opinione, cujus teftimonium perhibet P. Engel ad
tit. de Corpore Vitiat. n. 5. nulla inducitur irregu-
243 laritas. Ratio eft: quia, fi oculus finifter fit inte-
ger & videns, nulla cenfetur adeffe debilitas: eò
quòd omnia, quæ fpectant ad officium Divinum,
244 cum decore peragi valeant. Sin autem finifter ocu-
lus (qui, cùm ad legendum Canonem in Miffa fo-
leat adhiberi, *canonicus* appellatur) fit cæcus, &
dexter videns, Suarez & Garcias apud *citat.* P. Reif-
fenftuel *n.* 18. irregularitatem adeffe contendunt.
245 Verùm *cit.* P. Engel. Barbofa de *Off. & pot. Episcop.
alleg.* 42. *n.* 31. Tamburin. de *Censur. & irregularit.
cap.* 8. §. 1. P. Pirhing ad *cit. tit. n.* 6. P. Konig *ibid.
n.* 5. irregularitatem non aliter admittunt, quam fi
concurrat notabilis deformitas, ita ut præditus ta-
li oculò non poffit legere Canonem abfque inde-
cora & probrofa converfione faciei ad populum.
246 Ratio eft: quia, fi notabilis deformitas non con-
currat, deeft vitium & fundamentum irregularita-
tis: nec enim reperitur mutilatio, dum omnia mem-
bra fupponuntur integra; nec etiam fubeft debili-
tas, dum, cæcutiente finiftrò, dexter oculus eft fuf-
ficienter difpofitus ad legendum Canonem, & per-
agendum Sacrificium.
247 Ex eadem ferè ratione cum aliis, à fe citatis, de-
fendit *citat.* Tamburinus *n.* 3. irregularem non effe,
qui perfpicillis indiget; qui de die folummodò, non
item de nocte videt; qui maculam in oculo habet
&c. dummodò notabilis deformitas ejufmodi de-
fectum non comitetur.
248 Dubitatur II. utrùm irregularitas, quam cau-
fat debilitas, fit abfoluta, & omnium Ordinum
exclufiva?
Resp. quòd fic. Textus, Doctores, & rationem
249 jam dedi in *n.* 131. *& feqq.* Quoad abftemios verò,
qui vinum bibere non poffunt, atque adeò ne-
queunt ad Sacerdotium, quod deftinatur ad con-
ficiendum & fumendum Sacrofanctum Chrifti San-
guinem, promoveri, uti cum Panormit. ad *cap. ex
parte* 5. *de Celebr. Miffæ n.* 1. cæteri Expofitores
docent, major eft difficultas, utrùm ad Ordines Mi-
nores, Sub- & Diaconatum afcendere valeant?
250 Affirmat tamen P. Engel ad *tit. de Corpore Vitiat.
n.* 17. Ratio eft: quia, qui idoneus eft ad functio-
nem Ordinum Minorum, nec non Diaconatûs &
Sub-Diaconatûs exercendam, is Minores fufcipere,
& Sub-Diaconus aut Diaconus ordinari poteft.
Atqui abftemius eft idoneus ad functionem Ordi-
num Minorum, nec non Diaconatûs & Sub Diaco-
natûs exercendam: nec enim Minorifta, Sub-Diaco-
nus, aut Diaconus Sacrofanctum Sanguinem in Sa-
crificio libare, fed tantùm Sacerdoti confecranti &
fumenti Sanguinem Chrifti Domini, miniftrare te-
251 netur. Ergo &c. Confirmari poteft: tum quia Lai-
cus conjugatus, qui contraxit cum unica & virgi-
ne, tametfi non poffit ad Ordines Sacros promove-
ri, poteft tamen Ordinibus Minoribus initiari: tum
quia funt multi Cardinales Diaconi, & multi Cano-
nici Cathedrales Sub-Diaconi, qui ad Ordinem Sa-
cerdotii afcendere nec debent nec volunt. Ergo,
tametfi abftemius non poffit effe Presbyter, Mino-
rifta tamen, Sub-Diaconus, & Diaconus effe non
prohibetur.
252 Cæterum, ne adverfentur dicta in *n.* 247. Ref-
ponderi poteft, abftemium propriè loquendô non
habere vitium corporis: utpote cùm ex communi
perfuafione defectum in corpore pati non cenfea-
tur, qui vinum guftare non poteft.
Dubitatur III. an, qui laborant morbô aliquô, 253
fint irregulares?
Resp. quòd fint, dummodò morbus fit talis, ut
caufet debilitatem virium, & faciat morbofum in-
habilem ad minifterium Altaris. Wieft. ad *tit. de Cor-
pore Vitiat. n.* 4. Schamb. *ibid. n.* 10. Sic ergo, qui 254
propter frigiditatem vel debilitatem ftomachi nau-
feam & vomitum fæpe patitur, eft inhabilis: quia
Sacrum Sanguinem interdum omninò non fumere,
aut faltem abfque periculo irreverentiæ, non pote-
rit. Barbofa *alleg.* 45. n. 54. *in f.* Sic etiam, qui pa- 255
ralyticus eft, phreneticus, à dæmone obfeffus, vel
morbò caducô correptus, eft inhabilis ad officium
Altaris per *cap. communiter* 3. *Dift.* 33. quia via un-
quàm certus eft, poffitne functionem facram vel
inchoare vel perficere. P. Schmalzgr. ad *d. t. fub n.*
11. Schamb. *d. l.* Sic etiam, qui contractos habet 256
digitos aut pedes, vel ambulare & ftare non poteft,
eft inhabilis ad exercitium Ordinum: quia ad Al-
tare accedere, ad Sacrificium ftare, Hoftiam tracta-
re, & cætera Altaris munia obire non poteft. Et 257
hinc Facultas noftra, in facti contingentia non ita
pridem confulta, judicavit, eum, qui propter lon-
gam & continuam podagram nec ambulare, nec ob
contractos in una manu digitos canonicos celebrare,
vel alia munera Epifcopalia peragere poteft, non
poffe in Epifcopum promoveri vel ordinari, Paf-
ferinus *de Elect. cap.* 25. n. 321.
Dubitatur IV. utrùm, fi debilitas fuperveniat 258
Ordini, jam fufcepto, nihilo minùs irregularitatem
caufet?
Resp. quòd irregularitatem fimpliciter non cau-
fet, fed tantùm impediat ab exercitio illius actionis,
refpectu cujus eft inducta inhabilitas. Antonellus
de *Regim. Eccl. Epifcop. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 10. P. Reif-
fenftuel ad *tit. de Corpore Vitiat. n.* 12. Clariff. P.
Schmalzgrueber *ibid. n.* 14. Ratio defumitur ex 259
n. 236. quia, qui jam ordinatus eft, acquifivit jus ad
actus Ordinis fufcepti exercendos: adeóque prop-
ter impedimentum, abfque propria culpa poftmo-
dum fuperveniens, non debet privari ufu & exerci-
tiô illarum functionum, ad quas adhuc idoneus &
habilis eft. Unde Sacerdos cæcus poterit audire
Confeffiones, aut, fi memoriter fciat, Miffam voti-
vam vel pro defunctis, affiftente aliô Sacerdote,
ex fententia Tamburini *d. l.* §. *n.* 4. legere; Sacer-
dos mutus affiftere matrimonio; Sacerdos, in di-
gito canonico, ad frangendam hoftiam factus de-
bilis, poterit exercere officium Diaconi vel Sub-
Diaconi. Schambogen *cit. l. n.* 3.
De morbofis fpecialiter cautum eft, ut, fi morbus 260
poft fufceptionem Ordinis fuperveniat, ad minifte-
rium Altaris non admittantur, donec per fpatium
unius anni ex integro convaluiffe probati fuerint
per *cap. communiter* 3. *Dift.* 33. *cap. in tuis* 1. *VII. q.*
2. P. Engel ad *tit. cit. n.* 16. P. Schmalzgrueber
fub n. 11. Schambogen *cit. n.* 19.

§. IV.

Quid fit deformitas?

Deformitas eft defectus corporis exterior & vifi- 261
bilis, faciens, ut aliquis finè fcandalo, rifu, vel
horrore confpici non poffit. P. Engel ad fæpe *cit.
tit. de Corpore Vitiat. num.* 1. Taliter itaque defor- 262
mis ordinari non poteft *arg. cap. de rectoribus* 3.
& cap. tuæ non 4. *de Clerico ægrotante &c.* indecens
enim & inconveniens eft, ut, dum in Ecclefia pera-
gitur Divinum Minifterium, ad laudem & gloriam
Supremæ Majeftatis, populus, ibidem congregatus,
ex

ex aspectu ministrorum ad horro.em, risum, aut
scandalum moveatur.
263 In specie propter deformitatem irregulares cen-
sentur, qui peccant in statura vel quoad excessum,
quòd enormiter magni & gigantibus sint æquales;
vel quoad defectum, quod nimiùm pa[illegible]i, nani,
ac pygmæi sint, brachia vel manua atto[illegible]re ad Al-
264 tare non potentes; qui gibbum monstrosum, aut
curvitatem corporis adeò depressam habent, ut se eri-
265 gere, & erecto corpore consistere nequeant; qui
ventrem præturgidum & prominentem, aut vultum
266 corrosum, scabiosum, cicatrice vel fœdâ maculâ de-
turpatum habent; qui naribus, vel auriculis sunt
truncati, nec auricularum truncationem capillis te-
gere valent; item qui leprâ notabiliter percussi sunt
cap. de rectoribus 3. cum seq. de Clerica ægrot. Barbosa
de *Off & pot. Episc. alleg.* 42. *per* 101. Tamburinus *d. l.*
n. 15. *& seqq.* Pirhing ad *tit. de Corpore Vitiat. num.* 6.
Wiestner *ibid. n.* 11. Schmalzgrueber *ibid. num.* 13.
267 Dubitatur I. an, cui erutus est oculus, sit irre-
gularis, etiam tunc, quando oculus fictitius ex la-
pide aut vitro est substitutus?
268 Resp. affirmativè cum P. Engel *cit. l. num.* 6. Tex-
tus est in *cap. ult. Dist.* 55. ubi is, cui erutus est ocu-
lus, simpliciter irregularis pronuntiatur; nec di-
stinguitur, an oculus fictitius substitutus fuerit,
269 nec ne. Imò non erat ratio distinguendi: partim
quia fictitius oculus nil confert, sed non aliter con-
sideratur, ac si omninò non esset: partim quia
periculum est, ne oculus ille rursus excidat, &
figmentum detegatur.
270 Dubitatur II. utrùm deformitas inducat irregula-
ritatem absolutam respectu omnium Ordinum?
Resp. cum Authoribus in *num.* 31. citatis, affirma-
271 tivè. Ratio est: quia motivum, propter quod de-
formitas causat irregularitatem, est universale, at-
que ad omnes Ordines se extendit: qui enim hor-
rorem, risum, aut scandalum parit, quando fun-
gitur officiô Sacerdotis, plerumque risum, hor-
rorem, aut scandalum pariet, quando fungitur of-
ficiô Diaconi vel Sub Diaconi.
272 Dubitatur III. utrùm, si deformitas superve-
niat Ordinibus, jam susceptis, illorum exercitium
impediat?
Resp. quòd, si loquamur de exercitio publico,
mihi probabilius videatur, illud censeri impeditum;
quia fundamentum hujus irregularitatis persistit,
sive quis deformitatem habuerit ante susceptionem
273 Ordinum, sive posteà in eandem inciderit. At, si
loquamur de exercitio privato, post Innocentium
ad *cap. de Presbytero* 1. *de Corpore Vitiat.* tradit
P. Engel *d. l. num.* 10. illud subinde ex licentia Epis-
copi fieri posse. In specie de leprosis cum Syl-
vestro in *V. Corpore Vitiati q.* 7. docet Clariss. P.
Schmalzgrueber ad *cit. tit. num.* 11. quòd privatim
274 celebrare non prohibeantur. Idem de eo, qui mor-
bô caducô laborat, rariùs tamen cadit, nec sputa
emovit, adstruit cum Layman. P. Reiffenstuel *d. l.*
n. 19. quòd nempe in privata Capella celebrare pos-
sit; adjunctô ei Sacerdote aliô, qui Missam pro-
sequatur, casu quô ille deficeret. Consentit Scham-
bogen ad *cit. tit. num.* 10.

§. V.

Quis dispensare possit in Vitia Corporis?

275 Impedimentum, quod gignit vitium corporis,
tollitur per dispensationem Sedis Apostolicæ: nec
enim in Testamento Novo vitium corporis irre-
gularitatem causat ex alio Jure, quàm Ecclesiastico:
esto in Testamento Veteri causaverit impedimen-
tum de Jure Divino, non quidem ex præcepto
morali, sed cæremoniali P. Wiestner ad sæpe *cit. tit.*
de Corpore Vitiat. n. 23. Interim S. Pontifex non tam 276
facilè dispensat in vitio, quod multùm est notabile,
ac magnam irreverentiam Sacramento, vel grave
scandalum in populo excitare potest. P. Wiestner
ad *eund. tit. num.* 15. Eumque in finem, quando 277
dispensatio sollicitatur, dat commissionem vel Da-
tario, si corpore vitiatus sit præsens; vel loci
Ordinario, si ille vitiatus sit absens, ut super de-
fectu corporis antecedenter inquirat. P. Wiestner
d. l. num. 24.
De Episcopo disceptari potest, utrùm aliquando 278
dispensare possit in hac irregularitate? Ubi
Resp. & dico I. Si vitium corporis proveniat ex
mutilatione culpabili alicujus membri occulti, pro-
indeque non patens, sed occulta sit mutilatio,
Episcopus rectè dispensat. Pro hoc enim casu in- 279
telligitur concessa dispensandi facultas in Concilio
Trident. *Sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. quatenùs ibidem Epi-
scopo permissum est, in irregularitate, quæ pro-
venit ex delicto occulto, dispensare. Tamburinus
cit. cap. 8. §. 2. *num.* 8
Resp. & dico II. Si vitium corporis proveniat ex 280
mutilatione manifesta, debilitate, vel deformitate
indubitata, Episcopo citra specialem licentiam S.
Pontificis, dispensare non licèt per textum in *cap.*
cùm de tua 2. *de Corpore Vitiat.* Ratio est: quia 281
non licet Episcopo extra casus, in Jure permissos,
in Legibus Ecclesiasticis dispensare. Tamburin. *d.*
l. §. 2. *num.* 10.
Resp. & dico III. Si dubium sit de vitio corpo- 282
ris, utrùm sit notabile, atque ad irregularitatem
sufficiens, potest Episcopus, si non dispensare, sal-
tem declarare, vitium corporis tantum non esse, ut
obstet Ordinum susceptioni. Abbas in *cap. de Pres-* 283
bytero de Corpore Vitiat. num. 1. P. Engel ad *eund.*
tit. num. 19. P. Reiffenstuel *num.* 20. P. Schmalz-
grueber *num.* 16. Tambur. *cit. l.* §. 1. *num.* 24. & §.
2. *num.* 3. Ratio est: tum quia, sicut à S. Pontifi- 284
ce determinari non potuit, qualiter in individuo
corporis vitium comparatum esse debeat, ut inha-
bilitatem ad Ordines operetur; ita credendum est,
quòd illam determinationem reliquerit arbitrio Epi-
scopi, tanquam prudentis judicis per *cap. commu-*
niter 3. *Dist.* 33. tum quia, si dubium sit Juris aut 285
facti, an irregularitas sit contracta, præsumptio stat
contra irregularitatem; adeóque Episcopus si non
dispensare, saltem declarare potest, irregularita-
tem non fuisse contractam.

SECTIO II.

De Homicidio & Mutilatione.

SUMMARIA.

286. *Subjicitur descriptio homicidii.* 287. *& seqq. Est occisio hominis viventis.* 290. *& seq. Faciens, ut occidens ab Ordinibus repellatur.* 292. *& seqq. Mutilatio est amputatio membri, pariter ab Ordinibus repellens.* 296. *Describitur homicidium necessariū.* 297. *& seq. Non causat irregularitatem, quando fit propter conservationem vitæ.* 300. *& seqq. Etiam parentum, propinquorum, & aliorum innocentiũm.* 302. *& seq. Dummodò observetur moderamen inculpatæ tutelæ.* 304. *& seqq. Aliàs irregularitas non declinatur.* 308. *& seq. Si quis alterum incitet ad homicidium, non fit irregularis, nisi illud rationabiliter praviderit.* 310. *& seqq. Homicidium ad conservandā pudicitiā non causat irregularitatē.*

314. & seqq. Nec homicidium ad conservationem bonorum in notabili quantitate, si aliter servari nequeant. 317. & seqq. Proponuntur fundamenta sententiæ contrariæ, 323. & seqq. Subjunctâ responsione diluuntur. 432. & seqq. Qui potest invasorem per fugam declinare, non fit irregularis, similes aut nobilis sit, ex multorum sententia. 325. & seqq. Hæc tamen non approbatur. 338. Describitur homicidium justum & injustum. 339. Homicidium, etiam justum, producit irregularitatem. 340. Judex, qui profert sententiam sanguinis, secutâ morte vel mutilatione, fit irregularis. 341. & seq. Non item, qui judicium sanguinis delegat. 343. Aut, si mors vel mutilatio non sequatur. 344. Aut sententia per condonationem Principis executioni non mandetur. 345. Bene verò, si aliter ac indirectè reum occidat. 346. Inquisitores hæreticæ pravitatis excusantur ab irregularitate. 347. Qui subscribunt sententiæ Sanguinis, fiunt irregulares. 348. & seq. Jureperitus, privatim respondens de pœna sanguinis, non fit irregularis. 350. & seq. Uti nec Confessarius, esto Judici præcipiat dictationem talis supplicii. 352. & seqq. Accusatores, Advocati, & testes in eadem causa redduntur irregulares. 350. & seqq. Circa accusatores adducitur limitatio, si agant civiliter in sua & suorum causa. 366. & seq. Cum protestatione contra pœnam sanguinis. 368. & seqq. Executores & Coadjutores in executione contrahunt irregularitatem. 371. & seqq. Non item qui remotè tantùm concurrunt. 375. Agitur de homicidio voluntario injusto. 376. & seq. Qui mandat homicidium aut mutilationem, est irregularis. 378. & seqq. Esto tantùm mandetur verberatio, & homicidium aut mutilatio sequatur. 381. & seq. Esto etiam mandatum sit revocatum, non tamen intimatum. 383. & seq. Imò esto mandatarius nihilo minùs occidisset, aut mutilâsset. 385. & seq. In assassinio sufficit mandatum sine illius executione. 387. & seq. Consulens quoque, secutô effectu, evadit irregularis. 389. & seq. Non autem, si consilium revocet. 391. Aut consiliô non moveat ad occidendum. 392. Aut consulat minus malum. 393. & seqq. Cooperatores insuper implicantur irregularitate, licèt propriâ manu non mutilent, aut occidant. 397. & seqq. Ratihabentes excusantur. 399. & seqq. Eliditur oppositio. 402. & seqq. Non impedientes quoque excusantur, nisi obligentur impedire ex justitia. 405. & seqq. Objectio solvitur. 408. Agitur de homicidio & mutilatione in bello. 409. & seqq. Præmittitur distinctio inter bellum justum & injustum; offensivum & defensivum. 411. & seqq. In bello injusto omnes milites fiunt irregulares. 414. & seqq. In bello justo offensivo illi fiunt irregulares, qui propriis manibus aliquem occiderunt, vel mutilârunt. 418. & seqq. In bello justo defensivo, quod suscipitur ex necessitate, nulla inducitur irregularitas. 426. Secus est, si suscipiatur ex libera voluntate. 427 Homicidium casuale est duplex. 428. & seqq. Si prorsus sit involuntarium, non operatur aliquam irregularitatem. 433. Si indirectè sit voluntarium, & sequatur ex actione licita, parit irregularitatem, præsuppositâ culpâ latâ. 439. & seqq. Sin ex actione illicita & periculosa sequatur, nullam requirit culpam. 443. Requirit autem, si illa actio periculosa non sit. 444. & seqq. Ostenditur, qualiter in dubio præsumenda sit irregularitas. 451. & seqq. S. Pontifex dispensat in omni irregularitate ex homicidio vel mutilatione. 461. & seq. Episcopus non dispensat, si homicidium vel mutilatio sit notoria. 463. Nec etiam, si homicidium occultum sit, sed voluntarium ac injustum 464. & seq. Dispensat autem, si necessarium sit, ac excessus in moderamine admissus. 466. & seq. Item, si casuale mixtum sit. 468. & seq. Item si mutilatio sit occulta. 470. Uti & si defectus lenitatis sit occultus. 471. & seqq. Explicatur, quid sit delictum occultum. 474. & seq. Explicatur, quid sit delictum, ad forum contentiosum non-deductum. 476. Reddens aliquem debilem non est irregularis.

§. I.

Quid sit Homicidium & Mutilatio?

Quartum impedimentum & speciem irregularitatis pooit *Homicidium & Mutilatio.* Homicidium in præsenti est occisio hominis viventis, faciens, ut occidens ab Ordinibus repellatur. 286

Dixi I. *occisio hominis viventis.* Ubi tamen noo refert, an homo jam natus sit, an adhuc in utero matris delitescat: nam Stoicorum sententia, existimantium, fœtum in utero non esse hominem, sed portionem matris, quamquàm à quibusdam JCtis, uti videre licet in *l. negat lex 2. ff. de Mortuo infer. l. in falcidia 9. §. 1. ff. ad L. Falcid.* fuerit approbata; aliis tamen & melioribus displicuit *l. si quis 38. §. 5. ff. de Pœn.* conformiter Juri Divino & Canonico in *cap. Moyses 9. XXXII. q. 2. cap. si aliquis 5. de Homicid.* Sin autem fœtus in utero occidum fuerit animatus, tunc, licèt gravissimum peccatum per procurationem abórtûs admittatur, idque homicidio æquiparetur in *d. cap. si aliquis 5.* nulla tamen irregularitas incurritur per textum manifestum in *cap. sicut ex 20. d. 1.* Gonzalez ad *cap. si aliquis n. 8.* 287 288 289

Dixi II. *faciens, ut occidens &c.* Ratio, propter quam homicidium parit irregularitatem, est defectus mansuetudinis & lenitatis Christianæ: videbatur enim incongruum, ut Christi Domini, Agni mansuetissimi, Sanguinem in Altari consecret, qui sanguinem humanum effundere non erubuit: cùm etiam in antiqua Lege DEUS non voluerit, ut Templum Hierosolymitanum à Davide, qui multum sanguinis effuderat, sed à Salomone, Rege pacifico, ædificetur, & consecretur 1. *Para ip. cap. 22. ℣. 8.* Gonzalez ad *cap. de cætero 11. de Homicid. num 4. in f.* 290 291

Mutilatio est amputatio membri, seu partis corporalis, quæ juxta *num. 207.* propriam & principalem operationem habet à natura, cujusmodi est oculus, auris, manus, pes, lingua, nares, maxilla, mamilla fœminæ, genitalia. Hæcque mutilatio, cùm mansuetudini & lenitati Christianæ repugnet, mutilantem non minùs irregularem facit, quàm occisio per *cap. Clericis 5. Ne Clerici vel Monachi &c. cap. in Archi-Episcopatu 4. de Raptorib.* Quando aotem non membrum, sed pars membri, quæ scilicet principalem operationem non habet, sed tantum coadjuvat, amputatur, ac v. g. digitus abscinditur, dentes excutiuntur, labra corraduntor, auricula seu cartilago truncatur &c. nulla infertur irregularitas: quia, tametsi Christianæ mansuetudini & lenitati talis mutilatio contraveniat, in Jure tamen pro inferenda irregularitate nullibi sufficiens indicatur. Panormitanus ad *cap. cùm illorum 32. de Sentent. excommunicat. num. 8.* Covarruv. *in Clem. si furiosus de Hom. p. 3. n. 8.* Gonzalez ad *cit. cap. de cætero num. 6.* P. Wiestner ad *tit. de Homicid. num. 8.* 292 293 294 295

§. II.

Utrùm irregularitas inducatur ex homicidio, vel mutilatione necessaria?

Homicidium (idem est de mutilatione) dividitur in necessarium, voluotarium, & casuale. *Necessarium* est, quod committitur ex quadam necessitate, videlicèt ex causa defensionis. Et quidem 296

I.

I. necessarium censetur, quod peragitur ex causa
defendendi vitam propriam, nec ullam inducit ir-
regularitatem per textum clarissimum in *d. Clem. si
furiosus un. de Homicid.* ubi Abbas *n.* 10. Covarruv.
298 *p.* 3. §. *un. num.* 1. *&* 5. Ratio est: quia, ex quo de-
fensio vitæ propriæ est omni Jure concessa, qua-
tenùs ordinata charitas desiderat, ut salvem & con-
servem vitam, etiam cum jactura alterius: nulla
profectò irregularitas statui debet in eum, qui inju-
stum aggressorem ad defensionem vitæ propriæ oc-
299 cidit. Nec enim, ut memini, deliquit; nec, ut fa-
cilè demonstrari potest, defectum in lenitate pati-
tur: quia, si crudelis sit, qui se ipsum tantùm mu-
tilat, vel in sui mutilationem consentit ex *num.* 211.
certè non crudelis, sed charitatis Christianæ ob-
servantissimus appellari debet, qui, ne mutiletur,
aut occidatur, per alterius occisionem aut mutila-
tionem impedit.

300 Hæcque defensio sinè irregularitatis metu exten-
ditur etiam ad defensionem vitæ parentum, libero-
rum, propinquorum, quin & extraneorum inno-
centùm. P. Engel ad *tit. de Homicid. n.* 18. P. Wiest-
ner *ibid. num.* 27. P. Haunold de *J. & J. to.* 6. *tr.* 1. *n.*
318. contra Pignatellum *to.* 7. *consult.* 20. *n.* 5. Textus
in *cap. fortitudo* 5. *XXIII. q.* 3. *cap.* 6. §. *sicut ille
autem Homicid.* ubi S. Pontifex, *qui potuit*, inquit,
301 *hominem liberare à morte, & non liberavit, eum oc-
cidit.* Ratio est: quia non tantùm possumus, sed
etiam ex charitate, pietate, vel justitia quando-
que debemus, proximum, in necessitate consti-
tutum, adjuvare, & contra improbum invasorem
defendere.

302 Semper tamen in casu hujusmodi defensionis ob-
servandum est moderamen inculpatæ tutelæ; ut
scilicèt in defensione sui vel aliorum, ac occisione
vel mutilatione aggressoris taliter quis se gerat, ut,
si minùs fecisset, fuisset in periculo moraliter certò
constitutus subeundi mortem. Haunold *cit. l. n.* 301.
303 Unde communiter ad inculpatam tutelam à DD.
tria requiruntur. I. est, ut præcesserit invasio, pro-
vocatio, vel insultus ex parte adversarii; II. est,
ut mortiferis armis vel instrumentis fiat invasio; III.
est, ut defensio fiat in continenti, seu in actuali pe-
riculo vitæ; cæteroquin, si cessante periculo sus-
cipiatur, non ampliùs rationem defensionis, sed vin-
dictæ præ se fert. Et, quamvis aliqui desiderent
304 IV. ut defensio paribus armis instituatur: id tamen
nec textui in *l. si ex plagis* 52. §. 1. *ff. ad L. Aquil.*
convenit, nec sanæ rationi: cùm enim defensio
fieri debeat in continenti, plerumque nec locus
nec tempus est, inquirendi vel sollicitandi armorum
paritatem. Conferantur Pignatell. *d. l. num.* 7. *& seqq.*
Haunold *cit. l.* Clariss. D. Blumlacher ad *Constit. Ca-
rolin. art.* 143. *n.* 4. Quòdsi quis moderamen inculpa-
305 tæ tutelæ transgrediatur, nec pœnam extraordina-
riam, nec irregularitatem evitat *cap. significasti* 18.
306 *de Homicid.* Eôque sensu accipiendi sunt textus in
cap. de his 6. *cap. si quis* 8. *Dist.* 40. & in Concilio Tri-
dent. *sess.* 14. *de Ref. cap.* 7. in quorum prioribus is, qui
causâ defensionis occidit, à susceptione & exercitio
Ordinum repellitur; in posteriore facultas dispen-
sandi cum taliter occidente Ordinario committitur.
307 Supponendum nempe, quòd in defensione modera-
men inculpatæ tutelæ servatum non fuerit, uti cum
Suarez & Barbosa de *Off. & pot. Episc. alleg.* 39. *n.* 54.
benenotavit P. Wiestner ad *cit. tit. de Homicid. n.* 31.

308 Planè si quis alterum irritaverit, ac verbis injurio-
sis, aut levibus verberibus contra se concitaverit,
non prohibetur eundem, posteà occidere volentem,
præveniendô occidere, citra timorem irregularita-
tis: utpote cùm adhuc stringat necessitas defensio-
nis, uti cum Soto tenet Sylvester citatus apud P.
309 Wiestner ad *d. t. n.* 33. dummodò non præviderit ra-
tionabiliter, periculum occisionis ex illa irritatione
vel concitatione secuturum: tunc enim homicidium
crederetur antecedenter voluntarium in causa, ve-
luti cum aliis docet *cit.* P. Wiestner *num.* 34.

II. censetur homicidium necessarium, quod inten- 310
tatur ad conservationem pudicitiæ. Lessius de *J. &
J. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 12. Textus in *l. lege Cornelia* 1. §.
4. *ff. ad l. Cornel. de Sicar.* Ratio est, non solùm, 311
quia pudicitia est pluris æstimanda, quàm vita;
sed etiam quia periculum occurrit, grave pecca-
tum admittendi: unde melius est, quemcunque no-
centem interimere, quàm DEUM offendere.

III. reputatur homicidium necessarium, quod 312
suscipitur ad conservationem bonorum temporalium,
si illa magni fuerint momenti, nec aliter conservari
possint, quàm per occisionem furis aut prædonis.
Quòd enim tale homicidium sit licitum, defendunt
Covarruv. ad *cit. Clem. si furiosus p.* 3. §. *un. num.* 6.
Farinac. *Prax. Crim. q.* 125. *n.* 168. Gonzalez ad *cap. si
perfodiens* 3. *de Homicid. n.* 11. Clarissimi DD. Facul-
tatis nostræ Collegæ. P. Engel ad *eund. tit.* 6. *n.* 21.
P. König *ibid. n.* 39. D. Franz ad *tit. Inst. de Obligat.
quæ ex del. p.* 2. *n.* 21. Ratio est: tum quia defensio 313
rerum suarum sinè distinctione vel determinatione
medii est concessa *l. rectè* 1. *Cod. unde vi*: tum quia
violentus invasor etiam vi & armis repelli potest jux-
ta *l. quod est* 3. §. 9. *ff. de Vi & vi arm.* tum quia furem
nocturnum occidere, simpliciter est permissum in *l.
furem* 9. *Cod. ad L. Cornel. de Sicar. cap. si perfodiens* 3.
de Homicid. tum denique, quia pars notabilis bono-
rum videtur esse pars vitæ, quatenùs vita non po-
test servari vel propagari sinè bonis. Quòd præ- 314
tereà in memorato casu non inducatur irregulari-
tas, statuunt ex citatis Covarruv. Gonzalez, König,
Wiestner cum P. Pirhing *loc. mox citandô.* Ratio est: 315
partim quia in *cap. quia te* 38. *Dist.* 50. penitus absol-
vitur à judicio & pœna, qui homines plures inter-
fecit ex causa libertatis: partim quia in *cap. si quis* 316
6. *XXIII. q.* 3. laudatur, qui *fortitudinem latro-
nis, pirata, & furis enervat, infirmosque eos red-
dit, debilitata enim membra à malo opere cessabunt*;
unde deducitur, mutilationem quoque talium per-
sonarum non esse reprobandam, aut irregularitate
puniendam: partim quia, ut ante probatum, oc-
cisio furis ob conservationem bonorum delictô ca-
ret; & quia non minùs defectu lenitatis caret, dum
non sponte, sed ex quadam necessitate defensionis
suscipitur: deficit fundamentum, ex quo irregula-
ritas statuatur.

Sylvester in *V. homicidium* 2. *n.* 11. Navarr. Gut- 317
tierrez, Molina, Avila, & alii, quos citat P. Pi-
rhing ad *tit. de Homicid. n.* 82. asserunt, ex occisione
vel mutilatione propter conservationem bonorum
temporalium irregularitatem incurri; seque fundant
I. in *Clem. un. d. t.* ubi solùm ab irregularitate excusa-
tur, *qui mortem aliter vitare non valens suum occidit
vel mutilat invasorem.* II. in *cap. interfecisti* 2. *de Ho-* 318
micid. ubi de Presbytero, qui *se suaque liberandô* in-
terfecit furem aut latronem, dicitur, quòd, *quàmdiu
vivit*, pœnitentiam agere debeat. III. *cap. si perfo-* 319
diens 3. *d. t.* ubi furem nocturnum duntaxat occidere,
permittitur: quia discerni non potest, utrùm ad *fu-
randum vel occidendum* veniat; diurnum autem oc-
cidere, non permittitur, *nisi telô*, hoc est, armis *se
defendat*, atque adeò vitæ periculum immineat. IV. 320
in *cap. suscepimus* 10. *d. t.* ubi, qui latronem furantem
occidit, jubetur *abstinere humiliter ab Altaris mini-
sterio*: quia *contra mansuetudinem Ecclesiasticā* egit,
dum magis expediebat, *post unicam relinquere pal-
lium, & rerum sustinere jacturam, quàm pro conservan-
dis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios ex-
ardescere.* V. in *cap. significâsti* 18. *d. t.* ubi Canoni- 321
cus Regularis, qui latronem pro defensione rerum

Ecclesiæ percussit, irregularis judicatur, quando constare potest, quòd lethale vulnus inflixerit.
322 VI. in ratione, quòd limites Christianæ lenitatis & charitatis excedat, qui, ut servet res temporales & transitorias, alterum vitâ corporis, & forsitan animæ, non ampliùs recuperandâ, privat.

323 Verùm non desunt responsiones ad istas oppositiones. Ad I. Resp. ex eo, quòd unicus tantùm exprimatur casus in *cit. Clem.* quô absolvitur occidens ab irregularitate, videlicèt evitatio mortis, non licere per argumentum à sensu contrario in materia tam odiosa cæteros omnes casus exclude-
324 re: cùm juxta *num.*314. sit etiam admittendus casus, quô quis alterum ad defensionem libertatis occidit; in ipsa quoque *Clem.* sit addendus casus, non expressus, nempe si ebrius perfectè talis aliquem occidat: &, si occidat sobrius invasorem, quando non adest periculum occisionis, sed mutilationis.

325 Ad II. Resp. quòd in *cap.interfecisti* 2. supponitur, furem, qui occisus est, *comprehendi potuisse absque occisione*; in qua suppositione, citra excessum contra spiritum lenitatis, & inde fluentem irregularitatem non est concessum, alterum occidere.
326 In alia suppositione si textus allegatus accipiatur, pugnat profectò contra ipsosmet Adversarios: cùm etiam ille, qui *se suaque* liberaturus, id est, & vitam & bona defensurus, alterum interficit, debetet irregularis pronuntiari.

327 Ad III. Resp. ex *cit. cap. perfodiens* 3. furem nocturnum ob allegatum periculum semper impunè occidi posse; ad occisionem autem furis diurni, ut impunis sit, requiri, ut fur armatus veniat, atque adeò res ablatas armis defendat, quò minùs ei resisti, rerum ablatio impediri, aut fur apprehendi
328 valeat. Unde ex paritate rationis deducitur, quòd, si res ablatæ non possint aliter conservari, quàm per occisionem furis, occisio illa non censeatur esse prohibita.

329 Ad IV. Resp. in casu *cap. sufrepimus* neque bonorum partem notabilem ablatam, neque moderamen inculpatæ tutelæ fuisse servatum: tum quia Religiosi, qui poterant latrones ligare, poterant etiam illos superare vel aufugere, citra periculum vitæ vel bonorum: tum quia is, qui latrones ita ligatos occidit, habebat facultatem effugiendi, & res suas secum asportandi. Unde occisio latronum excessiva, atque irregularitatis inductiva meritò fuit judicata.

330 Ad V. Resp. rursus in casu *cap.significâsti* inculpatæ tutelæ limites non fuisse servatos, dum vulnus erat inflictum ob factum, quod aliter impediri potuisset, nempe per solam vociferationem, quâ auditâ, parochiani venissent in suppetias.

331 Ad VI. Resp. limites Christianæ charitatis non excedi, quando aliquis charissimam nobis portionem & vitæ subsidium per summam injuriam eripere conatus, per nostram defensionem subit periculum corporis & animæ, in quod temerè seipsum conjecit: alioquin, si magis alieno sceleri connivere, quàm nostræ utilitati deberemus prospicere, laxaretur improbitati frænum, & recluderetur patens janua prædonibus & latronibus, vi armatâ quemlibet rebus suis spoliandi.

332 Exquires: utrùm, qui potest invasorem declinare, & fugiendô sibi consulere, teneatur fugere, & occisionem invasoris omittere, si velit irregularitatem evitare? Covarruv. ad *cit.Clem.p.*3.§.*un.n.*1. & 4. & alii, quos refert, & sequitur P. Wiestner ad *tit. de Homicid. n.*35. *& seqq.* distinguunt inter personas, an sinè periculo infamiæ possint fugere, quales sunt homines plebeii & Ecclesiastici; an verò non possint arripere fugam absque periculo alicujus notæ, cujusmodi sunt milites & nobiles sæculares. Primæ sortis personæ tenentur fugere, si velint irregularitatem evitare per *cit. Clem. un. de Homicid.* 333
quia mortem fugiendô possunt evitare; &, si non fugiant & occidant, non occidunt ex necessitate, sed libera voluntate. Secundæ sortis personæ non tenen- 334
tur fugere: quia periculum infamiæ & mortis æquali passu apud milites & nobiles procedere videtur *arg.l.isti* 8. §. 2. *ff. Quod metûs causa l.justa* 9. *in pr. ff. de Manumiss. vind.* imò non pauci famam subinde ægriùs, quàm vitam amittunt.

Cùm autem ab Alexandro VII. sit reprobata pro- 335
positio, quòd *Vir Equestris, ad duellum provocatus, possit illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*; multùm dubitare licet, an miles aut nobilis, ab altero invasus, non teneatur fugere, sed invasorem occidere possit, ne ignaviæ notam incurrat. Prudentes siquidem, & secundùm principia Evan- 336
gelii sapientes, non ignominiæ, sed gloriæ vertent, quòd invasus maluerit alterius vindictam effugere, quàm invasorem æternâ & temporali vitâ exuere, prout in simili discurrit P. König ad *tit.de Homicid. n.*23. Unde, si casus ad Sedem Apostolicam devol- 337
veretur, probabilius existimo, talem occisorem pro irregulari declarandum fore, quòd mortem aliter evitare valens, contra dictamen Christianæ mansuetudinis, mortem intulerit. Vid. Covar. *d.l.* Pignatell. *tom.*7. *consult.*20.*n.* 7. ubi à S.Congregat. generaliter declaratum refert, eum, qui causâ honoris insequitur inimicum, & occidit, irregularem esse.

§. III.

Qualiter irregularitas inducatur ex Homicidio, vel Mutilatione voluntaria?

Homicidium *Voluntarium* (idem est de mutila- 338
tione) dicitur, quod citra necessitatem ex libera & deliberata voluntate committitur. Idque vel *justum* est, quod scilicèt authoritate publicâ committitur; vel *injustum*, quod committitur authoritate privatâ.

Homicidium justum, tametsi culpâ vacuum & me- 339
ritorium sit, utpote factum ex virtute justitiæ vindicativæ; nihilo minùs irregulares facit omnes, quotquot ad illud proximè concurrunt *cap. aliquantos, cum* 2. *seqq. Dist.*51. *cap.Clericis* 5. *Ne Clerici vel Monachi &c.* Patiuntur enim defectum in lenitate, nec apti censentur ad Altaris officium; in quo Divinus & mitissimus Agnus offertur, qui, citra necessitatem, humanum sanguinem effundere, licita quoque ex causa, nituntur. Gonzalez ad *cit.cap.Clericis* 5.*n.*6. & ad *cap. de cæteris* 11. *de Homicid. num.* 11. Pro cujus exactiori intelligentia

Dico I. Judex, qui profert sententiam sanguinis, 340
ex qua sequitur mors aut mutilatio, fit irregularis. Textus in *cit. cap. Clericis* 5. *cap. sententiam* 9. *Ne Clerici vel Monachi. cap. in Archi - Episcopatu* 4. *de Raptorib. cap. ex literis* 10. *de Excess. Prælat. propè fin.*

Dixi I. *qui profert sententiam sanguinis.* Aliud est, 341
si judicium sanguinis generatim alicui delegetur: sic enim Prælati Ecclesiastici, qui Jurisdictionem Territorialem & Imperium Merum exercent, solent & debent suis Officialibus & Consiliariis causas sanguinis demandare, ut nempe omni meliori modô justitiam administrent; nec tamen irregularitatem contrahunt *cap.ult. Ne Clerici vel Monachi in* 6. ubi Passerin. *num.* 11. *& seqq.* Et licèt aliàs sit regula, quòd 342
quis per se ipsum videatur facere, quod facit per alium; attamen illa fallit in hac odiosa irregularitatis materia, ubi non tam fictio Juris, quàm veritas attenditur:

ditur: cùm utique magis in spiritu lenitatis exce-
dat Judex delegatus, qui sententiam sanguinis con-
cipit, quàm delegans, qui generatim ei Jurisdictio-
nem criminalem committit.
343 Dixi II. *ex qua sequitur mors aut mutilatio.* In-
primis enim si Judex tantùm jubeat, delinquentem
flagellare vel aliter cædi, absque eo, quòd mors
aut abscissio membri consequatur, irregularis non
efficitur per *cit.cap.in Archi-Episcopatu 4 de Rapto-*
344 *rib.* P. Pirhing ad *tit. de Homicid. num. 96.* Deinde,
si quidem sententia mortis aut mutilationis feratur,
ea tamen, ob condonationem Principis, gratiam fa-
cientis, executioni non mandetur, propter mortem
aut mutilationem, actu non secutam, nulla infertur
345 irregularitas. P. Pirhing *cit. num.96.* Sin autem Ju-
dex non quidem proferat mortis aut mutilationis
sententiam, sed mandet, ut reo denegentur alimenta,
vel detrudatur in carcerem, in quo verosimiliter in-
tra paucos dies moriturus credebatur, eô mortuô
fit irregularis. Covarruv. in sæpe *cit.Clem.un.de Ho-*
micid.p.2.§.5.n.7. Gonzalez ad *cit. cap. de cætero d.*
t. num. 10. quia reipsà sententiam, ex qua mors se-
quitur, dictâsse videtur.
346 Interim Inquisitores hæreticæ pravitatis, eorum-
que commissarii & consultores, ex speciali fidei fa-
vore, possunt hæreticos Judici Sæculari extrade-
re, & apud eos etiam cum minis instare, ut pœnam
ignis exequantur, veluti à Paulo IV. & Pio V. de-
cisum refert P. Wiestner ad *d.t.n.14.*
347 Dico II. Assessor, consiliarius, & alius, qui
sententiæ sanguinis, ex qua mors aut mutilatio
sequitur, subscripsit, irregularis est. Colligitur ex
textibus in *cap. aliquantos 1. Dist.51.cap. his à qui-*
bus 30. XXIII.q.8.cap.Clericis 5. Ne Clerici vel Mo-
nachi &c. ubi generatim irregulares dicuntur, qui ju-
dicium sanguinis exercent. P. Engel ad *tit. de Homi-*
348 *cid. num. 61.* P. Pirhing *ibid. num. 96.* Jurisperitus
econtrà, sive Clericus, sive Laicus sit, qui inter-
rogatus de reo, num pœnam sanguinis meruerit,
respondet, quòd sic, probabiliter non incurrit ir-
regularitatem; dummodò publicâ authoritate ad
respondendum in criminalibus constitutus non sit,
aut Judici determinatè non suadeat, ut pœnam san-
guinis exequatur, veluti tenent Layman. *Theol. Mor.*
lib 3. tract.3. p.3. cap.7. num.7. Pirhing *cit. l. n. 98.*
349 P. Wiestner ad *cit. tit. n. 23.* Ratio est: quia etiam,
qui docet in schola, & typo subjicit, quòd reus
talis & talis criminis capitali suppliciô sit afficien-
dus, non incurrit irregularitatem: quia hic & nunc
in mortem delinquentis non influit. Ergo nec ille
irregularitatem contrahit, qui in casu particulari con-
sultus respondet, delinquentem pœnâ capitali posse
coërceri: quia hic & nunc in mortem delinquentis
influere non censetur: est enim Judici vel alteri,
consilium expetenti, liberum, velitne consilium ac
responsum Jurisperiti in praxin redigere, vel non:
adeóque mors secuta non adscribitur consulenti,
350 sed exequenti. Quin imò Confessariis adhuc plus
concessum est, quòd nempe Judici, pœnitenti &
quærenti, non tantùm sententiam mortis suadere,
sed etiam, si Judex sequi detrectet, absolutionem
negare possint. Gonzalez ad *cap. de cætero 11. de*
Homicid. num. 10. Layman, Pirhing, & Wiestner
351 *cit. loc.* Ratio est: quia Confessarii, quantum est
ex se, non intendunt mortem corporalem delin-
quentium, sed potiùs vitam & medelam Judicum
confitentium; nec, quod faciunt, faciunt liberè,
sed officii necessitate compulsi: unde absonum fo-
ret, per comminationem irregularitatis obicem
illis ponere, quò minùs officiô suô salubriter fun-
gantur.
352 Dico III. Accusatores, eorumque procurato-
res & advocati, nec non & testes in causa sanguinis,
in qua sententia mortis aut mutilationis concipitur,
& executioni mandatur, irregulares fiunt. Covar-
ruv. in sæpe *cit. Clem. si furiosus un.p.2.§. 5.n.1.n.5.*
Gonzalez *ubi supra.* P. Pirhing *cit. l. num.110.111.*
& seq. P. Wiestner ad *cit.tit.de Homicid.n.11.* Tex- 353
tus generalis in *cap. si quis 8. Dist.50. & cap. sicut 6.*
§.ult.de Homicid. ubi generaliter irregulares esse sup-
ponuntur, qui homicidii *factô præceptô*, vel *consiliô*
se fecerunt participes. Textus specialis de accusa- 354
tore est in *cap. postulasti 21. de Homicid.* & in *cap.*
Prælatis 2. eôd. in 6. ubi supponitur, eum, qui movet
accusationem de crimine criminaliter, irregularem
fieri. De advocatis & procuratoribus non obscurè
loquitur *cap. aliquantos 1. cap. designata 2. Dist.51.* 355
ubi laici, qui *in forensi exercitatione versati sunt, aut*
causas egerunt & postulârunt (intellige in Judicio san-
guinis) ad Clericatum non admittuntur. De testibus 356
posset quidem *ex cap. tua nos 19. §. ad ultimum de*
Homicid. videri, quòd, si testimonium dicant in
causa criminali, saltem ad mandatum & præcep-
tum Judicis, irregularitatem evadant. Sed reverà 357
cit. cap. non bene allegatur ad propositum: ibi enim
judicium potiùs civiliter, quàm criminaliter, age-
batur; & scholaris ille, ad quem miserat Judex,
non tulit testimonium, sed tantùm quædam insignia,
nempe cultrum & sotulares à fure relictos, extra-
didit, ex quibus indicia quædam admissi furti col-
ligere licebat. Abbas in *cit. cap. & §. num. 1.* Pi-
rhing *cit. loc. num. 111.* Et ideò in *lib. seq. tract.* 358
3. docebimus, eum, qui ad statum Ecclesiasticum
aspirat, compelli non posse, ut testimonium in cau-
sa criminali perhibeat.
Quoad accusatorem tamen est probè notandum, 359
illum, sive Laicus, sive Clericus sit, non fieri ir-
regularem, si malefactorem suum, qui scilicèt eun-
dem in persona vel bonis offendit, aut offensurus
timetur, coram Judice Sæculari ad acquirendam
satisfactionem accuset, adeóque de crimine civiliter
agat; dummodò protestetur, se vindictam aut pœ-
nam sanguinis non intendere, licèt de Jure in simili
casu pœna sanguinis irrogari possit juxta manifestam
constitutionem Bonifacii VIII. in *cap. Prælatis 2. de*
Homicid. in 6. Rationem dat Pontifex: quia, si *Præ-* 360
lati aut Clerici (idem est de Laicis) *propter metum*
hujusmodi, quòd *Judex ad pœnam sanguinis posset pro-*
cedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non au-
derent, daretur plerisque materia; trucidandi eosdem,
& ipsorum bona liberè deprædandi. Idem procedere, 361
quando Clericus aut Laicus offenditur in persona
parentum, liberorum, fratrum, & consanguineorum,
usque ad quartam generationem, nonnulli volunt.
Sed Passerinus in *Comment. ad cit. cap. n.7.* affert aliam 362
regulam ex Suarezio, tunc aliquem censeri offen-
sum ex persona aliorum, ad accusationem sinè peri-
culo irregularitatis movendam, quando in illum re-
dundat offensa, aliis irrogata; quod contingit, quan-
do alii sunt illius curæ commissi: & ideò potest ac-
cidere, quòd aliquando causa propria Clerici sit in-
juria, non tantum amicis, sed etiam extraneis illa-
ta. Quin imò, si Clericus agere velit ad impedien- 363
dum damnum, quod imminet amico vel etiam ex-
traneo, saltem denuntiare potest Judici malefacto-
rem, ut illius authoritate damnum impediatur, ut
docent Covarruv. in *cit. Clem. p.2.§ 5. num. 4.* Barbo-
sa ad *cit. cap. Prælatis 2. n.4.* Passerin. *ibid. num.* 8.
Cùm enim in simili casu obliget præceptum natu- 364
rale, ut avertatur damnum proximi, non est credibi-
le, quòd Ecclesia voluerit Clericis & aliis, præcep-
tum naturale adimplere volentibus, irregularitatem
imponere. Et licèt Judex, non obstante, quòd ma- 365
lefactorem ex officio & justitia condemnet, incur-
rat irregularitatem; id tamen non obstat: quia obli-
gatio ad condemnandum in Judice non antecedit,

sed sequitur illius voluntatem, utpote cùm offi-
cium Judicis liberè censeatur acceptâsse: at obli-
gatio ad impediendum damnum antecedit liberam
cujuscunque hominis voluntatem, & à natura no-
bis imponitur: adeóque non potest irregularitatem
producere.
366 De reliquo protestatio, quòd Clericus accusans
non intendat pœnam sanguinis, expressa sit, opor-
tet, veluti in *cit.cap.Prælatis* in *verb. protestando ex-
pressè* requiritur; &, si protestatio illa sit expres-
sa, sed tantùm ficta, ita ut Clericus in animo desi-
deret vindictam & pœnam sanguinis, juxta Sylves-
trum in *V.Homicidium 3.q.5.n.7.vers.sextum* non ex-
367 cusat ab irregularitate; attamen juxta Covarr. *d.l.n.*
2.Gonzalez ad *cap.de cætero 11.de Homicid.n.*10.Bar-
bosam ad *cit.cap.n.*9. Passerin *n.*18. & alios, ab his ci-
tatos, excusat: quia ex eodem textu nihil aliud de-
sideratur, quàm protestatio, absque ulla determi-
natione vel mentione intentionis internæ.
368 Dico IV. Executores sententiæ sanguinis, & co-
adjutores executionis, quales sunt, qui scribunt &
promulgant sententiam; quive supplicium inferunt,
aut reum ad supplicium, tanquàm custodes & satel-
lites, ducunt; item qui laqueum offerunt, scalam ap-
plicant, aut ligna comportant, ad supplicium exe-
quendum &c. fiunt irregulares. Ita passim statuunt
369 DD. cum Sylvestro *cit.l.q.*2.*n.*3. Navarro, Suarez,
Avila, quos nominat & sequitur Pirhing ad *tit. de
Homicid. num.*96.per textus in *cap.si quis 8.Dist.*50.
cap.his à quibus 30. *XXIII. quæst.* 8. *cap. Clericis* 5.
cap.sententiam 9. Ne Clerici vel Monachi &c. capit
370 *sicut* 6. §. *ult. de Homicid.* Ratio est: quia enume-
ratæ personæ ad pœnam sanguinis admodùm pro-
pinquè concurrunt: sicque non modicum defectum
in lenitate, ex quo scaturit irregularitas, patiun-
371 tur. Qui verò gladium fabricant, quò delinquen-
ti caput abscinditur; aut patibulum erigunt, in quo
maleficus suspenditur &c. non redduntur irregu-
lares: quia remotum nimis auxilium ad mortem
372 conferunt. Pirhing *d. l. sub num.* 97. Pariter irre-
gulares non efficiuntur, qui tantùm intersunt sen-
tentiæ & executioni sanguinis, tanquàm spectato-
res: eò quòd sola præsentia spectatorum ad mor-
tem vel pœnam non præstet aliquem influxum. Sua-
rez & Navarrus apud & cum P. Pirhing *d. l. num.*
373 113.Idemque dicendum etiam de spectatoribus Cle-
ricis, quibus, licèt æquè prohibitum esse videatur,
*sanguinis vindictam exercere, aut, ubi exercetur, in-
teresse d. cap. sententiam 9. Ne Clerici vel Monachi
&c.* nulla tamen ibidem irregularitas imposita legi-
tur; nisi, ut notat Gonzalez ad illud *cap. n.* 1.exe-
cutioni cum authoritate sint præsentes. P. Wiestner
374 ad *tit. de Homicid. num.*25. Crederem tamen, non
tolerandum, sed impediendum esse, ne Clerici, qui
pietatis & spiritualis officii causâ reum non comi-
tantur, ad locum executionis accedant: est enim
statui ipsorum & requisitæ mansuetudini indecorum,
ut, cùm humanum sanguinem omni modô & me-
diô tueri deberent, ad illius effusionem spectandam
se conferant.
375 Hæc de homicidio voluntario justo. Homici-
dium voluntarium (idem est de mutilatione) inju-
stum à fortiori causat irregularitatem ex parte om-
nium, qui physicè vel moraliter, per se vel per
alium, in homicidium influxerunt. Quod, ut me-
liùs capiatur,
376 Dico I. Is, ex cujus mandato sequitur homici-
dium aut mutilatio, irregularis est. Textus in *cap.*
377 *si quis 8.Dist.*50.*cap.ult.de Homicid.in* 6. Ratio est:
quia,qui mandat aliquem occidi,vel mutilari,est cau-
sa moralis homicidii vel mutilationis, dum,ut loqui-
tur JCtus in *l.nihil* 15.*ff. ad L.Cornel. de Sicar. nihil
interest, occidat quis, an causam mortis præbeat.*
Idque procedit I. etiam tunc, quando aliquis tan- 378
tùm mandavit, ut alter verberetur, & expressè pro-
hibuit, ne mutiletur aut occidatur *d. cap. ult. in* 6.
quantumvis enim mandatarios fines excedat mandati, 379
attamen *mandans in culpa fuit*,&,ut loquitur S.Pon-
tifex in eo *cap.debuit cogitare,hoc evenire posse*.Passe-
rin.in *cit.cap.num.*5. Aliud est, si mandans habuit jus 380
verberandi,puta quòd sit Pater aut Magister: si enim
verberari mandet filium aut discipulum, & mandata-
tius excedat fines mandati, mandanti nequit imputa-
ri culpa. Passerin. *d.l.num.*2. Procedit II. quando 381
mandatum, antehàc ad mutilationem vel homicidium
datum, à mandante fuit revocatum, sed mandatario
necdum intimatum: nam, quamdiu mandatario non
intimatur revocatio, nomine mandantis agere cense-
tur. P.Wiestner ad *tit. de Homicid. n.*57. Sin autem 382
revocatio mandati mandatario fuerit insinuata,& iste
nihilo secius mandatum perfecerit, non ampliùs no-
mine mandantis, sed nomine propriô agere censetur;
proindéque mutilatio vel occisio, cum annexa irre-
gularitate, mandanti non imputatur. Barbosa ad *cit.
cap.ult.num* 9.Passerin.*num*.7.P.Pirhing ad *cit.tit.sub
n.*23. Procedit III. secundùm Passerinum *cit. l. n.* 9. 383
quando mandatarius, etiam non acceptô mandatô,
mutilationem aut occisionem facere paratus erat:
quia, si mutilatio vel occisio mandantem faciat irre-
gularem, dum occisionem ac mutilationem expressè
prohibuit, solamque verberationem mandavit: quan-
tò potiùs mandantem faciet irregularem,quando ex-
pressè fuit demandata, licèt mandatarius aliunde pa-
ratus fuisset, mutilationem aut occisionem inferre?
Certè si duo simul & semel occidant aut mutilent, 384
quilibet tamen illorum seorsim occidisset, aut mu-
tilâsset, esto socium aut complicem non habuisset,
uterque fit irregularis. Ergo etiam mandans & man-
datarius fit irregularis, dum simul ad occisionem aut
mutilationem concurrunt, esto quilibet eorum seor-
sim occidisset,aut mutilâsset absque socio. Dissentiunt
Covarruv. ad *Clem. si furiosus p.*1. §. 2.*num.*1. & alii.
Illud prorsus est singulare, quòd, si quis manda- 385
tum dederit, ut Christianus aliquis per assassinos
(quorum nomine Anchoranus, Dominicus, & Fran-
cus intelligunt eos,qui homines pro pretio occidunt;
Covarruv. autem *lib.*2.*Var.resol.cap.*20. *n.*9. Sylve- 386
ster *V.assassinii n.*1.*&* 2.Barbosa ad *cap.mox citand.n.*
24.Passerin.*ibid.num.*3. intelligunt subditos infideles
Principum infidelium, qui ad jussum Domini sole-
bant homines interficere) occidatur, irregularitatem
& alias pœnas incurrat, licèt occisio non fuerit ad
effectum perducta. Textus luculentus in *cap. pro
humani* 1. *de Homicid. in* 6.
Dico II. Is,ex cujus consilio sequitur homicidium 387
aut mutilatio, irregularis est. Ita cavetur in *cap. si
quis* 8. *Dist.* 50. *cap. perniciosè* 23. *de Pœnitent.Dist.*
1. *cap. sicut dignum* 6. §. *ult. de Homicid. cap. ult. de
Clericis pugnant.in duello.* Ratio est: quia improbum 388
consilium, rametsi libertatem sequendi relinquat, in
delictum influere reputatur, quatenùs is, qui consi-
lium expetit, aut instruitur, aut animatur, aut auda-
cior redditur ad delinquendum per *l.sæpè* 53.§.1.*ff.
de V. S.* Atque hujus consilii tanta est virtus & 389
efficacia, ut irregularitatem causet, secutâ mutila-
tione vel occisione, etiamsi revocatum fuerit: quia
nimirum, revocatione non attentâ, movet ad de-
linquendum, veluti cum Suarezio tradit P. Wiest-
ner ad *tit. de Homicid.num.*59. At Passerin. ad *cap.* 390
ult. d. t. in 6. num. 7. multùm ambiguè loquitur de
hoc casu; credoque, consulentem, &, quantùm
est ex se, efficaciter revocantem consilium mortis
aut mutilationis, ad instar mandantis, non impro-
babiliter ab irregularitate liberum judicari: revo-

catio

catio siquidem consilii in morali consideratione idem
præstat, ac, si consilium nunquam fuisset datum;
& consequenter, si effectus ponator, ponitur per
391 accidens, ea sola alterius improbitate. Præterea,
si consulens per suum consilium aut omninò non
moveat, aut tantùm leviter ad occidendum aut
mutilandum, eò quòd occisio vel mutilatio, con-
siliò quoque non datò, posita fuisset, valde pro-
babiliter ab irregularitate immunis dicitur: quia
tunc non censetur esse causa mutilationis vel mor-
tis. Covarruv. *cit.p.*2. §. 2. *num.*1. Pirhing ad *tit. de*
392 *Homicid. num.* 31. Rursus, si quis consulat minus
malum, ut impediat majus, ac Titio v.g. ad necem
inferendam jam parato, percussionem aut mutila-
tionem suadeat, irregularitatis haud arguendus est:
non enim contra lenitatem agit, qui, ut vitam al-
terius servaret, percussionem aut mutilationem per-
suadet. Pirhing *d. l. num.* 32. *in fin.*

393 Dico III. Qui complices & cooperatores sunt
in rixa vel tumultu, in quo aliquis mutilatur aut
occiditur, fiunt irregulares, esto non constet, quòd
394 ipsorum manu mutilatio vel occisio evenerit. Colli-
gitur *ex cap. ult. XXIII.q.*8. ubi homicidii dicuntur
rei, qui in rixa, ex qua sequitur mors, *plagam
imposuerunt*; cæteri verò, qui *impugnabant, simi-
liter pœnitere* jubentur; nec aliqui excusantur à
noxa, nisi qui *nec impugnabant, nec vulnerabant,
nec consiliô nec auxiliô cooperatores fuerunt*. Covar-
ruv. *cit.l.*§.2 *n.*4. Zoëlius ad *tit.de Homicid.num.*26.
395 Pirhing *ib. n.*40. Wiestner *ib. n.*46. Ratio est: quia
omnes contra mansuetudinem delinquere censentur;
& mors aut mutilatio, quæ fortè ex unius tantùm
vulneratione accidit, omnibus, auxilium præstan-
tibus, tanquam communem causam foventibus,
imputatur.

396 Dico IV. Qui cædem aut mutilationem, ab alio
factam, tantummodò ratihabet, non contrahit ir-
regularitatem; sive cædes aut mutilatio ipsius no-
mine sit facta, sive nomine alterius. Sic contra Fe-
linum in *cap. sicut 6. de Homicid. num.* 20. & Sylve-
strum V.*homicidium* 1.*q.*7.*n.*11. concludunt Covarr.
cit.l.§.1.*n* 4. Laymann *Theolog. Moral. lib.*3 *tr.*3 *p.*3.
*cap.*4.*n.*6. Barbosa ad *cap. ult. d. r. in* 6.*n.*10. Passe-
397 rinus *ibid. n.*8. Ratio est: quia ratihabitio de cæde
vel mutilatione commissa est quidem peccaminosa;
at quia, si cædes aut mutilatio jam peracta suppo-
natur, non amplius influit, causa deficit, ex qua
398 producatur irregularitas. Sanè, si nulla etiam ad-
esset ratio, excludendi irregularitatem; sufficere de-
beret, quòd ratihabitio nullibi agnoscatur ad pa-
riendam irregularitatem sufficiens.

399 Dices: in Jure jam expressum esse, quòd irre-
gularitas contrahatur ex mandato mortis aut muti-
lationis: sicque & hoc expressum esse, quòd con-
trahatur ex ratihabitione, quæ mandato æquipara-
tur etiam in delictis, quando ratihabentis nomi-
ne sunt commissa *cap. penult. de Sent. excommuni-
cat. in 6. cap. ratam 9. cap. ratihabitionem* 10. *de
R. J. eôd. in 6.*

400 Resp. in Jure quidem expressum esse, quòd man-
dato æquiparetur ratihabitio etiam in delictis, sed
quoad culpam duntaxat; quoad pœnam verò id
generaliter expressum non est, sed tantùm in uno
vel altero casu particulari, & nominatim in percus-
sione Clerici, cui annexa est excommunicatio,
quando is, in cujus gratiam facta est percussio Cle-
401 rici, illam ratihabet *d. cap. penult.* Unde, sicuti
jam frequenter insinuatum est, non licet ab uno ca-
su ad alium non expressum, in odiosa pœnarum ma-
teria, argumentum ducere.

402 Dico V. Qui cædem aut mutilationem impedi-
re absque gravi periculo vel damno potuit, nec
tamen impedivit, irregularis non efficitur, nisi sit
obligatus impedire ex justitia, veluti sunt obligati
servi respectu Dominorum, milites respectu Ducum
& Officialium, Magistratus respectu subditorum, &
subditi respectu Magistratuum. Sylvester V. *homi-
cidium* 3.*q.*5. Pignatell. *to.*9. *consult.*71. *n.*7. *in fin. &
seqq.* P. Pirhing ad *tit. de homicid. numer.* 42. *&
seq.* P. Wiestner *ibid. n.* 66. Ratio est: quia, si quis 403
tantùm ex charitate obligetur, impedire cædem aut
mutilationem alterius, cædes aut mutilatio subse-
cuta eidem non adscribitur per textum in *cap. ult.
XXIII. q.*8. homicidium enim aut mutilatio est pec-
catum contra justitiam; adeóque ubi non peccatur
contra justitiam, non committitur homicidium aut
mutilatio. Econtrà, si quis obligetur ex justitia, cæ- 404
dem aut mutilationem alterius impedire, nec tamen,
cùm urget obligatio, impediat, peccat contra ju-
stitiam, & homicidii vel mutilationis se reum facit:
unde & pœnam irregularitatis, homicidio vel mu-
tilationi connexam, non evitat.

Nec obloquitur vel textus in *cap. sicut* 6. §. *illi* 405
etiam de Homicid. ubi scriptum esse refertur: *qui
potuit hominem liberare a morte, & non liberavit,
eum occidit*; vel textus in *cap. quanta* 47. *de Sentent.
excommunicat.* ubi Innocentius III. *eos*, inquit, *de-
linquentibus favere interpretamur, qui, cùm possint,
manifesto facinori desinunt obviare.*

Resp. enim ad I. textum, ibidem non esse ser- 406
monem de eo, qui solum non impedit, quando
potuit impedire, sed de illo, qui insuper auxilium
& consilium dedit, aut opem dare voluit ad com-
mittendum homicidium. Ad II. Resp. in illo tracta- 407
ri de excommunicatione, propter Clerici percussio-
nem incurrendâ; à qua, licèt incurratur ab eo,
qui potuit impedire, nec tamen impedit, ex dictis
in *n.*401. malè arguitur ad irregularitatem, de qua
in Jure nihil disponitur.

Porrò cùm cædes & mutilationes nullibi fre- 408
quentiùs accidant quàm in bello; operæ pretium
fuerit, in præsenti §. ubi agimus de homicidio vo-
luntario, ulteriùs inquirere, quomodò irregulari-
tas inducatur ex homicidio vel mutilatione in bel-
lo? Ubi imprimis distinguendum est inter bellum 409
justum & injustum. *Justum* est, quod authoritate
legitima, ex justa causa, geritur. *Injustum* est,
quod vel geritur authoritate non legitimâ, puta
si belligerans non sit Supremus Princeps; vel ex
causa non justa. Deinde est distinguendum inter
bellum offensivum & defensivum. *Offensivum* est, 410
quod movetur ad illatam injuriam vindicandam,
aut obtinendum jus, ab altero violatum aut dene-
gatum. *Defensivum* est, quod movetur ad se suáque
defendenda, & vim injustam propulsandam. Sup-
positâ hâc distinctione,

Dico I. Quando bellum est injustum, & facta 411
est occisio vel mutilatio, milites in eo pugnantes
fiunt irregulares, esto propriâ manu neminem occi-
derint, vel mutilaverint. Laymann *Theol. Mor. d.
tr. cap.*8.*n.*2. Engel ad *tit. de Homicid.n.*57. Pirhing
*ibid.num.*114. Wiestner *ibid.num.*46. Deducitur ex 412
cap. si quis 4. *Dist*, 51. *cap. sicut* 6. §. *ult. de Homi-
cid. cap. quod in dubiis* 5. *de Pœn.* Ratio est: quia 413
in simili tumultu non tam attenditur occisio vel
mutilatio singulorum, quàm occisio vel mutilatio
aliquorum, quatenùs, dum omnes sibi invicem ad
rem illicitam auxilium præstant & opem, com-
muni nomine occisio vel mutilatio facta censetur.

Dico II. In bello justo offensivo irregulares 414
fiunt, qui propriâ manu aliquem mutilârunt, aut
occiderunt. Textus in *cap. designata* 1. *Dist.* 51.
cap. petitio 24. *de Homicid.* Panormitan. *ibid. num.*
1. Barbosa *numer.* 7. P. Engel ad *eund. tit. numer.*

415 58. Schambogen *numer.* 86. & cæteri Interpretes.
Ratio est: quia, si bellum sit justum, omnes coo-
perantur ad rem licitam; indeque irregularitas non
contrahitur propter injustitiam, sed tantùm proptet
defectum lenitatis, qui tamen non repeiitur apud
alios, ac qui propriâ manu unum vel plures oc-
416 ciderunt, aut mutilârunt. Et quamvis etiam isti
videantur in necessitate defensionis constituti: at-
tamen, quia antecedenter militiam, ex qua peri-
culum occisionis vel mutilationis prævidere pote-
rant, liberè susceperunt, carent spiritu mansue-
tudinis.
417 Quòd si quis dobitet, utrùm in communi præ-
lio, conflictu, vel obsidione, simultaneâ tormen-
torum aut sclopetorum solutione aliquem occide-
rit, aut mutilaverit, ac pro parte affirmativa stent
rationes probabiles, juxta consilium S. Pontificis in
cit. cap. petitio 14. abstinere debet à SS. Ordinibus;
sin leve sit dubium, ex sententia *citat.* P. Engel
contemni debet. Velim autem attendi ad dicenda in
num. 444. *& seqq.*
418 Dico III. In bello justo defensivo illi, qui pu-
gnant ex necessitate, ad Ecclesiæ vel patriæ defen-
sionem, non fiunt irregulares. Layman. *cit. l. cap.* 9.
num. 2. Engel *d. l. num.* 59. Pirhing ad *cit. tit. num.*
419 115. Schambogen *ibid. num* 85. Ratio est: tum quia
defensio Ecclesiæ vel patriæ non tantùm licita, sed
etiam obligatoria est; sicque tam parum irregulari-
tatem parit, quàm defensio alia, ex necessitate sus-
420 cepta: tum quia, si Ecclesia vel patria injusto ag-
gressori vel invasori impunè cedatur, cùm tamen
per illius aut complicum suorum occisionem serva-
ri potuisset, utique peccatum infidelitatis, inju-
421 stitiæ, & inobedientiæ committitur: tum quia, qui
patriam aut Ecclesiam defendit, majus præmium, ma-
jorémque gloriam promeretur, ac qui seipsum & sua
defendit per *cap. omni timore 9. XXIII. q.*8. ut adeò
per irregularitatem, quæ ipsum excludat à sublimi-
tate SS. Ordinum, puniri non debeat.
422 Nec adversatur *cit. cap. petitio* 24. ubi proponitur
casus, quô *inimici Crucis Dominicæ, ac blasphemi No-
minis Christiani, castrum quoddam graviter invase-
runt*, contra quos inhabitatores, *tam Clerici quàm
Laici*, exiverunt, ac, conflictu factô, quàmpluri-
mi hinc inde sunt occisi. Consultus itaque Ponti-
fex ab aliquo ex illis Clericis respondit, quòd, si
ipsum *de interfectione cujusquam in illa conflictu con-
scientia sua remordeat, à ministeria Altaris reveren-
ter abstinere* debeat.
423 Resp. enim, nihil ibidem de Laicis dici, quòd
irregularitate fuerint innodati, sed tantùm de Cle-
ricis, qui, cum ratione status ab armis abstinere
debeant, etiam in bello defensivo fiunt irregulares;
424 nisi tanta sit necessitas, ut Laicorum numerus ad
defensionem non sit sufficiens: tunc enim, sicut Cle-
rici tenentur ad vigilias & custodiam civitatis per
cap. pervenit 2. de Immunit. Ecclesiar. ita etiam ad ar-
ma convolare, & Ecclesiam vel patriam defendere
425 obstringuntur. Cùm ergo in casu *cit. cap.* non ap-
paruerit tanta necessitas, Clericus, quia Laicorum
excursibus se sociaverat, irregularis declaratur, si pu-
tet, propriis se manibus quempiam interfecisse. Gon-
zalez in *Comment.* ad *cit. cap. petitio* 24. *num.* 7.
426 Planè nec Laici declinant irregularitatem, quan-
do in bello defensivo non pugnant, ex necessitate,
tanquam subditi ac patriotæ, sed ex libera volun-
tate, tanquàm stipendiô conducti: deficit enim ne-
cessitas defensionis, & concurrit defectus mansue-
tudinis ex parte talium, qui propriam, non alienam
defendere patriam obstringuntur.

§. IV.

*Qualitèr irregularitas ex Homicidio vel Mutilatione
casuali consurgat?*

Homicidium (idem de mutilatione sentiendum) 427
casuale est, quod præter intentionem admittitur.
Id quod dupliciter evenire potest; primò ut pror-
sus sit involuntarium, & nec directè nec indirectè
intentum; secundò, ut sit voluntarium indirectè
seu in causa, quatenùs vel actio talis suscipitur, quæ
cùm homicidii periculo est conjuncta; vel non ad-
hibetur ea diligentia, quæ debuisset adhiberi. De
utroque dissertturus,
Dico I. Homicidium, prorsus involuntarium, 428
est extra metum irregularitatis positum. Adeóque
non tantùm furiosus, infans, dormiens, aut alius,
cui rationis usus est ligatus (qualis est ebrius P.
Wiestner ad *tit. de Homicid. n.*70. *& seq.*) per occi-
sionem aut mutilationem, velut eisdem prorsus in-
voluntariam, irregulares non sunt juxta *Clem. si fu-
riosus de Homicid.* sed etiam, qui ratione prædici, 429
debita cum cautela exercuerunt actionem ex se lici-
tam, ex qua præter exspectationem aut opinionem
mors aut mutilatio secuta fuit. Sic enim Clericus, 430
qui, cùm pulsandô campanas populum ad Divina
convocaret, tintinnabulum, a quo puer vicinus gra-
viter vulneratus occubuit, casu dejecit, ab irregu-
laritate absolvitur in *cap. Joannes* 23. *de Homicid.*
Sic etiam Presbyter, qui solvere nitebatur laquea- 431
re, ex cujus ruina quidam extinctus erat, ab ea-
dem irregularitate absolvitur: quia dedit operam
rei licitæ, & casum hunc prævidere non potuit
cap. ult. d. t. Sic etiam Clericus, qui ab altero in 432
terram projectus erat, non dicitur irregularis, licèt
cultellus, quem ad latus habuerat, prosiluerit in pro-
jicientem, & eum exanimaverit *cap. lator 9. d. t.*
Dico II. Homicidium, indirectè voluntarium, 433
quando sequitur ex actione per se licita, non indu-
cit irregularitatem, nisi præcesserit culpa lata. Lay-
man. *Theol. Mor. cit. tr. & p.* 3. *cap.* 10. *n.* 4 Gonzalez ad
cap. de cætera 11. *de Homicid. n.* 1. P. Engel ad *eund.
tit. n.* 48. P. Wiestner *ibid. num.* 82. Textus notabilis 434
est in *cap. quæsitum 7. de Pœnitent. & remissionibus*
ubi de Clericis Græcis, qui liberos suos in lectum
secum assumunt, & opprimunt, decernitur, eos, tunc
demum irregulares fieri, si liberi reperiantur oppres-
si, *ipsis procurantibus, vel studiosè negligentibus*:
studiosa verò negligentia est utique culpa lata. Ra- 435
tio est: quia, si textus in *cap. continebatur* 8. *cap. ad
audientiam* 12. *& plur. seqq. de Homicid.* inspiciantur,
satis ambiguè & obscurè loquuntur, nec unquam di-
lucidè statuunt, culpam levem aut levissimam ad ir-
regularitatem sufficere: unde ex regulis legitimæ
interpretationis prudenter infertur, ex culpa alia,
quàm lata, irregularitatem non esse asserendam. Quin 436
imò, si loquamur in foro conscientiæ, Suarez,
Gibalinus, & alii, quos referunt, & sequuntur
Gonzalez *cit. l.* Pirhing ad *d. tit. n.* 63. Wiestner *d. n.*
82. ne quidem ex culpa Juridica quempiam vo-
lunt irregularem fieri, nisi accesserit Theologica,
& mortaliter peccaminosa; tum propter textum in
cap. exhibita 22. *d. t.* ubi, qui ex obitu occisi læ- 437
sam non habuit conscientiam, a receptione SS.
Ordinum non repellitur: tum propter rationem, 438
quòd in homicidio, indirectè tantùm intentô, neque
concurrat defectus lenitatis, neque peccatum in-
justitiæ, ad irregularitatem sufficiens, si culpa
Theologica, & graviter peccaminosa non acces-
serit: cùm enim irregularitas tunc habeat ratio-
nem gravioris pœnæ, graviorem quoque requirit
culpam.

Dico

439 Dico III. Homicidium, indirectè voluntarium,
quando sequitur ex actione illicita, subinde irregu-
laritatem inducit, subinde non. Videndum enim,
utrùm actio illa ex sua natura sit ordinata ad occi-
sionem vel mutilationem alterius, aut saltem valde
periculosa, sicuti si quis duellum ineat, sclopetum
exoneret in loco publico, gravia pondera dejiciat
in locum, per quem homines passim commeare so-
440 lent; an verò actio illa neque ex sua natura sit or-
dinata ad occisionem vel mutilationem alterius, ne-
que etiam valdè periculosa, veluti si quis ludat cum
fœmina prægnante, & illa ex tali lusu patiatur ab-
ortum; aut si Clericus, prohibitæ venationi indul-
gens, occidat hominem, quem putabat esse feram;
aut si Religiosus contra prohibitionem Prælati co-
nis ludat, ac globus ligneus, ex manibus excussus,
impingat in caput hominis, improvisò transeuntis.
441 Primò casu incurritur irregularitas, veluti colligi-
tur non tantùm à sensu contrario ex *cap. dilectus*
13. *cap. ex literis* 15. *de Homicid.* ubi ab irregula-
ritate eximuntur, qui dederunt operam rei licitæ,&
debitam quoque diligentiam impenderunt;sed etiam
ex positiva decisione in *cap. continebatur* 8. *cap. tua*
nos 19. *in pr. de Homicid.cap. sententiam* 9. *Ne Cle-*
442 *rici vel Monachi &c.* quia nempe, ut dicitur gene-
raliter in *cap.de cætero* 11. *de Homicid.qui homicidii*
causam dedisse videtur, non videtur ad Sacerdotium
promovendus; vel, ut aliàs dicere consuevimus,danti
operam rei illicitæ, ea, quæ inde sequuntur, impu-
443 rantur, licèt omnem diligentiam adhibuerit. Secun-
dò casu non incurritur irregularitas, nisi culpa la-
ta, uti dictum in *num.*433. concurrat: quia homici-
dium, quod neque voluntarium est directè, neque
indirectè, non imputatur ad pœnam gravem, qualis
est irregularitas. Et ita distinguunt Covarruv. in
*Clem. si furiosus p.*5. §. 4. n. 10. Pignatell.to.9. *consult.*
72.*num.*11. *& seq.* Engel *cit.l.num.*50. Pirhing *n.*65.
Wiestner *n.*80. Schambogen *n.*41. contra Innocen-
tium in *cap. tua*, Fagnanum in *cap. ad audientiam*
*n.*19. Clericatum *Erotemat. Ecclesiast.cap.*63.*num.*6.
qui indistinctè asserunt, eum, qui dat operam rei
illicitæ, fieri irregularem.

444 At quid faciendum in dubio, quando nescitur,
sitne irregularitas contracta nec ne?

Resp. in hoc plerosque consentire, quòd, si du-
bium sit Juris, utrùm videlicèt in casu aliquo de Ju-
re sit statuta irregularitas? judicandum esse contra
irregularitatem ob textum, aliquoties citatum in
cap.is qui 18. *in pr.de Sentent.excommunicat. in* 6.ubi
subindicatur, irregularitatem non contrahi,præter-
quàm in casibus, à Jure expressis, qualia non est ca-
sus in Jure dubius. Covarruv. ad *cit. Clem. si furio-*
445 *sus in pr. n.* 3. Verùm, si dubium sit facti, utrùm
scilicèt factum ita sit qualificatum, ut irregularita-
tem causare potuerit? Authores in varia placita
dividuntur. Aliqui simpliciter putant, in dubio fa-
cti statuendam esse irregularitatem propter textus in
cap.ad audientiam 12.*cap.significasti* 18.*de Homicid.*
ubi S. Pontifex mandat, ut in dubio facti pars tu-
tior, id est, quæ fovet irregularitatem, eligatur.
446 Covarruv. *cit.l.* P. Pirhing ad *cit.tit.num.*59. Alii di-
stinguunt, &, si dubium facti versetur de ipso ho-
micidio vel mutilatione, non præsumunt irregula-
ritatem: utpote cùm in dubio præsumptio tendat
447 in partem meliorem & benigniorem; præsumunt
autem irregularitatem, si certum sit, homicidium
vel mutilationem accidisse, dubitetur tamen,an Sem-
pronius v. g. de cujus irregularitate quæritur, sit
causa talis homicidii vel mutilationis: eò quòd nes-
ciatur, utrùm v. g. ex vulneratione Sempronii, vel
negligentia aut imperitia Medicorum aut Chirur-
gorum evenerit; hicque verificari existimant textus
in *cit.cap.ad audientiam* ubi Barbosa *n.*2.& *cap.signi-*
ficasti. P. Wiestner ad *cit. tit. num.* 87. Schambogen
*ibid. n.*34. Verùm Gonzalez ad *cit. cap. ad audien-* 448
*tiam n.*2. *& seqq.* & in *cap. significâsti num.*6. pulchrè
demonstrat, tam in dubio facti, quàm Juris, con-
siderandum esse, num dubium utrinque sit æquale;
an verò pro affirmativa stet aliqua præsumptio pro-
babilis, eaque per aliam & contrariam non enerve-
tur. In priori casu opinatur, contra irregularita- 449
tem esse judicandum: quia ob delictum dubium
nemo est certâ afficiendus pœnâ; in posteriori ve- 450
rò arbitratur, judicium pro irregularitate feren-
dum: quia præsumptionis ea est virtus & efficacia,
ut aliquid tamdiu habeat pro vero & certo, usque
dum contrarium demonstretur per *cap. ult. de Re-*
stit. spoliat. in 6.

§. V.

Quomodò irregularitas ex Homicidio vel Mutilatio-
ne per dispensationem tollatur?

Irregularitas ex homicidio vel mutilatione per 451
dispensationem Pontificiam procul dubiò tollitur,
ut docet cum unanimi aliorum Covarruv. ad *Clem.*
si furiosus p. 1. *in pr.num.*2. Ratio est: quia irregu- 452
laritas ista provenit ex sola constitutione Juris hu-
mani, prout deducitur ex *cap. is qui* 18. *in pr. de*
Sentent. excommunicat. in 6. Unde ex authoritate
Pontificis, qui Conditor & Author est Juris huma-
ni Ecclesiastici,rursus aboleri potest. Et quamvis in 453
Lege Veteri jam vestigium irregularitatis extiterit,
dum ibidem 2. *Reg.cap.*7.℣. 5.Davidi dictum legitur:
non ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es;
ac in Lege Nova constitutum reperiatur 1.*Timoth.*3. 454
℣. 3. *ut percussor* ab Episcopatu removeatur. Nihilo 455
minùs & illa Lex Vetus non erat moralis, sed ce-
remonialis; & ista Lex Nova non erat Divina, sed 456
Apostolica & humana, ut dictum in simili supra
*n.*180. *& seqq. & n.*276. Et hinc etiam infideles ne- 457
que pro tempore infidelitatis, neque pro tempore
fidelitatis ex homicidio vel mutilatione censentur
irregulares per textum in *cap si quis* 8. *Dist.*50. *cap.*
aliquantos 1. *cum* 2. *seqq. Dist.*51.

Potissima quæstio est, utrùm & quando Episco- 458
pus in irregularitate hujusmodi possit dispensa-
re? Ubi

Resp. & dico I. Episcopus non potest dispensare 459
in irregularitate, quotiescunque provenit ex homi-
cidio vel mutilatione notoriâ, vel ad forum con-
tentiosum deductâ. Barbosa ad Concil. Tridentin.
*sess.*24.*de ref. cap.*6. *n.*37. & cæteri Expositores unô
ferè calamô. Ratio est: quia Episcopus non potest 460
dispensare in Jure communi, præterquàm in casi-
bus expressis. Atqui, licèt secundum aliquos in 461
cap.ult.de Cleric. pugnant.in duello expressum fuerit,
quòd possit dispensare ad beneficium simplex, ho-
die tamen generaliter est vetitum in *cit.*Triden.*cap.*
6. & in *sess.* 14. *cap.*7. ne Episcopus in ejus generis
irregularitate dispenset.

Dico II. Episcopus dispensare non potest in ir- 462
regularitate, quando etiam provenit ex homicidio
occulto, sed voluntario & injusto. Ita Concil.Tri- 463
dent. *cit. loc.* ubi manifestè à potestate dispensandi
in irregularitatibus, ex occulto delicto manantibus,
excipit homicidium voluntarium.

Dico III. Episcopus potest dispensare in irregu- 464
laritate, quando provenit ex homicidio occulto,
quod ex necessitate quidem est susceptum, sed cum
excessu moderaminis inculpatæ tutelæ. P. Layman
in *Theol. Moral. cit. tr. & p.* 3. *cap.* 12. *num.* 2. *ass.*3.
P. Engel ad *tit. de Homicid. num. ult.* P. Pirhing ad
*eund. tit.n.*28. Schambogen *ibid. num.* 102. Ratio de- 465
sumitur ex eodem Concilio, ubi à potestate dispen-
sandi

faodi tantùm excipitur homicidiom voluntarium; quale non bene dicitur homicidium, ex necessitate susceptum, esto moderamen inculpatæ tutelæ non fuerit observatum.

466 Dico IV. Episcopus potest dispensare in irregu-
laritate, quando provenit ex homicidio casuali mix-
to, seu indirectè voluntario, & occulto. P. Lay-
man. *cit. l. assert.* 4. P. Engel *d. n. ult.* P. Pirhing *d. l.*
n. 127. Magnif. D. P. König *ibid. sub n.* 33. P. Wiest-
ner ad *cit. tit. n.* 166. Antonell. *de Reg. Eccles. Epis-*
cop. lib. 2. *cap.* 8. *n.* 12. Ratio est: quia in exceptione
467 *citat.* Concilii nomine homicidii *voluntarii* non de-
bet intelligi casuale mixtum: quamvis enim indire-
ctè sit volontarium, directè tamen & simpliciter
voluntarium non appellatur.

468 Dico V. Episeopus potest dispensare in irregu-
laritate, quando provenit ex mutilatione occulta,
etiam directè voluntaria & injusta. Barbosa ad *cit.*
cap. 9. *Trid. n.* 36. P. Layman. *cit. l. assert.* 2. P. Engel
d. num. ult. P. Pirhing *n.* 126. P. Wiestner *num.* 176.
469 Schambogen *num.* 99. Antonell. *d. l. num.* 11. Ratio
est: quia, tametsi ad incurrendam irregularitatem
homicidium & mutilatio æquiparentur, attamen ad
concedendam dispensationem hæc æquiparatio nul-
libi reperitur: ea propter, cùm in sæpe *cit.* Concil.
tantùm excipiatur facultas dispensandi in homicidio
voluntario, facultas dispensandi in mutilatione vo-
luntaria non censebitur excepta.

470 Dico VI. Episcopus potest etiam probabiliter
dispensare in irregularitate, quæ provenit ex homi-
cidio voluntario justo, sed occulto. Hæc est sen-
tentia P. Engel ad *tit. de Major. & obed. n.* 50. Cujus
471 ratio repetitur ex *n* 86. *& n.* 196. ubi adnotatum est,
potestatem dispensandi *in* irregularitatibus ex delicto
occulto, quam Episcopi adepti sunt in Concil. Tri-
dent. esse favorabilem, & inde extendendam ad de-
licta impropriè talia, quale in præsenti est defectus
lenitatis, qui consideratur in omnibus, qui justè &
jore, sed liberè cooperantur ad alterius homicidium
& mutilationem.

Si petas ulteriùs rescire, quidnam in Concil. Tri-
472 dentin. *cit. l.* intelligatur per delictum *occultum*, at-
qoe *ad forum contentiosum non deductum?*

Resp. I. per delictum occultum non tantùm intel-
ligi, quod probari non potest, veluti post alios ex-
plicat Fagnanus ad *cap. vestra* 7. *de Cohabit. Cleri-*
cor. & Mulier. à num. 121. sed etiam, quod ootorium
non elt, notoreitate facti (quia scilicèt excusari vel
tergiversatione celari potest) vel *notoreitate* Juris
(quia nempe non constat de eo ex propria confes-
sione vel sententia Judicis) veluti cum Sanchez,
Navarro, & aliis docet P. Wiestner ad *tit. de Homi-*
473 *cid. n.* 169. Cum enim in aliis quoque materiis de-
lictum censeatur occultum, quod *neque* notorium
est notoreitate facti, neque notorium notoreitate
Joris: nulla occurrit ratio, quare in præsenti mate-
ria non debeat accipi in eadem explicatione.

474 Resp. II. per delictum, ad forum contentiosum
deductum, *intelligi* tale, de quo lis in judicio jam
contestata fuit: tonc enim propriè incipit forum
contentiosom & judiciarium, quando lis utrinqoe
475 contestata fuit per *cap. ex parte* 30. *de V. S.* Unde,
si accusatio vel denuntiatio solùm instituta fuerit,
aut etiam citatio tantùm decreta, vel insinuata, adhuc
procedit dispensatio Episcopalis, veluti docent Bar-
bosa *de Off. & pot. Ep. alleg.* 39. *n.* 29. P. Wiestner *cit.*
l. n. 170. Eadem dispensatio conceditur etiam Epis-
copo, quando lis quidem est contestata, reus aotem
ob defectum probationis absolutus, ut ostendunt
Barbosa *cit. l. n.* 32. P. Wiestner *num.* 171.

Sciscitaberis adhuc: an sicut, qui occidit, aut
476 mutilat, fit irregularis; ita etiam, qui reddit alium
debilem aut deformem?

Resp. negativè. Schambogen ad *tit. de Homicid. n.* 93. *&* 96. Ratio est: tum quia in Jure hoc expressum noo est: tum quia in *cap. si ut* 47. *l. q.* 1. membrum debilitatum supponitur esse membrum propriè dictum, & consequenter non præsumitur mutilatum.

SECTIO V.

De Infamia.

SUMMARIA.

477. *Describitur infamia.* 478. *Est privatio existimationis.* 479. *Indeque pendentium jurium.* 480. *& seqq. Ex turpi facto contracta.* 484. *& seqq. Quandoque sufficit factum alienum.* 486. *Ponit impedimentum Ordinationi.* 488. *Infamia Juris describitur.* 489. *& seqq. Aliquando irrogatur immediatè à Jure, veluti per exempla monstratur.* 502. *Infames de Jure Civili censentur etiam infames de Jure Canonico.* 503. *Nisi aliud exprimatur.* 504. *& seqq. Non requiritur, ut delictum sit notorium, aut per sententiam Judicis declaratum.* 509. *& seqq. Aliquando irrogatur infamia per sententiam Judicis, sicuti docetur per exempla.* 513. *& seq. Debet esse sententia valida, licèt infamiam exprimere non debeat.* 515. *Describitur infamia facti.* 516. *& seqq. Recensentur plura exempla.* 523. *Debet esse communis.* 524. *Manifesta.* 525. *Procedere ab honestis & gravibus personis.* 526. *Oriri ex turpi facto.* 527. *Niti ratione probabili.* 528. *Describitur levis macula.* 529. *& seqq. Exempla subjiciuntur.* 534. *& seqq. Macula paterna non transfunditur in liberos.* 537. *& seqq. Excluduntur ab honoribus & Ordinibus.* 540. *S. Pontifex dispensat in quavis infamia.* 541. *In infamia Juris nullus Episcopus dispensare potest.* 542. *Nisi quandoque per sententiam irrogetur.* 543. *& seqq. Deciditur, quòd famæ restitutus per Principem sit habilis ad Ordines, si infamia non æquè principaliter statuatur in Jure Canonico.* 546. *& seqq. Infamia facti per emendationem vitæ purgatur.* 552. *& seq. Agitur de dispensatione circa levem maculam.*

§. I.

Quid sit Infamia?

QUintum impedimentum & species irregulari- 477
tatis est *Infamia*, quam ad propositum de-
scribere licet, quòd sit privatio existimationis, inde-
que pendentium jurium, ex turpi facto contracta,
faciens, ut aliquis ad Ordines ascendere nequeat.

Dixi I. *privatio existimationis.* Quemadmodùm 478
enim fama consistit in bona & illæsa existimatione
& opinione apud homines: sic infamia est privatio
talis existimationis & opinionis per *l. cognitionum* 5.
§. 1. *ff. de Extraordinar. cognition.*

Dixi II. *indeque pendentium jurium.* Solent nimi- 479
rum pleraque jura, munera, & officia in Republi-
ca non aliis conferri, ac qui vitâ, moribus, & no-
mine excellunt: unde infamia, dum privat existi-
matione, privat etiam juribus, muneribus, & offi-
ciis, quæ bonam existimationem desiderant *l. Di-*
vus 40. *ff. de Injur. l. un. Cod. de Infamib. l. neque fa-*
mosis 2. *Cod. de Dignitat.*

Dixi III. *ex turpi facto contracta.* Infamia siqui- 480
dem non solet nec potest irrogari, nisi præcesserit fa-
ctum, ex se probrosum & ignominiosum *arg. l. qui ac-*
cusare 8. *ff. de Accusat. l. infamia* 2. *Cod. Ex quib. caus.*
infam.

481 *infam.* Ex quo prudenter monet Lauterbach. ad *tit.*
ff. de his, qui not. infam. §. 7. famam & existimatio-
nem nostram per aliorum facta & verba injuriosa
482 non lædi *l. si non es 3. Cod. de Injur.* eosque Causi-
dicos & Advocatos imprudenter agere, qui suis
libellis inserunt: *das* v. g. Titius *den* Sempronium
mit Schmäh - Worten an seinen Ehren verletzt; cùm
potiùs ita concipi deberet: *das* Titius *sich unter-
standen, den* Sempronium *mit Schmäh - Worten an-*
483 *zugreiffenz.* Minùs detrimentum famæ timendum
habet, qui impactam sibi injuriam, ex Christiana
charitate & benignitate condonat, & vindictam,
quam posset per viam Juris quærere, intermittit
per ea, quæ dicta sunt in *n.* 363.

484 Interim non semper requiritur factum proprium,
sed alienum quandoque sufficit. Sic enim filii & ne-
potes parentum, qui violentas manus in aliquem
ex S. R. E. Cardinalibus injecerunt, infames fiunt
485 *cap. felicis 5. V. quid si quis de Pæn.* in 6. Sic filii
hæreticorum infamiam patris sentire debent usque
ad secundam generationem *cap. quicunque 2. §. hæ-*
486 *retici cap. statuum 15. de Hæretic. in 6.* Sic etiam
filii perduellium & proditorum, qui crimen læsæ
Majestatis commiserunt, infamiâ notantur *l. quisquis*
5. §. 1. *Cod. ad L. Jul. Majestat.*

437 Dixi IV. *faciens, ut aliquis ad Ordines ascende-
re nequeat.* Cùm enim infames ad honores, tum Ec-
clesiasticos, tum profanos, non admittantur *cap. in-
famibus* 87. *de R. J.* in 6. *d. l. neque famosis 2. Cod.
de Dignitat.* ad Ordines quoque nequeunt ascende-
re *cap. ult. Dist. 51. cap. infames 17. VI. q. 1.* quia Mi-
nistros DEI non minùs convenit, integritate no-
minis splendescere, quam Ministros hominum; eá-
que de causa Apostolus 1. *ad Tim.* 3. scripsit: *opor-
tet autem illum* (id est Episcopum) *& testimonium
habere bonum ab his, qui foris sunt, ut non in oppro-
brium incidat, & in laqueum diaboli.*

§. II.

*Quid sit Infamia Juris; & qualiter impediat Or-
dinationem?*

488 Infamia duplex est, Juris & facti. Infamia *Juris*
dicitur, quæ propter turpitudinem facti præceden-
tis irrogatur à Jure, vel immediatè, nullâ alterius
exspectatâ Judicis sententiâ; vel mediatè, subse-
489 cutâ nempe sententiâ Judicis. Irrogatur autem in-
famia immediatè à Jure, quando factum probro-
sum iam certum est, ut nullâ excusatione colorari
valeat. Hôc modô in Jure Canonico infamia statui-
490 tur. I. in hostiles insecutores S. R. E. Cardinalium
491 *d. cap. felicis 5. de Pœnis in 6.* II. in hæreticos, si
per annum steterint in excommunicatione *cap. ex-*
492 *communicamus 13 §. credentes, de Hæret.* III. in rap-
tores fœminæ ex causa ineundi matrimonii. Trident.
493 *sess. 24. de ref. matrim. cap. 6.* IV. in descendentes ad
duellum, & eorum patrinos. Trident. *sess.* 25. *de*
494 *ref. cap.* 16. V. in contrahentes matrimonium cum
meretrice (nisi fiat ex motivo charitatis Christianæ
cap. inter opera 20. de Sponsalib.) vel aliqua de iis,
quæ publicis spectaculis mancipantur *cap. si quis vi-*
495 *duam 15. Dist.* 34. Jure Civili infamia ipsô factô
statuitur I. in lenones, qui mares & fœminas pro
quæstu prostituunt *l. athletas 4 §. 2. ff. de his, qui not.*
496 *infam.* II. in contrahentes eôdem tempore bina ma-
trimonia vel sponsalia *l. prætoris 1. l. quid ergo 13. in*
497 *pr. & §§. seqq. ff. d. t.* III. in transigentes (qui redar-
guuntur rei) de crimine privato, cui annexa est in-
498 famia *d. l. athletas 4. §. ult. l. quoniam 5 ff. d. t.* IV.
in descendentes ad certamen privatum cum ho-
499 mine quæstûs gratiâ *l. quod ait 2. §. ult. ff. eôd.* V.
in usurarios manifestos, qui improbum fœnus ex-
ercent, & usuras usurarum exigunt *l. improbum 20.*
Cod. Ex quib. caus. infam. VI. in violantes juramen- 500
tum, contractui vel translationi appositum *l. si quis*
41. *Cod. de Transact.* Cùm autem in hac *l.* Imperator 502
utatur sequentibus verbis; *infamiâ notetur*; crede-
rem, infamiam non ipsô Jure, sed per sententiam ir-
rogari. Casus alios dabunt Struv. ad *tit. ff. de his,
qui not. inf. exercit.* 7. *th.* 18. & ibi Müller. Lauterb.
eôd. tit. §. 17. *& seqq.*

Interim, quos infamat Jus Civile, Jus quoque 502
Canonicum pro infamibus & inhabilibus ad Ordines
agnoscit, juxta textum generalem in *cap. omnes ve-
rò 2. VI. q. 1.* ubi Hadrianus Papa, *omnes verò,* in-
quit, *infames esse dicimus, quos Leges sæculi infames
appellant.* Barbosa de *Off. & pot. Ep. alleg.* 43. *n.* 2. An-
tonell. de *Reg. Ecclesi. Episcop. lib. 2. cap. 6. num.* 6. Nisi 503
Jus Canonicum manifestè recedat à Civili; veluti
recessit in casu, quô secundæ nuptiæ intra annum
luctûs contrahuntur: infamiam enim, quam inurit
tunc Jus Civile in *l. prætoris 1. ff. de his, qui not.
infam.* sustulit Jus Canonicum in *cap. penult. & ult.
de Secund. Nupt.*

An autem, si delictum sit occultum, infamia 504
contrahatur? Non est una omnium mens & opinio.
Sylvester *V. irregularitas q.* 14. & Barbosa *cit. l. num.*
18. cum Paulo de Castro, Garcia, & aliis, ibidem
nominatis, simpliciter affirmant: eò quòd infamia
non publicationi, sed perpetrationi criminis sit anne-
xa. Panormitanus ad *cap. ex tenore 4. de Temporibus* 505
Ordinat. num. 4. Covarruv. *Var. resolut. lib. 3. cap. 3. n.*
2. P. Wiestner ad *tit. de Pæn. n.* 55. tunc demum in-
famiam Juris contrahi, asseverant, quando deli-
ctum est publicum, etiamsi sententia Judicis, crimi-
nis declaratoria, non accesserit: quia ex una par-
te, quàmdiu delictum est occultum, integra manet
existimatio; ex altera verò parte, quàmprimùm di-
vulgatur delictum, etiam absque sententia, tollitur
existimatio. Azor, Sanchez, Filliucius & alii, quos 506
citat Barbosa *cit. l.* requirunt sententiam, criminis
declaratoriam, quatenùs etiam ad alias pœnas,
ut incurrantur cum effectu, talis sententia desi-
deratur.

Ego, ut mihi meisque dictis & scriptis in *tract.* 507
de Jure Leg. cap. 1. n. 275. & seqq. concordem, sen-
tio cum prima sententia, infamiam Juris, quæ ip-
sô factô dictatur à Jure, ante omnem criminis divul-
gationem & sententiam declaratoriam (saltem in
foro Ecclesiastico) vim suam exserere: quandoqui-
dem pœnæ spirituales, inter quas *cit. loc.* irregulari-
tatem recensui, si latæ sint sententiæ, statim ob-
ligant in conscientia: eò quòd externam actionem
aut executionem non desiderent. Accedit, quòd, si 508
delicti manifestatio foret necessaria, vix esset diffe-
rentia inter infamiam Juris & facti: cùm utraque
sinistram notam & opinionem apud homines ante-
cedenter exposceret.

Per sententiam Judicis infamiam irrogatur I. 509
quando aliquis condemnatur de delicto publico,
quod scilicet Lege publicâ vindicatur, atque ab
omnibus accusari potest *l. infamem 7. ff. de Publ.
Judic.* Tale est adulterium, sacrilegium, veneficium,
maleficium, perjurium &c. *cap. infames 17. VI. q. 1.*
II quando aliquis condemnatur ex actione propter 510
unum ex sequentibus delictis privatis, videlicet fur-
tum, rapinam, injuriam, aut dolum *d. l. infamem*
7. *l. prætoris 1. ff. de his, qui not. infam. d. cap. infames*
17. Quòd si ex delicto agatur ad rei persecutionem, 511
nec dolus principaliter allegetur, uti contingit in
actione L. Aquiliæ, vel actione quod metùs causâ,
condemnatio non causat infamiam. Lauterb. ad *cit.
tit. de his qui notat.* §. 15. III. quando aliquis con- 512
demnatur ex dolo in uno ex 4. contractibus, depo-
siti, mandati, societatis, & tutelæ *d. l. prætoris 1.*

Hæc

513 Hæc tamen sententia, ut infamiam infligat, & irregularitatem inducat, debet esse valida, nec suspensa per appellationem *l. furti* 6.§.1.*ff. de his, qui*
514 *not. infam.* Sylvester *cit. l. n.* 18. Io ipsa autem sententia non est necesse, ut exprimatur infamia, dummodò crimen sit expressum, ut notant Perez in *Cod. Ex quib. caus. infam. n.* 17.& P. Wiestner ad *tit. de Pæn.* n. 56.

§. III.

Quid sit infamia Facti, & qualiter impediat Ordinationem?

515 Infamia *Facti* nuncupatur, quæ consurgit ex facto turpi, quod a Jure quidem non notatur, attamen apud viros graves & honestos existimationem
515 diminuit. Atque hæc contrahitur I. ex omnibus delictis, quibus infamia de Jure est annexa, si fuerint in judicium deducta, vel aliunde notoria *arg. cap. quoties* 5. *cap. inter* 10. *de Purgat. Canon.* Thomas Tamburinus de *Censur. & irregularitat. tr.* 4. *cap.* 10. §. 3. *num.* 7. Miller ad Struv. *de exercit.* 7. *th.* 17. *lit.*
517 *a. n.* 18. II. ex omnibus causis & actionibus famosis, quæ propter favorem personarum in actiones in factum commutantur *arg. l. parens* 5. *in pr. ff. de Obseq.*
518 *parent. vel patron.* III. ex exceptione doli, quæ in parentes & patronos, cùm illorum nomen & honorem apud bonos probosque sugillet, non datur *l. apud Celsum* 4. §. 16. *ff. de Doli mali & met.*
519 *except.* IV. ex condemnatione ex capite doli, aut alterius delicti famosi, directâ in procuratorem, ex qua principalis non quidem incurrit infamiam Juris, sed facti *l honori* 2. *in pr. ff. de Obseq. parent. vel pa-*
520 *tron.* V. ex repulsâ à testimonio, quâ Judex repellit testem, contra quem exceptio infamiæ fuit op-
521 posita *cap. testimonium* 54. *de Testib.* VI. ex increpatione paterna, in testamento contra filium
522 scriptâ *l. ea quæ* 13. *Cod. Ex quib. caus. infam.* VII. ex actione ad palinodiam, quâ is, qui injuriam intulit, ad recantationem seu revocationem condemnatur, per ea, quæ tradit Clariss. D. Franz ad *tit. Instit. de Injur. num.* 48.

523 Porrò infamia facti, &, quam parturit, irregularitas requirit quinque conditiones. I. est, ut opinio sinistra sit communis & publica, id est, à tota communitate, vel majori parte concepta per *cap. qualiter & quando* 24 *de Accusation. cap. præterea* 27.
524 *de Testib.* II. ut manifesta, ac ore & linguâ sit expressa *arg. cap. ex tenore* 4. *de Tempor. Ordin.* ubi Gonzalez *n.*
525 11. *cap. ult. de Furt.* III. ut ortum habeat non a fæce populi & hominibus levioris conditionis per *cit. cap. qualiter & quando* 24. sed à viris honoratis & gravi-
526 bus. IV. ut ratione criminis aut facti ex se probrosi
527 provenerit, per dicta superiùs in *num.* 480. V. ut probabili ratione nitatur. Sylvester in *V. infamia n.* 3. Tamb. *d. l.* n. 6. Barb. de *Off. & pot. Ep. d. all.* 43. *n.* 17. Antonell. *d. Reg. Eccl. Ep. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 7.

§. IV.

Quid sit Levis Macula; &, utrùm Ordinationem impediat?

528 Affinis infamiæ est *Levis Notæ Macula*, quæ non quidem ex proprio delicto vel facto turpi, sed potiùs ex imputatione, vel sordido vitæ genere contrahitur. Lauterbach ad *tit. ff. de his, qui not. infam.*
529 *th.* 31. Miller ad Struv. *cit. exercit.* 7. *th.* 20. *l. a.* Talem maculam ob paternum delictum patiuntur I. liberi illegitimi, de quibus latissimè discurrimus in
530 præsenti *cap.* à *n.* 1. II. carnifices, quorum officium, tametsi infame non sit, pro vili tamen & sordido reputatur, maximè si simul excoriatores pecorum agant, juxta *Reformat. Polit. de Anno* 1530. *rubr. von Nachrichtern.* Stryck in *usu mod. pand. ad tit. de his, qui*
not. infam. §. 3 & 4. III. lictores, qui ad homines fa- 531
cinorosos, capiendos & custodiendos, sunt conducti. Stryck *d. l.* §. 5. Licèt in pluribus locis hos ab omni macula immunes esse, doceat Miller ad Struv.
cit. th lit. g. IV. castratores suum; sandapilarii seu 532
vespillones; latrinarum aut cloacarum purgatores, de quibus *citat.* Stryck & Miller. V. olim plures 533
opifices, artifices, & alii patiebantur talem maculam, puta textores, balneatores, tonsores, molitores, tubicines, telonarii &c. Sed abstersa est hæc macula per *Reformat. Polit. de Anno* 1577. *tit.* 38. ac consuetudo contraria penitus sublata. Stryck *d. l.* § 2.

Si petas: an levis macula, quâ sordescunt paren- 534
tes, etiam in liberos transfundatur?

Resp. negativè. Tamburin. *cit. l.* §. 2. *n.* 25. Mev. *p.*
5. *decis.* 117. *num.* 7. Ratio est: quia, sicuti delicta 535
non afficiunt alios, quàm auctores *l. sancimus* 22. *Cod. de Pæn.* sic etiam maculæ vitiosæ non debent
alios, quam authores suos, inquinare. Unde na- 536
ti ex spuriis carent omni turpitudine. Lauterb. *d. l.* §. 32. Liberi carnificum, lictorum, & castratorum labe parentum non censentur respersi. Stryck *cit.* §. 6.

Quemadmodùm autem homines levis maculæ ex- 537
cluduntur à dignitatibus per *l. neque famosis* 2. *Cod. de Dignitat.* faciunt locum querelæ inofficiosi testamenti *l. fratres* 27. *Cod. de Inofficiof. Testam.* nec admittuntur ad Collegia opificum. Struv. *d. exercit.* 7. *th.* 20. Ita quoque ad SS. Ordines accessum non 538
habebunt, prout de spuriis & illegitimis certum est ex dictis à *n.* 5. de aliis verò probatur ex *cap. inter dilectos* 11. *de Excessib. Prælat.* ubi personis vilibus
& indignis porta dignitatum & beneficiorum Ec- 539
clesiasticorum occluditur; & consequenter etiam SS. Ordines, qui non solum transcendunt omnem dignitatem & excellentiam bonorum, sed etiam viam præparant ad portam dignitatum & beneficiorum, talibus personis erunt prohibiti. Tamburinus sæpe *cit. l.* §. 2. *n.* 24.

§. V.

Quis dispenset cum infamibus?

Quævis infamia potest deleri à S. Pontifice, eô 540
effectu, ut infamis ad Ordines Ecclesiasticos promoveri valeat. P. Wiestner ad *tit. de Pæn. num.* 62. utpote cùm infamia ponat impedimentum ex Jure tantùm humano, cujus relaxatio S. Pontifici permissa noscitur.

Infamia Juris non potest aboleri ab alio Præla- 541
to, quàm Summo Pontifice: quippe qui solus est supra Jus, infamiam & inde secutam irregularitatem statuens. Barbosa de *Off. & pot. Episcop. cit. al-*
leg. 43. *n.* 30. Antonell. *cit. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 12. Si tamen 542
infamia per sententiam irrogetur ex crimine adulterii, vel minori aliquo, facultas dispensandi cum Clerico infami ad Ordinis exercitium continuandum, peractâ pœnitentiâ, concessa est Episcopo in *cap. etsi Clerici* 4. §. *de adulteriis &c. de Judic.* Barbosa *d. l. num.* 31. Antonellus *num.* 14.

Sed utrùm infamis, qui per rescriptum Impera- 543
toris vel alterius Summi Principis in pristinum gradum existimationis suæ restitutus est, absque ulteriori dispensatione possit ordinari? Non sinè ratione dubitare licet. Nam pro affirmativa facit: quòd 544
infamia suum effectum catenùs operetur in foro Ecclesiastico, quatenùs operatur in foro Sæculari per *cap. omnes* 2. *cap. infames* 17. *VI. q.* 1. Cùm igitur in foro Sæculari nihil ampliùs operetur aut impediat, quando per restitutionem Summi Principis Sæcularis est deleta; nec aliquid operabitur aut impediet in

545 in foro Ecclesiastico. Pro negativa verò conducit,
quòd juxta decisa in *n.69.* legitimatus per rescriptum
Principis Sæcularis non censeatur esse legitimatus ad
SS. Ordines; adeóque nec restitutus famæ per res-
criptum Principis Sæcularis censeatur esse habilita-
tus ad Ordines.

546 In hac dubitatione cùm distinctione responden-
dum existimo. Refert nimirum, utrùm infamia de
Jure Canonico statuta sit specialiter & æquè prin-
cipaliter, per aliquam constitutionem juxta *n.490.*
& seqq. an solùm generaliter per approbationem &
547 receptionem Juris Civilis juxta *n. 502.* Primò casu
qui famæ restitutionem per clementiam Principis
obtinuit, non potest ordinari, sinè speciali Sedis
Apostolicæ dispensatione: quippe cùm irregulari-
tas, in foro Ecclesiastico specialiter statuta, per gra-
tiam Principis Sæcularis non auferatur, ut bene
548 probatur ex paritate legitimationis in *cit. n.69.* Al-
terô casu potest ordinari, sinè ulteriori dispensatio-
ne: cùm enim infamia tunc ad solam imitationem &
exemplum Juris Civilis à Jure Canonico sit recep-
ta; consequens est, quòd, si in foro Civili sit ex-
tincta, pariter etiam in foro Canonico extincta vi-
deatur; posséque adhuc applicari paritas de servi-
tute ex *n.71.* Itaque in effectu sentiunt Sylvester *V.*
infamia n.17. & seqq. Antonell. *cit. l. n.* 13. Wiestner ad
tit. de Pæn. n.63.

549 Infamia facti purgatur per emendationem vitæ,
saltem trienniô continuatam, veluti constanter tra-
dunt Panormitanus ad *cap. inquisitionis de Accusat.*
n.3. Sylvester *V. infamia num.* 11. Tamburinus de
Censur. & *irregular. cit. cap.* 10. *n.* 3. *&* 4. Barbosa
cit. alleg. 43. *n.* 21. *& seqq.* Pirhing ad *tit. de Tempo-*
rib. Ordinat. n.19. Antonellus *d.l. num.* 57. Wiestner
550 *d.l. n.64.* Colligitur partim ex *cap. nunquam* 4. *Dist.*
56. ibi: *fornicatorem, ad meliora conversum, nequa-*
quam prior vita maculat: partim ex *cap. si duo* 4.
XXXV. q. 6. ibi: *infames effectos, donec ab incesti*
551 *facinore desinant.* Ratio est: quia infamia facti, cùm
annexa sit facto inhonesto, de quo viri graviores per-
peram sentiunt, utique rursus purgatur factô contra-
riô, seu emendatione vitæ, de qua viri graviores op-
timè sentiunt, & sequiorem opinionem, antehac con-
ceptam, libenter seponunt.

552 Levem maculam, ex defectu natalium subortam,
quinam abolere possint? Constat ex *num.75. & seqq.*
Quinam verò maculas alias, ex sordido vitæ genere
contractas, delere possint? Neque in Jure neque in
553 Commentatoribus determinatum invenio. Et quia
casus est rarissimus, quòd homines ita notati Or-
dinibus insigniri petant; nec ego quidpiam deter-
mino: præsertim cùm apud carnifices & lictores
perfacilè concurrat irregularitas homicidii vel mu-
tilationis, de cujus dispensatione jam actum est à
num. 451.

SECTIO VI.

De Servitute.

SUMMARIA.

554. *Definitur Servitus propriè dicta.* 555. *Est pri-*
vatio libertatis personalis. 556. *Indeque penden-*
tium jurium. 557. *& seqq. Obstans, quò minus*
aliquis ordinari possit. 560. *& seqq. Docetur,*
quid Juris sit, quando servus de facto ordinatur.
564. *Si Episcopus scienter ordinet servum, illius*
locô tenetur Domino satisfacere. 565. *Servus, post*
Ordinationem in servitutem redactus, amittit pri-
vilegium fori & canonis. 566. *Definitur servitus*

impropriè dicta. 568. *Est restrictio libertatis per-*
sonalis. 569. *Indeque pendentium jurium.* 570.
Impediens, quò minus homines proprii, adscrip-
titii & originarii. 571. *Ad Ordines promoveri*
valeant. 572. *Quoad Ordinationem servi propriè*
& impropriè dicti æquali mensurâ considerantur.
573. *Post triennium à domino repeti non possunt.*
574. *Episcopus in hoc impedimento dispensare non*
potest. 575. *S. Pontifex dispensare non solet.* 579.
Tollitur autem plenaria servi manumissione. 577.
Reservatio obsequii temporalis impedit Ordina-
tionem. 578. *Non item reservatio obsequii spiri-*
tualis. 579. *& seqq. Filiusfamilias absque consen-*
su patris ordinari potest. 581. *A patria tamen po-*
testate non liberatur, nisi in Episcopum fuerit or-
dinatus. 582. *Bona, post Ordines acquisita, referun-*
tur ad periculum quasi castrense.

§. I.

Quid sit Servitus propriè dicta; & quomodò impe-
diat Ordinationem?

SExtum impedimentum Ordinationis & species 554
irregularitatis est *Servitus*, tam propriè dicta;
quam impropriè dicta. Servitus *propriè dicta* in
ordine ad propositum definiri potest, quòd sit
privatio libertatis personalis, indeque penden-
tium jurium, obstans, quò minùs aliquis ordi-
nari possit.

Dixi I. *privatio libertatis personalis.* Est enim li- 555
bertas alia realis, quæ rebus competere dicitur, cui
è diametro repugnat servitus realis, de qua in *lib.*
3. *tract. de Jure propriet. cap.* 4. *per tot.* unde, ut
servitus, de qua hic, propriè describatur, addidi,
quòd sit privatio libertatis personalis, vi cujus ali-
quis de Jure Naturali potest facere, quod ipsi libet
§. & libertas 1. *Inst. de Jure personar.*

Dixi II. *indeque pendentium jurium*: sicut enim 556
status libertatis ex *n.* priori dat facultatem agendi &
exercendi quæcunque jura: sic status servitutis pri-
vat facultate agendi & exercendi quæcunque ferè
jura civilia & politica, dum, ut ait Ulpianus in *l.*
quod attinet 32. *ff. de R.J. quod attinet Jus Civile, ser-*
vi pro nullis habentur.

Dixi III. *obstans, quò minùs aliquis ordinari pos-* 557
sit. Ita quàmplurima Juris loca insinuant in *can.* 81.
Apostol. cap. qui in aliquo 5. *Dist.* 51. *cap. nullus* 5.
& tot. Dist. 54. *cap. de servorum* 2. *& tot. tit. de Ser-*
vis non ordinan. Ratio est: tum quia conditio servi- 558
lis est nimiùm vilis, nec illustrat, sed multùm ob-
scurat Ordinis Clericalis dignitatem *cap. generalis*
12. *cap. admittimur* 21. *d. Dist.* 54. tum quia perap- 559
positè quadrat huc illud Evangelicum: *nemo potest*
duobus Dominis servire per *cit. cap. nullus* 1. Gon-
zalez ad *cap. de servorum* 2. *de Servis non ordinand.*
num. 9.

Quòd si servus de facto fuerit ordinatus, inter- 560
est, an dominus sciverit, vel ignoraverit. Si sciverit;
servus protinus efficitur liber, quasi tacitè manumis-
sus *cap. si servus* 20. *Dist.* 54. Si ignoraverit; distin- 561
guendum est inter Ordines Minores & Majores. Or-
dinatus in Minoribus (idem est de Prima Tonsura)
repetente dominô, redigitur in servitutem *cap. ex*
antiquis 9. *cap. frequens* 10. *d. Dist.* 54. Ordinatus 562
in Majoribus non aliter in servitutem revocatur, ac
si nequeat vel æstimationem sui domino persolvere,
vel alium servum ejusdem valoris substituere *d. cap.*
ex antiquis. Quin imò, si fuerit ordinatus Sacerdos, 563
ad jugum servitutis redire nunquàm cogitur, sed, si
domino non possit quoad temporalia satisfacere, in
spiritualibus officiis eidem servire tenetur *d. cap. ex*
antiquis & cap. frequens.

564 Planè si Episcopus servum, non ignarus conditionis servilis, ad Majores Ordines promoverit, locô promoti, qui liber remanet, aut duos servos æquè bonos, aut eorum æstimationem domino solvere obstringitur *cap. si servus 19. cit. Dist. 54.*

565 Casu quo tamen servus, post Ordines susceptos, in servitutem redigitur, non solùm amittit usum Ordinum, sed etiam privilegium fori, nec non (quod probabilius videtur) privilegium canonis, saltem respectu domini per textum in *cit. cap. ex antiquis & cap. nullis 2. d. l.* ubi sequens extat decisio: *servus, non canonicè consecratus, postquam de Gradu ceciderit, ejus conditionis sit, cujus fuerat ante Gradum.*

§. II.

Quid sit Servitus impropriè dicta, & qualiter Ordinationem impediat?

566 Servitus *impropriè dicta* est restrictio libertatis personalis, indeque pendentium jurium, impediens, quò minùs homines proprii ad Ordines promoveri valeant.

567 Dixi I. *restrictio libertatis personalis.* Ab eo siquiden tempore, quô status rigidioris servitutis inter
Christianas gentes exolescere cæpit, pedetentim
inolevit species servitutis minoris, quæ non omni
libertate personali privat, sed eam duntaxat restrin-
568 git. Hinc dicitur servitus impropria, quatenùs ejus
conditionis homines à plerisque magis pro liberis
quam servis habentur, uti videre est apud Stryck in
usu Mod. pand. ad tit. de Statu hom. §. 5. quamvis Joa-
chim. Pougieser de *Condit. & statu Servor. libr. 1.*
cap. 3. §. 31. existimet, illos pro servis propriè talibus
esse reputandos.

569 Dixi II. *indeque pendentium jurium.* Libertas enim quoad plenam & expeditam agendi disponendique facultatem in servis impropriè dictis non parum circumscribitur, dum absque consensu domini non possunt emigrare a loco aut fundo; eique tenentur operas & servitia præstare, veluti notabitur in *libr. 3. tr. de Pers. Reb. & Jur. Eccl. p. 1. cap. 1.*

570 Dixi III. *impediens, quò minùs homines proprii* Hujusmodi servi nuncupantur passim homines *proprii*, vulgò *Leibeygne*, quasi ad proprietatem domini pertinentes, ut scilicèt in gratiam & commodum illius operas personales & reales exhibeant. Et quidem, si glebæ vel fundo colendo sint adscripti, vocantur *adscriptitii*; sin autem ex illis nati sint, *originarii* compellantur.

571 Dixi IV. *ad Ordines promoveri valeant.* Ita perspicui textus in *cap. frequens 10. cap. admittuntur 21. Dist. 54.* Pacificantur enim inter se servi
propriè tales, & homines proprii, quoad susceptio-
nem Ordinum: tum quia & homines proprii cen-
sentur esse vilioris conditionis *cap. generalis 12. d.*
Dist. tum quia dominorum interest, sua jura per
retentionem talium hominum intacta servare *d.*
572 *cap. generalis 12.* Proindeque, si contingat,
unum ex hominibus propriis de facto ordinari,
pari ratione de illo, ac servo proprio, ad Ordines
promotô, discurrendum est juxta *cit. cap. frequens*
10. d. cap. generalis 12. inf. & cap. quis aut 12. d.
Dist. 54.

573 Quod si Dominus servum, tam propriè quàm impropriè talem, sacris Ordinibus initiatum, intra triennium repetere neglexerit, non ampliùs auditur, nisi impotentiam repetendi docere potuerit *arg. cap. ult. XVII q. 2.* ubi de servis, ad Ordines Religiosos convolantibus, ita statutum est.

§. III.

Quomodo tollatur impedimentum Servitutis?

Impedimentum Ordinis, ex servitute promanans, 574
non tantùm Episcopali dispensatione tolli non po-
test *cap. de servorum 2. de Servis non ordinand.* sed
etiam Papali dispensatione, invitô dominô, relaxari
non solet. Enimverò, licèt servitus ex *Ordinatione* 575
Apostolica quempiam ab Ordinibus impedire dicatur
in *can. 81. Apostolor.* attamen in hypothesi, quâ do-
minus invitus esse supponitur, etiam de Jure Natu-
rali impedimentum Ordinationi ponit, quatenùs Jus
Naturæ prohibet, ne alicui nolenti & dissentienti jus
suum adimatur.

Tollitur itaque Servitutis impedimentum per manumissionem domini, quâ servo plenaria libertas donatur *cap. si quis 7. Dist. 54. cap. instruendi 1. cap. de servorum 2. cum seqq. de Servis non ordinand.* Qualiter autem manumissio fiat, tradunt Gonzalez ad *d. cap. instruendi 1. n. 3. & 4.* & Clariss. D. Franz ad *tit. Inst. de Jure personar. n. 35. & seqq.* 576

Dixi *plenaria libertas.* Nam ubi libertas plenè 577
non donatur, sed domino quoddam obsequium
temporale reservatur, non tollitur impedimentum
Ordinationis *cap. quicumque 5 d. Dist. 54.* Obsequium 578
verò spirituale sibi reservare dominos non prohibe-
tur; &, si servus, postmodùm ordinatus, illud de-
trectaverit, juxta *cap. nullus 4. d. t. Servis non ordi-*
nand. deponitur. Clariss. P. Schmalzgrueber ad *eund.*
tit. sub n. 3.

Quæres: utrùm, quæ dicta sunt de servis, etiam dicenda sint de filiisfamilias, quòd nempe, consensu patris non requisitô, ad Ordines promoveri non valeant? 579

Resp. cum P. Engel ad *cit. tit. n. 7.* P. Schmalz- 580
grueber *ibid. num. 5.* negativè. Ratio est: quia,
tametsi valde consentaneum sit honestati, in ele-
ctione status Ecclesiastici paternum requirere con-
sensum; id tamen necessarium esse, non deprehen-
ditur: nam, ut loquitur in simili Pontifex in *cap.*
cum virum 12. de Regularib. in fin. filius post annos
discretionis *liberum habet arbitrium, & in electione*
propositi (seu status) *sequi parentum non cogitur vo-*
luntatem. Nihilo minùs à potestate patria filiusfa- 581
milias per Ordinationem non liberatur; nisi in Epis-
copum fuerit consecratus *l. sacrosancta 34. & Auth.*
sed Episcopalis Cod. de Episc. & Cleric. Itaque bo- 582
na, quæ habuit ante Ordinationem, in antiquo pa-
tris remanent jure; quæ verò posteà consecutus est,
referuntur ad peculium quasi castrense, atque ad li-
beram illius dispositionem spectant *d. l. sacrosancta*
34. & Authent. Presbyteros Cod. de Episc. & Cleric.
P. Engel *cit. l. n. 8.*

SECTIO VII.

De Reliquis Impedimentis.

SUMMARIA.

583. *Describitur obligatio ad ratiocinia.* 584. *& seq. Referuntur administratores rei alienæ.* 586. *& seq. Excipiuntur aliqui.* 588. *& seq. Qui præstiterunt sufficientem cautionem, non ligantur amplius impedimentô.* 590. *& seqq. Dantur aliquot rationes, quæ obligatos ad ratiocinia faciunt irregulares.* 593. *& seqq. Cessio bonorum liberat ab irregularitate.* 598. *& seqq. Qui ex privato negotio est debitor, non*

est

est irregularis, nisi conveniri possit ex dolo infamante. 601. Solus Pontifex in hac irregularitate dispensat. 602. Ordinatus absque dispensatione non incurrit pœnas Juris. 603. Debet sua bona cedere in solutum. 604. & seq. Censura Ecclesiastica ponit impedimentum temporale. 606. Clericus, in censura ministrans, fit verè irregularis. 607. & seqq. Si exerceat actum Ordinis. 609. & seq. Majoris aut Minoris. 611. Dummodò sit proprius. 612. & seq. Ac temeritas accedat. 614. Irregularitas etiam contrahitur, quando exercetur ministerium Ordinis, nunquàm suscepti. 615. & seqq. Si Clericus, non autem Laicus, ministret. 618. Sive Ordo sit major sive minor. 619. Accedente temeritate. 620. & seq. Extenditur autem ad solum Ordinem, non susceptum. 622. Irregularitatem causat susceptio baptismi ab hæretico. 623. & seq. Recens conversio ad fidem. 625. Pœnitentia solennis & publica, etiam postquam absoluta fuit. 627. Nisi urgeat necessitas.

§. I.

De Obligatione ad Ratiocinia.

583 SEptimum impedimentum Ordinationis & species
irregularitatis est *Obligatio* ad *ratiocinia*, quam
habent generales administratores rei alienæ: priusquam enim rationes administrationis suæ reddiderint, ordinari non possunt.
584 Dixi I. *quam habent generales administratores rei
alienæ*. Tales sunt I. thesaurarii, quæstores, tributorum publicorum susceptores, syndici, & alii,
qui bona Reipublicæ administrant *cap. un. Dist.* 53.
585 *cap. priscis* 1. *Dist.* 55. Tales sunt II. tutores, curatores, actores, procuratores generales, qui pupillorum, minorennium, aut aliorum privatorum bona
generaliter administrant *cap. un. de Obligat. ad ratiocin. ordinand. vel non.* Econtra tales non sunt I.
586 procuratores, tutores, curatores locorum piorum,
hospitalium, pauperum, viduarum, & aliarum personarum miserabilium: utpote cùm ipsismet Clericis
tales administrationes committi valeant *cap. ult. Dist.*
587 86. *cap. indicatum* 5. *Dist.* 89. Tales etiam non sunt
II. qui legitimam tutelam administrant, quæ & ipsa
Clericis non prohibetur juxta *cit. cap. ult.* aut qui
Principum Cancellarios, Consiliarios, & Judices
agunt, non quidem ex concessione Juris, sed ex tacita voluntate Summi Pontificis & consuetudine
Ecclesiæ, de qua testatur Panormit. ad *cap. Clericis*
5. *Ne Clerici vel Monachi* n. 10. P. Pirhing ad *tit. de
Obligat. ad ratiocin. num.* 2. P. Wiestner *ib. num.* 4. P.
Schmalzgrueber *ib. n.* 3.
588 Dixi II. *priusquàm rationes administrationis suæ
reddiderint*. Censentur autem rationem reddere non
solùm, quando accepta & expensas reduxerunt ad
calculos, seque ab omni debito liberos fecerunt;
sed etiam quando per fidejussores, aut aliam cautionem idoneam præstiterunt securitatem, tam de reddendis rationibus, quàm solutione, si opus fuerit,
exhibenda *arg. l. rescripto 6. §. 1. ff. de Munerib. & honorib.* Panormitanus ad *cap. un. de Obligat. ad ratiocin.*
n. 10. Barbosa de *Off. & pot. Episcop. alleg.* 10. *n.* 47. Pirhing ad *cit. tit. n.* 3. Clariss. P. Schmalzgrueber *ib. n.* 4.
589 Ratio est: quia, ut obligati ad ratiocinia possint ordinari, Jura nihil requirunt, quàm exonerationem &
satisfactionem propter ratiocinia *d. cap. un.* Ergo, si
securitatem præstiterint, & satisfecerint, ab Ordinibus repelli non debent.
590 Dixi III. *ordinari non possunt*. Ratio sic statuendi
fuit: tum quia, qui rationibus obnoxii, ad Statum
Clericalem transeunt, non tam ex zelo Religionis,
quàm timore excussionis aut solutionis, transire
præsumuntur: tum quia creditorum, quibus red- 591
denda sunt ratiocinia, conditio potest fieri deterior,
quando obligati ad ratiocinia post susceptionem Clericatûs beneficium competentiæ nanciscuntur: tum 592
quia Ecclesiæ non censetur honorificum, ut assumat
in sortem liberorum & Ministrorum DEI, quos obligatione ratiociniorum oneratos non ignorat. Conferatur Gonzalez ad *cap. un. de Obligat. ad ratiocin.
n.* 7. & 8.
Quid autem, si quis rationes jam reddiderit, 593
sed, quia contracta exinde debita solvere non poterat, bonis cesserit; anne habilis erit ad Ordines
suscipiendos?
Resp. cum P. Pirhing ad *tit. de Obligat. ad ratiocin. num.* 5. P. Schmalzgrueber *ibid. num.* 5. affirmativè. Ratio est: quia cessio bonorum eatenùs 594
habetur locô solutionis, quatenùs cedens non ampliùs conveniri, & molestari potest, donec ad pinguiorem fortunam pervenerit *l. qui bonis 6. de Cessione bonor. l. qui bonis 1. l. penult. Cod. Qui bon. ced. poss.*
Nec obstat *d. l. rescripto 6. §. 1. ff. de Munerib. &* 595
honorib. ubi, qui Reipublicæ debitores sunt propter
administrationem publicam, tamdiu arcentur ab honoribus, usque dum solverint.
Resp. enim, in *d. l.* nihil statui de cessione bono- 596
rum, quasi nimirum debitores Reipublicæ tunc etiam
ab honoribus arceantur, quando in vicem solutionis
cessionem bonorum fecerunt. Et positò, quòd ar- 597
ceantur ab honoribus civilibus, non tamen arcentur
ab honoribus & Ordinibus Ecclesiasticis: deficit
enim textus, sinè quo inhabilitas ad Ordines statui
non debet.
Quid etiam, si quis ex alia causa, quàm admini- 598
stratione, sit debitor, v.g. ex mutuo vel deposito; poteritne Sacerdos Ordines suscipere?
Resp. quòd possit, si dolum non admiserit, de
quo conventus in judicio & condemnatus infamiam
incurrit, veluti contingit in deposito. Clariss. P.
Wiestner ad *cit. tit. num.* 6. Clariss. P. Schmalzgrueber *cit. l. num.* 6. Ratio est: quia, si debitum ex 599
alia causa proveniat, non agnoscitur à Jure pro sufficienti ad causandum impedimentum Ordinationis:
eò quòd textus in *cap. un. Dist.* 53. *& cap. un. de
Obligat. ad ratiocin.* de sola administratione rei alienæ loquantur. Sin autem dolus intervenerit, de quo 600
conventus in judicio & condemnatus infamiam incurrit, supervenit impedimentum infamiæ, quod
juxta *num.* 487. ostium ad Ordines Ecclesiasticos
occludit.
Potestas, in hoc impedimento dispensandi, soli 601
Papæ est reservata; nec tamen ab eo facilè exercetur, ob periculum damni ex parte creditorum, &
periculum infamiæ ex partè Ecclesiæ. P. Wiestner
d. l. n. 8. P. Schmalzgrueber *ibid. num.* 7. Sinè dis- 602
pensatione Apostolica si quis, obligatus ad ratiocinia, fuerit ordinatus, potest equidem arbitrariè puniri; attamen neque depositiò, neque suspensio ab
Ordinum exercitio, neque privatio Clericalium privilegiorum ullibi constituta legitur. P. König ad *cit.
tit.* n. 4. Ne verò creditoribus fiat præjudicium, bo- 603
na, si quæ habuerit ordinatus, illa in solutum cedenda sunt, ut notat idem Magnif. Author cum P.
Reiffenstuel ad *cit. tit.* n. 8.

§. II.

De Censura Ecclesiastica.

Octavum impedimentum & species irregularita- 604
tis est *Censura Ecclesiastica*, quæ, cùm censuratum privet usu Sacramentorum, saltem passivè,
tam exercitium quàm susceptionem Ordinum impedit *cap. ult. de Clerico excommunicato, deposito &c. cap.*

605 *cùm illorum 32. de Sentent. excommunicat.* Hæc tamen
irregularitas tantùm est impropriè talis, nec perpetua,
sed temporalis, usque dum censura fuerit per absolutionem
ablata per *cap. ex literis 11. de Constitut. cap.
quâ fronte 25. de Appellat.*
606 At propriè dicta irregularitas contrahitur, quando
Clericus, censurâ aliquâ (exceptâ minori excommunicatione
per *cit. cap. ult. de Clerico excommunicato
&c.* irretitus, actum proprium Ordinis temerè præsumit
exercere *cap. si quis Episcopus 6. cum cap. seq.
XI. q. 3. cap. cum æterni 1. in f. de Sentent. & re judic.
in 6. cap. is qui 18. §. is verò cap. is cui 20. de Sentent.
excommunicat. in 6.*
607 Dixi I. *actum Ordinis*, qualis est v. g. celebratio
Missæ, collatio Ordinum, administratio Sacramenti
Confirmationis aut Extremæ Unctionis &c. imò, ut
probabilior sententia docet cum Zoësio ad *cit. tit. de
Clerico excommunicato n. 14.* etiam absolutio Sacra-
608 mentalis. Actum Jurisdictionis, si Clericus censuratus
exerceat, ac in votis v. g. dispenset, irregularis non
efficitur: utpote cùm id non fuerit expressum in Jure.
609 Zoësius ad *cit. tit. n. 21.* P. Wiestner *ib. n. 6.* Nec interest,
utrùm actus ille sit Ordinis majoris vel minoris:
nam etiam, qui ex officio exercet actum Ordinis
minoris, irregularitatem contrahit, ut contra Covarruv.
in *cap. alma mater p. 1. §. 6. n. 9.* tradunt Panorm.
in *cap. si quis 2. d. t. de Clerico excommunicato
610 &c. n. 4.* Barbosa *ibid. n. 3.* Fagnanus *ib. n. 7.* utpote
cum rubrica *cit. tit.* loquatur generaliter de *Clerico
ministrante*; textus quoque in *d. cap. cum æterni 1. in
f. de Sentent. & re judic. in 6. & cap. is cui 20. de Sentent.
excommunicat. eôd. in 6.* indefinitè loquantur de
Clericis, *ingerentibus se Divinis*, aut *agentibus in suo
officio.*
611 Dixi II. *proprium.* Nam, si Clericus, censurâ ligatus,
exerceat actum, quem etiam alius non-ordinatus
exercere potest, ac v. g. baptismum privatim conferat,
aut Epistolam vel Evangelium sine manipulo &
stola decantet, irregularis fieri non censetur. Sylvester
V. *irregularitas q. 13. d. t. & 4.* P. Wiestner *cit.
l. num. 7.*
612 Dixi III. *temerè præsumit exercere.* Aliud enim
est, si vel ignorantia contractæ censuræ suffragetur;
vel urgeat inevitabilis necessitas; vel etiam timor
scandali aut infamiæ succurrat: tunc quippe irregularitas,
cùm rationem pœnæ gravioris habeat, ob defectum
gravioris culpæ non incurritur *arg. cap. si quis
Episcop. 6. XI. q. 3. cap. cum æterni 1. in f. de Sentent. &
re judic. in 6.* P. Pirhing ad *tit. de Clerico excomm. n.*
613 *42.* P. Wiestner *ibid. n. 12. & 2. seqq.* Id ipsum idem
P. Wiestner *n. 15.* concludit de dubitante, num censurâ
fuerit innodatus, quòd nempe non fiat irregularis:
quia, tametsi in *cap. illud 5. d. t.* S. Pontifex suadeat,
tutiorem viam esse sequendam, non tamen interminat
irregularitatem, aut pœnam aliam, prætérquàm
si celebratio Divinorum sit facta, dum censuratus
censuræ notitiam jam habuit.

§. III.

De cæteris impedimentis Ordinum.

614 Nonum impedimentum & species irregularitatis
est *Ministerium* seu *exercitium Ordinis, non suscepti*:
si quis enim actum Ordinis, quem nunquàm suscepit,
exercere præsumat, ad Ordines superiores non
ampliùs ascendere potest, & ab exercitio Ordinis,
proximè suscepti, per biennium aut triennium pro arbitrio
Episcopi suspenditur. Textus in *cap. ult. de
Clerico non Ordinato ministrante.* Gonzalez *ib. n. 1.* &
cæteri Interpretes.
615 Dixi I. *si quis.* Ubi mox controversia suscitatur:
an etiam Laici, nunquam ordinati, fiant irregulares,
quando actum aliquem Ordinis exercent, ac v. g. solenniter
baptizant? prout voluerunt Suarez, Navarrus,
& Coninck apud P. Wiestner ad *cit. tit. n. 9.* an verò
soli Clerici evadant irregulares? sicuti docuerunt
Barbosa in *cap. si quis d. t. n. 4.* Layman. & Henriquez,
quos citat & sequitur P. Wiestner *cit. tit. n. 10.* Pu- 616
tem, cum posterioribus esse sentiendum, non solum
quia *rubr. cit. tit. de Clerico non ordinato ministrante*
loquitur de solis Clericis; sed etiam quia nigrum seu
textus subjuncti non aliorum, quàm Clericorum,
mentionem faciunt, ut constat ex *cap. si quis 1.* ubi,
qui ministrat in Ordine, non suscepto, jubetur *abjici
ab Ecclesia*, id est, ab Ordine jam recepto deponi; &
ex *cap. ex literis 2.* seu *ult.* ubi sermo est de Diacono,
Missam celebrante. Et quamvis Laicus magis delin- 617
quat, actum Ordinis exercendo, quàm Clericus; non
tamen hôc ipsô magis est puniendus à Jurisperitis,
quando non punitur à Jure per textum expressum.
Dixi II. *actum Ordinis, quem nunquam suscepit.* Nec 618
refert, an actus ille sit Ordinis Majoris vel Minoris: si
enim ex officio exerceatur, irregularitatem parit, ut
patet ex *cit. rub.* & textu in *cap. si quis 1. de Clerico
non ordinato ministr.* ubi generalis est locutio de Clericis
& *officiis Divinis.* P. Wiestner *cit. l. n. 9.*
Dixi III. *exercere præsumat.* Subintellige ex te- 619
meritate, seu cum scientia & malitia: nam ignorantia,
quæ relevat aliquem à cæteris pœnis, relevat
etiam ab ista irregularitate, per textum in *cit. cap. si
quis 1. in verb. propter temeritatem.*
Dixi IV. *ad Ordines superiores &c.* Irregularitas 620
igitur, ex tali ministerio inordinato consurgens, non
est totalis & adæquata, sed partialis & inadæquata;
nec ad Ordines jam susceptos extenditur, sed tantum
ad Ordines suscipiendos coarctatur; nisi quòd sus- 621
pensio ab actibus Ordinis, proximè recepti, ad biennium
vel triennium pro arbitrio Episcopi infligatur *d.
cap. ult. de Clerico non ordinato &c.* in qua suspensione,
si Clericus ministrare præsumpserit, juxta antecedenter
dicta in *n. 606.* totalem & adæquatam irregularitatem
incurrit.
Decimum impedimentum & species irregularita- 622
tis est *Susceptio baptismi* ab hæretico extra casum necessitatis:
adultus enim sic baptizatus est inhabilis
ad Ordines *cap. qui in qualibet 10. I. q. 7.* infantibus
autem parentum vel aliorum culpa non imputatur
cap. placuit 3. & seqq. d. I. q. 4.
Undecimum impedimentum & species irregulari- 623
tatis est *Recens Conversio ad fidem Christianam*, ratione
cujus neophyti, hoc est, noviter conversi &
baptizati, statim ordinari non debent, donec principiis
& fundamentis fidei Christianæ abundè sint instructi
cap. quoniam 1. Dist. 48. ad Timoth. 3. ubi prohibuit,
ne neophytus eligatur in Episcopum, *ne fortè
elatus in judicium incidat, & in laqueum diaboli.* Cùm 624
autem hoc impedimentum non sit perpetuum, sed
temporale; sitque in arbitrio Episcopi, tempus post
conversionem determinare *arg. cap. neophytus 9. Dist.*
61. Tamburin. de *Censur. & irregularit. cap. 11. n. 7.*
irregularitas, exinde descendens, non est propria,
sed impropria.
Duodecimum impedimentum & ultima species ir- 625
regularitatis est *Pœnitentia solennis & publica cap. ex
pœnitentibus 55. Dist. 50.* quæ etiam, si finita sit, Ordinationem
impedit: quia, ut dicitur in *cap. illud 66.* 626
cit. Dist. quamvis hujusmodi pœnitentes sint *omnium
peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent
gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui
dudum fuerunt vasa vitiorum.* Exceptio adducitur in 627
cap. placuit 68. eâd. Dist. si necessitas aut usus aliud
exegerit: tunc enim pœnitentes Laici inter Ostiarios
vel Lectores assumi permittuntur.

SUP-

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *An illegitimè natus, ministrans in ordine suscepto, duplicem contrahat irregularitatem, & duplici dispensatione opus habeat? Ratio affirmandi.* 2. *& seqq. Decisio negativa cum ratione.* 5. *& seq. Illegitimus non eget dispensatione ad acquirendam pensionem.* 7. *& seqq. Nati, ex patre illegitimo, censentur esse legitimi.*

QUÆSTIO I.

An illegitimè natus, si in Ordine malè recepto ministret, contrahat novam irregularitatem, & sic duplici dispensatione indigeat?

1 Dixeris fortè, quòd contrahat: cùm enim ex solo legitimorum natalium defectu sit irregularis, eique propter suspensus ab Ordinum exercitio per notata Fagnani in *cap. nisi de Renunciat. num.* 80. subintrat regula ex *cap. latores* 4. *& t.* 1. *de Clerico excommunicato ministrante*, quòd ministrans in ordine, à quo suspensus est, irregularitatem novam incurrat.

2 Verùm aliter, &, quòd non contrahat, rectiùs dicunt Eminentiss. Petra ad *Const. Apostol. tom.* 4. *pag.* 318. *n.* 19. & citati ab ipso: quia irregularitas regulariter non parit aliam irregularitatem per ea, quæ tradit Fagnanus in *cap. si quis presbyter cit. tit. n.* 4. *&* 5. nisi Jure sit cautum, aut censuram propriè dictam habeat annexam; sicque etiam irregularitas, ex natalium macula proveniens, non pariet novam
3 irregularitatem: eò quòd neque textus Juris suffragetur, neque suspensio, quâ innodantur illegitimi, sit vera censura, supponens delictum grave & personale, sed impedimentum duntaxat canonicum, ob-
4 stans Ordinibus receptis & recipiendis. Unde, si hujusmodi spurius dispensationem à Sede Apostolica petat, sufficit, quòd natalium defectum exponat; neque requiritur, ut de exercitio Ordinis suscepti mentionem faciat, Corrad. in *praxi dispensat. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 7.

QUÆSTIO II.

An illegitimus opus habeat dispensatione ad consequendam pensionem?

Negant innumeri ferè cum Eminentiss. Petra *cit.* 5
tom. 4. *pag.* 321. *numer.* 30. quibus Rota Romana frequentibus decisionibus patrocinatur, ipsaque Sacra Congregatio: adeò ut Corrad. *d. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 17. superfluam dicat supplicationem pro obtinenda dispensatione, quæ à nonnullis, contrariam
opinionem sectantibus, in Dataria porrigitur: pen- 6
sio quippe, licèt spirituale quid annexum habeat, attamen non est beneficium Ecclesiasticum, saltem propriè dictum; indeque ex parte hominis illegitimi nulla apparet incapacitas, pensionem acquirendi, si modò primâ Tonsurâ fuerit insignitus, dum ex stylo Curiæ nemini, qui Clericorum sorti non reperitur adscriptus, conferri solet; sinè Tonsura autem Clericatus non acquiritur.

QUÆSTIO III.

An liberi, ex illegitimi patris legitimo thoro descendentes, etiam sint irregulares?

Negandum existimo cum Lotterio de *Re benefic.* 7
lib. 2. *q.* 48. *num.* 7. *& seq.* Corrado in *praxi beneficior. lib.* 2. *cap.* 12. *numer.* 107. *cum seqq.* & aliis, quos citat & sequitur Eminentiss. Petra *d. tom.* 4. *pag.* 315. *num.* 53. partim quia, qui natus est ex thoro legitimo, legitimis accensetur:
partim quia parentum culpa non refunditur in li- 8
beros, sinè culpa procreatos: partim quia, si
legitimi liberi, ex patre illegitimo descendentes, 9
forte incapaces reputentur jurium, quæ deberent obtinere ex persona patris, saltem incapaces non erunt facultatum aliarum, quæ cuivis competunt
ex persona propria. Certè ex communi DD. hu- 10
jusmodi liberi capaces sunt aliorum jurium, privilegiorum, & dignitatum: cur ergo ab Ordini-
bus & beneficiis arceantur? Imò, ut refert laud. 11
Petra *pag.* 326. *num.* 54. Rota Rom. in *una Leodiens.* seu *Aquisgranens. Canonicat.* die 7. Martii 1701. invalida censuit esse statuta, per quæ, non accedente Sedis Apostolicæ consensu, legitimi, ex legitimis nati, ab Ordinibus & beneficiis excluduntur.

TRACTATUS V.

DE

POTESTATE JURISDICTIONIS.

Oteſtati Ordinis proxima eſt Poteſtas Juriſdictionis. Hanc, in Libro præſenti à Tit. XXIII. uſque ad Tit. XXXIII. exhibitam, eâ ratione & amplitudine tractandam ſuſcipio, ut non tantùm Juriſdictionem Eccleſiaſticam, ſed etiam Civilem, quoad omnes ſpecies excutiam; & (quod caput eſt rei) Juriſdictionem Modernam cum Veteri, quantum eſt poſſibile, concordem. Cùm enim in evolutione librorum, de Juriſdictione agentium, adverterim, à multis Romani Juris apices ſcrupuloſè nimis obſervari; ab aliis verò parum aut nihil curari: mediam ingredi viam ſtatui, ut &, *quod antea obtinebat*, in memoriam refricetur; &, *quod, poſteà deſuetudine inumbratum eſt*, non neſciatur, exemplô Imperatoris in *Proœmio Inſtitut.* §. 5.

CAPUT I.

De Juriſdictione in Genere.

Juriſdictio, genericè ſpectata, tam multa continet, ſpeciebus ſuis communia, ut jure meritò ſpeciale *Caput* exigat. Veniet igitur in conſiderationem Juriſdictionis Notio & Definitio; Diviſio; Subjectum; Objectum; & Effectus.

SECTIO I.

De Notione & Definitione Juriſdictionis.

SUMMARIA

1. *& ſeqq. Etymologia Juriſdictionis, à Vaſquio notata, notatur.* 5. *Alia ſubſtituitur.* 6. *& ſeqq. Varia Juriſdictionis ſignificata.* 12. *& ſeq. Accipitur pro facultate juris dicendi.* 14. *& ſeqq. Explicatur, quomodò Juriſdictio vocetur notio.* 18. *& ſeqq. Quomodò nominetur poteſtas.* 23. *& ſeqq. Quomodò dominium appelletur.* 26. *Definitur Juriſdictio.* 27. *& ſeqq. Eſt poteſtas.* 30. *& ſeqq. Publica.* 32. *De cauſa aliqua.* 33. *& & ſeqq Jus dicendi.* 38. *& ſeqq. Alia definitio ſuggeritur.*

§. I.

Etymologia Juriſdictionis.

1 ETymologiam Juriſdictionis cum Azone, Folgoſo, Zatio, & aliis ex *Jure* & *ditione* repeti. Fernandus Vaſquius *Illuſtr. controv. cap.* 3. *n.* 20. quaſi videlicèt Juriſdictio à jure & ditione, ſeu certo diſtrictu & territorio, totum ſuum eſſe conſequatur per textus in *l. ult. ff. de Juriſdict.* & *cap. ult. de Conſtitut. in* 6. ubi innuitur, cuilibet Juriſdictioni ſuos limites eſſe poſitos, extra quos extendi, aut exerceri nequeat.

Sed diſplicet hæc notatio Henrico Bocero *tract. de Juriſdict. cap.* 1. *numer.* 48. Georgio Obrecht *tract. de Juriſdict. cap.* 1. *num.* 6. & 12. Clariſſ. & meritiſſimo Facultatis noſtræ Anteceſſori D. Joanni Balthaſaro Braun in elimatiſſima elucubratione de *Juriſdict. cap.* 1. §. 1. *num.* 2. Clariſſ. D. Dominico de Baſſis *p. m. diſp. Jurid. de Juriſdict. theſi* 7. *num.* 2. partim quia *Juriſdictio* & *Juriſditio* non ſunt ſynonyma; & aliud eſt dictio, aliud ditio: partim quia Juriſdictio conſiſtere poteſt abſque ditione & territorio per textum in *cap. nunc autem* 1. *de Religioſ. dom.* ibi: *non enim terminis hæc aut locis convenit definiri*; idque patet in Rectoribus Academicis, qui Juriſdictionem in Studioſos habent ex *Auth. habita Cod. ne fil. pro patre*, tametſi territoriô careant: partim denique, quia memorati textus non præſcribunt cuilibet Juriſdictioni certum ambitum, (neque enim Juriſdictio voluntaria ullis finibus incluſa noſcitur) ſed potiùs Juriſdictionis, certis limitibus circumſcriptæ, exercitium extra limites vetant. 2 3 4

Rectiùs proinde cū citatis Authoribus Juriſdictio à Jure dicundo vel dicendo derivatur per textus in *l. jus dicentis* 2. *l. cui juriſdictio data* 2. *l. qui Juriſdictioni* 10. *ff. h. t. l. ſi in aliam* 7. §. *ult.* ℣. *jus dicunt ff. de Offic. Proconſ. l. ſenatus-conſulto* 16. ℣. *parciſſimè jus dicatur ff. de Offic. Præſid.* Cujus derivationis ratio ex definitione, in §. 4. ſtatuendâ, lumen & robur accipiet. 5

§. II.

Homonymia Juriſdictionis.

Homonymiam, ſeu diverſam Juriſdictionis acceptionem & ſignificationem in Jure latè deducit 6
Obrecht *cit. cap.* 1. *à num.* 16. Nobis præcipuæ ſignificationes ſunt ſequentes. I. per metonymiam 7
ſignifi-

significat edicta seu jussa Prætoria, ex Jurisdictione
Prætoris emanantia *l. si quis 7. in princ. ff. h. t. l.*
quamvis 11. ff. de in Jus voc. l. omnibus 1. in princ. ff. si
8 *quis jus dicendi non obtemp.* II. significat ambitum,
spatium, & locum, intra cujus fines habetur, &
exercetur Jurisdictio *arg. §. sed hoc 4. Instit. de At-*
til. tutor l. ex quacunque 2. in princ. ff. Si quis in jus
9 *vo. at. l. si quis ex aliena 5. ff. de Judic.* III. significat
officium Jus dicentis, in Legum applicatione & ex-
plicatione exerceri consuetum *l. nam ut ait 13. ff.*
10 *de L.L.* IV. significat Jus seu Juris necessitatem *§.*
sciendum 1. Inst. de Fideicommissar. hereditat. l.
Labeo 3. §. 1. v. extra necessitatem Jurisdictionis ff.
11 *de Recept. qui arbitr.* V. significat notionem, seu
cognitionem *l. notionem 99. in princ. ff. de V. S.* VI.
significat facultatem Jus dicendi per textus, in *n. 3.*
relatos.

12 Priores significationes non faciunt ad propositum.
Sola ultima est propinquissima intento nostro; in
qua tamen nonnihil variant Jura, & quandoque
facultatem Jux dicendi tam in causis civilibus,
quam criminalibus, Jurisdictionis nomine deno-
13 tant; subinde ad causas civiles quascunque exten-
dunt; nonnunquam ad solas causas civiles, quæ
jure Magistratus expediuntur, restringunt, prout
ex *l. si in aliam 7. §. 2.* ibi: *cum plenissimam Ju-*
risdictionem proconsul habeat ff. de Off. Proconf. l.
quæcunque 1. in pr. ff. de Off. ejus cui mand. est Ju-
risdict. l. muto 6. §. 2. ff. de Tutel. eruitur, & pluri-
bus in *sect. seq.* deducetur. D. Braun *cit. cap. 1. §. 2.*
num. 3. 4. & 5.

§. III.

Synonymia Jurisdictionis.

14 Pro Synonymis circumferri à quibusdam video,
Notionem, Imperium, Potestatem, Dominium.
Nec sine fundamento & assistentia Juris. Nam pri-
mò de Notione discurrendô, est ea nihil aliud, quam
facultas cognoscendi de iis, quæ circa justitiæ ad-
15 ministrationem versantur: &, quia Jurisdictio ad ju-
stitiæ administrationem ordinatur, notionem seu fa-
cultatem cognoscendi includit, & notio appellatur in
cit. l. notionem 99. in pr. ff. de V. S. l. omnia 1. §. 4. ff. de
Offic. Præf. Urbi l. si ab eo 8. ff. de Calumniat. l. ait
prætor 5. in princ. ff. de Re jud. & arg. cap. ult. de Offic.
Vicar. in 6. Obrecht de *Jurisdict. lib. 1. cap. 8. n. 3.*
& seqq.

16 Quia verò notio potest dari absque Jurisdictione
d. l. ait prætor 5. in princ. ff. de Re judic. quippe cùm
Judex pedaneus, seu in specie sic dictus, Notionem
habeat, Jurisdictionem non habeat *per l. a Divo 15.*
17 *in princ. ff. eôd. l. ult. Cod. Ubi & apud quem &c.* quia
etiam datur Jurisdictio, quæ vel secundùm omnes
actus nullam, aut saltem judicialem cognitionem
non desiderat, qualis est Jurisdictio voluntaria sim-
plex; vel secundùm actus, uti est coërcitio delin-
quentis, quæ, ut talis, non requirit causæ cognitio-
nem, quamvis hæc ex alio capite præcedere soleat:
Notio & Jurisdictio pro eodem vocabulo promiscuè
usurpari, nec possunt, nec debent. Bocerus *d. cap.*
1. n. 4. 26. & seq.

18 Secundò Imperium pro Jurisdictione poni, indi-
cant textus in *l. penult. ff. de J. & J. in fin. l. generalis*
2. in princ. ff. de Adopt. l. ult. ff. de Offic. Proconf. l. præ-
ses 3. & l. seq. ff. de Offic. Præsid. l. etsi prætor 3. ff. de
Offic. ejus cui mand. est Jurisdict. l. Labeo 3. §. ult. cum
19 *l. seq. ff. de Recept. qui arbitr.* Cujus ratio est: quia,
qui Jurisdictione præditus est, illis, quibus præest,
imperare potest: ut adeò idem sit, Imperium, ac
Jurisdictionem obtinere, prout insinuat P. Layman
de Jurisdict. cap. 1. conclus. 1. & P. Wiestner ad tit.
de Offic. Judic. n. 2.

Nihilo minùs, quia Imperium, si strictè sumatur, 20
frequentiùs sumitur pro certa & distincta specie Ju-
risdictionis per *l. imperium 3. ff. h. t.* &, si laxè capia-
tur, significat quodcunque mandatum, jussum, &
præceptum *l. liber homo 37. in princ. ff. ad L. Aquil. l.*
idonei 6. ff. de Testib. hæc quoque synonymia cautè,
& cum grano salis, in usum deducenda est. Joannes
Gillotius de *Jurisdict. & Imper. lib. 1. cap. 3. n. 1. 2. & 3.*
Franciscus de Claperiis de *Imper. & Jurisdict. con-*
clus. 3. per tot.

Tertiò, quòd Potestas cum Jurisdictione in sua 21
significatione nonnunquam coincidat, inclarescit ex
cit. l. imperium 3. ff. h. t. cit. l. Labeo 3. §. ult. ff. de
Recept. qui arbitr. l. solent 6. in princ. ff. de Offic. Pro-
consul. cap. pertuetosam 1. cap. pastoralis 11. in princ.
de Offic. Judic. Ordinar. cap. suborta 21. de Sent. & re
judic. cap. licet 2. de Offic. Vicar. in 6. quia sinè du-
bio Jurisdictio potestas est, eaque publica, ut mox
dicemus.

Nec ista tamen paraphrasis absque cautela assu- 22
menda est. Potestas siquidem genus est, Jurisdictio
illius species. At genus de specie absolutè prædicari
posse, non item speciem de genere, Dialecticis plus-
quàm notum est. Unde, si in Jure unum ex relatis
nominibus occurrat, id ad Jurisdictionem denotan-
dam tum demum usurpari debet, quando circum-
stantiæ aliæ hanc usurpationem evincunt.

Quartò subinde Jurisdictio cum Dominio confun- 23
ditur. Nec enim Theologi duntaxat cum Molina de
J. & J. to. 1. tr. 2. disp 3. n. 7. Lessio de *J. & J. lib. 2.*
cap. 3. n. 2. Illustrissimo DD. Rediog *Theol. Scholast.*
to. 12. q. 1. art. 3. controv. 1. num. 4. Clariss. P. Mez-
ger *Theolog. Scholast. tr. 11. disp. 16. art. 1. n. 11.* sed
etiam Jurisperiti cum Bartolo in *l. post actiones 1. §.*
3. ff. de R. V. & Covarruv. in *relect. cap. peccatum*
p. 2. § 9. num. 8. dominium dividunt in dominium
proprietatis & Jurisdictionis. Ex qua ratione ho- 24
dierni Principes, Comites, Barones, Nobiles &c.
se scribunt Dominos suorum Principatuum, Comi-
tatuum, Territoriorum, Pagorum &c. Pignatell. *to.*
2. consult. 31. num. 4. & seqq. Ipseque Imperator in eo
sensu Dominum Mundi in *l. 9. ff. ad L. Rhod. de Ja-*
ctu se vocat. D. Braun in *tract. de Dominio cap. 1.*
§. 3. n. 1.

Verùm de consuetudine duntaxat, & Practico- 25
rum loquendi more Jurisdictionem cum dominio
confundi, existimo; non item ex natura rei, & cen-
sura Juris. Nam dominium, ut suô locô monstrabi-
tur, ex conceptu proprio, Jurisque acceptione, est
principalis species juris proprietatis, ac immediatè
bonum privatum & singulare respicit; aliter ac Ju-
risdictio, quæ nihil cum jure proprietatis habet com-
mune, atque ad salutem & utilitatem communem
unicè refertur.

§. IV.

Definitio Jurisdictionis.

Jurisdictio tam multifarias definitiones sortita est, 26
ut omnibus enumerandis aliquot paginæ non suffi-
cerent. Refert aliquos Clericatus de *Jurisdict. in*
præfat. n. 3. & seqq. Exactior videtur illa, quam exa-
ctissimus D. Braun *d. cap. 2. §. 1. n. 4.* adornat, quòd
Jurisdictio sit potestas publica de causa aliqua jus
dicendi vel reddendi.

Dixi I. *potestas.* Primò, ut, Jurisdictionem æquè 27
ac alia jura, non in exercitio & actu secundo, sed
magis in potentia & actu primo, quoad essentiam,
consistere, prænotarem. Secundò, ut genus præ- 28
mitterem, quô Jurisdictio cum tutela, curatela,
jure proprietatis, patria & dominica, nec non Or-

dinis potestate &c. convenit.
29 Neque dicas cum Obrecht ubi supra *cap.* 8. *num.*
3.9.*& seq. ly potestatem* genus remotum; proximum
autem esse *ly notionem*. Siquidem in *n.* 17. jam ad-
vertimus, notionem angustiorem esse, quam ut om-
nes Jurisdictionis aut actus aut species completta-
tur; cùm tamen ex regulis Dialectices liqueat, defi-
nitionem definito coæquam ac commensuratam esse
debere.
30 Dixi II. *publica*. Intellige tum ratione causæ effi-
cientis: quia Jurisdictio publicâ, non privatâ autho-
rita e deferrur; tum ratione subjecti: quia, qui ju-
risdictionem consequuntur, efficiuntur persona publica;
tum ratione finis: quia omnis Jurisdictio ad bonum
& commodum publicum refertur. Braun *d.* §. 1. *n.*6.
31 Atque hâc notâ discriminatur Jurisdictio primò à
potestate curatoria & tutoria, quæ bonum pupilli
vel minoris; secundò à jure proprietatis, quod uti-
litatem solius creditoris; tertiò à potestate patria &
dominica, quæ favorem patris familiæ, vel domini
immediatè respicit.
32 Dixi III. de *causa aliqua*. Nec distinguendum
est, publicæ an privatæ; civiles aut criminales;
una vel plures causæ sint, uti patebit ex infrà di-
cendis.
33 Dixi IV. *jus dicendi vel reddendi*. Quæ voca-
bula, ut ritè percipiantur, ac facultas jus dicendi
cum facultate judicandi nunquam confundatur,
sciendum est, Jure antiquò aliud fuisse, in *jus voca-*
re, seu jure agere; aliud in *judicium vocare*, seu ju-
34 diciò agere. In jus vocare, seu jure agere dicebatur
actor, qui reum ad tribunal Prætoris, seu publicâ,
seu, ut plerumque poterat, propriâ authoritate tra-
hebat, &, eò comparente, causam se inter & ipsum
controversam Prætori narrabat. Narratione factâ
quærebat ex Prætore, anne Jus aliquod de causa
controversa de facto constitutum, & quodnam illud
sit? Prætor, dum actori Jus aliquod competere in-
tellexit, ex 75. Judicibus pedaneis (sic dicebantur,
quia judicabant, non ut Magistratus sublimes in sel-
la pro tribunali, sed ex imo loco sedentes, ac humum
pedibus conculcantes, ut notat Zoësius ad tit. *Cod.*
Pedan. Judic.) unum dedit, formulam judicandi ei-
dem concessit, ac hôc ipsô Jus, in albo constitutum,
interroganti dixit. Et hæc potestas Jus dicendi Ve-
teribus idem erat, ac *Jurisdictio*.
35 In judicio autem agere censebatur, qui jam antea
Prætorem adierat. Jus, in causa litigiosa constitutum,
per concessionem formulæ ex Prætore audierat, ac
Judicem pedaneum acceperat. Judex enim pedaneus
non ampliùs Jus dicere, sed judicare, factum secun-
dum præscriptam Juris formulam examinare, ac sen-
tentiam ferre dicebatur. Obrecht *cit. lib.*1. *cap.*1.*n.*9.
& 2. seqq. Bocerus de *Jurisdict. cap.*1. *n.*20. *&* 21.
Gentilis de *Jurisdict. lib.*2.*cap.*14. Struv. *Exercit.*4.
th. 44. & ibi Mullerus. Clariss. D. Christophorus
Chlingensperger in *prosecut. disput. de Jurisdict. D.*
de Bassis thesi 52. *n.* 2. Hæcque Potestas dicebatur
notio in specie.
36 Et licèt, ex hodierna procedendi forma, plerum-
que sit eadem persona, quæ Jus dicit, & applicat; ni-
hilo tamen minùs ullam implicantiam non video, quò
minùs adhuc hodie Judex dari possit in specie, qui
facultatem judicandi, non etiam jus dicendi ha-
beat, veluti, si Magistratus certos judicandi limites
Judici præscribat, ac, concessâ notione & sententiâ,
executionem sibi reserver; qua de re rursus in *lib.*2.
37 *tit.*1. sermo recurret. Quin etiam, quæ hodie fiunt,
lite nondum contestatâ, in Jure fieri; quæ autem,
lite jam contestatâ, peraguntur, in judicio peragi,
rectè dicuntur.
38 Cæterùm explicata huc usque definitio Jurisdi-
ctioni magis convenit, quatenùs præcisè considera-
tur secundùm apices Juris Civilis communis. Spe-
ctatô namque Jure Canonicô, ac Civili Modernô,
Jurisdictio est longè amplior, nec tantùm intra limi-
tes Juris dicendi constringitur, sed etiam potestatem
Jus statuendi, ac Rempublicam gubernandi comple- 39
ctitur, uti clarius ex *sequenti sect.* resplendebit. Qua
in significatione, & ampliatione Jurisdictio non in-
concinnè poterit describi, quòd sit potestas, actiones
subditorum in destinatum finem, ac communem salu- 40
tem dirigendi. Et, si lubeat ex hac & priori descri-
ptione unam conficere, Jurisdictio erit potestas pu-
blica, actiones subditorum in suum finem dirigendi,
ac Jus de causis illorum dicendi.

SECTIO II.

De Divisione Jurisdictionis.

SUMMARIA.

41. *& seq. Prima Jurisdictionis Divisio in Summam*
*& Subalternam.*43.*& seqq. Impugnatur.* 46.*& seqq.*
Defenditur. 52.*& seq. Altera Jurisdictionis divi-*
sio in Simplicem & Imperium. 55. *seqq. Probatur.*
59.*& seq. Impetitur.* 61. *& seqq. Vindicatur.* 67.*&*
seq. Imperium in Merum & Mixtum subdividitur.
69.*& seqq. Multis reclamantibus.* 74. *& seqq. Plu-*
ribus & meritò consentientibus. 79. *& seqq. Opposi-*
ta diluuntur. 83. *& seq. Tertia Divisio Jurisdictio-*
nis in Propriam & non propriam. 85.*& seqq. Illa in*
Ordinariam & Extraordinariam. Hæc in delega-
tam & Prorogatam subdividitur. 88. *Quarta divi-*
sio Jurisdictionis in Voluntariam & Contentiosam.
89. *Non omnis Jurisdictio extraordinaria est vo-*
luntaria. 90. *Nec omnis contentiosa est ordinaria.*
91.*& seq. Tertia species non admittitur.* 93.*& seqq.*
Quinta divisio Jurisdictionis in Ecclesiasticam &
Secularem. 98. *& seqq. Sexta in Realem & Perso-*
nalem. 103.*& seq. Septima in Separatam & Commu-*
nem. 105. *& seq. De Jurisdictione Forestali & aliis*
speciebus remissivè.

§. I.

Prima Jurisdictionis Divisio in Summam & Subalternam.

Jurisdictio quamplures, easque celebres divisiones 41
haber. Prima est, quâ discerpitur in Summam &
Subalternam. *Summa* vel est ipsa potestas regendi
Rempublicam, alias *Majestas* appellata; vel est po-
testas Jus dicendi in Summo Principis Dicasterio.
Subalterna dicitur, quæ Summæ Potestati quidem 42
subordinata est, attamen Summam Potestatem per
quandam analogiam participat, qualis est *Jurisdictio*
Territorialis, quam Principes & Status Imperii in
suis Territoriis exercent.
Hanc divisionem sub censuram vocant Bernardus 43
Sutholt in insigni *dissertat. de Jurisd. aphorismo* 182.
& *plur. seqq.* Bocerus de *Jurisdict. cap.*1.*n.*43. & mag-
nô numerô Practici. Primò: quia aliud est, Jus di-
cere; aliud, regere & administrare Rempublicam:
hoc Summi Principis; illud Judicum esse videtur.
Secundò: quia Jurisdictio in ea significatione, in 44
qua venit in Jure Romano, multis passibus est dis-
sita ab ea, quam hodie vel Imperator in universo Im-
perio, vel Imperii Proceres in suis peculiaribus
Territoriis exercent: ut adeò lucem in tenebris
quærere, veritatem in puteo ex cribro haurire, ac
lanam ab asino vellere arguatur, qui ex Veterum
ICtorum scriptis materiam hodiernæ Jurisdictionis
erucre

45 eruere conatur. Tertiò: quia, licèt Imperatores in Jure Civili non semel in causis privatorum judicâsse leguntur *l. proximè 3. ff. de his, quæ in testam. del. l. ult. in pr. Cod. de LL.* attamen hoc judicium non tam Jurisdictionis, quàm cognitionis nomen merebatur; neque dicendò sententiam dicere, sed potiùs jus constituere, Principes credebantur *d. l. ult. in pr. Cod. de LL. §. sed & 6. Inst. de J. N. G. & C. l. quod Principi 1. §. 1. ff. de Constitut. Princip.*

46 Sed non desunt Authores alii, qui sinè censura datæ divisionis membra in censum legitimarum specierum admittant; in specie Georgius Ludovicus Lundenspör in *dissertat. de succession. & mutat. Imperior. cap. 29.* D. Ernestus Gockelius *de Jurisdict. suprema* § 2. D. Georgius Fleck in *Biblioth. Jur. lib. 5. tit. 7. n. 23. & seqq.* item n. 32. *& seqq.* Miller ad Struv. *Exercit. 4. th. 49. lit. A.* Clariss. D. Chlingensperger *cit. loc. thes. 49. & thesi* 55. ac, ni fallor, ipsa Praxis Romani Imperii memoratam divisionem seu adin-
47 venit, seu adinventam civitate donavit. Tametsi enim Jurisdictio, tam Summa, quam Subalterna, pro potestate Rempublicam gubernandi accepta, non eadem cum Jure dicendi significatione polleat, si phrasi strictiore & Civile loquamur; attamen pro facultate Jus dicendi in Summo vel Subalterno Tribunali accepta, dubium non est, quin cum Jure di-
48 cendo propriè conveniat. Unde, quæ ex Suetonio & Augusto refert Sutholt *cit. loc. aphorism. 191. quòd ipse Jus dixerit assiduè, & in noctem nonnunquam; si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans &c.* absque ulla vocabulorum torsione in genuino sensu explicanda sunt.

49 Deinde nec ego inficias eo, unà cum forma Reipublicæ & formam Jurisdictionis, & Judicum diversas spartas tusse mutatas: agnosco quoque, ex solis Juris Romani fontibus dilucidam & liquidam modernæ Jurisdictionis cognitionem haud derivari: nego tamen cum Bernardo Mulz *repræsent. Majest. part. 2. cap. 26.* § 3. n. 25. D. Braun de *Magistr. cap. 4. §. 3. n. 2.* Jus Romanum planè nihil conducere ad exactam Jurisdictionis modernæ intelligentiam: cùm non paucæ prærogativæ Jurisdictionales, quas Imperii Statibus hâc ætate competere videmus, velut jura Majestatis olim ipsi Imperatori reservata, Juri
50 Civili neutiquam sint incognitæ. Neque etiam, divisionis bonitatem exinde periclitari, quòd juxta terminos, quibus affertur, non reperiatur in Jure scripto Civili scripta; sufficit, quòd partim Jure non scriptò, partim Imperii Constitutionibus prodita noscatur.

51 Ad hæc cùm Imperator immensus ille sit Oceanus, ex quo omnis Jurisdictio in Judices quoscunque, ceu deductos ex magno mari fluvios aut rivos, profluit; & omnis cognitio judicialis, ut effectum & vigorem sortiatur, saltem originativè jurisdictionem supponat: sanè diffiteri nemo potest, quin Imperator, dum causam per se vel per suos cognoscit, Jus dicat, ac jurisdictionem usurpet; sive radicaliter, ut putat Sutholt; aut eminenter, sicut, qui dominus est, re suâ utitur, fruitur; sive formaliter: nam in verbis litigare, quando convenimus in substantia, non æstimo consultum.

§. II.

Secunda Divisio Jurisdictionis in Simplicem & Imperium; cum sua subdivisione.

52 Secunda Jurisdictionis divisio est, quâ dispescitur in Jurisdictionem Simplicem & Imperium. *Jurisdictio Simplex* non dicitur illa, quæ expeditur officiô Judicis mercenariô, veluti putavit Haunoldus *tom. 5. tract. 1. n. 23. & seq.* solidè refutatus à D. Braun de *Jurisdict. cap. 2. §. 2. num. 2. & 3.* quia Jurisdictio extraordinaria, quæ est species Jurisdictionis Simplicis, absque prævia actione exercetur; ipsúmque Imperium nonnunquam ex officio mercenario interponitur: sed Jurisdictio Sim- 53
plex est illa, quæ consistit in administratione juris & justitiæ causarum civilium, seclusô Imperiô mixtô, eamque ob rem à quibusdam *infima* nominatur. Stryck in *usu mod. Pand. ad h. t. §. 9. Imperium* econ- 54
trà situm est in administratione juris & justitiæ, quæ principaliter exercetur per jussionem aut coërcitionem.

Probant hanc divisionem primò textus in *l. Impe-* 55
rium 3. ff. h. t. ubi Jurisdictio & Imperium, tanquam duo membra opposita, referuntur; dicitúrque Jurisdictio *inesse Imperio*, quod dici non posset, si Jurisdictio idem esset, quod Imperium: quia Jurisdictionem Jurisdictioni inesse, constructio nugatoria & tautologica est. Secundò textus in *l. quæcunque* 56
1. §. 1. & l. ult. §. 1. ff. de Offic. ejus cui mand. est Jurisdict. ubi dicitur, mandatâ Jurisdictione *Imperium, quod Jurisdictioni cohæret*, transferri: quæ dictio rursus distinctionem inter Imperium & Jurisdictionem in specie importat. Tertiò ratio: quia, 57
ut arguit ipsemet Obrecht, adversæ sectæ alioquin vix non apertus defensor, *de Jurisdict. cap. 5. n. 3.* quæ definitione essentiali inter se differunt, diversa sunt. Atqui Jurisdictio & Imperium definitione essentiali inter se differunt ex *num.* 30. Ergo diversa sunt. Quartò authoritas Rotæ Rom. in *re-* 58
cent. p. 6. dec. 253. num. 14. & 18. & *p. 7. dec. 291. n. 34.* ac Virorum præstantissimorum, Pacis Jordani *lib. 13. tit. 2. num. 17.* Joannis Gilloti de *Jurisdict. lib. 2. cap. 2. num. 1.* & *cap. 4. num. 6.* Francisci de Claperiis *tract. de Imper. conclus.* 18. *num.* 4. Bernardi Sutholti *aphoris. 257. & seqq.* Arnoldi Vinnii de *Jurisdict. cap. 7. n. 1. & 3.* Haunoldi *cit. tom. 5. tr. 1. n. 19.* Balthasari Braun de *Imperio cap. 2. §. 1. n. 2. & seqq.*

Improbant econtrà divisionem Cujacius 21. *obs.* 59
30. Scipio Gentil. *lib. 2. cap. 2. in fin. cap. 3. & seq.* Zoësius ad *tit. ff. h. t. n. 8. & seqq.* & (sub aliqua distinctione & hæsitatione) Obrecht *cit. cap. 5. & lib. 3. cap. 24.* potissimùm ex duplici causa. Prima est: quia, quæ Jurisdictioni tribuuntur, uti est jus dandi Judicem in *cit. l. Imperium 3. ff. h. t.* alibi, scilicèt in *l. cùm prætor 12. §. 1. ff. de Judic.* tribuuntur Imperio. Secunda est: quia non datur Jurisdictio sinè 60
ulla coërcitione per *cap. pastoralis 28. in princ. de Offic. & pot. Judic. deleg.* & *l. ult. §. 1. ff. de Offic. ejus mand. est Jurisdict.* Ergo non datur Jurisdictio sinè Imperio.

Sed frustra. Nam, quod attinet primam impro- 61
bandi causam, jus dandi Judicem, quod ad Jurisdictionem Simplicem in *l. Imperium 3. ff. h. tit.* refertur in *l. cùm prætor 12. §. 1. ff. de Judic.* non dicitur esse Imperii, quatenùs Imperium denotat Jurisdictionem, sed quatenùs Magistratum excellentiorem & sublimiorem, qualis erat Urbanus, significat, ut sagaciter elucidat D. Braun de *Jurisdict. cap. 3. §. 2. num. 18.*

Quoad alteram causam tripliciter respondere lu- 62
bet. I. cum Obrecht *d. lib. 1. cap. 5. n. 3. & 4.* Jurisdictionem, si in abstracto consideretur, sinè omni coërcitione consistere posse: quia ut sic dicit nudam potestatem jus dicendi; secus, si consideretur in concreto, seu in persona, cui competit: quia vana est ita Jurisdictionis, cui vis & vires coërcitionis non famulantur. II. cum Sutholt *aphoris.* 260. & 63
Vinnio *cit. n. 1. & 3.* Jurisdictionem Simplicem ex sua natura

natura & per se non in coërcendo, sed simpliciter
in jure reddendo positam esse: cùm causam cognos-
cere, sententiam dicere, decernere, & statuere &c.
sint actus Jurisdictionis Simplicis, absque coërci-
tione exercibiles; attamen tanquam accidens inse-
parabile sibi adjunctum habere Imperium, per quod,
si necessitas exigat, explicari, defendi, & muniri
64 queat. Neque tamen ex hoc infertur identitas Im-
perii & Jurisdictionis; quemadmodùm ex eo, quòd
in nullo subjecto reperiatur voluntas seu appetitus
rationalis, quin habeat adjunctam facultatem cog-
noscendi, seu intellectum, perperam concluditur,
aut duas hasce potentias, aut actus illarum non esse
65 à se invicem distinctos. III. cum D. Braun de *Im-
perio cit. cap.* 2. §. 3. *num.* 17. ordinariè cum Jurisdi-
ctione contentiosa (non item voluntaria) Imperium
quoque Mixtum concedi; nil verò obstare, quò
minùs uni Magistratui competere possit sola pote-
stas cognoscendi & dijudicandi causam civilem, po-
testate exequendi & coërcendi penes alium existen-
te; idque subinde melius esse, ne, si idem judicet,
exequatur, & coërceat, sæpiùs invidiam & odium
66 sibi consciscat. Quódve in nonnullis Germaniæ lo-
cis adhuc observetur, ut cognitio sit apud certum
aliquod Collegium vel Judicium, Imperium autem
& executio apud alias personas, testis est Bernar-
dus Mulz *repræsent. Majest. part.* 2. *cap.* 26. §. 3.
num. 27. Paria refert Stryck in *usu mod. pand. ad h.
t. cit.* §. 9.
67 *Imperium* ulteriùs subdividitur in Merum & Mix-
tum. *Merum* definitur in sæpe *cit. l.* 3. *ff. de Jurisdict.*
quòd sit potestas gladii ad animadvertendum in faci-
norosos homines; & solet à Practicis vocari *Juris-
68 dictio Alta. Mixtum* describi potest, quòd sit Impe-
rium, conjunctum cum Jurisdictione simplici, con-
sistens vel in jussione principaliter, vel in coërcitione
in causa civili; soletque à modernis appellari *Juris-
dictio Bassa.*
69 Nullus equidem est, qui Meri & Mixti Imperii
existentiam inficietur: quippe cùm utriusque tam in
cit. l. Imperium 3. quàm in *l. quacunque* 1. *in pr. &* §.
1. *l. ult.* §. 1. *ff. de Offic. ejus cui mand. est Jurisdict.* &
alibi iterata fiat mentio. Non tamen pauci sunt, qui
Merum Imperium legitimam Jurisdictionis speciem
esse, negent cum Sutholt *aphoris.* 131. *& seqq.* Vin-
nio de *Jurisdict. cap.* 1. *n.* 1. Struv. *Exercit. ad pand.*
4. *th.* 51. Obrecht de *Jurisdict. lib.* 1. *cap.* 2. *per tot.*
70 quorum rationes sunt sequentes. I. Cui non compe-
tit notatio Jurisdictionis, nec competit definitio Ju-
risdictionis. Atqui Mero Imperio non convenit no-
tatio, à *n.* 3. explicata: quia Merum Imperium non
in Jure dicundo, sed in criminum animadversione,
hoc est, irrogatione pœnæ ex sententia Judicis con-
demnatoria consistit; indéque non à Jure dicundo,
quid æquitatis & juris sit, sed ab imperando, hoc est,
authoritativè præcipiendo vel jubendo, nomencla-
71 turam traxit. Ergo &c. II. Omnis species inest ge-
neri. Sed Merum Imperium non inest Jurisdictioni:
tum quia nulla species inest oppositæ speciei; opposi-
ta autem Imperio Mero species, puta Imperium Mix-
tum, inest Jurisdictioni, sæpe *cit. l. Imperium* 3. *ff. h.
tit.* tum quia, quod inest rei, id, eâ concessâ, simul
quoque concessum intelligitur; Imperium verò, con-
cessâ Jurisdictione, non censetur esse concessum *l.
quacunque* 1. *in pr. &* §. 1. *ff. de Offic. ejus cui mand.* Er-
72 go &c. III. quia Jurisdictio & Imperium, cùm sibi
invicem opponantur in *d. l. Imperium* 3. & *l. muto* 6.
§. 2. *ff. de Tutel.* nequeunt de se ut genus & species
73 prædicari. IV. quia Merum Imperium inde deriva-
tum est, quòd nullam communionem & commercium
habeat cum Jurisdictione.
74 Sed plures longè reperio, qui Imperium Merum,
ut genuinam Jurisdictionis speciem, recipiant; no-
minatim recipit Gillotus de *Jurisdict. d. lib.* 1. *cap.* 2.
n. 1. Bocerus de *Jurisd. cap.* 2. Franciscus de Clape-
rus de *Jurisdict. cit. conclus.* 2. *n.* 7. & 8. Longoval-
lius in *repetit. l. Imperium* §. *Imperium n.* 10. Franz-
kius ad *tit. ff. h. t. n.* 3. Braun de *Jurisdict. cap.* 1. §. 3.
n. 3. Fleck in *Biblioth. cit. lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 3. Horum
fundamenta sunt. I. quòd in rubrica & nigro titu- 75
li de Jurisdictione in *l.* 3. *ff. h. t. l. in criminali* 5. & *l.
ult. Cod. eôd.* de Mero Imperio, velut specie Jurisdi-
ctionis, agatur: bonô argumentô, Merum Impe-
rium sub Jurisdictione contineri. II. quòd Merum 76
Imperium in eâd. *l.* 3. in potestate animadvertendi
in homines facinorosos constituatur. Sed hæc po-
testas nihil aliud est, quàm facultas, Jus de ca-
pite facinorosorum hominum dicendi *l. necessarium*
2. §. 16. & 23. *ff. de O. J.* sicque ad Jurisdictionem,
quæ facultatem Jus dicendi in genere denotat, re-
ducitur. III. quòd in sæpe adducta *l. quæcunque* 1. 77
in princ. ff. de Offic. ejus cui mand. ICtus hoc placi-
tum apertissimè supponat: Papinianus enim *errare
Magistratus*, asserit, *qui, cùm publici judicii habeant
exercitionem, Lege, vel SCtô delegatam (veluti Lege
Julia de adulteriis, & si quæ sunt aliæ similes) Juris-
dictionem suam mandant.* Deinde assertionem suam
confirmaturus, *hujus rei fortissimum argumentum es-
se*, ait, *quòd Lege Juliâ de vi nominatim cavetur,
ut is, cui obtigerit exercitia, possit eam, si proficis-
catur, mandare.* Concludit denique. *Non aliter
itaque mandare poterit, quàm si abesse cœperit,
cùm aliàs Jurisdictio etiam à præsente mandetur.*
Ecce! In hac L. dubitatur imprimis: an manda- 78
tâ Jurisdictione transeat Merum Imperium? Quæ
dubitatio planè fuisset inepta, si nomine Jurisdi-
ctionis Imperium, quod est merum, non veni-
ret. Præterea erroris arguuntur Magistratus, qui
Jurisdictionem suam mandant, hoc est, Impe-
rium, seu judicii publici exercitionem, speciali
Lege sibi delatam: ergo Jurisdictio, tanquam ge-
nus, de Mero Imperio, tanquàm specie, prædi-
catur. Ulteriùs dicitur, quòd aliàs Jurisdictio (in-
tellige Ordinaria) rectè à Magistratu præsente
mandetur; Imperium verò Merum (seu Jurisdi-
ctionis Extraordinariæ species) ab absente tantùm
mandari possit. Sola itaque Lex illa, sepositis ar-
gumentis aliis, sufficere deberet ad demonstrandum,
Merum Imperium esse germanam speciem Jurisdi-
ctionis.
Rationes, in oppositum allatæ, non stringunt. 79
Prima solutionem ex secunda in *n.* 76. quæ nostra
est, capit. Secunda confundit Jurisdictionem in 80
genere cum Jurisdictione Simplici: quando enim
Jurisdictio dicitur inesse Imperio, & Imperium
Jurisdictioni, sermo est de Imperio Mixto, quod vel
conjunctam sibi habet Jurisdictionem Simplicem,
vel huic conjungitur, ac per consequens à Juris-
dictione Simplici distinguitur, sicut pactum à con-
tractu, cui, si in continenti adjiciatur, inesse dicitur,
& tamen ab eo distinguitur. Quando autem in *cit. l.* 81
quæcunque 1. §. 1. *ff. de Off. ejus &c.* pronuntiatur,
Imperium Merum, mandatâ Jurisdictione, non tran-
sire; non ex eo provenit, quòd Jurisdictio suâ gene-
ralitate Merum Imperium non complectatur; sed
exinde, quòd Merum Imperium, tanquàm species
Jurisdictionis Extraordinariæ, non sit mandabile.
Cæteroquin hæc ipsa Lex, ut paulò ante probatum,
graviter obstat Authoribus contrariis. Tertiæ sa- 82
tisfit, dicendô, quòd in *cit. ll.* non jurisdictio in
genere opponatur Imperio, sed in *l.* 3. *h. t.* Jurisdi-
ctio Simplex opponatur Imperio Mero & Mixto; &
in l. *muto* 6. §. 2. *ff. de Tutel.* Jurisdictio Ordinaria
Extraordinariæ, ut sensus sit, tutoris dationem
non esse Jurisdictionis aut Imperii, quod jure Ma-
gistratus competit, sed Jurisdictionis Extraordinariæ,
quæ

quæ ex speciali Lege tribuitur, ut notat *ibidem*
83 Brunneman. Quarta ex alia magisque probata ety-
mologia Imperii Meri, in *cap. ult. sect.* 1. *n.* 1. ad-
struendâ, secundetur.

§. III.

Tertia Jurisdictionis Divisio in Propriam & non-propriam cum suis subdivisionibus.

84 Tertia divisio Jurisdictionis est, quâ divellitur
in Propriam & non-propriam. *Propria* nuncupa-
tur, quæ jure propriò habetur, ac principaliter
fundatur, & radicatur in persona ipsius haben-
85 tis. *Non-propria* nominatur, quæ fundatur princi-
paliter in beneficio & voluntate alterius. Au-
thores hæc divisio veretur Obrechtum *lib.* 1. *cap.*
9. *num.* 53 *& seqq.* Vinnium *cap.* 8. *in princ.* Franz-
kium *ad ff. h. t. num.* 31. Braunium *de Jurisdict.*
cap. 5. *num.* 1.

86 *Propria* subdividitur in Ordinariam & Extraordi-
nariam. *Ordinaria* est, quæ vi Magistratus & offi-
cii; *Extraordinaria*, quæ ex speciali Legis con-
cessione competit. Patrocinantur huic subdivisioni
Bocerus de *Jurisdict. cap.* 3. n. 14. *& cap.* 6. *n.* 2. Vin-
nius *cap.* 6. *in pr.*

87 Neque arbitreris, Jurisdictionem Extraordina-
riam oon rectè sub Propria collocari. Nam, licèt
D. Braun *cit. cap.* 5. *num.* 2. ita sentire videatur,
dum Jurisdictionem Propriam appellat, quæ datur
ex proprio munere, ad id creatô: probabilius ta-
men mihi cum Bocero *d. cap.* 6. *num.* 2. apparet,
Jurisdictionem Extraordinariam, cùm jure propriò
ex speciali Lege habeatur, non beneficiô hominis;
atque insuper principaliter in persona habentis fun-
detur, & radicetur, æquè ac Ordinariam, posse
Propriam appellari.

88 Jurisdictio *non-propria* subdividitur in eam, quæ
ex beneficio hominis publici, seu Magistratus,
habetur; & eam, quæ ex voluntate privatorum
acquiritur. Prior *Mandata* seu *Delegata*; poste-
rior *Prorogata* vocatur. Obrecht *d. cap.* 9. *num.*
55. *& seqq.* Vinn. *d. cap.* 9. *num.* 2. *in f.* Braun *d.*
cap. 5. *num.* 3.

§. IV.

Quarta Divisio Jurisdictionis in Voluntariam & Contentiosam.

89 Quarta Jurisdictionis divisio est, quâ distermi-
natur in Voluntariam & Contentiosam. *Volunta-*
ria est, quæ exercetur inter volentes & consen-
tientes. *Contentiosa* est, quæ interponitur inter in-
vitos per se loquendô & nolentes. Sedem habet
isthæc divisio in *l. omnes proconsules* 2. *in princ. ff.*
de Offic. Proconsul.

90 Nec credas I. cum Franckio *ff. h. t. n.* 12. Lau-
terbach *ibid.* §. 6. Jurisdictionem Voluntariam ab
Extraordinaria; aut Contentiosam ab Ordinaria di-
stinctam non esse. Dantur siquidem actus, qui ad
Jurisdictionem Voluntariam referuntur, nec tamen
ex peculiari Legis indulto, sed ex officio & jure
ordinario concessi sunt, cujus generis sunt datio
bonorum possessionis *arg. l. cognitio* 4. §. 1. *ff. de*
Offic. ejus &c. insinuatio donationis, hypothecæ,
testamenti &c. de quibus suô locô. Rota Rom. in
rec. p. 14. *dec.* 71. *num.* 4. Vinnius de *Jurisdict.*
cap. 8. *num.* 8. Franciscus de Clspenis *conclus.* 23.
Donellus & Baldus apud Millerum ad Struv. *cit.*
91 *Exercit.* 4. *th.* 71. Similiter actus reperire est, qui
ad Jurisdictionem Contentiosam spectant, uti v. g.
est datio Judicis, tutoris, curatoris, à minore Ma-
gistratu facta; nec tamen ordinariò jure, sed speciali
concessione tribuuntur. Vult ejus de *Judic. l.* 1. *cap.*
4. *n.* 21. Vinnius *cap.* 8. *n.* 12. Lauterbach de *Juris-*
dict. volunt. th. 10.

Nec credas II. cum Donello, Bocero, Struvio 92
ad *ff. Exercit.* 4. *th.* 69. Suthols. *aphoris.* 332. ex-
plicatam divisionem aut angustam nimis, aut diviso
suo commensuratam non esse, sed tertiam quandam
speciem superstitare, ad quam actus illi, qui nec
Voluntariæ nec Contentiosæ Jurisdictioni adscribi
possunt, quales sunt tutoris ac curatoris datio, cog-
nitio super transactione de alimentis, testamentô re-
lictis, aut super alienatione prædiorum minoris &c.
referantur.

Gratis etenim, ac invitis planè Juribus, tertia 93
hæc species fingitur; possuntque relati actus com-
modè vel ad Voluntariam, vel ad Contentiosam
Jurisdictionem reduci, prout ostendunt Lauterbach
de *Jurisdict. volunt. th.* 3. *& seqq.* D. Braun de *Ju-*
risdict. cap. 4. §. 1. *num.* 4.

§. V.

Quinta Divisio Jurisdictionis in Ecclesiasticam & Secularem.

Quinta, ac nobilissima Jurisdictionis divisio est, 94
quâ secatur in Ecclesiasticam & Sæcularem. Desu-
mi potest hæc divisio vel à subjecto, vel à fine. Si
desumatur à *subjecto cui*, illa Jurisdictio erit Eccle-
siastica, quæ residet in persona Ecclesiastica, quà tali;
illa Sæcularis, quæ cohæret personæ Sæculari quà
tali. Si desumatur ab *objecto*, dicetur Jurisdictio Ec- 95
clesiastica, quæ circa negotia & causas Ecclesiasticas
versatur; Sæcularis, quæ circa res & causas Sæcu-
lares. Sin denique à *fine* desumatur, Jurisdictio, quæ 96
finem spiritualem & supernaturalem respicit, Eccle-
siastica; quæ verò ad finem profanum & naturalem
ordinatur, Sæcularis vocabitur.

Aliqui Jurisdictionem Ecclesiasticam denominant 97
à subjecto, circa quod occupatur Jurisdictio, eám-
que volunt Ecclesiasticam, quæ circa personas Ec-
clesiasticas exercetur. Sed minùs rectè. Nam Juris-
dictio, quam Dominus Feudalis in Vasallos habet,
est Sæcularis, tametsi eandem perinde in Laicos ac
Clericos exerceat.

Alii, puta, Acatholici, si non verbis, effectu 98
saltem, Jurisdictionem Ecclesiasticam cum Sæcu-
lari mariant, dum passim scribunt, Magistratus Po-
liticos, qui Status Imperii sunt, vi Territorialis
Jurisdictionis & sacrorum & negotiorum profano-
rum curam habere. Reincking de *Regim. Eccles. &*
secul. lib. 3. *class.* 1. *cap.* 10. Struvius *Exercit. feud.*
6. *th.* 15. *num.* 16. *&* 17. Lauterbach *h. t.* §. 40.
Sed, quàm erroneô nitantur pede, in subsequen-
tibus apparebit.

§. VI.

Sexta Divisio Jurisdictionis in Personalem & Realem.

Sexta Jurisdictionis divisio est, quâ dirimitur in 99
Personalem & Realem. *Personalis* est, quæ ita co-
hæret personæ, ut cum illa desinat. Talis est Jurisdi-
ctio Rectorum Academicorum, Consulum in Civita-
tibus Imperii; Prælatorum Ecclesiæ &c. *Realis*, 100
quæ & patrimonialis dicitur, est, quæ rei cuidam v.
g. castro, pago, territorio connectitur, atque ad om-
nes, qui castrum, pagum, territorium adipiscuntur,
transit; qualis est illa, quam Principes, Comites, Ba-
rones & Status Imperii obtinent.

Equidem ex multorum judicio incognita Roma- 101
næ

næ Jurisprudentiæ & ignota est Jurisdictio Realis, ut colligitur argumentò à feudis ducto in *tit.* 1. §. 1.
102 *Feud.* 1. Sed notissima est antiquæ Germanorum consuetudini, vi cujus, uti integri Ducatus, Principatus, Comitatus in feudum perpetuò ac jure successionis sunt concessi *d. tit.* 1. §. 2. *Feud.* 1. ita cohærens Ducatibus, Principatibus, Comitatibus Jurisdictio perpetua, patrimonialis, ac transitoria ad hæredes esse occæpit. Struv. *cit. Exercit.* 4. *th* 80. Miller *ibidem lit. A.* Lauterbach *h. tit.* §. 43. Stryck *ibid.* §. 18.

§. VII.

Septima Divisio Jurisdictionis in Separatam & Communem.

103 Septima Jurisdictionis divisio est, quâ scinditur in Separatam & Communem. *Separatam*, quam aliàs *Privativam* appellant, voco, quæ uni soli, exclusis aliis, est indulta. *Communis*, seu *Concurrens*, aut *Cumulativa*, nuncupatur, quæ pluribus competit, vel in *solidum*, ita ut quilibet seorsim sinè altero possit cognoscere, quô casu locus èst præventioni; vel pro indiviso, ut nullus absque alterius concursu Jus dicere valeat. Tradit hanc
104 divisionem Magnif. P. König ad *tit. Libri I. Decretal. XXXI. de Jurisdictione Ordinaria n.* 6. Potest tamen meô arbitriô, aliis quoque Jurisdictionis speciebus accommodari per ea, quæ latè congessit Obrecht *lib.* 3. *cap.* 2. *per tot.*

107 Plures forsitan divisiones addensare possem; sed, quæ relatæ jam sunt, sufficere; quæ omissæ, propriâ cujusvis dexteritate suppleri posse, videntur. Singulariter enumerari posset Jurisdictio Forestalis, à Germanis inventa & *die Förstliche Obrigkeit oder Herrlichkeit* appellata. Sed quia hæc Jurisdictio est pars aut proprietas Jurisdictionis, seu Superioritatis Territorialis, cui supremum Foresti jus Germaniæ moribus conjunctum reputatur, ita cum Knipschild de *Civit. Imp. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. docente Stryck in *usu mod. Pand. ad h. t.* §. 16. illius in *cap.* 5. unô vel alterô verbô recordabor.

SECTIO III.

De Subjecto Jurisdictionis.

SUMMARIA.

108. *Subjectum Jurisdictionis.* 109. *& seq. Differentia inter subjectum activum, reale & personale.* 111. *& seqq. Dispelluntur objectiones.* 119. *& seq. Similis differentia inter subjectum passivum, reale & personale.* 121. *In subjecto Jurisdictionis activo requiruntur certa qualitates.* 122. *Usus rationis.* 123. *Ætas* 25. *annorum.* 124. *& seq. Suggeritur limitatio.* 126. *Sexus masculinus.* 127. *Datur exceptio.* 128. *Status libertatis.* 129. *Integritas sensuum.* 130. *& seq. Explicatur* l. 6. ff. de Judic. 132. *Scientia.* 133. *In subjecto passivo & personali requiritur subjectio.* 134. *& seq. Jurisdictio non exercetur in æquales.* 136. *& seq. Nisi spontaneè se subjiciant.* 138. *& seqq. Etiam in Jurisdictione voluntaria.* 142. *& seq. Neque exercetur in proprios liberos.* 144. *& seqq. Explanatur* l. 77. ff. de Judic.

§. I.

Quotuplex sit Subjectum Jurisdictionis?

Subjectum Jurisdictionis duplex est, aliud subje- 108 ctum activum, cui videlicèt inest, & cohæret Jurisdictio; aliud subjectum passivum, seu circa quod & in quod exercetur Jurisdictio.

Subjectum activum est duplex, personale & rea- 109 le. Personale est, cui Jurisdictio non tantum cohæret, sed etiam exercitium Jurisdictionis incumbit. Reale est, cui equidem Jurisdictio quoad radicalem facultatem est connexa, sed quoad exercitium & actum secundum in alio residet. Ratio 110 hujus doctrinæ ex *num.* 98. *& seq.* repetenda est: quia videlicèt complures Jurisdictiones hodie reales & patrimoniales evaserunt, adeò ut, qui succedit in pago, oppido, castro &c. etiam in Jurisdictione succedat. Adeóque subjectum Jurisdictionis in ea hypothesi partim est res, quatenùs competit ratione & intuitu certæ rei, castri, pagi, oppidi &c. partim persona, quatenùs Jurisdictio non à re inanimata, sed à persona, rem illam inanimatam possidente, exercetur.

Non ignoro, Bocerum de *Jurisdict. cap.* 8. *num.* 111 16. *& seqq.* & *cap.* 9. *num.* 2. *& seqq.* remis velisque contendere, quòd nulla Jurisdictio rei cohærere, sed soli personæ connecti possit; tum quia Jurisdictio potestas sit, quæ personarum est, non prædiorum: tum etiam, quia Jurisdictio in jure dicundo consistat; jus autem personæ dicant, reddant, decernant, non prædia: tum quia territorium aliquod sinè Jurisdictione, & Jurisdictio sinè territorio esse possit.

At non moveor à doctrina exposita hisce arieti- 112 bus. Enim verò non dico, Jurisdictionem rei cohærere, quasi res ipsa potestatem jurisdicendi comprehendat; sed quòd intuitu, occasione, & consideratione rei, personis omnibus, rem illam possidentibus, competat Jurisdictio: ad eum ferè modum, quô servitutes reales, licèt personis competant, uti v. g. est servitus itineris, quæ est jus eundi, utique in actu secundo & quoad exercitium non penes fundum, sed penes fundi dominum existens, attamen non competunt nisi ratione & intuitu rei *l. qui fundum* 12. *ff. Quemad. serv. amit. l. traditio* 20. *in pr.* & §. 1. *ff. de A.R.D. l. quid aliud* 86. *ff. de V.S.* Hunc 113 explicandi modum videtur probâsse Rota Rom. in *rec. p.* 6. *dec.* 310. *n.* 18. ubi asserit, Jurisdictionem adesse in territorio, tanquàm servitutem in fundo serviente, vel tanquàm nebulam super paludem, solis calore generatam.

Similiter de privilegiis dicimus, quòd aliqua sint 114 realia, hôc respectu, ut personæ competant cum relatione ad rem, puta officium, dignitatem, aliámve qualitatem; atque ad omnes transeant, in quibus res invenitur *arg. l. Imperatores* 7. *in pr. ff. de Publican. & vectigal.* veluti in *tr. de Jure Leg. cap.* 8. *n.* 101. *& seq.* traditum reperies.

Ad hæc non assero, Jurisdictionem ex natura sua 115 cum territorio cognatam esse; verùm, Jurisdictionem tantam cum territorio connexionem habere posse, contendo, ut, qui territorium possidet, Jurisdictionem quoque possideat. Cujus rei veritatem in 116 Imperio Romano quotidiana probat experientia: nam, ut scribit Clariss. D. de Chlingensperg in *prosecut. Disput. D. de Bassis de Jurisdict. th.* 54. *num.* 3. Jurisdictio Territorialis, cùm realis sit, & sinè territorio non subsistat, convenit solis Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Statibus Imperii &c. de territorio investitis. Principes 117 autem & cæteri, territorio carentes, dignitatem qui-

quidem natalium retinent, Status tamen Imperii non
sunt, nec Statuum Jurisdictione gaudent. Hinc vo-
cantur v. g. *Hertzog*, *Ertz-Hertzog*, non tamen
Lands-Fursten &c.

118 Postremò non sequitur, Jurisdictio potest esse
sinè territorio: argo nunquam territorio conjuncta
est. Nam, ut primùm dixi, Jurisdictio Territorialis
semper cum territorio colligata est; indéque territo-
rium dicitur esse subjectum reale Jurisdictionis.

119 Subjectum passivum Jurisdictionis rursus duplex
est; personale & reale. Subjectum personale sunt
homines, quibus jus dicitur. Reale est territo-
rium, spatium, seu locus, intra cujus ambitum & fi-
120 nes in homines exercetur. Habet siquidem, licèt non
omnis, pleraque tamen Jurisdictio, suam certam sphæ-
ram activitatis, intra quam intentionem in Jure fun-
datam quoad omnes personas & res ibi existentes
habet *cap. omnes basilicæ 30. XVI. q. 7. l. omnia 1. §.
4. v. quidquid igitur intra urbem ff. de Offic. præf.
Urbi.* & extra quam exerceri nequit *cap. ult. de Con-
stit. in 6. l. ult ff. h. t.* D. ab Andlern *Jurispr. publ. lib.
2. tit. 5. n. 9. & 10.* D. Braun de *Imp. cap. 1. §. 6. n.
32. & seqq.*

§. II.

Quinam Jurisdictionis activè capaces sint?

121 Capacitatem, quæ in subjecto, Jurisdictionem ha-
bente, requiritur, præ aliis eruditò & largissimò cala-
mô adornant Illustr. D. ab Ising sæpe laudatò *tract.
de promot. honor. c. 4. per tot.* & Clariss. D. Braun in ab-
solutissimo *tract. de Magistratu cap. 5. per tot.* Horum
Virorum explicatissimam eruditionem synopticè
constricturus,

122 Dico I. In subjecto Jurisdictionis requiritur usus
rationis. Ratio in propatulo est: quia jus dicere, at-
tentionem animi, rationis usum, ac judicii maturi-
tatem exposcit. Ergo, qui ratione destitutus est, non
magis ad Jurisdictionem erit habilis, quàm equus
Caligulæ, quem is suum Consulem designaverat, ut
refert ex Dione D. ab Ising *cit. cap. 4. n. 19.* Confer. *l.
cùm Prætor 12. §. 2. l. cùm furiosus 39. in pr. l. Judex
datus 46. ff. de Judic.*

123 Dico II. In subjecto, Jurisdictionem habente,
desideratur ætas 25. annorum inchoatorum. Tex-
tus in *l. ad rempublicam 8. ff. de Muner. & honor.*
& Ratio est: quia minoribus 25. annis ob fragile &
immaturum judicium ne quidem rei familiaris admi-
nistratio conceditur: ut adeò Juris & justitiæ admini-
124 stratio potiori titulò denegata videatur. Si tamen
ingenii judiciique præcocitas, ut aliquoties amat
fieri, prævertat annos, saltem à Principe Juris-
dictio communicari poterit per text. *in l. un. §. 2.
125 ff. de Offic. Consul.* Quin etiam ut juvenes subin-
de senioribus associentur, quatenùs ex eorum factis
dictisque discant, imposterùm similia dicere & face-
re, meritò suadet idem D. ab Ising *cit. cap. 4. n. 140.*
Alias exceptiones dabit Braun *d. cap. 5. §. 1. n.
3. & 4.*

126 Dico III. In subjecto Jurisdictionis exigitur se-
xus masculinus. Textus in *l. fœmina 2. ff. de R. J.*
Voluit namque ipse Conditor Naturæ sexum mas-
culinum, tanquàm præstantiorem & perfectiorem,
præesse; fœmininum verò, ceu infirmiorem & fra-
127 giliorem, subesse. Exceptio reperitur in *cap. dilecti
4. de Arbitr.* ratione fœminarum Illustrium, quæ
ex consuetudine quorundam locorum Jurisdictio-
nem habent.

128 Dico IV. In subjecto Jurisdictionis status liber-
tatis efflagitatur. Textus in *l. Barbarius 3. ff. de offic.
Prætor.* ubi ad acta servi, quæ gessit ut Magistratus,
communis error unà cum titulo colorato requiritur:
luculentô indiciô, acta cæteroquin valitura non fuis-
se. Ratio ex *l. quod attinet 32. ff. de R. J.* desumitur:
quia servi *pro nullis habentur.*

Dico V. In subjecto Jurisdictionis integritas sen- 129
suum, videlicèt oculorum, aurium, loquelæ &c pos-
tulatur. Textus in *l. hunc titulum 1. §. 5. ff. de Postul.*
ubi cæcus á Magistratu; & *l. cùm prætor 12. §. 2. ff. de
Judic.* ubi mutus & surdus à munere judicandi repel-
litur. Ratio est: quia defactus horum sensuum non
tantùm authoritatem detrahit jus dicenti, sed etiam
jus rectè dicere non sinit.

Neque obest *l. cæcus 6. ff. eôd.* ubi cæcum judican- 130
di officiò fungi posse, pronuntiatur. Hæc L. siqui-
dem explicationem recipit ex *cit. l. hunc titulum 1. §.
5. ff. de Postul.* quòd in Magistratu splendor externus,
quem obscurare videtur oculorum caligo, requira-
tur; cùm econtrà in Judice non tam externus splen-
dor, quô inter album & nigrum valeat discernere,
quàm ingenii & mentis perspicacia, quâ inter malum
& bonum, justum & injustum, licitum & illici-
tum distinguere possit, efflagitetur. Quin imò, non 131
tantùm hodiernis moribus, quibus ipsimet Magi-
stratus judicare solent, cæcitas antecedens Jurisdi-
ctionem impedit; sed etiam Jure Codicis & Canoni-
cô, dum Judex (nisi Episcopali dignitate, Illustri
quâdam administratione, aut natalium claritate splen-
deat) sententiam ipsemet concipere, conscribere, ac
scriptam ex breviculo, seu ex charta, recitare tenetur
l. arbitri 1. l. 2. & 3. Cod. de Sentent. ex breviculo (seu,
ut alii volunt, *ex periculo*) *recitand. cap. ult. de Sen-
tent. & Re judic. in 6.* Bachov. *Vol. 1. disp. 8. th. 2. lit. B.*
Lauterbach ad *tit. ff. de Judic. §. 35.*

Dico VI. In subjecto Jurisdictionis exposcitur 132
talis scientia, qualis ad negotia & causas, de quibus
Jus reddandum, est necessaria. Textus in *pr. Inst. de
Offic. Judic.* ubi dicitur, quòd Judex teneatur judi-
care secundùm id, quod Legibus, & constitutioni-
bus, & moribus est proditum. Ergo Legum, consti-
tutionum, & morum notitiam habeat, necesse est:
alioquin juxta id, quod nescit, judicare non poterit.
De probitate, prudentia, & aliis qualitatibus videndi
sunt Authores, in *n. 121.* commendati.

§. III.

Quinam Jurisdictioni passivè subjecti sint?

Jurisdictioni passivè subjecti sunt, qui jus dicenti 133
sunt subjecti, atque ab ejus persona moraliter &
physicè distincti. Itaque

Dico I. Jurisdictio nequit exerceri in personam 134
æqualem jus dicenti, vel majorem. Ratio primi
est: quia par in parem, æqualis in æqualem, nec
potestatem habet, nec imperium *cap. innotuit 20. de
Elect. cap. exiit 3. de V. S. in 6. l. nam Magistratus
4. ff. de Recept. qui arbitr. l. ille à quo 13. §. 4. ff. ad
SCt. Trebell.* Ratio secundi est: quia Superioris & 135
Majoris est, non tam inferiorum jussa capesserè,
quàm jura illis præscribere.

Exceptionem ab hac conclusione suggerunt tex- 136
tus in *cit. l. ille à quo §. 4.* & *l. est receptum 14. ff. h. t.*
in casu, quô æqualis aut major alterius Jurisdic-
tioni se sponte subjicit: tunc enim *ei, & adversùs eū
jus dici potest.* Idque non tantùm de Jurisdictione 137
contentiosa, sed etiā de voluntaria procedere, partim
generalitas allegatorum textuum; partim textus spe-
cialis in *l. un. §. 1. ff. de Offic. Consulis*, consuli minore-
ni manumissionem apud Collegam permittens; partim
rationis paritas evincit: quia videlicèt Magistratus,
tam æqualis quàm superior, alterius Magistratûs
Jurisdictioni se submittens, desinit esse persona pu-
blica, & incipit esse privata ac subdita; ad eam ferè
similitudinem, quà is, qui alterius Jurisdictionem

in se prorogat, pro illo tēpore ex non-subdito fit sub-
ditus. Cujacius, Hahn ad Wesenbecium, Wissenbach,
apud & cum D. Braun de *Magistrat. cap.6.§.un.n.18.*
138 Dissentiunt quoad Jurisdictionem voluntariam
Obrecht *lib.4.cap.12.n.13.& seqq.* Sutholt *aphoris.*
380. Brunnem. ad *l. mox citand.* tum *propter l. apud*
eum 14.in pr.ff. de Manumissionibus, & *l. apud filium-*
139 *familias* 18.§ 1.*ff.de Manumissis vindicta*; tum pro-
pter rationem: quia indecorum est, ut Magistratus,
qui ad se ipsum actus Jurisdictionis voluntariæ po-
test exercere, alii Magistratui personaliter se subji-
ciat: cùm procuratorem in similibus actibus Jura
non admittant *l. nemo in pr.123.ff.de R. J.*
140 At recitati textus sanam expositionem non dedi-
gnantur. Supponunt enim, Prætorem apud Præto-
rem, hoc est Collegam, manumittere non posse vir-
tute Jurisdictionis propriæ; posse autem vigore Ju-
141 risdictionis nonpropriæ, seu prorogatæ. Ratio ve-
rò (quidquid de procuratore sit, de quo in *cap.7.*)
nimium probat, nempe, quòd nec Jurisdictio con-
tentiosa possit usurpari ab æquali in æqualem, si
ille, uti potest, per se ipsum velit in judicio compa-
rere, nec Jurisdictio voluntaria à Superiore Judice
respectu inferioris contra *cit.l. apud eum 14. in pr.ff.*
de Manumission.
142 Dico *II.* Jurisdictio neque sibi ipsi, neque liberis
suis, neque uxori suæ, administrari potest. Textus ma-
143 nifestus in *l.qui Jurisdictioni 10.ff.h.t.* Ratio est: quia
in causa propria, qualis est non tantùm sua, sed &
liberorum & uxoris, tum propter moralem persona-
rum identitatem, tum propter nimiam affectûs, cor-
poris, & animi conjunctionem, nemo censetur justè
& rectè jus dicere, uti dicemus in *sect. seq.*
144 Fortiter tamen huic conclusioni reluctatur *l. in*
privatis 77.ff. de Judic. junctâ *l. quin etiam 6.ff. de*
Recept.qui arbitr. recep. ubi permittitur, quòd pa-
ter filium, & filius patrem judicare possit.
145 Aliqui cum Gothofredo in *not.lit.q.* respondent,
L. hanc loqui do Jurisdictione voluntaria. At res-
ponsionem hanc textus non patitur: cùm de Judice in
judicio strictè dicto & contentioso loquatur, ut pa-
tet ea collatione textûs in *d.l.quin etiam 6 ff.de Re-*
146 *cept.* Accuratior responsio est, quæ vel cum Bocero
de *Jurisdict. cap.9. n.8.* da Judice in specie, seu de
pedaneo *cit.l.in privatis* explicat, ita ut filios à Ma-
gistratu vel alio Judex dari valeat in causa patris;
non etiam jure Magistratûs jus dicere: nam Judex
in specie, utpote certæ formulæ & limitibus adstri-
ctus, non poterat ex affectione, sed debebat ex præ-
scriptione judicare; secus ac Magistratus, cui libe-
147 rior juris dicendi potestas competebat: vel cum
Brunnem. ad *eand.l.* Eckoldt ad *tit.ff. de Judic.§.4.*
Braun *cit.§. un.n.16.* dicit, patrem in causa filii, &
filium in causa patris absolutè loquendô, citra pe-
riculum nullitatis, jus & sententiam dicere posse;
parti tamen adversæ, cum qua litigatur, justissimam
facultatem competere, talem Judicem, tanquam sus-
pectum, recusandi.
148 Exceptio facienda est in actibus Jurisdictionis vo-
luntariæ simplicis, qui & quoad seipsum, & quoad
liberos, & quoad alios conjunctos ritè peraguntur;
juxta dicenda suô tempore.

SECTIO IV.

De Objecto Jurisdictionis.

SUMMARIA.

149. *Ingreditur objectum Jurisdictionis.* 150. *Excipitur ab omni Jurisdictionis specie causa propria.* 151. *Adducuntur textus.* 152. *Subjungitur ratio.* 153. *Ampliatur primò.* 154. *& seq. Ampliatur secundò.* 156. *Ampliatur tertiò.* 157. *& seq. Resp. ad opposita.* 159. *& seq. Referuntur Authores & rationes pro valore consuetudinis contraria.* 161. *& seq. Referuntur Authores & rationes contra valorem.* 164. *& seqq. Satisfit prioribus.* 168. *Ponitur prima superioris exceptionis limitatio.* 169. *& seq. Roboratur.* 171. *& seqq. Ponitur, explicatur, & probatur secunda.* 176. *Ponitur tertia.* 177. *& seq. Ponitur quarta.* 179. *Vindicatur.* 180. *& seqq. Sublimitatur, & suadetur praxis contraria.*

§. I.

Passimne quis in causa propria Jurisdictionem administrare?

OBjectum Jurisdictionis in genere est causa 149
quælibet ex *n.18.* Objectum Jurisdictionis cu-
juscunque in specie in specialibus infrà titulis assig-
nabitur. Qualemcunque autem Jurisdictionem quis 150
acceperit, non debet eandem in causa propria, ex qua
videlicet directè vel indirectè emolumentum sperat,
aut detrimentum metuit, administrare. Ita rubrica
& nigrum in *l.un. Cod. Ne quis in sua causa judicet,*
vel jus dicat: ibi: *generali Lege decernimus, neminem*
sibi esse Judicē, vel jus sibi dicere debere. Concordant 151
textus plurimi in *l. qui Jurisdictioni 10. ff. h. t.l. ex-*
tat 13.ff. Quod metus causa l.si de re sua 51.ff.de Re-
cept.qui arbitrium &c.l. Julianus 17.ff.de Judic.l.hoc
interdictum 1.§.1.ff. Quod Legatorum l.creditores 7.
ff ad L. Jul. de Vi priv. prope fin. Accedit ratio: 152
quia, qui Jurisdictioni præest, exuit personam priva-
tam, & efficitur persona publica, non tam proprio
quàm communi commodo procurando obstricta.
Ergo à causa propria abstineat, oportet: quia ob
nimium amorem, quô se ipsum & sua quilibet depe-
rit, magis privatum, quàm publicum; jus proprium
ardentius quàm commune inspicere, quærere, & ex-
plicare; nec Judicem magis, quam partem agare
præsumitur.
Nec refert I. an causa propria statim ab initio ju- 153
dicii vertatur, vel, pendente judiciô, superveniat,
fortè quòd judex in hæreditate unius ex litigantibus
successerit. In utraque enim hypothesi textus in
cit.l. Julianus 17.ff.de Judic.& æquitatis ratio can-
dem sententiam suadent. Obrecht de *Jurisdict.lib.*
3. cap.9. n. 8.
Nec refert II. an quis ipsemet in causa propria 154
velit judicare; an verò Judicem delegatum aut da-
tum constituere. Est quippe ex una parte prohibi-
tum, potestatem, quâ quis ipsemet caret, alteri com-
municare per *l. observare autem 4. §. ult. ff. de Offic.*
Proconsul. quin & Judicem aliquē nominatim petere
in *l.observandum 47.ff.de Judic.* vetitum est: ex al- 155
tera verò parte, & qui jus alienô dicit nomine, pro-
priò nomine censetur dicere *l. solet prætor 16.ff.h.t.*
& periculum est, ne ad captandam Judicia delegantis
gratiam & favorem Judea delegatus aut datus non
ad normam Legum, sed effectûs privati dictamen
sententiam concipiat. Bartolus, Rolandus à Valle,
Maranta, Obrecht *cit.cap.9.n.9.& seqq.*
Nec refert III. an pars adversa, qua cum Judici 156
lis est, consenserit in Judicem, nec ne. Nam tralati-
tium est, Jura publica pactis privatorū immutari non
posse *l.Jus publicum 38.ff.de pact.l.pacta quæ contra*
6.Cod. eod.l. nec ex prætoria 27.ff. de R. J. Atqui,
quòd nemo Judicem agere queat in causa propria,
Jure publicô constitutum est, ut judicia majori cum
decore, sinceritate, & veritate instituantur. Er-
go &c. Obrecht *cit.cap. 4. n. 20.& seqq.* Braun de
Magistr.

257 *Magistr.cit.cap.* 6.§.*un.* n.4. Unde, quod aliàs dici
solet, quemlibet suo favori renuntiare posse ex *l.pen.*
Cod.de Pact. ac volenti & consentienti non fieri inju-
riam *l.nemo videtur* 145.*ff.de R.J.* malè huc applica-
tur: quia, ut dictum, Jure publicô, ad integritatem &
perfectionem judicii, constitutum est, ne quis in sua
158 causa judicet, vel jus dicat. Quin tamen sententia
valeat, in causa propria à Judice pronuntiata, si pars
adversa consenserit, & non excéperit, dubitare non
sinunt dicta in *n.* 147. ubi responsum est, valere
sententiam, à patre in causa filii pronuntiatam.

§. II.

Possitne statutô vel consuetudine introduci, ut liceat in causa propria judicare?

159 Ita sentiunt Gail *lib.* 2. *observat.* 2. *n.* 18. Alexan-
der *consil.* 3. Godd. *consil.* 10.*n.*11. Mathias Stephani
de *Jurisdict. lib.* 2. *cap.* 34. quos refert Obrecht *cit.*
l. n. 26. ex triplici ratione. I. est: quia consuetudo
vel statutum habet vim abrogandi Legem positi-
vam, ut nemo non fatetur. Atqui, quòd judicare
non liceat in causa propria, Jure positivô introdu-
160 ctum est. Ergo &c. II. quia consuetudo potest
tribuere Jurisdictionem in causa aliena ex *cap. dile-*
161 *cti* 4. *de Arbitris.* Ergo etiam in causa propria. III.
quia Jure positivô, ut dicetur posteà, Principi non
est prohibitum ne judicet in causa propria. Ergo fie-
ri poterit, ut neque alii ejusmodi prohibitio obstet.
162 Diversæ, & verioris sententiæ sunt Rebuffus, Za-
sius, Donellus, Ziegler, quos citant, & sequuntur Ob-
recht *d.l.n.*23.*&* 27. Brunnem. ad *l.un. Cod. Ne quis*
*in sua n.*14. *& seqq.* Braun *d.*§.*un. n.*7. Ratio punc-
tualis est: quia consuetudo qualiscunque debet esse
rationabilis. At consuetudo, quâ quia Judex in pro-
pria causa constituitur, non est rationabilis: præter-
163 quàm enim quòd infinitis suspicionibus & querelis
ansam præbeat ex parte illorum, qui Judicem par-
tialem contra se agnoscere tenentur; insuper & ip-
se Judex proximo peccandi periculo exponitur: ut-
pote cùm bonorum temporalium cupiditas, & inordi-
natus sui ipsius amor, aut oculos Judicis obcæcare
soleat, ut, quæ Juris & justitiæ sunt, non videat; aut
inflectere voluntatem, ut, quam in partem Jura in-
clinent, videre non velit. Ergo &c.
164 Ad primam rationem prioris sententiæ responderi
potest I. negandô minorem: quia quòd nemo sibi jus
dicere valeat, non tam Positiva quam Naturalis Lex
vetat. Dictat nempe sana ratio, ut persona aliqua au-
thoritate publicâ constituatur, quæ, sepositô partium
studiô, nullô personarum habitô respectu, Jus legi-
165 timè ordinatum actori & reo dicat. Deinde respon-
deri potest, nec Positivô Jure tolerari consuetudines,
quæ bonis moribus adversantur, aut patulam sceleri-
bus januam recludunt, uti *citat. loc.* conclusimus.
166 Ad II. Resp. consuetudinem tribuere posse facul-
tatem judicandi in causa aliena: quia, ut aliquis in
aliena causa judicet, nec Naturale, nec Positivum Jus,
per se & ex natura judicii, interdicit. Interdicit autẽ
Jus utrumque per se & ex natura judicii, processum
privatum, quô aliquis simul pars & Judex est. Ergo
à concessione unius ad concessionem alterius mala
est consequentia.
167 Ad III. Responsio & exceptio dabitur in §. *se-*
quent.

§. III.

Sintne casus, in quibus judicium in propria causa sit licitum?

168 Assignantur casus nonnulli, in quibus prohibitum
non creditur, sibimet jus dicere. Primus est: quan-
do dubium occurrit de ipsa Jurisdictionis compe-
tentia: *Prætoris enim est, æstimare, an sua sit Juris-*
dictio, ait JCtus in *l. si quis ex aliena* 5. *ff. de Judic.*
& ibi Brunnem.
Et licèt cum aliis Obrecht *cit.loc.n.*16. existimet, 169
Prætorem hic non tam de propria quam publica
causa Judicem agere, quatenus Reipublicæ inter-
est, sacram salvámque Magistratus authoritatem
conservari. Id tamen de sola Jurisdictione per- 170
sonali verificari; minimè verò de patrimoniali,
quæ privato Judicis compendio in aliquibus pro-
desse consuevit, rectè advertit D. Braun *cit.* §. *un.*
n. 11.
Secundus casus est: quando in ipsum Prætorem 172
injuria quædam à litigantibus in jure vel judicio
committitur per *l. un.in pr.ff. Si quis jus dicenti &c.*
Struv. *eôd. tit. th.* 35. Miller *ibid.* Lauterb. *eôd.tit.*
§. 2. *& seqq.* Sed hoc ita accipiendum, si injuria 172
redundet in Magistratum quà talem, quia nempe Ju-
risdictio contemnitur, aut jus dicenti non obtem-
peratur: tunc enim verum est, quod dicit Ulpianus
in *cit. l. un.in pr. omnibus Magistratibus* (exceptis
Duumviris (*secundùm jus potestatis suæ concessum es-*
se, Jurisdictionem suam defendere pœnali judiciô:
quod ipsum in *l. si quis* 7. *& seqq. ff. h.t.* indicatur.
Quòd si verò injuria Magistratui, quatenùs est per- 173
sona privata, irrogetur, fortè quia in rixa & jurgio
privato conviciis & calumniis impetitur, jam non
ipse Magistratus, sed illius Superior judicare pote-
rit. Ratio disparitatis est: quia, qui Jurisdictionem 174
obtinet, indiget remediis, quibus Jurisdictionem
ipsemet tueri possit: alioquin facilè spernitur im-
perantis authoritas, si vindictam, quâ coërceat re-
fractarios, exercere prohibeatur. Ergo Magistratus
pro injuria, intuitu Magistratûs, Jurisdictionis, vel
officii illatâ, rectè jus dicit, non tam jure Jurisdictio-
nis, quàm defensionis, aut executionis, à Lege
concessæ. At verò necessitas ulla non apparet, ut 175
Judex, quà privatus est, injuriam privatam au-
thoritativè vindicet, ne æquior sibi, & iniquior
adversario in judicando existat. Aliter rem ex-
plicat D. Braun *cit. loc. num.* 12. quem, si vacat,
lege.
Tertius casus est causa voluntariæ Jurisdictio- 176
nis, in qua, si cognitionem non desideret, rectè
suam interponit authoritatem Magistratus, etsi de
proprio favore agatur: cùm neque damnum neque
commodum tertii discrimen exinde patiatur. Tex-
tus infra in *c.* 7. adducentur. Videri possunt in-
tereà Panorm. in *cap.* 3. *de Probat. n.* 11. *& seq.* P.
König ad *tit. de Offic. Judic. Ord. n.* 30. Braun
d. l. n. 13.
Quartus casus est negotium, quod Summum 177
Principem, seu Ecclesiasticum, seu Sæcularem, tan-
git: in hoc siquidem quin ipsemet Princeps jure &
justè judicet, ambigere non permittunt textus in *cap.*
duo sunt 10. *Dist.*96 *cap. Guilisarius* 30. *XXIII.q.*4.
cap.sollicita 6. *de M.& O.cap.cum venissent* 12.*cap.no-*
vit 13. *de Judic.cap.si diligenti* 17. *de Præscript.l.pro-*
ximè 3.*ff.de his, quæ in test.del.l.& hoc Tiberius* 41.*ff.*
de Hæred.instit. Ratio est: vel quia Summus Prin- 178
ceps, ut in proverbio est, non alium recognoscit
Superiorem, quàm DEUM & ensem: vel quia Ju-
risdictio, quam habent Principes & Judices inferio-
res, solos subditos, non etiam Superiorem, respicit: vel
quia præsumptio stat pro Principe, quòd causam
propriam secundùm apices Jurium, quæ in scrinio pe-
ctoris habere censetur *cap. licèt* 1. *de Constit. in* 6.
examinaturus, ac non tam propriô, quàm Consilia-
riorum suorum arbitriô, discussurus sit.
Neque dicas cum Millero ad Struvium sæpe *cit.* 179
exercit. 4. *th.* 56. *n.* 2. Pontificem Romanum teneri

respondere in Concilio Generali. Id enim falsò asseri, probari autem non posse, patescet ex dicendis in *cap. seq.*

180 Solent nihilominùs boni Principes, magis ex benignitate, quàm ex necessitate, vel Collegio Prudentùm, vel arbitris, causas suas proprias committere; quatenùs omnem sequiorem suspicionem à se removeant, ac aliud, quàm jus & æquum postulat, affe-
181 ctare non videantur. Atque hôc sensu refertur in *cap. nos si incompetenter 41. II. q. 7.* Leonem Pontificem Legatis Cæsaris judicium in causa propria detulisse. Eôdem quoque sensu refertur in A. B. *cap. 5. §. 3.* ex antiqua consuetudine judicium in causis Imperatorum Comiti Palatino Rheni compe-
182 tere. Pari sensu refertur, Regi Hispaniæ in conventibus triennalibus, Regi Galliæ in Parlamento; Regi Angliæ à Magistratu, quem Justitiam Magnam vocant; Regi Daniæ ab Universo Regni Senatu jus dici posse. Conferantur Clarissimi in Jure Publ. & Codice Antecessores & Professores D. Hermes in *fascic. cap. 22. n. 9.* D. Braun de *Magistr. cit. cap. 6. §. un. n. 10.*

SECTIO V.

De Effectu Jurisdictionis.

SUMMARIA.

183. *Effectus Jurisdictionis indicatur.* 184. *& seqq. Effectus speciales ex parte subjecti activi recensentur.* 188. *& seqq. Singulariter attingitur obligatio, ut, quod Juris statuit in altero, eôdem & ipse utatur.* 192. *& seq. Notatur actio de albo corrupto.* 193. *Innuitur effectus ex parte subjecti passivi.* 194. *& seq. In petitorio defenditur Jurisdictio actione confessoriâ vel negatoriâ.* 196. *& seqq. Edocetur, quid in hujusmodi actione sit probandum.* 199. *& seqq. Agitur de tituli probatione.* 203. *& seqq. Discutitur quæstio de possessione, an liberet ab onere probandi?* 210. *& seqq. Explanatur* l. 8. §. ff. Si Servit. vindic. 213. *& seq. In possessorio defenditur Jurisdictio turbatoris repressione.* 215. *& seqq. Vel interdictô uti possidetis.* 218. *& seq. Vel decretô manutenentiæ.* 220. *& seqq. Vel interdictô unde vi.* 222. *Vel remediô can. redintegranda.* 223. *Vel actione injuriarum.* 224. *& seqq. Adstruuntur ea, quæ in hisce remediis probanda sunt.*

§. I.

Quid operetur Jurisdictio in genere?

183 JUrisdictio duplicem effectum operatur, generalem & specialem. Specialis pro diversis Jurisdictionis speciebus diversus, ac sigillatim in singulis exponendus erit. Generalis vel est proximus, vel remotus. Remotus consistit in actionibus & remediis, quibus Jurisdictio tam in petitorio quàm in possessorio defendi, & conservari potest; de quibus in §. 2. & 3.

184 Proximus spectatur vel ex parte subjecti activi, quod Jurisdictioni præest; vel ex parte subjecti passivi, quod Jurisdictioni subest. Ex parte subjecti activi importat Jurisdictio I. potestatem præcipiendi,
185 vetandi, permittendi, puniendi &c. II. confert honorem, præcedentiam, ac, si Ordinaria sit, juxta multos, quos refert Paurmeister *lib. 1. cap. 29.*
186 *num. 28.* nobilitatem. III. parit aliquam utilitatem, & tribuit facultatem percipiendi mulctarum compendia, saltem ob contumaciam, ratione cujus quilibet hodie Judex contumacibus potest imponere mulctam pecuniariam, ac sibi applicare. Stryck in
usu mod. ad tit. ff. si quis jus dicenti &c. §. 1. IV. 187
imponit gravem obligationem, ut cujusvis sortis & conditionis hominibus, plebeis æquè ac magnatibus, pauperibus perinde ac divitibus, secundum merita causæ, dictamen justitiæ, & lateram æquitatis,
jus tribuatur, dicatur, reddatùrque. V. ex ea- 188
dem obligatione resultat alia, tam in Legibus Naturalibus, quàm Positivis fundata, ut, quod quisque Juris in alterum statuit (idem est, si impetret à statuente) eôdem & ipse utatur juxta rubricam & *l. hoc edictum 1. §. 1. ff. Quod quisque Juris in alterum*
statuit, ut ipse eôdem Jure utatur. Unde, si Magistra- 189
tus, coram quo Titius v. g. 100. petit à Sempronio, quos ille se mutuos accepisse fatetur in chirographo, judicialiter exhibito, eidem Titio nihilominus probationem mutui injungat; potest Titius contra Magistratum, vel Sempronium, simile vel aliud debitum coram suo Judice vi chirographi, suâ manu subscripti, petentem, excipere, ac petere, ut ipsi ulterior mutui probatio injungatur per citatum titulum & principium: *quod quisque Juris &c.* Schacher in *Collegio pract. ad cit. tit.* Miller ad Struv. *exercit. 4.*
th. 84. lit. a. Imò, si una provincia vel civitas pro- 190
hibeat, ne hæreditates ex toto vel ex parte in aliam civitatem aut provinciam transferantur; hæc adversùs illam utitur jure retorsionis, & in simili casu translationem hæreditatis negat. Struv. *cit. th.* Miller *d. l.* Stryck in *usu mod. ad cit. tit. §. 2. & seqq.*

Ex parte subjecti passivi Jurisdictio producit ob- 191
ligationem parendi mandato & præcepto jus dicentis; eumque, qui obtemperare recusat, reddit obnoxium pœnæ per textum in *l. un. in pr. ff. d. t. Si quis jus dicenti non obtemperaverit:* ibi: *omnibus Magistratibus* (exceptis Duumviris) *permissum est, Jurisdictionem suam defendere pœnali Judiciô.* Conferatur Struv.
d. exercit. th. 86. & Miller *ibid.* Quòd si quis eô 192
temeritatis fuerit prolapsus, ut, quæ juris dicendi, seu perpetuæ Jurisdictionis causâ, in albo Prætoris, seu dealbata tabula, vel (hodie saltem) in quolibet edicto seu programmate publico vel concepta vel publicata sunt, dolô malô corrumpere sustineat, actione de albo corrupto ad 500. aureos à quocunque de populo intra annum conveniri potest *l. si*
quis 7. in pr. ff. h. t. & ibi Interpretes. Alia Magistratûs 193
decreta vel jussa, quibus non in perpetuum, sed ad tempus, aut unâ vel alterâ vice quidpiam præcipitur aut prohibetur, si quis corruperit, non quidem hâc actione, sed arbitrariâ, noxæque correspondente pœnâ coërcetur *arg. l. de his 1. §. 1. in fin. ff. de Effractorib.* & ibi Brunnem. *n. 3.* Clariss. D. Franz ad *tit. Instit. de Act. p. 14. sect. 1. n. 6.*

§. II.

Quibus remediis Jurisdictio defendatur in petitorio?

Quando aliquis Jurisdictionem quoad illius pro- 194
prietatem seu dominium vel quasi in petitorio defendere intendit, duplex remedium habet, actionem confessoriam & negatoriam. Vel enim, negante, impediente, aut prohibente aliô, asserit sibi Jurisdictionem in loco aliquo competere; vel, aliô Jurisdictionem sibi injustè arrogante, negat, Jurisdictionem illi concessam. Primô casu instituit ac-
tionem *confessoriam*; alterô *negatoriam.* Hæ siqui- 195
dem actiones, licèt *directè* pro servitutum quasi-vindicatione sint proditæ, possunt tamen ex communissima & receptissima sententia pro aliorum quoque jurium

jorium corporalium assertione vel defensione militer
usurpari. Wesenbec. ad *tit. ff. h. t.* Bocerus de *Jurisdiction. cap. 10. n. 8.* Schneidevvin. ad §. *æquè* 2. *Inst.*
de action. n. 10. Samuel Stryck de *action. forens. sect.*
2. *membr.* 4. §. 5. Lauterbach *ff. h. t.* §. 49. Miller ad
Struv. *cit. exercit.* 4. *th.* 82.

Quæres autem I. quid ab actore, confessoriam
196 aut negatoriam movente, probandum sit?

Resp. I. in actione confessoria allegandum, &
probandum esse titulum, seu unum ex modis, qui-
bus Jurisdictio acquiritur. Ratio est: tum quia qui-
197 libet fundamentum intentionis suæ probare tenetur
l. ei 2. *l. in exceptionibus* 19. *in pr. ff. de Probat.* tum
quia, qui jus in alieno prætendit, illius legitimam cō-
stitutionem demonstrare debet *arg. l. si in ædibus* 9.
& *l. si tibi* 10. *Cod. de Servitut.* tum quia Jurisdictio est
qualitas aliqua, non a natura insita, sed ab extrinseco
& per accidens acquisita; ideóque ab allegante pro-
banda. Miller ad Struv. *cit. th.* 82. Stryck *cit. membr.*
4. §. 2. Quâ verò ratione probatio Jurisdictionis fieri
debeat, tradit Wesenbec. *consil.* 181. à *n.* 12. & *consil.*
198 239. à *n.* 18.

Resp. II. in actione negatoria probandam esse ex
parte actoris præsumptivè proprietatem vel quasi-
territorii aut districtûs; ex parte rei conventi mole-
stationem, turbationem, aut prætensionem Jurisdi-
ctionis incompetentis. Ratio desumitur ex *l. sicut au-*
tem 8. §. 3. *ff. si Servitus vindic.* ubi, quod de servitu-
tibus est constitutum, ex paritate rationis ad alia ju-
ra incorporalia extenditur.

199 Quæres II. an is, qui actionem confessoriam
instituit, teneatur probare titulum Jurisdictionis,
quando est in quasi-possessione Jurisdictionis? Ne-
gat Lauterbach ad *cit. tit. ff. si Servit. vindic.* §. 4. ac
duplicem pro se textum allegat, scilicet *cit. l. sicut au-*
tem 8. §. 3. *ff. eod. tit.* & *l. si priusquam* 15. *ff. de N O.N.*
Ratio esse potest: quia, qui possidet, ab onere pro-
200 bandi liberatur. Sed probabiliùs affirmant Struv.
Exercit. ad pand. 13. *th.* 44. Miller *ibid. lit. a.* Stryck
cit. loc. §. 2. ex ratione, mox danda: quia, sicut fun-
dus præsumitur esse liber, ac immunis à servitute;
ita & locus proprius ab alterius Jurisdictione exem-
ptus.

201 Nec reclamant textus oppositi. Primus quippe in
proxima quæstione ex *n.* 210. & *seqq.* solutionem re-
202 cipiet. Alter verò secundùm communem DD. ex-
plicationem, quam pandit Brunnem. in *Comment.*
ibid. longè alium casum decidit: nimirum in confes-
soria vel negatoria actione, si reus sit contumax,
officiō Judicis eum cogendum esse ad cautionem, se
nihil innovaturum, donec de jure suo docuerit, &
actoris partes sustinuerit. Quâ explicatione suppo-
sitâ, non perspicio, quale argumentum pro opinione
Lauterbachii formari possit.

203 Quæres III. an, si quis actionem negatoriam in-
stituat, ac adversarius in quasi-possessione Jurisdic-
tionis existat, probare debeat, territorium suum, seu
locum à prætensa Jurisdictione liberum esse?

Quæstionem hanc gravissimè controversam esse,
constat ex iis, quæ de actione negatoria in simili de
servitutibus scribit Stryck *cit. l.* §. 4. Nec sinè ra-
204 tione. Pro actore siquidem, quòd ab onere proban-
di sit exemptus, stant Pacianus de *probat. lib.* 2. *cap.*
20. *n.* 8. Richter *decis.* 98. *n.* 63. Brunnem. ad *l. si*
in ædibus 9. *Cod. de Servitut.* Miller ad Struv. *cit.*
exercit. 13. *th.* 50. Stryck *cit.* §. 4. dicens: hanc sen-
tentiam ob authoritatem Glossæ in *d. l. sicut* 8. in fo-
205 ro applausum meruisse. Ratio est: quia, sicut jux-
ta Authores citatos præsumptio, quæ favet libertati
contra servitutem, est fortior illâ, quæ favet posses-
sioni vel quasi contra libertatem: eò quòd libertas
habeat causam naturalem, servitus autem causam
impositititiam & adventitiam, quæ, cùm facti, non

Juris sit, non obstante possessione vel quasi probari
debet: ita præsumptio libertatis contra Jurisdictio-
nem est fortior præsumptione possessionis Jurisdi-
ctionis contra libertatem: nam & Jurisdictio, si in alie-
no usurpetur, speciem servitutis præ se fert.

Contra actorem pro reo, quòd ille, non iste, 206
munere probandi libertatem distringatur, militant
Antonius Faber ad *tit. Cod. de Servitut. def.* 8. Alcia-
tus, & plures alii, quos laudat, & probat Menoch.
lib. 3. *præsumpt.* 81. *n.* 8. & *seqq.* Quibus succurrit tex-
tus in *cit. l. sicut* 8. §. 3. *ff. si Servit. vindic.* ubi Ulpianus,
ostensurus, quisnam in materia servitutum petitoris
aut possessoris vices sustineat, ait: *possessoris partes*
sustinere, siquidem tigna immissa sint, eum, qui servitu-
tem sibi deberi ait: si verò non sint immissa, eum, qui ne-
gat. Jam verò petitorem ad probandi munus obliga-
tum, possessorem econtrà exemptum esse, constat ex
l. circa eum 14 *ff. de Probat.* & *l. ult. Cod. de R. V.*

Inter has discordes opiniones priorem annō 1709. 207
elegit nostra Facultas Juridica, quando in causa
Juris Territorialis & Collectarum, acriter inter In-
clytam Carthusiam Buxhaimensem, tanquàm actri-
cem, ex una, & Imperialem Civitatem Ulmensem, ve-
lut ream, ex altera parte, controversâ, referente
Clariss. D. Collegâ de Wolleren in Responso typis
eōd. annō impresso *pag.* 53. 61. & 62. tenuit, in actio-
ne negatoria, quâ Carthusia negat, Jus Territoriale
& Collectarum, ab Ulmensibus in pago *Fimmingen* huc
usque prætensum, illis competere, libertatem à
Collectis & Jure Territoriali probari non debere,
tametsi Civitas Ulmensis in possessione vel quasi con-
stituta foret. In confirmationem hujus resolutionis 208
faciunt duo famosissimi Authores practici, Mascar-
dus de *probat. Vol.* 3. *conclus.* 1299. *n.* 3. ipseque Meno-
chius *lib.* 1. *consil.* 75. *n.* 4. in eodem Responso addu-
cti. Robur superaddit ratio non contemnenda: quia 209
actio negatoria non continet exemptionem à Jure
Collectarum & Jurisdictionis Territorialis privativè,
sed est mera utriusque juris negatio: at meræ ne-
gationis nulla præcisè neganti, sed soli contrarium
positivè affirmanti incumbit probatio per *cap. bonæ*
23. *de Elect.* & *l. actor* 23. *Cod. de Probat.*

Ne tamen fundamentum sententiæ posterioris 210
dissimulare videar, ad oppositam *l. sicut* 8. Resp. I.
Gothofred in *not. ibid. lit. b.* mentem Ulpiani non fuis-
se aliam, quàm ut declararet, in actione negatoria &
confessoria unā eandemque personam subinde reperi-
ri, quæ possessoris & petitoris officia simul subeat: si
enim is, qui erat in quasi-possessione tigni immitten-
di, intentet actionem confessoriam, asserendō, ser-
vitutem tigni immittendi sibi deberi, utique agit, &
petit, licèt possideat; Aliter longè atque in rei vin- 211
dicatione, in qua is, qui rei possessionem actualiter
& corporaliter tenet, frustra eam vindicare nititur:
quia, ut loquitur Imperator in §. *retinendæ* 4. *Inst. de*
Interd. & *civilis ratio facit, ut alius possideat, & alius*
à possidente petat. Hæcque est specialitatis ratio, ob
quam *cit. l. sicut* fuit proposita.

Resp. II. si, datō non concessō, Ulpianus decide- 212
re voluisset, quasi possessionem in servitutibus pos-
sidentem relevare à probatione, eam decisionem non
de quacunque possessione, sed longō tempore con-
tinuatâ, exaudiendam esse, conformiter *l. si quis* 10. *in*
pr. ff. si servit. ubi idem Ulpianus decernit, ei, qui diu-
turnō tempore & longâ quasi possessione aquam du-
xit, non esse necesse *docere de jure, quô aqua constitu-*
ta est, veluti ex legate vel alio modo: quoniam lapsus
tanti temporis est locō tituli per textum ejusdem
Ulpiani in *l. si cui* 1. §. *ult. ff. de Aqua & aqua pluv.*
arcenda.

§. III.

Quibûs remediis Jurisdictio defendatur in possessorio?

213 Quando Jorisdictio, antecedenter jam habita, & quasi-possessa, ab alio infestatur, aut impetitur; multùm interest, an solum illius exercitium & usus turbetur, vel molestetur; an verò is, qui in possessione erat, planè dejiciatur, & spolietur Jurisdictione? Priore casu duplex remedium suppetit. Primum est jus & facultas repellendi ac reprimendi turbatorem; alterum est interdictum uti possidetis.
214 Primum remedium præscribunt Wesenbec. *cons.* 33. *num.* 1. *& seqq.* Menoch. *cons.* 230. *num.* 84. *& seq.* Bocer. de *Jurisdict. cap.* 20. *n.* 6. Obrecht de *Jurisdict. lib.* 3. *c.* 25. *n.* 9. Illustriss. D. Friderius L.B. ab Aodlern *Jurisprud. publ. lib.* 2. *tit.* 5. n. 28. & colligitur ex *cap. olim causam* 12. *de Restitut. spoliat. l. ut vim* 3. *ff. de J. & J. l. prætor ait* 1. §. 27. *l. quod est* 3. §. 9. *ff. de Vi & vi armata l. rectè* 1. *Cod. Unde vi*, in quibus locis habetur, vim vi repellere, ac violentiam violantiâ reprimere, omni Jure licitum esse.

215 Alterum remedium, etsi è medio tollant non pauci cum Bocero *cit. l. n.* 2. Obrecht *d. cap.* 25. *n.* 11. Paurmeister de *Jurisd. cap.* 29. *n.* 10. *& seqq.* exi-
216 stimantes, nec possessionem Jurisdictionis, nec consequenter interdictum uti possidetis, utpote pro defensione possessionis conceptum, Juri Romano probari per textum in *l. ait prætor* 1. §. 1. & 8. *ff. Uti possidetis.* Horum tamen opinio, & textus, in quo fundatur, tantummodò procedit de interdicto directo, non autem de interdicto utili, utpote quô quasi-possessionem jurium incorporalium defendi posse, non solùm textus Canonicus in *cap. licèt causam* 9. *de Pro-*
217 *bat. circa fin.* sed etiam textus Civilis in *l. sicut* 8. §. 5. *v. sed & interdictum uti possideris ff. si Servit. vindic.* clarissimè demonstrat: docentque *cit.* D. ab Andlern *d. n.* 28. Lauterbach. *h.* 1. §. 49. Stryck de *action. forens. sect.* 2. *membr.* 2. §. 10. & 14 & ipsi Authores contrarii hoc remedium saltem de consuetudine hodierna approbatum fatentur.

218 Cum eodem interdicto convenit decretum *manutenentiæ*, quô Judex competenti eum, qui in quasi-possessione Jurisdictionis est, contra turbatores mandatis pœnalibus manutenet; & decretum *inhibitionis*, quô turbatores Jurisdictionis ab ulte-
219 riori molestia & turbatione prohibentur. Differt tamen *interdictum uti possidetis à decreto manutenentiæ & inhibitionis*, quòd in illo processui ordinario aut summario; in isto summarissimo seu momentaneo possessorio sit locus, ac Judex, ad desiderium supplicantis, præmittat monitorium, & adversario injungat, ne supplicantem ulteriùs gravet, vel causas sui juris intra præfixum terminum Judici in scriptis significet; quô factô, si citatus non compareat, aut causam nonfactæ paritionis non doceat, inhibitio confirmatur, eôque ipsô in mulctam inhibitioni insertam incidit; supplicans verò in sua possessione confirmatur, & tamdiu defenditur, donec adversarius in possessorio ordinario vel petitorio aliud evicerit. Stryck *membr.* 2. §. 11. *& seq.*

220 Posteriore casu, quando videlicèt aliquis dejectus est de quasi-possessione suæ Jurisdictionis, competit I. *utile interdictum unde vi arg. cap. sollicitè* 2. *cap. in literis* 5. *cap. conquerente* 7. *cap. ex transmissa* 8. *cap. olim inter* 17. *de Restit. spoliat. l. quod est* 3. §. 13. 15. *& seqq. ff. de Vi & vi arm.* Stryck *cit. l.* §. 19. Et licèt Bocerus *num.* 3. Obrecht *num.* 50. Paurmeister *num.* 16. *& seqq. ubi supra* de sola consuetudine, non etiam de jure Romano, hoc interdictum respectu Jurisdictionis proditum esse, velint *arg. l. prætor ait.* 1. §. 3. *& seqq. ff. d. t.* ubi ad solas res soli idem interdictum restringitur; nil tamen efficiunt; quia textus in *n. priori* contrarium evidenter ostendunt; ac textus in *cit. l. prætor ait* de interdicto directo, non etiam utili, loquuntur.

II. datur remedium redintegrandæ possessio- 221
nis ex *can. redintegranda* 3. *III. q.* 1. uti & condictio *ex cap. sæpe contingit* 18. *de Restit. spol.* quæ tamen remedia cum priori ferè coincidunt, nisi quòd contra tertium possessorem, si violentæ dejectionis habeat notitiam, æquè ac contra dejectorem moveri possint. Bocerus *d. l. num.* 4. Classman de *Jurisdict. cap.* 4. *th.* 98. *lit. g.* Stryck *cit. membr.* 2. §. 20.

III. datur actio injuriarum *arg. l. injuriarum* 13. 222
§. *ult. ff. de Injur.* quia, qui alterum prohibet, jure suô volentem uti, injuriam facit. Wesenbec. *consil.* 96. *n.* 6. Bocerus *d. cap.* 10. *n.* 5. Obrecht *d. cap.* 25. 223
n. 46. qui tamen in *n.* 47. consultiùs censet, si hæc actio potiùs omittatur, quàm instituatur: eò quòd requirat probationem dolosæ turbationis, quæ tam expedita & secura non est, uti probatio simplicis turbationis.

Quæres: quid probare teneatur, qui *interdictum* 224
utile uti possidetis; aut *utile interdictum unde vi* intentat?

Resp. I. in interdicto *uti possidetis* tria probanda 225
esse: ex parte rei turbationem seu molestationem; ex parte actoris possessionem & titulum. Ratio prioris est: quia turbatio est fundamentum intentionis, ob quam interdictum uti possidetis movetur. Ratio posterioris est: partim quia possessio est facti; sicque probanda, non præsumenda: partim quia Jurisdictio & Regalia, cùm resistentiam Juris contra se habeant, titulum pro coloranda & justificanda possessione desiderant *arg. l. inde etiam* 3. §. 13. *ff. de Itin. actuque priv. l. ait Prætor* 1. §. *ult. ff. de Aqua quotid. & æstiv. cap. Episcopum* 1. *de Præscript. in* 6. Menoch. 3. *Remed. retin. n.* 590. Mascardus *de Probat. conclus.* 1371. *n.* 76. Moribûs tamen & consue- 226
tudine Germaniæ titulum non esse probandum, relatis aliis, & allegatô præjudiciô Cameræ perhibet Obrecht *cit. cap.* 25. *n.* 45. fortassis, quia ex eo tempore, quô Jurisdictio facta est patrimonialis, atque ad quoscunque successores transitoria, Jus consuetudinarium non tam resistit, quàm assistit Jurisdictioni: quod in dubio relinquo.

Resp. II. in remedio recuperandæ possessionis, 227
seu interdicto *unde vi* duo probanda esse: possessionem ex parte actoris, quòd illa adfuerit tempore dejectionis; & violentiam dejectionem ex parte rei *arg. l. prætor ait* 1. *in pr. & §.* 23. *ff. de Vi & vi arm.* Obrecht *ubi supra n.* 51. *& seq.*

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Imperium differt à Jurisdidione in genere.* 2. *& seqq. Adstruuntur textus contrarii.* 5. *& seqq. Conciliantur cum nostra sententia.* 8. *& seqq. Pluribûs ostenditur, imperium merum esse veram speciem Jurisdictionis.* 12. *& seq. Diluecidatur argumentum contrarium.* 14. *Jurisdictio Ecclesiastica est itidem vera species Jurisdictionis.* 15. *& seqq. Longiùs exponitur, qua ex causa nos Catholici nominemur Papistæ vel Pontificii.*

QUÆSTIO

QUÆSTIO I.

An Jurisdictio distinguatur ab Imperio?

1 JUrisdictionem in *hoc cap. à num.* 52. distinxi in Jurisdictionem in specie seu simplicem, & Imperium; sicque indicavi, Imperium à Jurisdictione in communi accepta distingui tanquam specie à genere; simulque indigitavi, Imperium à Jurisdictione simplici differre tanquam speciem à specie.

2 Unum è contrà idemque esse Imperium & Jurisdictionem, eruditè ostendit D. Gerardus Noodt de *Jurisdict. & Imper. lib.* 1. *cap.* 2. Nam, ubi Jurisconsultus Ulpianus in *l. imperium* 3. *ff. h. t.* describit imperium mixtum, illud esse dicit, *cui etiam Jurisdictio inest*; id est, quod aliàs etiam Jurisdictio appellatur. Quod ipse Julianus satis
3 confirmat tum in *l. Juris Gentium* 7. §. 14. *ff. de Pact.* ibi: *si paciscar, ne operis novi nunciationem consequar, quosdam putare, non valere pactum, quasi in ea re Prætoris imperium versetur*; id est, Prætoris Jurisdictio, prout elucescit ex *l. hoc edicto* 1. §. 9. *ff. de N. O. N.* tum *l. ille à quo* 13. §. 4. *ff. ad Senatusconsult. Trebellian.* ibi: *Prætorem in Prætorem, vel Consulem in Consulem, nullum imperium habere; sed, si Jurisdictioni subjiciunt, Prætorem in eos jus dicere.* Ulpiano con-
4 sonant Paulus in *l. cùm prætor.* 12. §. 1. *ff. de Judic.* ibi: *eum, cui mandata est Jurisdictio, judicem dare posse, ut sunt Legati Proconsulum; item hos, quibus id more concessum est propter vim imperii, sicut Præfectus Urbi*; item Gajus in *l. generalis* 2. *ff. de Adoption.* ibi: *generalem adoptionem duobus modis fieri, aut Principis auctoritate, aut Magistratûs imperio*; id est, Jurisdictione voluntaria, uti appellatur in *l. omnes* 2. *ff. de Offic. Procons.*

5 Hæc tamen & alia, quæ Vir insignis profert, sententiæ meæ haud adversantur: nam & ipse in *n.* 18. adnotavi, imperium non rarò in textibus Juris pro Jurisdictione poni; nempe si, ut anteà monui, Jurisdictio capiatur in genere, cujus genuina species est imperium, seu mixtum, seu merum.
6 Alioquin, quòd frequenter jurisdictionis nomine intelligatur simplex, ab imperio discreta, satis innuit *cit. l. imperium* 3. *ff. h. t.* ubi, cùm imperium mixtum definiatur, cui Jurisdictio inest, vix poterit esse sensus identicus, quasi diceret Ulpianus: *Jurisdictio est Jurisdictio*, cùm imperium mixtum à mero separare, & utriusque indolem non per verba sed reipsâ adumbrare voluerit. Id quod magis adhoc patescit ex *l. quæcunque* 1. §. 1. & *l.*
7 *ult. ff. de eo, cui mand. est Jurisdict.* ubi, dum dicitur, mandatâ Jurisdictione imperium, quod Jurisdictioni cohæret, transferri, non potest esse hic sensus: mandatâ Jurisdictione, Jurisdictionem, quæ Jurisdictioni cohæret, transferri; sed potiùs Jurisconsultus ita explicari debet, quòd, si alicui mandetur Jurisdictio in genere, simul etiam mandetur imperium mixtum, quod Jurisdictioni cohæret, seu in quo juxta expositionem nostram, infra in *c.* 9. *à n.* 57. adstructam, facultas cognoscendi & judicandi principaliter consideratur, & jus coërcendi tantùm subsidiariè venit & in consequentiam, quatenùs est necessarium ad tuendam Jurisdictionem contra contumaces.

QUÆSTIO II.

An Merum Imperium sit vera species Jurisdictionis?

Probavi id in *cap. præf. à num.* 69. Probatque 8
insigniter anteà allegatus D. Noodt *lib.* 1. *de Jurisdict. cap.* 4. ac locum Ulpiani in *d. l. imperium* eleganter declarat: cùm hoc imperium, inquiens vocatur merum, mixtoque opponitur, non hanc causam habet, quòd id solum ac nudum Imperium est; quamquam & merum hac significatione sumi, non ignorem, aut negem: sed quia ad ultionem læsæ disciplinæ publicæ respicit, & severitatem Judicis ac vim requirunt, & ob id vehementius & insignius habetur, ut solent, quæ nullâ admixtione aut corrupta, aut attemperata sunt. Eô sensu *merum* 9
latinè scientibus usurpari, etiam Obertus Gifanius observat, *Indice ad Lucretium*; Justinianus quoque in *l. si major* 12. *Cod. de Legit. hæred.* hoc sensu, *omne*, ait, *jus quod ex quacumque lege liberis præstitum est, hoc merum atque immutilatum hujusmodi filiis vel filiabus servari.* Contra id imperium 10
quod *mixtum* est, non idcircò sic appellatur, quia cognitioni miscetur, sed quia lentius est, aut non tam vehemens, quàm merum imperium: neque ad vindicandam Reipublicæ Majestatem; sed ad regendam privatorum utilitatem videtur. Et facit priori 11
sententiæ, quod Pomponius in *l. necessarium* 2. §. 18. *ff. de O. J.* & Arcadius Charisius in *l. un. ff. de Offic. Præfecti-Prætor.* capitis animadversionem eadem ratione summam & majorem potestatem vocant.

At enim, pergit *cit.* Author, merum im- 12
perium dicitur gladii potestas ad animadvertendum, dicitur & coërcitio, & animadversio. Memini: sed id non obstat, neque magis cognitionem ab imperio mero excludit, quàm lex, cum lex Magistratui cognitionem aut Jurisdictionem indulget, ab ea executionem aut motionem separat. Igitur & merum imperium, & animadversio, & coërcitio plenius accipienda sunt, ut animadversionem seu Jurisdictionem integram exhibeant, velut in edicto de injuriis *l. item apud* 15. §. 28. *ff. de Injur.* & *l. hoc edictum* 1. §. 1. junctâ *l. cùm mandata* 24. §. *ult. ff. de Minor.* Quamquàm quid verbis opus est? ubi 13
res apparet, & Ulpianus scribit *l. solent* 6. *in princ. ff. de Offic. Procons. Proconsules solere custodiarum cognitionem mandare legatis, scilicèt ut prææuditas custodias ad se remittant, ut innocentem ipsi liberent, sed hoc genus mandati extraordinarium esse*; & addit, *nec enim posse quem gladii potestatem sibi datam, vel cujus alterius coërcitionis, ad alium transferre.* Unde constat, cognitionem Ulpiano facere partem potestatis gladii, & sub mero imperio comprehendi. Hactenùs Gerardus Noodt, cujus verba proposito nostro sufficiunt.

QUÆSTIO III.

An Jurisdictio Ecclesiastica sit genuina species Jurisdictionis?

Non dubitant circa hoc punctum Catholici; quin & ex Acatholicis contra Huberum in *Addition.* ad ejus *Prælect. Jur. Civil. p.* 2. *ad tit. ff. de Juris. post num.* 13. tradit Thomasius, distinctionem Jurisdictionis Ecclesiasticæ & Sæcularis, etsi origi-

nem debeat Papasui (ita per contemptum loqui solent) tamen & observatum fuisse ante reformationem (satiùs vocâsset deformationem) in tota Europa, & post reformationem etiam in territoriis Protestantium ferè ubique adhuc observari. Probationes ejus distinctionis, si desiderentur, plures occurrent in *seq. cap. 2. & 3.* uti & in *Jurisprud. Publ. Univ. lib. 3. cap. 1. per tot.*

25 Id unicum contra nostros Adversarios, qui cum in
hac Jurisdictionis Ecclesiasticæ materia, tum in aliis
confinibus, nos Catholicos vocant Papistas, no-
stramque Religionem & hierarchiam Papatûs titulô
indigitant, generatim notâsse juvabit, quòd non
multis abhinc annis in simili argumento propriis
& alienis verbis notavit Clariss. P. Philippus Van
Wavre ex Ord. Eremit. S. Aug. in Alma Univer-
sitate Lovaniensi, SS. Theologiæ Licentiatus *de*
Privilegio S. Petri ac Successorum ejus pag. 57. & seq.
26 Sicut, inquiens, non est probrum ovium Christi,
» si ab ipso Capite vocentur Christiani, vel ab Uni-
» versitate Catholici; ita non est probrum, si ab
» ejus universali Vicario Pontifici nominentur:
» utrumque enim non schismatis aut sectæ, sed Ca-
» tholicæ totalitatis & universalitatis, loci, ac tem-
27 » poris argumentum est. Et infra: dubium qui-
» dem non est, quin ex malevolentia Lutherus
» & Lutherani Catholicis indiderint nomina Pa-
» pistarum, Pontificiistarum, Romanistarum, &
» similia: ut nimirum eos probrô aliquô afficere
» viderentur; sed revera illud non est probrum, sed
» decus & encomium. Id quod in Donatistarum
» causa observârat S. Augustinus, cùm diceret *lib.*
» *post collat. cum Donatist. cap 32. qui nostrûm hoc au-*
» *deret optare, ut, quos iniquitas fecerat nostros im-*
pugnatores, æquitas nostros faceret defensores? sicut &
illum Baalam, quem temporibus antiquis ad maledi-
cendum DEI populum conduxit iniquitas, benedicere
28 *compulit veritas.* Non mireris (prosequitur idem
» Author) si Recentiores hæretici Catholicos ho-
» mines Papistas dicant, cùm Ariani eâdem ratione
» Sed Romanos consueverint Catholicos appellare.
» certè nullo sublimiori gloriæ titulo exornare, sed
» nec certiùs eos esse Catholicos demonstrare po-
29 » tuissent, quàm eos nuncupandô Romanos atque
» Papistas. Nam, ut, constat ex Optato *adversus*
» *Parmenianum*, & Cypriano, de *Unitate Ecclesiæ*,
» & aliis tum Latinis tum Græcis Patribus, nullô
» certiori signô quàm ex communione cum Roma-
» no Pontifice, quis sit verus Catholicus, potest
» agnosci. Sint igitur nobis viventibus hæc sem-
» per præconia laudum, & post mortem tituli se-
» pulchrales, ut Romani sic semper dicamur atque
» Papistæ.

Imò verò, replicabis, à Papa nominamur Pa-
20 pistæ; & quid est Papa nisi homo? Respondebit
S. Chrysostomus *homil. 33. in Acta Apostol. quòd nos agnominationem cujusquam sortimur, at non ut ab hæresum Principibus, sed ut ab his, qui præsunt nobis, & gubernant Ecclesiam*; ubi Sanctus Doctor nos distinguit, qui Romani (id est, Pontificii) nominamur, ab aliis, qui ab hæresiarchis nomen accipiant; adeóque concludit, eos, qui Romanam gubernant Ecclesiam, hæresiarchas esse non posse, nec hæreses condere, neque fidei dogmata subruere.

CAPUT II.

De Jurisdictione Summa Ecclesiastica.

Prima ac præcipua Jurisdictionis species est Jurisdictio Summa, quæ penes Ecclesiam residet. Hanc, ceu unicam Juris Ecclesiastici basim, eò ferventiùs propugnare decrevi, quò vehementiùs ab Acatholicis, non Theologis solùm, sed & Juristis ac Politicis, impugnatur. Siquidem, ut probè advertit Clariss. D. P. Paulus Mezger *Theol. Scholast. tr. 10. disp. 14.* in hoc uno novatores concordant, cætera inter se adversissimi, quòd unô ore Supremum & Vicarium Ecclesiæ Caput, cum sua Jurisdictione, expunctum velint; nunquam tutiores se in errore suo futuros rati, ac ubi Controversiarum Judicem & Arbitrum Veritatis aut vellunt, aut evellunt. Unde D. Cyprianus *Epist. 55. ad Cornel. Papam, non aliunde,* inquit, *hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quod Sacerdoti DEI non obtemperatur, nec unus in Ecclesia Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur &c.*

SECTIO I.

De Natura, Existentia, & Origine Jurisdictionis Summæ Ecclesiasticæ.

SUMMARIA.

1. *Jurisdictio Summa Ecclesiastica vocatur aliàs Potestas Clavium.* 2. *Primatus Petri.* 3. *Officium Pastorale.* 4. *Vicariatus Christi.* 5. *Regale Sacerdotium.* 6. *Accipitur dupliciter.* 7. *Primò pro potestate regendi Ecclesiam.* 8. *Secundò pro facultate jus dicendi.* 9. *Utraque potestas est absoluta.* 10. *Illimitata.* 11. *Et ad finem supernaturalem ordinata.* 12. *Datur Jurisdictio Summa Ecclesiastica.* 13. *Prima ratio.* 14. *Evertitur responsio.* 15. *Secunda ratio.* 16. *Ratio tertia.* 17. *Notantur Sectarii.* 18. *Adducitur argumentum Pufendorfii.* 19. *& seq. Pessumdatur.* 25. *Resolutio novis rationibus stabilitur.* 25. *Hac Jurisdictio immediatè descendit à DEO.* 26. *& seqq. Probatur diversimodè.* 31. *Opponitur paritas cum Jurisdictione Politica.* 32. *Redditur disparitas.* 33. *Additur nova instantia de Electione Prælatorum Ecclesiasticarum.* 34. *& seq. Diluitur.*

§. I.

Quid significet Jurisdictio Summa Ecclesiastica?

Jurisdictio Ecclesiastica, quam Summam vocamus, 1
distincta sibi nomina, tum in SS. Literis, tum in scriptis SS. PP. tum in SS. Canonibus vendicat. I. in Evangelio S. Matthæi *cap. 16.* nuncupatur *Potestas Clavium*, utpote facultate, claudendi & reserandi fores beatæ æternitatis, instructa. Quò pertinent textus in *cap. in novo 2. & seq. Dist. 21. cap. quocunque 6. cap. omnibus 20. XXIV. q. 1.*

II.

2 II. dicitur *Primatus Petri*: eò quòd Petro, Apostolorum Principi, in *citato* textu Matthæi primitus collata, ac in successoribus ejus ad moderna usque tempora fuerit continuata. Hucque respiciunt textus in *cap. sic omnes* 2. *cap. enimverò* 4. *Dist.* 19. *cap. omnes.* 1. *& seqq. Dist.* 22. *cap. aliorum* 14. *cap. ipsi sunt* 16. *&* 2. *seqq. IX. q.* 3. *cap. manet* 5. *cap. hæc est* 14. *cap. cùm beatissimus* 16. *cap. loquitur* 18. *d. XXIV. q.* 1.

3 III. nominatur *Officium Pastorale* ex illo Joannis 21. *pasce oves meas*: quia fideles, velut emptæ, ac pretiosô Christi sanguine ex faucibus infernalibus ereptæ oviculæ, ab eo, qui Summâ in Ecclesia Jurisdictione fulget, & pascendi & protegendi sunt. Et huc applicari potest illud 2. *Reg.* 3. ℣. 2. *Tu* (Davidem intellige) *pasces populum meum Israël, & tu eris Dux super Israël.* Item illud *Is.* 44 ℣. *ult. dico Cyrò, pastor meus es &c.* Item *Extrav. unam sanctam de M. & O. inter commun.* ibi: *unum ovile, & unicum esse Pastorem.*

4 IV. appellatur *Vicariatus Christi*: cùm enim non propriô, sed Christi nomine, potestas ligandi atque solvendi Ecclesiæ sit relicta, rectè Vicariatus Christi Summa in Ecclesia potestas audit, juxta textus in *cap. inter corporalia* 2. *cum* 2. *seqq. de Translat. Episcop. cap. novit* 13. *de Judic. cap. per venerabilem* 13. ℣. *is verò. Qui filii sint legit. propè fin.*

5 V. vocatur *Regale Sacerdotium*, non eò duntaxat modô, quò prædicatum istud reliquis etiam Sacerdotibus tribuitur 1. *Petri* 2. sed per excellentiam: quia, sicut Regia potestas Superiorem in suo nescit genere; ita Summa potestas Ecclesiastica altiorem in terra non recognoscit: nam *Summa Sedes*, unanimiter attestantibus Patribus, in causâ Marcelli congregatis, in *cap. nunc autem* 7. *Dist.* 21. *à nemine judicatur.*

§. II.

Quid sit Jurisdictio Summa Ecclesiastica?

6 Summa Jurisdictio, quam variis encomiis in §. *anteced.* exornavimus, dupliciter potest accipi. I. pro potestate regendi Ecclesiam; secundò pro facultate jus dicendi in causis Ecclesiasticis.

7 Priori modô accepta nihil aliud est, quàm absoluta & illimitata potestas, dirigendi actiones fidelium in finem supernaturalem. Atque in hac consideratione nonnulla de Jurisdictione Summa Ecclesiastica delibavimus in *tract. de Jure Legali*, quando Potestatem Legislativam Ecclesiasticam in *cap.* 5. *sect.* 2. ad Juris bilancem appendimus.

8 Posteriori modô accepta Jurisdictio describi potest, quòd sit absoluta & illimitata potestas, jus de causis fidelium dicendi, ad supernaturalem illorum felicitatem. In quo intellectu frequentiùs in præsenti Jurisdictio Ecclesiastica usurpabitur.

9 Dixi in utraque descriptione I. *absoluta.* Non enim ab ullo hominum pendet Ecclesiastica & Suprema Potestas, vel in productione, vel in exercitio, per ea, quæ *cit. cap.* 5. *à n.* 61. conclusa sunt, & paulò post reassumentur.

10 Dixi II. *illimitata.* Quod non ita velim intelligi, quasi Divinæ & Naturalis Legis tramites excedere possit hæc Jurisdictio (hâc namque Lege quilibet homo inferior, superior est nemo) sed quòd limites & fines Legum humanarum, quibus circumscribatur, neutiquàm patiatur *arg.* eorum, quæ *cit. cap.* 5. *à n.* 138. scripta habentur.

11 Dixi III. in *finem & felicitatem supernaturalem.* Hocque intimum & internum discerniculum est, quô Jurisdictio Ecclesiastica à Politica secernitur: cùm illa scopum spiritualis & supernaturalis beatitudinis; ista centrum naturalis ac politicæ felicitatis intendat, attendatque, prout jam supra in *cap.* 1. *n.* 96. subnotatum erat.

§. III.

Daturne Jurisdictio Summa Ecclesiastica?

12 Dari Jurisdictionem Summam in Ecclesia, quæ ad omnes fideles in toto, quà latè excurrit, orbe existentes, porrigatur, de fide est; ac colligitur manifestè ex textibus, tum in §. 1. hic, tum in *cit. cap.* 5. *de Jure Leg. à n.* 61. allegatis. Docentque cum unanimi Catholicorum Petrus Bertrandus *de orig. Jurisdict. q.* 2. *n.* 3. Ludov. Molina *de J. & J. tract.* 2. *disp.* 21. *n.* 2. *& seqq.*

13 Ratio est I. quia in qualibet Republica Politica datur Summa Potestas Politica, quâ subditi, communis subsidii causâ, in unum cœtum coalescentes, & regantur ad finem naturalem; &, si aberraverint, reducantur. Ergo etiam in Republica Ecclesiastica datur Summa Potestas Ecclesiastica, quâ fideles, ad promerendam felicitatem internam in unum congregati, &, qualiter actiones suas instituant, doceantur; &, si à tramite æquitatis deflexerint, corrigantur, corripiantur.

14 Negabis fortè: dari Rempublicam Ecclesiasticam, falsô Lutheri aut Calvini dogmate delusus, qui vel apertè negârunt, vel saltem in dubium vocârunt Ecclesiæ visibilis existentiam. Sed convincêris luculentis Scripturæ testimoniis Matthæi 19. ℣. 18. ibi: *super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meam.* Matthæi 18. ℣. 17. ibi: *si te non audierit, dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Actor. 20 ℣. 28. ibi: *attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI, quā acquisivit sanguine suô.* Plura testimonia & rationes dabit Clariss. P. Mezger *cit. tr. disp.* 17. *art.* 3. §. 1. & Eximius P. Marinus Panger, ex Ord. FF. Minorum S. Francisci Recollect. SS. Theolog. Lector Jubilatus in *quæst. controvers.* 4. *assert.* 4.

15 Ratio est II. quia in Evangelio Ecclesia Catholica comparatur *Mari* Matth. 13. ℣. 47. assimulatur *Civitati* Matth. 5. ℣. 14. æquiparatur *Regno diffuso* Psal. 71. ℣. 8. parificatur cum *Luce* Matth. 5. ℣. 15. Sed Mare Nauclerum, qui clavum teneat; Civitas Rectorem, qui fasces habeat; Regnum Regem, qui sceptra rotet; Lux Solem, à quo lumen emutuet, desiderat. Ergo etiam Ecclesia Jurisdictionem & jus dicentem postulat.

16 Ratio est III. quia in doctrina morum & fidei permagnæ & permultæ emergunt controversiæ, lites, dubia; ad quæ decidēda opus est judiciô & judice, qui Summam & universalem potestatem habeat; & ultra quem nullus dubitare, nullus appellare audeat. Nam spiritus privatus periculosus, varius, & incertus est, juxta illud Prov. 14. ℣. 12. *est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducit ad mortem.* S. Scriptura, præterquàm quòd ultimatam authoritatem decisivam per Ecclesiam consequatur, ex illo Augustini: *non crederem Evangelio, nisi Ecclesiæ authoritas me moveret*; insuper multa difficilia, & intellectu ardua complectitur, teste D. Petro 2. *cap.* 3. ℣. 16. ibi: *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravāt.* Adeòque Interpretem authenticum & infallibilem efflagitat. Ergo est Jurisdictio talis penes Ecclesiam, quâ jus in singulis causis, circa mores & fidem controversis, dicatur.

17 Contra hanc Catholicam Veritatem turmatim insurgunt Heterodoxi, Reinking *de Regim. Ecclesiast. & secul. lib.* 3. *class.* 1. *cap.* 10. Paurmeister *de Jurisdict. lib.* 2. *cap.* 3. *à n.* 48. Swederus *Introduct. ad Jus*

Jus Publ. part. special. sect. 1. cap. 5. & alii sine numero, è quibus non postremus est Samuel Pufendorf, qui in sua *Introduct. ad Histor. universalem* statim in limine, ubi de *Monarchia Pontificis Romani*, tot ferè convitiis, quot apicibus, tot commentis, quot periodis, disserit, agnoscit quidem aliquam Jurisdictionem Ecclesiasticam, objectivè talem; eam tamen subjectivè & entitativè non distinguit à Jurisdictione Politica, dum cuilibet Principi, Imperium Politicum habenti, jus circa sacra & spiritualia vi Superioritatis

18 Territorialis aut Principalis concedit. Argumentatur ille sic. Neque ex natura Religionis ut sic; neque ex genio Christianæ Religionis; neque ex Divina institutione proficiscitur, quòd Jurisdictio Ecclesiastica & Politica separatæ sint. Non primum: quia nil impedit, quò minùs quis populum ad Divina simul & Politica dirigat: quippe cùm ab initio quilibet paterfamilias in suos domesticos utramque potestatem exercuerit, quæ deinde, dum plures familiæ in communitatem perfectam coivere, ad caput communitatis transiit. Non secundum: quia Christianæ Religionis Principes ea, quæ ad instructionem fidelium in fide pertinent, viris doctis & eruditis demandare possunt; supremâ potestate in spiritualibus sibi reservatâ. Non tertium: quia in SS. paginis idoneum aliquod testimonium non reperitur.

19 Sed contra imbelle & elumbe hoc argumentum est, quòd non solùm Divina institutio, de qua in §. *seq.* sed etiam natura Religionis (nisi statum Legis Naturæ excipias, in quo, cùm pauca admodùm hominibus fuerint proposita ad credendum explicitè, tanta non fuit necessitas, unum Principem, qui toti præesset Ecclesiæ, constituendi, ut notat Molina de *J. & J. d. tract. 2. disp. 21. n. 7. & 14.*) tum generica tum specifica Jurisdictionem Summam Ecclesiasticam, quæ ab uno aliquo, & alio, quàm Principe laico, exerceatur, postulet. Inprimis enim quælibet Religio, ut sana & sancta sit, unitatem desiderat: quia, cùm creatura sit Spiritûs Sancti, qui est Spiritus unitatis, debet & ipsa una esse. Atqui ubi Jurisdictio Summa Ecclesiastica multiplicatur, tollitur unitas, tótque sunt diversa circa res fidei sensa, quot capita, veluti satis ipsimet Lutherani & Calvinistæ suomet exemplô sunt experti; ipseque Pufendorf non diffitetur, dum in *cit. loc. n. 105.* sic » scribit: itaque ortâ inter eos (Protestantes videli» cèt), altercatione, quùm qui pro sua authoritate » controversias dirimeret, nemo existeret, & in sua » quisque sententia præfractè persisteret, intes» tina quædam partium contentio esse cæpit, ac » furere Protestantes, communis hostis (Catholi» cos intellige) obliti, in sua ipsorum viscera cæ» perunt. Ea res affectis Pontificis probabilem cri» minandi causam dedit: hæreticos, postquàm se» cessionem ab Ecclesia Romana fecerunt, in tantum » errorum labyrinthum incidisse, ut nec, quibus se » induissent erroribus, expediri sese, nec fidei suæ ac » dogmatum rationem explicare ipsi possent. Per» multi quoque Evangelii nomine ad summam im» probitatem & nequitiam abutebantur, perinde » quasi libertas in effrænata quadam licentia & vi» tiorum omnium colluvie consisteret. Sic ille.

20 Nec verum est; quemlibet patremfamilias (nisi forsitan, ut anteà dictum, statum Legis Naturæ excipias) jus quoad sacra in suos domesticos habere: oritur namque jus illud ex altiori potestate, nec necessariò, sed liberè; atque adeò illis solùm disponere de sacris cum authoritate licet, quibus ex Divina libertate & liberalitate datum est.

21 Jam, quòd Religio Christiana & Catholica Jurisdictionem desideret, quæ à persona Ecclesiastica exerceatur, dicetur in §. 1. *seq. sect.* quodve illa Jurisdictio sit universalis ac indivisa, testantur sole clariora Scripturæ loca, in quibus unitas Fidei, Sacramentorum, Capitis, Obedientiæ &c. requiritur. Nam ad Ephes. 4. ꝟ. 4. & 5. dicitur *unū esse corpus, unus spiritus, una spes vocationis, unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Eôd. locô ꝟ. 3. adjubentur fideles *solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis.* Joan. 10. ꝟ. 17. pronuntiatur: *fiet unum Ovile & unus Pastor.* Actor. 4. ꝟ. 32. refertur: *multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* 1. ad Corinth. *cap. 1. ꝟ. 10.* scribit Paulus: *obsecro vos Fratres, per nomen Domini JEsu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Sed, ubi Jurisdictio & Potestas Summa in plures dispergitur, nulla Fidei, Sacramentorum, Capitis, Obedientiæ &c. unitas, sed mera schismata, scissuræ, discordiæ, confusiones, errores sunt: quemadmodùm propria cum confusione fatentur, & tacitè ingemiscunt Protestantes, è quorum ono nuperrimè tales literas vidi. Ergo &c.

Quòd autem instructio in fide aliis demandari 22 possit, reservatâ Jurisdictione penes Supremum Principem, non abnuo, si Princeps ille sit unus, & Ecclesiasticus, à quo potestas & omnis doctrina petatur, & ad quem omnia, quæ circa fidem & Religionem occurrunt, dubia referantur. Nam, ut accommodatè 23 ad propositum discurrit D. Cyprianus in *tract. de unitate Ecclesiæ*, relatus in *cap. loquitur 18. XXIV. q. 1.* *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, qua in multitudinem latiùs incrementô fœcunditatis extenditur: quemodò solis multi radii, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur unum, tenaci radice fundatum: & cùm de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licèt diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis à corpore, divisionē lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum: fructus germinare non poterit. A fonte praecide rivum; praecisus arescet. Sic & Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totū radios suos porrigit: unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur; nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terrā copiâ ubertatis extendit; profluentes largiter rivos latiùs pandit: unum tamē caput est, & origo una, & mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur; illius lacte nutrimur; spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa Christi: incorrupta est, & pudica. Unam domum novit: unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.*

Cæterùm contra Pufendorf & sequaces plura ad- 24 huc argumenta militant. Et I. quidem, quòd Jurisdictio Sæcularis, cùm à natura habeatur, nequeat esse una cū Jurisdictione Ecclesiastica, quæ naturæ vires & potentiam longè transcendit. II. quòd utraque Jurisdictio differat essentialiter, nec una ex altera inferatur. III. quòd Jurisdictio temporalis indirectè subsit Ecclesiasticæ; neque ità illius, sed potiùs illa istius sit accessoria & subsidiaria. IV. quòd nefas semper fuerit Regibus & Principibus, sacris se negotiis immiscere, veluti Ozias, incensum Domino volens adolere, ac propterea lepra percussus, nec non templô & populô exclusus, testatum facit 2. *Paralip. 26.* Quæ & multa alia ulterius pondus & confirmationem ex dicendis sibi conciliabunt. Vide Molinam *cit. l. n. 13. & 2. seq.* Petrum Bertrandum *cit. tr. de orig. Jurisdict. quæst. 2. & 3.*

§. IV.

Unde Jurisdictio Summa Ecclesiastica descendat?

Resolutio ex dictis plana & perspicua est: cùm 25 enim Ecclesia Catholica sit opus dexteræ Excelsi, sit ovile Christi, sit corpus Christi, & sponsa Christi &c. oportet potestatem, quæ est in Ecclesia, à Christo

Christo immediatè descendere. Ita conflans & perpetua Catholicorum traditio, cum Bertrando *cit. q. a. n. 4.* Molina *cit. disp.* 21. *n.* 11. & DD. *in seq. sect. recitandis*; quæ

26 Confirmatur I. Qui excitat novam Rempublicam, erigit provinciam, instituit civitatem &c. Jurisdictionem quoque & ea, quæ ad perfectam communitatem consequuntur, impertiri solet. Ergo & Christus, novum fidelium cœtum in unitate fidei congregandô, potestatem ei conformem impertiri debuit.

27 Confirmatur II. Jurisdictio, quæ transcendit naturam, nequit ab alio, ac qui supra naturam est, immediatè proficisci. Sed Jurisdictio, quæ est penes Ecclesiam, transcendit naturam, hôc ipsô, quòd nec à lumine naturali percipiatur, nec circa objecta, Naturæ cognita, versetur, nec effectus, intra sphæram naturæ contentos, producat, nec felicitatem naturalem quà talem respiciat. Nam principia nostræ fidei non penetrat naturæ lumen; gratias spirituales, remissionem peccatorum, excommunicationem &c. suos intra sinus natura non continet; unionem cum DEO per gratiam & gloriam natura non æstimat &c. Ergo Jurisdictio Ecclesiastica proficiscitur immediatè ab eo, qui supra naturam est. Ergo à DEO.

28 Confirmatur III. Jurisdictionem, quæ competit de facto Ecclesiæ, colligimus ea illo Matth. 16. ℣. 19. *tibi dabo claves regni cælorum; quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis &c.* Ergo, qui hæc verba dixit, is Jurisdictionem Ecclesiasticam contulit. Sed Veritas Incarnata, Christus JEsus, hæc verba protulit. Ergo is contulit Jurisdictionem.

29 Confirmatur IV. Jurisdictio, quæ exercetur ab Ecclesia, exercetur à Vicariô illius nomine, qui est Caput invisibile Ecclesiæ. Sed invisibile Caput Ecclesiæ est Christus; nam, teste Apostolô ad Ephes. 1. ℣. 22. *ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*; & ad Ephes. 5. ℣. 23. *Vir Caput est mulieris, sicut Christus Caput est Ecclesiæ.* Ergo Jurisdictio ab Ecclesia Christi nomine exercetur. Ergo provenit immediatè à Christo: partim quia non tam propria est Ecclesiæ, quàm Christi: partim quia Vicarius DEI non potest Jurisdictionem ab homine nancisci.

30 Confirmatur postremò ex innumeris ferè textibus in *cap. si Romanorum 1. cap. sic omnes 2. cap. enimverò 4. Dist. 19. cap. in novo 2. cap. quamvis 3. Dist. 21. cap. omnes 1. cap. sacrosancta 2. Dist. 22. cap. in nomine 1. Dist. 23. cap. cùm ad verum 6. cap. duò sunt 10. Dist. 96. cap. inter corporalia 2. & seqq. de Translat. Ep. cap. sollicita 6. de M. & O. cap. novit 13 de Judic.* in quibus textibus satis supérque immediata Jurisdictionis Ecclesiasticæ origo declaratur.

31 Neque dicas I. Summa potestas, quâ resplendent Summi Principes temporales, est immediatè à populo ex dictis de *Jure Legal. cap. 7. n. 41.* Ergo etiam Summa potestas, quâ decoratur Ecclesia,
32 est immediatè à fidelibus. Nam consequentiam hanc illegalem esse, constat ex dictis *cit loc.* ideò enim potestas immediatè transfertur à populo ad Principem: quia à DEO, ut Authore Naturæ, immediatè collata est cuilibet communitati perfectæ, proindeque si penes Principem exstat, immediatè provenit à populo. Atqui potestas Ecclesiastica, veluti rectè discurrit Molina *cit. supra disp. 21. sub n.* 14. non ab Ecclesia, sed à Christo in Ecclesia est instituta, tametsi illius applicatio ad hanc vel illam personam ex electione Ecclesiæ dependeat: ideóque non ab Ecclesia, sed immediatè à DEO in Vicarium Christi transfertur.

33 Neque dicas II. S. Pontifex, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam exercet, potestatem suam ab electio-
ne sortitur. Ergo à Collegio Cardinalium, electionem Pontificiam peragentium. Nam & antece- 34
dens & consequens fallit. Antecedens quidem: quia S. Pontifex potestatem suam non ab electione, sed à DEI ordinatione consequitur, ut dictum *cit. tr. cap. 5. num. 61.* & de *Mod. acquir. Prælat. cap. 7. n. 690.* Consequens verò; quia Cardinales, 35
dum nomine Ecclesiæ perficiunt Electionem, solam personam nominant, in quam ex Divina promissione & constitutione Suprema Jurisdictio mox defertur.

SECTIO II.

De Subjecto Supremæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

SUMMARIA.

36. *Utrumque subjectum Jurisdictionis Ecclesiasticæ indicatur.* 37. *Quæstio de Primatu Pontificis affirmativè resolvitur.* 38. *Nomen Pontificis, &* 39. *Papa explicatur.* 40. *Supponitur legitimè electus.* 41. *Primatus Petri primò ostenditur ex textu Matth. 16. cap.* 24. *Explicatio S. Augustini.* 43. *Sententia nostra accommodatur.* 44. *Probatur.* 45. *Secunda Adversariorum responsio adducitur.* 46. *& seqq. Dupliciter retunditur.* 48. *Ostenditur secundò Primatus Petri.* 49. *& seq. Effugium Authorum contrariorum præcluditur.* 51. *Ostenditur tertiò Primatus Petri.* 52. *& seq. Solutio adversa tangitur, & perimitur.* 54. *Infertur paritas potestatis Pontificiæ cum potestate Petri.* 55. *& seqq. Declaratur, quòd S. Pontifex sit legitimus D. Petri successor.* 58. *Principalis resolutio ex consensu Conciliorum roboratur.* 59. *Refertur Concil. Romanum.* 60 *Nicænum.* 61. *Constantinopolitanum.* 62. *Chalcedonense.* 63. *Constantinopolitanum tertium.* 64. *Nicænum secundum.* 65. *Constantinopol. quartum.* 66. *Lateranense.* 67. *Florentinum.* 68. *Principalis resolutio ex unitate corporis & capitis probatur.* 69. *& seqq. Nonnulla hæreticorum objecta adducuntur.* 74. *& seqq. Diluuntur.* 78. *De reliquis objectionibus remissivè.* 79. *Concilii generalis requisita.* 80. *Antiquitas.* 81. *Origo quæstionis de potestate Pontificis supra Concilium.* 82. *Sententiæ affirmativæ Authores.* 83. *Primum argumentum pro illa.* 84. *Secundum.* 85. *Tertium.* 86. *& seqq. Duæ responsiones oppositæ profligantur.* 86. *Quartum argumentum.* 90. *Quintum.* 91. *Sextum.* 92. *& seqq. Prima objectio de causa hæresis & schismatis affertur, & expungitur.* 95. *Secunda de vita & moribus Pontificum producitur.* 96. *& seqq. Removetur.* 100. *Tertia de Conciliorum necessitate subvertitur.* 101. *Proponitur quæstio de Jurisdictione Pontificia super Reges.* 102. *& seqq. Sententia affirmans variis rationibus stabilitur.* 107. *Referuntur argumenta adversa.* 108. *& seqq. Distinctis responsionibus prosternuntur.* 114. *Negatur Pontifici Jurisdictio in infideles.* 115. *Adstruitur Jurisdictio in hæreticos.* 116. *& seq. Negatur, quòd infideles ad fidem possint compelli.* 118. *Resp. ad textum Lucæ 14.* 119. *Affirmatur, quòd infideles, prædicationi Evangelii resistentes, coërceri possint.* 120. *& seq. In hæreticos Romani Imperii non est adempta Pontifici potestas.*

§. I.

§. I.

An penes solum S. Pontificem Summa Jurisdictio Ecclesiastica resideat?

36 DE Subjecto Jurisdictionis Ecclesiasticæ acturus, utrumque, & activum & passivum conjungo: hoc est, tam personas, quibus activè competit Jurisdictio; quàm personas, quibus passivè Jurisdictio administratur. Sunt enim Superior & inferior, dominus & subditus, imperans & obsequens, correlativa; adeòque ne quidem in scholastica consideratione separanda.

37 Præprimis autem: an penes solum S. Pontificem Summa Jurisdictio Ecclesiastica resideat? quærere; atque ex principiis, quæ præstantissima Universitatis nostræ sidera, Eminentissimus S.R.E. Card. & S.R.I. Princeps ad S. Gallum, Cœlestinus Sfondrati in suo *Regali Sacerdotio*, quod sub nomine Eugenii Lombardi elucubravit; & Illustrissimus S.R.I. Princeps & Abbas Einsidlensis Augustinus Reding in sua *Cathedra Apostolica*, quam sub nomine Authoris *Inextincta Sacri Concil. Trident. Veritatis* evulgavit; quæstionem resolvere placet affirmativè.

38 Antequàm verò resolutionem probare exordiar, prænotandum est I. *S. Pontificem* sic dictum esse à præcipua potestate faciendi, vel sacrificandi: quia verbum facere tam apud Ethnicos quàm apud Christianos persæpe pro *sacrificare* usurpatum est. D. Lorichius in *Thesauro novo Theolog. Lit. P.V. Papa* n.2.

39 Prænotandum II. S. Pontificem aliô nomine compellari *Papam*, quod à Græco deductum Patrem significat. Et quamvis ab initio idem nomen commune fuerit omnibus Presbyteris; posteà tamen solis Episcopis tributum; ac tandem per excellentiam soli Summo Ecclesiæ Pontifici & universali Patri impositum est. Lorichius *cit. l.* n.1.

40 Prænotandum III. quæstionem modò verti de S. Pontifice legitimè electo, eô scilicèt modô, quem in *tr. de Mod. acquir. Prælat. sect.* 6. monstravimus. Quibus prænotatis, data resolutio

41 Probatur I. Solus Petrus ex Apostolis Jurisdictionem Ecclesiasticam universalem & Summam à Christo accepit. Ergo solus Petrus, & qui Petri in officio successores sunt, Jurisdictionem Ecclesiasticam, universalem & Supremam, habent. Anteced. ostenditur primò. Matth. 16. soli Petro, postquàm externam fidei professionem emiserat, dictum est: *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ergo solus Petrus est fundamentum, in quo requiescit structura Ecclesiæ. Ergo solus Petrus est Caput, à quo pendet, regitur, & judicatur Ecclesia. Ergo solus Jurisdictionem accepit.

42 Neque dicas 1. per *petram* non Petrum, sed Christum intelligi; sensùmque recitati textûs esse: *tu es Petrus, & super hanc petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiā meam: Petra enim erat Christus.* Verba
43 sunt D. Augustini *tractat.* 123. *in Joan.* Contra enim est: quia, retentâ hàc interpretatione, firmatur argumentum præcedens. Voluit quippe Servator Divinus duplex fundamentum Ecclesiæ suæ recèns exstructæ significare, remotum ac principale; & proximum ac minùs principale. Remotum & principale fundamentum est Christus; de quo Apostolus Paulus ait: *fundamentum aliud* (Ecclesiæ) *poni non posse præter id, quod positum est, quod est Christus.* 1. Corinth. 3. ℣. 11. Proximum ac minùs principale est Petrus, cui in eôd. loco mox dictum est: *& tibi*
44 *dabo claves Regni Cælorum &c.* Quia enim Christus Ecclesiam voluit esse perpetuam, ac usque in finem sæculi duraturam, primum & principale fundamentum se ipsum posuit, utpote qui est *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Psal.* 109. ℣. 5. Quia tamen etiam Ecclesiam voluit esse unam & visibilem, voluit Petrum & ejus successores esse *petram* quasi proximam & minùs principalem, seu subsidiariam, quâ Ecclesia proximè fulciatur, gubernetur, & defendatur. Et hujus declarationis Author est ipsemet D. Augustinus *tract.* 124. *in Joan.* ita de Petro disserens: *solus inter Apostolos meruit audire: tu es Petrus, & super hanc Petram &c. dignus certè, qui ædificandis populis in domo DEI lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculū, clavis ad regnum.* Vid. Eminentiss. Sfondrati *Regal. Sacerd. lib.* 2. §. 4. *sub n.* 2. *p.* 336. & Illustriss. Reding *Cathedra Apostol. art.* 4. *disquis.* 1. §. 1. *n.* 7. *& seqq.*

Neque dicas II. in Petro non solam Petri perso- 45
nam, sed omnes Apostolos fuisse repræsentatos, paremque omnibus potestatē collatam: Idque conjici posse tum ex *Epist.* ad Ephes. 2. ℣. 20. ibi: *superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarū*: tum ex Apocalypsi *cap.* 21. ℣. 14. ibi: *& murus civitatis habens fundamenta duodecim, & ipsis duodecim nomina, duodecim Apostolorum Agni.* Contra enim 46
est I. quia, si Petri nomine totum Collegium Apostolicum, totaque Ecclesia subintellecta fuisset, sensus planè nugatorius & ridiculus foret, scilicèt: *super Apostolos ædificabo Apostolos; super Ecclesiā firmabo Ecclesiam*, uti ad mentem relatorum mox Authorum bene advertit P. Mezger *d. tract.* 10. *disp.* 14. *art.* 3. §.
1. *sub n.* 3. Contra est II. quia, ut verbis utar Card. 47
Sfondrati *cit. pag.* » licèt Apostoli dicantur fundamenta Ecclesiæ, quia totô orbe terrarum Ecclesias fundàrunt, & instituerunt, istas isti, alias alii; illisque æquè, ac Petro, revelata sint immediatè à DEO fidei & Religionis nostræ mysteria, quæ voce & scriptis ubique terrarum docendô, Ecclesiam fundàrunt: Petrus tamen specialissimè, magnaque cum prærogativâ fundamentum Ecclesiæ à Christo constitutus est, quia & Caput erat Apostolici Collegii, & Pastor, non tantùm delegatus ad plenitudinem causarum, ut cæteri Apostoli, sed Ordinarius, & potestatem suam ad successores suos transmissurus; sicque non semel tantùm, aut initiô nascentis Ecclesiæ, sed semper, & quamdiu illa duraret, fundamentum in successoribus suis facturus; quod omnes Catholici docent, creduntque. » Audi S. Hieronymum *lib.* 1. *contra Jovian. licèt super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut schismatis tollatur occasio.*

Ostenditur primum anteced. secundò: quia soli 48
Petro clavium potestas *cit. cap.* 16. Matthæi collata est, non nominatis aut vocatis cæteris Apostolis. Clavibus autem imperium & potestatem consignari, res non solùm Juri profano in §. *item si* 45. *Instit. de R.D. l. clavibus* 74. *ff. de contrah. emptione.* sed & SS. literis Isaiæ *cap.* 22. ℣. 23. & Apocalypsis *cap.* 3. *v.* 7. pernota est.

Nec expedit dicere: clavium potestatem aliis 49
quoque Apostolis in alio loco, nempe Matthæi 18. datam esse. Hanc enim responsionem ex Card. Sfondrati de *Jure Legali cap.* 5. *n.* 80. jam enervavimus, quòd aliud & majus sit, habere claves, quàm potestatem clavium; & prætereà infirmare possumus, cū Rediog *d. l. n.* 19. assignandô discrimen inter modum, quô Apostolis & Petro ligandi potestas est concessa: illis enim solùm potestas delegata, seu, ut loquitur 50
citatus Author, per modum legationis aut missionis, impertita legitur juxta verba Matthæi *d. cap.* 18. *mitto vos*; ac verba Pauli 2. ad Corinth. 5. ℣. 20. *pro Christo ergo legatione fungimur*; quæ tamen potestas, ceu personalis, cum Apostolis extincta, neque ad successores fuit transmissa: huic, id est, Petro ex adverso potestas ordinaria, ac vi muneris & Supremi

Vicariatûs

Vicariatûs est concessa, cum perpetuô successionis
jure, adeò ut, qui successor est in Papatu, sit etiam
successor in Jurisdictione, ut satis indicant verba:
*super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ
inferi non prævalebunt adversus eam.*

51 Ostenditur idem anteced. tertiò: quia solus Petrus
ovium Christianarum Pastor est designatus
Joannis 21. & quidem tertiâ vice, posteaquàm toties
ardentem in DEUM charitatem ore contestatus erat.
Munus pastorale autem rectissimè denotat Summam
Jurisdictionem ex *n.* 3. quod etiam ex *cap.* 34. Ezechielis,
& *cap.* 10. Joannis eruitur, in quorum priore
vers. 23. habetur: *& suscitabo super eos Pastorem
unum, qui pascat eos &c.* in posteriore verò *n.* 11. &
17. de se dicit Christus: *ego sum Pastor bonus, & alias
oves habeo, & fiet unum ovile, & unus Pastor.*

52 Nec satisfacis, si officium Pastorale cuivis Episcopo
incumbere, reponas, allegandô textum 1. Petri 5.
vers. 2. ibi: *pascite, qui in vobis est, gregem DEI*;
& expositionem D. Ambrosii *lib. 2. de dignitat. Sacerdot.
cap. 2.* ibi: *repetitum est ter à Domino. pasce oves
meas: quas oves, & quem gregem tunc beatus suscepit
Petrus: sed & nobiscum eas suscepit, & cum ea illas
53 nos suscepimus omnes.* Enimverò nulli Apostolorum
in individuo indefinita pascendi cura & officium Pastorale
universale fuit delatum; licèt tam ipsi, quàm
Episcopi, in partem sollicitudinis, & curæ specialis,
pro hac vel illa provincia, fuerint vocati, per *cap.
ad honorem 4. de Author. & usu pallii*; eâ tamen subordinatione
ad Petrum & successores observatâ, ut
& ipsi, tanquàm electæ oves, sub cura & potestate
Petri & successorum essent constituti.

54 Antecedente sic stabilitô, suâ nunc sponte sequitur
prima consequentia; sequitur & secunda. Cum
enim Romanus Pontifex sit verus Petri successor, ac
eandem cum antecessore potestatem obtineat; non
minus ille, quàm iste, Suprematum in Ecclesia sortitus
est.

55 Si cum hæreticis neges, Romanos Pontifices legitimos
Petri successores esse; Contra est I. quia
Christus, dum Ecclesiam, à se fundatam, decrevit
esse perpetuam, contra quam nec portæ inferi prævalere
possint; debuit quoque perpetuum Caput, quô
regatur, decernere; idque non est aliud, quam Pontifex
Romanus. Contra est II. quia eandem Sedem,
65 quam Romæ secundùm omnes Chronologos tenuit
Petrus, tenent in præsens usque momentum, ordinatâ
successione, Romani Pontifices. Ergo, quæ potestas
penes Petrum in Cathedra Romana extitit, eadem
penes omnes in Cathedra successores existit; sicut,
qui solium tenet Imperiale, hæres est Imperii
& dominatûs. Audi Concilium Nicænum I. *can.*
39. ille, inquiens, *qui tenet Sedem Romæ, Caput est,
& Princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem
ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes
Principes Christianos, & omnes populos eorum
&c.* Clariss. P. Pley de *Fide p. 1. disp. 2. q. 3.
57 num.* 286. Contra est III. quia ex unanimi PP.
& Conciliorum calculo, ut perspicere licet apud P.
Mezger *cit. tr.* 10. *disp.* 14. *art.* 3. §. 2. & P. Marinum
Panger *quæst.* 6. *assert.* 2. Romanus Pontifex,
ritè electus, dicitur esse Petri successor, sedere in
Cathedra Petri, esse Vicarius Christi &c. quæ & alia
prædicata manifestè produnt, Petri Jurisdictionem
in posteros, Romanos Pontifices, fuisse devolutam.
Confer Exim. P. Antonium Kopf in *inviolabili* ac *inconcussa
Petra p.* 1. *areola* 23. ubi præter ordinatam
Pontificum successionem etiam Scriptores Catholicos
& Hæresiarchas recenset.

58 Probatur resolutio nostra principalis II. Quod
universalis Ecclesia constanter tenuit, credidit, asseruit,
id utique tenendum, credendum, & asserendum
est: quia universalis Ecclesia Spiritu S. & co-
adunata, & illustrata, & gubernata, non potuit in
re tam momentosa errare, aut tantô tempore in errore
perseverare. Sed, quòd solus S. Pontifex Jurisdictionem
Ecclesiasticam, Summam & universalem,
habeat, constanter tenuit, credidit, asseruit universalis
Ecclesia, in Conciliis Generalibus congregata.
Nam in Synodo Romana annô 324. *cap. ult.* definitum 59
est: *Romanum Pontificem, omnium mortalium
Judicem, à nemine judicari posse; neque ab omni Clero,
neque à Regibus, neque à populo.* In Synodo Ni- 60
cæna, quæ anno 325. inchoata, in annum tertium duravit,
conclusum est: *præter sententiam Romani Pontificis
non debere Concilia celebrari; omnesque Episcopos,
qui in quibusdam gravioribus pulsantur, quoties
necesse fuerit, liberè ad Apostolicam Sedem appellare
debere, cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas
causas antiqua Apostolorum, eorumque successorum,
atque Canonum auctoritas reservavit.* In Syno- 61
do prima Constantinopolitana annô 381. agnoverunt
PP. Damaso S. Pontifici competere potestatem *examinandi
& confirmandi conclusa Conciliaria.* In Sy- 62
nodo Chalcedonensi annô 451. S. Pontifex ut *Pater,
Caput, Director, Index universalis Ecclesiæ &c.* salutatus 63
est. In Synodo Constantinopolitana tertia
annô 680. Pontifex Romanus audire meruit, quòd
sit *Sanctissimus & Beatissimus Archi Episcopus antiquæ
Romæ, & universalis Papa; Universalis Princeps
Pastorum, Prima Sedis Antistes universalis Ecclesiæ,
stans supra firmam fidei Petram.* In secunda Sy- 64
nodo annô 786. PP. magnô numerô conscripti, ingenuè
professi sunt: *post definitionem Summorum
Pontificum, nullum amplius dubium de cultu Imaginum
superesse; modum legesque à Summo Pontifice præscribi
Concilio; limitesque à Pontifice præstitutos moveri
non posse.* In Synodo Constantinopolitana annô
860. negant Legati Sedis Apostolicæ, *se unquàm 65
universalis Concilii judicia subjectos fuisse*: Hadrianus
Pontifex more & exemplô aliorum Pontificum *Concilio
formam & leges imponit; præscribit regulam fidei,
in quam jurare debeant de hæresi suspecti; jubentur
statuta & decreta Summorum Pontificum, tanquàm
regulas fidei certissimas, admittere*; idque universali
Conciliô non tantum audiente & consentiente, sed
etiam positivè probante. In Synodo Lateran. annô 66
1179. decretum emanavit, posteà libris Decretalium
in *cap. 6. de Elect.* insertum, ut electio Pontificia à
duabus partibus Cardinalium perficiatur; reliquis
Electionibus aliorum Ecclesiæ Prælatorum in suo
robore permansuris: *quia, quod in eis dubium venerit,
Superioris poterit judiciò definiri; in Romana verò
Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest
recursus NB. ad Superiorem haberi.* In Synodo Flo- 67
rentina (ut alias, brevitatis studiò omittamus) annô
1439. ita habetur: *definimus, Sanctam Apostolicam
Sedem & Romanum Pontificem in universum Orbem
tenere primatum; & ipsum Pontificem Romanum Successorem
esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum
Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, &
omnium Christianorum Patrem, & Magistrum existere;
& ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi
universalem Ecclesiam à Domino nostro JESU Christo
plenam potestatem traditam fuisse.* Lege omninò, & relege
Sfondratum *Regal. Sacerdot. lib. 2. §. 5. & 6.*

Probatur resolutio III. Ecclesia Christiana est u- 68
num Corpus, & indiget Capite, quô gubernetur ex
dictis *à n.* 13. Sed hoc Caput alius non est, quàm Romanus
Pontifex, qui eam, quam D. Petrus, Sedem, Cathedram,
& Potestatem accepit, juxta illud Augustini
epist. 162. *in Romana Ecclesia semper Apostolica Cathedræ
viguit principatus*; & illud Ambrosii *comment. in cap.
3. ad Timoth. cùm totus mundus DEI sit, tamen domus
ejus Ecclesia dicitur, cujus hodie Rector est Damasus.*

Adversùs resolutionem, huc usque probatam, 69
inte-

integra Sectariorum legio se movet; atque ex illis
opponit I. Pufendorf *cit. Intraduct. ad histor. de
Monarch. Roman.* post obitum Christi & Apostolo-
rum excessum regimen Ecclesiasticum, quod apud
primitivos Christianos viguit, non jure propriô, sed
provisoriô quôdam modô, à Clero & populo fuisse
usurpatum: eò quòd Imperatores, quorum propria
fuisset Ecclesiæ gubernatio, nolentes Christianorum
sacris accedere, eam gubernationem neglexerint, &
quasi abjecerint. Deinde ex connivenția Constantini
70 Magni & reliquorum Imperatorum, ad vexilla Chri-
sti jurantium, remansisse quandam circa sacra po-
testatem penes Clericos; per hoc tamen Supremam
Legum & Conciliorum Ecclesiasticorum prærroga-
tivam, quæ fluit ex Majestate Imperatoria, Im-
71 peratori adimi non potuisse. Ad hæc barbariem pri-
morum sæculorum, & veræ politiæ ignorantiam
effecisse, ut Pontifex Romanus pro universali Epis-
copo agnitus, & Leges ipsius velut universales
72 receptæ sint. Prætereà Primatum super reliquos
Episcopos Bonifacium III. primitus sibi arrogâs-
se, adstipulante Phocâ Imperatore, qui Constan-
tinopolitano Episcopo, quòd cædem Mauritii com-
probare detrectaret, vehementer indignatus, eun-
dem, antehàc pro Primatu certantem, Romano
73 Episcopo postposuit. Denique variis astibus & ar-
tibus successorum Pontificum Summum imperium
pedetentim in universum orbem stabilitum; inde
tamen authoritati Principum Sæcularium eò minùs
derogatum fuisse, quò minùs in abdicationem Re-
gæ suæ potestatis consenserunt.

74 Sed indoleas potiùs, quàm succenseas Viro huic,
qui, ingenium cæteroquin subtile nactus, neglectâ
S. Scripturæ, PP. Conciliorum, ac Historiæ Ec-
clesiasticæ authoritate, ratiunculis quibusdam, ex
proprio cerebro & centonibus detritæ politiæ con-
quisitis, sibi & aliis tam insolenter audet imponere.
75 Nec opus est, pasmanibus hisce mendaciis larvam
detrahere: quoniam nuda & aperta veritas, nunc &
in priori *sect.* detecta, abundè demonstrat, dari Ec-
clesiasticam potestatem, immediatè à DEO, nemini
præterquàm uni & soli Pontifici, concessam, à quo
velut Supremo Capite tota Ecclesia gubernetur.
Adeòque falsum est, Potestatem Pontificiam aut il-
lius malis artibus inventam, aut voluntate populi
exercitam, aut Imperatorum negligentiâ vel conni-
ventiâ usurpatam fuisse.

76 Videat, si cæcus non sit Pufendorfius, Irenæum,
qui *lib.* 3. *cap.* 2. enumerat Episcopos Romanos à
Petro usque ad Eleutherium, qui suô tempore sede-
bat, & dicit: *per hanc successionem confundi omnes
hæreticos.* Videat Optatum Milevitanum, qui *lib.*
2. *contra Parmeninum* enumerat omnes Romanos
Pontifices à Petro usque ad Siricium, tunc temporis
viventem; ut ostenderet, non esse Ecclesiam apud
Donatistas, qui per similem successionem ad Apos-
tolos ascendere non poterant; subditque: *vos vestræ
Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis Sanc-
tam Ecclesiam vindicare.* Videat S. Augustinum,
qui *epist.* 165. *ad Generosum* enumerat Romanos
Pontifices à Petro usque ad Anastasium, sui sæculi
Papam; & in *psalm. contra partem Donati, numerate*,
inquit, *Sacerdotes, vel ab ipsa Sede Petri, & in ordine
illorum Patrum, qui cui successerit, videte: ipsa est Pe-
tra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ*; & *lib.
contra epist. fundament. cap.* 4. *tenet me*, ait, *in Ecclesia
ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas
Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopa-
tum successio Sacerdotum.* Videantur etiam Reveren-
diss. Thyrsus Gonzalez in *Verit. Religion. Cathol. cap.*
1. à *n.* 27. & Eximius P. Antonius Kopf in *inviola-
bili ac inconcussa Petra part.* 1. *arcela* 22. & 23.

77 De reliquo jam longè ante tempora Bonifacii ti-
tulo universalis Episcopi Papa honoratus est, ut pa-
tet ex *num.* 59. & *seqq.* Ipseque Gregorius I. quem
Orbis ex amplitudine gestorum Magnum nominavit,
ex sola animi dimissione à titulo universalis Sacerdo-
tis abstinuit, quatenùs exemplô suô audaciam & am-
bitum Patriarchæ Constantinopolitani, ejusmodi ti-
tulum sibi præsumentis, reprimeret; re ipsâ interim
potestate universali in excommunicatione præfati Pa-
triarchæ usus; eamque in *epist. ad Joan. Syracusan.*
contestatus, dum scribit: *quis dubitet eam* (hoc est,
Ecclesiam Constantinopolitanam) *Sedi Apostolicæ
esse subjectam, quod & Dominus piissimus Imperator,
& Frater noster Eusebius ejusdem Civitatis Episcopus
assiduè profitentur*? Lege Clariss. P. Pley de *fide p.* 1.
disp. 2. *q.* 2. *n.* 283.

Cæteras objectiones, quæ hæretici vel ex Divinis 78
paginis, vel ex vita & moribus SS. Pontificum con-
fingunt, dabunt, & resolvent P. Mezger *cit. tract.* 10.
disp. 14. *art.* 2. §. 5. P. Panger *cit. l. quæst.* 6. Quibus
id unicum, tanquàm inexpugnabile scutum, oppono,
quod æterna Veritas Matthæi 23 ℣. 3. dixit: *in Ca-
thedra Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: quod ergo
dicunt, facite; secundùm opera verò eorum nolite fa-
cere.*

§. II.

*Sitne Pontificia Potestas supra Concilium Oecume-
nicum?*

Præmittendum I. Concilium Oecumenicum seu 79
universale desiderare primò mandatum vel appro-
bationem Pontificis; secundò illius vel Legato-
rum præsentiam; tertiò convocationem Episcopo-
rum totius Ecclesiæ. Sfondrati *Reg. Sacerdot. lib.*
2. §. 1. Reding *Cathedra Apostol. art.* 2. *disquis.*
1. *n.* 7. & *seqq.*

Præmittendum II. non tantùm in Ecclesia Ro- 80
mana ab ipsis Apostolorum temporibus ad nostra
usque sæcula, sed etiam in Ecclesia Hebraica, quin
& in tribubus Gentium de rebus majoris momenti, fi-
dem ac salutem concernentibus, conventus genera-
les fuisse institutos, quemadmodùm docet, & probat
idem Author *d. lib.* 2. § 2.

Præmittendum III. quæstionem, an Pontificia po- 81
testas supra Concilium se extendat? cum schismati-
bus post mortem Gregorii XI. exordium sumpsisse,
quando plures simul Pontifices Cathedram Petri am-
biebant. Sfondrati *d. lib.* §. 3. sententiam tamen
negativam post Concilium Constantiense vix à quo-
quam Catholicorum esse defensam, donec eandem,
ut scribit P. Mezger *cit. disp.* 14. *art.* 3. n. 1. Pari-
sienses Politici in Scholas totius Galliæ ante annos
non multos intruserunt.

Præmittendum IV. sententiam affirmativam esse 82
antiquissimam, in Concil. Trident. ut narrat Pallavi-
cin. *lib.* 24. *cap. num.* 12. ex decem partibus Patrum
à novem assertam, à modernis extra Galliam concer-
tantibus calculis roboratam, atque à nostra Universi-
tate, prælucentibus Viris, jam supra commendatis,
Eminentissimis & Illustrissimis, Sfondratô & Redin-
giô usque & usque propugnatam, ut monstrant *Theol.*
Clariss. P. Pauli Mezger *cit. disp.* 14. *art.* 3. *per tot.*
Collegium Juris Canonici Clariss. P. Ludovici Engel
lib. 1. *num.* 5. & *seqq.* *Selecta Juris Publici* Clariss. D.
Josephi Bernardi Gletle *cap.* 4. *numero* 4. &
seqq. *Quæstiones ex Universo Jure* Clariss. D.
Josephi Bonaventuræ Franz *quæst.* 1. *per tot.* Quibus
proinde suffragium eò promtior adjicio, quòd opposi-
tum dogma Apostolicâ censurâ notatum videam ab
Alexandro VIII. anno 1690. sequentem propositio-
nem damnante: *futilis, & toties convulsa est assertio de
Pontificis Romani super Conciliū Oecumenicum autho-
ritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infalli-
bili-*

bilitate. Argumenta hujus sententiæ sunt fortissima, eaque partim in §. 1. jam proposita, partim de novo proponenda.

83 Primum depromitur ex ipsis Conciliis, quæ, dum Pontificem à se judicari non posse, sed potiùs judicio Pontificio semet subesse profitentur, luculenter indicant, Pontificiam Potestatem esse supra Concilium. Audi Synodum universalem sub Leone III. & Carolo Magno congregatam: *Nos Sedem Apostolicam, quæ est Caput omnium DEI Ecclesiarum, judicare non audemus: nam ab ipsa nos omnes & Vicario suo judicamur; ipsa autem a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit: sed, sicut ipse Summus Pontifex consuevit, jubeat, canonicè obediemus.* Idem fatetur Concilium Florentinum, Romanum, Nicænum &c. de quo in *n.* 59. *& seqq.*

84 Argumentum secundum desumitur ex consensu SS. Patrum, Cyrilli, Cypriani, Athanasii, Isidori, Augustini, Hieronymi &c. quos citat Sfondrati *cit. lib.* 2. §. 11. *& seq.* è quibus Athanasius *in epist.* ad Felicem II. Papam scribit: *majores suos dogmata & ordinationes à Sede Romana accepisse, ad eamque quasi ad Matrem recurrisse, ejus uberibus nutriendos: Canonibus quippe sancitum esse, ut absque Romano Pontifice in majoribus causis decerni nihil debeat.* Et Isidorus *præfat. in opus Concil.* inquit: *Epistolas Romanorum Pontificum eorumque decreta non imparis esse cum Conciliis authoritatis, nec ullam Synodum legi ratam fuisse, quæ non fuerit authoritate Sedis Apostolicæ congregata vel fulta.* Conferatur etiam Reding *cit. art.* 2. *disquis.* 4. à n. 21.

85 Argumentum tertium deducitur ex Jure Canonico in *cap. ipsi sunt Canones* 16. *& seq. IX. q.* 3. ubi decernitur, ab omnium Judicum sententia dari provocationem ad Sedem Apostolicam: ab hac verò ulteriùs provocari non posse. Atqui is, ad quem ab omnibus provocari, & à quo ulteriùs provocari non potest, est Judex omnium Supremus. Ergo &c.

Nec valet dicere I. à Pontifice posse provocari ad
86 Concilium, quemadmodùm non semel esse provocatum à quibusdam Regibus, & antiqua & recens historia perhibet.

Pessima siquidem est consequentia ab eo, quod malè factum, ad id, quod faciendum est. Appellatio enim, à Pontifice ad Concilium interposita, tantùm abest, quòd admissa unquàm fuerit, ut etiam sub pœna excommunicationis in Bulla Cœnæ *casu* 2. sit prohibita.

87 Nec valet dicere II. constitutiones, appellationem à sententia Papali damnantes, ab ipsismet Papis in causa propria produisse. Nam, ut taceam, idem retorqueri posse in ipsum Concilium, quod, si appellationem ad se permitteret, in re propria disponeret: etiam Princeps alius Supremus in sua causa jus dicere potest ex *cap.* 1. *n.* 177. quia deficit Superior, à quo jus
88 sibi dici patiatur. Nec rationes desunt, quibus appellationis prohibitio manifestè commonstretur. Inprimis enim à Principe, qui Majestate nitet, non licet ad Concilium vel Regnum Principis appellare. Deinde nec à Vicario concessum est, ad Episcopum appellare. Ulteriùs ad seipsum, hoc est, eundem Judicem, implicat appellatio. Ergo, quia S. Pontifex Majestate fulget ex §. 1. quia est Vicarius Christi ex *eôd.* §. quia est Caput & Præses Concilii Generalis *cap. significâsti* 4. *de Elect.* nequit appellatio à Concilio ad Papam fieri. Cæteroquin non sinè vitio circuli à Concilio ad Papam, & à Papa ad Concilium provocatur.

89 Argumentum quartum eruitur ex natura statûs Monarchici, in quo Rex est Regnô superior. Sed status Ecclesiæ est status Monarchicus: tum quia unus est, cui Suprema potestas competit ex §. 1. tum quia unum corpus, quale est Ecclesia, difficulter regitur à multiplici capite: tum quia perpetuitas Ecclesiæ per regimen Monarchicum faciliùs prorogatur: tum quia non est credibile, quòd status Ecclesiæ sit deterior, quàm Synagogæ, qui fuit Monarchicus, Deuteron. 17. ℣. 9. Exodi 28. vers. 30. Num. 27. vers. 21. tum quia, testante Reverendissimò Gonzalez *cit. lib. de Verit. Relig. Cath. cap.* 6. *n.* 214. Joannes Gerson, Duvalius, & ipsa Universitas Parisiensis sententiam contrariam censuit esse hæreticam. Ergo Pontifex, qui in regimine Ecclesiastico Rex est, Ecclesiâ & Conciliô superior est.

Argumentum quintum adstruetur in *cap.* 6. ubi 90
sex modos acquirendi Jurisdictionem assignabimus, concessionem, præscriptionem, successionem, investituram, electionem, consuetudinem. Atqui Concilium neutrô ex his modis Jurisdictionem contra & supra Pontificem acquisivit. Ergo nullô. Prob. minor. Jurisdictio Ecclesiastica, quam Summam vocamus, nequit ab electione, præscriptione &c. & similibus modis provenire: quia provenit immediatè à DEO ex *sect.* 1. §. 4. Nequit etiam provenire à DEO per concessionem: quia ex §. 1. soli Petro concessa noscitur.

Argumentum sextum eruitur ex multifariis consi- 91
derationibus. I. quòd Pontifex habeat potestatem in & supra universalem Ecclesiam ex §. 1. & D. Bernardo *lib.* 2. *de considerat. ad Eugen. cap.* 9. ita disserente: *habent illi* (Episcopi) *sibi designatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed & Pastorum; tu unus omnium Pastor.* Ergo etiam supra Concilium, quod nequit esse majoris authoritatis, quam Ecclesia: utpote cùm Ecclesiam solummodò repræsentet. II. quòd sufficienter Ecclesiæ non foret provisum, si daretur Concilio supra Pontificem potestas: cùm experientia doceat, casus subitaneos occurrere, in quibus ne quidem convocatio Concilii, nedum sententia, potest exspectari. III. quòd unitas Ecclesiæ nequeat conservari, si plurium sententiæ & decisioni standum ac vivendum sit. IV. quòd summè periculosum sit, tradere discipulis, subditis, filiis, ovibus, facultatem judicandi, gubernandi, damnandi, puniendi, acta, facta, mores, doctrinam, Magistri, Domini, Patris, Pastoris. Quas & similes considerationes suavi pondere & gratâ soliditate deducit immortalis nominis Princeps & Cardinalis Sfondrati *d. lib.* 2. §. 13.

Objicies I. *cap. si Papa* 6. *Dist.* 40. ubi Papa sub- 92
jicitur judicio Concilii, quando reperitur à fide devius: nec non Concilium Constantiense, quod *sess.* 4. *&* 5. in casu schismatis Concilio Oecumenico tribuit universalem Jurisdictionem.

Resp. casum hæreseos & schismatis à conclu- 93
sione exceptum esse. Nam si Pontifex, quod absit, in hæresin incideret, non tam judicaretur à Concilio, quatenùs est Pontifex, quàm qui est Pontifex: quippe cùm per hæresin ipsô Jure desinat esse Pontifex, qui sinè fidei professione ad exemplum D. Petri non incepit esse Pontifex. Neque judicium hoc magis Jurisdictionale, quàm intellectuale est; seu, arbitrii magis quàm veri judicii figuram refert. Idem evenit, si plures Pontifices in schis- 94
mate creentur, nec constet, quis ex pluribus legitimè sit electus: tunc enim, cùm omnes simul & semel præesse nequeant, nisi Ecclesiam monstrosam dicere velimus; neque etiam uni quàm alteri potiora jura suffragari, supponantur: oportet, arbitrium esse penes Concilium, quisnam pro universali Pastore agnoscendus, aut tanquam Anti-Papa rejiciendus sit? Et hæc est definitio Concilii Constantiensis, cujus acta & authoritatem penficulatiùs expendit Sfondrati *d. lib.* 2. §. 17. idem faciendô circa Concilium Pisanum in §. 16. & Basileense §. 18. Adde Redingium *cit. art.* 2. *disquis.* 6. 7. *&* 8.

cap. 17. vers. 12. statutum erat; ut, *qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis* (Summi videlicèt) *imperio, morte moriatur.* Cur ergo Pontificem Maximum in novo testamento non suscipiant Reges & Principes, cùm ipsius Christi in terra vice fungatur? D. ab Audiern *Jurisprud. publ. lib. 1. tit. 5. part. 1. num. 10.*

106 V. Vel errare possunt Principes terræ in caussis fidei & spiritualibus, vel non? Si prius; fatearis oportet, Judice & judiciô illos indigere, & quidem unô, hoc est, Pontifice Maximô, ne ex pluralitate Judicum scindatur Ecclesiæ & fidei unitas, diversis diversas sententias proferentibus. Si posterius; affirmas aliquid incredibile: cùm enim Principibus, in tanto fastigio constitutis, nec potestas desit, nec cupiditas pro arbitrio imperandi; & nemo sit, qui potentiam aut cupiditatem Principum aut metu aut imperiô moretur; aliique, qui latus Principis stipant, ad benevolentiæ captandam auram plenis buccis omnia, quæ agunt Principes, comprobare nitantur: sanè credulitatem superat, errandi periculo Principes non subjacere, quippe quibus infallibilis Spiritus S. assistentia nunquam & nuspiam promissa legitur.

107 Quæ assertioni huic opponunt Sectarii, præsertim Conradus Einsidel de *Regal. cap. 1. à num. 35.* multa sunt, in compendio hîc referenda. Dicunt I. esse contra Politiæ principia, ut Principes, qui singulis imperare debent, vel uni subjiciantur. II. Scripturam jubere ad Romanos 13. *ut omnis anima* (& consequenter etiam Pontifex Romanus) *sublimioribus potestatibus subjecta sit.* III. Christum Matth. 17. jussisse, pro se & Petro Cæsari tributum (quod est signum subjectionis) solvi. IV. Pontifices ab Imperatoribus esse constitutos, & destitutos, dum Constantius Liberium, Justinianus Sylverium, Otto I. Joannem XII. Henricus III. Gregorium VI. proscribere, expellere, deponere; ac Otto Joanni Leonem VIII. Henricus Gregorio Clementem II. sufficere, conati sunt. V. à Pontificum sententia ad Imperatorum & Reges appellari posse.

108 Verùm, ut ut multa proferant Adversarii nostri, attamen non multùm proficiunt. Nam quòd I. in Politiæ principia nos impingere, clamitent, ostendunt, se meliores Politicos, quàm Christianos esse; si nempe Politia non ex scitis Evangelii, sed Gentium placitis, mensuretur. Evangelium enim docet, Ecclesiam esse unam, & unum ovile; Caput esse unum, & unum Pastorem: adeòque si Christiani Principes velint in Ecclesia & ovili manere, Caput & Pastorem unum, D. Petrum & ejus in Pontificatu successores, quoad ea, quæ salutem animæ spectant, venerari debent.

109 Quòd II. ex Scriptura dicant: animam omnem sublimioribus potestatibus esse subditam, vel accipiunt hanc propositionem in sensu absoluto, vel in sensu accommodo? Si in sensu absoluto; ipsos quoque Principes comprehendere, ac sublimiori potestati subjicere debent. Si in sensu accommodo, excipiunt Summos Principes; &, quia textus generalis est, æquè Summum Ecclesiæ Monarcham, quàm Reges sæculi. Cæterùm præclaram expositionem *cit.* textûs perspicere licet in *cap. sollicitæ 6. de M. & O.*

110 Quòd III. textum ex Matthæo de solvendo tributo attingant, aut se ipsos jugulant; aut, quòd integrum textum non citent, inhumanos ostendunt. Nam Christus ibidem ex Petro sciscitatus erat: *quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum: à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, ab alienis. Dixit illi JESUS: ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, da eis pro me & te &c.* Mala ergo consequentia: Christus & Petrus à tributo erant liberi: ergo subjiciebantur Cæsari. Hæc autem bona est: Christus & Petrus non tenentur solvere, quia liberi sunt: ergo subjecti non sunt. Sfondrati in *Gallia Vindic. dissert. 2. §. 3. n. 3.* 111

Quòd IV. ex constitutione & destitutione Pontificum argumentum fabricent, quoad prius assertum refelluntur ex *tract. nostro de Mod. Acquir. Prælat. cap. 1. sect. 6. num. 614. & plur. seqq.* Quoad alterum assertum reponit primò Sfondrati in *Regali Sacerd. lib. 2. §. 20.* Constantium Imperatorem Arianum eô jure Liberium in exilium relegasse, quô Nero Martyres est persecutus. Reponit secundò: Sylverium ad instantiam Theodoræ Augustæ, quòd Anthymum hæresis Euthychianæ damnatum restituere nollet, in exilium actum, eâ causâ prætextâ, quòd contra Imperatorem Justinianum cum Gothis colluderet; fictisque eam in rem literis, quæ colorem adderent calumniæ. Reponit tertiò: dubium esse, an Joannes XII. fuerit legitimus Papa? cùm eum metu & largitionibus intrusum potius toleraverit, quàm elegerit Ecclesia: ideòque ex principio dubio non erui medium idoneum veritatis demonstrandæ: interim Leonem, Joanni surrogatum, non agnitum ab Ecclesia, sed post obitum Joannis à Clero & Cardinalibus Benedictum V. fuisse renuntiatum. Reponit quartò: Gregorium VI. cùm videret ex una parte armatum contra se Henricum Regem, eumque implacabilem; ex altera verò parte imminens Ecclesiæ schisma, sponte Papatu abiisse. Clementem verò II. omnium Romanorum consensu Gregorio suffectum esse, narrat idem Author in *prælud. ad Reg. Sacerd. §. 1. pag. 98.*

Quòd demùm V. à Pontifice possit appellari ad 112
Reges, id quidem asserere conatus est Maymburgus, scriptor Gallicus, eò prætextu, quasi ad Regem, velut ad Canonum Protectorem, spectet, providere, ne quid attentetur illis contrarium; imo & Bullas, sententias, legesque Ecclesiasticas ad examen, Judiciumque suum revocare, arbitrarique, an aliquid Canonibus ac Galliæ libertatibus adversum complectantur. Sed à Sfondrato in *Gallia vindic. diss. 3. §. 2.* tam solidis argumentis refellitur, ut præfractæ & induratæ cervicis sit, quisquis cum Maymburgo sentiens ad sinceræ veritatis agnitionem non
movetur. Demus enim (loquor cum eod. Purpura- 113
to *d. l. num. 3.*) injustas esse Pontificum sententias: num ideò, quia injustæ sunt, debent majori injustitiâ propulsari? Quæ verò major injustitia, quàm privatam injuriam publicô Ecclesiæ dedecore ac damnô vindicare, eamque non alieno tantùm tribunali, sed etiam minori subjicere? Si ergo Reges suâ potestate abuti contingat: an ideò privatis civibus à Regia sententia obtentu abusûs ad Parlamentum appellare licebit? Et, si quis id audeat, non in illum tanquàm læsæ Majestatis reum vindicabunt? Si ergo nullô abusus prætextu appellari à Rege ad Parlamentum licet, quantò minùs licebit à Pontifice ad Regem? Recole dicta à *n. 86.*

§. IV.

Sitne Jurisdictio Pontificia in infideles & hæreticos?

Certum in præsenti quæstione, quæ quartum 114
obtinet locum, est I. in infideles non baptizatos Pontifici non constare Jurisdictionem directam & ordinariam. Molina de *J. & J. tr. 2. disp. 29. num.*

14. Patet ex Concilio Tridentino *seß. 14. cap. 2. de pœnitent.* dicente: *Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non priùs in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus: quid enim mihi,* inquit Apostolus, *de iis, qui foris sunt, judicare?* Atque ex hoc principio in *tract. de Jure Leg. cap. 5. n. 124.* decisum est: infideles Legibus Ecclesiæ *non* ligari.

115 Certum est II. in hæreticos Pontifici Jurisdictionem directam & ordinariam competere. Patet ex *tot. tit. Juris Canonici X. & in 6. de Hæreticis*, ubi varias pœnas circa hæreticos SS. Pontifices præscripserunt: sinè dubio ideò, quia hæretici per baptismum intrant in Ecclesiam, & illius Jurisdictioni se se submittunt. Unde in *cit. loc. n. 122.* conclusimus, hæreticos constitutionibus Ecclesiæ non secus ac Catholicos ligari.

116 Dubitari autem posset I. de infidelibus: an non Pontifex ad fidem Catholicam suscipiendam eos compellere possit?

Resp. I. infideles per se loquendô & directè ad fidem compelli non posse. Ita post plurimos citatos respondent Covarruv. *in relect. cap. peccatum p. 2. §. 10. n. 2.* P. Engel ad *tit. de Judæis n. 10.* Gonzalez ad *cap. Judæis sub. tit. n. 5. & seqq.* P. Mezger *cit. tr. disp. 29. a. 1. §. 3. n. 19.* Ratio est: quia omnis compulsio supponit jus Jurisdictionis, quod Ec-
117 clesiæ in *num.* 114. quoad infideles negatum est. Suffragantur etiam textus Canonici in *cap. de Judæis 5. Dist. 45. cap. multi 18. II. q. 1. cap. sicut 9. de Judæis* in quibus locis dicitur, infideles ad fidem invitos non esse cogendos: quia, ut D. Athanasius *in Epist. ad solitar.* loquitur, *piæ Religionis proprium est, non cogere, sed suadere*; &, ut D. Ambros. in *Epist. 2. ad Corinth. cap. 1.* notat, *fides non necessitatis sed voluntatis res est*; & ut D. Bernardus *serm. 66. in Cant.* advertit, *fides suadenda est, non imperanda.*

118 Equidem in *cap. 14.* Lucæ dicitur: *exi in vias & sepes, & compelle intrare.* Sed hoc accipiendum est de compulsione exhortatoria, non vindicativâ, aut Jurisdictionali, quòd nempe prædicatione & propositione Verbi Divini infideles ad fidem trahendi potiùs, quàm urgendi sint, juxta D. Augustinum de *concord. Evangel.* Vel, si hæc responsio displiceat, dici potest, textum Lucæ de hæreticis loqui, qui cum Ecclesiam per baptismum ingressi, separent se ab ejus unitate, non tantùm opportunè, sed etiam importunè, ut regrediantur, compelli possunt.

119 Resp. II. infideles, si prædicationi aut dilatationi Evangelii resistant, à Pontifice & Principibus Christianis coerceri posse. Authores supra nominati. Ratio est: quia Ecclesia potestatem accepit, ubique Gentium prædicandi, & dilatandi Evangelium. Ergo etiam accepit potestatem, eos, qui resistunt Evangelio, coërcendi: quia, concessô fine, conceduntur etiam media. Ergo, si Gentiles, Pagani, vel Judæi obicem ponant, quò minùs explicari possit Verbum DEI, velut injusti turbatores Jurisdictionis Ecclesiasticæ, vel ab Ecclesia, vel à Christianis Principibus, ceu Advocatis & Defensoribus Ecclesiæ, bellô aliôve modô coerceri possunt, prout per Imperatores & Reges Catholicos jam sæpiùs est factum.

120 Dubitari posset II. an S. Pontifex in Lutheranos & Calvinistas in Imperio Romano Jurisdictionem aliquam exercere possit? Ratio dubitandi est: quia contra Jurisdictionem stat Pacificatio Religiosa & Monasteriensis, vigore cujus Jurisdictio Ecclesiastica in terris Protestantium suspensa est: pro Jurisdictione econtrà militat, quòd Sedes Apostolica suô assensu non tantùm non firmaverit hanc Pacem, sed etiam verbis & scriptis infirmaverit, ut constat ex Bulla Innocentii X. quæ incipit: *Zelô domûs DEI*, editâ 20. Novemb. 1648.

Resp. Jurisdictionem utique competere Pontifici, 121
utpote quam abdicare à se nec potuit, nec voluit, Jure Divinô reclamante. Et licèt Pax Religiosa impedimento sit, quò minùs Jurisdictione tam liberè, sicut anteà factum, utatur: attamen utitur, quantùm potest, ut constat ex Bulla Cœnæ *casu* 1. &, si non uteretur, nihilo minùs non amitteret: quia per nonusum Jurisdictionem Divinitus concessam tolli non posse, in comperto est. Sed de hoc alibi.

SECTIO III.

De Objecto Jurisdictionis Summæ Ecclesiasticæ.

SUMMARIA.

122. *Objectum Jurisdictionis Ecclesiasticæ sunt primò causæ fidei.* 123. *Deducitur hujus asserti veritas ex SS. Literis.* 124. *Ex SS. Canonib.* 125. *Ex Conciliis.* 126. *Ex SS. PP.* 127. *Ex perpetuo usu Ecclesiæ.* 128. *Ex multiplici ratione.* 130. *Secundò ad objectum Jurisdictionis Ecclesiasticæ pertinent causæ spirituales.* 131. *Probatur.* 132. *In specie canonizatio SS.* 133. *Approbatio Ordinum.* 134. *Sacramentorum administratio.* 135. *Potestas fori interni.* 136. *Causæ Matrimoniales.* 137. *Ecclesiarum ordinatio.* 138. *Res & personæ Ecclesiasticæ.* 139. *Leges Ecclesiasticæ* 140. *Materia Votorum &c.* 141. *S. Pontifex non habet Jurisdictionem temporalem directam.* 142. *Probatur variis textibus.* 143. *& seqq. Probatur variis rationibus.* 146. *& seqq. Referuntur Authores, qui Pontifici Jurisdictionem directam asserunt, & abnegant.* 150. *& seq. Suggeritur discrimen inter Jurisdictionē directam & indirectam.* 152. *& seqq. Varii textus & exempla S. Scripturæ ad probandam Jurisdictionem in directam.* 157. *& seqq. Multi textus ex Jure Can. cum refutatione responsionis adversæ.* 161. *& seqq. Duo Concilia Generalia, Lateranense & Lugdunense.* 168. *& SS. Patrum testimonia.* 171. *& seqq. Rationes non paucæ.* 176. *& seqq. Enervatur primum argumentum contrarium cum additis insinuatis.* 184. *& seq. Alterum argumentum cum suis appendicibus dissolvitur.* 197. *& seqq. Tertium argum. cum sua confirmatione dispellitur.* 206. *& seqq. Reliqua argumenta diluuntur.*

§. I.

Quanta & qualis sit potestas S. Pontificis circa dogmata fidei Catholicæ?

OBjectum Jurisdictionis Summæ Ecclesiasticæ, quam in *anteced. sect.* soli Romano Pontifici assertam dedimus, sunt causæ, circa quas versatur. Et quidem haud dubiè Jurisdictio principaliter versatur circa fidei dogmata, quæ, si dubia videantur, decidere, ac toti Ecclesiæ extra & intra Concilium credenda proponere, spectat ad Summum Pontificem. 122

Deducitur hæc Catholicorum assertio I. ex SS. Literis, tum Veteris, tum Novæ Legis. Etenim in Deuteron. 17. Sacerdotum Principi jus erat, causas circa Leges dubias discutiendi; populo verò obligatio incumbebat, discussionem Sacerdotalem absque ulteriori provocatione exequendi. In Evangelio Matthæi 16. Petrus fundamentum Ecclesiæ constitutus est, tanta cum fidei firmitate, ut portæ inferi prævalere non possint adversùs eam: sicque non aliunde, quàm 123

quàm à Petro & successoribus, fidei nostræ certa dogmata petenda sunt. In Evangelio Lucæ 22. refertur Christus dixisse Petro: *ergo autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: adeòque fides Petri non tantùm indefectibilis est quoad personam Petri, sed etiam quoad Ecclesiam, cui fidei fundamenta Petrus per se & successores largitor. Hæcque est ratio, cur à Paulo Apostolo Ecclesia dicatur *columna & firmamentum veritatis*. 1. Timoth. 3.

124 Deducitur II. ex SS. Canonibus, in quibus Sacri Legislatores unò calamô & ore testantur, in ambiguis fidei rebus ad Sedem Apostolicam recurrendum; quòdve Summus illius Sedis Antistes definiverit, pro indubitata fidei regula tenendum esse. Ita textus in *cap. non decet* 1. *cap. præceptis* 2. *Dist.* 12. *cap. si Romanorum* 1. *cap. sic omnes* 2. *cap.* 3. 4. 5. 6. 7. *Dist.* 19. *cap. de libellis* 1. *cap. si de creta* 2. *Dist.* 20. *cap. omnes* 1. *Dist.* 22. *cap. memor sum* 10. *cap. quoties* 12. *cap. hæc est* 14. *cap. quoniam.* 25. *cap. quicunque* 27. *cap. schisma* 34. *XXIV. q.* 1. *cap. majores* 3. *de Baptismo.*

125 Deducitur III. ex Conciliis universalibus quorum decisiones frequentissimas ad propositum refert, & illustrat Cardinal. Sfondrati *lib.* 3. §. 4. Unicam Generalis Concilii, Romæ sub Nicolao II. annô 1058. celebrati, definitionem, in *cap. si quis* 18. *XXV. q.* 2. contentam, attigisse suffecerit: *si quis* (ait S. Synodus) *dogmata vel decreta pro Catholica fide, aut Ecclesiasticæ fidei disciplina, à Sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata, contempserit, anathema sit.*

126 Deducitur IV. ex uniformi SS. PP. doctrina, latè expensa & exposita à *citat.* Card. *d. lib.* 3. §. 5. & Reding *d. art.* 4. *disquis.* 5. *à n.* 68. Inter quos D. Ambrosius *epist.* 1. *ad Ageruchiam*: *in omnibus*, ait, *Romanæ Ecclesiæ formam & typum sequimur.* D. Augustinus *epist.* 57. *in verbis*, inquit, *Apostolicæ Sedis tam antiqua atque fundata, certa & clara est Catholica fides, ut nefas sit, de illa dubitare, Christiano.* D. Anselmus de *Incarnat. Verbi cap.* 1 *Divina*, scribit ad Papam, *Clementia vestram elegit Sanctitatem, cui vitam & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret. Ad nullum itaque rectiùs refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, ut ejus authoritate corrigatur, nec ulli alii tutiùs, si quid contra errorem respondetur, ostenditur, ut ejus prudentia examinetur.*

127 Deducitur V. ex perpetuo Ecclesiæ usu, quô credentes vel asserentes aliquid contra definitionem Sedis Apostolicæ pro hæreticis habiti, judicati, atque à S. Pontifice extra & intra Concilium damnati sunt. Probat hanc deductionem Sfondrati *d. lib.* 3. § 6. ac in *n.* 5. de hæresi Valentini, Cerdonis, Marcionis, Montani, Theodoli, Pelagii &c. ex probatissimis Authoribus ostendit, eam cum Capitibus suis à solo Pontifice proscriptam fuisse.

128 Deducitur VI. ex ratione: quia res fidei non tantùm sublimes sunt, atque ab oculis nostris, stellarum instar, procul remotæ, sed etiam obscuræ sunt, sub velamine, involucro, & ænigmate propositæ: ideòque si ambiguitas in fidei articulis emergat, Supremum Ecclesiæ Judicem agnoscere, eique potestatem, genuinum Scripturæ sensum interpretandi, ac ambiguos fidei articulos decernendi, tribuere debemus: alioquin vel Ecclesiæ dissolvetur unitas, vel
129 fidei nostræ nulla erit firmitas. Neque ad Concilia tutò confugere licebit: hæc enim & difficulter congregantur; & congregata nescio quot exceptiones patiuntur; & illorum decisiones ante ultimatam Papæ roborationem viribus & efficaciâ sunt vacuæ. Sfondrati *d. lib.* 3. §. 7. Reding *d. art.* 4. *disquis.* 2. §. 1, *n.* 10.

§. II.

Sitne S. Pontifici æqualis Potestas circa causas Spirituales?

Simili certitudine versatur Pontificia Potestas cir- 130
ca reliquas causas spirituales, quæ scilicet spiritualem
animæ salutem, DEI honorem, ac statum Ecclesiæ
&c. concernunt. Textus in *cap. cùm ad verum* 6. *&*
seqq. Dist. 96. *cap. Ecclesia sancta Maria* 10. *de*
Constitut. cap. sollicita 6. *de M. & O. cap. decernimus*
2. *cap. novit.* 13. *de Judic.* Ratio ex dictis in 2. *ante-* 131
cedentibus sectionibus desumitor: quia enim Petro &
Petri successoribus Regimen Ecclesiasticum à DEO
homine demandatum est; idque pro fine suo immediato
habet spiritualem & supernaturalem beatitudinem:
sanè Jurisdictio, quam in Pontifice quà tali
agnoscimus, per se primò circa causas spirituales debet
esse occupata.

In specie autem ad Jurisdictionem Pontificiam 132
spectat I. Canonizatio Sanctorum *cap. audivimus* 1.
& seq. de Reliq. & Venerat. Sanct. cap. un. eôd.
in 6. Concil. Trid. *sess.* 25. *in decret. de Invocat. Sanctor.*
II. approbatio & confirmatio novorum Ordi- 133
num Religiosorum *cap. ult. de Religios. dom. cap. un.*
in pr. eôd. in 6. *Extravag. un. eôd. inter commun.*
III. Sacramentorum, ritè administrandorum, cere- 134
moniæ, ritus accidentales, tempora, ministri, eorum
qualitates &c. Concil. Trident. *sess.* 21. *de Commun.*
cap. 2. *& tot. tit. de Tempor. Ordin. Sacra unct. Sacramentis*
non iterand. Baptismo &c. IV. plenissima 135
fori interni ac pœnitentialis potestas, quoad remissionem
& reservationem peccatorum. Concil. Trid. *sess.*
14. *cap.* 5. *de Sacram. Pœnit. t. t. de Pœnitent. & Re-*
miss. V. cognitio & discussio causarum Matrimonia-
lium. Trident. *sess.* 24. *de Matrimon. can.* 12. *cap.* 136
tuam 3. *de Ord. cognit. cap. ex literis* 1. *de Consan-*
guin. & affinit. VI. amplissimum jus circa Ecclesia-
rum, majorum & minorum, erectionem, divisionem, 137
unionem, suppressionem, limites, &c. *cap. urbes* 1. *Dist.*
80. *cap. provincia* 1. *Dist.* 99. *cap. pastoralis* 9. *de*
iis quæ fiunt à Prælat. sine consensu Capit. VII. Perso-
narum, Rerum, ac Jurium Ecclesiasticorum ordinatio, 138
custodia, dispositio, dijudicatio *cap. cuncta* 17. *IX. q.*
3. *cap. decernimus* 2. *cap. at si Clerici* 4 *de Judic.*
cap. si diligenti 12. *cap. significâsti* 18. *de Foro compet.*
cap. licet 12. *de Præb.* in 6. *Clem. si duabus* 1. *in fin.*
Ut lite pend. VIII. Legum Ecclesiasticarum consti-
tutio, promulgatio, relaxatio &c. juxta decisa de *Ju-* 139
re Legali cap. 5. IX. votorum, juramentorum, cen- 140
surarum, interpretatio, absolutio &c. Quæ & alia
causarum spiritualium capita in peculiaribus titulis re-
ferunt Canonistæ, inter quos summatim ea exhiben-
tes videri possunt P. Engel ad *tit. de M. & O.* §.
1. P. Wiestner ad *tit. de Offic. Judic. Ord. art.* 1.

§. III.

Habeàtne S. Pontifex Jurisdictionem directam circa causas temporales?

Jurisdictionem Pontificiam circa causas fidelium
temporales tam amplam & extensam esse, quàm am- 141
plam & extensam circa spirituales & fidei causas defendimus,
aliqui cum Azore *Instit. Moral. p.* 2. *lib.*
10. *cap.* 6. docuerunt. Sed extra territorium Summi
Pontificis, in quo Principem Sæcularem & Supremum
repræsentat, directam ei potestatem circa temporales
& politicas causas non competere, docent
potissimi DD. è quibus nomino Cardinalem Bellarminum
in *tr. de Pot. Papæ in temporal. cap.* 1. 2. 3.
5. *& passim*; Card. Sfondratum *Regal. Sacerdot. lib.* 1.

§. 1. *n.* 2. Redingium *Cathedra Apostol. art.* 1. §. 5. Molinam de *J. & J. tr.* 2. *disp.* 29. *à numero* 11.

142 Enimverò ipsimet Pontifices, ceu sincerissimi Jurium suorum Interpretes, fatentur, circa res temporales quemlibet Principem in suo Principatu Supremum esse, nec Pontifici, sed Principi dominatum constare. Ita Nicolaus I. in *Epist.* ad Michaëlem Imperatorem, relatus in *cap. quoniam* 8. *Dist.* 10. & in *cap. cùm ad verum* 6. *Dist.* 96. Innocentius III. in *cap. sollicita* 6. *de M. & O. cap. novit.* 13. *de Judic. cap. per venerabilem.* 13. *Qui filii sint leg.* Alexander III. in *cap. si duobus* 7. §. *denique de Appellat. cap. causam quæ.* 7. *d. t. Qui filii sint legit.* Clemens V. in *Extrav. meruit* 2. *de Privileg. inter commun.* Stephanus VI. in *Epist. ad Basilium Imperatorem*; Gregorius II. in *Epist. ad Leonem Isauricum Imperatorem*, quam utramque ex Baronio refert Cardin. Sfon-
143 drati *loc. cit.* Ratio est: quia imprimis deficit Authoritas, quâ ejusmodi potestas legatur Pontifici delata: licèt enim Vicarius sit Christi, à Christo deputatus, qui utramque, temporalem & spiritualem Jurisdictionem, habuit; attamen est Vicarius solùm in spiritualibus; Vicariatu in temporalibus penes Principes Supremos existente juxta textus Sacros Matth. 22. v. 12. ad Rom. 13. *v.* 1. & 7. 1. Petri 2. *vers.* 13. Proverb. 8. *vers.* 15. & 16.
144 Deinde hæc potestas neque necessaria est Pontifici, utpote cui non corpora sed animæ: non pascua, sed oves; nec pecuniæ, sed claves Regni Cœlorum sunt concreditæ: neque etiam utilis est, cùm nimia circa res temporales distractio non sinat animum spiritualibus intendere, juxta illud Apostoli 2.
145 ad Timoth. v. 4. *nemo militans DEO implicat se negotiis sæcularibus.* Prætereà damnosa potiùs existeret potestas, ratione cujus Pontifex causarum temporalium Ordinarium Judicem inter Magnates ageret: cùm enim communis omnium Pater & Mediator esse debeat, ac, judiciô duorum susceptô, hôc ipsô quòd uni, etiam justè & jure, faveret, alteri suspectum de studio partium se redderet, nil aliud haberet exspectandum, quàm aversionem, & ipsam vindictam.

§. IV.

An S. Pontifici Jurisdictio saltem indirecta competat in causis temporalibus?

146 Eadem prorsus ratione, quâ S. Pontifici primùm anteà negata fuit Jurisdictio directa, negandam esse Jurisdictionem indirectam in causis temporalibus, amænâ quidem dicendi suavitate, sed licentiosâ calumniandi consuetudine, annis abhinc centum & ultra, probare conatus est Guilielmus Barclaius in libro, quem inscripsit de *Potestate Papæ: an & quatenùs in Reges & Principes Sæculares Jus & Imperium*
147 *habeat?* Consimili stylô Pontificiam Jurisdictionem lacessivit Maymburgus, suamque in partem non paucos ex Doctoribus & Scriptoribus Gallicis pertraxit, impensiùs Aulæ, quàm Ecclesiæ; prolixiùs Sequanæ,
148 quàm Tyberi faventes. Sed Barclaium, Maymburgum, & illorum fautores tam generosè impugnârunt, tam dextrè confutârunt, tamque feliciter detriumphârunt omni laude superiores Triumviri, in *n.* 141. laudati, nempe Cardinalis Bellarminus, Cardinalis Sfondrati, & Augustinus Reding, ut mirum sit, adhucdum aliquos reperiri, qui tantis Viris obstrepere, ac Barclaio vel Maymburgo subscribere non formi-
149 dent. Quasi verò res dubia, ac liberæ hominum opinioni sit obnoxia quæstio de Summi Pontificis Jurisdictione indirecta: cùm, uti posteà liquescet, Sacræ Literæ, Concilia, Patres, Canones eandem Pontificis Potestatem luculenter enuntient, & contraria sententia, ut loquitur Bellarmin. in *præfat. ad tract. de Pot. Papæ*, tanquàm singularis, Scriptoribus Catholicis omnibus, tum Theologis, tum Sacrorum Canonum, ac Civilium Legum Professoribus repugnet.

Ne tamen, ut sæpe inani verbositate conqueritur 150
Barclaius, præsertim in *cap.* 5. id asseramus Pontifici per Jurisdictionem indirectam, quod in priori §. negavimus per Jurisdictionem directam, oportet prænotare, quòd *indirecta* Jurisdictio *temporalis* (quam etiam licet *extraordinariam* appellare) dei Pontifici potestatem, in certis duntaxat circumstantiis causas sæculares tractandi, Principum & Regum decreta vel Leges corrigendi, ipsos Principatu vel Regno exuendi, eorumque subditos à juramento fidelitatis absolvendi, quando nimirum id exigit honor DEI, necessitas aut utilitas Ecclesiæ, salus animarum, & bonum spirituale: cùm enim Jurisdictio Pontificia principaliter & directè versetur circa negotia spiritualia, per indirectam & necessariam quasi consequentiam occupatur circa negotia temporalia, quatenùs hæc ad illa destinantur aut ordinantur. Vel, ut omnem voca- 151
buli dubietatem effugiamus, dicere libet, Jurisdictionem Pontifici qua tali non aliam, quàm spiritualem, competere; hanc tamen interdum ad causas temporales extendi, non per se, sed reductivè ad finem & felicitatem spiritualem; proindeque Jurisdictionem Pontificiam ex objecto subinde temporalem appellari posse, ex fine tamen & intentione primaria semper spiritualem esse vocandam. Hôc prænotatô,

Explicata Summi Pontificis Jurisdictio, indirectè, 152
temporalis, probatur I. ex S. Scriptura. Nam in *lib.* 2. *Paralipom. cap.* 26. legitur, Oziam à Summo Sacerdote Regnô fuisse privatum, quòd ad sacrum ministerium manus profanas extendendô lepram sibi consciverit. Néve cum Barclaio in *cap* 73. respondere possis, Oziam, non tam Regnô, quàm administratione privatum, Regnum per suum filium Joathan, paterno nomine imperantem, administrâsse; juverit, ipsamet Scripturæ verba recitare in *d. cap.* 26. *vers.* 21. *Fuit igitur Ozias Rex leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separata* (Josephus *lib.* 9. *antiquit. cap.* 11. apud Bellarminum *cap.* 37. addit, quòd vixerit privatus in domo solitaria) *plenus lepra, ob quam ejectus erat de domo Domini. Porro Joathan filius ejus rexit domum Regis, & judicabat populum terræ.* Quibus in verbis nihil exprimitur de administratione vel gubernatione, alienô nomine factâ, veluti somniavit Barclaius. Videatur etiam Sfondrati *lib.* 1. §. 2. *n.* 5.

In eôd. *libro Paralip. cap.* 23. & 4. *Reg.* 11. re- 153
fertur, quòd Joiada Pontifex Athaliam Reginam Regnô, quod injustè occupaverat, &, connivente populô per sexennium gesserat, idolorum cultu noviter invectô, spoliatam interfici jusserit, ac filium ejus Joas in Regem coronaverit. Quod sanè non fecisset Joiada, vel saltem non permissus fuisset à populo facere, nisi Reipublicæ salus spiritualis propter idololatriam periclitâsset. Vid. Sfondrati n. 2.

In Testamento Novo Salvator & Legifer noster 154
D. Petro & ejus Successoribus universalem & absolutam concessit potestatem tum oves pascendi *Joan.* 21. tum ligandi ac solvendi super terram, ac claudendi vel recludendi januam cœlestem *Matth.* 16. Consequenter si quid super terram inveniatur, quod obicem ponat consecutioni Regni cœlestis, Summi Pontifices illud removere, ac temporalia, ne spiritualibus obsint, tollere valent.

Idem Servator, cùm apud *D. Lucam cap.* 22. A- 155
postoli dicerent: *ecce duo gladii hic*; respondit, *satis est*: volens innuere, duplicem Ecclesiæ gladium competere, temporalem unum, quem apud D. Matthæum

tharum *cap. 26. vers.* 52. recondi voluit in vaginam,
utpote non vindictæ, sed causâ necessitatis arripien-
dum; spiritualem alterum, ut exponunt SS. Patres
apud Cornelium à Lapide in *cit. loc. Matth. num.* 5.
& Bonifacius VIII. in *Extravag. un. de M. & O.
inter commun.* Sfondrati *d. l. n.* 8.
Apostolus, ad Corinthios scribens, *epist. 1. cap. 6.* gra-
156 viter, in ipsos invehitur: *audet aliquis vestrum, habens
negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & nō
apud Sanctos? An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo
judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni es-
tis, qui de minimis judicetis? Nescitis, quoniam Angelos
judicabimus; quantò magis sæcularia? Sæcularia igitur
judicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia,
illos constituite ad judicandum.* An non Apostolus in
hoc loco luculenter agnovit in Ecclesia Potestatem
circa temporalia, quæ propter spiritualia sunt condita?
Probatur II. ex Jure Canonico per textus insolubiles
157 in *cap. venerabilem 34. de Elect. cap. novit 13. de Judic.
cap. licet 6. de Voto & Voti redempt. cap. per venerabi-
lem 13. Qui filii sint leg. cap. grandi 2. de supplenda ne-
glig. Prælat. in 6. cap. ad Apostolicæ 2. de Sent. & re ju-
dic. in 6. Extrav. si Fratrum un. Joannis XXII. Ne Sede
Vac. Extravag. unam sanctā de Major. & Obed. & Ex-
travag. meruit 2. de Privileg. inter commun.* Quos om-
nes textus, præmissâ historiæ face, ad scopum nostrum
eruditissimè dilucidat Cardinal. Sfondrati in *Regali
Sacerd. d. lib. 1. à §. 3. usque ad §. 13.* ac reflexio-
nibus & argumentis Theologicis quam solidissimè
roborat Reding *Cathedra Apostol. art. 1. à num.* 40.
Nec licebit, cum Barclaii fœderatis opponere,
158 textus memoratos ex domo propria fuisse petitos:
nam S. Pontifex, ceu legitimus Divini Juris In-
terpres, utique Potestatem, Divinitus sibi con-
cessam, in tota, quâ patet, latitudine potest ex-
plicare; nec alteri, qui genuinum S. Pontificis &
S. Matris Ecclesiæ filium se profitetur, interpreta-
tionem Pontificiam aspernari, vel sub censuram voca-
re concessum erit. Sanè quod Innocentius III. in *cit.*
159 *cap. novit 13. de Judic.* asseruit, Potestatem sibi compe-
tere, de omni peccato judicandi, non ex proprio cere-
bro, sed sacris paginis decerpsit: liquidè apud *Matth.*
18. *vers.* 15. ubi traditur modus fraternæ correctio-
nis, expressè tribuitur Ecclesiæ Potestas, de quo-
vis peccato sumendi judicium, & ita quidem, ut, *qui
Ecclesiam non audierit, sit sicut ethnicus & publicanus.*
Quæ ipsa comminatio timorem incutere debet om-
160 nibus, qui Pontifici, velut Ecclesiæ Oraculo, quid-
piam circa limites Potestatis suæ dicenti vel sta-
tuenti, benevolas subtrahunt aures, aut (quod im-
pudentius, imò sacrilegium est) illius Potestatem in
dubium vocare, vel etiam eludere non erubescunt.
161 Probatur III. ex Conciliis Oecumenicis, è quibus
duo duntaxat principaliter attingo, Lateranense nimi-
rum, quod sub Innocentio III. annô 1215. congrega-
tum, refertur in *cap. excommunicamus 13. de Hæret.* &
Lugdunense, quod annô 1245. sub Innocentio IV. ce-
lebratum, recensetur in *cap. ad Apostolicæ 2. de Sent. &
re judic. in 6.* In illo adversùs hæreticos in hæc verba
162 statuitur: *excommunicamus, & anathematizamus om-
nem hæresim, extollentem se adversùs hanc sanctam Or-
thodoxam Catholicam fidem, quam superiùs exposuimus
&c.* Et infra: *si verò Dominus temporalis, requisitus &
admonitus ab Ecclesia suam terram purgare neglexerit
ab hæretica fœditate, per Metropolitanum & Compro-
vinciales Episcopos excommunicationis vinculô innode-
tur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significe-
tur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipse Vasallos ab ejus
fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catho-
licis occupandam &c.* In illo sequenti modô statuitur:
163 *Nos itaque super præmissis, & quàmpluribus aliis ejus*
(Friderici II. Imperatoris) *nefandis excessibus, cum
Fratribus nostris, & sancto Concilio, deliberatione præ-
habitâ diligenti, cùm JESU Christi vices, licèt imme-
riti, teneamus in terris, nobisque in B. Petri persona
dictum sit: quodcunque ligaveris super terram, ligatum
erit & in Cœlis, memoratum Principem, qui se Imperio,
& Regnis, omnique honore & dignitate reddidit indi-
gnum, quique propter suas iniquitates à DEO, ne regnet,
vel imperet, est abjectus, suis ligatum peccatis, & abjec-
tū, omnique honore & dignitate privatum à Domino o-
stendimus, & denuntiamus, & nihilominùs sententiandô
privamus; omnes, qui ei fidelitatis juramentô tenentur
adstricti, à juramento hujusmodi perpetuò absolventes
&c.* Et infra: *Illi autem, ad quos in eodem Imperio Im-
peratoris spectat electio, eligant liberè successorem.*
Quid ad illa Barclaius & ejus sectatores? An 164
Pontificem simul & Concilium de studio partium
accusabunt; cum tamen utrumque fuerit œcumeni-
cum, ac priori, præter ingentem numerum Episco-
porum & Archi-Episcoporum, Legati Imperatorum
Occidentis & Orientis, nec non Regum Hierosoly-
mæ, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ & Cypri adfuerint;
in posteriori verò, præter numerum Archi- & Epis-
coporum æquè notabilem, Balduinus Imperator
Orientis cum multis aliis Principibus, & Sanctus Lu-
dovicus, Francorum Rex, præsentes exstiterint, nec
ullus ex his contradixerit? An omninò procaciter as- 165
severabunt, Pontificem unà cum generali Concilio
limites suæ potestatis excessisse, ac in re tam momen-
tosa, Ecclesiam & Imperium concernente, errâsse;
sicque plus credendum esse Doctori cuidam politico,
quàm Ecclesiæ universæ, per Concilium repræsenta-
tæ? Absit ab homine Catholico tam inaudita proter- 166
via! Quod enim S. Pontifex, approbante Conciliô,
legitimè congregatô, definit & statuit, illud citra hæ-
reticos notam improbari, vel erroris redargui non po-
test. Neque ad alium, quàm Pontificem & Conci- 167
lium, spectare potest decisio quæstionis Pontificiæ,
utpote quam colligere debemus ex sacro Codice, de
cujus genuino sensu judicare, non est alterius Potes-
tatis, quàm Ecclesiasticæ. Videatur Card. Bellarmi-
nus in *tract. de Pot. Papæ in præliminaribus pag. m.*
36. *& seqq.* & Sfondrati *d. lib.* 1. §. 12. ubi Concilii
Constantiensis authoritatem adducit.
Probatur IV. è SS. PP. testimoniis, quorum plu- 168
rima referunt idem Bellarmin. *d. l. pag. mihi num.*
11. *& seqq.* Sfondrati *d. l.* §. 15. & 16. Reding *d.
l. à num.* 45. Sed tria præcipuè huc transferuntur.
Primum est S. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angeli-
ci, qui in 2. 2. *q.* 10. *art.* 10. „ considerandum est,
„ inquit, quòd dominium vel Prælatio introducta
„ sunt ex Jure humano: distinctio autem fidelium &
„ infidelium est ex Jure Divino: Jus autem Divinum,
„ quod est ex gratia, non tollit Jus humanum, quod
„ est ex naturali ratione: ideò distinctio fidelium &
„ infidelium, secundùm se considerata, non tollit do-
„ minium, & Prælationem infidelium supra fideles.
„ Potest tamen justè per sententiam vel Ordinationem
„ Ecclesiæ, authoritatem DEI habentis, tale jus do-
„ minii vel Prælationis tolli: quia infideles meritò
„ suæ infidelitatis merentur potestatem amittere su-
„ per fideles; qui transferuntur in filios DEI; sed
„ hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque
„ non facit. Alterum est Sancti Bonaventuræ, Do- 169
„ ctoris Seraphici, qui in *lib. de Ecclesiast. Hierarch.*
„ *p. 2. cap. 1.* sic scribit: jam verò possunt Sacerdo-
„ tes & Pontifices ex causa amovere Reges & depo-
„ nere Imperatores, sicut sæpiùs accidit, & visum
„ est, quando scilicèt eorum malitia hoc exigit, &
„ Reipublicæ necessitas sic requirit. Summus verò Pon-
„ tifex, penes quem in terris prima residet authoritas,
„ non à Rege, non à Principe Sæculari, non ab ho-
„ mine judicatur, sed solius DEI judicio reservatur.
Tertium est Sancti Bernardi, Doctoris Mellifluì in *lib.* 170
4. *de considerat. cap. 6.* ubi alloquens Eugenium Pa-
pam, *quid tu denuò*, ait, *usurpare gladium tentas, quem
semel jussus es ponere in vaginam? Quem tamen, qui
tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum
Domini dicentis:* converte gladium tuum in vaginam.
*Tuus ergo & ipse, tuô forsitan nutu, etsi non tua manu,
evaginandus; alioquin si nullô modô ad te pertineret,
dicentibus*

*dicentibus Apostolis : ecce gladii duo hic ; non respon-
disset Dominus : satis est, sed nimis est. Uterque ergo
Ecclesiæ, & spiritualis scilicèt gladius, & materialis :
sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exer-
cendus est. Ille Sacerdotis ; is militis manu, sed sanè
ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris.*

171 Probatur V. ex fortissimis rationibus: partim, quia
officium Pastoris, quod ex Divina commissione gerit
Pontifex, non tantum exigit potestatem pascendi
oves, sed etiam abigendi furcos, lupos, & prædo-
nes, si gregem Christi invadere tentent, nec aliis
172 remediis averti queant: partim, quia defensio Reli-
gionis Catholicæ, quæ principaliter est commissa
Papæ, nequit fieri, nisi jus habeat, eos, qui Ec-
clesiam perversis moribus, ritibus, & doctrina in-
173 festant, etiam temporalibus suppliciis percellendi:
partim, quia Regia Potestas, cùm sit à DEO data
propter temporalia, hæcque sint ordinata ad spiri-
tualia, subest tanquàm medium Potestati Ecclesias-
ticæ ad finem spiritualem consequendum; adeòque,
si eà abutatur Princeps, nec curet, sed turbet
174 spiritualia, Pontificiæ censuræ subjacebit: partim,
quia, si Princeps aliquis in hæresin labatur, Le-
ges pestiferas ferat, populum ad maligna consilia
stimulet, pertinet ad S. Pontificem, tanquàm Ze-
lotem & Curatorem animarum, Principem hæreti-
cum, nisi velit resipiscere, degradare; Leges pesti-
feras reformare; populum ab obligatione fidelitatis
175 absolvere, ne miserè perire sinat animas: partim de-
nique, quia, ut hactenùs operosè deduximus, in
Pontifice est Potestas spiritualis, Ecclesiam regen-
di, defendendi, judicandi: ergo etiam in ipso po-
testas est judicandi de rebus & causis temporalibus,
quantùm prosint vel obsint Ecclesiæ: ergo etiam po-
testas defendendi Ecclesiam, ac circa temporalia ita
disponendi, ne vergant in Ecclesiæ detrimentum: est
siquidem immotum apud Juristas principium, con-
cessâ alicui Jurisdictione, ea omnia censeri conces-
sa, sine quibus Jurisdictio exeri, aut exerceri nequit
cap. præterea 1. *de Off. Jud. deleg. l. cui Jurisdictio*
2. *ff. de Jurisdict.* Ampliores rationes subjicit Bel-
larmin. *cit. tr. à cap.* 13. Sfondrati *d. l.* §. 17. & Re-
ding *cit. art.* 1. *disquis.* 5. *à n.* 7.

§. V.

Expenduntur Argumenta contraria.

176 Adversi dogmatis primarius defensor Barclaius
multa equidem argumenta conglomerâsse videri
posset in suo *tractatu* contra Pontificiam Potesta-
tem, in 41. capita diviso, nisi vel eâdem semper
oberrâsset chordâ, vel crambem antiquam toties
recoxisset, rationum loco scommata multoties in-
177 jiciendô. Primum ac præcipuum, quod continuò
repetit, argumentum statim in *cap.* 2. proponit,
nimirum duas illas Potestates, quibus mundus in
officio continetur, Ecclesiasticam & Politicam, ita
Jure Divinô distinctas & separatas esse, ut (quam-
vis ambæ à DEO sint) utraque suis terminis conclu-
sa, in alterius fines invadere suô Jure nequeat, neu-
178 trique in alteram imperium sit. Ad hoc probandum in-
ter alias authoritates adduxit *cap. cùm ad verum* 6.
Dist. 96. ubi Nicolaus Pontifex ad Imperatorem Mi-
chaëlem scribit, quòd, licèt olim Pagani Imperatores
iidem & maximi Pontifices dicerentur, attamen, *cùm
ad verum ventum est, eundem Regem atque Pontifi-
cem, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatûs arri-
puit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit :
quoniam idem mediator DEI & hominum, homo Chri-
stus JESUS, sic actibus propriis & dignitatibus distin-
ctis officia potestatis utriusque discrevit, propriâ volens
medicinali humilitate sursum efferri, non humanâ su-
perbiâ rursus in infernum demergi, ut & Christiani
Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent,
& Pontifices, pro cursu temporalium tantummodò re-
rum, Imperialibus Legibus uterentur.*

Sed, licèt ultroneè fateamur, utramque potesta- 179
tem, Ecclesiasticam ac Politicam, à DEO descen-
dere, cum hac tamen differentia, quòd illa imme-
diatè in personam S. Pontificis, hæc in communi-
tatem translata fuerit, nihilominùs falsum, atque à
principiis Catholicis alienum est, neutri Potestati
in alteram imperium esse: nam Potestatem Politicam
Ecclesiasticæ Potestati quoad spiritualem finem sub-
ordinari, non malè colligitur ex eodem *cap.* ubi fi-
nis Potestatis Ecclesiasticæ dicitur esse *vita æterna*,
consequenter hæc in Potestatem Politicam eatenùs
imperium exercet, quatenùs impedit aut impedire
potest æternæ vitæ consecutionem. Id quod apertè 180
confirmat Gelasius in epistola ad Anastasium Impe-
ratorem, relatâ in *cap. duo sunt* 10. *cit. Dist.* 96. ibi:
*duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter hic
Mundus regitur, authoritas sacra Pontificum, & Re-
galis Potestas : in quibus tantò gravius est pondus Sa-
cerdotum, quantò etiam pro ipsis regiminibus hominum
in Divino sunt examine reddituri rationem.* Et paulò
post : *nôsti itaque, ex illorum te pendere judicio, non
illos ad tuam posse redigi voluntatem.* Quam in rem 181
optimè subinfert Bellarminus *cap.* 2. *pag. m.* 44. si
Pontifex redditurus est DEO rationem pro regimi-
nibus hominum, certè dirigere debet ea regimina, &,
si fortè deviant, corrigere, atque in viam reducere.
Quomodò autem potest dirigere & corrigere huma-
na regimina, si nullum in ea imperium habet?

Instat Barclaius in fine *cit. cap.* 2. si verum esset, 182
quòd Potestas Politica sit Ecclesiasticæ subordinata,
sequeretur necessariò, Potestates illas neque digni-
tatibus, neque officiis, sed tantùm actibus esse discre-
tas: nam dignitas, itemque officium, quod est in
subordinatu, non potest non esse in subordinante:
cùm ab eo in subordinatum derivetur. Inde est, ut
Princeps se involutum putet, dum ejus Ministri in
exequendis officiis impediuntur, & Papa se ac Sedem
Apostolicam contemni, ex spreta Legati, à se missi,
authoritate arbitretur.

At contra Barclaium est, quòd subordinatio re- 183
periatur, ubi non eadem dignitas vel officium est
in subordinante simul & subordinato: nam Jurisdi-
ctio v. g. alicujus Episcopi subordinatur Archi-
Episcopo, absque eo, quòd sit idem officium aut
eadem dignitas in subordinante & subordinato.
Itaque sequela Barclaii penitus est illegalis, nec
potest in alia subordinatione, quàm ubi moralis
identitas inter personas v. g. inter Delegantem &
Delegatum, Principalem aut Vicarium &c. interce-
dit, applicari.

Alterum argumentum à Barclaio in *cap.* 3. & aliàs 184
crebriùs proponitur. Absurdum & iniquum est, di-
cere, Principes Ethnicos duriore & deteriore con-
ditione ad Ecclesiam esse receptos, quàm singulos
quosque de multitudine: vel Papam habere majo-
rem nunc Potestatem in Principes Politicos Chri-
stianos, quàm olim D. Petrus & cæteri Apostoli in
quemlibet & privatum hominem, Ecclesiæ filium.
At hi nullum jus & Potestatem temporalem habue-
runt tunc temporis in Christianos Laicos. Ergo nec
Papa in Principes Sæculares Potestatem ullam tem-
poralem nunc habet. Assumptio inde probatur, 185
quòd certo certius sit, Ecclesiasticam Potestatem fuis-
se separatam à Politica, & hanc totam penes Ethnicos
Principes extra Ecclesiam fuisse, adeò ut ipsi Apostoli
in Potestate temporali Ethnicorum fuerint: Christus
enim venit, *non solvere legem, sed adimplere* ; nec
Naturæ & Gentium jura tollere, aut quemquam tem-
porali rerum suarum dominio excludere.

Ad

186 Ad hoc argumentum Resp. cum Bellarmin. *cap.*
3. pag. m. 53. negandô assumptionem, & illius pro-
bationem, quòd ipsimet Apostoli in potestate tem-
porali Ethnicorum fuerint. Siquidem Apostoli in
Christianos Laicos habebant amplissimam potesta-
tem, ea omni praecipiendi vel prohibendi, quae
necessaria vel conducentia sunt ad finem & bo-
num spirituale. Et ideò Apostolus Paulus 1. *Co-*
rinth. 9. mandavit, ut de bonis temporalibus
Ministris Ecclesiae congrua detur sustentatio; jussit
etiam in *eâd. epist. cap.* 6. ut in causis civilibus Judi-
ces Christianos constituant, & ad gentiles Magistra-
tus, juris experiendi gratiâ, se invicem non provo-
187 cent. Nec dubitandum, quin poenas temporales Apo-
stoli potuerint imponere Laicis peccantibus, in foro
tam externo quàm interno, dictare mulctas pecunia-
rias, aut statuere poenam carceris, prout Ecclesias-
ticis Praelatis hoc universim concedit Trident. Con-
cil. *sess.* 25. *de Ref. cap.* 3.
Sed, ais, Apostolum Paulum ad *Romanos* 13. agno-
188 visse, quòd omnis anima Sublimioribus Potestatibus,
seu Saecolaribus Principibus, subdita sit: indeque
Judicium Caesaris non detrectâsse, sed potiùs ad illud
in *Act. Apostolor. cap.* 25. provocâsse.
189 Resp. Apostolum agnovisse subjectionem erga
Principes Saeculares quoad omnes animas seu homi-
nes saeculares: cùm in aliis locis apertè declaraverit, se
Potestatem in Laicos habere, videlicèt 2. *ad Corinth.*
10. ℣. 8. ibi: *nam & si ampliùs gloriatus fuero de Po-*
testate vostra, quam dedit vobis Dominus in aedifica-
tionem & non in destructionem, non erubescam; & *cap.*
13. ℣. 10. *hac absens scribo, ut non praesens duriùs*
agam secundum Potestatem, quam Dominus dedit mi-
hi; & ad *Hebraeos* 13. ℣. 17. *obedite Praepositis ves-*
190 *tris, & subjacete eis.* Judicium Caesaris non agnovit
Paulus contra vel supra se, sed contra & supra Prae-
sidem Ethnicum, a cujus gravamine non poterat ad
alium, quàm Caesarem, illius Superiorem, appellare.
Quòd si Principes Ethnici Potestatem quandam in
Apostolos fuissent usi, aut isti se subjecissent, fecis-
sent id de facto, non de jure: quemadmodùm Chris-
tus Dominus, dum apud *Mathaeum* 17. *vers. ult.* di-
drachma pro se & Petro solvit, non solvit de jure, sed
de facto, ut scandalum evitaret.
Urges cum Barclaio: D. Gregorius Magnus in
191 *epistola* 61. *lib.* 2. ad Mauritium Imperatorem exara-
tâ, vocat se *famulum indignum* Imperatoris, & fate-
tur, *Imperatori Caelitum datam esse Potestatem super*
omnes homines. Additque in fine: *utrobique ergo, quae*
debui exsolvi, qui & Imperatori obedientiam praebui,
192 *& pro DEO quod sensi, minimè tacui.* Et, ne dictum
Gregorii referatur in causam humilitatis, citat S. Au-
gustinum *serm.* 29. *de Verb. Apostol.* dicentem: *cùm*
humilitatis causâ mentiris, si non eras peccator, ante-
quam mentireris, mentiendô efficeris, quod evitaveras.
193 Resp. D. Gregorium in Pontificem tam Magnum
non alia ex causa evasisse, quàm ex nimia sui ipsius
demissione: proindeque se famulum Imperatoris non
aliô, quàm humilitatis motivô, subscripsisse; sicuti
non aliô ex motivo se *servum servorum DEI* primus
194 scripsisse fertur, laudabili successorum exemplô. Po-
testatem Imperatori super omnes homines datam ex-
tollere potuit in sensu accommodo, nempe per
omnes homines intelligendô universos, qui erant
in & sub Imperio Romano; veluti locutus est sa-
cer Historiographus Lucas *cap.* 2. *vers.* 1. *exiit à*
Caesare edictum, ut describeretur universus orbis, vi-
195 delicèt Romanus. Obedientiam praestare potuit, vel
ut Vasallus Imperatoris quoad aliqua bona; vel de
facto non de jure, necessitate temporum, ad evitan-
da graviora mala, sic impellente; prout inclarescit ex
illius *commentario in psalm.* 101. ubi de Mauritio Im-
peratore, *in tantùm*, inquit, *suae temeritatis extendit*
vesaniam, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ec-
clesiam sibi vindicet, & in Dominam gentium terrenae
jus potestatis usurpet. Num ergo S. Gregorius ex cau- 196
sa humilitatis fuerit mentitus? Barclaius sinè menda-
cio respondeat, & cogitet, nihil in Orbe nunc frequen-
tius esse, quàm in loquendi scribendique more se
contestari famulum aut servum, utique non subdi-
tum semper alienae Potestati, sed alterius utilitati
vel obsequiis intentum.
Argumentum tertium Barclaius in *cap.* 6. *& mul-* 197
tis seqq. ex eo desumit, quòd neque usus, neque
exemplum, neque mentio ulla talis Pontificiae Potes-
tatis annis circiter mille in Ecclesia fuerit: cùm mul-
ti intereà Principes Christiani impiè, crudeliter, per-
versè, & magnô Ecclesiae detrimentô, Regnis at-
que Imperiis abuterentur: ex quo duorum alterum
consequi necesse est, aut illorum scilicèt temporum
Pontifices officio suo defuisse, aut sequentium tem-
porum Pontifices majori cum Potestate & Impe-
rio Ecclesiae praesedisse, & etiamnum praeside-
re, quòd hi temporalem illam Potestatem apertè
sibi vindicârint, eamque in Reges ac Principes
exercere pro arbitrio conati sint; illi verò jus tale
ad se pertinere neque dictis neque factis unquam agno-
verint.
Falsitatem hujus argumenti copiosè monstrat Bel- 198
larmin. in *cap.* 4. 5. *&* 6. Suppetunt enim exempla
non pauca Romanorum Pontificum, qui jam sextô &
sequentibus Ecclesiae saeculis Potestatem indirectam
in Reges & Principes exercuerunt. Nempe Grego-
rius I. privilegio, quod Monasterio S. Medardi con-
cessit inseruit hanc clausulam: *si quis autē Regum, An-*
tistitū, Judicum vel quarūcunque saecularium persona-
rū hujus Apostolicae authoritatis, & nostrae praeceptionis
Decreta violaverit &c. honore suô privetur &c. Ita le-
gitur in *lib.* 2. *Epistolarum* Greg. *post epistolam* 31. Vid.
Bellarmin. *cap.* 40. & Sfondrat. *d. l.* 1. §. 15. n. 3. Gre-
gorius II. Imperatorem Leonem Isauricum, velut 199
haereticum, vectigalibus Italiae privavit. Ita testatur
Zonaras, Cedrenus, & alii apud Bellarmin. *d. cap.* 4.
pag. m. 76. & *cap.* 41. *per tot.* Zacharias Childeri- 200
cum à Regno dejecit, & Pipinum ad solium evexit.
Ita perhibent antiquissimi Francorum annales, &
quàm plures Historici, quorum formalia refert Bel-
larmin. *cap.* 42. & Sfondrat. *d.* §. *num.* 2. Leo
III. Imperium Romanum à Graecis ad Francos in 201
personam Caroli Magni transtulit. Ita narratur in
cap. venerabilem 34. *de Elect.* & probabitur in
seq. cap. 3. Gregorius IV. decretum Francorum, 202
quô Ludovico Pio Imperium erat ablatum, authori-
tate suâ revocavit, & Imperium Ludovico restituit.
Ita enuntiant Marian. Scotus, & Paulus Aemilius
apud Bellarminum *d. cap.* 4. *pag.* 77. Plura exempla
dabit Sfondrati *d.* §. 15.
Quòd porrò Summi Pontifices Jurisdictione tem- 203
porali non semper fuerint usi, sed toleraverint Impe-
ratores ac Principes, in Ecclesiae perniciem grassan-
tes, non nostrum est disquirere, sed Ecclesiae judi-
cio oportet relinquere: vel enim non potuerunt Sum-
mi Pontifices gladium temporalem stringere, militi-
bus, armis, aut robore destituti; vel non voluerunt,
ratione temporis aut circumstantiarum gladii tempo-
ralis usum dissuadente.
Equidem hâc responsione non contentus Bar- 204
claius, causam desiderat aliam in *cap.* 7. *& seqq.*
cur Ecclesia Constantinum Haereticum & Julianum
Apostatam Imperatores non deposuerit? Cur Va-
lentinianum juniorem Arianum non exauthorave-
rit? Cùm tamen nec vires nec media defecerint, tam
injuriosos Ecclesiae hostes prosternendi. Verùm, si 205
Barclaius Ecclesiae judicio sensum & sententiam suam
submittere nolit, Bellarminus in *cap.* 7. *&* 8. ipsum
instruet, &, quòd illorum temporum ratio Juris-
dictio-

dictionis ejusmodi sopremum actum impediverit, edocebit.

206 Ex argumentis cæteris, quæ vel Barclaius hinc inde scabiosis paginis inspergit, aut illius asseclæ comminiscuntur, quatuor duntaxat attingo. Dicunt enim I. Potestatem Regiam, cùm à DEO sit, à Pontifice nec dari, nec adimi posse. II. Potestatem Regiam se non extendere ad spiritualia; sicque nec Potestatem Ecclesiasticam ad temporalia se extendere. III. à Christo, cujus Vicarius est Pontifex, Jurisdictionem circa temporalia exercitam non fuisse in Augustum, Herodem, aliosve Reges. IV. Bonum Ecclesiæ non poscere, ut Principes, ceu Advocati & defensores Ecclesiæ, offendantur, atque ad vindictam contra Ecclesiam excitentur.

207 Resp. ad I. Potestatem Regiam ita à DEO populis, & ab his Principibus esse concessam, ut continuam subordinationem habeat ad Potestatem Ecclesiasticam, a qua, si deficiat, ac deviet à semita salutis, reduci, & reformari debet.

208 Resp. ad II. spiritualem Potestatem non esse subordinatam temporali, veluti temporalis est spirituali subordinata: non enim spiritualia propter temporalia, sed hæc propter illa sunt condita: ideòque mirum non esse, quòd Potestas spiritualis eatenùs, temporalem possit constringere, quatenùs hæc impedimento est, quò minùs illa suum finem assequatur.

209 Resp. ad III. licèt à Christo nunquam exercita fuisset Jurisdictio circa temporalia (cujus tamen oppositum patet ex Matth. *cap.* 8. *cap.* 21. & Joann. *cap.* 8.) nihilominùs exinde non concludi, neque à Vicario Christi eam exerceri posse: quandoquidem Divinæ Providentiæ placuit, Ecclesiam suam supernaturalibus mediis primitùs ædificare, jamque ædificatam viribus etiam & causis naturalibus conservare.

210 Resp. ad IV. Principes quidem offendi, si admoneantur; & multò magis, si expertes reddantur sui officii; attamen, sicut sanitas excusat vulnus, quod ægro indignanti secans infert Medicus, ita & offensam Principum Ecclesiæ salute excusari, quæ non minùs quàm anima in ægro Reipublicæ corpore, ac hæresi vel peccatorum illuvie corrupto, sana & incolumis respirare non potest.

211 Et licèt ipsa Ecclesiæ salus nonnunquàm discrimen subierit ex usu Jurisdictionis in causis temporalibus: hoc tamen non ipsi Jurisdictioni, quantùm est ex se, sed eventui sinistro adscribendum est, non aliter, ac bellum, quod, licitè susceptum, persæpe belligeran-
212 ti nocuit, non ex natura sua, sed ex accidenti. De reliquo non paucæ suppetunt historiæ, quæ usum hujus Jurisdictionis salutarem fuisse, memoriæ produnt; eritque ut plurimùm salutaris, si circomspectè, prudenter, deliberatè, ac non nisi in casu extremæ necessitatis adhibeatur. Revolve Sfondratum *d. lib.* 1. §. 18. *&* 19. & dicta superiùs in *num.* 199. *& seqq.*

SECTIO IV.

De Loco, Ministris, & Effectu Jurisdictionis Summæ Ecclesiasticæ.

SUMMARIA.

213. *Summi Pontifices ab initio ferè Jurisdictionem Ecclesiasticam exercebant.* 214. *Posteà Coadjutores assumpserunt.* 215. *Præsertim Cardinales.* 216. *Minister principalis est Cardinalis Superintendens.* 217. *& seq. Datarius vel Pro-datarius.* 219. *Vice-Cancellarius* 220. *& seqq. Pœnitentiarius.* 224. *Auditor Cameræ.* 225. *Auditores Rotæ.* 226. *Jurisdictio Ecclesiastica exercetur Romæ.* 227. *& seqq. In Congregatione Consistoriali.* 231. *Sancti Officii.* 232. *Sacri Concilii Tridentin. Interpret.* 233. *& seq. Super negotiis Episcoporum & Regularium.* 235. *Jurisdictionis & Immunitatis.* 236. *& seq. Rituum.* 238. *& seq. Indicis librorum.* 240. *Examinis Episcoporum.* 241. *In signatura gratiæ.* 242. *Et justitiæ.* 243. *In Rota.* 244. *& seqq. Recensentur effectus summæ Jurisdictionis.* 248. *& seqq. Explicatur, quid sit loqui ex Cathedra.* 253. *& seqq. Tollitur instantia.* 255. *& seqq. Opponuntur & solvuntur varii textus.*

§. I.

De Ministris, per quos Summa Jurisdictio Ecclesiastica exercetur.

PRimis Ecclesiæ Catholicæ temporibus, quan- 213
do numerus fidelium erat exiguus, Ethnicorum
persecutio in Christianos continuo desæviebat, ac
non alius S. Pontificibus locus aut tribunal, quàm
criptæ & speluncæ, suppetebat, quævis ferè negotia, causasque spirituales & Ecclesiasticas per se ipsos expedierunt; habitò subinde cum Episcopis consiliò, missisque epistolis, ad decidenda, si quæ dubia proponebantur à fidelibus, extra urbem viventibus. Card.
de Luca in *Relat. Cur. Rom. disc.* 4. *num.* 1. Succres- 214
cente fidelium cœtu, præter alios Clericos in adjutorium fuerunt assumpti Cardinales, tanquàm Consiliarii & Ministri Papæ, per quos Jurisdictio Ecclesiastica tam in urbe quàm extra administrari cœpit. Idem
Card. *d. l. num.* 2. Adhuc magis florente, ac post 215
baptismum Constantini Magni maximis incrementis auctâ Ecclesia, Ministri Papales & multitudine, & authoritate præeminuêre. Atque, ut nihil memorem de temporibus antiquioribus, hodie I. Cardinales faciunt & constituunt Senatum ac Consistorium Papæ, sedent in Congregationibus, eorumque consiliô majoris momenti causæ discutiuntur; ut in *§. seq.* videbimus.

II. Solet Pontifex deputare Cardinalem Superin- 216
tendentem, veluti suorum Ministrorum Principem; qui quidem Jurisdictionem & Potestatem principaliter exercet quoad negotia politica in statu Ecclesiastico locisque, temporaliter Papæ subjectis; nihilominùs aliæ quoque causæ ex omnibus mundi partibus, non tantùm ab Episcopis, Metropolitanis, & Legatis Sedis Apostolicæ, sed etiam à Regibus, Principibus, & eorum Legatis ad ipsum referuntur. Card. de Luca in *Relat. Cur. disc.* 6. *n.* 7.

III. Habet S. Pontifex Datarium aut Prodata- 217
rium, per quem in sua *Dataria*, seu tribunali expeditionis, gratias, actu concessas, declarat & exsequitur;
qui proinde oraculum mentis Pontificiæ, cujus dic-
to scriptoque standum est, appellatur. Dicitur autem 218
Datarius, qui ex ordine Prælatorum; *Pro-datarius* verò nominatur, qui ex Collegio Cardinalium ad istud munus assumitur. Card. de Luca *cit. l. disc.* 9. *n.* 18. *& seqq.* P. Plettenberg in *Notitia Congregat. & Tribunal. Cur. Rom. cap.* 9. *n.* 2. *& seqq.*

IV. Cancellariæ suæ præficit S. Pontifex Cardina- 219
lem Vice-Cancellariom, cujus authoritate omnia diriguntur juxta regulas Cancellariæ, executioni dantur decreta consistorialia, signantur Bullæ (si per breve sub annulo Piscatoris non emanent) &, quidquid de illorum expeditione controversum occurrit, deciditur. Card. de Luca *cit. l. disc.* 10. *per tot.* Plettenberg *d. l. cap.* 10. §. 1.

V. Constituit S. Pontifex Cardinalem Pœniten- 220
tiarium, qui in foro interno vel Sacramentali potissimùm

mùm exercet potestatem clavium, ac per se suosque
substitutos absolvit pœnitentes, & pœnitentias di-
221 ctat. Concedit insuper dispensationes in irregulari-
tatibus occultis, & revalidatione Matrimonii, cum
impedimento occulto contracti; dilatat & commu-
tat vota simplicia; rehabilitat ad beneficia & dig-
222 nitates. Quandoque tamen indoltæ per Pœni-
tentiarium gratiæ tantùm proficiunt in foro con-
scientiæ, subjunctâ clausulâ in *foro conscientiæ tan-
tùm*; quandóve verò prosunt in utroque foro. Il-
223 lud maximè contingit apud personas Sæculares,
in quarum favorem dispensatio solùm in casibus
occultis indulgetur; hoc frequentiùs accidit apud
Regulares, quibuscum etiam in casibus publicis
& in utroque foro dispensatur. Vid. Card. de
Luca *Relat. Cur. disc.* 12. Plettenberg *cit. tr. cap.*
5. §. 1.
224 VI. à sua Sanctitate designatur Auditor Cameræ,
ad quem, ceu Judicem ordinarium, in causis Eccle-
siasticis appellatur ex toto terrarum orbe; quive
non tantùm amplissimâ Jurisdictione civili-canonicâ,
sed etiam criminali est instructus. Plettenberg *cit. l.
cap.* 14. §. 3.
225 VII. Sunt Auditores Rotæ, qui causas, in uni-
verso mundo inter Christianos & fideles controver-
sas, per modum Judicum delegatorum suscipiunt &
terminant. Card. de Luca in *Relat. Cur. disc.* 23. *n.* 3. *&
seqq.* Plettenberg *d. l. cap.* 15. *num.* 1. De Ministris
alia constabit ex §. *seq.*

§. II.

De Loco, in quo Summa Jurisdictio Ecclesiastica exercetur.

226 Quamquàm nullus sit in orbe Christiano locus, in
quo Summa Jurisdictio Ecclesiastica suum vigorem
non exserat; attamen quoad formam & modum pro-
cedendi locus competens est Roma, ibidemque
erectæ Congregationes, Tribunalia, Judicia, &
Dicasteria.
227 Ex Congregationibus eminet illa, quæ Consisto-
rialis seu Consistorium dicitur, atque in Palatio
Apostolico, in præsentia omnium Cardinalium, præ-
228 sidente Summo Pontifice, celebratur. Proponuntur
hic juxta modernum stylum non aliæ causæ, quàm
non-contentiosæ, & gratiosæ; nominatim agitur ibi-
dem de creatione novorum Cardinalium; de provi-
sione Dignitatum majorum, Patriarchatuum, Ar-
chi-Episcopatuum, Episcopatuum, quandoque Re-
gularium Abbatiarum; de missione Legatorum ad
Aulas Principum; de erectione novarum Ecclesia-
rum, Cathedralium aut Metropoliticarum &c.
229 Quòd si controversia vel oppositio in una vel alte-
ra causa emergat, antequam in pleno Consistorio
terminetur, particularis quædam Congregatio, cum
deputatione quorundam Cardinalium & aliorum
Prælatorum, propriè Consistorialis Appellata, à
Pontifice indicitur. Card. de Luca in *Relat. Cur. disc.*
5. n. 15. *& seqq.*
230 Post Congregationem Consistorialem I. est Con-
gregatio *S. Officii seu universalis Inquisitionis*, con-
sistens in copioso Cardinalium, aliorum Prælato-
rum, quin & Religiosorum numero; ac eum in fi-
nem instituta, ut in hæreticos, apostatas, malefi-
cos, sacrilegos, prædicatores aut defensores scan-
dalosarum propositionum inquirat, ac ulteriorem
processum continuet. Plettenberg in *Notit. Congre-
gat. cap.* 17. §. 3.
231 II. est Congregatio Cardinalium, *S. Concilii Tri-
dentini Interpretum*: ne enim cuilibet fas esset, com-
mentarios aut glossas ad idem Concilium edere, spe-
cialis erecta fuit Congregatio, à qua, quidquid ambi-
guum est circa intellectum Concilii, vel materiarum,
inde pendentium, declaratur; eaque declaratio, si in 232
forma authentica possit exhiberi, cum subscriptione
Eminentissimi Cardinalis Præfecti, vim Legis obti-
net. Card. de Luca *disc.* 15. *à n.* 6. Plettenberg *cap.* 18.
§. 1. *n.* 4. *& seqq. &* §. 2. *n.* 4. *& seqq.*
III. est Congregatio *super negotiis Episcoporum* 233
& Regularium præposita: quando enim oriuntur
controversiæ inter Episcopos, aliosve Prælatos,
Officiales aut subditos ex una; & Regulares ex alte-
ra parte, hique se gravatos ab illis conqueruntur,
ad hanc Sacram Congregationem, quæ componitur
ex 24. Cardinalibus & uno Prælato Secretario, re-
curritur, ac sinè strepitu & forma judiciali, solâ
veritate facti inspectâ, ac informatione secreta & ex-
trajudiciali petita, controversiæ definiuntur. Con- 234
troversiæ verò, quæ concernunt ipsosmet Regula-
res inter se, à propriis Judicibus sunt terminandæ;
nisi subditus aliquis à Superiore se gravatum sentiat,
à quo non potest ulterius appellari. Card. de Luca
disc. 16. *à num.* 7. & *à num.* 16. Plettenberg *cap.* 18.
n. 5. *&* 8.
IV. est Sacra Congregatio *Jurisdictionis & Immu-* 235
nitatis Ecclesiasticæ, ex aliquot Cardinalibus & Præ-
latis, pro arbitrio Papæ, in Apostolico Palatio co-
adunata: ad hanc causæ, tangentes Immunitatem
Ecclesiasticam, localem, personalem, & realem, per-
tinent. Card. de Luca *disc.* 17. *n.* 4. *& seqq.* Plettenberg
cap. 20. *n.* 2.
V. est S. Congregatio *Rituum*, in qua conveniunt 236
partim Cardinales, partim alii Prælati & Doctores,
ut non solùm negotia non-contentiosa, meras v. g.
cæremonias, ritus, Officium Divinum &c. concer-
nentia; sed etiam contentiosa, præcedentiam v. g.
inter Clericos Sæculares & Regulares in functioni-
bus aut processionibus publicis &c. controversam,
summariè discutiant. Quamquàm subinde Canoni- 237
zatio Sanctorum huic ipsi Congregationi quæstio-
nem & cognitionem facessat. Card. de Luca *disc.*
18. *num.* 3. *& seqq. n.* 14. *& seqq.* Plettenberg *cap.* 21.
à num. 3.
VI. est S. Congregatio *Indicis librorum*, cui inter- 238
sunt tot Cardinales, quot deputaverit Pontifex, unà
cum Secretario, ac duodecim Consultoribus, diver-
sorum Ordinum Religiosis, è quibus primarius est
Magister S. Palatii ex Ordine D. Dominici. Cognos- 239
cit illa de libris, aut in Indicem jam relatis, aut pri-
mùm editis, sed doctrinâ hæreticâ, noxiâ, vel scan-
dalosâ refertis. Card. de Luca *disc.* 19. *n.* 14. *&* 15.
Plettenberg *cap* 22. *n.* 2. *&* 3.
VII. est S. Congregatio *Examinis Episcoporum*, 240
ad quam pro examinandis Episcopis Italiæ, noviter
creatis, tum Cardinales, tum Prælati ac Regulares
variorum Ordinum deputantur. Card. de Luca *disc.*
31. *per tot.* Plettenberg *cap.* 23. apud quos Autho-
res plures aliæ Congregationes de *statu Regularium*,
de *eorum Reformatione*, de *propaganda Fide &c.* vi-
deri possunt.
Præter has Congregationes est tribunal seu Sig- 242
natura Gratiæ & Justitiæ. *Signatura Gratiæ* præest
ipsemet S. Pontifex, & in consilium adhibet plerum-
que duodecim Cardinales, & duodecim Prælatos
circa res gratiæ, quæ contradictorem habent, aut
aliàs sinè speciali causa non solent concedi. Card. de
Luca *disc.* 30. *n.* 5. 11. *& seqq. Signatura Justitiæ* præ- 242
est unus ex Cardinalibus, singulariter a S. Pontifice
delegatus, adjunctos habens duodecim Prælatos,
quorum vota non tantùm consultiva, sed etiam de-
cisiva sunt circa res justitiæ, quando nempe petitur
commissio causarum, appellatio, restitutio &c. vel
agitur de fori competentia. Card. de Luca *disc.* 31.
n. 2. *&* 3. Plettenberg *cap.* 8. *n.* 2. *&* 5.
Superest celebratissimum Tribunal, Rota Roma- 243

na, in qua per 12. Auditores, ab Imperatore ac Regibus nominari consuetos, omnis generis causæ ventilari & decidi solent, adeò quidem, ut Auditores singuli, ad singulas causas examinandas constituti, Jurisdictionem delegatam; ipsamet verò Rota, seu totum Auditorum Jurisdictionem Ordinariam habeat. Card. de Luca *disc.* 32. *per tot.* Plettenberg *cap.* 15.

§. III.

De Effectu Summæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

244 Effectus, quos sibi proprios & formales producit Ecclesiastica & Summa Jurisdictio, sunt sequentes. I. enim sine discrimine personarum producit obligationem sequendi & parendi in omnibus, quæ intra proprios limites à Summo jus dicente sancita & decisa sunt, per *cap. Canonum* 1. *de Constitut. cap. omnes Principes* 4. *de M. & O. Extravag. unam sanctam eòd. inter*
245 *commun.* II. excludit omne dispensationis aut relaxationis remedium, ab aliquo inferiore interponendum, exceptô casu, quem in *tract. de Jure Leg. cap.* 5.
246 *n.* 256. exposuimus. III. impedit, ac tollit omnem appellationem per *cap. ipsi sunt* 16. *& seqq. IX. q.* 3. & dicta superiùs in *n.* 85. IV. infert necessitatem, ea, quæ
247 ex Cathedra definit Pontifex, credendi. Recolantur dicta in §. 1. *sect.* 3.
248 Sed quandonam Pontifex ex Cathedra loqui censeatur? Interrogas.

℞. Pontificem ex Cathedra aliquid definire, quandò definit ut Pontifex, hoc est, authoritate Apostolicâ Ecclesiam universalem docet, veritatem aliquam tenendam & credendam proponit, ac contrarium tenentes aut credentes hæreticos vel temerarios pro-
249 nuntiat. Quando autem ut Doctor privatus scribit, loquitur, aut discurrit, nec doctrinam suam Ecclesiæ universali amplectendam præscribit, aut præcipit, non dicitur ex Cathedra definire.

250 Nec credas, hanc loquendi formulam heri aut nudius tertius natam, vel Divinis paginis esse peregrinam. Nam in antiquo Testamento non credebantur Summi Sacerdotes ab Oraculo Urim & Thummim responsum in rebus ambiguis petere, & reddere populo, nisi priùs Ephod, seu vestem suam solennem &
251 Pontificalem, induissent 1. *Reg.* 23. *&* 30. Nec Christus quamcunque doctrinam Scribarum & Pharisæorum, multa privatim absurda & impia docentium, observari voluit, sed illam, quam super Cathedram Moysis sedentes proponerent Math. 23. Nec etiam omnis Christi actio Divina, sed etiam humana & mixta, seu theandrica fuit. Eâque propter nec omnis doctrina Pontificis ab eo quà tali procedit; indeque nec omnis definitio est ex Cathedra, sed illa, quam, ut diximus, toti Ecclesiæ acceptandam proponit, & mandat. Sfondratus *Reg. Sacerd. lib.* 3. §. 1. Reding *d. art.* 1. *disquis.* 2. *à n.* 34.

252 Si dicas: S. Pontificem ex nostra confessione fieri posse hæreticum. Resp. I. fieri posse hæreticum personalem ac privatum; non etiam judicialem seu Jurisdictionalem ac publicum; nec DEUM permissurum esse, ut aliqua contra fidem è Cathedra de-
254 finiat. Resp. II. posse fieri hæreticum quoad propositiones Ecclesiæ, jam aliunde notas & promulgatas; non autem quoad propositiones, noviter promulgandas.

255 Ais, Pontifices de factò ex Cathedra definiêrunt plura, fidei nostræ contraria. Nam Gregorius III. in *cap. quod proposuisti* 18. XXXII. *q.* 7. docuit publicè, viro ob infirmitatem mulieris licere aliam conjugem
256 ducere. Gelasius in *cap. comperimus* 12. *de Consecrat. Dist.* 2. tradidit, sine sacrilegio reatu non posse in S. Communione Corpus Domini sine Calice sumi; &

in *cap. à quodam Judæo* 24. *de Consecrat. Dist.* 4. contra *cap. in synodo* 83. *& seq. eâd. Dist.* tenuit, Baptismum in SS. Trinitatis aut Christi nomine, absque trium Personarum expressione collatum, valere. Alexander III. in *cap. licèt* 3. *de Sponsa duor.* fatetur, 257
à suis prædecessoribus aliquando fuisse judicatum, matrimonium, cum una contractum & ratum, per aliud, cum alia contractum & consummatum, dissolvi. Innocentius III. in *cap. quantò* 7. *de Divort.* refert, 258
à quodam Antecessore suo, matrimonium ex eo dissolvi posse, judicatum, quòd unus ex conjugibus in hæresim vel gentilitatis errorem labatur.

Verùm errores, quos opponis, vel non sunt erro- 259
res, vel non contra fidem ex Cathedra propositi. Siquidem I. *cap. quod proposuisti* decidit casum infirmitatis tantæ, quæ impotentiam perpetuam ad copulam conjugalem importat, ac, si matrimonium antecedat, illud facit irritum; sin sequatur, sed ante consummationem, causam sufficientem dispensationi Pontificiæ præbet. Egregiè Barbosa in *Collect. ad cit. cap.* II. *cap. comperimus*, ut insinuat illius sum- 260
marium, loquitur de Sacerdote, quòd *Corpus Christi sine ejus Sanguine non debet accipere.* Aliam responsionem addit Sfondrati *d. l.* §. 9. *n.* 11. III. *cap.* 261
à quodam Judæo, præterquam quòd explicationem competentem non respuat, ut videre est apud Reding *d. disquis.* 4. *à num.* 13. ad casum particularem emanavit, ac in materia quidem, quæ necdum à Sede Apostolica certò decisa est. IV. in *cap. licet* non 262
dicit Alexander, quomodò & qualiter judicaverint sui antecessores in quæstione proposita de duobus matrimoniis, utrùm ratum prius per posterius consummatum dirimatur? Unde valde incertum est, an etiam casu, quô sententiam affirmativam altè memorati Pontifices amplexi fuissent, ex Cathedra sententiam dixerint, ut notat Gonzalez in *Comment. d. cap. licet.* Etsi cum Wagnereck in *exegesi ejusdem* 263
cap. respondere possem, dissolutionem prioris matrimonii rati per posterius consummatum non tam ex Jure Communi quàm speciali dispensatione Pontificia dirimi; idque tacitô nomine allegatos Ponti- 264
fices sensisse. V. *cap. quantò* similiter non exprimit, in quo prædecessor Innocentii contrarium, & quomodò, senserit. Quin nec Innocentius III. tanquam fidei dogma definit, non licere conjugi ad secundas nuptias convolare, quando alter in hæresim vel ethnicismum est lapsus, ut colligitur ex *verb. non credimus &c.* tametsi posteà Concil. Tridentin. *sess.* 24. *de Matrim. can.* 6. definiverit. Barbosa in *cit. cap. num.* 2. Wagnereck *ibid. in pr.* Gonzalez *ibidem in not. num.* 2. P. Wiestner ad *tit. de Offic. Jud. Ord. num.* 9. ac novissimè Clariss. P. Schmalzgrueber ad *d. tit. num.* 5.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *& seqq. Aliquot SS. Patrum testimonia referuntur, ex quibus in speciem probatur, Episcopis inferioribus eandem cum Summo Pontifice esse potestatem.* 7. *& seqq. Ad singula cum fundamento respondetur.* 18. *& seq. Externa quædam adminicula pro Jurisdictione Pontificia supra Concilium.* 20. *& seqq. Plura argumenta & rationes ex Bulla Pii II. afferuntur.* 28. *& seq. Nonnulla de infallibilitate Papæ deliberantur.* 30. *& seqq. Roboratur nostra assertio, quòd non detur appellatio à sententia Papæ.* 33. *& seqq. Magis confirmatur.* 38. *& seqq. Fusè demonstratur, an & quo cum effectu aliqui priscis temporibus appellate præsumpserint.* 48. *& seq. Concilia Generalia, legitimè congregata,*

gata, summâ pollent authoritate. 50. Debent autem congregari mandatô vel approbatione Pontificis. 51. & seqq. Debet Pontifex interesse per se vel Legatos. 54. & seqq. Debent vocari omnes Episcopi. 58. & seq. Solent etiam vocari Abbates exempti & Generales Ordinum. 60. Possunt intervenire alii quoque, sed absque voto. 61. Servatur inter præsentes Ordo.

QUÆSTIO I.

An penes solum Summum Pontificem Summa Jurisdictio Ecclesiastica resideat?

1 ADversus dogma verè Catholicum, quô soli Pontifici Maximo tribuitur Summa Jurisdictio, in hoc *cap. a n.* 36. immotis rationibus fundatum, legi in quodam Authore nonnulla Veterum PP. testimonia, per quæ convincere conatur, Episcopis inferioribus eandem esse potestatem, quam habet Papa; sicque penes hunc solum Summam Jurisdictionem Ecclesiasticam non residere. Sic enim, ait
2 ille, I. S. Cyprianus in *epist.* 54. *ad Cornel.* scribit: *cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi admissum est crimen, & singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actûs Domino redditurus; oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem suâ subdolâ & fallaci temeritate collidere.* II. Syricius Papa, imploratus
3 pro dijudicanda causa alicujus Episcopi, Bonosi nominati, ita respondet: *accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed, cùm ejusmodi fuerit Concilii Capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus Judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis cognoscerent; advertimus, quòd*
4 *nobis judicandi forma competere non posset.* III. Sixtus Papa in *epist. ad Proculum Constantinopolitanum* ait: *habes recentissimum nuper habitæ actionis exemplum fratris nostri Idduæ, circa quem tuæ fraternitatis decrevimus judicium custodiri, cognitioni tuæ facere nolentes injuriam.* IV. S. Augustinus, ad Cœle-
5 stinum Papam scribens, monet, *ut non inducat famosum typhum, hoc est, fastum, ambitionem & superbiam sæculi in Ecclesia Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem videre cupientibus præfert.* V.
6 Ipse Cœlestinus Papa in *epist. ad Concil. Ephesin.* ita disserit: *hæc ad omnes in commune Domini Sacerdotes mandatæ prædicationis cura pervenit; hæreditario in hanc sollicitudinem jure constringimur, quicunque per diversa terrarum loca Apostolorum vice nomen Domini prædicamus, dum illis dicitur: ite, docete omnes Gentes. Advertere debet vestra fraternitas, quia accepimus generale mandatum, & omnes id nos agere voluit, quibus in commune mandavit officium: necesse est, ut competenter omnes sequantur auctores.*

7 Sed certè ex allatis testimoniis difficiliùs aliquod subsidium pro firmanda assertione contraria, quàm aquam ex silice, elicies. Quod enim I. juxta S. Cyprianum quilibet Episcopus habeat portionem sui gregis, suasque oves pascere, regere, & judicare possit, fatemur omnes Catholici. At, si judiciô Episcopi quispiam gravatum se conqueratur, aut ipsemet Episcopus criminis cujusdam insimuletur, an non superest Judex Superior, Summus Pontifex, ad
8 cujus supremum tribunal causa referenda? Certè hic S. P. *lib.* 1. *epist.* 3. *sub init.* apertè scribit, *hæreses, & schismata ex eo nasci, quod non uni Sacerdoti, qui vice Christi Judicem agit, universa fraternitas obtemperat.*

9 Quòd II. Siricius Papa in causa Bonosi, Episcopi Sardicensis, judicandi formam sibi non competere, scripsisse dicatur, id profectò non est intelligendum de defectu potestatis judicandi, sed de convenientia & decentia, postquàm Synodus Capuana, eô fine congregata, certis Episcopis causam & factum examinandum delegaverat: quippe cùm Bonosus postmodum ab ipso quoque Siricio definitivè
10 fuerit condemnatus. Audiatur P. Franciscus Pagi in *Breviario Romanor. Pont. tom.* 1. *pag. m.* 115. Bonosus, inquiens, Sardicensis Episcopus, Christum purum hominem asserens, duosque in Salvatore filios agnoscens, æternum unum, alterum temporalem; asserens prætereà, DEIparam Virginem à partu Christi alios suscepisse liberos, ab Anysio Thessalonicensi & cæteris Illyrici Episcopis, quibus fuerat à Synodo Capuanâ, circa annum 389. celebratâ, causæ illius cognitio demandata, damnatus est. Ejus errorem damnavit etiam Siricius Pontifex, ut constat ex ejus epistola ad Anysium & cæteros Episcopos, per Illyricum constitutos.

Quòd III. Sixtus Papa (haud dubiè tertius hu- 11
jus nominis, ex quo Sixtus II. Anno 257. ad Pontificatum evectus nullas literas, saltem de quibus authenticè constet, dedisse noscitur) in epistola ad Proculum Constantinopolitanum ejus judicium custodiri decreverit, fecit, quod decet Summum Pontificem, custodire nempe judicia Episcoporum, veluti Judicum Ordinariorum suæ diœceseos, quàm-
diu manent intra limites veritatis & justitiæ; quin 12
tamen hæc eadem judicia reformationi Pontificiæ subsint, dubitare non sinit appellatio, ab Helladio Tarsensi & Eleutherio Thyanensi Metropolitis ad eundem Sixtum III. interposita, ex qua ceu egregio antiquitatis monumento (ut loquitur idem Franciscus Pagi *pag.* 182. *& seq.*) patet, quantùm hallucinati fuerint, qui voluere, Orientales Episcopos nunquam olim ad Romanos Pontifices, sed semper ad genera-
lem totius Ecclesiæ Synodum provocâsse. Imò Cri- 13
ticæ Baronii Author Anno 433. scribit, Alexandrum Hieropolitanum Episcopum cum tota sua provincia ad Sixtum appellâsse, & Irenæum Synodici authorem, licèt Nestorianum, ideóque ab Apostolica Sede aversum, Romanas appellationes probâsse.

Quòd IV. D. Augustinus humilitatem fastui præ- 14
ferendam monuerit, Sedis Romanæ Primati, summæque ejus Jurisdictioni tàm parum aliquid detrahit, quàm parum authoritas Pontificia minuitur, quando Papa se scribit *servum servorum DEI.*
Quanta verò cum efficacia supremum in Ecclesia im- 15
perium exercuerit Cœlestinus I. Pontifex, evidenter elucescit ex condemnatione Nestorii, & Concilio Ephesino, de quo plura *cit.* Pagi *pag.* 161. *& seq.* Quàm etiam studiosus & observans fuerit Præsul Hipponensis erga Sedem Apostolicam, ac illius Primatum extulerit, ex instituto tractat supra memoratus P. Philippus Van Wavre in *opusc. de Privilegio S. Petri ac Successorum ejus.*

Quòd V. mox allegatus Cœlestinus in epistola 16
ad Patres, in Concilio Ephesino coadunatos, meminerit, idem omnium Episcoporum esse prædicationis officium, plusquàm verum est: nam & Pontifex se scribit Episcopum, & Episcopos nominat *Venerabiles fratres*, tanquam ejusdem muneris & oneris consortes. Ex hoc tamen neutiquam con-
cluditur, quòd Episcopi eandem prorsus Jurisdi- 17
ctionem & potestatem habeant cum primo & supremo Episcopo: quippe cùm huic omnes alii subordinati, atque ipsius judicio & censuræ obnoxii sint.

QUÆSTIO II.

Sitne Jurisdictio Pontificia supra Concilium universale?

18 Assertionem affirmativam cum communi sensu & approbatione omnium Doctorum extra Galliam (ubi tamen etiam non paucos & bene mediam partem, atque inter hos etiam Episcopos, Doctores Parisienses, Religiosos, Pastores, variosque è statu Ecclesiastico reperire est, qui nobiscum sentiunt, veluti non adeò nuper testatum fecit Reverendiss. D. Matthæus Petitdidier Ord. S. Bened. Abbas S. Petri Senonensis in *tract. Theolog. de Author. & infallibilit. Summorum Pontific. cap.* 1.) ad abundantiam stabilivimus in *præf. cap. à num.*
19 83. Pro ulteriori robore *cit.* Author non parvi pendendum putat illud seu principium seu præjudicium, quòd teste ipsômet Gersone, primô quasi contrariæ opinionis sectatore & fautore, de *Potestat. Eccles. consi.* 12. ante Concilium Constantiense sic prævaluerit nostra sententia, ut, qui dissentire voluisset, de hæretica pravitate vel notatus fuisset, vel damnatus: siquidem in materia fidei ac Religionis omnis nova opinio saltem tanquam suspecta haberi, eaque, quæ semper tradita ac pro certa tenebatur, retineri debet.

20 In subsidium quoque adducendus Eminentiss. D. Cardinalis Vincentius Petra in *Commentar. ad Constit. Apostol. tom. 5. pag. 322. & seqq.* ubi refert, & egregiè explanat constitutionem Pii II. quæ incipit: *in minoribus*, dicti antea Æneæ Sylvii, editam 26. Aprilis 1463. nostroque proposito plurimùm accommodam, & paucis hic repetendam.
21 In hac constitutione, ad Rectorem & Universitatem Coloniensem directâ, Summus Pontifex fatetur I. se, Sacris Ordinibus necdum initiatum, cùm Basileæ inter eos versaretur, qui se generale Concilium facere, & universalem Ecclesiam repræsentare ajebant, dialogorum quendam librum ad præfatam Universitatem scripsisse, in quo de auctoritate Concilii Generalis ac de gestis Basileensium, & Eugenii Papæ contradictione, ea probavit, vel damnavit, quæ probanda vel damnanda censuit, &, quantum capiebat, tantum defendit,
22 aut oppugnavit. II. retractat suum errorem, nec timet, exemplô D. Augustini manifestare suam culpam, in quam aliorum, præcipuè Magistri sui, aliorumque magni nominis Virorum, exemplô &
23 consiliô ex juvenili inconsiderantia incidit. III. ne fortasse aliqui dicant, eum cum Pontificatu suam opinionem mutâsse; breviter & candidè narrat, quâ occasione, & quibus éa causis in priorem sententiam erroneam fuerit prolapsus; quorum item ductu & persuasione resipiscere inceperit; posteà Romanam Curiam, solô charactere clericali insignitus, adierit, & Eugenio, cùm fuisset rebellis, submiserit cervicem, à quo misericordiam consecutus, ad unionem Græcorum navârit operam, & illis, Romanæ Ecclesiæ reconciliatis, adversùs impios Tur-
24 cas legationem acceperit. IV. superioritatem Concilii inter alia deducit ex verbis S. Bernardi, ad Eugenium III. ita loquentis: *tu es Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt & alii quidem Cœli janitores, & gregum pastores, sed tu tantò gloriosiùs, quantò & differentiùs præ illis nomen hæreditâsti. Habent illi assignatos sibi greges, singuli singu-*
los, tibi universi crediti uni sumus. Nec modò ovium, sed & pastorum tu unus omnium pastor. Hæc (con- 25
cludit V. idem Papa) *Bernardus ad Eugenium III. scribit, cui supremam & omnimodam potestatem in Ecclesia concedit. Quod ille de tertio testatur Eugenio, hoc nos de quarto, & omnibus aliis Romanis Pontificibus profitemur, quia dignitatis est auctoritas.*
Liquet igitur, unum in Ecclesia Caput esse, & unum 26
Principem, quia pax populi ex uno Rectore dependet, & pluralitas Principum discordiam parit. Christus Ecclesiæ suæ in ultimo testamento pacem reliquit, & pacem multis verbis commendavit. Dedit ergo & regimen pacis amicum, id est, Monarchicum, sub Beato Petro & successoribus ejus administrari cuncta præcipiens, clavibus illi commissis, & curâ gregis demandatâ. Hac nos de Romani Pontificis authoritate & potestate sentimus, cui & congregare Concilia, & dissolvere datum est. Qui, etsi filius est propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur; &, sicut filiationis causâ venerari debet Ecclesiam, tanquam matrem, ita & prælationis causâ præfertur ei ut pastor gregi,
princeps populo, Rector familiæ. Cum his & generalis 27
Concilii auctoritatem & potestatem complectimur, quemadmodum & ævô nostrô Constantiæ, dum ibi fuit Synodus universalis, declaratum, definitumque est. Veneramur enim Constantiense Concilium, & cuncta, quæ præcesserunt, à Romanis Pontificibus nostris Prædecessoribus approbata, inter quæ nullum invenimus unquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Præsule, absque ipsius auctoritate convenerit, quia non est corpus Ecclesiæ sinè Capite, & omnis ex capite defluit in membra potestas. Hæc nostra sententia est, filii: hæc credimus & profitemur: hæc jam senes, & in Apostolatûs apice constituti, pro veritate asserimus. Si quæ vel vobis vel aliis conscripsimus aliquando, quæ huic doctrinæ repugnent, illa tanquam erronea, & juvenilis animi parum pensata judicia, revocamus, atque omninò respuimus.

QUÆSTIO III.

An Summus Pontifex in iis, quæ decernit extra Concilium, sit infallibilis?

Respondi in hoc *cap. num. 247. & seqq.* quòd, si 28
Summus Pontifex, ex Cathedra loquens, atque authoritate Apostolicâ Ecclesiam universalem docens, seu veritatem aliquam tenendam & credendam proponens, aliquid decernat, aut contrarium tenentes hæreticos vel temerarios pronuntiet, sit infallibilis, debeantque credi, quæ ita decreta aut declarata
sunt. Qui plura ad eruendam hanc veritatem desi- 29
derat, poterit recurrere vel ad Eminentiss. D. Cardinalem Sfondratum in *Regali Sacerdot. tot. lib. 3.* vel ad Reverendiss. D. Matthæum Petitdidier *cit. tract. Theolog. de Auth. & Infallib. Summorum Pontif.* gallicè primò conscriptum, dein jussu Sanctiss. D. N. Benedicti XIII. in linguam Italicam translatum, atque peculiari epistola, quam ad Authorem dedit, quamque refert Versor Latinus, Gallus Cochier ex Monasterio D. Ettonis vulgò Ettenheimmünster, Apostolicô osculô laudatum. Nobis ad ulteriora progrediendum est.

QUÆSTIO IV.

An liceat à judicio vel sententia Summi Pontificis appellare?

Non licere, advertimus in hoc *cap. à num.* 85. 30
tenentque omnes extra Franciam, & in ipsa Francia non pauci, veluti patet ex historia nostri temporis, ubi, qui adversùs Constitutionem *Unigenitus*, san-

sancitam à sanctæ memoriæ Clemente XI. appella-
re præsumpserunt, authoritate Regiâ severè com-
31 pescuntur. Et meritò: quia, ut loquitur Pius II.
in sua constitutione, quæ incipit *execrabilis* edita
15. Calend. Februarii 1459. „*execrabilis, & pristi-*
„*nis temporibus inauditus tempestate nostra inolevit abusus,*
„*ut a Romano Pontifice, JESU Christi Vicario (cui*
„*dictum est* in persona Petri, pasce oves meas, &
quodcunque ligaveris super terram, *erit ligatum &*
in Cœlis) *nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non san-*
tioris cupiditate judicii, sed commissi evitatione pec-
cati, ad futurum Concilium provocare præsumant,
quod, quantum Sacris Canonibus adversetur, quan-
túmque Reipublicæ Christianæ noxium sit, quisquis non
32 *ignarus Jurium intelligere potest. Namque (ut alia*
prætermittamus, quæ huic corruptelæ manifestissimè
refragantur) quis non illud ridiculum judicaverit,
quod ad id appellatur, quod nusquam est, neque scitur,
quando futurum sit? Pauperes à potentioribus multi-
pliciter opprimuntur, remanent impunita scelera, nu-
tritur adversus primam Sedem rebellio, libertas de-
linquendi conceditur, & omnis Ecclesiastica discipli-
na, & hierarchicus ordo confunditur. Inauditum pri-
33 *stinis temporibus abusum* Pontifex appellat appella-
tionem ad Concilium; id quod non negat ex Scrip-
toribus Gallicis, Petrus de Marca de *Concord. Sa-*
cerdot. & Imp. lib. 4. c. 17. num. 1. superiore capite,
inquiens, *novam quandam rationem vidimus in Ec-*
clesiam invectam ab iis, qui Romanæ Curiæ censuris
premi existimabant, scilicet appellationem a Papa de-
creta ad futurum Concilium. Novam dixi, quia nun-
quam in Ecclesia admissa fuit provocatio à Papa ad
34 *Concilium.* Nempe, postquàm magnum illud in Ec-
clesia schisma tamdiu duraverat, ut ad illud extir-
pandum, cùm tres Pontifices pro legitimis haberi
cuperent, necessarium fuerit Concilium Generale,
Constantiæ congregatum, cœperunt aliqui nimiùm
extollere Concilium Oecumenicum, illudque etiam
35 legitimo Capiti præponere: unde alii sumpserunt oc-
casionem, appellandi à Papa ad Concilium, & inter
hos Legatus Regis Poloniæ, qui ejusdem Concilii
Constantiensis tempore ad futurum Concilium, quod
in decimum annum indicebatur, provocare ausus
36 est à Martino Papa V. Contra quos hic ipse Marti-
nus, eòdem Conciliô adhuc vigente, in publico
Consistorio decretalem promulgavit hujus tenoris:
nulli fas est, à Supremo Judice, videlicet Apostolica
Sede, seu Romano Pontifice JESU Christi Vicario in
terris, appellare, aut illius Judicium in causis fidei,
quæ tanquam majores ad ipsum & Sedem Apostolicam
37 *deferenda sunt, declinare.* Cui decretali paruerunt
Poloni, tacentes & acquiescentes; imò & ipsum
Concilium assensit, cùm Legatis appellantibus non
adhæserit. Eminentiss. Card. Vincentius Petra ad
Const. Apostol. tom. 5. pag. 239. n. 15.
38 Ferunt quidem nonnulli, ait *cit.* Petra *pag. 237.*
n. 12. appellationes hujusmodi jam olim interpositas
à schismaticis & hæreticis, imò etiam Catholicis,
evenisse ante Concilium Constantiense; ut de Do-
natistis asseritur, fuisse ab eis ad plenarium redactas,
appellando à judicio Papæ Melchiadis; sed id nul-
lô documentô antiquo probatur; &, si quæ eve-
nerint appellationes, eas malè cessisse, & in schis-
ma ac hæreses ipsos provocantes devenisse, si anteà
tales non fuissent, tradit Victoria *relect. 4. prop.*
39 20. Ita Palladius & Secundianus Episcopi Arria-
ni Concilium Oecumenicum congregari postulâ-
runt. Sed, non obstante appellatione, damnati fuê-
re, & exauctorati, ut refert D. Ambros. *epist. ad*
40 *Imperatorem nomine Concilii Aquileiensis.* Ita Pela-
giani appellantes non tantùm audientiam non sunt
consecuti, sed e contra ad pœnitentiam compulsi fuis-
se leguntur, ut refert P. Phillippus van Wavre *de S.*
Augustini sensu de Appell. p. 2. cap. 2. q. 2. Et, postquàm
à S. Pontifice Innocentio Pelagiani damnati fuerunt,
D. Augustinus *Serm. 2. de Verb. Apost. cap. 18.* dixit:
cùm enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Se-
dem Apostolicam; inde etiam rescripta venerunt. cau-
sa finita est, utinam aliquando finiatur error. Ita 41
ipsimet Donatistæ, quamvis de eorum appellatione,
an talis fuerit, dubitari possit ex iis, quæ tradit *cit.*
Van Wavre *d. l. p. 1. cap. 1. quæst. 3. §. 3.* malè notati
sunt: quippe quorum provocationem S. Augustinus
epist. 162. quæ nunc 53. inscribitur, *perversitatem &*
impudentiam vocat; econtrà sententiam Melchiadis
dicit *ultimam*, & de Romana Ecclesia pronuntiat:
in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principa-
tus. Cui conformiter scripserat S. Optatus *lib. 1. con-* 42
tra Parm. Cæcilianus, ajens, *omnium supra memorató-*
rum sententiis innocens est pronuntiatus, etiam Mel-
chiadis sententiâ, quâ judicium clausum est; quasi di-
ceret, etiam à Summo Pontifice est absolutus, post
cujus judicium de Cæciliani innocentia non est du-
bitandum. De quo judicio iterum Augustinus: *ul-*
tima est prolata sententia, quàm innocens, quàm inte-
gra, quàm provida, atque pacifica.
Præter has appellationes adhuc duas alias, ante 43
Concilium Constantiense factas, recenset Petrus de
Marca *d. l.* videlicèt Friderici II. Imperatoris, &
Philippi Pulchri Gallorum Regis. Verùm anteà *cit.* 44
Eminentiss. Petra *pag. 237. num. 14.* studiosè ob-
servat, à Friderico II. non fuisse appellatum à Pa-
pa ad Concilium, sed potiùs à Concilio Generali
Lugdunensi ad aliud Generalius, sub eo colore,
quòd illud non esset Generale, cui plures Episco-
pi defuerunt; cùm tamen nullum Concilium possit
dici generalius alterô, si fuerit congregatum autho-
ritate Papæ, & vocati omnes. Similiter *pag. seq.* 45
d. n. de Philippo Pulchro commemorat, eum non
appellâsse à vero Pontifice ad Concilium, sed à Bo-
nifacio VIII. velut illegitimo Papa, ut ille (licèt
erroneè) dicebat, ad Papam legitimum in *verb. ad*
prædictum Concilium congregandum, & ad futurum
verum & legitimum Summum Pontificem, ad illum
vel illos, ad quem, vel quos de jure fuerit appellan-
dum, provocamus, appellamus. Addit Philippus 46
Van Wavre de *S. Augustini sensu de Appellat. p. 2.*
cap. 2. q. 2. quòd licèt Clemens V. Successor Bonifa-
cii VIII. rem moderatus sit cum Philippo Pulchro,
eique adhærentibus, non tamen censuerit, censuras,
à Bonifacio VIII. latas, esse nullas, aut per appella-
tiones suffflaminatas, sed potiùs validas, cùm Regem
aliosque absolverit ab illis, ut refert ipse Petrus Na-
talis, alioquin in favorem appellantium adduci con-
suetus. Notat insuper *cit.* Author de aliis similibus 47
appellationibus, ob eas nullum unquam Concilium
generale celebratum legi, ut appellantibus Viris
tam magnis jus diceretur; neque legi, appella-
tiones illas suô fine potitas fuisse: quod sanè mi-
randum foret, si jus appellandi reverà appellanti-
bus competiisset.

QUÆSTIO V.

Qualem authoritatem habeant Concilia Generalia?

Concilia Generalia, legitimè convocata & con- 48
gregata, summam habere auctoritatem, ac pote-
statem obligandi totam Ecclesiam, nec ulli errori
vel falsitati obnoxiam, atque adinstar Evangelii ve-
nerandam esse juxta *cap. sicut sancti* 2. *Dist.* 15.
nemo Catholicorum est, qui inficietur. Eminent.
Card. Vincentius Petra *tom. 2. pag.* 345. *num.* 6.
Ut verò legitimè convocentur, & congregentur, 49
tres præcipuè conditiones desiderantur, quas cum
communi DD. adstruit Eminentiss. D. Cardinalis

Cœlestinus Sfondratus in *Regali Sacerdot. lib. 2.*
50 *§.1. num. 2.* Prima est, ut convocetur mandatô vel
approbatione Summi Pontificis *cap. Synodum 1.*
cum 3. seqq. Dist. 17. alioquin non Concilium, sed
conciliabulum reputatur *cap.multis 5. eâd. Distinct.*
51 Altera est, ut Summus Pontifex Concilio per se
vel Legatos intersit *cap. regula 2. cap. concilia 6.*
cit. Dist. 17. Et licèt Concilio Constantinopolitano primo Damasus Papa non interfuerit, aut per
Legatos præfederit, quòd Patres Romam ad aliud
Concilium evocâsset; confirmatum tamen à Damaso fuisse, imò ejus jussu & Theodosii indictum,
colligitur ex sexta Synodo Constantinopolitana *artic.* 18. post subscriptiones PP. Sfondratus *d. num.*
52 2. Quin &, si Pontifex Legatos miserit, non valent gesta per ipsos & Concilium, nisi Pontifici exhibita, & ab eo fuerint approbata; prout etiam
Concilium Tridentinum juxta *sess.ult.* confirmationem Papalem expetiit, & impetravit à Pio IV. per
Bullam, quæ incipit *Benedictus*, datam 7. Calend.
53 Febr. 1563. Nisi Papa jam antecedenter Legatis dederit facultatem, decreta Conciliaria approbandi;
qualis casus, uti advertit *cit.* Petra *pag.346. num.*
15. nequit de facili executioni mandari: cùm impossibile sit, prorsus omnium rerum, in Concilio
tractandarum, peculiarem dari Legatis instructionem Pontificiæ voluntatis, ex cujus tamen influxu
54 Conciliorum infallibilis authoritas dependet. Tertia conditio est, ut convocentur omnes Episcopi,
nec ullus, ex quacunque orbis parte adveniat, excludatur *arg. cap. placuit* 10. *Dist.* 18. Quod enim
omnes tangit, ab omnibus approbandum esse, docet *Reg. Jur.* 29. *in* 6. causa verò fidei & Religionis, cujus gratiâ primariò convocantur Concilia, tangit omnes Episcopos, ceu Verbi Divini
prædicatores, instructores, & custodes; sicque om-
55 nes vocari debent. Sive tamen multi, sive pauci,
legitimâ præcedenti convocatione, compareant,
auctoritas definiendi penes comparentes residet juxta promissum Christi *Matth.* 18. *ubi sunt duo vel*
tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eo-
56 *rum.* Nec enim, ut disserit Sfondratus, numerus
Episcoporum Concilium generale facit, sed jus
omnibus factum, & saltem ut ex majori parte provinciarum Christianarum aliqui adveniant: omnes
enim convenire, res est impossibilis; nec credi debet, voluisse Christum authoritatem Ecclesiæ ne-
57 cessariam ad eventum impossibilem adstringere. Et
ideò, licèt Concilium Carthaginense Nationale
tempore D. Augustini Episcopos 217. numeraverit, Concilium verò Constantinopolitanum primum
150. hoc generale fuit, non illud: & ad Concilia,
in Oriente habita, pauci Occidentalium; sicut ex
adverso ad Concilia Occidentis pauci Orientalium
convenere, nec minùs tamen consensu omnium universalia habita sunt.
58 Solent tamen, præter Episcopos, ex generali
consuetudine in Conciliis universalibus intervenire
etiam Abbates exempti & Generales Ordinum; cum
ea tamen distinctione, quòd Episcopis competat votum decisivum jure ordinario, cæteris autem ex
privilegio: jam enim in Nicena secunda Synodo
art. 4. Archi-Mandritæ & Abbates subscripti legun-
59 tur. Petra *cit.tom. 2. pag.347. n.28. & seqq.* Tribus
etiam Abbatibus Cassinensibus unicum suffragium
fuisse concessum in Concilio Tridentino, tanquam
unam Religionem repræsentantibus, testatur Card.
Pallavicin. in *Hist. Concil. Trident. p. 2. lib.6. cap. 2.*
60 Solent etiam intervenire alii; nec excluduntur Laici, præsertim Imperatores, Reges, Principes, qui
suos Oratores mittunt ad Concilium, sed absque
suffragio. Petra *d.pag.n.29.*
61 Porrò in ordine sessionis attenditur major dignitas; adeóque Archi-Episcopi sedent ante Episcopos: inter illos verò, qui pares sunt in dignitate, tempus consecrationis respicitur *cap. ult. Dist.17.* Petra *pag.348. n.34. & seq.*

CAPUT III.

De Jurisdictione Summa Sæculari.

Post Summam Jurisdictionem Ecclesiasticam proximò locò reponitur & consideratur Jurisdictio Summa Sæcularis, seu Politica; minor quidem Ecclesiasticâ, major tamen omni aliâ. Nam, ut bellè discurrit Innocentius III. in *cap. sollicitæ 6. de M. & O. ad firmamentum cæli, hoc est universalis Ecclesiæ, fecit DEUS duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificialis authoritas, & Regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor: ut, quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia agnoscatur.* Pro hujus Jurisdictionis dispectione sit

SECTIO I.

De Essentia, Existentia, & Origine Jurisdictionis Summa Sacularis.

SUMMARIA.

1. *Nomenclatura Jurisdictionis Sæcularis.* 2. *Vocatur etiam Jurisdictio Politica.* 3. *Vocatur quoque Majestas.* 4. *Accipitur dupliciter.* 5. *Definitur in prima acceptione.* 6. *Definitur in secunda.* 7. *Est absoluta & illimitata.* 8. *Non obstante subordinatione ad Jurisdictionem Ecclesiasticam.* 9. *Ordinatur in finem naturalem.* 10. *Negârunt aliqui Jurisdictionem Sæcularem.* 11. *& seq. Refutantur.* 13. *Solvitur ipsorum argumentum.* 14. *Jurisdictio Secularis in se descendit à DEO.* 15. *Probatur.* 16. *Quoad modum immediatè provenit à communitate.* 17. *Nonnulla ex Hornio opponuntur.* 18. *& seqq. Diluuntur.* 21. *Jurisdictio in Romano Imperio quo ad devolutionem adscribenda est Pontifici.* 22. *Id, quod negant Acatholici; affirmant Catholici.* 23. 24. *Nominantur Authores.* 25. *Affertur ratio.* 26. *& seqq. Confirmatur assertio per refutationem opinionum adversariorum.* 32. *Danielis Ottonis censura.* 33. *Sub censuram vocatur.* 34. *Eliditur quadam replica.* 35. *Declaratur, quid Carolus Magnus acquisiverit per translationem Imperii.*

§. I.

De Nomenclatura Summa Jurisdictionis Sacularis.

Jurisdictio Summa, quam *Sacularem* dicimus, nomenclaturam ducit à sæculo, quod usitatâ significatione dicit vel materialiter statum hujus mundi, vel moraliter & metonymicè homines mundanos, tem-

temporalis beatitudinis ergo in unum congregatos.
Nempe, ut tradit D. Hieronymus in *cap. duo sunt
7. XII. q. 1. duo sunt genera Christianorum; est au-
tem unum genus, quod mancipatum Divinæ efficie,&
deditum contemplationi & orationi ab omni strepitu
temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici & DEO
devoti &c. Aliud verò genus est Christianorum, ut sunt
Laici: laòs enim Græce, est populus Latinè. His con-
cessum est, uxorem ducere, & terram colere, inter vi-
rum & virum judicare, causas agere &c.* Adeóque
potestas illa, quæ ut Suprema imperat hominibus
Sæcularibus & Laicis, Jurisdictio Summa Sæcularis
(vel etiam Temporalis) appellatur.

Aliàs hæc Jurisdictio vocatur *Politica*: quia vi-
2 delicèt oritur ex Politia, quæ describi potest vel
ad mentem Besoldi *lib. 1. Polit. cap. 1. §. 6. num.*
38. quòd sit hominum plurium, ac rerum privata-
rum, tum inter se communium, summa cum pote-
state ac ratione gubernatio; vel cum Clarissimo D.
Francisco Ignatio de Wolleren in *Quæst. Oenipont.
quæst.* 10. *n.*3. & 4. quòd sit Harmonicus Reipubli-
cæ status, seu legitima Reipublicæ Ordinatio, se-
cundùm quam alii præsunt, alii subsunt. Constat
quippe, ut loquitur *cit.* Author, omnis Respublica
ex ista concatenatione, seu parentium & imperantium
inter se obligatione & jure; ratione ita dictante, ut
sint, qui imperent, sint, qui pareant.

Vocatur quoque præsens Jurisdictionis species
3 valde frequenti vocabulô *Majestas*, per quam non
intelligitur cum Cicerone dignitas aliqua aut ampli-
tudo; nec cum Politicis eminentior illa authoritas,
quâ Principes in animis hominum singularem sibi
reverentiam & admirationem conciliant; sed Summa
in Civitate seu Republica Potestas. D. Gletle in *Se-
lect. Jur. Publici cap.*3.*n.*3.& 4. Et hinc mirabitur ne-
mo, si promiscuè in hoc *cap.* de Jurisdictione Sum-
ma Sæculari sermo inciderit, eamque aliquando
Majestatem, nonnunquàm Jurisdictionem Politi-
cam nominaverimus.

§. II.

De Definitione Summa Jurisdictionis Sæcularis.

Sicut Jurisdictio Summa Ecclesiastica dupliciter
4 potest accipi ex *cap.* 1. *n.* 6. pro potestate videlicèt
regendi Ecclesiam; & pro potestate jus dicendi in
causis Ecclesiasticis: ita & Sæcularis accipi potest
tam pro potestate regendi Rempublicam Civilem;
quàm pro facultate jus dicendi in causis sæcularibus,
volgò *die höchste Gerichtbarkeit.*

In prima acceptione definitor, quòd sit absoluta
5 & illimitata potestas, dirigendi actiones civium in fi-
nem naturalem & politicum. Eóque sensu Jurisdi-
ctionem Sæcularem consideravimus in *tract. de Jure
Leg. cap.*6.& 7. *per tot.*

In altera acceptione Jurisdictio Sæcularis est ab-
6 soluta & illimitata potestas, jus de causis civium di-
cendi, ad naturalem & politicam illorum felicita-
tem. Quâ ratione propinquior intento nostro sit Ju-
risdictio.

Dixi in utraque definitione I. *absoluta & illimi-
7 tata potestas.* Nam Jurisdictio Summa Sæcularis,
eô ipsô, quòd Summa sit, nequit in suo ordine
pendere, limitari, aut restringi à Potestate alia,
utpote quæ necessariò vel æqualis est, vel infe-
rior; sicque ex *cap.* 1. *num.* 134. contra æqualem,
& multò minùs contra Superiorem, prævalere non
valet.

Neque reponas: Jurisdictionem Sæcularem ex
8 *cap.* 2. *num.*152.& *seqq.* subesse Jurisdictioni Eccle-
siasticæ, atque ab ea circumscribi, limitari, & adi-
mi posse. Jam enim scrupulus iste in *eôd. cap. n.*179.
peremptus est: quia ad hoc, ut Jurisdictio aliqua sit
Suprema & Summa, sufficit, eam in suo ordine &
genere Supremam & Summam esse; nec requiritur,
ut in omni genere & ordine sit talis. Alioquin Su-
prema potestas in mundo non daretur, cùm omnis
potestas, quâ homines resplendent, pendeat à Su-
prema Divini Numinis Majestate. Adeóque, quòd
Jurisdictio Sæcularis quoad spiritualia subsit Juris-
dictioni Ecclesiasticæ, non desinit esse Suprema in
suo ordine, hoc est, quoad temporalia. Confer D.
Gletle *cit. l. cap.*3.*n.*3.

Dixi II. *in finem & felicitatem naturalem*: hoc 9
est, pacem externam, mutua commercia, quietam
rerum possessionem, opes, divitias, & cætera, quæ
civem quà talem reddere possunt naturaliter feli-
cem. Et in his particulis genuinam differentiam,
quâ Jurisdictio Sæcularis ab Ecclesiastica discer-
nitur positam esse, in *cap.* 1. *num.* 11. jam præ-
notatum est.

§. III.

De Existentia Summa Jurisdictionis Sæcularis.

Fuerunt Authores, quos, suppressô nomine, ci- 10
tat D. Gletle *cit. cap.* 3. *num.* 4. existimantes, solum
DEUM agnoscendum esse pro legitimo Principe;
dominatum verò Politicum, quem homines sibi at-
tribuunt, iniquitate plenum esse. Argumentum il-
lorum est: quòd repugnet humanæ naturæ dignitati,
ut homo, qui ad imaginem DEI conditus, libertate
donatus, & soli DEO subjectus est, alium agnoscat
Dominum aut Principem, quam DEUM.

Verùm, quemadmodum de *Jure Legali c.*7.*à n.*34. 11
ostendimus tum ex SS. Literis, tum ex ratione, dari
potestatem Legislativam in hominibus: quia non
tantùm in Veteri, sed etiam in Novo Testamento
fuerunt Reges, Principes, Judices, potestate Le-
gislativâ instructi: idque ideò, quia Civilis ac Po-
litica Societas nequit diu consistere sinè Lege & Ju-
re Societatis: ita quoque ex his principiis non est
difficile ostendere, dari potestatem Jurisdictionis Sæ-
cularis: partim quia in hac, si largiùs nonnihil juxta 12
n. 4. & 5. sumatur, potestas Legislativa radicatur:
partim quia Societas Politica non tantùm Leges &
Jura desiderat, sed etiam personam publicam, quæ
Leges & Jura jam constituta aut explicet, aut ap-
plicet ad facta hominum singularia.

Neque vis inest argumento opposito. Siquidem 13
naturæ humanæ admodùm naturale, & conforme
est, ut homo, qui congenitum sibi appetitum ad So-
cietatem habet, Leges Communes & Jus non tan-
tùm ferri, sed & dici & reddi sibi patiatur. Quin
etiam, cùm ad malum sit proclive humanum inge-
nium & genius, Duce, Rectore, ac Gubernatore
opus est, quô orbitam justi rectique egressus ani-
mus ad limitea justitiæ & rectitudinis reducatur.
Confer D. Gletle *cit. cap.* 3. *num.* 5. & 6. Molinam
de *J. & J. tract.* 2. *disp.* 22. *num.* 8. Bertrandum de
Orig. Jurisdict. q. 1. *num.* 1.

§. IV.

De Origine Summæ Jurisdictionis Sæcularis.

Originem Summæ Jorisdictionis Sæcularis bifa- 14
riàm considerare possumus. Primò in se & abstractè;
deinde in specie & concretivè in Imperio Romano.
In se & abstractè spectata Jurisdictio Sæcularis quo-
ad substantiam descendit à DEO ut Authore
naturæ; quoad modum verò, quatenùs penes
unum vel plures residet, immediatè provenit ab
hominibus. Hæcque resolutio tam superiùs in *cap.*

2. *n.* 31. quàm in *tract. de Jure Leg. cap.* 7. *n.* 37. *&*
15 *seqq.* jam prætacta est. Ratio est: quia, dum nullus hominum alteri, spectatâ naturâ, subjectus; nullus alteri ad parendum obstrictus est, nequit communitas aliqua ex se ipsa habere Potestatem Jurisdictionis, sed illam ab aliquo Superiore, DEO scilicèt, ut Author est naturæ, emutuare debet: adeóque Jurisdictio Sæcularis, in se & abstractè considerata, descendit à DEO ut Authore naturæ, juxta textus sacros Prov. 8. ibi: *per me Reges regnant, &c.* 1. Petri 2. ibi: *subjecti estote omni humanæ creaturæ propter DEum; sive Regi, tanquam præcellenti; sive Ducibus, tanquam ab eo missis &c.* ad Rom. 13. ibi: *non est Potestas, nisi à Deo.* Atque in hoc sensu Reges & Principes scribunt, se ex gratia Divina, *von GOttes Gnaden*, regnare. Ferdinandus Waizenegger in *dissert. Jurisdict. de Imperat. & Imper. cap.* 4. *n.* 41. *& seqq.*

16 Quia tamen populo & communitati liberum erat, Jurisdictionem à DEO concessam vel per unum vel per plures exercere: hinc Jurisdictio quoad modum, quatenùs nempe penes unum vel plures residet, immediatè proficiscitur ab hominibus. Molina *cit. tr. disp.* 22. *n.* 9. *disp.* 23. *n.* 17. *disp.* 26. *n.* 4. *& seqq.* Gletle *cit. cap.* 3. *n.* 10. *& seqq.*

17 E regione incedit Frid. Hornius *lib.* 2. *de Civit. cap.* 1. *per tot.* ac probare intendit, Jurisdictionem Summam etiam quoad modum immediatè à DEO conferri, ab hominibus autem solam personam designari: tum quia in Supremos Principes, ad fastigium è vili quandoque glebâ subvectos, tanta sæpenumerò majestas & gravitas redundat, ut aliunde, quàm à DEO, promanare prudenter cogitari non possit: tum quia peculiari curâ fovet & servat Numen Principes Supremos: tum quia castigat subinde Reges, si Regnum ab alio, quàm Divino collatore, provenisse, sibi stolidè imaginentur.

18 Sed probationes istæ ne quidem semiplenæ sunt. Enim verò quod primò dicitur de singulari Majestate, quam Reges in primo regiminis ingressu præ se ferre videntur, sæpissimè fallit: vidit namque non solùm præteritum, sed etiam antecedentia sæcula Reges & Principes sat multos, qui sine splendore, sine authoritate, sine veneratione fuerunt apud populum, ac ludibriò magis, quàm digni reverentiâ
19 æstimati. Quod secundò de peculiari Numinis curâ propositum, non equidem universaliter procedit: cùm exempla sciantur non pauca, quòd & Reges alii, & Imperatores Romani, maximè primi, suorum insidiis præmatura obierint fata: sed nec, si universaliter procederet, quidquam evinceret: cùm DEUS utique speciali protectione suâ honoret, quos suos in terris Vicarios, seu mediatè seu im-
20 mediatè constituit. Quod tertiò adductum de vindicta Divina, rursus perpetuum non est: quia justo DEI judiciò aliqui, qui regnârunt piè, impias hominum manus non evasêre; & econtrà permulti, qui præfuerunt arroganter, tranquillos regiminis annos numerârunt. Et demus, perpetuum id esse: quid inde contra conclusionem nostram infertur? Peccant gravissimè Principes, si propriis viribus aut meritis attribuant Regnum, quod Supremi Numinis & voluntate, & potestate, & providentiâ, & vice, administrant; quomodocunque deinde ad Regnum pervenerint, successione, electione, consuetudine &c. Confer D. Gletle *cit. cap. num.* 9.

21 Quòd si in specie consideretur Romanum Imperium, negari cum ratione non potest, quòd Jurisdictio Sæcularis, quatenùs de facto penes Imperatores Romano-Germanicos reperitur, non debeat, *quoad devolutionem* à Græcis ad Germanos, Romano
22 Pontifici in acceptis referri. Esto enim, si hæreticos consulas (verba sunt sæpe laudati D. Gletle *Select. Jur. Publ. cap.* 4. *n.* 3.) qui scripserunt hôc & priore „ sæculô, opinionem negativam turmatim ab iis pro- „ pugnari intelligas, quia scilicèt ab hominibus, odiô „ in Sedem Apostolicam lividis, sententiam, Christi „ Vicario amicam, frustra exspectes; si tamen Autho- „ res Catholicos perlustrare sustineas, sub vexillis „ sententiæ affirmativæ plenô agmine eos incedere, adverteas. Et quidem, ut refert Card. Sfondrati *Re-* 23
gal. Sacerdot. lib. 1. §. 5. *n.* 9. Bellarminus Cardinalis 35. Historicorum testimoniis, duodecim Imperium, aliorumque Principum, & septem Summorum Pontificum suffragiis probat, authoritate Leonis III. in Carolum M. Romanum Imperium ab Oriente in Occidentem annô Domini 800. fuisse translatum. Ipse Card. *citatus* præter Paulum Diaconum, qui tempore Caroli Magni floruit, ac complures alios probatissimos Historicos, in testes adducit Joannem Cluverium, & Danielem Pareum, utriusque Reformatæ, ut vocant, Religionis. Subscribunt huic 24
placito, consentiente calamò, Neoterici, *cit.* Card. *d.* §. 5. *per tot.* Reding *Cathedræ Apostol. Art.* 1. *disquis.* 2. *n* 92. *& seqq. item n.* 147. *& seqq.* Barbosa in *cap. venerabilem* 34. *de Elect. n.* 3. Gonzalez in *idem cap. n.* 28. D. Hermannus Hermes in *Fasc. Juris Publ. cap.* 3. *n.* 23. D. Josephus Bernardus Gletle *cit. cap.* 4. *per tot.* Georgius Ludovicus Lundenspôr, *de successione, ac mutat. Imperior. cap.* 8. *num.* 3. D. Ferdinandus Waizenegger in *dissert. Politico-Jurid. de Imperat. & Imperio cap.* 4. *per tot.* ac novissimè D. Michaël Münchmayr in *Jure Publ. Romano-German. cap.* 1. *pag.* 4.

Ratio, quia, suppositâ Historiæ fide, assertum probatur, hæc est: quia ex *cap.* 2. *à num.* 148. competit 25
Apostolicæ Sedi Jurisdictio indirecta circa causas & negotia temporalia, cujus adminiculò non tantùm homines privatos, sed etiam Principes punire, imò & Principatu privare potest, si eò in perniciem Religionis Catholicæ abutantur. Jam verò temporibus Leonis III. Pontificis, & aliquot Antecessorum, Imperatores Orientis, qui simul Imperium Occidentale tenebant, potestate suâ non utebantur, vel certè abutebantur in perniciem Religionis: nam Ecclesia Romana continuis Longobardorum invasionibus infestabatur; Græci tamen Imperatores nec auxilium, nec subsidium ferebant: tum quia ipsimet bellò cum Saracenis, Avaribus, Bulgaris, Hunnis, aliisque hostibus erant involuti: tum quia in hæresin iconomachiæ prolapsi sæviebant acerbiùs in Catholicos, quàm Ethnici antehàc in Christianos, ac Pontificem ipsum sub pœna mortis in hæresin suam pertrahere conabantur. Ne ergo Ecclesia diutiùs Advocatò & defensore careret, Leo III. potuit utique & debuit Imperium à Græcis auferre, ac nemini justiùs quàm Carolo Magno conferre: utpote qui unà cum Patre Pipino non semel sed sæpiùs fluctuanti Ecclesiæ opitularem artulit dexteram, ac Leonem ipsum, malignorum hominum insidiis vix non Pontificatu jam expulsum, defendit, & in Romana Sede stabilivit.

Confirmatur assertum. Imperium Romano-Occidentale, ex omnium confessione, non semper penes Germanos extitit, sed tempore Caroli Magni ad ipsos demum pervenit. Ergo vel jure belli, vel singulari beneficiô DEI; vel successione hæreditariâ; vel electione Populi; vel donô Imperatorum Orientalium; vel denique authoritate Pontificiâ. Atqui falsum est I. quòd jure belli pervenerit ad Carolum: nam etsi Longobardos Italiæ Regnô dejecerit, indeque Rex Italiæ cœperit appellari, attamen Imperatoriam Majestatem eô ipsô necdum acquisivit: cùm & Gallia, & Hispania, & Anglia fuerint aliquando provinciæ Romanæ, esto illarum Reges Imperatoriò titulò abstinuerint; sicut & plures Romanorum 26

norum provinciæ ad Perfas, Parthos, Carthaginen-
fes jure belli transiverunt, absque eo, quod illi
populi Imperium Romanum fibi arrogaverint. Quod
etiam in Germania de facto videmus, à qua non
una Regio avulsa, salvâ nihilo minùs & Imperii &
27 Imperatoris præeminentiâ. II. tametsi DEUS per-
fæpe fuò jussu & nomine Regna transtulerit imme-
diatè, veluti testes in Scriptura funt Moyfes, Josue,
Gedeon, Saul &c. falfum est, quòd ita Imperium
Romanum detulerit Carolo: utpote cùm Sacris ta-
bulis hoc fuper articulo nihil infertum legatur. Fal-
28 fum est III. jure fucceffionis ad Imperium devenif-
fe Carolum: is enim ceu primus omnium Germaniæ
Imperatorum non potuit à Patre Pipino, qui non
erat Imperator, hæreditariò jure Imperium nancif-
29 ci. Falfum est IV. (prout etiam fatetur Pfeffinger
in *not. ad Vitriar. lib. 1 tit. 4. n. 5. lit. a.*) electione Po-
puli Coronam Imperii Carolo impositam esse: ne-
que enim Populo tunc temporis jus erat, Impera-
torem eligendi, potestate omni in Principes per Le-
gem Regiam jam antecedenter translatâ: neque ac-
clamationes illæ, quas Populus Romanus Carolo in
die natali Domini annô 800. Coronato fecerat:
*Piissimo, Perpetuo, Augusto, à DEO Coronato, Magno,
ac Pacifico Imperatori, Vita & Victoria*, authoritati-
vum populi suffragium in designatione Imperatoris,
sed potius consensum, approbationem, lætitiam de
30 facto Pontificis demonstrabant. Falfum est V. do-
natione Imperatorum Orientalium Carolo Imperium
acceffiffe: erant quippe, attestantibus Historicis,
& eòque monstrante Pfeffingerô *cit. loc.* gravissimè in-
viti Orientales Principes, quòd partem nobilissimam
sui Imperii à se abripi viderent, nec ante annum duo-
decimum à translatione Imperii, quô Nicephorus
sceptrum Orientis tenuit, Carolum Augustum agnof-
cebant. Nihil ergo superest, quàm authoritas Apo-
stolica, cui translationem Imperii adscribunt omnes,
qui veritatis amicos, & hostes Pontificios se non
profitentur.

31 Non equidem me prætereunt illa, quæ cum Con-
rado Einsidel de *Regal. cap. 1. n. 45.* & aliis suæ sectæ
multa cum bile scribit Daniel Otto in *Jure publ. cap.
5.* ridendos nempe esse Pontificios & eorum assenta-
tores, qui narrant, Pontificis authoritate ad Ger-
32 manos Imperium transiisse. Sed ego Ottonem, uti
& cæteros fidei Orthodoxæ inimicos scriptores, non
ridendos, sed commiseratione dignos censeo, quòd,
cùm ipsimet negare haud possint, in translatione Ro-
mani Imperii Pontificiam authoritatem intervenisse,
veluti præfatus Otto *cit. cap. 5. pag. 88. & seq.* ex
Historicis testatum facit, ac in *pag. 95. & pag. seq.*
longissimum catalogum antiquissimorum Historico-
rum, translationem hanc S. Pontifici adscribentium,
recenset; nolint tamen in laudabilissimo hoc facto
gloriam Pontifici relinquere, Vatinianô, ut ajunt,
odiô in Sedem Vaticanam exasperati, & excæcati.
Credunt illi potiùs suæ sectæ Authoribus, qui de re-
bus, multis fæculis ante se gestis, juxta proprium ar-
bitrium testantur; quàm Authoribus antiquis, qui
eô tempore, vel non multò post vixerunt, & scrip-
serunt, quô acciderunt res scriptæ.

33 Nec dicas cum eodem Ottone: Imperium, cùm
nunquàm fuerit penes Pontificem, non potuisse Ca-
rolo Magno conferri. Neque enim opus est, ut Im-
perium ipsum penes Pontificem fuerit, sed sufficit,
quòd Jurisdictio Ecclesiastica possit se ad objecta
temporalia sic extendere, ut exigente Bonô Ecclesiæ
possit Regna de gente in gentem, de persona in per-
sonam transferre, sicut Magistratus Politicus ex vir-
tute Jurisdictionis potest dominium ab uno invito in
alium ex causa publica transferre, esto dominium nun-
quam penes Magistratum extiterit. Videatur *tract.
de Jure Leg. cap. 2. à n. 199.*

Si fciscitaris: quid ergo Carolus Magnus per tranf- 34
lationem Imperii acquisiverit? Respondebit I. D.
Gleile *cit. l. n. 37.* & cum eo D. Franz in *quæst. ex
Universo Jure q. 13. n. 9.* Carolo accessisse titulum Im-
peratoris, & prærogativas honoris inter omnes orbis
Christiani Principes; quin etiam jus in reliquias Ro-
mani Imperii eidem fuisse partum.

Respondebit II. Card. Sfondrati *cit. lib 1. §. 5. n. 9.* 35
pag. m. 195. præter titulum & insignia Imperatoris
(quod nomen nemini unquam, præter Romanos
Principes, & qui Romanis Principibus in dignitate
successores erant, tributum esse, notat idem Cardi-
nal. *pag. 198.*) Carolum id acquisivisse, ut ea ipsa, quæ
jam habebat, non jure tantum Regis & Patritii Ro-
mani, ut ante Coronationem; sed etiam Imperatoris
& Augusti retineret, videlicèt cum prærogativis,
præcedentiis, superioritate, aliisque, si quæ Impera-
toribus erant propria &c.

SECTIO II.

De Subjecto Summæ Jurisdictionis Sæcularis.

SUMMARIA.

36. *Subjectum passivum Jurisdictionis.* 37. *Activum.* 38. *Diversum est pro ratione statûs.* 39. *In Democratia est penes universum populum.* 40. *Quænam Republicæ forma perfectior? Remissivè.* 41. *Affertur primum argumentum contra Pontificem, quòd non habeat Supremam Jurisdictionem.* 42. *& seqq. Affertur secundum, & impugnatur donatio Constantiniana.* 47. *Affertur tertium.* 48. *Afferitur eadem Jurisdictio.* 49. *Probatur ex* cap. fundamenta 17. de Elect. in 6. 50. *Additur ratio.* 51. *Resp. ad primum argumentum contrarium.* 52. *Probatur responsio.* 53. *Resp. ad argumentum secundum.* 54. *Firmatur responsio.* 55. *& seqq. Donatio Constantiniana vindicatur.* 60. *Ultimum argumentum conculcatur.* 61. *Olim Imperator in Imperio Summam Jurisdictionem habuit.* 62. *Et adhuc habet.* 63. *& seqq. Multifariæ rationes adducuntur.* 68. *& seqq. Proponuntur, & diluuntur objecta.* 72. *Sententia Domini Gleile explicatur.* 73. *Jurisdictio Imperatoris non extendit se ad totum orbem.* 74. *Imperator exercet Jurisdictionem in suis tribunalibus.* 75. *Tale est Judicium Imperiale Aulicum.* 76. *Quod est Collegium.* 77. *Judicis.* 78. *Et Assessorum.* 79. *In Aula Cæsarea.* 80. *De causis Imperii jus dicentium.* 81. *Aliqui volunt, Jurisdictionem hujus Judicii esse delegatam.* 82. *Alii dicunt, esse ordinariam.* 83. *Eligitur posterior sententia.* 84. *Defenditur concurrentia Jurisdictionis cum Camera.* 85. *Probatur.* 86. *Instantia reprimitur.* 87. *Simile Judicium est etiam Cameræ.* 88. *& seqq. Describitur.* 93. *Habet Jurisdictionem ordinariam.* 94. *Sed cumulativè.*

§. I.

Quibus in genere Summa Jurisdictio Sæcularis competat?

SUbjectum, in quod passivè exercetur Jurisdictio 36
Summa Sæcularis, in genere sunt omnes subditi,
intra limites Regionis aut Imperii, pro quo concessa
Jurisdictio, existentes.

Subjectum, quod activè Jurisdictionem Sum- 37
mam Sæcularem exercet, pro multiplici Rerumpu-
blicarum & Politiarum forma, est multiplex. Notum
siqui-

ſiquidem, & crebriore Publiciſtarum ſuffragiô com-
probatum eſt, dari triplicem formam Reipoblicæ,
ſeu Politiæ, Monarchiam, Ariſtocratiam, Demo-
cratiam. *Monarchia* conſurgit, quando Suprema
imperandi Poteſtas uni committitur. *Ariſtocratia*
obtinet, quando Supremum Imperiom penes plu-
res, quot Optimates dicunt, exiſtit. *Democratia*
38 viget, quando univerſus populus imperat. Ubi er-
go ſtatus eſt Monarchicus, Summa Juriſdictio Sæ-
cularis uni & ſoli Summo Principi competit; ubi
ſtatus Ariſtocraticus, competit Optimatibus ſeu
Senatoribus; ubi Democraticus, competit univerſo
populo.

39 . Obloquitur equidem Hornius *lib.* 3. *de Civ. cap.
un.* atque ſtatui Democratico Summam Poteſtatem
accommodari poſſe, negat ex variis argumentis, à
D. Gletle in *Select. Juriſpubl. cap.*3. *n.*21. relatis &
refutatis, id probare conatus. Verùm eâdem pror-
ſus ratione, quâ ſtatui Monarchico & Ariſtocratico
tribuitur Summa Poteſtas, etiam ſtatui Democrati-
co erit tribuenda: tum quia communitas perfecta,
qualis utique eſt Democratica, requirit Juriſdictio-
nem: tum quia in ſtatu Democratico nemo alius eſt,
qui jura & leges præſcribat, jus dicat, ſententiam
ferat, ac populus univerſus: tum quia Reſpublica
libera, cùm nemini ſubſit, jura Suprema ipſamet ha-
bere debet.

40 Cæterùm acriter diſputant Politici: quidnam
magis expediat, Juriſdictionem Supremam penes
unum vel plures exiſtere? ſive, ut communiter lo-
quuntur, quænam ex memoratis Reipublicæ formis
alteri prælerenda ſit? Qua in re mentem meam obi-
ter expreſſi in *cap.* 2.*n.* 89. proque ulteriori diluci-
datione conſulendos ſuadeo Joannem Braun in *lib.*
2. *Var. Amœnit. quæſt.* 1. D. Gletle *d. cap.* 3. *n.* 20.
& ſeqq. D. de Wolleren in *cit. quæſt. ſelect. Oenipont.*
q. 10. *n.* 5. *& ſeqq.*

§. II.

An S. Pontif. Supremam Juriſdictionem Sæcularem habeat in ſuo territorio?

41 Litem hic Pontifici conjuratô agmine movent
Anti-Papiſtæ, omnem ei Sæcularem Juriſdictionem
adimere præſumentes. Arguunt illi cum Einſidel
tract. de Regal. c. 1. *n.*35. contra Pontificem Roma-
num primò: quòd Regnum ipſius, ſicut Chriſti,
non ſit de hoc mundo; ac Vicarius non gaudeat am-
pliori Poteſtatê quàm principalis; neque alia viven-
di ratio debeat eſſe familiaris Papæ, præter illam,
quam Petrus & Apoſtoli, rerum temporalium afflu-
xu deſtituti, tenebant.

42 Secundò: quòd Juriſdictio Sæcularis & Suprema,
ſi quæ eſſet Pontifici, ab aliquo Supremorum Prin-
cipum debuiſſet fuiſſe collata, & fortè à Conſtan-
tino Magno. Verùm, ut ſcribit Daniel Otto *Juris
Publ. cap.* 4. *pag.* 82. donatio, quæ Conſtantino tribui-
tur, *falſa, fictitia, commentitia, atque ementita eſt*, I.
quia eandem aliter Leo IX. in *epiſt.* 1. *ad Michaël.*
aliter Melchiades in *cap. futuram* 15. *XII. q.* 1. aliter
Balſamon in *Photii Nomecanon. tit.* 8. *c.* 1. aliter Ni-
colaus III. in *c. fundamenta* 17. *de Elect. in* 6. *&c.* ali-
ter alii proponunt, ita ut vel hôc nomine, ob diver-
ſas & ſibi mutuò repugnantes formulas, donatio illa
meritò ſuſpecta ſit *arg. l. ſcripturæ* 14. *Cod. de Fide in-*
43 *ſtrum.* II. quia nulla uſquam in toto Jure Civili hu-
jus donationis ſit mentio, quæ certè, tanquàm no-
44 tabilis, ſpecialiter notari debuiſſet. III. probati Au-
thores, quotquot de rebus geſtis Conſtantini ſcrip-
ſêre, hujus donationis ne verbolô faciunt mentio-
45 nem &c. IV. quia Sylveſter mortuus eſt annô Chri-
ſti 330. Atqui dicunt, hanc donationem factam
eſſe eô annô, quô eſt baptizatus, annô Chriſti 337.
Facta igitur erit Sylveſtro ſeptimô annô, poſtquàm
jam mortuus erat. V. quia Conſtantinus tribus ſuis 46
filiis Imperii corpus diviſit, ac Conſtantinus Oc-
cidentalium partium, Conſtantius Orientalium,
Conſtans interjectarum Princeps conſtitutus eſt.

Tertiò: quòd præſcriptio temporis immemorialis, 47
quæ firmitatem Juriſdictioni tribuere poſſet, ne-
queat conſiſtere ſinè bonâ fide; Pontifices verò in
uſu Juriſdictionis bonam fidem nunquam habuerint:
ideòque in hos (ſic peſtiferô & audaci calamô ſcri-
bit Swederus in *Introduct. ad Juspubl. part. gen.
cap.* 4. *n.* 40.) Imperator noſter perpetuam manûs in-
jectionem, non ſecus ac Dominus in ſervum Barba-
rium Philippum, habeat.

Verùm Summo Pontifici Juriſdictionem Sæcu- 48
larem, ac Supremam quidem, conſtare in Patrimo-
nio D. Petri, ſeu terris ipſi temporaliter ſubjectis,
DD. Orthodoxi pro indubitata veritate ſupponunt
potiùs, quàm probatu neceſſarium cenſent cum
Covarruv. *lib.* 4. *var. reſolut. cap.* 16. *ſub num.* 8. *℣.
ſecundò.* Molina de *J. & J. tr.* 1. *diſp.* 29 *num.* 9.
P. Engel ad *tit. de M. & O. num.* 11. *& ſeqq.* Fer-
dinando Watzengger in ſæpe *cit. diſſert. de Impe-
rat. & Imp. cap.* 3. *per tot.* Clariſſimo D. Dominico
de Baſſis 10 *diſp. de Juriſdict. theſi* 41. *num.* 3. Tex- 49
tus pro eadem veritate ſunt in *cap. cùm ad verum*
6. *& ſeq. Diſt.* 96. *cap. ſi duobus* 7. *§. denique de
Appellat. cap. per venerabilem* 13. *Qui filii ſint le-
git. cap. fundamenta* 17. *de Elect. in* 6. ibi: *ne autem
ipſa Mater Eccleſia in congregatione & paſtura fide-
lium temporalibus careret auxiliis, quin potius ipſis
adjuta, ſpiritualibus ſemper proficeret incrementis,
non abſque miraculo factum eſſe concipitur, ut occa-
ſionaliter Conſtantini Monarchæ, à DEO proviſa, ſed
curata baptiſmalibus fomentis infirmitas, quandam
quaſi adjiceret ipſi Eccleſiæ firmitatem: qui quartô
die baptiſmatis unà cum omnibus Satrapis, & univer-
ſo Senatu, Optimatibus etiam & cuncto populo, in
perſona Beati Sylveſtri ſibi Romanam concedendô ur-
bem relinquens, ab eo & ſucceſſoribus ejus per prag-
maticum conſtitutum diſponendam eſſe (decernens in
ipſa Urbe NB. utriuſque poteſtatis Monarchiam Ro-
manis Pontificibus) declararet &c.* Et ratio eſt: 50
quia, ut inſigniter argumentatur Dominicus Sotus
de *J. & J. lib.* 10. *q.* 4. *art.* 5. potentia temporalis
ac divitiæ, licèt non fuiſſent Eccleſiæ neceſſariæ,
ſi omnes Epiſcopi, Prælati, & Sacerdotes exem-
plô SS. Petri, Auguſtini, Martini, Nicolai, be-
nevolentiam ac reverentiam populi, vitæ ſanctimo-
niâ demereri potuiſſent: qoia tamen in tanto nume-
ro hoc ſperari non poterat; ideò Eccleſiæ aliô mo-
dô conſulendum erat: idque etiam, ut ejus exiſti-
matio creſceret apud homines, quorum cognitio, uti
à ſenſibus incipit, ita magis æſtimat Eccleſiam,
ſplendore rerum externarum fulgentem. Poſitis ve-
rò & conceſſis bonis temporalibus, longè maximè
condecebat, ut Juriſdictionem Supremam Sæcula-
rem habeat: tum ut Majeſtas Eccleſiaſtica ex con-
ſortio Imperii Politici incrementum quoddam ſu-
meret: tum, ne vileſceret perſona Pontificis, ſi
Principibus Sæcularibus in judicio ratione tempo-
ralium ſublimitatem ſuam inclinare deberet: tum quia
certior ac magis perpetua erat ſperanda poſſeſſio bo-
norum, quorum omnis Juriſdictio ad Eccleſiam per-
tinet. Quod ipſum Nicolaus III. in *cit. cap. funda-
menta* conſideravit, *non juſtum*, aſſerens, ut, *ubi
Sacerdotii Principatum, & Chriſtianæ Religionis Ca-
put Imperator Cœleſtis inſtituit, illic Imperator terre-
nus habeat poteſtatem: quin magis ipſa Petri Sedes, in
Romano jam proprio ſolio collocata, libertate plenâ in
ſuis agendis per omnia poteretur, nec ulli ſubeſſet ho-
mini, quæ ore Divinô cunctis dignoſcitur eſſe prælata.*
Inſpice ipſum *cap.* Ar-

51 Argutias Anti-papistarum assertæ veritati tam parum officere, ut etiam conferant multùm, mox patebit. Enimverò quòd Christus Dominus Jurisdictionem temporalem habuerit, præter varia Scripturæ loca, manifestè docet *cap. 9. Isaiæ*, ubi de Christo vaticinatur Propheta: *factus est Principatus super humerum ejus; vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, DEUS fortis, Pater futuri sæculi, Princeps Pacis; multiplicabitur ejus Imperium, & Pacis non erit finis: super Solium David, & super Regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitia amodò & usque in sempiternum.* Latè Molina *cit. tr. disp.* 28. à *n.* 12. 52 Quòd autem Jurisdictione hâc usus non fuerit, non facit, quòd uti nequeat Pontifex, uti constat ex *cap.* 2. *n.* 109. cùm, ad Divinam virtutem apertiùs demonstrandam, noluerit Ecclesiam humanô modô & mediô in primis quasi incunabilis instruere & extruere: quæ ipsa tamen virtus ex hoc enituit clariùs, quòd Ecclesia, tam tenuibus initiis cœpta, & tantâ & tam crebrâ tyrannide impugnata, in tantùm excreverit, ut velut medullam humanæ potestatis, scilicèt Romam & provincias illuc pertinentes, possideret, etiam portis inferi non prævalentibus; & verè impletum sit illud Isaiæ *cap. 61. ỳ. 6. vos Sacerdotes Domini vocabimini: ministri DEI nostri dicetur vobis: fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria earum* (sanctâ gloriâ, & gloriosâ sanctitate) *superbietis.* Martha de *Jurisdict. p. 1. cap. 30. & seq.* P. Engel *cit. loc. n.* 14.

53 Quoad alteram argutiam de Donatione Constantini ipsemet Daniel Otto negare non potest, quòd ea à plurimis Viris, & sanctitatis, & doctrinæ, & historiarum laude celeberrimis defendatur, cùm *cit.* anteà *loc.* sat multos ipsemet adducat; pluresque alios referant Covarruvias, Waizenegger, & Engel in *n.* 46. citati. Habétque hæc donatio fundamentum non solùm in Jure Canonico in *cap. Constantinus 13. Dist. 96. cap. futuram Ecclesiam 15. XII. q. 1. cap. fundamenta militantis 17. de Elect. in 6.* cujus formalia jam in *num.* 49. recitata sunt; sed etiam in ipso donationis instrumento, cujus Authores allegati meminerunt. 54 Quin & si à Constantino reapse facta non fuisset hæc donatio, factam tamen aut confirmatam ab alio evidenter docet historia, ex qua liquet, Ecclesiæ Romanæ jam ante tempora Pipini & Caroli Magni prædia, urbes, oppida, quoad temporalia paruisse; eáque de causa Pipinum & Carolum ad restituenda a Longobardis & aliis ablata evocatos, non tantùm reddidisse, quod ablatum erat, sed etiam adjecisse, quæ forte necdum erant in pleno Ecclesiæ Romanæ dominio; hæcque sic reddita, adjecta, vel donata, à subsequentibus Imperatoribus fuisse confirmata *cap. ego Ludovicus 30. Dist. 63. Clem. un. de Jurejur. circa fin.* Card. Sfondrati *Regal. Sacerd. lib. 1. §. 5. sub n. 4. pag. m. 177. pag. 189. & sub n.* 12. *pag.* 200.

55 Quòd verò ex *n.* 42. Pontifices & Historici diversimodè proponant donationem Constantini, nil conducit Adversariis: nam etiam de creatione mundi, de ædificatione Romæ, de Regnorum & Provinciarum origine, perpetua lis est inter Scriptores, quô tempore, quô annô, quâ ratione hæc facta sint, etsi facta esse negari non possit. Aliud siquidem est, Anthores esse diversos; aliud, esse adversos & contrarios: ipsosque Jureperitos non fugit, instrumenta, præsertim antiqua, & præsumi legitima, & ut talia defendi debere, quàmdiu probabili aliquâ ratione conciliari possunt per *cap. inter dilectos 6. de Fide instrum. §. cæterum propè fin.* P. Engel ad *eund. tit. n.* 55. Barbosa in *cap. cùm Joannes 10. eôd. tit. num.* 14. Gonzalez *ib. n.* 5.

56 Equidem (ut opponitur in *n.* 24.) in Jure Civili scriptum non est, an & quid à Constantino Romanæ Ecclesiæ donatum sit. Sed quid tum? Etiam reliqua Constantini facta Juri Civili inserta non sunt: an ergo minùs credibilia, aut ideò non facta censentur? Et, si clarè Leges Civiles de hac donatione loquerentur, tam parum crederent Acatholici, quàm parum ea credunt, quæ de primatu Romani Pontificis, de Ecclesiæ Catholicæ unitate, de fidei articulis &c. in *tit. 1. 2. 3. & 4. lib. 1. Cod.* expressa sunt.

57 Similiter non refert, quòd juxta *num.* 44. Scriptores rerum, à Constantino gestarum, non meminerint hujus donationis. Sufficit enim, quòd meminerint alii, & illi non negaverint: quia nemo tam peregrinus est in Jure, qui nesciat, in antiquis ipsam transacti temporis intercapedinem locô probationis cedere. Besoldus *part. 3. cons. 93. num. 50. & seqq. cons. 104. n. 2. & seqq.* Et fortassis memorati Scriptores de donatione ideò siluêre, vel quia ejus notitia tam erat publica, ut mentione haud egeret; vel quia non statim ad effectum pervenerat, Gentilibus, Hæreticis, Gothis, & Barbaris, continuò in Italia grassantibus.

58 Præterea, ut notat Waizenegger *cit. supra loc. n.* 39. historicæ veritati adversatur, quòd (veluti in *n.* 45. falsò suppositum est) annô 337. Constantinus fuerit baptizatus: ut enim Baronius ad annum Christi 324. contra Eusebium hominem Arianum & alios eruditè disputat, & ostendit, Constantinus eôdem annô 324. lustrali lymphâ Romæ fuit expiatus à Sylvestro.

59 De testamento Constantini contra *n.* 46. ait P. Engel *cit. l. sub n. 12. in fin.* authenticè non constare, imò potiùs & magis specificè de donatione, cujus verba formalia apud Authores habentur. Addit ex Boëtio Waizenegger *d. l. n.* 36. I. potuisse Constantinum, potuisse ejus filios, cæterósque ejus successores, donatione jam factâ, dominari, quòd existimarent, Imperium primarium non esse donatum. II. eos imperasse, non ut Imperatores, sed ut S. Pontificis Vicarios ac Præsides. III. potuisse causas intervenire multas, cur successores Constantini Italiæ & Occidenti imperaverint, vel Pontificum tolerantiam, vel Imperatorum violentiam, vel necessitatem temporum, quæ tamen non potuerint juri Ecclesiæ Romanæ quidquam derogare.

60 In tertia argutia, in *n.* 48. propositâ, nescio, quô colore à quoquam, artem boni & æqui profitente, S. Pontifex possit argui malæ fidei possessor, qui patrimonium D. Petri per tot sæcula ex titulis, si non veris, saltem coloratis juxta *n. 52. & 53.* inconcussè possedit. Quando Ethnici, Gentiles, Turcæ &c. provinciam, Christianis ereptam, per tempus immemoriale possident, absque controversia ab ipsismet Acatholicis præsumuntur esse bonæ fidei possessores. Et Pontifex, quem Christianum saltem esse non diffitentur, tam benignâ præsumptione indignus sit? Rectissimè D. ab Andlero in *Jurisprud. publ. lib. 1. tit. 5. p. 1. sub num.* 12. ecquid, ait, de donatione Constantinianâ, & externô splendore, opulentiâque contra Pontificem invidiosè disputatur? Si possessio immemorialis jura possessoris demonstrat; Pontifex causam evicit. Nec contra illum, sed contra Ecclesiam & honorem DEI, cui hæc omnia sacrata, instruitur hæc pugna.

§. III.

Utrùm in Imperio Romano-Germanico Summam Jurisdictionem habeat Imperator?

61 Si respiciamus ad tempora Caroli Magni & Successorum, non est ambiguum, Imperatori competiisse in Imperio Summam Jurisdictionem & Majestatem. At verò, si sæcula illa, quibus Imperium cœpit esse

esse electivum, ac præcipuè ætatem Caroli IV. quâ celebris illa sanctio, Aurea Bulla est condita, attendamus, non paucis in mentem venit, Jurisdictionem & Majestatem Cæsari minutam, ac, Monarchicâ Reipublicæ formâ immutatâ, Statibus Imperii, præprimis verò Electoribus, fuisse communicatam. Ita Bodinus de *Republ. lib. 2. cap. 6.* Severinus de Monzambano de *Stat. Imp. sect. 6.* Swederus *part. gen. cap. 4. n. 49. & seqq.* & cæteri Acatholici Scriptores, qui nunquam Imperatori favere solent, præterquam si contra Romanum Pontificem agatur.

62 Sed verius & humaniùs sentiunt, qui Jurisdictionem Supremam, Majestatem, ac Potestatem Monarchicam soli Imperatori adhuc hodie consignant. Ita ex Acatholicis Petrus Heigius *p. 1. quæst. 2. à n. 18.* Reinck. de *Reg. sæcul. lib. 1. classe 2. cap. 2. à n. 52. & seq.* Ita D. Hernes in *fascic. Jurisp. publ. cap. 3. n. 31.* D. Waizenegger *cit. dissert. de Imperat. & Imper. cap. 7. à n. 6.* Joannes Braun in *lib. var. amænit. thesi 7. pag. 81. & seq. & cap. 93. & seqq.* Clariss. D. de Wolleren in *quæst. Salisburg. q. 2. à n. 21.* Rationes

63 sunt I. quia olim Summa Jurisdictio in Imperio solius Imperatoris erat propria: neque per constitutiones Imperii vel Capitulationes eidem, ut posteà videbimus, adempta, aut translata fuit: & consequenter

64 adhuc manet illius propria. II. quia in Imperatore residet plenitudo potestatis, ut patet ex *A. B. cap. 2. §. 8.* R. J. de anno 1536. §. *und dieweil wir nun 72.* ibi: *demnach gebieten wir von Römischer Kayserlicher Macht und Vollkommenheit allen und jeglichen Chur-Fursten, Fursten &c.* Transact. Passav. annò 1552. §. *dargegen aber* 21. ibi: *aufs Kayserlicher Majest. Vollkommenheit gäntzlich aufgehebt.* Ergo etiam in Imperatore residet Summa Jurisdi-

65 ctio. III. qui Summum est Caput, est Summus in imperando, Summus in jure dicendo. Atqui Imperator est Summum Caput ex *A. B. cap. 2. §. 1. & 2.* R. J. de anno 1529. §. *und anfanglich* 1. R. J. de anno 1564. §. *dieweil dann* 10. R. J. de anno

66 1570. §. *nach erledigten* 24. Ergo &c. IV. Status Imperii Imperatori subditos & subjectos se esse profitentur in Ordinat. Pacis publicæ Wormatiæ anno 1521. in procem. R. J. eôdem annô in præfat. R. J.

67 anno 1525. in procem. V. is, à quo provenit omnis Jurisdictio; &, ad quem omnis Jurisdictio redit, habet utique Supremam Jurisdictionem. Sed ab Imperatore provenit radicaliter omnis Jurisdictio temporalis, & ad illum per appellationes revertitur ex *tract. de præscript. cap. 4. à num. 523.* Ergo &c.

68 Objic. I. teatus è Recessibus Imperii, paulò ante citatos, esse merum stylum Curiæ, Germanis, qui ubivis inanes titulos liberalissimè spargunt, persimiliarem.

Resp. Germanos quoque in titulis esse delicatos, maximè ubi de superioritate & subjectione agitur: nec credendum est, Imperatorem à Statibus ut Supremum & Summum Caput agnitum iri, si tale non esset: tacendò, aliàs verba in significatione propriâ accipienda esse.

69 Objic. II. Jurisdictionem Supremam esse penes Cameram Imperii, ad quam, & non ad Imperatorem, datur provocatio; à qua etiam, non verò ab Imperatore, mandata executoria ad Principes promanant.

Resp. Cameram esse judicium, in quo Imperatoris nomine Jurisdictio administratur. *Rubric. Ord. Cam.* annò 1495. ibi: *Ordnung der Römischen Königlichen Majestät Cammer-Gericht. Procem. Ord. Cam.* annò 1500. ibi: *dass solch unser Cammer-Gericht.* R. J. de anno 1570. §. *in unser Cammer-Gerichts-Ordnung* 85. omnesque citationes, mandata, pœnas, & sententias, fieri, scribi, promulgari, & signari Imperatoris sigillô. *Ord. Cam. p. 3. tit. 12. §. und so solche 5.* & *part. 1. tit. 27. §. und soll der Verwalter 6.* atque ultimatè processus Camerales ad Imperatorem per Revisionem devolvi.

Objic. III. in consortium Imperii Status, & præcipuè Electores, assumptos fuisse: nam sine consensu Statuum nequit Imperator Leges ferre. *Instr. Pacis Osnabrug. art. 8.* quempiam ex numero Statuum excludere *Capitul. Carolin. art. 1.* bellum indicere *Cap. eâd. art. 4.* imponere tributa vel collectas Imperiales *Instr. Pac. d. art. 8. §. 2.* pacem Imperii nomine concludere *d. art. & §.* fœdera pangere *d. art. & §.* &c. Absque consensu Electorum nequit Imperator nova vectigalia introducere, aut vetera augere *Capit. Carol. art. 8.* bannum Imperii decernere *ibid. art. 20.* jus regale monetæ concedere *ibid. art. 9.* alienare & oppignorare bona Imperii *art. 10.* feuda majora, Imperio aperta, de novo conferre *art. 11.* & si quæ sunt alia. 70

Resp. multa ab Imperatore Electoribus & Statibus esse communicata, non necessitate cogente, sed liberâ voluntate & Cæsareâ Clementiâ stimulante: neque tamen omnia Majestatis Jura a Cæsare avulsa, sed complura eidem hodiedum esse reservata: indeque Imperatorem aliqua tantùm sine concursu Statuum exercere prohiberi; Statibus verò quoad Imperii administrationem nil absque Cæsaris interventu licere: & hinc ex objectione proposita & similibus plus non inferri, quam Supremam, Monarchicam, & Majestaticam Potestatem Imperatoris in actu secundo, quoad exercitium, & administrationem, nonnihil esse limitatam & restrictam. In quam loquendi formulam aliquatenus propendere videtur D. Gletle in *Select. Jur. publ. cap. 3. num. 45. & seq.* ubi ait: „Majestatem in actu primo non „infringit Capitulatio Cæsarea, sed tantùm exer„citium ejus limitat, actumque secundum mode„ratur; ergo Imperator manet verus Monarcha. Fatetur tamen, Majestatem Imperatoris non extendi ad Jura Territorii particularis; sed hæc liberè à singulis Statibus exerceri, ut nec Imperator, nec quisquam alius possit intercedere, ac ea, quæ pro ditionibus suis edixerunt Principes, jure Imperii infringere *d. Instr. Pacis §. 8. §. 1. Cap. Leopold. & Joseph. artic. 3. Carol. artic. 15.* Eâque ratione existimat, statum Regiminis in Germania deflectere ad systema civitatum, prolixiùs in *cit. loc.* declaratum. 71 72

Notanter autem huc usque de Jurisdictione Imperatoris in Imperio Romano-Germanico locuti fuimus. Abolita siquidem est sententia Bartoli, in *l. hostes 24. ff. de Captiv. & postlim.* Jurisdictionem in universum terrarum orbem Imperatori asserentis: neque enim ullus Imperatorum aut de facto ejusmodi potestatem habuit, aut habere debuit, tum Lege, tum ratione, tum necessitate deficiente. Confer. post Covarruv. in *reg. peccatum 2. part. §. 9. n. 5. & 6.* Molinam de *J. & J. tr. 2. disp. 30. num. 2.* Clariss. D. Joseph. Bonavent. Franz in *Quæst. select. ex univ. Jure q. 13.* ubi à *num. 3.* ad opposita doctissimè respondet. 73

§. VI.

Qualem Jurisdictionem obtineat Judicium Imperiale Aulicum?

Quamquàm Imperator ex *§. antecedente* Summam in universo Imperio Jurisdictionem obtineat; eamque antiquissimis temporibus in Aula sua, in præsentia Principum, Comitum, Nobilium &c. exercere, pro tribunali sedere, ac extra ordinem quasi 74

quasi jus dicere consueverit, ut refert ex Goldasto D. ab Andlern *Jurisprud publ.lib.2.tit.3.n.6.* posteà tamen, in nimiam multitudinem litium excrescente copiâ, tribunalia sunt erecta, in quibus statô tempore jus Imperii civibus redderetur.

75 Tale tribunal est Judicium Imperiale Aulicum, *der Kayserliche Reichs-Hof-Rath*, ex eo sic dictum, quòd causæ Imperiales, inter membra & Status Imperii controversæ, ibidem discutiantur; vocatùrque alias *Senatus Imperii Aulicus*, *Consilium Aulicum Imperatoris*, *Aula Cæsarea*, *Summum Imperatoris Judicium.* D. ab Andlern *cit. l. num. 7.* ac definiri potest, quòd sit Collegium Judicis & Assessorum, in Aula Cæsarea de causis Imperii jus dicentium. D. ab Andlern *cit. l. num. 9.* Sweder *Introduct. ad Jus Publ. part. spec. sect. 1. cap. 12. numer. 1. in fin.* Vitriarius *Institut. Jurispubl. lib. 4. tit. 7. num. 1.*

76 Dixi I. *Collegium*: neque enim tam Excelsi Dicasterii administratio uni personæ, sed universitati cuidam Virorum Illustrium & Eruditorum est commissa.

77 Dixi II. *Judicis*; qui quidem juxta Ordinationem Judicii Imperialis Aulici *tit. 1. in princ.* est ipsemet Augustissimus Imperator; ab eo tamen constituitur aliquis Præses ex Collegio Principum, Comitum, vel Baronum Imperii juxta *cit. Ord. in princ.* cujus in hoc judicio proxima post Imperatorem est dignitas; cujus etiam munus est, rogare Assessorum de rebus propositis sententias, dirigere omnia totius Senatûs negotia, ac cavere, ne quid illius Authoritati decedat; cujus in absentia vices sustinet Vice-Præses.

78 Dixi III. *& Assessorum*; quorum plerumque sunt 18. atque ex iis 6. Augustanæ Confessionis: qui vel assumuntur partim ex Ordine Illustrium, partim ex Ordine Doctorum; illique sedent ad latus dextrum, *auf der Grafen und Herren-Banck*; isti ad latus sinistrum, *auf der Gelerten Banck*, *d. Ord. tit. 1. in pr. & §. die Session &c.* hôc nihilo minùs discrimine servatô, ut in causis Statûs, in *Staats-Landsund dergleichen Sachen*, sententiam suam primi dicant ex classe Nobilium selecti Consiliarii; in reliquis verò causis, justitiam concernentibus, primæ sint partes & vota Literatorum. D. ab Andlern *cit. tit. 3. num. 25. & seqq.*

79 Dixi IV. in *Aula Cæsarea.* Hinc, licèt Vienna sit locus ordinarius hujus Judicii, si tamen contingeret, Imperatorem aliò suam Aulam transferre, illuc quoque Judicium Aulicum censeretur esse translatum *d. Ordinat. tit. 1. §. alle diese &c.*

80 Dixi V. *de causis Imperii jus dicentium.* Adeóque respectu causarum Imperialium, quæ nempe cives Imperii, tum mediatos tum immediatos, tangunt, si non in prima, saltem in secunda instantia, Judicium Aulicum Jurisdictionem fundatam habet. Clarissimi & meritissimi Facultatis nostræ Antecessores D. Hermes in *Fascic. Juris Publ. cap. 12. num. 12.* D. Joann. Franciscus Balthasar in *dissertat. de Judic. S. R. I. membro 1. num. 11. & seqq.* Sed de his iterum in *sect. seq.* Verùm

81 Quæritur I. an hæc Jurisdictio sit ordinaria vel delegata? Pro delegata Jurisdictione facit præcipuè, quòd, Imperatore fatis concedente, mox exspiret Jurisdictio Consilii Aulici, acta omnia à Registratore obsignentur, atque ad noviter Electi Imperatoris regimen in suspenso maneant: cùm econtrà Jurisdictio Vicariorum Imperii intereà se exserat, quorum acta, finitô interregnô, ad Electi Imperatoris Aulam transmittuntur. Itáque post Gerhardum & Gastellium judicat Pfeffinger in *not. ad Vitriar. cit. tit. num. 37.*

82 Pro Jurisdictione ordinaria concludit, quòd Judicium Imperiale Aulicum à tempore immemoriali, Lege stabili, partim scriptâ, partim non-scriptâ, constitutum, ex munere & officio jus ordinariè in omnibus causis dicat ex ante dictis: quæ ratio jus dicendi arguit Jurisdictionem Ordinariam ex dicendis in *cap. 6.* Sicque concludere videntur D. Bardili de *Jud. Aul. cap. 7. §. 1.* & Uffenbach de *Jud. Aul. cap. 10 sect. 1 subsect. 3. in fin.* à D. Swedero *ubi supra n. 13.* allegati.

Resp. ergo & teneo cum posterioribus, Jurisdictionem Judicii Imperialis Aulici esse Ordinariam; 83 eique non officere, quòd cùm morte Imperatoris exspiret: nam etiam Jurisdictio Vicarii Episcopalis est secundùm nos ex decidendis in *d. cap. 6.* Ordinaria, esto cum Episcopo, naturaliter vel civiliter mortuô, & ipsa definat.

Quæritur II. an Jurisdictio Judicii Imperialis Aulici cum Jurisdictione Cameræ concurrat? 84

Resp. cum Gail. *1. obs. 121. n. 3.* D. Balthasar *cit. dissert. de Judic. membro 1. n. 16.* D. Lundenspór in *dissert. de Imperior. origin. cap. 30. num. 49.* D. ab Andlern *cit. tit. 3. n. 36.* Vitriario *cit. tit. 7. n. 22.* Sweder *cit. cap. 12. num. 7.* affirmativè, & dico contra Rosenthal de *feud. cap. 12. conclus. 5. num. 5.* & nonnullos alios, quòd in illis causis, de quibus jus dicit Camera, possit etiam jus dicere Judicium Imperiale Aulicum; sitque liberum actori ab initio, vel Camerale vel Aulicum adire judicium; posteà verò ibi cursum judiciarium prosequi teneatur, ubi causa per 85 citationem præventa est. Fundatur hæc responsio tum in Constitutionibus Imperii R. J. *de anno 1512.* §. *Zum dritten* 8. ubi fatetur Imperator, post Judicium Camerale jam constitutum quàm plurimas causas ad Judicium Imperiale fuisse delatas; tum in Ord. Jud. Aul. *tit. 2. §. so wollen*, ubi habetur, concurrentem Cameræ Jurisdictionem quoad certas causas, pro faciliori & celeriori expeditione, fuisse concessam: tum in continua hujus temporis observantia, de qua Joannes Braun in *lib. Var. Amœnit. q. 10. pag. 11.* testatur: tum in ratione, quâ constat, Judicium Camerale ideò constitutum esse, non ut Summæ, & universali Jurisdictioni, quæ in Judicio Aulico exercetur, aliquid detrahatur, sed ut aliquatenùs illa in controversiarum multitudine sublevetur. Aliàs etiam constat, Jurisdictionem à Summo Principe non privativè sed cumulativè concedi. Obrecht de *Jurisd. l. 3. cap. 1. n. 2.*

Neque officit, quòd in Ord. Cam. *part. 2. tit. 35.* 86 cautum sit, *das dem Cammer-Gericht sein freyer starcker Lauf gelassen, und dagegen nichts gegeben werden soll, ohnverhindert einiger* Restitution, Avocation, *oder* Suspension. Hoc enim intelligendum est de causis, in Camera jam pendentibus, quas ibidem, ubi cœptæ sunt, continuari, publicè expedit.

§. V.

Quomodò Jurisdictionem exerceat Camera Imperialis?

Præter Judicium Imperiale Aulicum, pro litibus 87 velociùs & commodiùs terminandis, annô 1495. institutum est Judicium Camerale, seu Judicium, quod in Camera vel Consistorio Imperii exercetur, aliàs simpliciter Camera Imperii, vulgò *des Kaysers, und des Heil. Reichs Cammer-Gericht*, vel simpliciter *das Kayserl. Cammer Gericht*, dictum; D. Hermes in *fascic. cap. 13. sub num. 2.* ac describi potest, quòd sit Collegium Judicis & Assessorum, in Camera Imperii, jus de causis Imperii dicentium.

Dixi I. *Collegium.* Nam & Cameræ Judicium 88 plurium Virorum sapientissimis consiliis instruitur.

Dixi II. *Judicis*; Germanicè *des Cammer-Richters*: nam præter 4. Præsides, duos Orthodoxos, duos

Protestantes, huic Judicio præest Judex, quem Natione Germanum, & Jureperitum, ex Ordine Principum, Comitum, vel Baronum Imperii, designat Imperator vel Rex Romanorum. Ord. Cam. *p. 1. tit. 1. in pr. & §. nemblich &c.*

90 Dixi III. & *Assessorum*. Horum dimidia pars ex Ordine Equestrium & Illustrium; pars dimidia ex censu Doctorum assumitur: suntque omnes simul numerô 50. videlicèt 26. Catholici, 24. Acatholici; duo ab Imperatore, cæteri à Circulis Imperii præsentandi. Vitriarius *lib. 4. tit. 6. num. 11. & seqq.* Estque illorum officium, ut Judici assideant, & omnem operam in causarum discussione impendant. D. Balthasar de *Judic. Imper. membro 3. numer. 11. & seqq.* D. Hermes in *fascic. cit. cap. 13. num. 11. & seqq.*

91 Dixi IV. in *Camera Imperii*, quæ longissimô tempore erat Spiræ, sed posteà ingruentium bellorum causâ Wezlariam translata, modò extraordinariâ quâdam visitatione Imperatoris, & Imperii nomine (cujus Principalem Commissarium egit Celsissimus ac Reverendissimus DD. Rupertus S. R. I. Princeps & Abbas Campidonensis) institutâ, denuò restaurata est.

92 Dixi V. *jus de causis Imperii dicentium*; de quibus in *sect. seq. §. 3.*

93 Controvertitur autem I. an Jurisdictio, quâ Camera Imperii jus dicit, Ordinaria vel Delegata sit dicenda? Communior sententia stat pro ordinaria cum Gail. 1. *observ. 41. num. 5.* D. Balthasar *cit. l. n. 39.* D. Hermes *cit. l. n. 21.* D. à Someting in *Semicentur. Controv. Illustr. dec. 2. controv. 2. num. 7.* Blumio *Process. Cam. tit. 25. §. 7.* Ratio est: tum quia Jurisdictio Cameræ perpetua est, nec cum morte Imperatoris extinguitur. Ord. Cam. *p. 1. tit. 8.* tum quia Lege publicâ data, vi proprii muneris administratur; tum quia non datur appellatio à sententia Judicii Cameralis; quæ tamen à sententia Judicis, à Supremo Principe Delegati, non est prohibita, quò minùs ad Delegantem interponatur.

94 Controvertitur II. utrùm Camera Jurisdictionem privativè, an cumulativè habeat? Sed resolutio hujus controversiæ videtur sequi ex *numer. 84.* cùm enim Judicium Imperiale Aulicum concurrat in Jurisdictione cum Camera: sanè hæc Jurisdictionem suam non privativè, sed cumulativè habet. Et ita sentiunt cum verissima sententia Schwanmann *pract. obs. 4. numer. 1. 2. 3. & 6.* Vultejus in *tit. Cod. de Jurisdictione l. 2. cap. 2. num. 9.* D. Hermes *cit. loc. num. 22.* D. à Someting *cit. l. num. 13.* & multi, ab his laudati. Schilter *Instit. Jur. Publ. 10. 1. lib. 4. tit. 4. §. 5.*

SECTIO III.

De Objecto Jurisdictionis Summæ Sæcularis.

SUMMARIA.

95. Objectum Jurisdictionis Secularis, latiùs accepta. 96. Et pressiùs sumpta indigitatur. 97. Cognitioni Cæsareæ sunt reservatæ causæ feudorum Regalium. 98. Ad quam aliqui requirunt concursum Principum. 99. Alii excludunt. 100. Reservatæ sunt etiam causæ privilegiorum. 101. Vectigalium. 102. Præcedentiæ. 103. Supplicationum. 104. Judicium Imperiale Aulicum potest de omnibus causis cognoscere, de quibus Camera. 105. Habet tamen aliquas causas sibi reservatas. 106. De causis Religionis movetur dubium. 107. & seq. Quæ tamen veriùs ad idem Tribunal pertinent. 109. & seq. Additur quædam declaratio. 111. Causæ Camerales in duplici differentia. 112. Indicantur illæ, quæ ad primam instantiam spectant. 113. Indicantur aliæ, quæ spectant ad secundam.

§. I.

Quænam causæ cognitioni Cæsareæ sint reservatæ?

Objectum Jurisdictionis Summæ Sæcularis sunt causæ. Ubi, si Jurisdictionem latè accipiamus, quatenùs potestatem administrandi totam Rempublicam comprehendit, latissimum sanè objectum est, ac Regalia tam majora quàm minora, tam reservata quàm communicata, complectitur, de quibus Publicistæ ex instituto. Sin verò angustiùs capiatur, quatenùs solam potestatem jus dicendi denotat, paulò angustius est objectum, ac causas illas includit, quæ cognitioni Cæsareæ specialiter sunt reservatæ. 95 96

Huc pertinent I. causæ feudorum Regalium, quas, si inter Status Immediatos Imperii, velut con-vasallos, controversæ sint, Imperator, exclusâ Camerâ, Austregis, & Arbitris, dirimit, non tantùm quia talium feudorum est Dominus directus per *pr. 2. Feud. 34.* sed etiam, quia cura causarum majorum, Reipublicæ salutem concernentium, quales sunt causæ feudorum Regalium, specialiter incumbit Imperatori. A. B. *cap 5. §. 1.* ibi: *aussgenommen der Fursten Fahnen Leben &c* R. I. de anno 1521. sub tit. *Römischer Königlicher Majestät Regiment §. ob auch Sachen fürfielen 7.* Ord. Cam. *parte 2. tit. 7.* 97

Et licèt Limnæus *lib. 2. J. P. cap. 9. numer. 32. & seqq.* Myler de *Princip. & Stat. Imp. cap. 20. num. 12. & seqq.* Sweder. *part. spec. sect. 1. cap. 11. n. 12. & seqq.* & alii non pauci contendant, Imperatorem debere in his causis Electorum ac Principum sententias (quas vulgò *das Fürsten-Recht* appellant) requirere; idque potissimùm exemplis & testimoniis Veterum Imperatorum Friderici II. & Friderici III. nec non Sigismundi probent: plures tamen cum Hornio *Jurispubl. cap. 53. §. 7.* D. Balthasar *cit. dissert. de Jud. Imper. membro 1. n. 19.* D. ab Andlern *Jurispr. publ. lib. 1. tit. 5. part. 5. per tot.* D. Vitriario *Inst. Jur. Publ. lib. 3. tit. 2. num. 65. circa fin.* extra casum, quô propter delictum ad privationem feudi ad bannum agitur, hoc negant: partim quia jus Principum putant esse merum ens rationis: partim quia non exemplis, sed Legibus judicandum est: partim quia extant exempla recentiora, quòd Carolus V. Rudolphus II. & alii seorsim de feudis Regalibus jus dixerint: partim quia allegata Juris Publici testimonia in *n 97.* evidenter hoc supponunt: partim denique quia in Instrum. Pacis Osnabr. *art. 5. §. 55. quoad processum judiciarium*, dicitur, *liberum esse suæ Majestati, in causis majoribus, & unde tumultus in Imperio timeri possent, insuper etiam quorundam utriusque Religionis Electorum & Principum sententias & vota perquirere.* 98 99

Pertinent huc II. causæ privilegiorum: si enim à Cæsarea Majestate privilegium quis habeat, eique circa privilegii valorem, usum, extensionem &c. moveatur controversia, solus Imperator jus cognoscendi habet, ex vulgari ratione, quòd Supremi Principis sit, non tantùm concedere privilegia, sed etiam concessa declarare, explicare, interpretari *arg. l. ult. §. 1. Cod. de LL.* Sweder. *cit. part. spec. sect. 1. cap. 10. n. 5.* 100

Pertinent huc III. causæ vectigalium, inter Electores ex una, & Imperii Status ex altera parte, controversorum; sive Electorum aliquis munus actoris, sive munus rei subeat: hæ namque solius Cæsaris judicio reservatæ sunt per Capitulationes, quarum novissima Carolina de hoc puncto dilucidè agit in *art. 8.* Swederus *cit. cap. num. 6. & 2. seqq.* 101

Per-

102 Pertinent huc IV. causæ de præcedentia, proœdria, aut sessione, tum extra tum intra Comitia, inter Status exortæ, utpote quas componere solus Imperator potest per R. I. de anno 1541. §. *vvir sollen* 80. de anno 1567. §. *als sich auch* 68. de anno 1641. §. *demnach* de anno 1654. §. *als sich auch* 196. Qui tamen ut plurimùm Statuum consilium exquirere solet juxta R. I. de anno 1545. §. *demnach vvollen vvir* 50. Swederus *cit. cap. n.* 15. *& seqq.*

103 Pertinent huc V. causæ Supplicationum: quando enim à sententia Judicii Imperialis Aulici para gravatam se existimat, nullum aliud habet remedium, nisi quòd Cæsareæ Majestati supplicare possit, ut acta judicialia denuò, adhibitis aliis Consiliariis, qui priori sententiæ non interfuêre, revideri jubeat. Instr. Pac. Osnabrug. *art.* 5. §. 20. *verb. quoad processum*, *R. H. O. tit.* 5. §. *daferu sich nun &c.* Capitul. Leopold. *artic.* 42. Carol. *art.* 17. D. Balthasar *cit. l. membro* 2. *num.* 1. Swederus *cit. sect.* 2. *cap.* 11. *numer.* 4.

§. II.

Quales causæ ad Judiciū Imperiale Aulicum spectent?

Jurisdictio Judicii Imperialis Aulici ex n. 84. &
104 94. concurrit cum Judicio Camerali; sicque causæ, ad Judicium Camerale spectantes, de quibus in §. *seq.* spectant etiam ad Judicium Imperiale Aulicum; datùrque inter hæc Summa Tribunalia locus præventioni. D. ab Andlern in *Jurisprud. publ. lib.* 2. *tit.* 3. *n.* 36. Sed non econtrà causæ omnes, qua-
105 rum cognitio spectat ad Judicium Aulicum, perinde ad Cameram spectant. Nam ad Judicium Aulicum privativè revocantur causæ Feudales, causæ Italicæ, causæ Statuum Imperii Criminales, confirmationes Privilegiorum, Veniæ ætatis concessio, Restitutio famæ. *R. H. O. tit.* 2. *in princ.* D. Balthasar *cit. l. membro* 1. *n.* 11. D. Hermes in *fascic. cap.* 12. *num.* 12. D. ab Andlern *cit. l. num.* 37. Swederus *d. sect.* 2. *cap.* 12. n. 7. Vitr. *Inst. I. P. lib.* 4. *tit.* 7. *num.* 22.

Dubitari autem solet: an Judicium Aulicum de
106 causis, Religionem in Imperio Romano concernentibus, ac inter Catholicos & Protestantes controversis, Judicaturam habeat? Dubium hoc suggerit Instrum. Pac. Osnabrug. Westphal. *articul.* 5. §. 52. ubi decernitur, in causis dubiis circa Pacem Religionis, in Comitiis, vel aliis Imperii Conventibus inter utriusque Religionis Proceres amicabilem transactionem procurandam esse. Nihilo mi-
107 nùs, quia hæc constitutio tantummodò intendit, judicium prohibere in casu, quò circa litigiosum Religionis punctum deficit Lex specialis, ne scilicèt ex privatis arbitriis Judices circa Religionis causas aliquid definiant, aut declarent, quod Lege publicâ definitum aut declaratum non est, cùm Leges interpretari pertineat ad illum, qui Leges tulit: certum omninò videtur, non esse prohibita judicia, in quibus per sententiam competentium Judicum (sicque etiam per Judicium Imperiale Aulicum) decernitur, an factum controversum Legis decisioni conveniat; vel Lex eam, quam
108 litigantes proponunt, interpretationē patiatur. Hocque luculenter indicat *cit.* Instrum. Pac. *cit. art.* 5. §. 53. ubi modus decidendi similes causas tum in Consilio Aulico, tum in Cameræ Imperialis Judicio præscribitur, atque ut Consiliarii & Assessores tam Catholici quàm A. C. add. adhibeantur, ordinatur: idemque confirmatur ex *d. art.* §. 56. nec non R. I. de annò 1654. §. *vvir setzen und ordnen* 193. D. Hermes *cit. cap.* 12. *n.* 13. D. Balthasar *cit. membro* 1. *num.* 9. & 10.

109 Nec inferre velis ex ante dictis, quòd minùs Catholicè loquamur, quando controversias Religionis, in priori *cap.* Judicio Sedis Apostolicæ sub-
jectas, Judicio Imperiali Aulico subjicimus. Enim- 110
verò non dicimus, quòd Judicium Imperiale, ceu profanum & temporale, possit in causa Religionis agere Judicem, decidendò vel decernendò, sitne hic vel ille articulus tenendus aut credendus; sed hoc solùm intendimus, quòd, si circa Religionis exercitium, quatenùs, cogente temporum calamitate, de facto toleratur, cum Protestantibus sit controversia, ab Imperiali Aulico Judicio terminari possit, quantum & quousque per Pacificationem Monasteriensem aut Religiosam sectæ contrariæ fuerint toleratæ; qua in hypothesi nihil in materia fidei decernitur, neque contraria secta probatur.

§. III.

In quibus causis Camera Imperialis Jurisdictionem fundatam habeat?

Causæ, in quibus Camera Imperialis Jurisdictio- 111
nem habet fundatam, duplicis sunt generis. Quædam in prima statim instantia ventilantur in Camera; quædam in secunda.

In prima instantia Cameræ cognitioni subjacent 112
Causæ Pacis Religiosæ & Profanæ; Causæ Fiscales; Causæ litigiosæ possessionis; Pignorationis; Arresti; Mandati; Relaxationis ad effectum agendi; Legis diffamari; Protractionis seu denegationis justitiæ; Compromissi; violationis privilegii Cæsarei &c. D. Hermes in *fascic. cap.* 13. *n.* 24. D. Balthasar *cit. dissert. membro* 3. n. 21. D. ab Andlern *cit. tit.* 3. *num.* 36.

In secunda instantia Judicio Camerali subsunt om- 113
nes causæ, in quibus à Judiciis Statuum Immediatorum, vel etiam ab Austregis, seu privilegiatis instantiis, ad Cameram vel per viam appellationis vel nullitatis querelam devenitur, nisi aut privilegium de non appellando Statibus concessum obsistat; vel qualitas causæ non recipiat appellationem. Latè D. Balthasar *cit. l. n.* 22. & *plur. seqq.* D. Hermes *cit. cap.* 13. *num.* 15. *& seqq.*

SECTIO IV.

De Effectu Jurisdictionis Summæ Sæcularis.

SUMMARIA.

114. *Effectus Jurisdictionis Summæ Sæcularis est, quòd appellationem excludat.* 115. *Imò & aliud remedium, si immediatè ab Imperatore administretur; secus si à Judicio Aulico vel Camerali.* 116. *De aliis Effectibus agitur remissivè.*

§. Unicus.

Enumerantur in compendio effectus, quos proprios sibi habet Jurisdictio Summa Sæcularis.

Effectus Jurisdictionis Summæ Sæcularis alius 114
est generalis, ac Jurisdictioni, quæ vel à solo Imperatore, vel à Judicio Aulico, vel à Camera exercetur, communis, quòd nempe, quæ statuuntur, decernuntur, definiuntur, ita sint rata & firma, ut nullò appellationis remediô refringi, aut infirmari valeant per textum in R. I. 1530. §. *dievveil nun* 76.
ibi: *davon nicht* appellirt *vverden soll.* Alius est spe- 115
cialis ac proprius soli Jurisdictioni, quâ Imperator ipsemet jus dicit, quòd ne quidem Supplicationis, aut Revisionis remedium, ad gravamen, si quod sentiat pars victa, relevandum supersit: cùm tamen ex

*n.*103. à sententia Judicii Aolici parti condemnatæ suppetat Supplicatio ad Cæsaream Majestatem pro iterato Actorum examine ac discussione; & à sententia Judicii Cameralis detur Revisio, quâ læsia per Commissarios ab Imperatore & Statibus Imperii specialiter deputatos succurritur. Sweder *cit. sect.*1. *cap.*11. *n.*4. *&* 5.

116 Atque hic effectus Summæ Jurisdictioni est proprius, prout Jurisdictio sumitur pro jure dicendo. Quòd si sumatur pro jure administrandi Rempublicam, effectus plures habet, è quibus unum & generalem, quòd omnibus & in omnibus dominetur, attigimus in *num.* 62. *& seqq.* duos verò speciales, nimirum jus transferendi seu adimendi jura subditis quæsita; & jus imponendi Legalem obligationem, exposuimus in *tract. de Jure Legali cap.* 1. *n.*195. *& seqq. cap.*6. *&* 7. cæteros verò Politicis & Publicistis, donec ex professo de illis scribemus, relinquimus.

SUPPLEMENTUM.

Quandoquidem de hac Jurisdictionis Supremæ nobilissima specie ex professo tractatum est in *Jurisprud. Publ. univers. lib.* 2. 3. *&* 4. &, quatenùs exercetur in Imperio Romano-Germanico, laxatô rursus calamô in *Jurisprud. Publ. Imperii Romano-Germanici*, DEO dante, explanabitur: præsens *Caput* additione non indiget.

CAPUT IV.

De Jurisdictione Subalterna Ecclesiastica.

Jurisdictionem Summam, quam in II. & III. Capite considerandam dedimus, excipit *Subalterna*, quæ, cùm, ad instar Summæ, duplex sit, Ecclesiastica & Sæcularis, duplici in Capite explicanda proponitur.

SECTIO I.

De Natura & Origine Jurisdictionis Subalternæ Ecclesiasticæ.

SUMMARIA.

1. *& seq. Etymologia Jurisdictionis Ecclesiastica Subalterna.* 3. *&* 4. *Synonima.* 5. *& seq. Duplex definitio.* 7. *& seqq. Utriusque anatomia.* 12. *& seq. Oritur ex Jure Divino.* 14. *Juxta quosdam immediatè; juxta alios mediatè.* 15. *Ratio priorum.* 16. *Ratio posteriorum.* 17. *Conciliantur.*

§. I.

Quid Nomine Subalterna Jurisdictionis Ecclesiastica intelligatur?

1 JUrisdictio Ecclesiastica, quæ modò *Subalterna* nuncupatur, ex eo nomen trahit, quòd Potestati Supremæ ac Pontificiæ subalternetur, subjiciatur, ac subordinetur; imò in illius subsidium, levamen,
2 ac partitionem inventa sit. Cùm enim Ecclesia Catholica per universum orbem diffusa & extensa sit, præter Unum & Summum Caput, scilicèt Romanum Pontificem, penes quem est regimen Universale, Monarchicum, & Hierarchicum, oportet esse alios, qui officium Pontificale, servatâ subordinatione, in partibus administrent. Et tales Jurisdictionem Ecclesiasticam Subalternam accepisse censentur.

Potest etiam & solet hæc Jurisdictio vocari *Potestas Episcopalis*: quia, ut paulò infra audiemus, Episcopi in locum Apostolorum substituti, in partem & partitionem curæ Pontificiæ vocati, ac Præsides & Magistratus provinciarum ordinati sunt. Eleganter & fusè Barbosa de *Offic. & pot. Ep. p.*1. *tit.*1. *num.*1. *& plur. seqq.* 3

Ad hæc frequenter hæc Jurisdictio simpliciter dicitur *Ordinaria*; non quidem formaliter & exclusivè, quasi hæc sola esset ordinaria, ac vi muneris concessa: cùm etiam, ut dicetur in *cap.*6. aliæ Jurisdictiones vocentur Ordinariæ; sed eminenter ac per excellentiam: quia non qualiscunque, sed authoritativa & perampla potestas est. 4

§. II.

Quid sit Jurisdictio Subalterna Ecclesiastica?

Quando Jurisdictio Subalterna Ecclesiastica accipitur pro facultate, particularem aliquam Ecclesiam, diœcesin, provinciam &c. regendi & gubernandi, nil aliud est, quàm participata & limitata potestas, dirigendi actiones fidelium particularium in bonum spirituale & supernaturale. 5

Quando autem pressiùs accipitur pro facultate, jus in Ecclesia particulari, diœcesi, vel provincia dicendi, est potestas participata & limitata, jus de causis fidelium particularium dicendi, ad spirituale & supernaturale ipsorum bonum. 6

Dixi I. *potestas participata.* Nam, quia ex plenitudine potestatis, quæ est in Summo Pontifice, derivatur immediatè omnis Jurisdictio Ecclesiastica: omnis Jurisdictio, extra Pontificiam, participata est. 7

Dixi II. *& limitata.* Etsi enim Authores inveniantur, qui cum Abulensi, Soto-Victoria, Gambara, Sanchez, quos referunt, sed non sequuntur P. Wiestner ad *tit. de Offic. Jud. Ord. n.*81. *& seqq.* & Fagnanus ad *cap. perniciosam* 1. *eôd. tit. n.*29. *&* 55. asseverent, Episcopis in sua Diœcesi competere liberam facultatem, ea disponendi, quæ in Universa Ecclesia disponere potest S. Pontifex: fatentur nihilo minùs, hanc potestatem esse limitatam, & quædam Summo Pontifici specialiter reservata manere. 8
Eámque in rem facit *cap. dudum* 9. *III. q.*6. ubi præcipitur, ut, juxta Divinam institutionem, ad Romanam Ecclesiam, *quasi ad Matrem atque apicem, omnes majores Ecclesiæ causæ, & judicia Episcoporum recurrant; & juxta ejus sententiam terminum sumant.* Idemque declaratur in *cap. cùm ex illo* 1. *& seqq. de Translat. Ep.* 9

Dixi III. *fidelium particularium.* Cura siquidem & officium, universam Ecclesiam regendi, judicandi, & gubernandi, soli Petro & successoribus commissum est; Apostolis verò tantummodò Ecclesiæ partiales & particulares concessæ sunt juxta *cap.* 2. à *num.* 41. Indeque in *cap. qui se scit* 12. *& seqq. II. q.* 6. & *cap. ad honorem* 4. *de Author. & usu Pallii* habetur, Episcopos in partem sollicitudinis, non verò in plenitudinem potestatis, esse vocatos. 10

Dixi IV. *in bonum spirituale & supernaturale.* Quibus verbis & finis hujus Jurisdictionis, & diversitas illius à Jurisdictione Subalterna Sæculari denotatur. Nempe quòd, sicut Episcopi sunt pastores animarum; sic etiam ipsorum Jurisdictio salutem animarum spectet. 11

§. III.

§. III.

Undènam Originem trahat Jurisdictio Ecclesiastica Subalterna?

12 Jurisdictionem Ecclesiasticam Subalternam ex Jure Divino suam originem trahere, vix licet ambigere. Ita enim Apostolus Paulus insinuat, tum ad Ephes. 4. & 1 ad Corinth. 12. scribens: *posuisse Christum in Ecclesia Pastores*, id est Episcopos; tum Actor. 20. asserens: *posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam DEI &c.* Ita insinuat Tridentina Synodus *sess. 23. de Sacrament. Ord. cap.* 4. Ita insinuant
13 textus in *cap. in novo 2. Dist. 21. & cap. ult. Dist.* 68. Ita insinuat ratio, quâ docemur, Jurisdictionem Summam, quam Petrus & Successores in Pontificatu à Christo acceperunt, ex Divina institutione, salvâ Majestate, debuisse aliis ex parte communicari, & in plures dividi: quia nec Petrus, nec illius Successores singularibus plebibus, populis, & provinciis attendere, invigilare, & præesse, soli poterant. Barbosa de *Offic. & potest. Episcop. tit. 1. cap. 1. num. 7. 18. & 24.* P. Engel ad *tit. de M. & O. num.* 33.

14 An verò hæc Jurisdictio tantùm mediatè, vel immediatè fit à DEO? Theologi & Canonistæ in utramque partem discurrunt. In posteriorem sententiam cum Castro, Victoria, & aliis propendet Gonzalez ad *cap. perniciosa 1. de Off. Jud. Ord. n.*6. In priorem Covarruvias in *reg. peccatum p. 2. §. 9. n. 5. V. quarta ratio & num.*6. Barbosa *cit. l.* à *n.* 18. Pignatell. *to.* 10. *consult.* 97 à *n.* 12. Clericatus de *Jurisdict. in præfat. n.* 18. Clariss. D. P. Pley de *fide part. 1. disp. 2. q. 3.* à *n.* 288. Reverendiss. Guethrather *Inst. Can. l. 1. t. 3. §. 3. n.* 29. Clariss. P. Wiestner ad *tit. de Off. Jud. Ord. num.* 78. Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid. n.* 26. cum aliis
15 penè innumeris transeunt. Priori sententiæ favet potissimùm, quòd Apostoli suam Jurisdictionem immediatè acceperint à DEO, juxta textus in *cit. cap. in novo 2. Dist. 21. & cap. ult. Dist.* 68. Atqui Apostolorum Successores sunt Episcopi, & majores Ecclesiarum Prælati, per eosdem textus, & Trid.
16 Conc. *cit. sess. 23. cap.* 4. Ergo &c. Posteriori sententiæ præter textus, *in cap. 1. n.* 74. allegatos, præcipuè patrocinatur ratio Hierarchiæ & Monarchiæ Ecclesiasticæ, cujus exacta subordinatio & perpetua conservatio petit, ut omnis potestas à Prima Sede, velut inexhausto pelago, transsumatur, atque ab ea amplietur, restringatur, dematur juxta *cap. nolite 3. Dist. 11. cap. ita Dominus 7. Dist. 19. cap. sacrosancta 2. Dist. 22. cap. ait Cœlestinus 35. XXIV. q. 1.*

17 Utraque verò sententia concordiam recipere videtur, si dicatur, Jurisdictionem Ecclesiasticam Subalternam quoad substantiam, in se, & in thesi immediatè à DEO provenire, quatenùs ita à DEO Apostolis est concessa, ut deinceps quoque à Summo Pontifice Apostolorum Successoribus ex Divino mandato concedatur: quoad modum verò & in hypothesi, ac quoad certos districtus, Jurisdictionem immediatè concedi à S. Pontifice, cujus est, non tantùm potestatem partialem in Episcopos & alios Ecclesiæ Prælatos devolvere, sed ipsius quoque Jurisdictionis, ita devolutæ, & curam habere, & illi terminos, populos, loca &c. præscribere. Hancque concordiam suggerit P. Engel ad *cit. tit. de M. & O. num.* 34. recipit Pax Jordan *Elucubrat. div. in prælud. 3. num.* 21.

SECTIO II.

De Subjecto Jurisdictionis Ecclesiasticæ Subalternæ.

SUMMARIA.

18. *Nomen Episcoporum.* 19. *& seqq. Duplex Potestas.* 22. *Archi-Episcoporum etymologia.* 23. *Potestas.* 24. *& seqq. Habent Jurisdictionem Ordinariam in suos Suffraganeos.* 28. *& seq. Sed tantùm in causis civilibus.* 30. *& seqq. In eorum subditos Jurisdictionem habent in casibus exceptis.* 36. *& seqq. Patriarcharum etymon, diversitas, & Jurisdictio.* 40. *Indigitantur Patriarchæ minores.* 41. *Legati Apostolici sunt triplicis generis.* 42. *& seqq. Recensentur ea, quæ omnibus sunt communia.* 47. *& seqq. Adstruuntur ea, quæ Legatis à latere sunt propria.* 53. *Statuitur, quid speciale habeant Legati Missi.* 54 *& seqq. Item, quid habeant Legati Nati.* 57. *& seqq. Discutitur quæstio, num Legati Missi cum Potestate Legati de latere eandem cum tali authoritatem habeant? & resolvitur negativè.* 65. *& seq. Asserenti, se Legatum à latere, credendum est.* 67. *& seq. Secus est de asserente, se Legatum Missum.* 69. *& seq. Misso secundò non censetur primus esse revocatus.* 71. *Etymologia Cardinalium.* 72. *Origo.* 73. *Tituli.* 74. *Nomen.* 75. *Dignitas.* 76. *Prædicatum Eminentissimi.* 77. *Jurisdictio in suis Titulis.* 78. *& seqq. Jurisdictio in universa Ecclesia.*

§. I.

Quâ plenitudine Jurisdictionem Ecclesiasticam habeant Episcopi?

EX illis, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam Subalternam acceperunt, singulariter excellunt *Episcopi.* Eorum nomen, tam Hebræis in antiquo testamento in *Psalm.* 108. quàm Ethnicis in Pandectis in *l. munerum 18. §. 7. ff. de Muner. & honor.* optimè cognitum, significat præcedentiam & præfecturam, quâ quis Clero ac populo præest. P. Engel *cit. l. n.* 33. Conferatur Pax Jordan *Elucubrat. divers. prælud. 1. per tot.* 18

Dividitur Episcoporum potestas per textum & Interpretes in *cap. dilectus 18. de offic. Jud. Ord.* in *Legem Jurisdictionis*, & *Legem Diœcesanam.* Per *Legem Jurisdictionis* à Glossa intelligitur illa potestas, quæ in *dando* consistit, ac complectitur tam facultatem conferendi Ordines, quàm ferendi Leges, dictandi censuras, dicendi jus, dispensandi &c. Per *Legem Diœcesanam* veniunt ea, quæ consistunt in *recipiendo*; v. g. cathedraticum, charitativum subsidium, portio ca- 19
nonica &c. P. Engel *cit. l. n.* 37. Verùm Gonzalez ad 20
cit. cap. n. 9. docet, per *Legem* ibidem intelligi rationē formalem, ita ut illa, quæ spectant ad Episcopum ratione Jurisdictionis Episcopalis, dicantur pertinere ad *Legē Jurisdictionis*; quæ verò spectāt ad Episcopū ratione diœcesis, cēseantur *ad Legē Diœcesanā* pertinere.

Quænam autem in specie vi Jurisdictionis Episcopalis sua in diœcesi facere possint Episcopi, determinat Honorius III. in *cap. conquerente 16. d. t. de Offic. Judic. Ord.* Possunt nempe omnes diœcesanos compellere ad debitam obedientiam; instituere & destituere Clericos ac Beneficiatos; correctionem ac reformationem suscipere; censuram Ecclesiasticam interminare; causas, ad forum Ecclesiasticum spectantes, disceptare; pœnitentias imponere; Sacramenta conferre; Synodum congregare; Synodaticum, cathedraticum, quartam decimæ & mortuariorum recipere; visitationem instruere. Quæ & alia sigillatim exponunt Abbas in *cit. cap. n.* 2. Barbosa de *off. & pot. Ep. p. 2. & 3.* P. Engel ad *cit. tit. §. 5. per tot.* Gonzalez *ad cit.* 21

cap.conquerente. P. Wiestner *cit. loc. art.* 4. Reiffen-
stuel ad *eund.tit.* à n.83. P. Schmalzgrueb. *ibid.n.* 18.

§. II.

Qualem ac quantam Jurisdictionem habeant Archi-Episcopi?

22 Supra Episcopos in officio & Jurisdictione emi-
nent *Archi-Episcopi*, utpote ex ipso nomine Prin-
cipes seu Primi Episcoporum, alias dicti *Metropoli-
tani*, à multitudine Civitatum, seu diœcesium, quas
sub se habent *cap.Cleros* 1.§.*Ordo Episcoporum Dist.*
23 21. & ibi Glossa in *v. à mensura.* Enimverò præter
Jurisdictionem, quam in sua *immediata Diœcesi*, per-
inde atque alii Episcopi, imò majori cum authori-
tate, ex dictis in *tract. de Mod. Acquir. Prælatur.*
cap. 1. *à num.* 579. exercent, insuper in sua *Provincia*
aliquam Superioritatem, tam quoad Episcopos Suf-
fraganeos, quàm eorum subditos obtinent.

24 Et quidem quoad Episcopos Suffraganeos & eo-
rum Vicarios Jure Communi Archi-Episcopus ha-
bet Ordinariam Jurisdictionem per *cap. quia cogno-
vimus* 6. *X. q.* 3. *cap.pastoralis* 11.*in fine pr.de Offic.*
Jud. Ord.cap Romana 1. §. *officiales eod. in* 6.*cap.Ro-
mana* 1. *de Offic. Vicarii in* 6. Potestque I. illorum
negligentiam in conferendis beneficiis, constituen-
dis Oeconomis, absolvendis excommunicatis supplere
cap.cùm simus 3.*IX.q.*3. *cap.licet* 3.*de supplend.negl.*
Prælat.cap.nulla 2.*de Concess.Præb.cap.ad reprimen-*
25 *dam* 8.*de Off.de Jud.Ord.* II. potest illos ad Conci-
lium Provinciale convocare *cap. de Conciliis* 2. *cap.*
pervenit 6.*Dist.*18.Tridentin.*sess.*24.*de reform.cap.*2.
26 III. potest eis præcipere, quæ aliunde tenentur face-
re, ac contumaces Ecclesiasticâ censurâ percellere
juxta limites, in *cap.quia Pontificali* 2.*de Offic.Jud.de-*
27 *leg.in* 6.præscriptos. IV. potest eorum causas tam cri-
minales quàm civiles audire *cap.nullus* 7. *IX. q.*3. *d.*
cap.pastoralis in fine pr.de Offic. Ord.d. cap. Romana
§.*officiales eod.in* 6.*cap.sollicitudinem* 54 *de Appellat.*

28 Dixi: *de Jure Communi.* Nam de Jure Concilii
Tridentini *sess.*24. *de reform.cap.*5. constitutum est,
quòd causæ criminales Episcoporum graviores tan-
tùm à S.Pontifice; minores verò tantùm à Concilio
Provinciali vel ab illo deputandis terminandæ sint.
Ex qua constitutione deducit Barbosa in *collectan.*
*ibid. num.*7. ne quidem in civilibus causis Episcopos
ab Archi-Episcopis hodie judicari posse; eámque
29 in rem Declarationem Cardinalium allegat. Verùm,
quia Trid. expressè loquitur de causis criminalibus;
ac de Jure antiquo non plus correctum, quàm ex-
pressum, censetur: illam Declarationem Cardinalium
dubiam judicat P. Engel ad *cit.tit.de M.& O. n.*28.
ipséque Barbosa de *Offic.& pot.Ep.part.*1.*tit.*4.*n.*28.
relatis aliis, tenet, Archi-Episcopum de civilibus
causis suorum Suffraganeorum cognoscere posse.
Consentit etiam Pax Jordan *lib.*13.*tit.*3.*n.*96. Gon-
zalez ad *cap.duo simul de Offic. Ord.n.*9. Reiffenstuel
cit. l. num. 38.

30 Quoad subditos suorum Suffraganeorum compe-
tit quidem potestas Archi-Episcopo; illa tamen non
ordinaria, uti in Suffraganeos, sed quasi-extraordi-
naria, ac velut inter ordinariam & extraordinariam
media, atque ad casus in Jure expressos est restri-
cta *cap.nullus* 7.*IX. q.*3. *d.cap. duo simul* 9. *cap.pa-
storalis* 11.*in pr.de Off. Ord. cap. venerabilibus* 7.*de
Sent.Excommunicat.in* 6. P.Engel *cit.l.n.*30. Gonza-
lez *cit. l. n.*10. Casus autem expressi sunt I. in causa
31 appellationis, quam à sententia vel gravamine Epis-
copi vel Vicarii ad Archi-Episcopum interponit
32 subditus *cap. Romana* 3. *de Appellat.in* 6. II. in cau-
sa visitationis: si enim Archi-Episcopus visitet pro-
vinciam, Jurisdictionem fori saltem interni habet in
subditos provinciæ *cap.Romana* 1. §. *sanè cap. ult.*
de Cens.in 6. III. in causis & criminibus notoriis, quæ 33
saltem, si Suffraganei negligentes sint, corrigere;
pravas item consuetudines eradicare possunt *d. cap.*
Romana §. *sanè.cap.ad extirpandas* 11. *cap.ult.de fi-*
liis Presbyter.cap. ex frequentibus 3.*de Institut.* IV. 34
tum injurias notorias, sibi suisque illatas; tum impe-
dientes usum Jurisdictionis suæ propriâ authoritate
compescere valet *cap. Romana* 1.*de Pœnis in* 6. V. 35
prædicationis officium indignis & immeritis in tota
sua provincia interdicere, eosque extra provinciam
relegare non prohibetur *cap.inarum* 11.*de Privileg.*
Videantur Authores citati, & addantur post Barbo-
sam *cit.p.*1.*tit.*4.*per tot.cap.*4. Reiffenstuel *d.l.à num.*
44. & Schmalzgrueb. *cit.tit.n.*23.

§. III.

Qualem Authoritatem habeant Primates & Patriarchæ?

In Hierarchia Ecclesiastica superiorem adhuc gra- 36
dum obtinent Primates & Patriarchæ, quos inter,
licèt diversa sint nomina, nullam in re diversitatem
esse, probant textus in *cap.provinciæ* 1. *cap.nulli* 2.
*Dist.*99.*cap.duo simul* 9.*de Offic.Jud.Ord.* & ibi Gon-
zalez *in not. num.*2.

Id tamen intelligit Barbosa de *Off.& pot.Ep.tit.*1. 37
*cap.*6. *n.*7. *& seq.* de Patriarchis minoribus & minùs
principalibus, eosque à Primatibus non differre,
censet: agnoscit autem differentiam inter Primates
& Patriarchas majores, quorum solummodò sunt
quatuor, Antiochenus, Constantinopolitanus, Ale-
xandrinus, Hierosolymitanus: Hi quippe sunt Or- 38
dinarii omnium Archi-Episcoporum & Episcoporum
in suo districtu per *c.mos antiquus* 6.*Dist.*65 *cap.quod*
suspecti 25.*III.q.*5. repræsentant quatuor Evangeli-
stas in Ecclesia *cap.scriptum est* 40. (cujus plenam
lecturam exhibet Gonzalez) *de Elect.* Crucem non
tantùm in suo Patriarchatu, sed, absente Pontifice
vel ejus Legatô, ubique terrarum præ se ferre pos-
sunt *cap.antiqua* 23.*de Privileg* & ibi DD. Sed, post- 39
quàm *venerunt gentes in hæreditatem Domini, & pol-
luerunt templum sanctum ejus*, *Psal.* 78. *v.* 1. hi ipsi
quatuor Patriarchæ unà cum suo Patriarchatu Chri-
stianorum manibus ab infidelibus erepti sunt. P.En-
gel *cit. tit. num.* 24.

Nihilo minùs etiam Primates, quos Patriarchas 40
minores textus in *num.* 36. vocant, juxta eosdem
textus & *cap. si Clericus* 46. *XI.q.*1. aliquam Jurisdi-
ctionem in Archi-Episcopos & Episcopos non-Ex-
emptos exercent; talesque sunt in Germania noster
Celsissimus S.R.I. Princeps & Archi-Episcopus Sa-
lisburgensis; in Hispania Toletanus & Bracharensis;
in Gallia Bituricensis, Lugdunensis, Arelatensis, Vien-
nensis; in Italia Pisanus; in Polonia Gnesensis; in
Hungaria Strigoniensis &c. Pax Jordan *prælud.*1. *n.*
46. *& seq.* Barbosa *cit.l.n.*8. König ad *tit.de Off.Jud.*
Ord. n. 11. Wiestner ad *cit. tit. n.*45.

§. IV.

Peculiarem etiam classem in Republica Ecclesia- 41
stica occupant Legati Sedis Apostolicæ, qui in tri-
plici sunt differentia, Legati à Latere, Legati Missi,
Legati Nati. *Legati à Latere* dicuntur, qui ex Col-
legio Cardinalium, ad latus Pontificium Romæ re-
sidentium, ex causa legationis in provincias destinan-
tur. *Legati Missi*, seu *Nuntii Apostolici*, compellan-
tur, qui, extra Collegium Cardinalium, ad Im-
peratores, Reges, Principes, Provincias, ab-
legantur. *Legati Nati* vocantur, quibus Lega-
tionis munus cum officio & dignitate quasi con-
nascitur.

Legatis hisce quædam sunt communia, quæ- 42
dam

dam propria. Communia sunt, I. quòd instar Romanorum Proconsulum & Præsidum in provincia
Legationis Jurisdictionem & gubernationem habeant, ut ibidem *evellant, & dissipent, & ædificent,
& plantent*, prout loquitur Clemens IV. in *cap. Le-
43 gatos 2. de Off. Leg. in 6.* II. quòd mores & defectus,
etiam Episcoporum & Archi-Episcoporum corrigere; Principes & populos in fide & reverentia erga
Sedem Apostolicam conservare; constitutiones Pontificias in usum deducere, vel quam ob causam non
deducantur, Papam informare possint & debeant *arg.
44 cit. cap. Legatos 2. in 6.* P. Engel *eòd. tit. n. 3.* III.
quòd super electionibus Episcoporum examen instituere valeant, posteà, sine ulteriori processu, transmittendum Summo Pontifici *cap. licet 5. de Officio
45 Legati.* IV. quòd statuta possint condere, post suum
discessum quoque duratura *d. cap. Legatos & cap. ult.
45 eòd. X.* V. quòd in prima statim instantia per viam
simplicis querelæ Jure Decretalium adiri possint *cap.
cùm non ignoretis 1. eòd. tit. X.* ubi Gonzalez *num. 7.*
& communiter Expositores: quantumvis per Concilium Trid. hoc immutatum, ac in *sess. 24. de ref.
cap. 20.* statutum fuerit, primam instantiam Episcopis, seu Judicibus Ordinariis, ne quidem a Sedis
Apostolicæ Legatis præripi, aut auferri debere.
P. Engel ad *eund. tit. num. 10.* P. König ad *eund. tit.
num. 9.* P. Wiestner *ibid. num. 9.*

47 Proprium *Legatis à Latere* est I. quòd præter insignia splendidiora (quibus induti sub Baldachino
civitates & oppida in comitatu Cleri & Populi ingrediuntur) supra Legatorum reliquorum suæ provinciæ Jurisdictionem & Potestatem multùm emineant, eamque in sua præsentia cessare faciant *cap.
volentes 8. de Offic. Leg. cap. officii 1. eòd. in 6. cap. an-
48 tiqua 23 de Privileg.* II. quod juxta Glossam in *cap.
cùm non ignoretis 1. v. universas d. t. de Offic. Leg.* P.
Engel *ibid. sub n. 4.* & alios, Jurisdictionem habeant
in exemptos; ac confirmare possint electiones Archi-Episcoporum, Episcoporum, & Abbatum Exemptorum *cap. si Abbatem 36. §. fin. de Elect. in 6.*
Nisi ipsimet Pontifici, veluti in Germaniæ Concordatis, specialiter reservatæ sint. P. König *cit. loc. n. 10.*
49 III. quòd à die discessûs ab Urbe quoscunque à vinculo excommunicationis, ob enormem Clerici percussionem contractô, absolvere valeant *cap. quod translationem 4. cap. excommunicatis 9. de Offic. Leg. cap. ad
50 eminentiam 30. de Sent. excommunicat.* IV. quòd conferre queant beneficia non-electiva, etsi Patronatûs
sint Ecclesiastici, aut ex negligentia inferiorum Collatorum ad Superiorem devoluta *cap. dilectus 6. d.
t. cap. officii 1. cap. præsenti 3. eòd. in 6. cap. venerabilis
51 37. de Præbend.* daturque inter tales Legatos & Ordinarium Collatorem locus præventioni; ita tamen,
ut, si utraque collatio eôdem tempore contigerit,
collatio Legatorum à Latere prævaleat *cap. si à sede
52 31. d. t. in 6.* Beneficia tamen electiva, jure patronatus laicalis affecta, vacantia in Curia, vel alias generaliter aut specialiter reservata conferre nequeunt
*cap. translationem 4. de Offic. Leg. cap. deliberatione 4.
in pr. eòd. in 6. cap. dilectus 27. de Præbend.*

53 Proprium *Legatis Missis*, seu *Nuntiis Apostolicis*,
est, quod præter excommunicationis, à subditis suæ
provinciæ, vel etiam advenis in sua provincia, per
injectionem manuum in Clericos contractæ, absolutionem, aliqua leviora, in Legationes Indulto non
comprehensa, facere possint per textus in *cap. excommunicatis 9. de Offic. Leg.* & ibi Panorm. *num. 6. cap.
mandata 6 de Præsumpt. cap. cùm dilecti 18. de Accusat.* P. König *cit. l. n. 34.*

54 *Legatis Natis* proprium est, quòd eorum potestas sit realis, atque ad successores in Dignitate
55 transitoria *cap. antiqua 23. de Privil.* Secus ac potestas aliorum Legatorum, quæ quidem cum morte
legantis non extinguitur (nisi concessa fuerit ad
beneplacitum) *cap. Legatos 2. de Offic. Leg. in 6.* sed
cum morte Legati, lapsu temporis, ac terminatione causæ *cap. licet 5. d. t.* Plerumque tamen adhuc 56
alia peculiariter sibi concessa habent privilegia; sicut noster Celsissimus Princeps & Archi-Episcopus
Salisburgensis, inter alias insignes prærogativas, habet potestatem absolvendi ab hæresi, conferendi
beneficia in mensibus Papalibus, ordinandi extra
tempora, dispensandi in tertio & quarto gradu
ad matrimonium cum illis, qui labore manuum
victum quærunt. P. Engel ad *tit. de Offic. Leg.
numer. 10.*

Quæres autem I. nec extra rhombum, an quo- 57
ad potestatem & Jurisdictionem idem sit, esse Legatum à Latere, vel Legatum Missum cum potestate Legati de Latere; cujusmodi Legati hodiernis temporibus non rarò ad Imperatores & Reges
à Sede Apostolica dimittuntur? Affirmativè respondent cum Garcia & Layman, Zoësius ad *tit. de Offic.
Leg. n. 15.* & Magnif. D. P. König *ibid. n. 3.* ex duplici
ratione, I. quia in *l. sive 1. in pr. ff. de Tutor. & cu- 58
rat. dat.* insinuatur, nihil interesse, an quis verus
sit Proconsul, an pro tempore proconsulatum gerat: atque adeò etiam nihil interest, sive quis verus Legatus à Latere, an cum illius potestate mis-
sus. II. quia cæteroquin hæc clausula *cum potestate 59
Legati de Latere* foret otiosa, contra *cap. si Papa 10.
de Privileg. in 6.* operaretur nihil.

Negativè respondent Barbosa *J. E. V. lib. 1. cap. 5. 60
n. 4.* P. Engel *cit. l. n. 7.* Jacobus Pignatelli *Consultat.
Canonic. tom. 2. consult. 1. n. 7.* P. Wiestner ad *cit. tit.
num. 33.* ac novissimè Clariss. P. Schmalzgrueber *ib.
n. 7.* Quibus egregiè suffragatur *cap. officii 1. de Offic.
Leg. in 6.* ubi de Legatis Missis dicitur, quòd nullum beneficium conferre possint, *quantumcunque ple-
nam legationem obtineant.* Et succurrit optima ra- 61
tio, quâ scimus, multùm interesse inter Episcopum
& Vicarium, Ordinarium & Delegatum, Dominum & Procuratorem, Cardinalem & vices ipsius
gerentem. Quin etiam, quòd is, qui mandatum 62
generale habet, nequeat planè omnia facere, quæ
potest Dominus, discimus ex *cap. qui ad agendum
4. & ult. de Procurat. in 6.* junctô *cap. licet 2. & ult.
de Offic. Vic. eòd. in 6.*

Nec movet duplex ratio affirmativæ opinionis. 63
Non prima: nam in *cit. l. 1.* non æquiparatur Proconsul & ipsius vicarius in omnibus & per omnia,
sed quoad solam tutoris & curatoris constitutio-
nem. Non etiam secunda: quia clausula *cum 64
potestate Legati de Latere* non est otiosa, sed
operatur speciales suos effectus non formaliter,
sed relativè, nempe cum ordine & relatione ad
Mandatum Pontificium, in quo potestas, ejusmodi
Legatis communicata, liquidiùs & clariùs exprimitur.

Quæres II. utrùm asserenti, se Legatum à Pon- 65
tifice designatum esse, fides adhiberi debeat?

Resp. I. Legato à latere fidem adhibendam esse,
dummodò constet, quòd Cardinalis sit. Ratio est: 66
quia hôc ipsò, quòd Cardinales non dimittantur à
latere S. Pontificis, nisi legationis causâ, constat,
Cardinalem, in provincia commorantem, esse Legatum à Latere.

Resp. II. Legato Misso fidem adhiberi non debe- 67
re, priusquàm literas suæ legationis exhibuerit per
textum in *cap. ult. Dist. 97. cap. cùm in jure 31. de
Offic. Jud. deleg. l. si quis 1. Cod. de Mandat. Princ.*
Ratio est: quia, Legatum Missum esse, res facti, 68
non Juris est: adeóque character Legati Missi non
præsumitur, sed ostendi debet.

Quæres III. utrùm, si Pontifex ad eandem pro- 69
vinciam vel aulam duos mittat Legatos, missô posteriore, censeatur prior esse revocatus?

Resp. negativè argumentô desumptô ex *cap. volentes* 8. *de Offic. Leg.* ubi in casu, quô Legatus à Latere venit in provinciam, aliorum Legatorum officium non extingui, sed tantùm executionem officii suspendi, dicitur. Et licèt, si duo procurato-
70 res diversis temporibus constituantur, censeatur esse revocatus, qui priori tempore constitutus erat *l. si quis* 31. §. *ult. ff. de Procurat.* Id tamen in Legatis tantò minùs verificari potest, quantò nobilius est eorum officium; quantóve certius est, ex variis causis varios subinde Legatos in provincias dimitti, non ut unus alterum expellat, sed singula negotia per singulos expediantur.

§. V.

De S. R. E. Cardinalibus.

71 Post Summum Pontificem supremâ in Ecclesia
dignitate potiuntur Cardinales, velut cardines &
præcipui Clerici per *cap. fundamenta* 17. §. *isti sunt*
℣. docet de Elect. in 6. *cap. per venerabilem* 13. *℣.*
72 *sunt autem &c. Qui filii sint legit.* Eorum origo à
plerisque exemplariter adscribitur Christo Domino,
qui sui Pontificatûs coadjutores assumpsit Apostolos. P. Engel ad *tit. de M. & O. n.* 15. P. Plettenberg
73 in *Not. Congregat. cap.* 1. §. 2. *n.* 2. Titulos, seu Ecclesias, & parvas Cardinalium Diœceses, D. Marcellus Papa sub annum 304. erexisse fertur à Barbatia
de *Potest. Card. q.* 1. *p.* 1. *num.* 5. At *cit.* Plettenberg
§. 6. *num.* 3. Titulorum erectionem tribuit Evaristo
74 Papæ, annô 112. electo. Nomen Cardinalium primùm dedisse creditur B. Sylvester in Synodo Romana per *cap. à Subdiacono* 5. *Dist.* 93. *cap. Præsul* 2. *II.*
75 *q.* 5. Plettenberg *d. c.* 1. §. 1. *n.* 5. Dignitatem seu
præeminentiam ante omnes Ecclesiæ Prælatos adepti sunt vel à Bonifacio VIII. vel à Clemente V.
vel ab Eugenio IV. ut referunt Barbosa *J. E. V. lib.*
2. *cap.* 3. *n.* 7. & *cap.* 4. *num.* 24. Gonzalez ad *cap. cùm*
Apostolus 6. *de Censib. num.* 3. Wiestner ad *tit. de Off.*
76 *Jud. Ord. n.* 26. Prædicatum denique *Eminentissimi*
ab Urbano VIII. Anno 1650. acceperunt. Engel
d. l. num. 18. Plettenberg *d. l.* §. 8. *n.* 15. P. Schmalzgrueber *cit. l. num.* 12.
77 Distinguuntur porrò Cardinales in tres series,
Episcopos, Presbyteros, Diaconos. Cardinales Episcopi, stati & fixi, sunt 6. videlicèt Hostiensis, Portuensis, Tusculanus, Sabinensis, Prænestinus, Albanus. Cardinales Presbyteri Titulos habent quinquaginta & unum. Cardinales Diaconi Titulos 15. possident, teste Barbosa *cit. cap.* 3. *in fin.*
78 Potestas & Jurisdictio Cardinalium in suis Titulis est tanta, quanta Episcoporum in suis Diœcesibus *cap. his quæ* 11. *de M. & O.* Barbosa *d. lib.*
1. *cap.* 4. à *num.* 35. & *num.* 71. Potestas autem &
79 Jurisdictio Cardinalium quoad universalem Ecclesiam, vivente Pápâ, talis esse videtur, qualis est alicujus Supremi Dicasterii, v. g. Imperialis Aulici: Cardinalium siquidem consiliô & operâ controversias plurimas dirimi, ardua expediri, difficilia resolvi, plusquàm meridianum est ex dictis in
80 *cap.* 2. à *num.* 213. Nec appellationem à sententia,
votô Cardinalium latâ, permissam esse, adstruit
81 Plettenberg ubi supra §. 9. *num.* 8. Sede vacante
Jurisdictio quidem Pontificia, ceu personalissima, non transfertur in illos; ea nihilominùs, quæ spectant ad Electionem successoris Pontificis, nec non tuitionem & defensionem Ecclesiæ, Cardinales disponere valent *cap. ubi periculum* 3. *de Elect.*
82 *in* 6. *Clem. ne Romani* 2. *eôd.* Quin etiam in casu schismatis, quô duo vel plures in discordia sunt electi, nec constat, quisnam canonicè fuerit electus, Cardinales possunt congregare Concilium, ut ejus authoritate quæstio Electionis dirimatur. Barbosa *d. c.* 4. *num.* 76. Plettenberg *d.* §. 16. Schmalzgrueber *d. l. num.* 16.

SECTIO III.

De Effectu Jurisdictionis Subalternæ Ecclesiasticæ.

SUMMARIA.

83. *& seq. Indigitatur generalis effectus Jurisdictionis Subalternæ Ecclesiasticæ.* 85. *& seqq. Singularis effectus est Majoritas & Obedientia.* 88. *Inferior non potest contra Superiorem præscribere jus præcedentiæ.* 89. *Inter non-subditos primus titulus præcedentiæ est dignitas.* 90. *Secundus est Ordo.* 91. *Tertius est antiquitas.* 92. *Quartus est privilegium.* 93. *Quintus est præscriptio vel consuetudo.* 94. *& seq. In Ecclesia propria nullus alteri præcedentiam cedere tenetur.* 96. *& seqq. Superior immediatus negligentiam inferioris supplet.* 99. *& seqq. Discutitur, an Archi-Episcopus ordinariè suppleat negligentiam Episcopi in Jurisdictione contentiosa? Resolvitur affirmativè.* 105. *& seqq. Contraria diluuntur.* 107. *Speciale quid in collatione beneficiorum adnotatur.* 108. *Recurritur ad regulam.*

§. I.

Indicatur Effectus Jurisdictionis Ecclesiasticæ Subalternæ.

Effectus Jurisdictionis Ecclesiasticæ Subalternæ 83
sparsim in priori *sect.* indicatus; quævè cuilibet ex Prælatis Majoribus Potestas competat, memoratum est. Nempe intra limites & orbitam sui districtûs omnes fideles, cujuscunque sint conditionis, statûs, aut Ordinis (nisi probaverint exemptionem) obligatos habent, ad ea, quæ virtute Jurisdictionis imperantur, jubentur, aut disponuntur, amplectenda, facienda, & exequenda *cap. de Xenodo-*
chiis 3. *cap. constitutus* 6. *de Religios. dom.* Eos verò, 84
quos refractarios, contumaces, aut pertinaces experiuntur, obnoxios reddunt censuræ Ecclesiasticæ, quam omnes interminare possunt, quotquot Jurisdictione Subalternâ præcellunt per text. in *cap. perniciosa* 1. *cap. conquerente* 16. *de Off. Judic. Ord. cap. cùm Episcopus* 7. *eôd. in* 6.

§. II.

De Majoritate & Obedientia.

Singularis effectus Jurisdictionis Ecclesiasticæ 85
Subalternæ est debita subordinatio inter Prælatos, Superiores & inferiores, seu (ut SS. Canones in tit. XXXIII. præsentis libri pronuntiant) *Majoritas & Obedientia*; illa respectu Superiorum; ista respectu
inferiorum. Cùm enim Ecclesia in SS. Literis non 86
tantùm ut *acies castrorum ordinata*, sed etiam ut *cœleste Jerusalem* deprædicetur, Ordinem Hierarchicum & Monarchicum, quô sinè nec Exercitus nec Civitas aut Regnum conservari potest, tam exactum instituit, ut unus alterô major, ac inferior Superiori, gratissimâ
harmoniâ, subordinatum se profiteatur. Quam in rem 87
D. Gregorius in *cap. ult. Dist.* 89. *ad hoc*, inquit, *dispensationis Divinæ provisio gradus diversos & ordines constituit esse distinctos, ut, dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diversitate contexio, & rectè officiorum gereretur administratio*

sin-

singulorum. Neque enim universitas alia poterat ratio-
ne subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ or-
do servaret. Quia verò quæque creatura in una eadem-
que qualitate gubernari, vel vivere non potest, cælestium
militiarum exemplar nos instruit: quia, dum sunt Ange-
li, & sunt Archangeli, liquet, quia non sunt æquales, sed
in potestate & ordine (sicut nôstis) differt alter ab alte-
ro Gunza ez ad *cap. cum certum* 1. *de M. & O. num.* 5.

88 Ordinem hunc & subordinationem invertere non
licet; nec auditur vel manutenetur inferior, præce-
dentiam supra Majorem & Superiorem prætendens;
etiamsi consuetudinem, aut præscriptionem tempo-
ris immemorialis alleget. Rota Rom. in *rec. p.* 15.
dec. 218. *num.* 10. *& seqq.* Card. de Luca de *Præ-*
eminen. disc. 16. *num.* 11. *disc.* 18. *num* 5. *disc.* 30.
num 14. est enim potiùs corruptela, quàm rationa-
bilis usus, ordinem Hierarchicum immutare, mi-
nores supra Majores exaltare, & Majores infra mi-
nores humiliare *arg. cap. cùm ex illo* 1. *de Translat.*
Episcop.

89 Cæterùm si unus alteri subjectus non sit, ad quæ-
stiones præcedentiæ, si quæ in concursu moveán-
tur, decidendas, oportet scire, quòd quinque po-
tissimùm occurrant tituli, ex quibus præcedentia
deducitur. I. est *Dignitatis aut Jurisdictionis* excel-
lentia, quâ Cardinales v.g. Patriarchas & Primates;
hi Archi-Episcopos; isti Episcopos &c. per *cap.*
Cleros 2. *Dist.* 21. præcedunt. Card. de Luca *d.l. disc.*
12. *num.* 3. Repetatur *n* 75.

90 I. est *Ordinis* præstantia, juxta quam Cardinales
Episcopi præferuntur Presbyteris, & hi Diaconis;
Prælati non-Episcopi sequuntur Episcopos; Cleri-
ci in minoribus Clericis in majoribus postponun-
tur *cap. ult. Dist.* 17. *cap. à Subdiacono* 5. *Dist.* 93.
cap. statuimus 15. *de M. & O.* & ibi Gonzalez à
numer. 1.

91 III. est temporis antiquitas, quæ personis cæte-
roquin Dignitate vel Ordine paribus, procedriam
tribuit in omnibus conventibus, processionibus,
sessionibus, subscriptionibus per *cap. cùm certum* 1.
d.t. Gonzalez *ibid. n.* 5. Card. de Luca de *Præemi-*
nent. disc. 16. *sub* n 11.

92 IV. est authoritas privilegii, ratione cujus Epis-
copus Ostiensis, ceu Consecrator Summi Pontificis,
inter Cardinales est primus; ac illa, qui Sacros Or-
dines à Summo Pontifice recepit, cæteris in eodem
gradu anteponitur *cap. per tuas* 7. *de M. & O.* Gon-
zalez *d. num.* 5.

93 V. est consuetudinis aut præscriptionis præroga-
tiva, cujus adminiculô non quidem inferior con-
tra Superiorem suum ex *num.* 38. sed alius contra
alium præcedentiam acquirere potest, veluti deci-
dit Rota in *recent. p.* 16. *dec.* 168. *n.* 6.

94 Planè in Episcopatu proprio Episcopus nulli te-
netur cedere locum primum, etiamsi major sit Di-
gnitate. Card. de Luca *cit. disc. num.* 3. Chassan. in
Catal. gloria mundi p. 4. *considerat.* 22. Barbosa *J.E.*
95 *V. lib.* 1. *cap.* 13. n. 11. Sicut & Parochus in sua paro-
chia præcedentiam habet ante Prælatos, aut Cano-
nicos Cathedrales, singulariter incedentes, prout
idem Cardin. *disc.* 21. *n.* 5 citatis Rotæ decisionibus
firmat: in proprio siquidem Episcopatu solus Epis-
copus est omnium Superior; nec tenetur alium
Prælatum, respectu cujus alioquin nullam profitetur
subjectionem, agnoscere, vel revereri.

§. III.

De Supplenda negligentia Prælatorum.

96 Alius & singularis Subalternæ Jurisdictionis Ec-
clesiasticæ effectus est, quòd, si Prælati sint ne-
gligentes in exercitio Jurisdictionis, Superior im-
mediatus inferioris negligentiam supplere possit &
debeat. Adeóque si Abbates aut alii Prælati, Epis- 97
copô inferiores, non-exempti suum officium inter-
mittant, illud per Episcopum suppletur; si Episcopi
non exempti non faciant, quæ facienda, Archi Epis-
copus se intromittit; si etiam ille suo muneri desit,
ad Primatem vel S. Pontificem spectat, defectum
emendare. Textus in *cap. licet* 3. *cap. ult. de supplen-*
da neglig. Prælat. cap. ult. eôd. in 6.

98 Hunc ordinem & gradum supplendi negligentiam
unanimiter admittunt Canonistæ, quando defectus
aliquis in exercitio Jurisdictionis voluntariæ com-
mittitur, ac beneficia v.g. tum electiva, tum colla-
tiva, tum patronata, statutô à SS. Canonibus tem-
pore non conceduntur. At quando Episcopus est 99
negligens in administratione Jurisdictionis conten-
tiosæ, ac partibus aut omninò negat justitiam, aut
illam, causâ jam in Episcopali Consistorio penden-
te, protrahit, quàmplurimi jus devolutionis ad Ar-
chi-Episcopum inficiantur, quibus ex Modernis as-
sentiuntur P. Wiestner ad *cit. tit. num.* 46. P. Reiffen-
stuel *ibid. num.* 10. P. Schmalzgrueber *eôd. tit. num.*
7. Textum obtendunt in *cap. Romana* 1. *de suppl.* 100
neglig. Prælat. in 6. ubi in casu, quô Episcopus ab
usu Jurisdictionis ob culpam ac inde contractam ex-
communicationem impeditur, illius devolutio ne-
gatur ad Archi-Episcopum fieri: *cum id non inve-*
niatur à Jure concessum. Rationem dant ex *num.* 30. 101
ubi notatum dedimus, quòd Archi-Episcopus non
habeat Jurisdictionem in subditos Suffraganeorum
suorum, præterquàm in casibus, à Jure expressis;
qualis non est præsens.

102 Verùm post Glossam in *cit. cap. Romana verb. cul-*
pis. Hostiensem in *summa ad tit. de Off. Judic. Ord.*
sub n. 7. Azorem *Instit. Moral. p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 34. *q.* 10.
in f. jus devolutionis ad Archi Episcopum fortiter
defendit P. Engel ad *tit. de supplend. neglig. n.* 4. *&*
seqq. Ratio principalis est: quia DD. ad *cit. tit.* com-
mentantes, plerumque generalem statuunt regulam,
quòd inferioris negligentia à Prælato immediatè su-
periore suppleatur, non tantùm ob rubricam genera-
lem, sed etiam ob textus, rubricæ subnexos, præser-
tim in *cit. cap. licet* 3. & *cap. ult.* item *cap. ult. in* 6. in
quibus in specie supponi videtur, negligentiam Epis-
copi corrigi ab Archi-Episcopo, etiam in Jurisdictio-
nalibus: utpote cùm in *d. cap. ult. in* 6. tempore Sedis 103
Episcopalis vacantis Archi-Episcopo detur potestas,
administratorem constituendi, si Capitulum Cathe-
drale (quod Episcopi vicem subit, ac in ejus Juris-
dictionem succedit) *in spiritualibus aut temporalibus*
negligenter aut perperam administret. Idque prop- 104
tereà sit cautum fuisse, judico: quia harmonicus &
hierarchicus ordo perinde in Jurisdictione conten-
tiosa quàm voluntaria debitam subordinationem ex-
igit, ac inferioris negligentiam à proximo Superiore
gradatim fieri petit; sicut & appellatio, pertinens ad
Jurisdictionem contentiosam, fit gradatim, atque ab
Episcopo ad Archi-Episcopum interponitur.

105 Ad textum contrarium Resp. P. Engel sub *num.* 6.
eum, si ritè intelligatur, sententiæ suæ non adver-
sari, sed patrocinari: cùm enim sit positus sub ru-
brica *de suppl. neglig. Prælat.* ac devolutionem Ju-
risdictionis neget ob culpam Episcopi; tacitè sup-
ponit, in casu negligentiæ devolutionem esse con-
cessam; sicque ad instar alterius exceptionis regulam
ponit in casibus, non exceptis.

106 Ad rationem Resp. casum devolutionis in texti-
bus, in n. 101. citatis, abundè declaratum & expres-
sum esse; & ulteriùs deduci posse ex appellatio-
ne, cui non absimilis est recursus, à subdito Suffraga-
nei propter negatam aut protractam justitiam ad Ar-
chi Episcopum institutus: non enim is solùm gravatus
esse videtur, cui jus suum ab Ordinario per sen-
tentiam

tentiam est abjudicatum; sed etiam cui jus & justitiam per sententiam adjudicare Ordinarius recusat.

107 Exceptio à regula devolutionis, quòd gradatim
fiat, habetur in collatione beneficiorum, vel ad
Episcopum privativè, vel ad Capitulum spectante:
neglectâ siquidem provisione intra legitimum tem-
pus, jus conferendi devolvitur à Capitulo ad Epi-
scopum, & ab Episcopo ad Capitulum *cap. nulla*
108 *2. de Concess. Preb.* Quòd si collatio pertineat si-
mul ad Episcopum & Capitulum, nec intra seme-
stre perficiatur, servatur regula, jusve conferendi
devolvitur ad Archi-Episcopum per *cap. postulâstis*
15. d. t. juncto *cap. ult. de Suppl. neglig. Prælat.*

S U P P L E M E N T U M.

S U M M A R I A.

1. *& seqq. Jurisdictio subalterna Episcoporum est immediatè à DEO quoad thesin; & mediatè quoad hypothesin. 6. & seq. Scribunt propterea DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ. 8. Eorum praeminentia. 9. Inter alia jura habent potestatem convocandi Synodum. 10. & 11. Quæ partim ad Jurisdictionem, partim ad legem Diœcesanam spectat. 12. & seqq. Indicatur triplex finis hujus Synodi. 15. & seqq. Judicatur ordo sessionis cum personis illuc vocandis. 20. & seqq. Archi-Episcoporum authoritas & antiquitas. 23. & seqq. Enumerantur jura Archi-Episcoporum quoad Episcopos suffraganeos. 46. & seqq. Speciatim attingitur & explicatur jus convocandi Concilium Provinciale. 58. & seqq. Recensentur jura Archi-Episcoporum quoad subditos suffraganeorum. 67. & seq. De juribus Legatorum Sedis Apostolicæ remissivè. 69. & seqq. Origo S. R. E. Cardinalium indagatur. 73. & seqq. Statuuntur causæ, propter quas ipsis præcedentia supra Episcopos tribuitur. 76. Discrimen inter hos & illos quoad ceremonialia. 77. & seqq. Modus creandi Cardinales, & conferendi insignia Cardinalatûs.*

Q U Æ S T I O I.

An & quatenùs Jurisdictionem Subalternam habeant Episcopi?

1 JUrisdictio Subalterna Ecclesiastica, quâ præcel-
lunt Episcopi, est immediatè à DEO, si spe-
ctetur in thesi & quoad substantiam, prout distin-
xi in hoc *cap. num. 17.* seu quoad actum primum,
veluti explicat Eminentiss. Petra *Comment. Apostol.*
tom. 2. pag. 220. num. 35. Ad illos enim in persona
2 Apostolorum, cujus Successores sunt juxta *c. in*
novo 2. Dist. 21. & cap. ult. Dist. 68. Trid. Concil. *sess.*
23. de Reform. cap. 4. dictum est à Christo Domino
Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis*
super terram, erunt ligata & in Cœlo; &, quæcun-
que solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo. Ad
3 illos quoque dictum est a D. Petro *epist. 1. cap. 5. vers.*
2. pascite, qui in vobis est, gregem DEI; & à D. Pau-
lo *Act. 20. attendite vobis & universo gregi, in quo*
posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos, regere Ecclesiam
4 *DEI, quam acquisivit sanguine suo.* Quamquàm in
actu secundo & in hypothesi Jurisdictionem acci-
piant à Summo Pontifice, qui non tantùm Episco-
patuum & Diœcesium fines distinxit, cuilibet Epi-
scopo certum districtum & populum, cui præesset,
assignandò; sed etiam Episcopos confirmat & insti-
5 tuit, ipsisque Jurisdictionem actualem tribuit: eâ
propemodùm ratione, quâ Sacerdotes in sua or-
dinatione quoad forum internum Jurisdictionem
seu potestatem absolvendi à peccatis à DEO re-
cipiunt juxta Concil. Trid. *sess. 23. de Reformat.*
cap. 15. eam tamen in actu secundo absque appro-
batione & confirmatione Episcopi exercere ne-
queunt.

Et hinc provenit, quòd Episcopi se tales in suis 6
titulis & allocutionibus scribant *DEI & Aposto-*
licæ Sedis gratiâ: quam quidem formulam licèt
omittere possint, & sæpiùs se Episcopos tantùm
nominent *DEI gratiâ*, quando scribunt ad pares
vel inferiores: attamen, ut tradit Eminentiss. Pe- 7
tra *d. tom. 2. pag. 222. num. 45.* non est ipsis consu-
lendum, ut omittant alterum axioma *& Apostolicæ*
Sedis gratiâ, quando dant literas testimoniales,
Summo Pontifici præsentandas: quippe cùm à Da-
taria & Curia similes literas frequenter non recep-
tas, imò & laceratas fuisse, ex auditu fide digno-
rum testetur.

Vi hujus potestatis Episcopi dicuntur Reges in 8
parvo Regno; præfecti sunt hominibus cujuscun-
que dignitatis & Ordinis; habentque plenariam Ju-
risdictionem in causis canonico-civilibus æquè ac
criminalibus. Petra *tom. 1. pag. 150. & seq.* Barbosa
Jur. Eccles. univ. lib. 1 cap. 8. num. 20. & mult. seqq. &
cap. 39. §. 4. n. 44. & seqq. præterquàm si Summo
Pontifici reservatæ fuerint, de quibus actum in *cap.*
2. sect. 3. §. 1. & 2.

Inter plura Jurisdictionis Episcopalis jura, hinc 9
inde in nostra *Jurisprud. Canonico-Civ.* delibata, uni-
cum, nec postremum, hic attingo, convocationem
nempe Synodi Diœcesanæ: hanc enim Episcopus
indicere potest, &, juxta Concil. Trid. *sess. 24. de*
Refor. cap. 2. debet quotannis; præcedente Capi-
tuli sui Cathedralis consiliô. Pignatell. *tom. 1. con-*
sult. 69. Et licèt aliqui dubitent, an convocatio Sy- 10
nodi Diœcesanæ pertineat ad legem Jurisdictionis,
vel Diœcesanam? Rectiùs tamen sentiunt, qui di-
cunt, esse mixtam ex utraque lege, prout judica-
vit Rota Rom. *decis. 619. n. 4. p. 4. divers.* & in *Mile-*
tens. Jurisdiction. coram D. Card. Falconerio § eadem
sunt &c. Eminentiss. Card Petra in *Comment. Apostol.*
tom. 5. pag. 127. sub n. 105. Paulutius *Jurisprud. Sacra*
lib. 3. tr. 3. cap. 9. n. 4. quà enim Synodus est, & in 11
ea Synodaticum recipi solet, rectè vocatur lex Diœ-
cesana; quatenùs verò in ea leges conduntur,
aut judicia exercentur, aut mores corriguntur,
non immeritò ad Jurisdictionem pertinere cen-
setur.

Convocatur Synodus juxta *cit.* Paulutium *num.* 12
5. ex triplici fine. Primus & præcipuus est, ut, quæ
fuerint decreta in Synodo provinciali, publicentur
in diœcesana *cap. ult. Dist. 18.* Secundus est, ut ma- 13
la, paulatim in diœcesin irrepentia, communi plu-
rium concursu aut præcaveantur, aut aboleantur.
Tertius est, ut pastores & rectores animarum exci- 14
tentur, quatenùs gregi suo oculatiùs invigilent,
suoque muneri accuratè satisfaciant. Addatur P.
Engel ad *tit. de Major. & obed. num. 47.*

Præsidet Episcopus huic Synodo vel per se vel 15
per suum Vicarium *arg. cap. regula 6. Dist. 17. cap.*
si Episcopus 6. de Offic. Iudic. Ord. in 6. Comparet 16
etiam Capitulum Cathedrale, quòd ita quoad
sessionem collocandum putat Pignatell. *tom. 4. con-*
sult. 187. ut ex utroque latere circumdet Episco-
pum. Vocantur etiam Abbates non-exempti, 17
quin &, ut loquitur Concil. Trident. *d. sess. 24.*
de Reform. cap. 2. exempti omnes, qui aliàs, ces-
sante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis
generalibus subduntur; uti etiam tenentur accedere
alii, *qui ratione parochialium, aut aliarum Eccle-*
siarum, etiam annexarum curam gerunt: quamvis 18
ejusmodi Abbatibus exemptis primum locum post
Episcopum assignari debere, in *cap. ex ars 17. de*
Pri-

Privileg. statutum sit. P. Engel *cit.l.* Videatur etiam
Petra *d.l.pag.*127.*num.*108. *& seq.*

19 An & quatenùs Synodi celebratio, vel decreto-
rum in ea executio possit mediante appellatione
impediri? Tradit Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 71.
& seqq.

QUÆSTIO II.

Quænam in hac Jurisdictionis materia sint specialia jura Archi Episcoporum?

20 Archi-Episcopos seu Metropolitanos jam à tem-
pore Apostolorum exordium sumpsisse, colligitur
ex *Canon. Apostol.* 33. ibi: *cujusque gentis Episcopos
oportet scire, quisnam inter ipsos primus sit, habe-
reque ipsum quodammodò pro Capite, neque sine il-
lius voluntate quidquam agere insolitum: illa autem
sola quemque per se tractare, quæ ad parochiam ejus*
21 *& loca ipsi subdita attinent.* Eàque propter in *can.*
9. Concilii Antioch. legitur: *Episcopos, qui sunt
in unaquaque provincia, scire oportet, Episcopum, qui
præest Metropoli, etiam curâ suscipere totius provinciæ:
eò quòd in Metropolim undequaque concurrant omnes,
qui habent negotia. Unde visum est quoque, eum ho-
nore præcedere; reliquos autem Episcopos nihil ma-
gni momenti aggredi sinè ipso, ut vult, qui ab initio
obtinuit, Patrum canon.*

22 Et hinc Archi-Episcopus in tota sua provincia,
atque adeò in Diœcesibus Suffraganeorum ejusdem
Provinciæ obtinet assistentiam Juris Communis, si-
cut habet Episcopus Juris assistentiam in tota sua
Diœcesi; videlicèt quoad actus, dependentes à po-
testate & Jurisdictione Archi Episcopali seu Me-
tropolitana. Eminentiss. Petra *Comment. Apostol. tom.*
5. *pag.*196. *sub n.* 24.

23 Jura autem Archi Episcopalia expendi possunt
vel quoad Suffraganeos Episcopos, vel quoad eo-
rum subditos. Quoad Suffraganeos Archi-Episco-
pus habet I. jus confirmandi Episcopos *cap. Epis-
copi* 1. *Dist.* 64. *cap. inter corporalia* 2. *de Translat.*
24 *Episc.* II. jus consecrandi Episcopos confirmatos,
adeò ut nulli alteri, nisi accedente jussu & dele-
gatione Metropolitani, liceat Episcopum Suffraga-
neum consecrare *d. cap. Episcopi* 1. *Dist.* 64. *cap. non
debet* 2. *Dist.* 65. *d. cap. inter corporalia* 2. *cap. Suffra-
ganeis* 11. *de Elect. cap. si Archi Episcopus* 6. *de Tem-*
25 *por. Ordinat.* Verùm tam Confirmationem, quàm
Consecrationem Episcoporum, præsertim in Ger-
mania, Summo Pontifici hodie reservatam esse, te-
stentur passim Authores, & indicat consuetudo.
Quarania *verb. Archi Episcopi auctoritas n.* 3. *vers.*
4. Barbosa *J. E. U. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 19. Engel ad
26 tit. *de Elect. n.* 56. Wiestner *ibid. num.* 336. In quo
tamen Metropolitano Salisburgensi usque in hodier-
num diem illæsa & intacta remansit insignis illa præ-
rogativa, quatuor Episcopos Suffraganeos, Gur-
censem, Chiemensem, Seccoviensem, & Lavan-
tinum, jure Metropolitico nominandi, confirman-
di, & consecrandi. III. jus cognoscendi de causis
27 Suffraganeorum, quorum Metropolitanus est Ju-
dex Ordinarius *cap. quia cognovimus* 6. *X. q.* 3. *cap.
pastoralis* 11. *in pr. de Offic. Judic. Ord cap. sollici-*
28 *tudinem* 54. *de Appellat.* Sed hodie id obtinet in
causis duntaxat civilibus: quia de criminalibus Epi-
scoporum causis Trident. Concil. *sess.*24. *de Reform.
cap.*5. statuit, ut, si *graviores* fuerint, *etiam hæ-
resis, quod absit, quæ depositione aut privatione di-
gnæ sunt, ab ipso tantùm Summo Pontifice cognoscan-
tur, & terminentur; de minoribus* verò in fine *cit.
cap.* decrevit, ut in *Concilio tantùm provinciali co-
gnoscantur, & terminentur, vel à deputandis per
Concilium provinciale.* Imò & in causis civilibus 29
contra ea, quæ jam antea in hoc *cap. num.* 29. as-
serta sunt, nullam Archi-Episcopo Jurisdictionem
adversùs Suffraganeos, præterquam in casibus, à
Jure expressis, competere, aut saltem eos cogi non
posse, ut coram Archi Episcopo respondeant, præ-
ter alios docet Lotter de *Re benefic. lib.* 1. *q.* 22 *num.*
94. *& seqq.* Hucque inclinat Eminentiss. Petra *Com- 30
ment. Apostol. to.* 1. *pag.*272. *num.*15. *& seqq.* allegans
epistolam Sacræ Congregationis *Episcoporum & Re-
gularium*, Anno 1588. 31. Maii scriptam ad Archi-
Episcopum Regiensem, in qua expressè continetur,
tur, Archi-Episcopum non esse Judicem compe-
tentem in causa civili; ac textus contrarios putat 31
explicandos de recursu in gravaminibus Episcopo-
rum; vel juxta sensum *cap. si Clericus* 46. *XI. quæst.*
1. ibi: *si fuerit negotium ipsius Episcopi, apud arbi-
tros, ex utraque parte electos, audiatur negotium;
si quis verò contra hoc fecerit, Canonum correctioni-
bus subjaceat; & si Clericus adversus suum vel alium
Episcopum habeat causam, apud audientiam Synodi
provinciæ conqueratur.* Fatetur tamen idem Petra 32
*num.*18. non extare Legem, præcisè contrarium dis-
ponentem; imò potiùs antiquam observantiam fave-
re Archi Episcopis, ut illi sint Judices locò Con-
ciliorum provincialium, postquam ferè in desuetu-
dinem abierunt. Admittit quoque in *n.* 20. *& seq.* 33
Vicarios Suffraganeorum, quotiescunque delinquunt
in officio, respiciente authoritatem Archi-Episco-
pi, posse ab hoc puniri.

IV. est jus suspendendi, interdicendi, & excommu- 34
nicandi Suffraganeos per *cap. Romana* 1. *de Offic.
Vic. in* 6. & *cap. venerabiles* 52. *de Sent. excommuni-
cat.* At quia ejusmodi pœnæ & censuræ Ecclesia- 35
sticæ non dictantur, nisi præcedat culpa & delictum;
cognitio verò de delicto Suffraganeorum ex *numer.*
28. ad Archi-Episcopum haud spectat: ideò præ-
tactum jus Archi-Episcopi non aliter in usum de-
ducere poterunt, quàm cum provinciali Concilio,
prout textum in *d. cap. venerabilis* post Emmanue-
lem Gonzalez interpretatur Petra *d. l. pag.* 272. *n.*
16. aut saltem in ea hypothesi, quâ Suffraganeus 36
delinquit in officio & actu, qui spectat ad jus Me-
tropolitanum per ea, quæ tradit D. Petra *d. l. pag.*
273. *n.* 20. *& seq.* aut denique in casu, quô Archi- 37
Episcopus procedit ad declaratoriam censuræ, latæ
ab ipso Jure: hanc enim declarationem etiam con-
tra exemptos fieri posse, satis innuit Card. de Luca de
Jurisdict. disc. 52. *num. ult.*

V. jus invigilandi super residentia Suffraganeo- 38
rum: nam Concil. Trident. *sess.* 23. *de Reformat.
cap.* 1. peculiariter disposuit, *legitimæ absentiæ cau-
sas à Beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropo-
litano, vel, eô absente, Suffraganeo Episcopo an-
tiquiori residente (qui idem Metropolitani absen-
tiam probare debebit) in scriptis esse approban-
das; nisi cùm absentia inciderit propter aliquod
munus & Reipublicæ officium, Episcopatibus ad-
junctum, cujus quoniam causæ sunt notoriæ, & in-
terdum repentinæ, nec easdem quidem significari
Metropolitano necesse erit: ad eundem tamen cum
Concilio Provinciali spectabit, judicare de licentiis,
à se vel à Suffraganeo datis, & videre, ne quis
eô jure abutatur; & ut pœnis canonicis errantes
puniantur.*

VI. jus publicandi & insinuandi Suffraganeis 39
decreta & mandata Apostolica, eô fine, ut illi se
suosque conformare studeant per *cap. dilectus* 30.
in fin. de Simonia.

VII. jus supplendi negligentiam, à Suffraga- 40
neis in administratione sui muneris admissam; de
quo in hoc *cap.* à *numer.* 102. Inter dissentientes,
qui

qui solùm in casibus, Jure speciatim expressis, id concedat, reperitur Paulutius *Jurisprud. Sacra lib.* 2. *tom.* 2. *c.* 14. *sub num.* 5.
41 VIII. jus compellendi Suffraganeos, ut singulis annis Synodum congregent *cap. sicut olim* 25. *de Accusat. in fin.* Oeconomum constituant per *cap. cùm simus* 3. *X. q.* 3. *cap. in nova* 22. *XVI. quaest.* 7. Seminarium erigant. Trid. *sess.* 23. *de Reform. cap.* 18.
42 IX. jus honoris & reverentiae, vi cujus Suffraganei Episcopum invisere, atque in gravioribus difficultatibus eum pro consilio requirere tenentur: qua de causa Innocentius III. acriter redarguit Episcopum Pictaviensem, quòd, ex quo fuerat ordinatus, ne semel quidem Ecclesiam Metropolitanam Burdigalensem visitâsset, ut patet ex *reg.*
43 13. *epistol.* 92. Verumtamen *cit.* Concil. Trid. *sess.* 24. *de Reform. cap.* 2. inhibuit, ne *Episcopi comprovinciales praetextu cujuscunque consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam imposterum accedere inviti*
44 *compellantur.* Quam inhibitionem etiam respectu procuratoris, qui Episcoporum vice deberet comparere, locum habere, censuit Sacra Congregatio Concilii, cujus resolutionem Sanctissimus approba-
45 vit. Petra *d. tom.* 1. *pag.* 482. *num.* 129. Quia verò Concilium solummodò loquitur de compulsione, & accessu invitò, non videtur esse prohibita vocatio amicabilis, ad quam ex benevolentia & humanitate Suffraganei Metropolitanum accedunt, uti eadem S. Congregatio 4. Martii 1697. declaravit apud eundem Petram *pag.* 484. *numer.* 134. *& seqq.*
46 X. est jus convocandi Concilium provinciale, quod est unum ex praecipuis, in quo Metropolitani praeeminentia conspicitur, utpote qui est Ca-
47 put, Praeses, & Director totius Concilii. Convocatur autem, ut dicit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *de Ref. cap.* 2. *pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex Sacris Canonibus permissis*, de quibus in *cap. propter Ecclesiasticos* 4. *& seqq.* 101. *Dist.* 18. *cap. si-*
48 *cut olim* 25. *de Accusat.* Et quidem antiquioribus temporibus quôlibet annô Metropolitanus debebat Concilium bis coogregare *d. cap. propter Ecclesiasticos* 4. deinde, cùm propter locorum distantiam, & itineris molestiam id nimiùm videretur incommodum, semel in anno jubebatur *c. quoniam* 7. *d. Dist.* 18. *d. c. sicut olim* 25. demum in *cit.* Concil. Trid. ordinatum est, ut *quôlibet saltem trienniô, post octavam Paschae Resurrectionis Domini nostri JESU Christi, seu alio commodiori tempore pro more provinciae* Sy-
49 nodus cogatur. Ubi verò Metropolitanus est legitimè impeditus, non ipsius Vicarius Generalis, sed Suffraganeus seu Coëpiscopus antiquior Concilium indicit, uti Trident. *d. cap.* 2. *sess.* 24. clarè
50 disponit. Vocantur ad hoc omnes Episcopi Suffraganei, etiamsi consecrati non fuerint; cùm etiam, qui tantùm confirmati sunt, votô decisivô gau-
51 deant. Barbosa ad *cit. Concil. cap.* 2. *num.* 6. Sede tamen Episcopali vacante, vocatur Capitulum Cathedrale, & comparet per Vicarium Generalem Capitularem, speciali mandatô instructum; cui etiam competit votum decisivum, licèt aliàs, quando Sedes non vacat, vocari quidem soleat, sed cum solo voto consultivo per deputatum comparere possit. Eminentiss. Petra *tom.* 1. *pag.* 471. *numer.* 35. *& pag.* 472. *num.* 37. Prolixè Fagnanus ad *cap. etsi membra* 10. seu ult. *de his, qua fiunt à Praelat.*
52 *sine consensu Capituli. num.* 41. *& seqq.* Vocantur & alii juxta saepe *cit.* Trident. *qui de Jure vel consuetudine interesse debent*; quales sunt, qui Jurisdictionem quasi-Episcopalem habent intra provinciam, uti Abbates exempti, populum habentes, dicti alto-

goin *nullius.* Petra *d. pag.* 470. *num.* 28. *& seq.* ubi subdit, quòd teneantur & isti eligere Metropolitanum, ad cujus provinciale Concilium accedant, adinstar Episcoporum exemptorum, de quibus mox, *arg. cit. Concil. sess.* 24. *de Refor. cap.* 9. 53
Quales etiam sunt simplices Presbyteri vel Diaconi, si ex speciali privilegio Apostolico jus habeant dandi Suffragium, ut evenisse sub Symmacho Pa- 54
pa, dicit *cit.* Petra *pag.* 472. *num.* 40. Nihil dicendô de aliis, qui, sive Clerici sive Laici fuerint, ex causa gravaminis ad Concilium accedere valent 55
per *cap. propter Ecclesiasticos* 4. *Dist.* 18. Vocantur praetereà Episcopi exempti, qui nulli Archi-Episcopo subjiciuntur: *tenentur* siquidem ex dispositione *cit.* Trid. *cap.* 2. *aliquem vicinum Metropolitanum semel eligere, vi cujus provinciali Synodo* deinceps *interesse debeant, & , quae ibi ordinata fuerint, observent, ac observari faciant; in reliquis tamen omnibus eorum exemptio & privilegia salva atque integra maneant.* 56
Quòd si Episcopi, legitimè vocati, compareant, praesidente Archi-Episcopô ceu Capite, ordinem sedendi juxta tempus ordinationis suae capiunt *cap. ult. Dist.* 17. *cap. placuit* 1. *Dist.* 18. non attentô, utrùm ex illis quidam exempti sint, nec ne, nisi quoad tempus ordinationis parci so ent, sicuti à Gregorio XIII. declaratum refert *cit.* Petra *pag.* 475. *num.* 61. apud quem plura de Concilio Provinciali videri & legi poterunt. 57
Quoad subditos Suffraganeorum habet Archi-Episcopus I. jus visitandi totam provinciam, *Suffraganeos & eorum subditos, Cathedralium & aliarum Ecclesiarum Capitula, & Monasteria, Ecclesias & alia religiosa & pia loca, Cleros & populos, ac procurationes à locis visitatis recipiendi.* Textus in *cap. Romana* 1. §. *deinde licet de Censib. in* 6. Quamquam 58
in Concil. Trident. *d. sess.* 24. *de Reformat. cap.* 3. its jus visitandi fuerit limitatum, ut à *Metropolitanis, etiam post plenè visitatam propriam dioecesin, non visitentur Cathedrales Ecclesia, neque Dioeceses suorum Comprovincialium, nisi causâ cognitâ, & probatâ in Concilio Provinciali.* 59
II. jus *notoria crimina, qua examinatione non egeant (cùm super his meritò notari possit Ordinariorum negligentia eorundem) liberè corrigendi, poenam pro illis debitam infligendô*, ut dicit textus in *cit. cap. Romana* 1. §. *fanè hujusmodi &c.* quam potestatem Archi-Episcopus solummodò exercet tempore visitationis, uti colligitur ex *eod. cap.* & notat Ventriglia in *praxi annotat.* 49. *p.* 1. §. *un. sub numer.* 21. 60
III. jus, dum visitat, audiendi confessiones subditorum Suffraganeorum, absolvendi confitentes, & ipsis poenitentias injungendi salutares, *cap. ult. d.* 6. *de Censib. in* 6. 61
IV. jus, vi cujus, sicut loquitur Innocentius IV. de Archi-Episcopo Remensi in *cap. Romana* 1. *de Poenis in* 6. licet ipsi, suam provinciam visitanti, *eos, qui tunc sibi, vel sua familia, aut alii, quos propter hoc per eandem provinciam dirigit, & etiam, quando Concilium convocat, eos, qui nuntiis suis, quos pro illo vel aliàs per provinciam ipsam suâ debitâ Jurisdictione utendô transmittit, injuriare prasumunt, si hac occasione sua in his impediatur Jurisdictio, pro injuria hujusmodi (dummodò existat notoria) propriâ auctoritate punire. Sibi etiam & Metropolitanis aliis in suis provinciis (dum sic in illis Jurisdictionem exercent) puniendi manifestas & notorias offensas, tunc eisdem illatas, vel suis (etiamsi exinde impediri Jurisdictionem hujusmodi non contingat) libera sit facultas.* 62

V.

V. jus relegandi ea tota sua provincia delinquentes in diœcesi, ad Metropolitanum pertinente *arg. cap. non finè 2. de Arbitr.* & ibi Barbosa *n. 4.*

64 VI. jus mittendi quæstores eleemosynarum per totam provinciam pro restauranda fabrica Ecclesiæ Metropolitanæ. *cap. Romana 2. de Pœnit. & Remission. in 6.*

65 VII. jus aliquibus justa ex causa interdicendi prædicationis officium per totam provinciam per *cap. suarum 11. de Privileg.* Engel ad *tit. de Major. & obed. sub n. 32.*

66 VIII. jus cognoscendi de omnibus causis subditorum in tota provincia, quandò per viam appellationis devolvuntur ad Metropolitanum *cap. pastoralis 11. de Offic. Ordin. cap. Romana 1. de Foro compet. in 6. cap. Romana 3. de Appellat. eôd. in 6.*

67 IX. jus concedendi indulgentias per totam provinciam, etiam extra actum visitationis, dummodò statutum Generalis Concilii non excedatur *cap. nostro 15. de Pœnitent. & Remission. cap. Romana 1. eôd. in 6.*

QUÆSTIO III.

Quænam sit authoritas & potestas Legatorum Sedis Apostolicæ?

68 Data est sufficiens explanatio in hoc *cap. à num.* 42. Quibus cum jungi possunt, si libuerit, quæ ad propositum tradidit Eminentiss. Petra in *Comment. ad Constit. Apostol. tom. 2. à pag. 80. sect. 2. a. & 3.* Addere quoque non pigebit, quæ in *Jurisprud. Publ. univers. lib. 4. cap. 4.* de Legatorum juribus & immunitatibus in genere fuerunt discussa: quin enim omnes eorum prærogativæ Sedis Apostolicæ Legatis ex æquo competant, eò minùs ambigo, quò notius est, quòd Summus Pontifex non tantùm Supremum Caput sit Orbis Christiani in spiritualibus; sed etiam Principis Supremi personam in suo territorio quoad temporalia referat.

QUÆSTIO IV.

Qualem authoritatem & potestatem habeant S. R. E. Cardinales?

69 Ultra hoc, quod de S. R. E. Cardinalibus in
compendio constrinximus in *præf. cap. à num. 72.*
de illorum origine notandum I. juxta Bullam Eugenii IV. quæ incipit: *non mediocri* datam Annô
1439. Cardinales à tempore primi omnium Pontificis S. Petri natales suos deducere: nam, ut dicit
ibid. Eugenius, *etsi hujus dignitatis nomen, quod
modò in usu est, ab initio primitivæ Ecclesiæ non ita
expressum fuit, officium tamen ipsum à B. Petro ejus-
70 que successoribus institutum evidenter invenies.* Imò,
ut inquit Innocentius III. (nempe in *cap. per venerabilem 13. Qui filii sint legit.*) *ex veteri testamento
jussu DEI traxit originem: asserit enim, id, quod
Deut. 17. dicitur, ut pro difficultate & ambiguitate
judicii accedatur ad Sacerdotes Levitici generis, &
Judicem, qui fuerit illo tempore, & obediatur ipsorum judicio, qui præsunt loco, quem Dominus elegerit,
de Summo Pontifice intelligendum esse, & fratribus
ejus, id est, S. R. E. Cardinalibus, qui ei Jure Levitico
in executione Sacerdotalis officii Coadjutores existunt.
Itaque & ab exordio Ecclesiæ, sicut & hodie, Summis
Pontificibus in regenda gubernandaque universali Ec-
71 clesia assistebant. Et, ut ex Concilio D. Stephani colligitur dicentis: oportebat, ut hæc sacrosancta Domina
Romana Ecclesia, juxta quod à B. Petro & ejus successoribus institutum est, ritè ordinaretur, & in Apostolatûs culmine unus de Cardinalibus Presbyteris aut Diaconis consecraretur, datur manifestè intelligi, hos fratres nostros, qui inter Cardinales collocantur, tempore
B. Petri extitisse. In confinio autem Nicæni Concilii B. 72
Sylvester, qui cœpit Ecclesiam regere anno Incarnationis Dominicæ 330. vel circiter, in Synodo generali congregatis præsidens, hos Coadjutores suos nuncupavit
Cardinales, & magnô admodùm privilegiô insignivit,
quale nullus Patriarcharum, Archi-Episcoporum, &
Episcoporum in canonibus habere reperitur, ut videlicet
sine plurima testium multitudine damnari non debeant.*

Notandum II. causam, ob quam Cardinales Epis- 73
copis præferuntur, ab Eugenio IV. in *cit.* Bulla hanc
præcipuè assignari: quia, licèt Episcopi Cardinalibus quoad potestatem Ordinis præponderent, attamen Cardinales quoad dignitatem, officium, & Jurisdictionem Episcopis potiores sunt: Episcopi namque & Archi-Episcopi privatæ unius patriæ utilitati præsunt; Cardinales publicæ totius populi Christiani: illi unam duntaxat regunt Ecclesiam; isti cum
Sede Apostolica universas: *&, cùm à nemine, nisi
solô Papa, judicentur Cardinales, ipsi & Patriarchas,
& Archi-Episcopos, & alios Ecclesiæ gradus, cum
Summo Pontifice, judicant: quorum officio nomen ipsum
consonat quàm optimè: nam, sicut super cardinem volvitur ostium domûs, ita super hoc Sedes Apostolica,
totius Ecclesiæ ostium, quiescit & sustentatur. Unde 74
notissimus ille Constantinus Imperator, animadvertens,
ad quam magnum & publicum universalis Ecclesiæ
officium vocati essent, sic, inquit, volumus, hujus Ordinis Reverendissimos Clericos, S. R. E. servientes, singulos habere illud sanctum culmen potentiæ, & excellentiæ, cujus Sanctissimus noster Senatus videtur
gloriâ adornari, id est, Patritios Consules fieri, quos
certè Patritios Consules secundùm leges, ut in summa
dignitate constitutos, Imperator Patres sibi elegit, &
locô Patrum à se honorari affirmat. Ipsos prætereà Car- 75
dinales pro honoris ac dignitatis eminentia partem sui
corporis Summi Pontifices appellant: ex quo sine ulla
dubitatione ostenditur, post caput Ecclesiæ, quod est
Papa, contigua sui corporis membra, qui sunt fratres
ejus Cardinales, præ cæteris Ecclesiæ partibus & membris honorari debere, adeò quidem, ut Sacris Canonibus
sancitum sit, eos, qui in Cardinales manus injecerint
violentas, aut fugârint, aut insecuti fuerint, seu ad hoc
dederint consilium, vel favorem, criminis læsæ Majestatis reos maximis & multiplicibus pœnis esse plectendos, ac si ipsi Apostolici throni violâssent Majestatem;
quod in ipsos, qui Patriarchas, Archi-Episcopos, vel
Episcopos offenderint, statutum minimè reperitur: ut
evidenter hinc liqueat, tantò ampliorem censeri dignitatem, quantò plures severioresque illam offendentibus
infliguntur pœnæ.* Vid. Eminentiss. Petra in *Comment.
ad hanc Const. to. 4. pag. 528. & seqq.* Eam ob causam in 76
Capella Pontificia non mediocre discrimen intervenit
inter Cardinales & Episcopos: Cardinales siquidem
instar Canonicorum in Cathedrali sedent in sedibus
coopertis cum appodio; Episcopi sine appodio: illi
osculantur manus Papæ, nec genuflectunt, sed tantùm
se profundè inclinant; isti genuflexi osculantur genua, & in Camera etiam pedes: illi in Camera loquuntur cum Papa sedentes in scabello cum appodio, cooperti biretô; isti priùs genuflectentes, deinde à tempore Clementis X. adstantes & detecto capite loquuntur. Petra *tom. 2. pag. 154. n. 41. & pag. seq. n. 54.
& seq.* ubi disserit de Regiis Cardinalium honoribus,
quos Pius II. creandô dicebat: *Vos Senatores Urbis,
& Regum similes estis.*

Notandum III. quoad creationem Cardinalium 77
præfatum Eugenium IV. in alia constitutione, quæ
incipit *in eminenti*, editâ 7. Calend. Novembr. Anno 1431. decrevisse, per creationem seu pronuntiationem Cardinalium, in secreto Consistorio fa-

ctam, seu imposterum faciendam, alicui sic in
Cardinalem pronunciato vel pronuntiando, licèt
per eum ad Cardinalatûs initium dispositus videa-
tur, nullum jus seu titulum re aut nomine acquisi-
tum fuisse, aut acquiri potuisse hactenùs, vel de-
bere seu posse quomodolibet in futurum, donec
& quousque in Romana Curia præsenti Cardina-
latûs insignia, videlicèt per Capelli rubei traditio-
nem, aut Tituli assignationem, annulique juxta
morem consuetum in digito immissionem, absen-
ti verò ab eadem Curia per hujusmodi Capelli mis-
sionem, realiter sint *impensa, aut saltem in gene-
rali Consistorio*; neque *in electione Romani Pontifi-
cis vocem activam aut aliquo actu habuisse, vel ha-
bere potuisse, aut debuisse, sive posse vel debere, do-
nec ei os fuerit apertum*, id est licentia votandi da-
78 ta. Verùm (verba sunt Eminentiss. D. Cardinalis
Petræ in *Comment. ad cit. Constit. to. 4. pag.* 481.
num. 6.) quidquid » sit de prisco pronuntiationis
» Cardinalium more, nostris temporibus Summus
» Pontifex in actu ipso promotionis perfectè & ex
» sui parte Cardinales creare intendit, nihil curatâ
» nostræ Eugenianæ dispositione; adeò ut optimè
» dixerit Card. de Luca in *Relat. Rom. Cur. disc.* 5.
» *num.* 21. quòd oris apertio, juramenti præstatio,
» aliaque traditionis, in signum solennia sint meræ cæ-
» remoniæ, quæ non percutiunt substantiam, vel
» perfectionem actûs, quoniam secutâ promotione,
» ut supra, illi sunt veri ac perfecti Cardinales, adeò-
» que (quidquid aliàs dubitatum fuit) votum ha-
» bent in conclavi in electione Pontificis, omnesque
» alias Cardinalitias jurisdictiones, & præeminen-
» tias, ut moderna praxis docuit &c. quod etiam
» expressè colligitur ex decreto Pii V. die 26. Ja-
» nuarii 1571. Ita idem Petra. Quô verò tempore
79 Cardinales vestes coccineas seu purpureas induere
cœperint, inter DD. non convenit; illud verò,
teste *cit.* Eminentiss. Petra *pag.* 486. *sub num.* 21.
in comperto est, ab Innocentio IV. in generali
Concilio Lugdunensi duodecim tunc creatis Car-
dinalibus pileum seu galerum rubrum, velut ejus
Ordinis proprium insigne, concessum; atque à Pau-
lo II. publicô decretô capitium, seu pileolum ru-
80 brum, fuisse indultum. Addit idem Author *num.*
22. Regularibus, ad Cardinalatum evectis, eandem
formam habitûs cum cæteris Cardinalibus conveni-
re, servatô tamen colore regularis professionis; id-
que etiam quoad biretum & capellum usque ad Gre-
gorium XIV. obtinuisse, qui deinde ordinavit, ut
etiam Cardinales ex Ordinibus Regularibus bire-
81 tum & capellum rubrum portarent. Quæ verò so-
lennitates in creatione Cardinalium ulteriùs adhi-
beantur, apud eundem D. Petram *d. l. pag.* 482.
& seqq. conspici poterit, simulque notari differen-
tia inter Cardinales, qui Romæ præsentes sunt, &
alios, in absentia creatos: illis namque S. Pontifex
statim pileum & biretum imponit; istis autem per
aliquem ex suis familiaribus biretum duntaxat mittit,
pileumque reservat, usque dum ad Urbem veniant;
præterquàm si ea Imperiali vel Regali aliqua fami-
lia Cardinales creentur.

CAPUT V.

Post Jurisdictionem Subalternam Ecclesiasticam, non pigebit contemplari Sæcularem, si Jura, quæ Statibus & Proceribus Imperii Romano-Germanici, tum Ecclesiasticis tum Sæcularibus, competunt, intelligere allubescat.

SECTIO I.

De Etymologia, Descriptione, & Origine Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis.

SUMMARIA.

1. *& seq. Explicatur nomen Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis.* 3. *Assignantur synonyma* 4. *& seqq. Non est idem cum Regalibus.* 9. *& seqq. Neque coincidit cum Jurisdictione criminali.* 12. *& seqq. Definitiones variæ addensantur.* 16. *Definitur pro jure gubernandi territorium accepta.* 17. *& seq. Est summa post Imperatorem Potestas.* 19. *Cum prærogativis Regalibus.* 20. *Pro certo territorio.* 21. *Immediatè concessa.* 22. *Definitur pro facultate jus dicendi accepta.* 23. *& seqq. Explanatur.* 27. *Diversa placita de illius origine.* 28. *Conciliantur.* 29. *& seqq. Notantur Censores.*

§. I.

Etymologia Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis.

JUrisdictio *Subalterna Sæcularis* deducitur ex eo, 1
quòd Summam Jurisdictionem Sæcularem, quam
penes Imperatorem in Imperio Romano-Germani-
co residere, diximus in *c.* 3. *à n.* 61. in multis par-
ticipet, servatâ tamen subordinatione, subalterna-
tione, & dependentiâ. Ea namque Summæ Jurisdi- 2
ctionis Sæcularis est natura, ut, pluries licèt & plu-
ribus communicata, maneat tamen Summa; nec con-
sumatur, sed conservetur hôc ipsô, quòd illi, qui
accipiunt, Summi Principis beneficio eam in acce-
ptis referre & velint & debeant quàm maximè:
quódve ad modum fluminis ita per investituras tran-
seat participativè ad alios, ut per appellationes rur-
sus ad se ipsam revertatur.

Habet varia synonyma, è quibus aliqua sunt cer- 3
ta; quædam ambigua. Certa sunt *Superioritas Re-
galis*, *Jus Statuum Imperii Regium*, *Analoga Maje-
stas*, *Jus principatûs*, *Jurisdictio* seu *Superioritas Ter-
ritorialis*. Germanicè *die Lands-fürstl. Obrigkeit*,
die hohe Lands-Obrigkeit, *die Lands-Ober-Herr-
lichkeit* R. I. de anno 1548. §. *wiewol auch* 66.
Knipschildt de *Nobilit. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 9. *& seq.* Chri-
stophorus Mingius de *Superiorit. Territor. cap.* 1. *n.* 5.
Vitriarius *Inst. Jur. Publ. lib.* 3. *tit.* 15. *n.* 2. Pfeffinger
in *not. ibid.*

Dubium autem est I. an Jurisdictio Subalterna & 4
Territorialis idem sit, quod Regalia *die Herrlich-
keiten*? Et licèt nonnulli sic putent, ac teste Sixti-
nô de *Regal. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 18. in usu loquendi hæc
duo sæpe confundantur; communissima tamē sentētia
est,

5 est, quòd non sit idem. Nam omnis quidem Jurisdictio Territorialis jura Regalium sibi connexa & cognata habet; nec tamen omnis, qui jura Regalium possidet, simul Jurisdictionem Territorialem obtinet : nec bona est illatio à Regalibus ad Jurisdictionem; bona autem à Jurisdictione ad Regalia: Mingius cit. l. n. 12. D. Antonius Guilielmus Ertl
6 de *Jurisdict. Territor. appar.* 2. *pag.* 25. Differunt autem principaliter & I. ratione *subjecti*: quia Jurisdictio Territorialis solis Immediatis Imperii Civibus; Regalia etiam mediatis competunt. II. ratione
7 *objecti* : quia Jurisdictio Territorialis virtualiter & regulariter continet Regalia; etsi hæc illam non
8 comprehendunt. III. ratione *modi*, seu causæ efficientis : nam Jurisdictio ex dicendis à solo Imperatore & Imperio; Regalia etiam ab aliis conceduntur. D. Ertl *ubi supra.*

9 Dubium est II. an pro synonymis habenda sint *ly Landsfürstl. oder Lands-Obrigkeit*; & *ly Hohe Obrigkeit*? Videntur siquidem à pluribus sine formidine pro synonymis passim usurpari : & tamen, si strictè & propriè velimus, ut debemus, loqui, multum
10 discrepant. Nam *ly Hohe Obrigkeit* ex sua significatione non Superioritatem Territorii, uti *ly Landsfürstl. oder Lands-Obrigkeit*, denotat, sed Jurisdictionem *Altam* seu *Criminalem*, quæ à Jurisdictione Territoriali *von der Landsfürstl.* & *Lands-Obrigkeit* ex notoria Imperii praxi, sæpenumerò distincta, & separata est. Videantur Wehnerus *obs. pract. verb. Zemb.* Speid. *eod. verb.* Besold. *verb. Hals Gericht & verb. Hohe Obrigkeit.* Dietherus in *addit. ib.* Lundenspòr de *Imperior. orig. cap.* 30. *n.* 29. *in fin.*

Vix tamen ex relatis synonymis usitatius est vo-
11 cabulum pro exprimenda Jurisdictione Subalterna, quàm *Jurisdictio* seu *Superioritas Territorialis*, a Territorio seu ditione vel districtu, vulgò *eine Landschafft oder Weich Bild* denominata : quia videlicèt universitatem quandam jurium intra fines & limites sui ambitus complectitur. D. Ertl *cit. loc. appar.* 1. *pag.* 6. & 7. cum *citatis*. Et hinc sine discrimine jam unô jam alterô vocabulô utemur.

§. II.

Definitio Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis.

12 Definitur Jurisdictio Sæcolaris Subalterna seu Territorialis diversimodè. Knipschildt de *Nobilit. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 41. sic definit : est jus & potestas Summi post Imperatorem Imperii & Dominatûs, sublimi regiàque Jurisdictionis lege, sub nomine & qualitate *der Lands-Hoben Obrigkeit*, concessa, & legitimè quæsita, regulariter in omnes, Territorio inclusos, ordinario & proprio more competens.

13 Lymnæus apud Pfeffingerum in *not.* ad Vitriarium *ubi supra n.* 4. *l. a.* ita definit : » Superioritas » Territorialis est jus Summi post Imperatorem Imperii, eique connexorum Regalium, in omnes Territorii subditos, Supremi ex concessione Principis » quæsitum, aut usu longævô obtentum.

Coccejus *Jurisprud. Publ. cap.* 21. §. 7. sequentibus
14 terminis : » est Summa quædam Potestas, certo Territorio cum juribus Regalibus, salvô jure Imperii, » immediatè competens.

15 Vitriarius *cit. lib.* 3. *tit.* 15. *n.* 5. hâc ratione definit : » est Potestas, Statibus Imperii, in suis Territoriis » competens ubique, nisi quatenùs vel Lege vel » consuetudine prohibentur.

16 Ego Jurisdictionem Subalternam seu Territorialem dupliciter accipere soleo; primò pro jure gubernandi Territorium; secundò pro facultate jus dicendi. In acceptione priori sic definio; quòd sit Summa, post Imperatorem, Potestas, cum prærogativis Regalibus, pro certo Territorio immediatè concessa.

Dixi I. *Summa, post Imperatorem, Potestas.* Ut 17
ostenderem imprimis, Jurisdictionem Subalternam, seu Territorialem, non ferre quidem aliquem Superiorem in suo Territorio, quæ sit ejusdem rationis & ordinis; non tamen excludere Majestatem & Suprematum Imperatoris, cui subordinata, ac in tantum est subjecta, ut & ab eo per investituram petenda, &, si quis illâ abutatur, ab Imperatore reformanda vel adimenda sit. Mingius de *Superiorit. Territor. cap.* 2.
n. 24. Ut ostenderem deinde, scaturiginem vulgatissimi broeardici, quòd Status quilibet Imperii tantum in suo possit Territorio, quantum Imperator in totô Imperio, profluere ex Summa, post Imperatorem, Potestate, seu Jurisdictione, quam Status Imperii, salvô Imperatoris & Imperii jure, suis in Territoriis acceperunt. 18

Dixi II. *cum prærogativis Regalibus.* Velut enim 19
in n. 5. præmissum est, Jurisdictio Territorialis virtualiter includit Regalia, hoc est, prærogativas illas, quæ Regibus aliàs propriæ sunt, ac enumerantur in *tit.* 56. *Feud.* 2. Sicque pro eo, qui Jurisdictionem Territorialem habet, stat præsumptio, quòd etiam habeat Regalia per text. in *tit.* 14. *in pr. Feud.* 1. Knipschildt *cit. c.* 1. *n.* 32. & *seq.* D. Michaël Münchmayr *Juris publ. cap.* 22. *pag.* 602.

Dixi III. *pro certo Territorio.* Jurisdictio Terri- 20
torialis enim, uti ex *n.* 11. à Territorio nominata, ita juxta D. Ertl de *Superiorit. Territor. appar.* 1. *p.* 8. ex Territorio, tanquàm effectus ex sua causa, suborta, nec absque Territorio, seu magno, seu parvo, potest existere, ut cum communi docent Knipschildt *d. l. num.* 19. & *seq.* Mingius *cit. cap.* 1. *num.* 10. Münchmayr *cit. cap.* 22. *pag.* 603. nec extra Territorium extendi : quia limites Territorii dicuntur fines Jurisdictionis.

Dixi IV. *immediatè concessa.* Ex quo infertur, 21
quòd nemo alius Superioritatem (exceptô Imperatore) ibi habeat, ubi habetur Jurisdictio Territorialis : qui enim alium, quàm Imperatorem, in suo solo & districtu Superiorem agnoscit, non ipse Dominus Territorialis Jurisdictionis, sed alterius Domini Territorialis Landsassius erit; etiamsi merum & mixtum Imperium ac simplicem Jurisdictionem habeat : quippe cùm hæ species Jurisdictionis censeantur quidem in dubio cohærere Jurisdictioni Territoriali, absolutè tamen sine illa consistere possint.

Quòd si Jurisdictionem Territorialem ad sensum 22
Romani Juris in altera acceptione sumere placeat, definiri potest, quòd sit eminentior aliqua ac Summa, post Imperatorem, Potestas, jus politicum pro certo Territorio dicendi.

Dixi : *eminentior aliqua ac Summa potestas.* Cujus 23
indolem, ex judicio & discursu D. Joannis de Felde infra citandô locô, addiscere possumus, si, quam Prætores in libera Republica Romana, vi suæ Regiæ Jurisdictionis, Potestatem habuerunt, cum illa Jurisdictione Territoriali conferamus. Primò enim, ut in libera Republica Prætores erant custodes Legum, vimque his & edicta addebant, ut servarentur : ita Proceres Imperii, qui Jurisdictione Territoriali gaudent, custodes sunt Legum, tam Juris Romani privati, quàm Juris publici Romano-Germani-
ci; nec non & Juris provincialis statutarii. Secun- 24
dò : quemadmodùm Prætores Legibus, quæ Reipublicæ ampliùs conducere non videbantur, Jura nova suis edictis initiô Magistratûs in albo substituebant : sic hodie Status Imperii, quibus Jus Commune non æquè commodè videtur inservire, suum Jus Provinciale subditis præscribunt. Tertiò : sicut 25

Prætores suos habebant Consiliarios & Judices pedaneos, illos pro Legum interpretatione & decretis faciendis; istos verò pro Legibus & decretis applicandis: ita & multò magis Magnates Imperii habent suos Consiliarios, & officiales; nec Judices tantùm pedaneos, sed & Ordinarios constituunt, pro
26 jure statuendo, dicendo, reddendoque. Quartò: veluti Prætores credebantur, Jurisdictionem suô jure, suisque auspiciis habere & exercere: sic & longè fortiùs hodierna & immediata Imperii membra suam Jurisdictionem jure propriô, ac vi Territorii, cujus sunt Domini, exercent. Joannes de Felde in *Commentar. de Act. Real. cap. 11. §. 15.*

§. III.

Origo Jurisdictionis Subalterna Saecularis.

27 Originem Jurisdictionis Subalternæ, seu Territorialis, Imperatorum Clementiæ tribuendam esse, Germani & exteri Scriptores unitim attestantur. Quisnam verò primus ex Imperatoribus fuerit, qui tantam præeminentiam primitus indulserit? In tanta opinionum varietate certi vix aliquid definiri potest.
28 Verosimilior videtur illorum sententia, qui Jurisdictionem Territorialem non unô impêtu & partu invaluisse, sed pedetentim ac tractu temporis per modum alluvionis succrevisse, tradunt: ita quidem, ut sub ævum Caroli Magni prima illius semina jacta; sub tempora Ottonum firmiores radices actæ; sub ætatem Caroli IV. robur superadditum; ac ultima denique perfectio virtute Pacis Westphalicæ fuerit adjecta, prout sentiunt Lundenspór de *Imperior. orig. cap. 30. n. 56. & seq.* D. Ertl de *Superiorit. appar. 1. pag. 18. & seqq.*

29 Equidem Severinus de Monzambano (quem plerique volunt fuisse Samuelem Pufendorf) & nonnulli rerum Germanarum rigidiores censores exprobrant nostris Imperatoribus, quòd authoritatem, potentiam, & vires suas multùm diminuerint, mutilaverint, suppresserint, integros Ducatus, Comitatus, Territoria, cum tanta Jurisdictionis & Privile-
30 giorum magnitudine, concedendô. Verùm Authores, mox nominati, & plures alii causas sat prægnantes afferunt, hujusmodi concessionem contra obtrectatorum linguas obfirmantes. Inprimis enim Germanorum libertas nunquam adeò constringi potuit, ut, aliarum Nationum instar, in servitutem quasi se redigi passa fuerit; eâque ratione usque & usque Primores Germaniæ dominatum aliquem & Jurisdictionem eminentiorem quæsierunt. Deinde
31 Imperatores voluerunt eorum, qui in officiis Togæ & Sagi suam strenuè locaverant ac probaverant operam, sublimioribus beneficiis honorare. Insuper crediderunt, bono, utilitati, ac securitati
32 Imperii certiùs prospectum iri, si illius Proceres commissas sibi ad regendum terras & provincias, non tantùm precariò & administrationis titulô, sed etiam proprietatis ac hæreditariô jure gubernare possent: plerumque enim, quæ nostra sunt, ar-
33 dentiùs amamus, & solertiùs defendimus. Postremò, potiùs ad incrementum quàm decrementum Imperialis gloriæ videbatur cedere, non servis, sed ingenuis; nec ministris tantùm, sed & Principibus ac Regibus dominari & imperare posse, veluti Carolus V. sæpiùs dictitâsse fertur: quia eò major est præeminentia, quò majoribus quis supereminet. *Nov. 15. in fine præfat.*

SECTIO II.

De Acquisitione & Subjecto Jurisdictionis Subalternæ Saecularis.

SUMMARIA.

34. *Jurisdictio Subalterna Saecularis acquiritur concessione Imperatoris.* 35. *& seq. Per investituram;* aut 37. *Cooptationem in numerum Statuum declaratâ.* 38. *Acquiritur præscriptione.* 39. *Item spontaneâ subjectione.* 40. *Et conventione.* 41. *Soli cives Immediati sunt capaces hujus Jurisdictionis.* 42. *In specie Electores.* 43. *Principes.* 44. *Liberæ Civitates.* 45. *Prælati Ecclesiastici.* 46. *& seqq. Non obstante aliorum crisi.* 50. *& seqq. Nec non Immediati Nobiles Imperii.* 54. *Indicatur subjectum reale.* 55. *& seqq. Exercetur in illos, qui sunt in & de Territorio.* 59. *& seq. Nempe subditos & Landsassios.* 61. *Item suo modô in res ipsorum.*

§. I.

De Acquisitione Jurisdictionis Subalterna Saecularis.

JUrisdictio Subalterna Sæcularis acquiritur I. con- 34
cessione Summi Principis seu Imperatoris. Quemadmodùm enim Imperator est immensus ille totius Jurisdictionis Oceanus; ita Jurisdictio Territorialis in Status & Magnates Imperii non aliunde, quàm ex Oceano Cæsareo derivatur; nec ab alio, quantumcunque præemineat, originaliter emanare potest. Knipschildt *d. lib. 3. cap. 1. num.* 44. Mingius de *Superiorit. Territ. cap. 1. n. 10.* D. Ertl de *Superiorit. Territor. appart. 1. pag. 12.* Concedit autem Im- 35
perator Jurisdictionem Territorialem dupliciter; primò per investituram de Territorio, Principatu, Comitatu, Baronatu &c. cui Jurisdictio Territorialis est annexa. Mingius *cit. l. n. 10. & seqq.* Res enim eô videtur modô per investituram infeudari, quô modô constituta vel instructa noscitur per *cap. ex literis 7. ℣. non exceptô jure &c. cap. cùm sæculum 13. ℣. ratione feudorum emptorum &c. de Jure Patronat. cap. accessorium 42. de R. J. in 6. l. omnia 1. §. 4. ff. de Off. Præf. Urbi l. pupillus 239. §. 8. ff. de V. S.* Covarruv. *pract. qq. cap. 1. n. 10. §. nona conclusio.* Idque 36
potissimùm in contractibus bonæ fidei per *l. Julianus 13. §. 10. ff. de Act. empti l. quod si nolit 31. §. 10. l. ædiles 38. in pr. ff. de Ædil. ed.* quibus ex probabili meâque sententia feudum accensetur. Secundò per 37
cooptationem & relationem alicujus in numerum Statuum Imperii. Wehner *pract. observat. verb.* Landsfürstliche Obrigkeit *pag. m. 461.* Knipschildt de *Nobilit. lib. 3. cap. 1. n. 85.* Mingius *ubi supra num. 15.* Enim verò, qui nobilissimo Statuum Imperii cœtui est incorporatus, est Immediatus Imperii subditus; consequenter Summam post Imperatorem Jurisdictionem obtinet, nullique, quàm Imperatori quà tali, subjacet.

II. Acquiritur Superioritas & Jurisdictio Terri- 38
torialis præscriptione, veluti tacitâ Summi Principis concessione, &, ubi memoriam hominum excedit, privilegiô æquivalente, per ea, quæ superiùs in *tr. 2. cap. 4. à n. 43.* probata fuêre. Knipschildt *cit. l. n. 56. & seq.* Mingius *d. l. n. 26.* Quoad tempora Præscriptionis refero me ad *cit. tr. cap. 5. à n. 553.*

III. Acquiritur eadem Jurisdictio spontaneâ 39
subjectione illius, qui cæteroquin aut subjectus non esset, aut non eâ subjectione, quam Superioritas

Terri-

Territorialis efflagitat; dummodò non vergat in præjudicium alterius, similem Jurisdictionis speciem habentis. Mingius d.l.n.27. Knipschildt n.59. & alii, ab his citati.

40 IV. Acquiritur conventione, quando v. g. castrum, oppidum, pagus &c. cui Jurisdictio Territorialis aliunde cohæret, venditur. Knipschildt d. l. n. 60. Sicut enim ex n. 35. per investituram Jurisdictio, tanquam accessorium, transit cum fundo feudali; sic etiam per conventionem, secutâ traditione, transit, Gail. lib. 2. observ. 92. n. 9. Lauterbach ad tit. ff. de Act. empti. §. 28. Stryck in usu mod. ib. §. 10. Rota Rom. in rec. p. 6. dec. 164. n. 18.

§. II.

De Subjecto activo Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis.

41 Ad hoc, ut aliquis Jurisdictionem Territorialem acquirat, vel activè habeat, essentialiter requiritur, ut sit Immediatus Imperii civis ac subditus, uti concordi mente adstruunt Publicistæ cum Knipschildt d.l. n.61. Mingio cap. 3. n.30. D. ab Andlern Jurisprud. publ. & priv. lib.1. tit.10. p.4. n.4. Vulteio de Feud. lib. 1. cap. 5. n.7. Ertl de Superiorit. Territ. appar. 3. pag. m.59. Colligitur ex n.21. & clarè deciditur in R. I. de anno 1548 §. wiewol 66. ibi: *in Ansehung, das solche neue Grafen und Herren nicht immediatè Glider und Stände deß Heil. Reichs gewesen, oder darinnen begriffen, sondern solcher Lands-Fürsten Unterthan, und Lands-Leuth waren.* Mingius de Superiorit. Territ. cap. 3, n.30.

42 In specie habent illam Jurisdictionis speciem S.R.I. Electores, Ecclesiastici & Sæculares, qui secundùm A.B. cap. 3. §. 1, velut *columnæ proceres Sacrum ædificium circumspecta prudentia solerti pietate sustentare, suô præsidiô dexteram Imperialis potentiæ roborare, decorem & gloriam Sacro-sancti Romani Imperii & honorem Cæsareum, & Reipublica compendia concordi voluntate fovere* dicuntur.

43 Habent etiam Principes Imperii, quasi rerum primi & capita dicti, tum Ecclesiastici, tum Sæculares, puta Archi-Episcopi, Episcopi; Abbates & Præpositi, Principes & non-Principes; Duces, Marchiones, Landgravii, Comites, Barones. Mingius d. l. n. 32. & seqq.

44 Habent præterea Liberæ Imperii Civitates per Instrum. Pacis Osnabrug. art.8. ita tamen ut hæc Jurisdictio in Civitatibus non vocetur *die Landsfürstl. Obrigkeit*, sed *die Lands hohe Obrigkeit*, vel *die Lands-Ober und Herrlichkeit*, vel etiam *die Stadtische oder Städtliche Obrigkeit*: quia videlicet non Jura personalia Principum, sed Territorialia tantùm & realia participant. Mingius ubi supra n.42. & plur. seqq. D. Ertl cit. appar. 1. pag.33. D. Felde de action. real. d.c.11.§.18.

45 Contra Prælatos Ecclesiasticos, Archi-Episcopos, Episcopos, Abbates, Præpositos, aliqui cum Ferrariensi, Alberico de Rosate, Guil. Barclaio, Antonio de Butrio, quos citat D. Ertl cit. l. pag. 24. multa comminiscuntur, eosque aut inhabiles aut indignos tantorum Principatuum & Ditionum iosimulant.

46 Verùm non desunt alii melioris mentis & notæ Authores, qui & dignos & habiles censent personas Ecclesiasticas, ut tantos Principatus & Ditiones unà cum Jurisdictione Territoriali possideant. I. enim nulla est implicantia, ut una persona sub duplici respectu duplicem habeat Jurisdictionem, Sæcularem & Ecclesiasticam: adeòque etiam nulla est implicantia, ut aliquis simul tanquam Episcopus jura Episcopalia, & tanquam Princeps jura Principalia & Territorialia exerceat. Petrus Heigius part. 1. quæst. 4. n. 53. [47] II. Sacerdotes & Viri Religiosi atque Ecclesiastici omni tempore in magno honore Germanis fuerunt: nam referente Tacitô de Mor. Germ. cap. 11. *ut turbæ placuit, considunt armati; silentium per Sacerdotes, quibus tum coërcendi jus est, imperatur*: & cap. 7. *cæterùm neque animadvertere, neque vincere, neque verberare, nisi Sacerdotibus, permissum.* Vitriarius Inst. I. P. lib. 1. tit. 15. §. 2. [48] III. jam apud Imperatores & Reges Francicos nullus habebatur conventus publicus, nulla comitia, deliberatio & consultatio nulla, cui personæ Ecclesiasticæ non interessent; nec absque illarum consensu aut consilio quidquam auspicatum fortunatumque suscipi posse credebant: tum quòd vitam à Sæcularium moribus alienam viverent: tum quòd partium studiô vacare censerentur: tum quòd doctrinâ & eruditione Laicis Germanis tum temporis longè præcellerent. Heigius cit. l. n.57. & seqq. Vitriarius cit. l. Pfeffinger in not. ib. lit. a. Egregiè D. Ertl cit. l. pag. 25. & seqq. [49] IV. cùm Regna & Principatus à DEO, omnium Bonorum largitore, descendere animadverterent Romano-Germani Imperatores, persuasum sibi habebant, in grati animi significationem reciprocè quidpiam de Regnis & Principatibus DEO, & istis, qui servi ac ministri DEI sunt, reddendum esse: certumque est ex historiis, plures victorias precibus Clericorum & Religiosorum, quam robore & vi armatorum obtentas fuisse. Hinc Imperatorum Constantii & Constantis, prout refertur in cap. in qualibet 23. XXIII. q. 8. effatum erat: *Rempublicam magis contineri orationibus & religionibus, quàm labore corporis vel sudore &c.*

50 De Immediatis Imperii Nobilibus in Suevia, Franconia, & ad Rhenum, *von der ohnmittelbaren freyen Reichs-Ritterschafft in Schwaben, Francken, und an dem Rheinstrohm*, suscitatur controversia: an & ipsi Jurisdictionem Territorialem habeant? Negat enim post alios Vitriarius lib. 3. tit. 15. §. 11. quòd habeant; ac pro fundamento allegat, Jurisdictionem Territorialem æmulam Majestatis, atque adeò Solis Imperii Statibus, non item Nobilibus, propriam esse. [51] Sed, si Authores numerare velimus, plures sinè comparatione adstruunt hisce Nobilibus Superioritatem Territorialem, uti videre est apud Besoldum p. 2. cons. 49. n. 117. Mingium de Superiorit. cap. 3. num. 47. Lundenspór cit. cap. 30. n. 77. & seqq. D. Ertl de Superiorit. appar. 1. pag. 32. eisque hanc Superioritatem iteratis jam vicibus adstruxit nostra Facultas Juridica Salisburgensis; & justissimè: [52] nam Immediati S. R. I. Nobiles habent exempta Territoria, atque in illis Summam, post Imperatorem, Potestatem, & omnia jura Regalia exercent: neque alium Superiorem agnoscunt, quàm Imperatorem & Imperium. Ergo nihil ad rationem Territorialis Jurisdictionis illis deficit.

53 Quòd autem dicantur non esse Status Imperii, multis non tantùm certum non est, cùm à multis DD. contrarium asseratur, veluti ex relatis in n. 52. conjicere licet; sed etiam ex eo nihil concludit, quia est petitio principii: utrùm Territorialis Jurisdictio solis Imperii Statibus competat? Et verius omninò videtur, sufficere, quòd aliquis sit Immedistus Imperii subditus, ac, præter Imperatorem & Imperium, nullum supra se Superiorem revereatur, ut patet ex n.41.

54 De reliquo hactenus de subjecto personali Jurisdictionis Territorialis sermo erat. Nam subjectum reale illius esse ipsum Territorium, disputatum jam fuit in cap. 1. à num. 552. & constat facilè ex dictis, præsertim in n.20.

§. III.

Subjectum passivum Jurisdictionis Subalternæ.

55 Jurisdictio Subalterna, seu Territorialis, exerce-
tur passivè in illos, qui sunt in- & de Territorio; sic-
que in subditos & Landsassios, tam ratione persona-
rum, quàm ratione rerum. Hinc communiter dici-
tur, quòd subjecteiur passivè tam in Territorio,
quàm in persona, Territorium inhabitante, juxta *cit.
cap.1.n.119.*
56 Dixi I. *exercetur in illos, qui sint in- & de Terri-
torio.* Neque enim ad hoc, ut Jurisdictio in quem-
quam exerceatur, sufficit, quòd sit in Territorio, &
ibi habitet, nisi etiam sit de Territorio, hoc est, Do-
57 mino Territoriali subjectus. Quemadmodum ad
hoc, ut in aliquem exerceat Episcopus Jurisdictio-
nem, non sufficit, ut sit in diæcesi, sed etiam requi-
ritur, ut sit de diæcesi, seu Episcopo diæcesano sub-
jectus *arg. c. cùm Episcopus 7. de Off. Jud. Ord. in 6* &
58 ibi Canonistæ. Exemplum luculentum huic rei de-
clarandæ suppeditat D. Ertl *cit. l. appar. 2. pag. 137.*
in sola urbe Ratisbonensi, in qua, licèt habitent Epis-
copus, Abbas ad S. Emeranum, & Abbatissæ in
Ober & Nider-Münster, non sunt tamen de Terri-
torio Urbis, sed Status Imperii.
59 Dixi II. *sicque in Subditos & Landsassios.* Ut distin-
guerem cum eodem D. Ertl *d. l. pag. 47.* Subditos &
Landsassios à Vasallis. Vasalli quippe, tametsi ali-
quando vocentur subditi, propriam tamen subje-
ctionem ex jure & natura feudi non habent; ut patet
in Regibus Hispaniæ, qui Regnum Neapolis & Si-
ciliæ à Sede Apostolica in feudum recognoscunt,
subditos tamen Pontificios se minimè profitentur.
60 Neque Dominus directus Jurisdictionem absolutam,
sed ad casus & causas feudales duntaxat restrictam, in
Vasallos habet. Unde est, quòd Dominus directus, si
insuper sit Dominus Territorii, non possit jura Ter-
ritorii adversùs Vasallos, sed adversùs solos Subdi-
tos, exercere. Conferatur D. Felde de *act. real. cap.
11. §. 22. & 23.*
61 Dixi III. *tam ratione personarum, quàm ratione re-
rum*: in his enim & illis Jurisdictio Domini Terri-
torialis fundatur, veluti jam prænotavi in *cap. 1. n.
120.* Qui ergo vel ratione personæ vel ratione re-
rum, in Territorio existentium, exemptionem aliquam
aut immunitatem prætendit, illam apertissimis do-
cumentis, ad præsumptionem Domini Territoria-
lis, contra se militantem, diluendam, probare te-
netur *arg. cap. in Ecclesiis 1. & 2. de Capell. Mona-
ch. cap. ad decimas 2. Restit. spol. in 6.* D. Ertl *cit. l.
pag. 49. & seq.*

SECTIO III.

De Objecto & Effectu Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis.

SUMMARIA.

62. *Jurisdictio Territorialis in ratione potestatis gubernativa habet pro objecto jus Religionis.* 63. *& seqq. Illius declaratio.* 66. *& seqq. Receptionem homagii.* 69. *& seqq. Jus Protectionis.* 72. *& seqq. Jus collectandi.* 75. *Jus detrahendi certam portionem è bonis emigrantium.* 76. *& seqq. Jus Foresti.* 80. *Jus belli, pacis, & fœderum &c.* 81. *In ratione juris dicendi habet pro objecto potestatem condendi Leges, mandata &c.* 82. *Potestatem constituendi & destituendi Magistratus.* 83. *Erigendi Tribunalia.* 84. *& seq. Judicandi de omnibus causis temporalibus.* 86. *Manutenendi Jurisdictionem.* 87. *Aggratiandi.* 88. *Mulctandi, confiscandi &c.* 89. *& seqq. Tribuit hæc Jurisdictio quasi plenitudinem Imperatoriæ Potestatis.* 93. *& seqq. Inducit præsumptionem universalem.* 95. *Est propria & perpetua.*

§. I.

De Objecto Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis, quatenùs est potestas gubernandi.

OBjectum Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis 62
pro diversa illius acceptione & descriptione
diversum est. Quatenùs accipitur pro potestate gu-
bernandi particulare Territorium, habet pro objecto
primario jus Religionis, juxta receptum in Imperio
Brocardicon: *cujus est Regio, illius est Religio.* D.
Ertl de *Superiorit. Territ. appar. 5. pag. m. 100. & seq.*
Quod tamen, ne ab aliquibus, actorum & gestorum 63
Germanicorum ignaris, in sensum non sanum de-
torqueatur, ita declarandum est, quòd inter alia,
quæ Acatholici vi Pacis Religiosæ sibi arrogant,
jura, sit jus reformandi in suis Territoriis, adeò ut
subditi vel Domini Territorialis sectam amplecti, vel
aliorsum (veluti multorum fert opinio apud D. Jo-
annem Braun *Var. amænit. quæst. 12.*) migrare te-
neantur. Quam in rem Status Catholici non tam 64
consensum dedere, quàm potiùs, cùm propter ad-
versam potentiam resistere non possent, se permissi-
vè vel negativè habuerunt; id tamen in favorem
Orthodoxæ Religionis assecuti, quòd Dominus
Territorialis illius nitorem conservare, errores con-
trarios purgare, ac alterius sectæ defensores securô
consiliô eliminare valeat. Juverit desuper audire 65
discursum Caramuelis in *licita S. R. I. Pacis demon-
stratione pag. m. 115.* ita ratiocinantis: cùm animo-
„ sitas & abusus potentiæ eò venerint, ut Principes
„ & Imperii Status non suas ditiones modò singuli,
„ sed etiam aliorum Lutheranorum, imò & Catho-
„ licorum provincias inceperint deformare; proinde-
„ que nos Catholicos eò adegerit injuria tempo-
„ rum, ut non possimus conatus Protestantium coër-
„ cere, & ex toto impedire, ex duobus malis grava-
„ minibus, quæ simul impediri non possunt, majori
„ occurrimus, & permittimus, ut singuli suas ditio-
„ nes (terras videlicèt, non animas) reforment, mo-
„ dò alienas relinquant. Similes discursus invenies
apod *cit.* Authorem *pag. seqq.*
II. huc spectat *Receptio homagii*, quod ab initio 66
Regiminis Domino Territoriali a subditis præstatur;
quove obedientiam, reverentiam, & subjectionem
subditi juratò spondent vulgò *die Erb-und Lands-
Huldigungs-Pflicht.* Myller de *Princ. & Stat. Imp.
cap. 38.* Mingius de *Superior. Territ. conclus. 64.*
Knipschildt de *Nobilit. lib. 3. cap. 2. à n. 31.* Swederus
part. spec. sect. 3. c. 11. n. 1. D. Ertl *cit. l. pag. 104. &*
aliquot *seqq.* D. Münchmayr *Jur. Publ. c. 22. pag. 617.*
Dixi *obedientiam, reverentiam, subjectionem &c.* 67
*spondent, das sie ihrem Lands-Fürsten hold, treu, und
gehorsam seyn, desselben Schaden wenden, Nutzen
befördern, und alles thun wollen, was unterthäni-
gen, gehorsamen Unterthanen zuthun von sich selbsten
geziemet.* Quòd si non obedientia, non subjectio, 68
sed fidelitas tantùm spondeatur, prout Vasalli spon-
dent Domino feudi, Ministri suo Principi, ac clien-
tes suo Protectori, jus advocatiæ habenti, receptio
Homagii non est actus Superioritatis Territorialis,
sed alterius juris particularis, veluti præter Autho-
res citatos, & alios, à se relatos, tenet Cravetta *Con-
sil. 451. n. 11.* ac, in gravi causa non multis abhinc an-
nis Facultas nostra resolvit.

III.

69 III. huc spectat *Jus Protectionis.* Quando enim subditus Domino Territoriali juratam subjectionem promisit, vi cujus Dominum tueri, revereri, & defendere tenetur, vicissim Dominus ad bona, res, & personas subditorum defendendas & protegendas obligatur, adeò ut & Domino nefas sit, subditos, à quocunque pressos vel oppressos, deserere; & subdito sit prohibitum, pro subsidio & auxilio alium, quàm Dominum Territorii, implorare A. B. *cap.* 15. & 16. R. I. de anno 1529. §. *wir. auch Chur Fürsten* 10. R. I. de anno 1541. §. *und damit im H. Reich* 26. *in fin.* Knipschildt *d. c. x. n.* 50. & *seq.* Besold. *thes. pract. verb. Landschuss* Ertl *appar.* 6. *à pag.* 114.

70 Equidem jus Protectionis, quod aliàs etiam *jus Advocatiæ* appellatur, nonnunquam aliis, quàm Domino Territorii, competit; fuitque antiquitus res valde frequens, quòd Monasteriis, Ecclesiis, & Civitatibus Imperialibus speciales Advocati & defensores constituti fuerint, uti videre licet apud Magesum in celebri *tr. de Advocaria.*
71 Verùm probè notandum est, illam Protectionem, cùm non ex Superioritate Territoriali promanet, sed pactitia vel precaria sit, nec Jurisdictionem Protectori tribuere, nec Superioritatis juri præjudicare per text. in *cap. recepimus* 8. *in fin. cap. ex parte* 18. *de Privileg. cap. præterea* 23. *de Jure Patron. cap. in singulis* 7. *in fin. de Statu Monach.* jamque antiquum proverbium est: *Schutz und Schirm gibt keine Obrigkeit.* Gail. 2. *obs.* 54. *n.* 1. 2. & 3. Wesenbec. *consil.* 48. *n.* 30. Ertl *l. cit.* & Facultas nostra in memorata causa, cui jam antehac subscripsit Facultas Juridica Tubingensis.

IV. huc spectat Jus Collectandi, seu Collectas &
72 Steuras provinciales vulgò *die Land-Steur* à subditis quà talibus exigendi. Quamquam enim dubium sit inter Doctores, an Collectæ Imperiales, quas pro toto Imperio in Comitiis Imperator indicit, a Domino Territorii, vel Domino, Bassam Jurisdictionem habente, debeant exigi, prout indicavit nostra Facultas in Responso Buxhaimensi recèns impressô *pag.* 59. eô quòd potiùs jure delegatô & vicariô nomine, quàm jure propriô videantur exigi juxta R. I.
73 de anno 1576. §. *und nachdem dise* 11. Attamen Collectæ Provinciales, quæ in universo Territorio, jure propriô, vel in recognitionem Subalternæ Jurisdictionis, vel ad bonum totius Territorii, vel pro necessitate Principis indicuntur, immediatè proveniunt ex Superioritate Territoriali. Knipschildt
74 *d. c. a. n.* 115. & *seq.* Ertl *appar.* 7. *pag.* 139. Notant nihilo minùs illi Authores; & non ita pridem cum illis notavit Facultas nostra Juridica, dari pensiones & præstationes alias, quæ non arguunt ullam Superioritatem v. g. *Lehen-Wahr*, *Hand-Lehen*, *Jährliche Zinsz*, *Geld- und Frücht Gülten*, *Schirm-Geld und Haber &c.*

V. huc spectat Jus Detrahendi certam portionem
75 à bonis emigrantium è Territorio uno ad aliud, in vernacula *das Abzug-Recht*, *Nachsteur*, *Frey-Geld*, *Abschoss und Weeg-Lösung*, *&c.* idque in compensationem damni emergentis & lucri cessantis Domino Territorii competit. Knipschildt *d. l. n.* 120. Sweder. *part. spec. sect.* x. *c.* 15. *n.* 4. D. Ertl *cit. appar. pag.* 145. & *seqq.* ubi subjungit, aliis quoque, Jurisdictionem Bassam habentibus, ex speciali privilegio idem jus concedi posse.

VI. huc spectat Supremum Jus Foresti vel Fore-
76 stæ *die Förstliche Obrig- oder Herrlichkeit*, vi cujus Domino Territoriali in sylvis & nemoribus sui Territorii competit potestas condendi Leges sylvestres & venaticas, *Forstliche Gebott und Verbott anzulegen*; potestas venandi & insectandi feras, & exigendi eum in finem operas subditorum, seu bannum ferinum *Wildbann*; item Jurisdictio Forestalis *Forst- oder Jagt Gericht*, seu potestas cognoscendi negotia Forestalia, ac vindicandi delicta circa venationes & sylvas, contra LL. Forstales commissa. Stryck in *usu mod. pand. ad tit. de Iurisdict.* §. 16. Lundenspór de *Imperior. & famil. orig. cap.* 31. *n.* 20. & *a. seqq.* Besold. in *thes. pract. Verb. Forst. Forstliche Obrigkeit.*
Knipschildt de *Civit. Imp. lib.* x. *cap.* 7 *n.* 4. Jus igi- 77
tur Foresti non confundendum cum jure venandi, sed potiùs ab eo distinguendum tanquam totum à parte, adeò ut jus Foresti sit aliquod totum, ex pluribus juribus (inter quæ jus venandi numeratur) conflatum; sitque pro Domino Territoriali præsumptio, quòd omnimoda Foresti jura possit exercere.
Petrus Heigius *lib. quæst.* 15. *n.* 54. Subinde tamen 78
jus venandi separatur à jure Foresti, neque tunc aliam tribuit facultatem, quàm insectandi capiendive feras, majores aut minores, pro diversa concedendi ratione & amplitudine: est enim venatio per se jus privatum, ac privatis competens, omnemque Jurisdictionis speciem excludens. Lundenspór *cit. cap.* 31.
n. 16. Subinde quoque jus Foresti pertinet ad alium, 79
quàm Dominum Territorialem, & hinc id saltem juris remanet, quòd, si alter concessô Foresti jure abutatur, & nimias v. g. arbores exscindat, illi vel jus Foresti adimere, vel pœnam aliam dictare valeat. Stryck *ubi supra* §. 17.

VII. huc spectat jus bellum gerendi contra exte- 80
ros; pacem & fœdera (sinè præjudicio Imperii) pangendi; jus armandi militem; jus sequelæ; jus restituendi famam & honorem pro Territorio proprio; jus concedendi privilegia vel rescripta moratoria; jus accisarum, jus nundinarum &c. quæ & alia jura, ad normam hodiernæ praxeos, exhibent, & prolixè deducunt Knipschildt de *Nobilit. lib.* 1. *cap.* 2. *per tot.* Lundenspór de *Imperior. & famil. orig. cap.* 30. à *n.* 102. Ertl de *Superiorit. Territor. appar.* 7 & *seqq.* Mingius de *Superiorit. Territorii. cap.* 4. à *n.* 64. Knichen de *Jure Territorii cap.* 3.

§. II.

De Objecto Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis, quatenus includit Potestatem jus dicendi.

Jurisdictio Subalterna Sæcularis, quatenùs inclu- 81
dit potestatem jus dicendi, continet I. Leges, Statuta, Edicta, Mandata, quæ quilibet Territorii Dominus pro suo Territorio potest condere, & promulgare, de quibus nonnulla in *tr. de Iure Leg. cap.* 7. *n.* 63. & *seqq.* Swederus *part. spec. sect.* 2 *cap.* 13. à *n.* 2. Knipschildt *d. l. n.* 59. & *seqq.* D. Ertl *cit. l. appar.* 5. *pag.* 117. & *seqq.*

II. se offerunt Jura constituendi, deponendi, & 82
exauctorandi Magistratus, sicque non Judices datos aut delegatos tantùm, sed etiam ordinarios, quæ cuivis, Jurisdictione Territoriali prædito, sunt concessa. Knipschildt *d. l. n.* 56. Swederus *d. l.* à *n.* 7. D. Ertl *appar.* 6. *pag.* 125.

III. occurrunt Tribunalia, quæ, ad jus dicen- 83
dum, & justitiam administrandam, vi Jurisdictionis Territorialis possunt erigi. Suntque pro numero & latitudine Territorii plura vel pauciora; plerumque tamen duo, scilicèt Cancellaria, & Camera *die Cantzley, und das Hof- oder Land Gericht.* Knichen de *Iure Territor. cit. cap.* 3. à *n.* 315. Swederus *cit. l.* à *num.* 10.

IV. se exhibent causæ, in tribunalibus eorum, 84
qui Superioritate Territoriali resplendent, examinandæ, & discutiendæ. Ubi D. Lundenspór sæpe *cit. cap.* 30. *n.* 90. pro regula ponit, quòd Jurisdictio Territorialis importet fundatam intentionem in omnes sui Territorii ac districtûs causas temporales, civiles & criminales, reales & personales, judicii tam

petitorii quàm possessorii. Cui suffragatur Swederus *ubi supra n.* 12. dicens, causas omnes, tam civiles quàm criminales, in ejusmodi tribunalibus venidari
85 posse. Id quod in eo sensu accipiendum existimo, quòd, si dubium sit, ad quem pertineat cognitio causarum criminalium, præsumptio stet pro Domino Territoriali; quæ tamen per probationes contrarias elidi potest, si nempe ab alio demonstretur legitimus titulus, puta privilegium, infeudatio, vel præscriptio, cujus auxilio cognitionem causarum criminalium acquisivit.
86 V. perpendi possunt Remedia, quibus & Jurisdictionem suam manutenere, & quamcunque illius violationem aut imminutionem avertere possunt Domini Territoriales, de quibus tamen revideri possunt dicta in *cap.* 1. *à n.* 195.
87 VI. dispectione dignum est Jus Aggratiandi, seu relaxandi, mitigandi, vel condonandi pœnam, à Legibus statutam; quod Jurisdictioni Territoriali connexum esse, docent Aa. turmatim cum Lundenspór *cit. l. n.* 134. Swederus *c. l. c.* 14. *n.* 4. *& seqq.* Ertl *ap. par.* 9 *pag.* 165.
88 VII. considerationem merentur Jura Fiscalia, inter quæ numerantur mulctarum pœnarumque compendia, bona ereptitia seu indignis ablata, bona incestas nuptias contrahentium, bona proscriptorum & damnatorum in casibus à Jure expressis, bona commisso obnoxia ob eorundem professionem in solutione vectigalis dolosè omissam. Exactè Knichen de *Jure Territor. d. c.* 3. *à num.* 212. Lundenspór *cit. l. à num.* 146. Swederus *d. loc. cap.* 15. *num.* 11.

§. III.

De Effectu Jurisdictionis Subalternæ Sæcularis.

89 Effectus Jurisdictionis Subalternæ singulariter spectatur I. in eminentiori potestate, quâ illi, qui Jurisdictione Subalternâ seu Territoriali pollentur, eadem ferè faciunt in suis Territoriis, quæ Imperator in toto Imperio. Mingius de *Superiorit. Territ. c.* 9. *num.* 54. Quæ causa est, quòd Princi-
90 pes, Abbates, & Comites Imperii, Gratiæ DEI Principatus ac Territoria sua acceptos ferre videantur, in rescriptis, edictis, & epistolis, ut advertit
91 Lundenspór *ubi supra n.* 101. Quæ etiam causa est, quòd lites, in Dicasteriis Statuum Imperii pendentes, avocare, aut etiam in prima instantia judicare nequeat Imperator secundùm Auream Bullam *cap.* 11. *Instrum. Pac. art.* 5. §. 20. Capitulat. Joseph. *art.* 17. Carol. *art.* 2. Sed, quæ in *num.* 89. de ana-
92 logia potestatis Territorialis & Imperialis memorata sunt, intellige quoad jura communicata, ac in §. priori ut plurimum enumerata; non etiam quoad jura reservata, sicuti prolixè ostendit Mingius *cit. l.*
93 Spectatur II. in jure Territorii, & Universitate Jurisdictionis, in toto Territorio, & qualibet ejus parte radicatâ; adeò ut Princeps aliusve Dominus Territorialis, *ein Lands-Herr*, in omnes personas & res, in Territorio sitas, ex *n.* 61. fundatam intentionem & potestatem habeat. Wehner *pract. observat. verb. Lands-Fürstliche Obrigkeit pag.* 458. Mingius de *Superiorit. Territor. cap.* 4. *n.* 52. Quidquid
94 enim est intra fines Territorii, censetur esse conclusum, ac Jurisdictioni Territoriali subjectum *arg. l. si fines* 10. *Cod. de Evictism.* Covarr. *pract. qq. cap.* 1. *n.* 10. Gail. 2. *obs.* 62. *n.* 9.
95 Spectatur III. in jure proprietatis, quò Jurisdictio Territorialis Domino Territorii sit propria; exercetur nomine proprio, non tantùm absente, sed etiam præsente Imperatore; nec ab eo vel alio revocari vel adimi potest, ni crimen feloniæ vel læsæ Majestatis admittatur. Mingius *cit. l. n.* 53. Cravetta de *Antiquit. tempor. p.* 1. *n.* 17. *&* 20.

SUPPLEMENTUM.

Insignis hæc Jurisdictionis species vix alibi, quàm in Imperio Romano-Germanico suum usum & praxim habet. Ad ejus summariam cognitionem sufficere videntur, quæ in præsenti Capite discutiuntur. Ad pleniorem notitiam Lectoris desideria interim suspendere debeo, usque dum Jurisprudentia Publica Imperii Romano-Germanici, in qua Jurisdictio seu Superioritas Territorialis per multa folia deducetur, lucem aspexerit.

CAPUT VI.

De Jurisdictione Propria, seu Ordinaria, & Extraordinaria.

Jurisdictio *Propria*, quam in divisione, superiùs in *c.* 1. expensâ, tertiô locô *n.* 84. posuimus, duas sub se species continet, *Ordinariam* & *Extraordinariam*. Utramque separatim nunc digeremus.

SECTIO I.

De Natura, Acquisitione, & Effectu Jurisdictionis Ordinariæ.

SUMMARIA.

1. *Jurisdictionis Ordinaria etymologia.* 2. *Synonymia.* 3. *Definitio.* 4. *Est potestas publica jus dicendi.* 5. *& seqq. Quam quis habet ex officio.* 8. *& seqq. Acquiritur concessione Summi Principis.* 12. *Vel illius, qui potestatem à Summo Principe accepit.* 13. *& seq. In statu Ecclesiastico Summus Pontifex, Episcopi, & Prælati Majores eam concedunt.* 15. *In statu politico Imperator & Status Imperii.* 16. *& seqq. Censetur tamen cumulativè non privativè concessa.* 22. *& seq. Nisi in feudum data fuerit.* 23. *Acquiritur præscriptione.* 24. *& seqq. Successione.* 27. *& seq. Electione.* 29. *& seqq. Consuetudine.* 31. *Potest delegari.* 32. *Juvatur præsumptione Juris.* 33. *Regulariter est perpetua.* 34. *& seq. Limitationes ponuntur.*

§. I.

Quid sit Jurisdictio Ordinaria?

Jurisdictio Ordinaria notationem suam ex eo deducit, quòd ordinariè, ac quoties necessitas vel utilitas flagitat, exerceatur. Indeque Judex Ordinarius dicitur, qui ordinariè in causis controversis adiri, & judicare potest, ut notat P. Engel ad *tit. de Off. Jud. Ord. n.* 1.

Dicitur quandoque simpliciter ac antonomasticè *Jurisdictio*, uti in *l. muto* 6. §. 2. *ff. de Tutel.* Dicitur quoque in eodem sensu simpliciter *Propria* in *l. cognitio* 4. *in pr. ff. de Off. ejus cui mand. est Jurisdict.* Dicitur etiam metonymicè *Magistratus*; quia positâ hâc Jurisdictione ponitur Magistratus, & vice versâ. D. Braun de *Jurisdict. cap.* 3. §. 1. *n.* 3.

De-

Definitur, quòd sit potestas publica, jus dicendi,
3 quam quis ex officio habet.
Dixi I. *potestas publica jus dicendi*: quæ verba
4 exposita reperies in *cap.1. à n. 33.*
Dixi II. *quis.* Ubi sub aspectum ponitur subje-
5 ctum Jurisdictionis Ordinariæ, quod aliàs propriè
Magistratus dicitur; in quo præcipuè requiruntur
illæ conditiones, quas in *eôd.c.1.à n.125.* expressimus.
6 Dixi III. *ex officio.* Quod idem est, ac vi mune-
ris, ad hoc principaliter instituti; seu jure Magi-
stratûs, atque ex hoc solo, quòd aliquis Magistra-
tum & spartam judiciariam acceperit, esto nulla Ju-
risdictionis mentio sit facta. Sitholt de *Jurisdict.*
aphor. 124. Franzk. ad *tit.de Jurisd. num.*24. Braun
cit. l. n. 1.
Dixi IV. *habet.* Habetur autem Jurisdictio Or-
7 dinaria, non quomodocunque, nec transeunter &
ministerialiter, sed permanenter & principaliter, quasi
sit habentis propria per *d.l.cognitio* 4.*in pr.ff.de Offic.*
ejus cui mand. est Jurisdict.

§. II.

Quot Modis acquiratur Jurisdictio Ordinaria?

8 Modi, quibus acquiritur Jurisdictio Ordinaria,
sunt legitima Superioris concessio, præscriptio, suc-
cessio, electio, consuetudo.
Concessio Jurisdictionis Ordinariæ nequit ab alio
9 Superiore fieri, quam Supremo Principe, & cui po-
testas dandi Judicem Ordinarium à Supremo Princi-
pe est concessa. Ita DD. uniformiter, Christianus ab
Ising *p. m. de Promotionib. honor. cap.2. n.1.& seqq.*
Besold. de *Jur. Majest. cap.*3. Bocer. de *Jurisdict.c.*
2. *n.* 1. D. Braun de *Magistratu cap.*4. §.1. *n.*1. Ho-
nor. ad *tit.de Offic.Judic.Ord. n.*3. Magnif. P. König
*ibid. n.*7. Ratio primi est: quia princeps Reipubli-
10 cæ curâ concernit Principem, qui & Jura subditis
præscribere, &, ut Jura præscripta redigantur ad
praxin, erigere tribunalia, &, ut erecta tribunalia
habeant, qui jus dicant, Magistratus & Judices
constituere non solùm valent, sed etiam debent:
11 quia nec communia Imperii negotia sinunt Prin-
cipem ad singularia singulorum attendere acta &
facta; nec multiplices subditorum casus & causæ
unô, eôque Summô Judice, disceptari queunt; nec
Majestas ad omnium rixas & tricas se inclinare po-
test: unde in partem sollicitudinis & partitionem cu-
ræ & curiæ principalis assumpti sunt alii, qui Juris-
dictionem ordinariam in locis, à Principe designatis,
administrent.
12 Ratio secundi est: quia, sicut è Principis volun-
tate pendet, Jurisdictionem, cui placuerit, imper-
tiri: ita pendet, facultatem impertiendi Jurisdictio-
nem, uni vel pluribus, tribuere: partim quia vires
Majestatis non transcendit, similem prærogativam
aliis communicare: partim quia plenitudo Regiæ
Jurisdictionis apertiùs hâc viâ dilatatur: partim quia,
si quis Jurisdictionem Ordinariam vi privilegii, à
Principe accepti, concedat alteri, idem est, ac si Prin-
ceps concessisset. Unde
Infertur I. In statu Ecclesiastico fontem omnis
13 Jurisdictionis esse Summum Pontificem, è quo in
Prælatos Ecclesiasticos ita dimanat, ut ii, saltem qui
majores sunt, veluti Episcopi, Archi-Episcopi,
Primates &c. aliis quoque Jurisdictionem aliquam
14 communicare possint. Pertinent huc textus Evan-
gelici apud Matthæum *c.16.&* 18. Joan.*c.20.&* 21.
Act. *cap.* 20. Pertinent quoque textus Canonici in
cap. sic omnes 2. *cap. enimverò* 4. *Dist.* 19. *c.in novo*
2. *& seq. Dist.*21.*c.in nomine* 1. *Dist.*23.*cap.ipsi sunt*
16.*& seqq. IX. q.*3. *cap.quodcunque* 6.*cap.non turba-*
tur 7. *cap. rogamus* 15. *cap. cùm beatissimus* 16. *cap.*
loquitur 18. *XXIV. q.* 1. *cap.significasti* 4. *de Elect.*
cap. quantò 3. *de Translat. Episc.c.sollicitæ* 6.*de M.*
& O.cap.novit 13. *de Judic.cap. Romana* 1. *cap. li-*
cèt 2. *de Offic.Vicar. in* 6. *cap. cùm Episcopus* 7. *de*
Offic.Ordinar. eôd. in 6.
Infertur II. in statu Politico Imperii Romano- 15
Germanici principalem ac motricem causam omnis
Jurisdictionis esse Imperatorem; à quo in Status &
Principes Imperii tanta eum amplitudine diffluxit, ut
& illi Dicasteria excitare, Magistratus constituere,
Judices in suis Territoriis ordinare possint, ex dictis
in priori *cap. n.* 82. Miller de *Princip. & Stat. Imp.*
part.2. cap. 41. D. Braun de *Magistratu cap.* 4. §. 4.
Clariss. D. Chlingensperger *cit.disp.de Jurisdict. thes.*
55. *n.* 3.
Utrùm verò Jurisdictio Ordinaria immediatè con- 16
feratur ex voluntate & gratia Principis, aut media-
tè, per Legem scilicèt publicam, nihil interest per *l.*
quia 6. *ff. de Jurisd.* Jure tamen Communi tam Ca- 17
nonico, quam Civili Princeps Supremus non cen-
setur Jurisdictionem Ordinariam cumulativè, sed
tantùm privativè concessisse, nisi Jurisdictionem in
feudum dederit. Quoad Jus Canonicum id patet
ex textibus à *cap. patet profectò* 10. *usque ad finem*
*IX. q.*3. in quibus deciditur, causas omnes, tam pen-
dentes, quàm decisas, ad Tribunal S. Pontificis de- 18
ferri posse; & quoad Jus Romanum desumitur ex
l.consensisse 2.§. 4. *& seqq. l.non aliàs* 24. *in pr.& §.*
seqq. ff. de Judic. l. Roma 33.*ff.ad Municipal.* ubi di-
citur, omnes homines, Romæ, hoc est, in residentia
Romani Principis constitutos, ibi conveniri & di-
judicari posse, tametsi alibi domicilium fixerint,
contraxerint, deliquerint &c. Et ratio est: quia 19
credibile non est, quòd Princeps, qui est origo &
fons omnis Jurisdictionis, Jurisdictionem suam ita
in alios diffluere sinat, ut nihil in fonte remaneat, ut
qui, exaltandô & honorandô alios, seipsum non vult
despicere, aut deprimere. Itáque indicant Rota 20
Rom. in *rec.p.1. dec.* 37.*n.*1.*&* 2. & *dec.*121.*n.*3.*&*
4. Panormitanus in *cap.pastoralis* 11.*de Off. Jud. Ord.*
n. 6. Mascornius de *Jurisd.n.*34. Petrus Hegius *part.*
1. *q.*9.*n.*20. Obrecht *lib.*3.*c.*1.*n.*29. Bocerus *d. cap.*
8.*n.*34. Haunold de *J.& J.tr.*4.*n.*6.77. Braun de *Ma-*
*gistrat.cap.*4.§.*n.*2.
Exceptionem de feudo tuentur Menoch. *lib.* 2. 21
*præs.*18 n.5. Wesenbec. *cons.* 95. *n.*27. *p.*2. Obrecht
*cit.cap.*1.*n.*27. Matthias Coler. de *process.execut.p.*2.
*cap.*1. *n.*132. Bocerus *d. n.*34. ac inde probatur: tum
quia feudum naturam quasi ususfructus habet *tit.*
23 *℣. hujus autem generis Feud.* 2. jus autem utendi-
fruendi ad solum usufructuarium, exclusô proprie-
tariô, spectat: consequenter in Jurisdictione, per
feudum concessâ, jus utendi Jurisdictione ad solum
Vasallum, exclusô Dominô, spectat: tum quia solus 22
Vasallus Jurisdictionem in eum habet, quem in feu-
do sub infeudavit *tit.* 55. §.2. *℣. illud quoque Feud.*
2. Ergo etiam in alios, si Jurisdictionem in feudum
accepit.
Præscriptione Jurisdictionem Ordinariam acquiri 23
posse, res admodùm clarè definita est in *cap. cùm*
contingat 13. *de Foro compet.* ubi Gonzalez in *not.* 5.
P. König ad *tit. de Offic. Jud. Ord. num.* 7. Quor-
sum servient dicta in *tract.* 2. *de Præscript. c.* 4. *à*
n. 548. & *c.* 5. à *n.* 553.
Successio Jurisdictionem politicam tribuit, quan- 24
do realis est, atque in hæredes transitoria *arg.* tex-
tus in *A.B.tit.*7.*& tit.*55.§.1. *℣. præthereà Feud.*2. Co-
varruv. *pract.qq.c.*38.*n.*6. *& seqq.* Bocerus de *Juris-*
*dict.cap.*8.*n.*77. *& seqq.* Tribuit etiam Ecclesiasticam 25
in Ecclesiis Metropoliticis, Cathedralibus, Colle-
giatis, Regularibus &c. ubi demortuô Archi-Epi-
scopô, Episcopô, Abbate, Præpositô &c. universa
Jurisdictio ad Capitulum devolvitur *cap. penult.*
&

26 *& ult. de Suppl. neglig. Prælat. in* 6. Et quamquàm
Authores quidam existiment, vel jure accretionis,
vel jure serentioois Jurisdictionem ad Capitula transire:
rectiùs tamen cum D. de Bassis in *disp. de Iurisdict. thes.* 46. *n.* 4. jure successionis tranire dicitur:
sicut enim patrimonialia bona deveniunt à patre ad
filium, & econtra redeunt à filio ad patrem; sic etiam
Jurisdictio à Prælato ad Capitulum, ceu à patre ad
filium, & ab hoc denuò ad oovum Antistitem transmittitur.

27 Quòd Electio Jurisdictionem Ordinariam, adminiculante Confirmatione, Prælatis Ecclesiasticis conferat, in recenti adhuc memoria remanebit ex dictis
in *tract.* 3. *de Mod. acquir. Prælatur. cap.* 1. *à num.*
28 520. Interdum quoque Magistratibus Sæcularibus
per electionem ordinaria Jurisdictio consignatur,
quando per electionem assumi solent, veluti contingit in Civitatibus Imperialibus, ubi Consules & Primores ad fasces & secures votis senatorum evehuntur. Braon de *Magistratu cap.* 7. §. 1.

29 De Consuetudine, vim Legis obtinente, ac Jurisdictionem Ordinariam deferente, textus occurrit in *cap. dilecti* 4. *de Arbitr.* ubi Gonzalez in
Commentar. num. 10. *& seq. cap. cùm contingat* 13. *de*
Foro compet. cap. irrefragabili 13. *in pr. de Offic. Iu-*
30 *dic. Ord.* Unde, si in loco quodam diuturnis sit moribus observatum, ut semper senior v. g. in Senatu vel Collegio jus dicat ex officio & jure proprio, Jurisdictionem Ordinariam ex consuetudine sortitus esse censetur.

§. III.

Quis effectus sit Iurisdictionis Ordinariæ?

31 Effectus peculiaris Jurisdictionis Ordinariæ est I. quòd eâ præditus possit per se vel alium jus dicere; hoc est, aut ipsemet Jurisdictionem exercere, aut eandem alteri delegare per *cap. cùm Episcopus* 7. *de Off. Iud. Ord. in* 6. *l. more Majorum* 5. *ff. de Iurisdict.*

32 II. effectus est, quòd Juris præsumptione juvetur, ac illos etiam stringat ad comparendum, & exhibendum privilegium, qui speciali titulô, in Jure Communi non fundatô, se prætendunt exemptos *cap. cùm persona* 7. *de Privil. in* 6. *l. si quis* 5. *ff. de Iudic.*

33 III. effectus est, quòd regulariter sit perpetua, nec possit adimi, sed duret usque ad vitam habentis per *cap. legatos* 2. *de Offic. Leg. in* 6. ac aliquando (si patrimonialis evadat) ad successores devolvatur. P. König ad *tit. de Offic. Iud. Ord. num.* 34.

34 Dixi *regulariter*: Nam interdum Jurisdictio Ordinaria restringitur ad certum tempus, v.g. annum,
triennium, sexennium; quô transitô, dubium haud
erit, quin Jurisdictio exspiret, ut patet in Jure Romano de Prætoribus, quorum Magistratus annô
conclusus erat *pr. Inst. de perpet. & temporal. Action.*
35 Similiter iisdem ferè modis, qualibus in *tr.* 3. *de*
Mod. acquir. Prælat. per tot. cap. ult. diximus Prælaturas Ecclesiasticas amitti, Jurisdictio, Prælaturæ vel officio sæculari coonexa, amittitur per textum in *l. Iudices* 12. *Cod. de Dignitat. l. ult. Cod. de Defensorib. Civit.* D. Braun de *Magistratu cap. ult.* §. *un.*

SECTIO II.

De illis, qui Jurisdictionem Ordinariam habent in foro Ecclesiastics.

SUMMARIA.

36. *Jurisdictionem Ordinariam habent Episcopi & Prælati majores.* 37. *Describitur Vicarius, & dividitur.* 38. *& seqq. Agitur de Vicario Summi Pontificis.* 41. *& seqq. De Vicario Parochi.* 45. *& seq. De Vicario Capituli.* 47. *& seqq. De Vicario Episcopi.* 50. *& seqq. Ostenditur ipsius habilitas.* 53. *Est in dignitate.* 54. *Beneficium propriè dictum non habet.* 55. *Jurisdictionem Episcopalem universaliter exercet.* 56. *Præterquàm in casibus exceptis.* 57. *Nomine & authoritate Episcopi.* 58. *& seqq. Episcopus non tenetur constituere Vicarium, nisi sit insufficiens muneri Episcopali.* 61. *Pro suo libitu potest unum aut plures assumere.* 62. *& seq. Vicarius desinit esse talis per mortem aut revocationem Episcopi.* 64. *& seqq. Argumenta eorum, qui volunt, Jurisdictionem Vicarii delegatam esse.* 67. *& seqq. Argumenta pro Jurisdictione ordinaria.* 71. *& seqq. Priora reprimuntur.* 74. *& seqq. Vicarius potest alteri unam aut alteram causam delegare.* 78. *Describitur Archi-Diaconus.* 79. *Habet Jurisdictionem Canonico-Civilem.* 80. *& seqq. Non verò criminalem.* 83. *& seq. Textus oppositi declarantur.* 85. *In Monasteria Jurisdictionem non obtinent.* 86. *& seq. Describitur Archi-Presbyter.* 88. *Urbanus gaudet Jurisdictione.* 89. *Ruralis caret.* 90. *Solvitur objectio.* 91. *Religiosus non prohibetur esse Archi Presbyter.* 92. *& seqq. Describitur Primicerius & ejus officium.* 95. *& seq. Item Sacrista cum suo officio.* 97. *Nec non Custos & ejus officium.* 98. *Notatur hodierna praxis.* 99. *& seq. Prælati Regulares habent potestatem œconomicam.* 101. *Et Jurisdictionalem.* 102. *Quæ subinde est quasi-Episcopalis.* 103. *& seq. Priores vel Decani claustrales Jurisdictione non potiuntur.* 104. *& seq. Abbatissis competit potestas œconomica.* 106. *Non verò Jurisdictionalis.* 107. *& seqq. Explanatur* cap. 12. de M. & O. 113. *& seq. Adducitur aliqua limitatio.* 115. *Parochis conceditur Jurisdictio fori interni.* 116. *& seqq. Non autem externi.*

§. I.

An Vicarius habeat Jurisdictionem Ordinariam?

JUrisdictionem Ordinariam in Foro Ecclesiastico 36
procul dubiô habent Episcopi Prælative Majores, & modô quidem excallentiori ac sublimiori, veluti luculentum est ex toto *cap.* 4. Uode nil ampliùs repetere, vel superaddere, sed in personas inferiores, an Jurisdictionem Ordioariam obtineant, inquirere lubet. Ubi mox occurrit Vicarius, circa quem

Notandum I. Vicarium in geoere nominari, qui 37
vicem & munus alterius gerit; in specie tamen alium appellari Vicarium Summi Pontificis; alium Vicarium Parochi; alium Vicarium Capituli; alium Vicarium Episcopi.

Notandum II. Vicarium Summi Pontificis esse, 38
qui in Urbe, nomine & authoritate Summi Pontificis, tanquam Episcopi Romani, Jurisdictionem Ordinariam exercet *cap. penult. de Offic. Vicarii*, at extra Urbem

Urbem Jurisdictione caret *d.cap.penult.* Saltem ultra
39 40. milliaria Italica. Gonzalez ad *d.cap.num.*6. Ejus
Dignitas est magna: utpote cùm immediatè Papam
in Urbe repræsentet, nec tanquam Vicarius Episco-
pi, sed velut ipsemet Episcopus, omnem potesta-
tem, tam ordinariam in subjectos, quàm delegatam
in exemptos habet. Idcircò non alteri, quàm Cardi-
40 nali, nostrò sæculò, in perpetuum confertur; licèt
antiquioribus sæculis alicui Episcopo, ad nutum
amovibili, collata fuerit. Card. de Luca in *Relat.Cu-
riæ Rom.disc.*13.*n.*1.*& seqq.*

41 Notandum III. Vicarium Parochi duplicem in-
veniri, temporalem & perpetuum. *Temporalis* est,
qui constituitur vel ad certum tempus, vel ad arbi-
trium Rectoris principalis, ex causa multiplicium ne-
gotiorum, infirmitatis, absentiæ &c. Hicque tantâ
potitur potestate, quantam ille, cujus sustinet per-
sonam, dare voluerit. Vallensis ad *tit.de Offic.Vicar.*
42 §. 1. *num.*5. *Perpetuus* est, qui in Parochiis, Colle-
gio, Monasterio, vel Canonicatui cuidam unitis &
incorporatis, ad nominationem & præsentationem
Rectoris principalis, canonicè instituitur. Et ille,
43 quàmdiu Parochiæ manet præpositus, eandem cum
alio Parocho (de quo infra) potestatem adipiscitur;
nec potest à Rectore principali in exercitio curæ pa-
rochialis impediri per *Clem. un.de Offic.Vicarii.* Bar-
bosa *J.E.V. lib.*3. *cap.*6.*n.*31.& *in rubr. cit.tit. X. in
Collectan.n.*15. Attamen Rector principalis, præter
44 externam Ecclesiæ, bonorum, juriumque custodiam,
defensionem, & vindicationem, retinet curam & po-
testatem parochialem in habitu per argumentum, ex
cap. super eo 6. de Prabend. in 6. (ubi de *spirituali
Jurisdictione & cura* fit mentio) desumptum; eam-
que potest in actum secundum & exercitium redu-
cere, quando Vicarius perpetuus quôcumque modô,
resignatione, privatione, vel morte decedit. Lay-
mann.de *Elect.Prælat.q.*208.*in f.* Lauren.in *Foro be-
nefic.p.*1.*sect.*1.*q.*131. Pirhing ad *tit. de Prabend. n.*
220. Wiestner ad *tit. de Offic. Vicar. num.* 11. & 12.
Schmalzgrueber *ibid. n.* 6.

Notandum IV. Vicarium Capituli reputari, quem
45 Capitulum, Sede vacante, constituit. Cùm enim
tota Episcopi Jurisdictio, Sede vacante, devolva-
tur ad Capitulum ex *num.*25. difficulter tamen à to-
to Capitulo, in Corpore congregato, quoad singu-
los actus administretur: ideò in Concilio Tridentin.
sess. 24. *de Reformat. cap.*16. decretum est, ut intra
octiduum à morte Episcopi vel anterior Vicarius ge-
neralis confirmetur, vel novus substituatur, *qui sal-
tem in Jure Canonico sit Doctor vel Licentiatus, vel
aliàs, quantùm fieri poterit, idoneus.* P. Reiffenstuel
46 ad *tit.de Off. Vicar.n.*70. *& seqq.* Hic proinde talem
acquirit Jurisdictionem, qualem Vicarius Episcopi;
quin imò majorem, dum secundùm Garciam de *Be-
nef. p.*5. *cap.*7 *n.*28. & alios, quos refert & imitatur
Clariss. P. Schmalzgrueber *cit.l.n.*30. vi generalis suæ
commissionis potest etiam ea gerere negotia, quæ
cæteroquin mandatum speciale desiderant; ex ea di-
versitatis ratione, quòd ad Episcopum, si vivat, faci-
lior pateat accessus, quàm, si fuerit mortuus, ad Ca-
pitulum, quod tam citò de facili non congregatur.
Dissentit Barbosa de *Canonicat. & Dignitat. cap.*42.
*num.*103.

Notandum V. Vicarium Episcopi vel esse Natum,
47 vel Datum. *Natus* appellatur Archi-Diaconus *cap.
ut Archi-Diaconus* 1. *de Offic. Archi-Diac. Datus*
aliàs *Vicarius Generalis* nuncupatur, & in Jure cum
Officiali perfrequenter confunditur, ut patet ex *cap.
dilecti 66. de Appellat.cap. ex frequentib.*3. *de Insti-
tut.cap. cùm nullus* 3. *de Temporib. Ordinat.* in 6.
48 Quamquàm officia ipsorum in aliquibus Diœcesibus
sint diversa, ac Officialis ad causas non-beneficiales,
judicialiter ventilatas; Vicarius autem ad causas be-
neficiales & alias extra judiciales deputari consueve-
rit; indeque in *cap.ult.de Off.Vic.in* 6. Concil. Trid.
*d.sess.*24.*de ref.cap.*16. sub alternatione & diversitate
Vicarius Generalis & Officialis ponantur. P. Reif-
fenstuel ubi *supra* n.58. *& seqq.*

Describi potest Vicarius Episcopi, quòd sit per- 49
sona habilis & publica, quæ Jurisdictionem Episco-
palem, authoritate & nomine Episcopi, exercet.

Dixi I. *persona habilis.* Censetur autem habilis 50
persona, si sit Clericalis, in ætate 25. annorum con-
stituta, ac gradu Licentiæ vel Doctoratûs Juris Ca-
nonici insignis, aut aliàs scientiâ convenienti instru-
cta *arg.* Trident. *d. sess.* 24. *de ref. cap.* 16. Perso- 51
na Laicalis, etsi possit in Vicarium Episcopi tempo-
ralem assumi; quin etiam in Episcopali Consistorio
munus Consiliarii vel assessoris agere, in Vicarium
tamen, in spiritualibus Generalem, assumi nequit,
per textum & rationem in *cap. nullus* 18.*cap.in nona*
22.*XVI.q.*7.*cap.decernimus* 2.*de Judic.* Persona Re- 52
gularis, Ordinem non-Mendicantium professa, cùm
in Episcopum eligi possit, nec Vicarium Generalem
agere alicubi prohibeatur, non erit inhabilis ad of-
ficium Vicarii. Barbosa de *Off. & pot. Ep. alleg.*54.
*num.*12. Rebuff. in *praxi benef. tit. de Vicariis Episc.
n.*31. *& seq.* P. Schmalzgrueber ad *tit. de Offic.Vica-
rii sub n.* 17.

Dixi II. *& publica.* Est enim Vicarius in Digni- 53
tate Ecclesiastica constitutus: utpote cùm Jurisdi-
ctionem & præcedentiam habeat ante omnes Cleri-
cos & Ministros Episcopales. Schambogen ad *cit.
tit. n.*13. Barbosa *cit. l. n.*132. Pignatell. *Consult. Ca-
non.*10.3. *consult.*64.*n.*3.*&* 4. Beneficium tamen Ec- 54
clesiasticum in rei veritate hôc ipsô non videtur ha-
bere, quòd stabilem & fixam Dignitatem non habeat,
sed possit ad libitum Episcopi revocari. Schambogen
*cit. l.n.*12.

Dixi III. *Jurisdictionem Episcopalem.* Itaque pro 55
Vicario stat intentio & præsumptio Juris, quòd
universa, quæ pertinent ad Ordinariam Episcopi Ju-
risdictionem, peragere valeat, nisi specialiter excep-
ta sint *cap. licèt* 2. *cap.ult. de Offic.Vic.in* 6. Passerin.
in *comment. ib.* à *n.*1. Garcias de *Benef. p.* 5. *cap.*8.*n.*
65. Specialiter autem exceptæ sunt causæ crimina- 56
les in *d.cap. licèt* 2. collatio beneficiorum *d. cap.ult.*
dispensationes in votis, censuris, juramentis per Tri-
dent. *sess.*24. *de ref.cap.*6. absolutiones à casibus re-
servatis *cap. si Episcopus* 2. *de Pœnit. & remiss.in* 6. ac
plerique actus Jurisdictionis voluntariæ, qui citra ne-
cessitatem expediuntur, ac proinde speciale manda-
tum Episcopi desiderant. Garcias *d. l. n.* 46. *&* 63.
Clericat. de *Jurisdict. disc.* 27. *n.* 9. Videantur En-
gel ad *tit. de Offic. Vic. n.* 10. Schmalzgrueber *ibid.
num.* 22. *&* 23. qui Authores ejusmodi casus, quos
ad suos titulos differimus, in specie accumulant.

Dixi IV. *authoritate & nomine Episcopi.* Siqui- 57
dem unum est tribunal Episcopi & Vicarii, ac sen-
tentia, quam tulit Vicarius, adscribitur Episco-
po; proindeque non licet à Vicario ad Episcopum,
tanquàm ab eodem ad eundem, appellare *cap. non
putamus* 2. *de Consuet. in* 6. *cap. Romana* 3. *de Ap-
pellat. in* 6. præterquàm ubi sententia est tantùm
interlocutoria vel nulla, quam, sicut ipsemet Vi-
carius emendare valet, sic etiam Episcopus. P. Engel
*cit.l.n.*7.

An autem Episcopus teneatur constituere Vica- 58
rium Generalem? Aliqui trahunt in controversiam;
ego non-controversum arbitror. Vel enim ipsemet
Episcopus est per se ipsum sufficiens, ut solus Epis-
copale munus in exercitio Jurisdictionis obire valeat;
vel amplitudo Diœcesis aut negotiorum arduitas &
copia non sinit Episcopum omnia, quæ vellet, ex-
pedire. Primô casu non tenetur Vicarium constitue- 59
re, ne, quod in favorem Episcopi fuit introductum,
ut

ut in partem sollicitodinis & oneris possit assumere
Coadjotorem, in odium detorqueatur contra *cap.*
60 *quod ob gratiam* 61. *de R. J. in* 6. Alterô casu dictat
æquitas & justitia, ut, ubi pluribus expeditionibus
unus est impar, laborem pariatur, Vicarium ido-
neum assumendô. P. Engel ad *tit. de Offic. Vic. n.* 9.
P. König *ibid.* n.5.

61 Porrò, si velit Episcopus, non tantùm unum, sed
plures Vicarios constituere potest, vel in solidum &
privativè, vel conjunctim & cumulativè; prout etiam
non prohibetur deputare unum Vicarium in urbe,
qui propriè Vicarius Generalis appellari consuevit;
alterum foris & ruri, qui propterea foraneus audit
per *Clem. etsi* 2. *de Rescript.* Barbosa de *Offic. & pot.
Ep. alleg.* 54. *num.* 105. Clericat. de *Jurisdict. disc.*
27. *n.* 14.

62 Dixi V. *exercet.* Exercet autem Jurisdictionem
tamdiu, quàmdiu Episcopus vivit, & Vicarium non
revocat. Quòd si Episcopus moriatur, aut natura-
liter, aut civiliter seu potiùs Canonicè, puta, quòd
excommunicationem vel suspensionem incurrat, Vi-
carii Jurisdictio cum Jurisdictione Episcopi perimi-
tur aut suspenditur *arg.* Trident. *sess.* 24. *de ref. cap.*
63 16. & *cap. Romana* 1. *de Offic. Vicar. in* 6. Idem
accidit, si revocetur ab Episcopo, ad cujus bene-
placitum sicut primitus incipit esse Vicarius, ita ad
illius revocationem desinit esse Vicarius *arg. l. judi-
cium* 58. *ff. de Judic.*

64 Superest nunc ordinaria quæstio, breviter venti-
landa, sitne Jurisdictio, quâ Vicarius Generalis emi-
net, Ordinaria vel Delegata? Delegatam esse, con-
tendunt Sotus, Clericatus, & alii, à Barbosa *d. alleg.*
59. *n.* 30. citati. I. quia Jurisdictio Vicarii est eadem
cum Jurisdictione Episcopi per *cap. non putamus* 2.
de Consuetud. in 6. *cap. Romana* 3. *de Appellat. in* 6.
Ergo nequit esse Ordinaria: alioquin esset penes duos
in solidum contra *l. si ut certo* 5. §. 15. *ff. Commod.*
65 II. quia, qui alterius beneficiô Jurisdictionem exer-
cet, non Ordinariam, sed Delegatam habere cense-
tur per *l. more* 5. *ff. de Jurisdict.* Sed Vicarius exer-
66 cet Jurisdictionem beneficiô Episcopi. Ergo &c. III.
quia Jurisdictio Ordinaria est perpetua juxta *n.* 33.
qualis non est Jurisdictio Vicarii, quæ, sicut liberè
confertur ab Episcopo, sic liberè, & quandocunque
placuerit, rursus adimitur.

67 Ordinariam esse, propugnant Panormitan. in *cap.
decernimus* 2. *de Jud. n.* 12. Covarruv. *lib.* 3. *Var. re-
sol. cap.* 20. *num.* 4. Gutierrez *QQ. Canon. lib.* 2. *cap.*
17. *n.* 17. Barbosa *cit. l. n.* 26. Pignatell. *tom.* 3. *Consult.
Canon.* 64. *num.* 5. Magnif. P. König ad *tit. de Offic.
Vic. num.* 15. Reverend. Guetrather *Instit. Jur. Ca-*
68 *non. lib.* 1. *tit.* 15. *num.* 12. Primum horum fundamen-
tum est: quòd Jurisdictio Vicario competat vi mu-
neris, ad hoc instituti, nec speciali indigeat conces-
sione, sed unà cum ipso officio deferatur, per textum
notabilem in *cit. cap. licet* 2. *de Offic. Vic. in* 6. Talis
69 autem Jurisdictio est Ordinaria ex *numer.* 5. Secun-
dum: quòd Jurisdictio, quæ habetur à Lege stabili
& communi, dicatur Ordinaria *arg. l. & quia* 6. *ff.
de Jurisdict.* Atqui Jurisdictio Vicarii habetur à Le-
ge communi & stabili per *cit. cap. licet &c.* Ergo
70 &c. Tertium, quòd Vicarius habeat idem tribunal
cum Episcopo, ac eandem Jurisdictionem, non tan-
tùm quoad usum, sed etiam quoad proprietatem per
cit. cap. non putamus 2. *de Consuet. in* 6. *cap. Romana* 3.
de Appellat. in 6. Atqui Jurisdictio Episcopi est Or-
dinaria. Ergo &c.

71 Retentâ hâc posteriore sententiâ, ad primùm ar-
gumentum contrarium responderi potest per retor-
sionem ultimi fundamenti, in *num.* 70. propositi. Nec
sequitur exinde, quòd Jurisdictio sit penes duos in
solidum eôdem modô & ratione: quippe penes
Episcopum est independenter & illimitatè; penes
Vicarium dependenter & limitatè; & positô;
quòd sequeretur, non esset contra nostra princi-
pia, suô tempore stabilienda. Ad secundum Resp. 72
negandô minorem. Vicarius etenim Jurisdictio-
nem suam principaliter nanciscitur ex Lege, Epis-
copô non Jurisdictionem tribuente, sed solam de-
signante personam, in quam Lex unà cum officio
Jurisdictionem transfert; uti contingit in Legato
S. Pontificis, qui, licèt quoad personam designetur
à S. Pontifice, cujus vices sustinet, Jurisdictio-
nem tamen immediatè consequitur ex Lege juxta
cap. cùm non ignoretis 1. *de Offic. Leg. cap. Legatos*
2. *eôd. in* 6. Tertium argumentum recipit solutionem 73
ex *num.* 34. quòd enim Jurisdictio Ordinaria debeat
esse perpetua, est aliquid ordinarium & plerumque
contingens, absolutè tamen non necessarium: cæte-
roquin enim nec Prætoris Romani, nec Rectoris
Academici, nec Superiorum temporalium Jurisdi-
ctio foret Ordinaria; cùm & ista temporalis & tran-
sitoria sit.

Quæres: utrùm Vicarius Episcopi suam Jurisdi- 74
ctionem alteri delegare possit?

Resp. affirmativè. Textus in *cap. Romana* 1. *de
Offic. Vic. in* 6. ubi, dum asseritur, eum, qui vices ge-
rit Officialis seu Vicarii excommunicati, non fieri ex-
communicatum, sed, quæ acta sunt excommunicatio-
nis tempore, irrita esse; supponitur, Jurisdictionem
Vicarii per delegationem alteri, qui vices ipsius ge-
rat, communicari posse. Ratio deducitur ex ante 75
probatis: quia Judex Ordinarius Jurisdictionem suam
delegare potest *l. more Majorum* 5. *ff. de Jurisdict.*
Glossa & Barbosa ad *cit. cap. Romana n.* 9. Anchoran.
n. 2. Passerinus *n.* 6.

Dices: Vicarius non potest alterum sibi Vicarium 76
substituere per *cap. Clericos* 4. *de Offic. Vicar.* quia
censetur esse personæ industria electa. Ergo etiam
non potest substituere Judicem delegatum *arg. cap.
ult. §. is autem de Off. Jud. deleg.* quia industria perso-
næ electa censetur.

Resp. negandô conseq. & rationem appositam: quia 77
industria personæ censetur electa quoad officium Vi-
carii & causarum universitatem, non etiam quoad sin-
gulas causas in particulari, quas nonnunquam expe-
dit, per alium dijudicari posse, si fortè contingat,
Vicarium morbô, absentiâ, vel aliô impedimentô di-
stringi.

§. II.

Habeátne Archi-Diaconus Jurisdictionem Ordinariam?

Archi-Diaconus, quem Natum Episcopi Vicarium 78
esse, notatum erat in *n.* 47. est primus & princeps Dia-
conorum, quin & (si Vicarium Generalem excipia-
mus) Ministrorum Ecclesiæ Cathedralis, Jure Com-
muni consideratô in *cap. ut Archi-Diaconus* 1. *cap. ad
hæc* 7. *de Offic. Archi-Diac.*

Habet ex communissima DD. sententia Jurisdictio- 79
nem Ordinariam in causis Canonico-Civilibus per
textus in *cap. mandamus* 6. *d.* 1. ubi Archidiacono
committitur potestas Ecclesias visitandi; item in *cit.
cap.* 1. & 7. ubi dicitur Archi-Diaconus vices Epis-
copi gerere, omnem curam super Clerum habere, sin-
gulorum jurgia audire, corrigere & emendare, quæ
corrigenda & emendanda sunt, Sub-Diaconis & Le-
vitis imperare, atque in ipsum Archi-Presbyterum
Jurisdictionem exercere. Qui termini satis arguunt,
Jurisdictionem aliquam, & Ordinariam, Archi-Dia-
cono concessam esse.

Quòd autem in causis criminalibus Jurisdictionem 80
non habeat, colligitur partim ex *cap. Archi-Diaconis*
5. ubi dicitur, Archi-Diacono non licere in aliquos
sententiam (subintellige in criminibus) promulgare,
nisi

81 nisi anthoritas Episcoporum accesserit: partim ex
cit.cap.ad hac 7. de Off. Archid. ubi causæ magis ar-
duæ ac correctione dignæ (quales utique sunt cri-
82 minales) ad Episcopum referri jubentur: partim
ex Concil. Trid. *sess.24.de Reform.cap.* 20. ubi causæ
criminales, matrimoniales, beneficiales, quæve al-
tioris sunt indaginis, Episcopali judicio reservantur.
83 Nec obstant textus in *cap.dudum 54. ꝟ. sed cùm
in Iure de Elect. cap. referente 7. de Præbend. cap.
Romana 5. de Sent. excommun. in 6.* in quibos Archi-
Diaconus Clericos suspendisse, excommunicâsse, be-
84 neficiò privâsse legitur. Supponitur siquidem, reci-
tatos Jurisdictionis Criminalis actus non ex Jure
Communi & vi muneris, sed ex speciali delegatione,
privilegiô, consuetudine, vel præscriptione, ab Ar-
chi-Diacono fuisse exercitos, prout Authores com-
muniter interpretantur cum Abbate in *cit. cap. refe-
rente 7. de Præb. n. 2.*
85 Porrò & in Monasteria nullam Archi-Diaconi Ju-
risdictionem habent, nisi quam dederit consuetu-
do *cap. ult. de Offic. Archi-Diac.* ubi solidè & pro-
lixè Panormit. *num. 7. & 2. seqq.* Rationem dat P.
König ad *eund. tit. num. 3.* quia Monasteria præter
Episcopum habent adhuc alium Superiorem, nimi-
rum Abbatem, Præpositum, vel Priorem, per quem
Episcopus sufficienter in munere suo sublevatur.

§. III.

An Archi-Presbytero Iurisdictio Ordinaria competat?

86 Archi-Presbyter, quasi præcipuus inter Presby-
teros, est quidem Ordine superior Archi-Diaconô,
tamen & dignitate inferior *cap. perlectis 1.§.Archi-
Presbyter Dist. 25. cap. ut Archi-Presbyter 1. de
87 Offic. Archi-Presbyt. cap. ad hac 7. de Offic. Archi-
Diaconi.* Hunc tamen supremarum non tam ex Jure
Communi, quàm speciali consuetudine, ortum
trahere, cum Hallierio tradit Gonzalez in *not. ad
cit. cap. ut Archi-Presbyter n.3.* & hinc non in om-
nibus Ecclesiis Archidiacono præcedentiam præ
Archipresbytero concedi, praxis Germaniæ do-
cet, & ostendit Card. de Luca de *Praeminent.
disc. 20. per tot.*
88 Hostiensis in Summa ad *tit. de Offic. Archi-Pres-
byter.* quem pronissimè sequuntur Interpretes, du-
plicem Archi-Presbyterum facit, Urbanum & Ru-
ralem. *Urbanus*, qui & *Decanus Ecclesiæ Cathedra-
lis* aut *Collegiata* nuncupatur, est, qui Presbyte-
ris in Urbe, seu residentia Episcopali, degentibus,
præest: hicque & Dignitatem & Jurisdictionem Ca-
nonico-Civilem habet per *cap. officium 3. d. t.*
Azor *Instit. Moral. p.2. l. 3. cap. 15. q.7.* Gonzalez
cit. loc. n.4. P. Wiestner ad *cit. tit. n. 2.*
Ruralis, qui etiam *Decanus Ruralis* ad mentem
89 *cap.ad hac 7.§.subsequenter de Off.Archidiac.* appel-
latur, ac extra Civitatem Episcopalem curam ge-
rit tam plebis quàm Clericorum, veriùs neque Ju-
risdictione, neque Dignitate conspicuus est; eò quòd
nulli propriè dicto Presbyterorum Collegio præsit;
nec capax censeatur esse delegationis Apostolicæ
per *Clem. etsi 2. de Rescript.* ac in *cap. ult. d. t.* cun-
cta, quæ scit, & audit, ad Episcopum referre ju-
beatur, rectiùs inspector, quam Judex nominan-
dus. Barbosa de *Canonicat.& Dignitat.cap.6.num. 33.
& 36.* P. Engel ad *cit. tit. num. 2.* P. Wiestner *ibid.
num. 6.* ac novissimè Clariss. P. Schmalzgrueber ad
cit. tit. num. 6.
90 Nec opinio opposita, quæ arridet Laymaño de
Iurisdict.Ord.conclus.145. Gonzalezio *cit. n.4.* Pirhin-
gio ad *cit.tit.n.11.* favet *cit. Clem.etsi 2. de Rescript.*
in qua Decanus Ruralis dicitur esse Vicarius fora-
neus Episcopi. Est namque Vicarius curæ, oneris,
& inspectionis, non autem Vicarius Jurisdictionis
Episcopalis; potestque minora quædam & levio-
ra, sinè figura judicii, decernere; &, si quando-
que judicium propriè dictum instituat, id ex com-
missione Episcopi facit.
In facto consultus: an Religiosus possit Archipres- 91
byterum Ruralem agere?
Respondi, me non invenire quandam Juris prohi-
bitionem, præsertim si Religiosus aliunde sit expo-
situs in Parochia: cùm enim non prohibeatur age-
re Vicarium Episcopi Generalem ex *num. 52.* ac in
pluribus locis peragat officium Archidiaconi seu Vi-
carii Nati: nil obstare videtur, quò minùs officium
Vicarii foranei, seu Decani Ruralis, obeat, Cleroque & plebi invigilet.

§. IV.

Utrùm Primicerio, Sacrista, & Custodi concedatur Iurisdictio Ordinaria?

Primicerius est primus in cera, seu tabula officio- 92
rum, aliô vocabulô Cantor, Præcentor, vel Dire-
ctor in Choro psallentium, imò hodie Scholasticus
nominatos *cap.perlectis 1.§.ad Primicerium Dist.25.*
Trid. *sess.23.de ref.cap.18.* Ejus officium est, junio- 93
res Clericos in cantu Chorali instruere, modum le-
gendi sacros libros edocere, ac omnia, quæ ad Lau-
des Divinas cum decore & fervore peragendas, con-
ducunt, monstrare per *cap. un. de Offic. Primicerii.*
Habet equidem de Jure præcedentiam coram aliis 94
Clericis simplicibus, sicque Personatum gerit *arg.cap.
cùm accessissent 8.de Constitut.cap.cum olim 6.de Con-
suetud.* Jurisdictione verò destitutus est: cùm & Ar-
chi-Diacono subsit *d. cap. un.* &, quæ correctione
digna perspexit, Episcopo denuntiare debeat *d.cap.
perlectis §.ad Primicerium Dist 25.*
Sacrista, seu Thesaurarius, à cura sacrarii rerum, 95
& vasorum sacrorum, nomen adeptus, nullâ Juris-
dictione gaudet, sed nudum officium, custodiam,
& dispositionem, circa sacram supellectilem, para-
menta, vasa, luminaria &c. habet *cap.un.de Offic.Sa-
crista.* Videtur nihilo minùs in Personatu positus esse, 96
ratione cujus causarum Apostolicarum Delegatum
agere queat per *cap.cùm olim 32.de Offic.& pot.Iud.
Deleg.cap.ex tenore 11.de Foro compet.* Barbosa *cit. l.
cap.8.num.6.* Gonzalez ad *cit.cap.un.de Offic.Sacrista
num.1.* P. Wiestner *ibid. num.7.*
Custos in Jure est, qui custodiam gerit Ecclesiæ 97
utensilium minùs pretiosarum, v.g. linteaminum, olei,
lampadum &c. debetque lucernas accendere, & ex-
tinguere, ad officium Divinum pulsare, ac ea ferè
agere, quæ hodie æditui per *cap.custos 1. & 2. de
Offic. Custodis.* Sed de consuetudine nomina Custo- 98
dis ac Sacristæ confusa sunt, ac plerumque in Ec-
clesiis Cathedralibus & Collegiatis uni ex Canoni-
cis officium Custodis (idem accidit cum officio
Scholastici) quoad supremam inspectionem commit-
titur, ministeriô penes æditos remanente. P. En-
gel & Interpretes ad *cit. tit.*

§. V.

Qualem Iurisdictionem habeant Prælati Regulares?

Prælati Regulares sunt Abbates, ab Hebræa 99
voce *Patres* denominati; sunt & Præpositi, Prio-
res Conventuales, Guardiani, Rectores &c. Hi om- 100
nes duplici potestate præcellunt, Oeconomicâ & Ju-
risdictionali. *Oeconomica* subortitur ex voto obedien-
tiæ, quò se & sua in voluntatem Prælatorum tran-
scribunt subditi Regulares, eaque omnia servare te-
nentur, quæ secundùm Regulam & institutum

imperantur *cap. nullam 9. XVIII. q. 2.* Jurisdictionalis provenit à Summo Pontifice, qui Prælatos Regulares Regularium subditorum Ordinarios esse voluit Judices, tam in civilibus quàm criminalibus causis, ut constat ex *cit. cap. nullam cap. edoceri 21. de Rescript. cap. cum in Ecclesiis 10. de M. & O. cap. Monachi 2. cap. cùm ad Monasterium 6. cap. ea, quæ 8. de statu Monach. cap. sicut 33. de Simonia.*

102 Quòd si Prælati quidam exempti sint, non solùm quoad se, & sua Monasteria, sed etiam quoad Territoria & populum, dicuntur habere Jurisdictionem quasi-Episcopalem, ac ea omnia facere, quæ possunt Episcopi *cap. Abbatibus 18. XVIII. q. 2.* P. Engel *de Privileg. Monast. privil. 48. num. 4.*

103 Porrò Priores, Decani, & alii Superiores claustrales, qui supra se habent Præpositum vel Abbatem, non Ordinariam, sed plerumque Delegatam aliquam Jurisdictionem obtinent: tum quia officium illorum non est stabile: tum quia tota Jurisdictio non ex Lege aut determinatione Juris, sed ex arbitrio & voluntate Prælati domestici pendet: tum quia non sunt in tali Dignitate vel Personatu, ratione cujus delegationem causarum à Sede Apostolica recipere valeant juxta *Clem. etsi 2. de Rescript. tis*, ex qua simul colligitur, aliud esse de Prioribus Conventualibus, extra Monasterium in incorporato Prioratu deputatis.

§. VI.

Sunne Abbatissæ vel Præposita Monialium Jurisdictionis capaces?

104 Abbatissis, Priorissis, & reliquis Monialium Præpositis, Magistris, aut Matribus, potestatem aliquam œconomicam & domesticam competere, vi cujus ea, quæ Regulæ sunt conformia, præcipere, disponere, ac delinquentes coërcere possint, receptum est apud DD. P. Layman *de Jurisdict. Ord. conclus. 133. & seqq.* P. Jacobus Wex *in Epit. Can.*

105 *part. 1. cap. 8. numer. 3.* Nam voto obedientiæ, quo Moniales, Religionem solenniter professæ, Abbatissis vel Priorissis semet subjiciunt, obstringit illas ad omnia, quæ juxta Regulam imperantur, observanda.

106 An etiam Jurisdictionalis potestatis sint capaces? Dubium est; in quo tamen receptior sententia negativam tenet, ex ea ratione, quòd Jurisdictionalis potestas Ecclesiastica indirectè saltem pertineat ad potestatem clavium per *cap. fin. de Excess. Prælat.* Atqui fœminæ potestatis clavium incapaces sunt, ut habet insignis textus in *cap. nova 10. de Pœnit. & remiss.* Ergo & potestatis Jurisdictionalis Ecclesiasticæ. Layman *cit. l.* Wex *d. cap. 8. num. 7. & seqq.* Wiestner ad *tit. de Off. Jud. Ord. num. 101.*

107 Obstare videtur *cap. dilecta 12. de M. & O.* ubi refertur, Abbatissas posse *suas Canonicas, & Clericos, sua Jurisdictioni subjectos, propter inobedientiam & culpas eorum officio beneficioque suspendere.*

108 Sed, si attentiore oculo & animo legatur textus iste, nullatenus obstat. Inprimis enim recitata verba non sunt Pontificis, sed Abbatissæ, nec in dispositione, sed narratione posita, adeòque nec Juris-

109 dictionem, nec suspensionem probant. Ulterius supponitur apertè, quòd Abbatissa non habeat Jurisdictionem Ecclesiasticam criminalem, dum dicitur,

110 quòd *excommunicare* non possit. Præter hæc æqualiter de Clericorum & Canonicarum suspensione loquitur; non obstante, quòd fœminæ nequeant propriè suspendi & privari potestate aut functione

111 Ordinis, cujus alioquin sunt expertes. Demùm ejusmodi suspensiones vocantur salutaria monita & mandata, quibus, si obedientiam & reverentiam non impendant Clerici & Canonicæ, excommunicari jubentur, non ab Abbatissa, sed ab Abbate. Sic- 112
que ex omnibus hisce colligitur, Jurisdictionem in *cit. cap. dilecta* accipi planè impropriè, quatenus solam potestatem œconomicam, non etiam publicam & authoritativam, denotat; suspensionem quoque accipi non pro censura, sed pro simplici prohibitione, quâ Clericis sub pœna subtractionis fructuum, ne celebrent, interdicitur. Conferatur Gonzalez in *not. ad cit. cap. num. 4.* & in *comment. ibid. num. 10. in fin.*

Illud tamen ultrò largior, posse ex singulari de- 113
legatione vel privilegio Pontificio Abbatissis, Priorissis, aliisque Monialium Magistris & Matribus, aliquam Jurisdictionem fori externi competere, quæ potestatem Ordinis non includat, cujusmodi est potestas condendi legem, ferendi censuram, dispensandi in voto &c. Ratio est: quia potestas Juris- 114
dictionis fori externi, non includens Ordinem, non provenit immediatè & directè ex potestate clavium, sicut potestas fori interni, includens potestatem Ordinis: unde potestatis posterioris planè sunt incapaces fœminæ; non item prioris. Authores supra citati. Videatur Ciericat. de *Jurisdict. disc. 15.* præsertim in *num. 18. & seqq.*

§. VII.

An, & qualem Jurisdictionem habeant Parochi?

Parochis Jurisdictionem Ordinariam esse conces- 115
sam pro foro interno, inde claresc it ex eo: quia, præter jus administrandi omnia Sacramenta intra lines suæ Parochiæ juxta *Clem. Religiosi 1. de Privil.* potest Parochus in sacro Tribunali de omnibus suorum Parochianorum peccatis, S. Pontifici vel Episcopo specialiter non reservatis, cognoscere, pœnitentiam dictare, pœnitentes absolvere, vel condemnare; nec alius, qui delegatione & licentiâ Parochi, aut privilegio Apostolico, destituitur, hisce actibus se se intromittere potest *cap. omnis utriusque 12. de Pœnit. & remiss.*

At Jurisdictionem propriam, ac contentiosam, 116
pro foro externo concessam, non habet; quia de causis Parochianorum judicialiter cognoscere, sententiam aut censuram ferre, absolvere pro foro externo, spectat ad solum Episcopum per *cap. de persona 38. XI. q. 1. cap. perniciosa 1. cap. duo simul 9. cap. pastoralis 11. cap. irrefragabili 13. in pr. & 3. seqq. de Offic. Jud. Ord.* Layman *de Jurisd. Ord. conclus. 158.* Gonzalez ad *cap. cum ab Ecclesiarum cod. tit. num. 2.* Ciericat. de *Jurisdict. disc. 26. numer. 31. & seqq.*

Neque reponas, in *cit. cap. cùm ab Ecclesiarum* 117
& *cap. anteced.* manifestè decerni, quòd Parochi sententiam excommunicationis promulgare, & excommunicatos possint ad parendum sententiæ compellere. Enimverò in *cit. textibus* supponitur, aut specialt jure Parochis potestatem excommunicandi de- 118
legatam fuisse, propterea, quòd ab initio *cit. cap. cùm ab Ecclesiarum* in genere fiat mentio *Prælatorum* Ecclesiasticorum; aut potestatem, quam habent Parochi, ad declarandas duntaxat & manutenendas excommunicationes, quas Parochiani ipsô jure & factô notoriò antecedenter jam incurrerant, coarctari.

SECTIO

SECTIO III.

De Personis, quæ Jurisdictionem Ordinariam habent in foro Sæculari.

SUMMARIA.

119. *Habentes Jurisdictionem Ordinariam in foro sæculari dicuntur Magistratus.* 120. *Alii sunt Urbani & Ordinarii.* 121. *Nempe Consules.* 122. *Præfecti prætorio.* 123. *Prætores.* 124. *Alii sunt extraordinarii.* 125. *Videlicet Dictator.* 126. *Magister Equitum.* 127. *Præfectus Urbi.* 128. *Præfectus Vigilum.* 129. *Præfectus annonæ.* 130. *& seq. Quæstor.* 132. *& seq. Senatores non habebant Jurisdictionem.* 143. *Alii sunt Magistratus Provinciales.* 135. *Nimirum Proconsul.* 136. *Ejus Legatus.* 137. *Præses.* 138. *Quæstor provincialis.* 139. *Procurator Cæsaris.* 140. *Præfectus Augustalis.* 141. *Juridicus.* 142. *Præfecti Prætorio.* 143. *& seq. Alii sunt Magistratus Municipales.* 145. *Decuriones non habebant Jurisdictionem.* 146. *Sed Duumviri.* 147. *& seq. Et Defensores Civitatis.* 149. *Hodierna facies Imperii est alia.* 150. *Brevis hodiernæ Jurisdictionis notitia.*

§. I.

De Magistratibus Urbanis.

119 PErsonæ, quæ Jurisdictionem Ordinariam habent in foro sæculari, dicuntur aliàs de Jure Romano propriô nomine Magistratus, veluti notavit Sutholt de *Jurisdict. aphorismo* 204. & constat ex *num.* 2.

120 Ex illis in Veteri Romanorum Republica quidam erant Magistratus Urbani; aliqui Provinciales; alii Municipales. *Urbani* vel erant ordinarii, vel extraordinarii. *Ordinarii* seu *legitimi* vocabantur, qui statis temporibus, ac singulis annis ad munus suum ordinarium obeundum à populo creabantur; seu, qui in ordine, Legibus institutô, solenni more deputabantur, & perpetuò usurpabantur, ut loquitur *cit.* Sutholt *aphoris.* 212.

121 Horum numerô erant I. *Consules*, quorum potestas tam in jure dicendo, quàm in gubernanda urbe, Regibus exactis, propemodùm fuit regia per *l.necessarium* 2. §. 16. *ff. de O. J.* Et ideò, ne Regibus per omnia se crederent similes, Lege cautum extitit, ut ab illorum sententia detur provocatio; néve possint in caput Civis Romani animadvertere; relictâ coërcendi, capiendi, & custodiendi facultate *d.l.& §.*

122 II. erant *Præfecti Prætorio*, qui ab initio Cohorti prætoriæ, seu custodiæ militari Principum vulgò *die Leib-Guardi* præerant; *d.l.*2. §. 19. postmodùm crevit ipsorum authoritas, atque de aliorum causis, tam civilibus quàm criminalibus, appellatione remotâ, judicârunt *l.un.in fine pr.ff.de Offic.Præf.Prætor.l.un.Cod.de Sent. Præf. Prætor.* Struv. *exercit. ad pand.*4 *th.*12. *& seq.* cum *not.* Miller.

123 III. erant *Prætores*, qui, cùm Consules juri dicundo non semper intendere possent, aut occupationum cumulô distracti, aut extra Urbem bellorum causâ extracti, ad jus in Urbe dicendum reddendumque ex officio fuerunt instituti; addito posteà Jurisdictionis sociò, nimirum Prætore peregrino, ut causas peregrinorum disceptaret *d.l. necessarium* 2.§ 27.*&* 28.*ff.de O.J.* Lauterbach ad *tit. ff. de Offic. Prætor.* §. 1.*&* 2.

124 *Extraordinarii* seu *non-legitimi* Magistratus censebantur, quibus non solenni more & usitato ritu, sed extra antiquum ordinem & receptum modum imperium aut Jurisdicendi potestas dabatur; quive non singulis annis, sed tum demum, cùm, emergente de improviso necessitate, usus eorum necessarius videretur, eligebantur, & absolutâ, cui præfecti erant, curâ, Magistratu abibant. Ita ferè Sutholt *cit. aphoris.* 212.

125 Talis est I. *Dictator*: hi enim non aliô, quàm belli gravioris tempore, sed cum amplissima potestate, constitutus est. Audiatur textus in *d.l.*2.§.18. *cùm crebra orirentur bella, & quædam acriora à finitimis inferrentur, interdum re exigente, placuit, majoris potestatis Magistratum constitui. Itaque Dictatores proditi sunt, à quibus nec provocandi jus fuit, & quibus etiam capitis animadversio data est. Hunc Magistratum, quoniam Summam potestatem habebat, non erat fas, ultra sextum mensem, retinere.* Conferatur Anton. Garro in *commentario ad cit.tit.&* §. *pag.m.* 123. *& seqq.*

126 Talis est II. *Magister Equitum*, de quo in *cit.l.* §.19. ICtus ita proloquitur: *Dictatoribus Magistri Equitum injungebantur sic, quô modô Regibus Tribuni Celerum: quod officium ferè tale erat, quale hodie Præfectorum Prætorio.* Nempe, ut scribit ad *d.* §. Garro *pag.* 124. jus summum in milites habebat; Dictatori tamen obsequebatur, & secundam post eum potestatem gerebat.

127 Talis est III. *Præfectus Urbi*, cui, dum alii Magistratus foris agebant, præfectura Urbis cum potestate jus dicendi fuit commissa *d.l.*2.§.33.sed, postquàm Prætores, ceu Magistratus Ordinarii, recepti sunt, officium Præfecti Urbi exspiravit, solùmque latinarum feriarum causâ, in quibus Populus Romanus in monte Albano Jovi taurum sacrificaverat, quidam pro forma (ut ajunt) munus Præfecti Urbici sustinuit. Lauterbach ad *tit. ff.de Offic. Præf. Urbi* §.1.

128 Talis est IV. *Præfectus Vigilum.* Is præerat Tribunis seu Capitaneis septem cohortum militarium; debebatque peculiarem gerere curam effractorum, furum, raptorum, receptatorum, incendiariorum, quos etiam fustibus, virgis, aut flagellis castigare potuit *l.nam salutem* 3.*in pr.&* §.1.*ff. de Offic. Præf. Vigil.* Struv.*exercit.*4.*th.*26.*& seq.* & *ib.* Miller.

129 Talis est V. *Præfectus annonæ*, juxta Antonium Garronem ad *cit.l.*2.§.33.*ff.de O.J. pag.m.*209. cum in finem assumptus, ut cernendi secernendique frumenti sollicitudinem haberet, avehi undique, & advectum justô pretiô vænire faceret; ac, si quis ultra necessitatē habuerit, in mediū proferre cogeret.

130 Talis est VI. *Quæstor*, tum Capitalis, qui quæstiones Capitales, Romano Populo specialiter reservatas, tractare consueverat *d.l.*2.§.23.tum Cameralis, inquirendæ & conservandæ pecuniæ gratiâ creatus *d.l.*§.22. Huic posteriori primitus nullam fuisse Jurisdictionem, posteà Jurisdictionem & Imperium mixtum, sine quo pecuniam conquirere & ærario inferre non poterat, eidem accessisse, tradunt Bocer. de *Jurisd.cap.*8.*n.*60. Miller ad Struv. *d.exercit.*4.*th.*18.*lit.*9. 131 Alios quoque Quæstores apud Romanos viguisse, sed pro Reipublicæ diversitate diversos, patet ex *l.un.ff.de Off. Quæstor.* docentque Struv. *cit.l.* Lauterbach, & Stryck in *usu mod.* ad *eund. tit.* Quæ ipsa Quæstorum diversitas in causa est, quòd eos non inter Magistratus ordinarios, sed extraordinarios retulerim.

132 Quæres: an Senatores inter Magistratus Romanos olim numerari fuerint?

Resp. cum Lauterbach ad *tit.ff.de Senatorib.* §. 3. Struv. *cit. exercit.* 4. *th.* 3. Millero *ibidem* ab initio Reipublicæ Romanæ Senatores non fuisse relatos in-

ter Magistratus: Senator enim erat nomen Ordinis,
non Magistratûs: quandoquidem Populus Romanus in tres Ordines erat divisus, Senatores nempe,
Patritios, & Plebejos, atque ex his Ordo Senatorius erat supremus, & ad hoc præcipuè destinatus, ut
133 cum Magistratibus de Republica consultaret. Postmodùm verò, præsertim sub Imperatoribus, Senatores extra ordinem jus dixisse, & Judices dedisse, probant textus in *l. hunc titulum* 1. §. 10. *ff. de Postulando l. quò minus* 2. *ff. de Fluminib. l. tractandum* 1. §. 2. *ff. à quibus appellare non licet.*

§. II.

De Magistratibus Provincialibus.

134 Magistratus *Provinciales* apud Romanos nominabantur, qui foris, id est, in provinciis extra Italiam, victricibus eorum armis in potestatem Romanæ Potentiæ redactis, jus dicebant.

135 Ex horum censu numeratur I. *Proconsul*, quasi Consulis Urbici munus & officium exercens. Huic plenissima competit potestas, voluntaria (quam egressus ex Urbe mox exercere potuit *l. omnes Proconsules* 2. *in pr. ff. de Offic. Proconf.*) & contentiosa (quam, ubi Provinciam ingressus erat, primùm explicare valebat *d. l in pr.*) ordinaria & extraordinaria *l. si in aliam* 7. §. 2. *l. & ideò* 8. *l. nec quicquam* 9. *in pr. ff. d. t.* Imperium merum & mixtum *l. solent* 6. *in*
136 *pr. l. si quid* 11. *ff. l. un. Cod. eôd. tit.* Jungebatur ei propter multitudinem causarum *Legatus*, seu vicarius & Adjutor, qui quidem Jurisdictionem habebat à Lege vel Senatu ut propriam *l. cognitio* 4. *in pr. ff. de Off. ejus cui mand. est Jurisdict.* eam verò non poterat exercere, antequàm à Proconsule mandata seu commissa & excitata fuisset *l. observare* 4. §. *ult. l. solent* 6. §. 1. *l. legati* 13. *ff. de Offic. Proconf.* Miller ad Struv. *cit. exercit* 4. *th.* 30. *lit.* 6.

137 II. numeratur *Præses*, qui mittebatur in provincias, à Cæsare Augusto divisas, eidemque reservatas, cum eminenti potestate, & omnigenâ Jurisdictione, Civili & Criminali *l. præses* 3. *l. præses* 4. *l. illicitas* 6. *in pr.* §. 8. & 9. *ff. de Officio Præsid.*

138 III. numeratur *Quæstor provincialis*, qui pecunias ex vectigalibus & aliis Reipublicæ proventibus collegerat, &, quantum quidem ad id munus obeundum requirebatur, jus dixerat. Sutholt de *Jurisdict. aphoris.* 215. Miller ad Struv. *d. exercit.* 4. *th.* 28. *lit. d.*

139 IV. numeratur *Procurator Cæsaris*, qui res fiscales & pecunias publicas, in provinciis, ad Imperatores spectantibus, administravit, accepta & impensa rationibus inseruit, ac in causis fiscalibus, Cæsarem inter & privatos controversis, jus dixit. Textus in *l. Moschis* 47. §. 1. *ff. de J. F. t. t. ff. de Offic. procurat. Cæsar. vel ration. t. t. Cod. ubi causæ fiscales &c. l. si quid* 2. *Cod. Ubi & apud quem l. non quidem* 1. *Cod. de Jurisdict.* Struv. *d. exercit.* 4. *th.* 35. Miller *ib. l. a.* Idem Procurator aliô nomine *Rationalis Cæsaris* appellatus erat: eò quòd bona illius curaret, & rationes redderet. Miller ad *cit. th. lit. a.*

140 V. numeratur *Præfectus Augustalis*, à primo conferente Augusto sic nuncupatus, & eâ lege deputatus, ut omnia tributa per Ægyptum, in provinciam tunc mutatam, à Moderatoribus exigeret, & solutionem militari auxiliô extorqueret; Imperiô, ad similitudinem Proconsulis, ipsi concessô *l. un. ff. l. omnia* 1. *Cod. de Offic. Præf. Augustal.*

141 VI. numeratur *Juridicus*, quem in Urbe Alexandria Cæsar Augustus adjunxit Præfecto Augustali, quatenùs in eadem Urbe Jurisdictionem voluntariam & contentiosam administraret *l. adoptare* 2. *l. ult. ff. l. un. Cod. de Offic. Jurisd.* Miller ad Struv. *d. l. th.* 36. *lit. a.*

Tales VII. numerantur *Præfecti Prætorio*, à tem- 142
pore Constantini Magni regendis provinciis Orientis, Illyrici, Africæ, Hesperiæ præpositi *Nov.* 70. *cap.* 1. Lauterbach ad *tit. ff. de Off. Præf. Prætor.* Sutholt de *Jurisd. aphor.* 218.

§. III.

De Magistratibus Municipalibus.

Magistratus *Municipales* censebantur, qui præ- 143
sidebant cujusque provinciæ civitatibus municipalibus, ideò sic dictis, quòd Civitatis Romanæ jus haberent, muneris honorarii cum populo Romano participes essent, & (exceptò suffragiorum & Magistratuum, in Urbe capiendorum, jure) pari cum Civibus Romanis conditione potirentur. Sutholt
d. l. aphoris. 221. In hisce civitatibus quædam Rei- 144
publicæ Romanæ figura cernebatur, ut, qualia quotve Romæ munia ministeriaque fuerunt, talia totidemque in municipiis, extra Italiam constitutis, effingerentur. Idem Author *aphoris.* 222.

Erant igitur I. in municipiis *Decuriones*, à cu- 145
ria, in qua Senatorum Romanorum instar consilio publico cum jure suffragii intererant, nomenclaturam adepti *l. pupillus* 239. §. 5. *ff. de V. S. l. omnes* 43. *Cod. Decurionib.* Magistratibus tamen, ob defectum Jurisdictionis, tam parum accenseri poterant, quàm parum Senatores Romani per textum in *l. rescripto* 6. *in pr. ff. de Munerib. & honorib. l. in ordinem* 1. *in pr. ff. de Magistrat. conveniend.* Sutholt *d. l. aphoris.* 223.

Erant II. ex ordine Decurionum creati *Duum-* 146
viri, qui reverâ Magistratus municipales fuêre, de pecuniariis civium causis in qualibet civitate jus dicentes *d. l. rescripto* 6. *in pr. l. honores* 7. §. 2. *ff. de Decurionibus.* Sutholt *aphoris.* 224.

Erant III. *Defensores Civitatis*, non ex corpore 147
Decurionum, sed aliis personis idoneis assumpti *l. si quis* 1. *Cod. de Defensor. Civitat.* qui, tanquam veri Magistratus, hominum tenuiorum & maximè rusticorum causas ventilabant *l. utili* 3. *Cod. d. t.* quin & causas civium olim usque ad 50. aureos *d. l. si quis* 1. posteà verò usque ad 300. dijudicare poterant.
Nov. 15. *cap.* 3. Sutholt *d. l. aphor.* 225. & 226. ubi si- 148
mul advertit, Duumviros & Defensores, ad Magistratus Populi Romani comparatos, vix nomen Magistratus mereri: si enim provinciales Magistratus in comparatione Romanorum subinde Magistratus esse negentur, multò magis municipalibus id nominis denegabitur.

Atque hæc Magistratuum varietas, hæcque sub- 149
ordinatio, florente quondam & Orbi dominante Romanorum Republicâ, fuit. Si jam oculos ad hodiernam Reipublicæ Romano-Germanicæ faciem convertamus, vix alibi vereris politiæ vestigium, quàm in Civitatibus quibusdam Imperialibus & Municipalibus deprehendemus. Ut ea propter Samuel Stryck in *usu mod. pand. ad tit. de Senator.* §. 1. & *ad tit. de Offic. Consul.* §. 1. & passim moneat, ex antiqua Magistratuum forma ideam hodierni regiminis desumi non posse, sed singulorum ferè locorum consuetudinem attendi debere.

De reliquo certior regula, dignoscendi, quinam 150
in specie Jurisdictionem Ordinariam habeant, dari non potest, nisi quòd Status & Nobiles Immediati Imperii, & illi, qui ab his vel ab Imperatore Jurisdictionem nacti sunt, Magistratum gerere, ac Ordinariam Jurisdictionem obtinere censeantur.

SECTIO IV.

De Jurisdictione Extraordinaria.

SUMMARIA.

151. *Etymologia Jurisdictionis Extraordinaria.* 152. *Definitio.* 153. *& seqq. Declaratio.* 156. *Ulterior illustratio.* 157. *& seqq. Duplex illius subjectum, reale & personale, explicatur.* 161. *Ponitur objectum.* 162. *Ad quod pertinet jus dandi tutorem.* 163. *& seqq. Jus cognoscendi super alienatione prædiorum pupilli, transactione de alimentis, manumissione &c.* 168. *Judicis dandi licentiam non omnes ad eandem Jurisdictionem reducunt.* 169. *& seqq. Eligitur illorum sententia, qui distinguunt inter Magistratus.* 172. *Resp. ad* l. 3. ff. de Jurisdict. 173. *Jus de suspectis tutoribus malè ad Extraordinariam.* 174. *Melius ad Ordinariam Jurisdictionem revocatur.* 175. *Merum Imperium Jure Civili ad Extraordinariam.* 176. *& seqq. Canonicâ ad Ordinariam spectat.* 179. *Dispensatio in irregularitatibus occultis, in Trid. Conc. concessa, est Jurisdictionis Extraordinaria.* 180. *Hujus effectus.* 181. *Usus hodiernus.*

§. I.

Quid sit Jurisdictio Extraordinaria?

151 JUrisdictio Extraordinaria, quam & Legalem seu Adventitiam appellari posse, permittit Sutholt de *Jurisdict. aphor.* 127. mutuat suum nomen ab eo, quòd non ordinariè, sed extraordinariè; atque adeò non ex se & natura officii, sed quasi per accidens, administretor.

152 Definitur, quòd sit potestas publica jus ex speciali concessione dicendi.

Dixi I. *potestas publica jus dicendi.* Quòd enim
153 Jurisdictio Extraordinaria propriè rationem generis participet, ac juris dicendi facultatem includat, docet Ulpianus in *l. jus dicentis* 1. *ff. de Iurisdict.* ibi: *jus dicentis officium latissimum est: quia & bonorum possessionem dare potest, & in possessionem mittere, & pupillis non habentibus tutores constituere.* Sutholt *cit. l. aphor.* 129.

Dixi II. *ex speciali concessione.* Quæ verba distin-
154 guunt Jurisdictionem Extraordinariam ab Ordinaria; eamque significationem habent, quòd Jurisdictio, quæ non cohæret muneri, sed illi à speciali Lege, Sctô, privilegiô &c. supervenit; neque ideò competit, quia collatum est officium, sed quia extat Lex, Sctum, privilegium &c. nominatim officio, vel personæ Jurisdictionem annectens, sit Ex-
155 traordinaria. Exemplô rem declarat D. Braun de *Iurisdict. cap.* 3. §. 2. *n.* 3. in tutoris datione: Prætor enim etiam ante L. Attiliam verus Magistratus fuit, & tamen ante illam Legem non potuit tutorem dare: sed jus hoc primùm nactus est per L. Attiliam, post quam Prætor habuit jus tutores dandi, non tamen quà Prætor, seu vi Præturæ, sed præcisè vi L. Attiliæ, quâ hoc privilegium speciatim Præturæ Urbanæ annexum fuit *pr. Instit. de Attil. Tut.*

156 Si scire aveas, quare Jus certas causas subtraxerit Jurisdictioni Ordinariæ, & tantùm voluerit esse specialis concessionis?

Respondet D. Braun, rationem videri positam in gravitate & speciali favore illarum causarum, in quibus censetur esse electa personarum fides & industria, vel conditio certi muneris: quia Jus præsumit, eos, qui tali munere funguntur, satis legales aptosque futuros causis illis, debitô modô expediendis; simili præsumptione de aliis non conceptâ.

§. II.

Quibus Extraordinaria Iurisdictio conveniat?

Jurisdictio Extraordinaria nonnunquàm subje- 157
ctum reale, quandoque subjectum personale supponit. Seu, quod in idem recidit, subinde intuitu certæ rei; interdom respectu certæ personæ Jurisdictio speciali Lege conceditur. Intuitu certæ rei 158
conceditur, quando muneri, dignitati, & officio connectitur, adeò ut, qui munus, dignitatem, & officium illud adipiscuntur, simul etiam Jurisdictionem illam adipiscantur, sicut de jure dandi Tutores, Præturæ connexum, mox declaratum est. Re- 159
spectu certæ personæ tribuitur, quando alicui in individuo tantùm & in particulari speciatim conceditur, uti si Francisco Antonio Archi-Episcopo Salisburgensi facultas dispensandi in tertio gradu consanguinitatis indulgeatur. Discrimen est, quòd, 160
si subjectum sit reale, necesse non sit, ut in singulis futurorum Magistratuum constitutionibus sigillatim renovetur concessio, sed sufficiat, Jurisdictionem semel Magistratui certo colligatam esse *arg. cap. quoniam* 14. *de Off. Iud. deleg. & cap. si gratiosè* 5. *de Rescript. in* 6. cùm tamen, ubi subjectum est personale, Jurisdictio personæ, singulariter data, instar privilegii personalis cum illa exspiret, ac, ut denuò respiret, novâ indulgentiâ opus habet per *cap. privilegium* 7. *de R. I. in* 6. *l. quod Principi* 1. §. 2. *ff. de Constit. Princ.* Braun *d. l. num.* 7. Repetantur dicta in *tr.* 1. *c.* 8. *num.* 248.

§. III.

Quodnam objectũ habeat Iurisdictio Extraordinaria?

Objectum Extraordinariæ Jurisdictionis sunt cau- 161
sæ, circa quas jus dicitur non ex officio, ad hoc primitus instituto, sed ex speciali Lege, SCto, Plebiscito, vel privilegiô, post officium jam erectum concessô.

In hunc censum refertur I. jus dandi tutorem, 162
quod jam supra in *num.* 155. ad Jurisdictionem Extraordinariam revocavimus, propter textus in *pr.* §. 4. & 5. *Inst. de Attil. Tut. l. muto* 6. §. 2. *ff. de Tutel.* Vinnius de *Iurisdict. c.* 6. *num.* 3. Sutholt de *Iurisd. aphor.* 157. & *seqq.* Braun ad *tit. ff. de Tutor. & curat. dat. th.* 4. & *seqq.* Clariss. D. Franz ad *cit. tit. Instit. num.* 2. ubi etiam contraria dissolvit.

II. ad Extraordinariam Jurisdictionem reducitur 163
jus cognoscendi super alienatione prædiorum pupilli aut minoris *arg. l. mandata* 2. §. 1. *ff. de Off. ejus &c.*

III. jus cognoscendi super transactione de alimen- 164
tis, testamentô relictis *arg. l. cùm hi* 8. *in pr. &* § 18. *ff. de Transact.*

IV. jus cognoscendi super manumissione, facien- 165
dâ à minore 20. annis *arg. cit. l. mandata* 1. *in pr. ff. de Off. ejus &c. &* §. *eâdem* 4. *Inst. Quibus ex caus. manumit.*

V. jus cognoscendi super eo, si dominus occisus 166
fuisse dicatur *l. quæsunque* 1. *in fin. pr. ff. d. t.*

VI. Legis actiones, quales sunt adoptio, eman- 167
cipatio, manumissio per vindictam. Struv. *Exercit. ad pand.* 4. *th.* 67. D. Braun *cit. l. de Iurisdict.* §. 2. *n.* 9. & *seqq.* Vinnius *cit. l. n.* 2. Sutholt *aphor.* 160. & *seq.* atque Authores alii, qui, quoad relata capita, ferè conveniunt. At

Ambiguum est I. an Judicis dandi licentia perti- 168
neat ad Extraordinariam Jurisdictionem? Licèt enim

eam ad hanc referat Fachinæus *lib. 1. controv. c. 45.*
nihilominus sunt alii, qui vel cum Ummio ad *pro-*
cess. Judic. disp. 1. n. 41. ad Ordinariam; vel etiam
cum Zoësio ad *tit. ff. de Jurisdict. n. 11.* revocent
169 ad Imperium Mixtum. Quin & alii sunt, qui inter
Magistratus Majores & Minores, Urbanos & Pro-
vinciales, distinguunt; ac Magistratibus quidem Ur-
banis Majoribus jure ordinario jus dandi Judicet de-
latum fuisse, asserunt ob *l. cùm prætor 12. §. 1. ff. de*
Judic. ibi: *quibus id more, hoc est*, suò jure, *concessum*
est l. appellandi 1. §. 3. ff. de Appellat. l. quod dicitur 1.
170 *in pr. ff. quis à quo appelletur*; Magistratibus verò Mi-
noribus uti & Provincialibus extraordinariû Jure id
concessum fuisse, contendunt per *cit. l. 12. §. 1. de Ju-*
dic. ibi: *Judicem dare possunt, quibus hoc Lege, vel*
Constitutione, vel SCô conceditur, Lege, ut Proconsuli
171 *&c.* Et hæc, teste Brauo *cit. c. 3. §. 2. n. 16.* probabilior,
ac hodie passim recepta sententia est, quam inter alios
recipiunt Vinnius *d. cap. 6. n. 4.* Sutholt *asser. 164. &*
seqq. Franzk ad *tit. ff. de Jurisdict. n. 30.* Struv. *cit.*
l. th. 67.
172 Nec turbat *l. imperium 3. ff. de Jurisdict.* ubi dici-
tur: *Jurisdictio est etiam Judicis dandi licentia.* Non
enim accipitur hic Jurisdictio Ordinaria seu in con-
creto, sed accipitur Jurisdictio in genere & in ab-
stracto, quatenus præscindit ab Ordinaria & Extra-
ordinaria, & contradistinguitur Imperio. Braun *cit. l.*
n. 18. ubi plures adhuc objectiones proponit & diluit.
173 Ambiguum est II. an jus de suspectis tutoribus
cognoscendi spectet ad Extraordinariam Jurisdictio-
nem? Hoc quippe voluerunt Treutlerus & Hun-
nius, quos citat Clariss. D. Franz ad *l. 1. tit. 26. Inst. n.*
12. in f. præcipuè ob *l. cognitio 4. in pr. ff. de Off. ejus*
174 *cui mand. est Jurisd.* Sed contradicunt plures cum
Vinnio ad *§. 1. Instit. de Suspect. tut.* Braun ad *tit. ff. eôd.*
th. 7. Clariss. D. Franz *cit. l. n. 13.* tum quòd in *cit. l. cog-*
nitio dicitur, mandari posse: tum quòd specialis
Lex, quâ specialiter tribuatur, assignari nequeat.
175 Ambiguum est III. an Merum Imperium referen-
dum sit ad Ordinariam Jurisdictionem? Et hoc du-
bium non tam de Mero Imperio Civili instituitur:
quippe quod ex speciali Lege deferri, luculenter
traditur in *l. 1. pr. & §. 1. ff. de Offic. ejus cui mand.*
176 quàm de Mero Imperio Ecclesiastico. Probabilius
tamen credo, Prælatis Ecclesiasticis, quibus Juris-
dictio Subalterna ex *cap. 4.* est concessa, Merum Im-
perium ordinariò Jure competere: tum quia ex Ju-
re Divino, saltem mediatè, potestatem ligandi &
177 solvendi acceperunt ex *cit. cap. à num. 17.* tum quia
per ipsam electionem & confirmationem unà cum
Episcopatu Jurisdictio Criminalis illis defertur *cap.*
178 *transmissam 15. de Elect.* tum quia inter jura Ordina-
rii & ordinaria numeratur in *cap. perniciosa 1. cap.*
conquerente 16. de Off. Ord. c. cum velim 18. de Præ-
script. Probant hanc opinionem Magnif. D. P. König
ad *tit. de Off. Jud. Deleg. num. 13.* Clariss. D. Franz
in *Quæst. select. ex omni Jure q. 2. n. 12.*
179 Ambiguum est IV. utrùm facultas dispensandi in
irregularitatibus, ex delicto occulto provenienti-
bus, quam habent Episcopi ex Concil. Trid. *sess.*
24. de ref. cap. 6. ad Jurisdictionem Extraordinariam
reduci queat? Et omninò sic puto dicendum ex
principiis, jam datis: Episcopi enim ante Conci-
lium Tridentinum hanc facultatem non habuerunt,
veluti Authores perlibenter fatentur: adeóque illam
non exercent ex officio Ordinario, jure propriò, &
vi muneris, sed ea speciali concessione Legis & Ju-
ris Ecclesiastici, per Synodum Tridentinam consti-
tuti. Ergo facultas ista rectissimè reducitur ad Ex-
traordinariam Jurisdictionem. Hæcque videtur esse
sententia Gutierezii *lib. 1. cap. 13. n. 29.*

§. IV.

Quid operetur Extraordinaria Jurisdictio?

Extraordinaria Jurisdictio hoc singulare operatur, 180
quòd a sola persona, cui vel ratione muneris vel
ratione individui impertita est, exerceri debeat; nec
possit alteri exercenda delegari per text. in *l. 1. in pr.*
§. 1. ff. de Offic. ejus cui mand. l. more 5. ff. de Juris-
dict. & dicenda *10 cap. seq. sect. 1.*

Hodie tamen iste effectus (saltem in Foro Sæcu- 181
lari) non ampliùs consideratur: quæ enim de Jure
Communi sunt Jurisdictionis Extraordinariæ, hodier-
nâ consuetudine facta sunt Jurisdictionis Ordinariæ,
ut passim Authores cum Matthia Steph. de *Jurisdict.*
lib. 1. cap. 4. n. 73. Lauterbach ad *tit. ff. de Jurisdict. §.*
14. Stryck in *moderno pand. usu ad tit. de Adopt. §. 5.*
Braun de *Jurisdict. cap. 4. §. 3. num. 8.* Clariss. D.
Franz ad *lib. 1. Inst. tit. 11. num. 7. in fin.* testantur.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Episcopi possunt habere plures Vicarios, unum in Urbe, alterum extra.* 2. *& seqq. An foraneus Vicarius habeat Jurisdictionem ordinariam? Cum distinctione deciditur.* 8. *& 9. De nomine Abbatum Regularium.* 10. *& seq. Habent Jurisdictionem ordinariam.* 12. *Uti & Prælati Seculares, habentes sub se aliquod collegium.* 13. *& seqq. Subjicitur triplex classis Prælatorum, Episcopis inferiorum.* 17. *& seqq. Adstruitur inter ipsos notabile discrimen.* 21. *Abbatissa possunt habere Jurisdictionem ex privilegio.* 22. *& seq. Possunt assumere Capellanos sine collatione tituli.* 24. *Possunt etiam ex privilegio Apostolico acquirere jus institutionis, quod exerceant nomine Papæ,* 25. *Exceptâ institutione authorizabili.* 26. *& seqq. Declaratur, an & quâ ratione possint obtinere territorium separatum.*

QUÆSTIO I.

An Vicarii Generales Episcoporum habeant Jurisdictionem ordinariam?

Conclusi in hoc *cap. à num. 67.* Vicarium Gene- 1
ralem Episcopi habere Jurisdictionem ordina-
riam. Sed quia etiam in *num. 61.* adverti, Episco-
pum, si velit, posse habere plures Vicarios Ge-
nerales, &, si placeat, unum deputare in urbe,
alterum foris & ruri, qui propterea foraneus audit
per *Clem. etsi 2. de Rescript.* dubitari posset, an iste
foraneus etiam censeatur habere Jurisdictionem or-
dinariam? Enimverò Eminentiss. Card. de Luca de 2
Jurisdict. disc. 22. n. 11. sentit, ejusmodi Vicarios
non esse magnæ considerationis, ac pro levibus
duntaxat & modicis causis deputari; &, ut scri- 3
bit Monacelli in *formul. leg. pact. p. 1. tit. 2. pag.*
m. 20. num. 2. & 3. ut plurimùm eæ causæ scuta
quinque non excedunt; indeque illos nec in digni-
tate nec in personatu constitutos existere, nec
alios Presbyteros ratione officii præcedere, tra-
dit idem Monacelli *num. 6.* cum Barbosa in *Decis.*
Apostol. coll. 718. num. 1. Quia tamen idem Card. 4
de Luca in *Annotat.* ad Concil. Trid. *disc. 4. n. 5.*
eumque secutus Carolus Antonius de Luca ad Ven-
trigl. in *praxi rer. notab. annot. 14. §. 1. n. 4.* animadverte-
runt, eum, qui extra urbem cum aliqua delegatione
universitatis causarum est constitutus, habere ali-
quam majorem prærogativam & Jurisdictionem,
quàm

quàm regulariter Vicariis foraneis competit: ideò
distinguendum erit, an Vicarius, extra Urbem de-
putatus, sit æquè deputatus ad universitatem cau-
sarum Episcopalium, atque ille, qui residet in
5 Urbe; nec ne. Si posterius; pro diversitate cau-
sarum factæque delegationis aut erit nudus Vica-
rius Foraneus, seu Decanus Ruralis, cui Jurisdi-
ctionem propriè dictam in hoc *cap. n.89.* non con-
cessi per *d. Clem. etsi 2. de Rescript. cap. ult. de Offic.*
Archi-Presbyt. aut denique Judex aliquis delegatus.
6 Si prius; poterit ille Vicarius dici verè generalis,
Jurisdictione ordinaria præditus, in dignitate con-
stitutus, & sic capax delegationis Apostolicæ per
ea, quæ docent Zerola in *praxi Episcop. p. 1. verb.*
Vicarius pag. m. 690. Sylvester in *summa verb. Vi-*
carius q. 4. Barb. *J. E. U. lib. 1. cap. 15. n. 30. & seq.*
P. Engel ad tit. *de Offic. Vic. n 4.* neque enim Vica-
rium Generalem facit qualitas loci, sed generali-
tas causarum, uti in simili arguit Sbrozz de *Vic.*
7 *Episc. lib 1. q. 20. n. 11.* & *q. 25. n. 6.* Unde, si rescri-
ptum aliquod Pontificium ad Vicarium Generalem
dirigatur in materia gratiosa, erit in arbitrio impe-
trantis, cuinam illud præsentare velit; poteritque
electus ab impetrante Vicarius ad executionem pri-
vativè procedere juxta dicta & docta à Barbosa *d. l.*
n. 33. Sbrozz *lib. 2. quæst. 61. num. 12. & seqq.* Pirhing
ad *tit. de Offic. Vicar. numer. 30.* Quod secus est in
casu Vicarii foranei; aut ubi non uterque est Ge-
neralis.

QUÆSTIO II.

An Abbates Regulares & alii Prælati, Episcopô in-
feriores, habeant Jurisdictionem Ordinariam?

8 In nomenclaturam Abbatis studiosè pro more,
inquirit Eminentiss. D. Cardin. Vincentius Petra
tom. 1. in Comment. ad Constit. 2. Eugenii III. à pag. 538.
& *pag. 541. num. 18. & seqq.* concludit, quòd, licèt
in sui primæva constitutione fuerit nomen sollici-
tudinis, ac potestatem tantùm œconomicam con-
tulerit; attamen successu temporis importaverit ve-
ram Jurisdictionem Ecclesiasticam, & cœperit esse
9 nomen dignitatis: ideóque in *pag. 542. num. 18.* ri-
su dignam ait corruptelam, quæ nostris tempori-
bus invaluit, ut etiam possessores beneficiorum sim-
plicium, vel simplices Clerici, nedum Rectores Ci-
vitatum, aut Cursores Curiæ Ecclesiasticæ, Abba-
tes nuncupentur, de quo abusu Fagnan. ad *cap.*
transmissa numer. 2. de Renuntiat.
10 Itaque Abbates, propriè tales, qui præsunt Mo-
nasteriis & Monachis ibidem degentibus, etsi cæ-
teroquin à Jurisdictione Episcopi non sint exem-
pti, habent veram Jurisdictionem ordinariam Eccle-
siasticam, possuntque contra suos subditos Regu-
lares non tantùm procedere per dispositionem &
correctionem paternam, sed etiam per potestatem
gubernativam, judicialem, & Jurisdictionalem tam
in causis civilibus quàm criminalibus, sicuti patet
11 ex hoc *cap. num. 99. & seqq.* docetque Petra *d. l.*
pag. 541. num. 16. & seqq. ac *num. 21. & seqq.* rectis-
simè extendit ad Abbates temporaneos: cùm tem-
poralitas nihil detrahat Jurisdictioni, præeminen-
tiæ, & Dignitati, prout constat de Vicariis Epis-
copi Generalibus.
12 Idem de Prælatis aliis & Sæcularibus, Episco-
pô inferioribus, existentibus in Ecclesiis Cathedra-
libus & Collegiatis, si habeant sub se Collegium
aliquod Clericorum, iisque jus dicant, conclu-
dendum esse, dubitare non permittunt textus in
cap. ut Abbates 1. de Æt. & qual. & ord. præfic. cap.
ut Archi-Diaconus 1. cap. mandamus 6. cap. ad hæc
7. de Off. Archi-Diac. cap. Officium 3. de Off. Archi-
Presb. Petra *d. l. pag. 542.*
Inter ipsos tamen Abbates Regulares atque etiam 13
Prælatos Sæculares, Episcopô inferiores, ab ejus
tamen Jurisdictione exemptos, magna quoad Ju-
risdictionis qualitatem & amplitudinem reperitur
differentia. Nam, ut denuò juxta sapientissima
principia non satis laudandi Eminentissimi Vincentii
Petræ *tom. 5. Commentar. pag 91. & seqq.* procedam,
triplex est classis ejusmodi Abbatum & Prælatorum.
Aliqui dicuntur habere qualitatem infimam, & ex- 14
emptionem purè passivam ab Episcopo, qui præ-
sunt certo generi personarum cujusdam ambitûs Ec-
clesiæ seu Monasterii. Alii habent qualitatem me- 15
diam, & exemptionem activam cum Jurisdictione
non tantùm in cœtum & personas Collegii seu
Monasterii, sed etiam in populum & Clerum cer-
ti loci, ita tamen, ut sint in Diœcesi ac Territo-
rio Episcopi. Alii demum habent qualitatem ma- 16
gis conspicuam & quasi-supremam, qui nempe Ju-
risdictionem plenam obtinent in Clerum & popu-
lum in certo loco, tanquam in territorio proprio
& avulso à Diœcesi Episcopi, & verè dicuntur
Prælati *nullius*.
Abbates & Prælati primi generis, quamvis ha- 17
beant Jurisdictionem activam in subditos aut fami-
liares intra ambitum sui Monasterii vel Ecclesiæ,
ita ut Episcopus neque contra subditos aut fami-
liares, neque contra Prælatum suam Jurisdictio-
nem ordinariam exercere valeat; manet tamen Epi-
scopo Jurisdictio universalis in Clerum & populum,
& quoad ipsum Monasterium vel Ecclesiam aut per-
sonas ipsi reservatur tum potestas Ordinis, tum
etiam potestas Jurisdictionis, à Jure Delegatæ,
veluti relucet passim ex Jure Canon. sub *tit. de sta-*
tu Monach. & Concil. Trident. *sess. 25. de Regular.*
cap. 3. 4. 5. 8.
Abbates & Prælati secundi generis dicuntur qui- 18
dem etiam *nullius*, sed minùs propriè: utpote cùm
intra fines alicujus Diœcesis esse supponantur; ha-
bentque Jurisdictionem in Clerum & populum, at
juxta terminos concessionis Apostolicæ, aut quoad
actus huc usque exercitos; quoad alios tamen reti-
net Episcopus suam Jurisdictionem, saltem in habi-
tu, aut quoad casus, quos jure delegationis Apo-
stolicæ potest exercere per textus in *cap. auditis 3.*
de in integr. restit. cap. auditis 15. cap. olim 18. de
Præscript. cap. ex ore 17. de Privileg. Concil. Trid.
sess. 23. de Reformat. cap. 10. & 18.
Prælati tertii generis dicuntur semi- & quasi-Epi- 19
scopi, dum, exceptis iis, quæ spectant ad potesta-
tem Ordinis Episcopalis, possunt omnia facere,
quæ spectant ad potestatem Jurisdictionis; sicque
in rei veritate appellari valent *Ordinarii* vel *Diœce-*
sani. Petra *d. l. pag. 96. num. 29.* & *tom. 4 pag. 518 n. 5.* 20
Quomodò autem acquiratur Jurisdictio quasi-Epi-
scopalis? Alibi discutietur.

QUÆSTIO III.

Sintne Abbatissa vel Præposita Monialium Jurisdi-
ctionis Ecclesiasticæ capaces?

Posse illas fieri capaces ex privilegio aut delega- 21
tione Apostolica ad actus Jurisdictionis fori exter-
ni, quæ potestatem Ordinis non includat, admisi-
mus in hoc *cap. à n. 113. & seq.* Pro cujus majori 22
dilucidatione subjungendum I. quoad beneficia Ec-
clesiastica impropria seu manualia, quæ habent Ca-
pellani & Clerici Sæculares in Monasteriis Monia-
lium, cùm non conferantur in titulum, Abba-
tissæ vel Præpositæ competere tantam potesta-
tem, quantam obtinent circa alia officia, tum regu-
laria, tum temporalia. Eminentiss. Petra *to. 3. pag 345.*

23 *n.22.* Neque enim susceptio vel etiam dimissio ejus-
modi Capellanorum est actus Jurisdictionis, dum
etiam laicus Capellanum pro suo libitu admittere, &
rursus dimittere valet. II. quoad beneficia Eccle-
24 siastica, propriè talia, & in titulum conferri solita,
posse quidem jus præsentandi Monialibus aut earum
Præpositis non minùs ac laicis competere; institu-
tionem tamen, collativam tituli, non nisi ex privile-
gio Apostolico acquiri. Barbosa ad *cap. dilecta 12.*
de Major. & obed. n.2. quô datô, non tam Præposita
Monialium, quàm ipse Papa, privilegium concedens,
collationem seu institutionem facere censetur. Cor-
25 rad. in *praxi beneficior. lib. 1. cap. 4. n. 83.* Petra *pag.*
346. num. 25. & seqq. adducens varia exempla. III.
suppositô etiam, quòd aliqua Abbatissa institutionem
collativam tituli, quæ possessionem in beneficio tri-
buit, ex privilegio Pontificio consecuta fuerit, insti-
tutionem, quam vocant authorizabilem, cujus virtu-
te beneficiato confertur cura animarum in populum,
Abbatissæ non competere, imò ne quidem ex pri-
vilegio Papæ tribui posse: descendit enim directè ex
potestate clavium, estque actus, essentialiter emanans
ex potestate Ordinis, cujus fœminæ Jure Divino
sunt incapaces *cap. nova 10. de Pœnitent. & Remission.*
& ibi DD. Petra *pag. 347. n. 32. & seqq.* ubi diversas S.
26 Congregationis & S. Rotæ resolutiones affert. IV.
non implicare, ut Abbatissa ex privilegio Summi Pon-
tificis consequatur territorium separatum cum vera
qualitate *nullius*, veluti S. Rota in *Leodiens. Jurisdict.*
21. April. 1698. coram Molines pro certo habuit, Abba-
tissam Monasterii utriusque sexûs Ord. S. Bened. in
oppido Thorensi potuisse acquirere plenariam Juris-
dictionem *cum qualitate nullius* in Clerum & popu-
27 lum; uti & Sac. Congregatio Episcoporum in *nullius*
Castellana seu Conversanens. 11. Maii 1708. visa est
canonizare plenum jus Abbatissæ Monasterii S. Be-
nedicti Ord. Cisterciens. civitatis Conversanensis. Pe-
28 tra *d. tom. 3. pag. 348. n. 37. & pag. seq. num. 42.* Ita ta-
men, ut ea, quæ sunt Ordinis, uti est institutio autho-
rizabilis, & alia, muliebri conditioni non congruen-
tia, non per Abbatissam, sed per Vicarium, ad hoc
deputatum, exerceri debeant. Barbosa ad *cit. cap. di-*
29 *lecta n. 2.* Gonzalez *n. 8.* Petra *d. pag. 348. n. 40.* Et quà-
vis aliàs, qui per seipsum non potest exercere actum,
neque per alium eundem valeat exercere; id tamen
fallit in præsenti, quando dignitati, quâ fulget Ab-
batissa, non repugnat, ut deputentur Ministri habiles
ad ejusmodi actus exercendos, utpote qui recipiunt
authoritatem & Jurisdictionem à Papa, Abbatissâ so-
lam personam designante. Rota Rom. in *recent. p. 5.*
to. 2. decis. 584. n. 17. Card. de Luca *disc. 9. de Benef.*
n. 11. & seq. Pignatell. *d. pag. 349. num. 44. & seqq.*

CAPUT VII.

De Jurisdictione Non-Propria, Mandata, & Prorogata.

Jurisdictio *Non-Propria*, quæ fundatur principaliter in beneficio & voluntate alterius, ex *cap. 1. n. 88.* sinu suô complectitur geminam speciem, videlicèt Jurisdictionem *Mandatam* seu *Delegatam*, & *Prorogatam*. De una & altera hic agendum; & in fine pauxillum aliquid de Jurisdictione Judicum Conservatorum vel Conservatoria adjiciendum erit.

SECTIO I.

De Jurisdictione Delegata.

SUMMARIA.

1. *Jurisdictionis Delegata nomen.* 2. *Definitio.* 3. & 4. *Exercetur nomine alterius.* 5. & 6. *Seu Judicis delegantis.* 7. & *seqq. Dantur regulæ, ex quibus cognoscitur Delegatio Jurisdictionis.* 10. & *seqq. Jurisdictio Delegata est vel generalis vel specialis.* 13. & *seq. Haeque divisio est amica Juri Communi.* 15. & *seq. Nec generalis in Ordinariam transit.* 17. *Secundùm aliquos alia est Delegata in specie, alia Mandata.* 18. & *seqq. Contraria sententia defenditur.* 23. & *seqq. Resp. ad* l. 5. Cod. de Judic. 26. & *seqq. Aliorum explicatio refellitur.* 31. & *seq. Infertur Synonymia Jurisdictionis Delegata & Mandatæ.* 33. *Jurisdictio interdum delegatur à Lege.* 34. & *seq. Manet nihilo minùs Delegata.* 36. *Nec fit Ordinaria.* 37. *Aut Extraordinaria.* 38. & *seqq. Solus Judex Ordinarius potest delegare.* 41. & *seqq. Delegatus non potest sub-delegare.* 46. & *seq. Nisi delegetur à Summo Principe.* 48. & *seq. In Delegato S. Pontificis requiritur Canonicatus Cathedralis, Personatus, aut Dignitat.* 50. & *seq. Etiam Ordinarius Judex potest delegatus esse.* 52. & *seq. Etiam non-subditus.* 54. & *seq. Etiam plures Delegati admittuntur.* 56. *Adstruitur objectum Jurisdictionis Delegata.* 57. & *seq. Imperium mixtum est delegabile.* 59. & *seqq. Item executio sententia jurisdictionalis.* 64. & *seqq. Ostenditur, an cum executione delegetur cognitio?* 68. & *seq. Imperium Merum de Jure Civili regulariter nequit delegari.* 70. & *seqq. Delegari verò potest de Jure Canonico.* 76. & *seqq. Declaratur, quomodò actus Ordinis delegari valeant.* 80. & *seqq. Indicantur effectus Iurisdictionis Delegata.* 87. & *seq. Exspirat revocatione Delegantis.* 89. *Illius morte.* 90. *Lapsu temporis.* 91. & *seq. Finitô negotiô.* 93. & *seq. Morte Delegati, si res adhuc sit integra, nec facta citatio.* 95. & *seqq. Explicatur* cap. 29. de Off. Deleg. 98. & *seqq. Retunduntur reliqua objectiones, in quibus requiritur litis contestatio.* 104. & *seq. Citatio non debet necessariò partibus intimari.* 106. *Debet tamen esse valida.*

§. I.

Quid sit Iurisdictio Delegata?

Jurisdictio *Delegata* nomen hoc potissimùm in SS. 1
Canonibus sortitur per *t. t. de Offic. & pot. Iud. De-*
leg. X. in VI. *Clement. & Extravag.* in LL. autem
crebriùs *Mandata* nuncupatur per *t. t. ff. de Offic. ejus*
cui mand. est Iurisdict.
Definiri potest Jurisdictio Delegata, quòd sit po- 2
testas publica jus dicendi, nomine & beneficiô alte-
rius, seu Judicis Delegantis.
Dixi I. *nomine & beneficiô alterius.* Per hoc enim 3
Jurisdictio Delegata distinguitur essentialiter ab Or-
dinaria, quòd haec, scilicèt Ordinaria, licèt remo-
tè ex Indulgentia Principis, ceu primi principii to-
tius Jurisdictionis, habeatur, proximè tamen ex vir-
tute officii exerceatur ut propria; cùm è diametro il-
la, id est, Delegata, proximè ex beneplacito & nudo 4
beneficiô alterius exerceatur, nec tam in persona De-
legati quàm Delegantis resideat: utpote cùm penes
hunc proprietas & radix, penes illum solum exer-
citium & usus existat juxta textum in *l. quacunque 1.*
§. 1.

§.1.*ff.d.t.* ubi Papinianus, *qui Mandatam*, inquit,
Jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed &
ejus, qui mandavit, Jurisdictione utitur.
5 Dixi II. *seu Judicis Delegantis.* Adeóque in Ju-
risdictione Delegata duæ semper personæ concur-
runt, Dans & Accipiens, Delegans & Delegatus,
6 Mandans & Mandatarius. Et licèt accipiens, Dele-
gatus, & Mandatarius videatur jus dicere; attamen
etiam Dans, Delegans, & Mandans, jus dicit: ille
quidem instrumentaliter & immediatè; ille verò
principaliter & mediatè per textum in *l. solet præ-*
*tor.*16.*ff. de Jurisdict.* ibi: *cui Mandata Jurisdictio*
est, fungetur vice ejus, qui mandavit, non suâ. Vin-
nius de *Jurisdict. c.*8.*n.*4. Brunnem. ad *cit. l.quacun-*
que num. 5.
7 Petes: undénam cognosci possit, quòd Jurisdi-
ctio fuerit Delegata?
Resp. I. si Judex Ordinarius, Summô Principe
inferior, dicat, se alicui mandare aut delegare Ju-
risdictionem suam, vel se Jurisdictionem suam ali-
cui exercendam dare, vel velle se, ut quis in Ju-
risdictione suâ vice, partibus, authoritate &c. fun-
gatur; Jurisdictionem censeri Delegatam: hæ enim
formulæ important verum mandatum, & veram de-
legationem. Vinnius *d.l.cap.*9.*num.*1.
8 Resp. II. si Judex Ordinarius, Summô Principe
inferior, dicat: constituo te Judicem, volo, ut
Judicium in hac causa suscipias; non Jurisdictionem
delegatam, sed Judicem solummodò datum vide-
ri. Vinn. *d. l. n.* 2. Differentiam verò Judicis Dele-
gati & Dati infra à *n.* 19. videbimus.
9 Resp. III. si ipse Princeps alicui det Jurisdictio-
nem, Jurisdictionem propriam concessam, ac qua-
si à Lege collatam præsumi *arg. l. & quia* 6. *ff. de*
Jurisdict. l. quod principi 1. *in pr. & l. ult. ff. de Con-*
stit. Princ. Sin det Judicem, illum haberi pro De-
legato ex dicendis infra *num.* 25. Si denique de-
leget Jurisdictionem, juxta formulas in *num.*7. re-
latas, Jurisdictionem Delegatam esse. Vinnius *d.*
l. num. 3. & 4.

§. II.

Quotuplex sit Jurisdictio Delegata?

10 Jurisdictio Delegata cum receptâ ferè ab omni-
bus divisione dispescitur I. in generalem & specia-
lem. *Generalis* est, quando genus causarum judi-
cialium delegatur. Idque fit, sive genus generalis-
simum omnium omninò causarum; sive genus sub-
alternum causarum v. g. matrimonialium, tutelarium,
civicarum; sive quoad omnes personas, sive quoad
11 certas, demandetur. *Specialis* est, quando alicui
certa, specifica, ac determinata causa committitur,
v.g. causa mutui inter Sempronium & Titium; cau-
sa Jurisdictionis controversæ inter Cajum & Mæ-
12 vium &c. Hæcque divisio nititur authoritate Juris
manifesti in *cit.l.solet* 16.*ff.de Jurisdict.* ubi decerni-
tur, quòd *Prætor Jurisdictionem soleat mandare, &*
aut omnem mandet, aut speciem unam. Item in *l.seq.*
seu 17. *ff.eôd.* ubi Ulpianus, *Prætor*, ait, *sicut uni-*
versam Jurisdictionem mandare alii potest: ita & in
personas certas, vel de una specie potest.
13 Equidem post Sanchezium existimat I. P. Pi-
rhing ad *tit. de Offic. Iud. Deleg. num.* 3. non posse
omnes omninò causas à Judice, qui Summô Prin-
cipe inferior est, delegari, motus textu *l. penult.*
ff de Offic. Præsid. ubi dicitur: *Legatus Cæsaris, id est,*
Præses vel Corrector Provinciæ, abdicandô se non
14 *amittit Imperium.* Verùm, ut pluribus ostendit D.
Braun de *Jurisdict. cap.*5.§.1.*num.* 4. longè alius est
sensus *cit. l.* quàm P. Pirhing existimat, nempe Ma-
gistratum, abdicandô officium suum, inconsultô
Principe, nihil agere, nec desinere esse Magistratum:
quia planè incommodum foret, sinè Magistratu po-
pulum indefensum relinquere, nec Principi quidquam
de hoc significare, ac sinè illius præscitu renuntiare
officio, sinè cujus authoritate non potuit acquiri.
Putant alii II. Jurisdictionem Delegatam *Genera-* 15
lem esse Ordinariam; hujusque opinionis est An-
dreas Gail. *lib.*1. *observ.*97. *n.*13. Illis tamen adsti-
pulari nequeo: tum *quia cit. l. solet* 16. & *l. Prætor*
17. *ff de Jurisdict.* dicunt apertè, tam mandatarium
Jurisdictionis universalem, quàm particularem *ejus*
fungi vice, qui mandavit, non suâ: tum quia idem est 16
Juris in toto quoad totum, quod Juris est in parte
quoad partem: adeóque, si Jurisdictio Delegata
particularis non est Ordinaria, nec Delegata univer-
salis erit Ordinaria. Et hinc P. Engel, tametsi ad
tit. de Offic. Ord. n. 3. non nihil in sententiam Gailii
propendeat, fatetur tamen in fine, Judicem Dele-
gatum, si in rigore & propriissimè loqui velimus,
differre ab Ordinario.
II. dividitur Jurisdictio Delegata à quibusdem 17
in Delegatam in specie, & Mandatam. *Delegatam*
in specie vocant aliqui, quando una tantùm vel
altera causa expressa committitur: *Mandatam*, quan-
do plures causæ demandantur: adeóque putant isti
Authores, Judicem Delegatum & Datum esse unum
eundemque; Delegatum verò & Mandatarium di-
versum.
Sed huic recitatæ divisionis sensui cum Magni- 18
fico P. König ad *tit de Offic. Iud. Deleg. n.*4. & 6. vix
non omnes Civilistæ reclamant; in specie Obrecht
de *Jurisdict. lib* 4. *cap.* 3. *per tot.* Bucer. de *Jurisdict.*
*cap.*6. *n.*6. Sutholt de *Jurisdict. aphoris.* 356. Struv.
*Exercit.*4.*th.*44. Braun de *Jurisdict. c.*5.§.1.*n.*33. con-
tendentes, Jurisdictionem Delegatam manere inva-
riatam, sive una sive plures causæ delegentur ob
dicta in *num.*15. & simul adstruentes, Judicem De-
legatum à Dato totô ferè Cœlô diversum esse. I. 19
enim Judices Delegati habent Jurisdictionem; econ-
tra, ut in *cap.* 1. *n.* 33. & *seqq.* præmissum est, Judi-
ces Dati (alias Pedanei nominati) nullam Jurisdi-
ctionem, sed nudam notionem habent. II. Judex 20
Delegatus potest exequi suam sententiam *cap. signifi-*
casti 7. *cap. in literis* 9. *cap. pastoralis* 28. §. *quia verò*
de Offic. Iud. Deleg. l. ult. §.1. *ff. de Offic. ejus cui mand.*
Judex Datus potest quidem judicare, & sententiam
ferre, exequi autem sententiam non potest *l. à divo*
Pio 15. *in pr. ff. de Re judic.* III. à Judice Dato ap- 21
pellatur ad Dantem *l quod dicitur* 1. *in pr. ff. Quis*
à quo appell. à Judice Delegato, non ad Delegan-
tem, sed Delegantis Superiorem appellatio inter-
ponitur *d.l quod dicitur* 1.§.1. *cap. super* 27. §. *porrò*
cum Delegatus de Offic. Iud. Deleg. IV. Judex Dele- 22
gatus desinit esse talis morte Delegantis, re adhuc
integra *cap. relatum* 19. & *cap. seq. eâd. tit. l. & quia*
6. *ff. de Jurisdict.* Judex Datus retinet munus judi-
candi, etsi Judex Dans decesserit *l. venditor* 49. §.
1. *ff. de Judic.*
Neque juvat Adversarios, quòd in *l. à Judice* 5. 23
Cod. de Judic. Judex Pedaneus vocetur Delegatus,
ibi: *à Judice Judex Delegatus Judicis dandi potesta-*
tem non habet; cùm ipse judiciariô munere fungatur.
Quódve idem reperiatur in *l. un. Cod. Qui pro sua Ju-*
risdict. ibi: *hæc teneant, nisi Judices, à nobis specia-*
liter delegantibus dati, aliis causas delegaverint ju-
dicandas. Nam ex contextu utriusque L. obvium 24
cuivis est, Judicem Delegatum ibidem non sumi
propriè & in sensu nostro pro Judice Jurisdictionis,
sed impropriè et pro Judice notionis: hôc ipsô enim,
quòd nequeat alium dare Judicem, solâ notione pol-
let; cùm verè & propriè Delegatus, seu Mandatarius,
Judicem alium dare non prohibeatur *l. Imperium* 3.
ff. de Jurisdict. l. cùm prætor 12. §. 1. *ff. de Judic.*

Cæte-

25 Cæterùm exceptio facienda est in Summo Principe, qui, si Judicem det, dicendô v.g. ut causam, inter Sempronium & Cajam cognoscat, Judicem non præcisè Pedaneum & Notionalem, sed Jurisdictionalem, & virtualiter seu æquivalenter Delegatum dedisse censetur, adeò ut in effectu inter Judicem, à Summo Principe Datum, & Delegatum nulla sit differentia per textus in *cit. l. à Judice 5. Cod. de Judic. l. un. Cod. Qui pro sua Jurisdict. l. penult. Cod. de Fruct. & lit. expens. Nov. 60. cap. 2.* Obrecht *d.cap.3.n.22.* Sutholt *aphor.359.* Braun *d. cap.5.§.1.num.22.*

26 Revertendô jam ad superiorem & secundam divisionem, quidam cum P. König *cit. l.n.3. & 5.* & Lauterbach ad *tit.ff.de Jurisdict.§.26.* hoc discrimen inter Jurisdictionem Delegatam in specie & Mandatam statuunt, quòd illa, præter causæ cognitionem, modicam coërcitionem, non tamen ultimatam & perfectam potestatem exequendi tribuat; ista è contrà integram Jurisdictionem cum plena potestate exequendi in Mandatarium transferat.

Sed neque hoc discrimen agnoscendum videtur: 27 tum quia in *cap. super quæstionum 27 §. porrò de Offic. Deleg.* perspicuè supponit Pontifex, Jurisdictionem à Delegato S.Pontificis in sub-Delegatum totam transferri posse: tum quia in *cap. prætereà 5. eôd. tit.* regulam generalem ponit, eum, *cui causa committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipere potestatem*: tum quia potestas exequendi sententiam, à se latam, indubitatè habet Judex Delegatus per textus complures in *cap. significasti 7. cap. in literis 9. cap. quærenti 26. cap. pastoralis 28. § quia verò d.t.*

28 Si dicas: à Judice Mandatario juxta *n. 21.* non appellatur ad Mandantem; bene verò à Delegato ad Delegantem *d.cap. super quæstionem 27. § porrò cap. si Delegatus 7. eôd. in 6. l. un. Cod. Qui pro sua Jurisdict.* Ergo Judex Mandatarius distinguitur in eo à Delegato, quòd hic non totam, ille verò totam Jurisdictionem habeat.

29 Resp. negandô anteced. Enimverò, ut accuratissimè hanc in rem discurrit Nobilissimus Gonzalez in *comment. ad cit. cap. super quæstionum n. 5. & seqq.* datur quidem appellatio à Delegato S. Principis ad Delegantem, sicut à Mandatario S. Principis ad Mandantem: quòd si tamen Delegatus vel Mandatarius Summi Principis rursus alteri Jurisdictionem subdeleget, vel demandet, distinguendum est, utrùm totam Jurisdictionem delegaverit seu mandaverit, vel solummodò partem, executionem vel aliquid aliud sibi reservandô. Priore casu appellatur à sub-Delegato seu sub Mandatario, non ad sub-Delegantem seu sub Mandantem, sed superiorem, hoc est, S.Principem; posteriore casu ad sub-Delegantem 30 vel Mandantem appellatur. Ratio differentiæ est: quia sub Delegatus vel sub Mandatarius ad totam causam est verus Judex Delegatus aut Mandatarius; omnemque potestatem, quam habet sub-Delegans vel sub Mandans, consequitur; non etiam Judex sub-Delegatus vel Mandatarius ad partem Jurisdictionis, qui veriùs Judex datus appellatur: unde in primo casu, si daretur appellatio, fieret ab eadem persona ad eandem & moraliter indistinctam; secus in casu posteriore.

31 Concludo itaque cum Obrecht *cit. lib.4. cap.1. n. 4.* Borero *d.c.6. n.5.55. & seqq.* Sutholt *aphor. 358.* Stryck in *usu mod. ad tit. ff. de Offic. ejus cui mand. §. 3. & 4.* inter Jurisdictionem Delegatam & Mandatam nullam prorsus intercedere discrepantiam, præ-32 terquàm in solo nomine. Idque præter jam dicta colligo ex eo, quòd Jus Canonicum sæpe Jurisdictionem Delegatam pro Mandata, & vicissim, accipiat per textus in *cap. relatum 19. cap. super quæst. 27. cap. ult. de Offic. Jud. Deleg.* Tametsi idem Jus frequentiùs vocabulô *Delegatæ*; Jus autem Civde (saltem in Pandectıs) terminô *Mandatæ* utatur.

§. III.

Quis Jurisdictionem delegare possit?

Jurisdictionem delegat, vel Jus, vel Homo. Jus 33 delegat, quando certis personis per Legem publicam aliquid agendum committit, non propriô sed alienô nomine. Sic Episcopi multa facere jubentur, tum in Jure Communi 10 *cap. irrefragabili 13. §. cæterùm de Offic. Ord. Clem. un. de suppl. neglig. Prælat. Clemen. attendentes 2. de statu Monach.* quàm in Concil. Trident. *sess. 5. de ref. cap. 2. & sess. 6. de ref. c. 2.* & alibi, non jure propriô, sed alienô, non tanquam Ordinarii, sed *tanquàm Sedis Apostolicæ Delegati.*

Nec attendendi sunt, qui cum Beroio illos actus, 34 quos Episcopi ex delegatione Juris faciunt, ad Jurisdictionem Ordinariam revocant, ex eo capite: quia Jurisdictio, quæ provenit à Lege, est Ordinaria per *l. & quia 6. ff. de Jurisdict.* Contra enim est, quòd 35 tantùm illa Jurisdictio, descendens ex Lege, sit Ordinaria, quæ defertur a Lege vi muneris, ut tanquam propria habeatur; non etiam illa, quæ defertur à Lege authoritate & vice alienâ: quicunque enim non suô jure, sed alterius gratiâ & vice, Jurisdictionem exercet, ille non Ordinarius sed Delegatus est Judex per *l. solet 16. ff. de Jurisdict. & l quæcunque 1. §. 1. ff. de Offic. ejus cui mand. est Jurisdict.*

Nec etiam imagineris velim, non esse in re discrimen, utrùm actus prænominatos ad Ordinariam vel Delegatam Jurisdictionem reducamus. Nam, ut nihil dicam, quòd Capitulum, Sede vacante, in Jurisdictione Delegata non succedat; insuper, si ab Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, contingat appellari, appellatio non ad Archi-Episcopum, sed ad S. Pontificem interponitur per *d. cap. super quæstionum 27. de Offic. Deleg.* quandoquidem Episcopus, ubi Delegatum Apostolicum agit, major est Archi-Episcopo *cap. sanè 11. eôd. tit.* Panormit. *in cap. ad abolendam 9. de Hæret. n. 13. & 16.* Barbosa de *Offic. & pot. Ep p. 3. alleg. 92. n. 3. & 17.* P. Wiestner ad *tit. de Offic. Jud. Deleg. n. 8. & seqq.* ac novissimè Clariss. P. Schmalzgrueber *ibid. num. 5.* 36

Nec demum existimes, Jorisdictionem, à Lege 37 Delegatam, ab Extraordinaria non discrepare. Discrepat enim, quòd Extraordinaria habeatur ut propria, ac nomine propriô exerceatur; secus ac Delegata à Lege ex *num. 35.*

Homo, ut Jurisdictionem deleget, Magistratum 38 gerat, seu Jurisdictionem Ordinariam habeat, oportet: nam, ut differit Julianus in *l. more 5. ff. de Jurisdict. more majorum* (hoc est, jure consuetudinariô, ut cum Obrecht *d. lib. cap. 2. num. 2.* interpretatur Braun *d. §. 1. n. 10.*) *ita comparatum est, ut is demum Jurisdictionem mandare possit, qui eam suô jure, non alienô beneficiô, habet.*

Qui autem Jurisdictionem solummodò Delega- 39 tam habet, ille nequit eam alteri subdelegare *cap. eum causam 62. in fin. de Appellat. l. ult. in pr. ff. de Off. ejus cui mand. est Jurisdict.* Cujus ratio est: quia, qui solum exercitium Jurisdictionis accepit, uti Judex Delegatus ex *n. 4.* ille non potest Jurisdictionem alteri concedere &c.

Si dicas: procurator alium procuratorem substi- 40 tuere valet. Ergo etiam Judex Delegatus alium subdelegare. Disparitatem assigno, quòd procuratoris munus sit privatum, Judicis Delegati publicum: unde in hoc magis censetur electa personæ industria, quàm in illo: si tamen electa supponatur, substitutio non admittitur per *cap. ult. de Procurat. in 6.*

Nec

41 Nec refert: sitne quis Delegatus universalis vel particularis; sitne potestas subdelegandi concessa, vel prohibita; dederintne partes consensum in subdelegationem, nec ne; subsitne causa subdelegandi vel non? Textus siquidem & rationes propositæ generaliores sunt, quàm ut similes exceptiones patiantur. Obrecht *d. cap. num. 19. & seqq.* Vinnius *cit. cap. 8. n. 6.* Braun *d. §. 1. n. 13. 14. & 15.* observans in *n.* 16. in foro & usu dictas exceptiones sinè ulla contradictione aut impugnatione videre receptas; adeóque hic loquendum esse cum multis, sentiendum cum paucis.

42 Dices I. Judex Delegatus eandem habet Jurisdictionem, quam Delegans. Sed Jurisdictio Judicis Delegantis potest delegari. Ergo etiam Jurisdictio Judicis Delegati.

43 Resp. cum distinctione major. eandem habet Jurisdictionem quoad usum & exercitium, conced. quoad proprietatem, neg. major. Sed Jurisdictio Judicis Delegantis potest delegari, & hoc ideò, quia habetur quoad proprietatem, non quoad nudum exercitium & usum: consequenter Jurisdictio Judicis Delegati, tanquam in solo exercitio & usu consistens, juxta *l. more Majorum 5. ff. de Jurisdict.* delegari nequit.

Dices II. in *l. cùm prætor 12. §. 1. ff. de Judic.* Judi- 44 ci Delegato seu Mandatario dilucidè permittitur facultas subdelegandi in verb. *is quoque, cui mandata est Jurisdictio, Judicem dare potest.*

Resp. in *cit. l.* permitti facultatem dandi Judicem, non verò Jurisdictionem subdelegandi: quæ duo, 45 quàm disparata sint, liquet ex *num. 19. & seqq.* Nam potestas dandi Judicem est actus Jurisdictionis cujuscunque, tam Ordinariæ quàm Delegatæ per *l. imperium 3. ff. de Jurisdict.* At potestas delegandi Jurisdictionem est Jurisdictionis non cujuscunque, sed Ordinariæ juxta *n. 19.*

46 Unica exceptio facienda est in Delegato Summi Principis, seu Ecclesiastici, seu Sæcularis: hunc enim subdelegare posse, indicant textus in *c. super quæstionum 27. §. porro cap. ult. de Offic. Jud. Deleg. cap. si Delegatus 7. eòd. in 6. cap. cùm causam 62. in fin. de Appellat.* Quod in majorem præeminentiam & authoritatem talium Delegatorum statutum esse, advertit Gonzal. in *c. si pro 3. de Offic. Deleg. n. 10.*
47 Quæ ipsa exceptio fallit, quando singulariter est electa personæ industria in Delegato per *cap. si pro 3. cap. ult. §. is verò de Offic. Deleg.* Id quod potissimùm ex verborum & causæ qualitate dimetiendum esse, monet Obrecht *cit. l. cap. 2. num. 31. & seq.* Sutholt *aphor. 369.* Braun *d. §. 1. n. 23.*

§. IV.

Cui Jurisdictio delegari possit?

48 Jurisdictio delegari potest in genere omni illi, qui capax est Jurisdictionis, de quo in *cap. 1. à n. 122.* In specie potest & solet Jurisdictio Ecclesiastica delegari solis illis, qui in Dignitate Ecclesiastica, Personatu, vel Canonicatu alicujus Ecclesiæ Cathedralis, Sæcularis aut Regularis, existunt *cap.*
49 *statutum 11. in pr. de Rescript. in 6.* Sed hoc in causis, à Sede Apostolica vel Apostolico Legato aut Delegato, delegatis: nam Prælati inferiores etiam simplicibus Clericis causas delegare, non prohibentur *arg. d. cap. statutum &c.* P. König *cit. l. num. 19.* D. Braun *d. §. 1. num. 29.* Passerinus ad *cit. cap. statutum à n. 1.* Clariss. P. Schmalzgrueber ad *tit. de Rescriptis in 6. à n. 44.*

50 Jurisdictio Sæcularis (imò & Ecclesiastica) non tantùm Magistratui, seu Judici Ordinario, delegari potest, per *l. etsi prætor 3. ff. de Off. ejus cui mand. est Jurisdict.* sed etiam homini privato per *l. ult. §. 1. ff. eòd.* Obrecht *d. l. 4. c. 4. n. 3. & seqq.* Interim, si Judici 51 tam Ecclesiastico quàm Sæculari mandetur, quod antecedenter jam ad ipsius officium pertinebat, magis Jurisdictio Ordinaria tacitura, quam Jurisdictio Delegata censetur per *cap. licet 11. de Offic. Iud. Ord.* Vivianus, Barbosa, & Gonzalez ad *d. cap. à num. 3.* Obrecht *d. l. num. 20.* Braun *d. §. num. 39.*

Quæres I. an Jurisdictio alicui non subdito de- 52 legari possit?

Resp. affirmativè per argumentum ex *l. un. Cod. Qui pro sua Iurisdict.* ubi plus non requiritur ad delegationem causarum, quàm ut Jurisdictioni Judicis Delegantis subjaceant. Quamquàm in eo diffe- 53 rat Jurisdictio, non-subdito delegata, ab eo, quæ delegatur subdito, quòd iste compelli possit ad delegationem suscipiendam; ille non. Pirhing ad *tit. de Offic. Iud. Deleg. num. 35.* Reiffenstuel *num. 68.* Schmalzgrueber *num. 16.*

Quæres II. an pluribus Jurisdictio delegari possit? 54

Resp. posse; videndum tamen, an pluribus in solidum vel cumulativè delegata sit. Nam, si cumulativè sit delegata Jurisdictio (id quod in dubio præsumitur) omnes simul in usu & exercitio Jurisdictionis concurrere debent *cap. causam 16. de Offic. Iud. Deleg.* & *arg. l. item si 17. §. ult. ff. de Recept. qui arbitr.* Si in solidum sit facta delegatio (quod tunc colligi- 55 tur, si expressè dictum sit, ut, si omnes vel aliqui procedere nequeant, etiam onus valeat procedere) tenet processus & sententia, si modò unus causam discusserit; quin & si unus negotium semel inchoaverit, nequeunt reliqui se se ulteriùs immiscere, nisi *vel infirmitate, vel alia justa causâ illum contingeret impediri, aut si nollet, vel malitiosè in eo procedere recusaret,* verba sunt *cap. cùm plures 8. d. t. in 6.* Facit etiam *cap. scifcitatus 13. de Rescript.* & ibi per extensum Gonzalez *num. 6. & seqq.* & passim Interpretes.

§. V.

Quales Causæ delegari possint?

Ad objectum Jurisdictionis Delegatæ pertinent 56 causæ delegabiles, quales sunt, quæ jure Magistratûs, vi muneris & officii competunt: quæ verò specialiter Lege, vel SCtô, vel Constitutione Principum tribuuntur, delegari vel mandari non possunt. Ita textus & DD. in *l. quaecunque 1. in pr. ff. de Offic. ejus cui mand. est Iurisdict.*

Disceptari autem solet I. an Imperium Mixtum 57 delegari possit?

Resp. affirmativè. Textus sunt plures & insolubiles in *d. l. quæcunque 1. §. 1. l. cognitio 4 §. 1. l. ult. §. 1. ff. de Off. ejus cui mand. l. ult. Cod. Ubi & apud quem.* Ratio est I. quia Jurisdictio simplex delegari potest, secundùm omnes. Ergo etiam Imperium Mixtum, utpote sinè quo Jurisdictio simplex non semper commodè potest redigi in actum, ex responsis in *cap. 1. à n. 61.* II. quia Imperium Merum per se non 58 competit ex speciali Lege, sed vi officii, ut colligitur ex *cap. pen. de Restit. in integr. & d. l. ult. Cod. Ubi & apud quem &c.* Authores præcipuos numerat D. Braun *cit. cap. 5. §. 1. num. 41.*

Disceptari solet II. an executio sententiæ separa- 59 tim delegari possit?

Resp. affirmativè. Textus in *cap. pastoralis 28. §. quia verò sæpe contingit, quòd executio sententiæ Ordinario demandatur &c. de Off. Iud. Deleg.* Ratio est: 60 quia non solùm universa Jurisdictio, sed etiam pars illius, ac actus unicus demandari potest *cap. super quæstionum 27. §. verùm & seqq. d. t. l. solet 16. & seqq. ff. de Iurisdict.* Authores sunt Obrecht *d. l. c. 6. n. 42.*

&

& seqq. Braun *d. l. numer.* 44. & alii, posteà citandi.

62 Dices: nudum ministerium non potest delegari *cap. ult. d. t.* Sed executio est nudum ministerium, utpote quæ exercetur etiam ab apparitoribus judiciorum. Ergo &c.

62 Resp. executionem dupliciter spectari posse, quatenùs est nudum factum seu ministerium hominis, & quatenùs est actus Imperii Mixti, includens jus exequendi & de executione cognoscendi: priori modô considerata nequit delegari; posteriori modô accepta potest delegari, ex mox dicendis. Cæ-
63 terùm ad meliorem intellectum *d.c.ult.* sciendum est, quòd ibi prohibeatur, ne, *cui commissum est, prædicare crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus &c.* aliis demandet: quia scilicèt ejusmodi Commissarius aut nudus minister est, aut nudus executor Jurisdictionis. Quòd si enim tales actus ex officio quis exercere valeat, aliis committere non prohibetur *cap. ult. de Off. Jud. Ordinar.*

64 Disceptari solet III. an mandatâ executione censeatur etiam delegata cognitio?

Resp. affirmativè, si per cognitionem intelligatur illa, quæ versatur circa ipsam executionem, quoad modum exequendi, & quoad res, in quas executio
65 fit. Ratio est: quia, *cui Jurisdictio data est, ea quoque concessa videntur, sine quibus Jurisdictio explicari non potest*, ut dicitur in *l. cui* 2. *ff. de Jurisdict.* Vix autem potest executio explicari absque cognitione super executione; imò vix aliàs censeri potest de-
66 legata per modum Jurisdictionis. Ergo &c. Si autem per cognitionem intelligatur illa, quæ fit super exceptionibus v.g. SCti Macedoniani, Velleiani, compensationis, competentiæ &c. quibus aut sententia, aut executio impugnatur, negativè Resp. per textus in *cap. de cætero* 5. *de Sent. & re judic. l. si prætor* 75. *ff.*
67 *de Judic. l. pen. ff. de Confess.* Ratio est: quia delegatio, uti mandatum, est strictæ interpretationis, atque ad non-concessa, si necessariò connexa non sint, nequit extendi. Ergo Judex Delegatus ad exequendum, non potest cognoscere exceptiones, remorandæ executioni oppositas: hæ enim cum executione necessariam connexionem non habent, sed magis ad novum judicium pertinent. Obrecht *d. c.* 6. *num.* 45. *& seqq.* Struv. *exercit.* 4. *th.* 45. Mynsing *cent.* 3. *obs.* 69.

68 Disceptari solet IV. an Imperium Merum delegari possit?

Resp. I. de Jure Civili non posse. Textus sunt in *l. quæcunque* 1. *pr. & §.* 1. *ff. de Off. ejus cui mand. l. solent* 6. *in pr. ff. de Off. proconf. l. nemo* 70. *ff. de R. I.* Ratio sumitur ex *c.* 6. *n.* 175. ubi dictum est, Imperium Merum Jure Civili ad Extraordinariam Jurisdictionem pertinere.

69 Excipitur casus justæ absentiæ *d. l. quæcunque in pr.* quin & casus infirmitatis, juventutis, inscitiæ per Constitutionem Criminalem Caroli V. *art.* 2. Braun *d. §.* 1. *n.* 53. *& seqq.* Stryck in *usu mod. Pand. ad cit. tit. de Off. ejus &c. §.* 5.

70 Resp. II. Merum Imperium Sæculare de Jure Canonico delegari posse & debere per textum in *cap. ult. Ne Clerici* vel *Monachi in* 6. eò quòd Prælati Ecclesiastici, simili Imperiô instructi, propter irregularitatis metum nequeant id personaliter exequi.

71 Resp. III. Merum Imperium Ecclesiasticum de Jure Canonico delegari posse. Ita novissimè P. Reiffenstuel ad *tit. de Off. Jud. Deleg. num.* 80. quem antecesserunt Longoval. de *Jurisdict. cap.* 4. *n.* 6. Bocerus de *Jurisdict. c.* 6. n. 72. Clariss. P. Ebberth *p.* 7. *Controv.*
72 7. n. 10. *cit. l. num.* 23. Clariss. D. Franz *Quæst. select.* 2. n. 10. Colligitur hæc responsio tum ex *cap. licèt* 2. *de Offic. Vic. in* 6. ubi potestas inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos à suis beneficiis vel administrationibus amovendi (quæ potestas haud dubiè revocatur ad Imperium Merum Ecclesiasticum) negatur in Vicarium transferri, *nisi specialiter committatur*: adeóque sup-
ponitur, quòd delegari possit: tum ex *cap. cùm Episcopus* 7. *de Offic. Ord. in* 6. ibi decernitur, quòd Episcopus *in quolibet loco suæ Diœcesis possit per se vel per alium* (ergo per Delegatum) *pro tribunali sedere, causas ad Ecclesiasticum Forum spectantes audire, personas Ecclesiasticas capere, ac carceri deputare &c.* tum ex ratione, quòd Imperium Merum Ecclesia- 74
sticum ordinariô jure competat juxta dicta in *cap.* 6. *num.* 176. consequenter ex *num.* 56. delegari valet.

Contradicunt huic responsioni Gentil. de *Jurisdict. lib.* 3. *cap.* 29. Fachinæus *lib.* 9. *contr. cap.* 99. Vinnius *d. l. cap.* 3. *num.* 4. Struv. *d. exercit. th.* 81. Pirhing ad *tit. de Off. Deleg. num.* 52. Braun *d. §.* 1. n. 51. quorum ratio fundatur in concordia Juris Civilis & Canonici, quæ tamen in hoc passu non est speranda, cùm, ut diximus, Jure Civili Imperium Merum Extraordinariæ, Jure Canonicô Jurisdictionis Ordinariæ sit. 75

Disceptari solet V. cum actus Ordinis delegari possint? 76

Resp. I. actus Ordinis posse delegari personæ, requisitum Ordinem habenti, veluti patet in Episcopo, qui alteri Episcopo, jam consecrato, per literas dimissorias potestatem ordinandi proprium subditum committit. Revideantur dicta in *tr.* 3. *c.* 1. *n.* 571. & *tr.* 4. *c.* 3. à n. 108. Textus in *c. requisivit* 1. *de Ordinat. ab Episcopo qui renunt.*

Resp. II. actus Ordinis personæ, requisitum Ordinem non habenti, vel, Apostolicô privilegio in certis casibus non munitæ, ab alio, quàm Summo Pontifice, delegari non posse. Textus notabilis in *cap. aqua* 9. *de Consecrat. Eccles. vel altar.* ibi: *licèt Episcopus committere valeat, quæ Jurisdictionis existunt; quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradûs Clericis demandare.* P. Reiffenstuel *cit. l. n.* 84. *& seqq.* Ratio est: quia Delegatio Jurisdictio- 78
nis solò verbô Delegantis perficitur; Delegatio verò Potestatis Ordinis non nudis verbis, sed manuum impositione transfertur per *cap. un. de sacra Unct. cap. ult. de Sacrament. non iterand.* 77

Quòd autem Summus Pontifex nonnunquam actum Ordinis Clerico inferioris gradus demandare possit, liquet ex *tr.* 4. *de* Diaconatu & Subdiaconatu *ex c.* 2. *à num.* 139. & de Confirmatione *ex d. cap. à num.* 165. 79

§. VI.

Quis effectus sit Iurisdictionis Delegatæ?

Effectus Jurisdictionis Delegatæ est I. quòd Delegatum faciat Vicarium quasi Judicis Ordinarii, unamque moraliter personam cum Ordinario constituat juxta *l. quæcunque §.* 1. *l. etsi* 3. *ff. de Off. ejus cui mand. l solet* 16. *ff. de Iurisdict.* 80

II. quòd Delegatus totam Jurisdictionem Delegantis quoad causam sibi delegatam consequatur, dummodò nihil exceptum aut reservatum sit per *cap. quia* 1. *cap. præterea* 5. *c. significâsti* 7. *de Off. Iud. Deleg. l. cui* 2. *ff. d. t. l. hac clausula* 1. *§.* 4. *ff. de Suspect. tutor.* 82

III. quòd non tantùm Jurisdictio in specie, sed etiam Imperium Mixtum & potestas coërcitiva transeat in delegatum *l. ult. §.* 1. *de Off. ejus cui mand. et Iurisdict.* Rota Rom. in *rec. p.* 6. *dec.* 252. *num.* 2. & *decis.* 253. *num.* 7. 82

IV. quòd Delegatus possit dare Judicem specialem seu pedaneum ex n. 44. 83

V. quòd, si opus fuerit, auxilium brachii Sæcularis 84

laris implorare valeat, ac Magistratus politicus
huic implorationi deferre debeat per textum in *cap.
administratores 26. XXIII. quæst. 5.*
85 Num Judici Delegato parendum sit, antequàm
literas Delegationis exhibuerit, suamque personam
legitimaverit? Non est arduum decernere: siquidem
ex *cap. 4. n. 64. & seq.* constat, etiam Legato
Sedis Apostolicæ, si Cardinalis non sit, parendum
non esse, priusquàm Legationis suæ literas osten-
86 derit. Textus in *c. cùm Jure 31. de Off. Jud. De-
leg. cap. cùm contingat 24. de Rescript. l. si quis 1.
Cod. de Mand. Princip.* Est enim Delegatio res
facti; nec favet illi præsumptio Juris, sed potiùs
Ordinariæ Jurisdictioni patrocinatur.

§. VII.

Quomodò Jurisdictio Delegata cesset?

87 Jurisdictio Delegata cessat I. revocatione Dele-
gantis, sive res adhuc integra sit, sive non per *cap.
in causis 30 de Elect. §. rectè 9. Ind. de Mand. l.
solent 6 §. 1. ff. de Off. Procons.* Delegatio siquidem,
instar alterius mandati, in esse & conservari pendet
à voluntate Delegantis per *l. judicium 58. ff. de Judic.*
88 Exceptô casu, quô Delegatus Summi Principis sub-
delegavit: hic enim, re non ampliùs integrâ, ne-
quit Jurisdictionem subdelegatam a sub-Delegato
revocare: cùm totum, quod habuit, abdicâsse à
se videatur *cap. venerabili 37. in fin. de Off. Jud.
Deleg. cap. quamvis 6. eôd. in 6.*
89 II. cessat morte Delegati: respicitur enim per-
sonæ industria, in qua hæredes non censentur esse
successores *c. licet 30. c. uno 42. d. t.* Præterquàm
si non personæ sed potiùs Dignitati delegatio facta
fuisset, puta Archi Episcopo Salisburgensi: tunc
quippe Successor Archi Episcopus rectè causam,
Antecessori delegatam, cognoscit *cap. quoniam 14.
eôd.* Rota Rom. in *recent. p. 17. dec. 157. n. 14.* quia
Dignitas nõ moritur *cap. si gratiosè 5. de Rescript. in 6.*
90 III. cessat lapsu temporis, pro expedienda causa
delegata, præstituti *cap. de causis 4. d. t. de Off.
Jud. Del.* Nisi terminus communi partium volun-
tate prorogatus, & prorogatio à Delegante non
fuerit expressè prohibita. P. Schmalzgrueber ad
cit. tit. n. 44.
91 IV. cessat finitô negotiô, latâ videlicèt sententiâ
definitivâ; non attentô, justa an injusta, valida aut
nulla fuerit *l. si ut proponis 4. Cod. Quom. & quando
Judex*: non enim, ut Judex Ordinarius sententiã nullã
corrigere potest *l. si expressim 19. ff. de Appellat.*
potest eam Delegatus: quia semel est officiô fun-
92 ctus *cap. in literis 9. de Off. Deleg.* Panorm. in *cap.
2. de Sent. & re jud. n. 28.* Brunnem. in *cit. l. si ut
proponis n. 3. & 5.* P. Wiestner ad *tit. de Offic. Deleg.
n. 93.* limitans in *num. seq.* hanc regulam, si nullitas
provenerit ex eo, quòd Delegatus formam mandati
fuerit transgressus *arg. cap. cùm olim 32. cap. vene-
rabili 37. d. t. cap. cùm dilecta 22. de Rescript. l. di-
ligenter 5. in pr. ff. Mand. l. quid tamen 21. in pr.
ff. de Recept. qui arbitr.*
93 V. cessat morte Delegantis, re adhuc integrâ;
hoc est, si necdum emissa sit citatio: hæc enim, ut
verior mihi sententia docet, vim habet perpetuandi
Jurisdictionem per *cap. gratum 20. de Off. Deleg.
cap. ult. de Off. Leg.* junctâ *l. & quia 6. l. si convene-
94 rit 18. ff. Jurisdict. l. si quis 7. ff. de Judic.* Cujus
ratio est: quia per citationem Delegatus utitur Ju-
risdictione Delegantis; sicque, uti citatio præventio-
nem operatur juxta *cap. proposuisti 19. de Foro com-
pet.* ita & perpetuationem per *cap. licet 30. de Off.
Deleg. c. cùm plures 8. eôd. in 6.* Pirhing ad *tit. cit.
sect. 7. §. 3.* Obrecht *d. l. 4. c. 8. n. 10.* Bocer. *d. cap. 6.*
n. 53. & seq. Vinn. *d. l. c. 11. n. 3.* Braun *d. §. 1. n. 79.
& seqq.* Clariss. P. Ebberth *p. 2. contr. 5. n. 4.*
Quid autem ad *cap. relatum 19. d. t.* responden- 95
dum, ubi Lucius III. distinguit, sitne lis jam con-
testata, an non; ac priore casu perpetuationem ad-
mittit, posteriore rejicit? An fortè cum Glossa,
quam sequitur Clarissimus P. Wiestner *d. l. sub n. 87.*
dicendum, idem *cap. relatum* per *cap. gratum*, imme-
diatè sequens, velut posterius, esse correctum? Sed 96
hoc nolim: tum quia, ut sapienter advertit D.
Braun *cit. l. sub n. 8.* non est verosimile, Compilato-
rem Decretalium voluisse afferre textus, se immedia-
tè subsequentes, & simul corrigentes: tum quia ju-
ra, quando possunt probabili ratione conciliari, de-
bent conciliari, juxta vulgares regulas.
Respondendum ergo censeo, Lucium Pontificem 97
in *d. cap. relatum* ad casum sibi propositum distin-
ctionem suam de litis contestatione accommodâsse;
minimè tamen negâsse, quòd Jurisdictio non fiat
perpetua, quando lis quidem contestata non est,
citatio tamen præcessit, neque enim in Decretali-
bus, sicut & in Codice, inclusio unius est exclusio
alterius; valdeque fragile & infirmum est argumen-
tum à sensu contrario, ubi textus expressus in con-
trarium extat.
Dices I. Quando lis non est contestata, Juris- 98
dictio non censetur esse perpetuata *d. cap. rela-
tum 19.* Sed, factâ duntaxat citatione, lis non est
contestata. Ergo Jurisdictio non censetur esse per-
petuata.
Resp. distinguendô major. quando lis non est 99
contestata, & nullus alius actus Jurisdictionis exer-
citus, Jurisdictio non censetur esse perpetuata,
concedo major. quando alius actus Jurisdictionis
est exercitus, nego major. Cùm itaque, citatione
factâ, actus Jurisdictionis sit exercitus, Jurisdi-
ctio per *cit. cap. gratum 20.* censetur esse perpetuata.
Dices II. Licèt Judex Delegatus utatur Juris- 100
dictione Delegantis, quando eandem subdelegat,
attamen Jurisdictio necdum videtur esse perpetua-
ta, velut cum communi tradit Clariss. P. Schmalz-
grueber ad *tit. de Off. Jud. Deleg. n. 49.* Ergo etiam,
licèt Judex Delegatus utatur Jurisdictione Dele-
gantis, quando citationem decernit, Jurisdictio
tamen non censetur esse perpetuata.
Resp. negandô conseq. Ratio discriminis est, 101
quòd citatio sit actus judicialis, per se pertinens ad
substantiam Judicii; subdelegatio econtrà neque
sit actus judicialis, neque per se pertineat ad Ju-
dicium, sed prorsus per accidens se habeat.
Dices III. ad perpetuandum mandatum in pro 102
curatore res non ampliùs dicitur integra, non
quando citatio facta, sed lis contestata fuit *l. ante
litem 16. l. post litem 17. ff. de Procurat.* Ergo etiam
ad perpetuandam Jurisdictionem in Judice Delegato. 103
Resp. rursus negandô conseq. Disparitas est,
quòd procurator debeat fieri dominus litis, ideó-
que litis contestatione opus habeat; aliter atque
Judex Delegatus, qui dominus litis non efficitur.
Ut verò citatio perpetuet Jurisdictionem Dele-
gatam, debet equidem esse valida *arg. Clem. causam* 104
*3. de Elect. cap. ult. de Restit. spoliat. l. quoties 6. ff.
Qui satisdare cog.* nõ tamẽ citato debet esse intimata
per *cit. cap. gratum 20.* ibi: *propositô citationis edictô
&c. de offic. Deleg.* ubi Panorm. *n. 3.* Rota Rom. in
rec. p. 6. dec. 298. n. 8. Neque enim intimatio, sed 105
potiùs determinatio citationis est actus & usus Ju-
risdictionis, ut cum P. Wiestner *d. l. n. 88.* sustinet
cit. Clariss. Ebberth *controv. 7. n. 2. & seq.* qui etiam 106
videri potest in *controv. 6. n. 3.* ubi quàm optimè
concludit & probat, citationem, nulliter factam,
cùm nihil operetur, nec sit actus Jurisdictionis, ad
perpetuandam Jurisdictionem non sufficere.

SECTIO II.

De Jurisdictione Prorogata.

SUMMARIA.

107. *Notatis Jurisdictionis Prorogata, ejusque definitio.* 108. *Est potestas publica.* 109. *Extra fines suos.* 110. *& seqq. Consensu partium extensa.* 112. *Alia est expressa.* 113. *& seq. Alia tacita.* 115. *Judex Prorogationis in eodem sit regno, in quo sunt prorogantes, necessum est.* 116. *Clerici nequeunt in se prorogare Jurisdictionem alienam.* 117. *& seqq. Neque subditi diversorum Statuum.* 121. *& seqq. Sententia Stryckii examinatur.* 125. *De Judice Delegato triplex sententia refertur.* 126. *& seqq. Admittitur ex parte illius absoluta Prorogatio.* 129. *& seqq. Respondetur ad contraria.* 135. *Prorogatio potest fieri de persona ad personam.* 136. *De tempore ad tempus.* 137. *& seqq. Si Jurisdictio sit delegata.* 140. *& seqq. De loco ad locum in sensu explicata.* 144. *De tempore ad tempus.* 146. *& seqq. Si utraque causa maneat in eodem genere.* 149. *Judex prorogatus nequit amplius recusari.* 150. *Fit competens.* 151. *Jurisdictio prorogata assumit naturam illius, quæ prorogatur.*

§. I.

Quid & quotuplex sit Jurisdictio Prorogata?

107 *Prorogatio* Jurisdictionis idem est, quod ampliatio, dilatatio, extensio, protractio, & explicatio Jurisdictionis juxta Bocerum de *Jurisdict. c 7. n.a.* & definitur, quòd sit potestas publica jus dicendi, extra fines suos, consensu privatorum extensa.

108 Dixi I. *potestas publica jus dicendi.* Per quæ verba notavi, in Prorogatione supponi antecedenter aliquam Jurisdictionem: in eo enim, qui nec tribunali præest, nec aliam Jurisdictionem exercet, Prorogatio nequit aliquid operari per *l. si se 1. ff. de Judic.* quia consensus privatorum non potest se solô aliquem Magistratum facere, vel Jurisdictionem conferre *l. privatorum 3. Cod. de Jurisdict.* Vinnius de *Jurisd. cap. 10. n. 5.*

109 Dixi II. *extra fines suos.* Nam cujuslibet ferè Magistratûs & Judicis potestas est ita comparata, ac suis terminis quoad personas, tempus, locum, causas &c. circumscripta, ut extra illos sinè prorogatione ac voluntate partium litigantium exerceri nequeat *l. ult. ff. de Jurisd. l. consensisse a. in pr. ff. de Judic.*

110 Dixi III. *consensu partium extensa.* Itaque Jurisdictio Prorogata proximè suboritur ex consensu partium, in judicio litigantium; remotè tamen provenit à Lege, quæ, communis utilitatis gratiâ, permittit partibus, alterius & incompetentis Judicis Jurisdictioni cum effectu semet subjicere, absque eo, quòd proprii & competentis Judicis consensus exi-
111 gatur *d. l. 2 §. 1. ff. de Judic.* Vinn. *d cap. n. 4.* Excipitur autem Clericus, qui alterius Episcopi Jurisdictionem nequit in se prorogare, nisi proprii Episcopi consensus interveniat *cap. significasti 18. de foro compet.* quia nempe quilibet Episcopus proprias oves cognoscere, pascere, & judicare debet. Gonzalez in *d. cap. n. 10.*

112 Dividitur Prorogatio in expressam & tacitam. *Expressa* est, cùm ultrò quis alienam Jurisdictionem in se prorogat, aut privilegio fori, quod habuit,
113 pactò vel stipulatione renuntiat. *Tacita* est, quæ ex facto aliquo proportionato à Lege inducitur. Et quidem ea parte actoris inducitur Prorogatio ex sola propositione actionis in judicio: nam enim, atque actionem proposuerit, illum Judicem, quem pro se elegit, contra se agnoscere, ac coram eo causam reconventionis, contra se motam, suscipere tenetur *l. qui non 22. ff. de Iudic. l. cùm Papinianus 14. Cod. de Sentent. & interlocut.* Ex parte rei con- 114
venti non aliter censetur Prorogatio procedere cum effectu, ac si ille coram Judice incompetente litem fuerit contestatus *l. nemo 4. Cod. de Jurisd.* D. Gletle 2. *parte Pandect. quæst. 1. nu. 19. & seqq.* Sutholt *aphor. 377.*

§. II.

Cujusnam Judicis Jurisdictio Prorogationem admittat?

Certum est, ad hoc, ut Jurisdictio Prorogatio- 115
nem admittat, eam fieri debere coram Judice ejusdem Imperii vel Regni. Nam si aliquis, Regi Galliæ subditus, vellet in se prorogare Jurisdictionem Judicis Germani, nihil ageret: quia Prorogatio vim remotè sortitur ex authoritate Legis, quæ respectu subditorum alienæ Reipublicæ nullam vim aut robur obtinet. Vinnius *d. cap. 10. n. 2.* Gletle *d. q. 1. n 12.* Ex quo

Sequitur I. Clericos non posse in se prorogare 116
Jurisdictionem Judicis Laici per *cap. si diligenti 12. cap. significâsti 18. de Foro compet.* Ratio est: quia 117
Clerici censentur esse alterius Imperii & Regni, quàm Laici juxta *cap. cùm ad verum 6. & seqq. Dist. 96.* Adeòque Jurisdictio Judicis Laici, tametsi à Clerico sponte fuerit agnita, vim in Clericum exserere nequit. Vinnius *d. l. n. 2.*

Sequitur II. in Romano Imperio Jurisdictionis 118
Prorogationem inter subditos diversorum Statuum vix procedere: licèt enim Status omnes Jurisdictionem suam habeant ab uno, scilicèt Imperatore, habent tamen ut propriam, patrimonialem, & Territorialem; nec Leges communes, de Prorogatione latas, in suo Territorio agnoscere tenentur: cùm plenissimâ facultate illas reformandi polleant ea *cap.*
5. n. 83. Cui accedit, quòd Jurisdictio patrimonia- 119
lis, quam Statibus Imperii concessam esse, non diximus, circumfluat suis emolumentis, quoad pœnas, mulctas, & cætera fisci jura; adeòque invitis Statibus auferri nequeat. Quin & privilegium 120
de non evocando, Statibus per A.B. *cap. 8. & 11.* tributum, non patitur, ut eorum subditi alienum tribunal subire valeant, sinè prævio Statuum consensu. Gail. *lib. 1. obs. 40. n. 2. & seqq.* Obrecht *d. l. cap. 14. n. 36.* Vinnius *d. l. n. 3.* Gletle *d. l. n. 13.* & alii, ab his citati.

Alterius sententiæ defensor est Stryck in *usu* 121
mod. Pand. ad tit. de Jurisdict. §. 22. & seqq. eô præcipuè motivô persuasus, quòd etiamnum in Imperio Romano subditus unius Statûs, in alterius Statûs Territorio delinquens aut contrahens, illius Jurisdictioni Prorogatione tacitâ se submittat, nec ullum Statibus exinde præjudicium enascatur. Ve- 122
rùm non esse paritatem inter Prorogationem tacitam, quam ex loco delicti vel contractûs eruit Stryck, & expressam, inde monstratur: quia Prorogatio illa tacita, non tam consensu privatorum, quàm authoritate Legis principaliter est introducta; expressa verò principaliter consensu privatorum, accedente Legis conniventiâ, accidere solet. Constat au- 123
tem, authoritatem Legis esse potiorem in danda vel auferenda Jurisdictione, quàm voluntatem hominum privatorum, in quorum arbitrio non est positum, Jurisdictionem Domini Territorialis eludere, vel declinare posse. Certè, cùm laudatus Stryck 124
§. 28.

§. 28. admittat, Domino Territorii facultatem competere, subditis per Legem prohibendi, ne deinceps extra Territorium se invicem conveniant: cur non dicimus, generalem de facto seu Legem seu Consuetudinem prohibentem extare, ne subditi tribunal alienum in conventione subeant, dum Territoriales Domini via aliud tam anxiè curant, quàm diminutionem Jurisdictionis, præsertim à subditis attentatam.

125 Cæterùm insignis hic controversia movetur: possitne Judicis Delegati Jurisdictio prorogari? Affirmat absolutè Bocerus de *Jurisd. cap.7 n.20. & seqq.* eique consonat Gonzalez in *Comment. ad cap. de causis 4. de Off. Deleg. n.4.* Negant absolutè Azo, Cynus, Zasius, Brunnemann. ad *l. si se 1. ff. de Judic. n.8.* Distinguunt Obrecht *d. l. 4. cap.12. n 20. & seqq.* Struvius *aphor.381.* Gietle *d.q.1.n.16. & seqq.* ac Delegatam universalem ajunt esse prorogabilem, non item Delegatam particularem.

126 Ego cum Bocero & Gonzalez absolutè affirmo.
I. enim in *cap. cum olim 32. de Offic. Deleg.* ex eo
solùm negatur Prorogatio quoad causam damnorum coram Judice, ad causam restitutionis ex capite spolii ventilandam, Delegatô, fieri potuisse:
quia procurator rei conventi nullum habuit super
hoc mandatum, & principalia ipsius protinus, ac
Prorogationem, à procuratore intentatam, audivit, contradixit. Ergo supponitur, Prorogationem coram Judice Delegato, etiam ad unam causam, fieri posse, si litigantes vel per se vel procuratores, speciali mandatô instructos, consentiant.
127 II. in cit. *l. si se* (cui succinit *l. non quidem 1. Cod. de Jurisdict.*) dicitur, *cujusvis Judicis, qui tribunali praeest, vel aliam Jurisdictionem habet.* Jurisdictionem prorogari posse. Cùm ergo Lex concedat,
aliam Jurisdictionem, quam Ordinariam, esse prorogabilem; nec distinguat inter Delegatam Universalem & particularem, nec nostrum erit distin-
128 guere; præcipuè & III. quia non potest solida
disparitas assignari inter casum unum & alterum:
ideò enim Jurisdictio Delegata universalis potest
prorogari, quia Delegatus universalis fungitur vice
& munere Delegantis, cujus Jurisdictio haud dubiè est prorogabilis. Sed etiam Delegatus particularis fungitur vice & munere Delegantis. Ergo &c.

129 Dices I. limitata causa limitatum producit effectum. Ergo Jurisdictio Delegata particularis ad solam causam, quæ fuit Delegata, limitatur, nec ad aliam extenditur.

130 Resp. negandô suppositum enthymematis, quòd nempe Jurisdictionis Prorogatio proveniat à Jurisdictione Delegata, tanquam causa: nam ex *num. 110.* causa immediata est consensus partium, & mediata est Lex, quæ ratificat & confirmat partium consensum, dummodò ex parte Judicis incompetentis sit aliqua Jurisdictio, sive Ordinaria, sive Delegata *d. l. si se 1. ff. de Judic. d.l. non quidem 1. Cod. de Jurisdict.*

131 Dices II. in *cap. P. & G.40. de Off Jud. Deleg.* manifestè reprobatur Prorogatio Jurisdictionis Delegatæ, ibi: *quia in dictum I. nullam Jurisdictionem habebas, Jurisdictionis Prorogatio nulla noscitur extitisse: cùm hujusmodi Delegata Jurisdictio ad alias personas nequeat prorogari.*

132 Resp. I. textum hunc aut nimis multùm, aut
nimis parum probare. Dum enim Delegatus, etiam
universalis, non habet Jurisdictionem in personas
illas, quæ Prorogationem petunt (utpote cùm aliàs
Prorogatione opus non esset) sequitur sanè, nec
Delegati universalis Jurisdictionem à personis non-
133 subditis prorogari posse. Imò sequitur, ne quidem
Jurisdictionem Ordinariam Prorogationi esse obnoxiam: cùm & ista fiat de non-subdito ad subditum;
Pontifex autem dicat, & respectu illorum, qui *Jurisdictioni præsunt*, non valere Prorogationem in eos, in quos Jurisdictionem non habent.

Resp. II. textum recitatum exponi debere de 134
casu, quò non utraque litigantium pars, sed una duntaxat, in Prorogationem consentit, sicut ibidem solummodò de I. Laico dicitur, quòd voluerit Jurisdictionem prorogare, nihil exprimendô de mercatoribus, quibuscum L. Laico negotium erat: hocque ad mentem *cit. cap. cum olim d.1.* supra in *nu.126.* explicati.

Resp. III. cum Gonzalez ubi suprà *n.5.* in eo- 135
dem textu solummodò reprobari Prorogationem Jurisdictionis Delegatæ de persona ad personam, non verò de causa ad causam similem: cùm enim persona cum alia persona connexionem non habeat, Jurisdictio Delegata non tam extendi, quàm noviter dari videretur; cùm econtra, ubi semel Jurisdictio in personam est concessa, & causa est similis, non tam noviter dari, quam extendi censeatur.

§. III.

Quot modis fieri possit Prorogatio?

Prorogatio quatuor fieri modis, vulgò dicitur. 136
Primò *de persona ad personam.* Quando enim Judex respectu personarum est incompetens, eò quòd personæ illæ privilegium speciale sint adeptæ, Jurisdictionem incompetentis Judicis in se prorogare, privilegio suo, in favorem privatum introducto, renuntiare, ac judicio alieno se submittere, expressè vel tacitè possunt *l. si se 1. & l. seq. in princ. & §.1. ff. de Judic.* Et hic modus à nemine, quantùm scio, revocatur in dubium. Vinnius de *Jurisdict. cap.11. n. 5. & seqq.*

Secundò fit de *tempore ad tempus,* quandò scili- 137
cèt Jurisdictio, ad certum temporis intervallum data, extra illud consensu partium extenditur per textum in *l. consensisse 2. §. 2. ff. d. t.* Obrecht *cit. cap. num. 33.* & alii, quos citat Bocerus *d. cap. 7. num. 47.*

Hunc tamen prorogandi modum rejiciunt Panor- 138
mitan. *in cap. P. & G.40. cit. de Off. Deleg. n.12.* Bocerus *d.n.* Vinnius *cit. l. cap.10. n. 12.* D. de Bassis *d.l. th.35. n.4.* Gietle *d. q. 1. n.9.* tum quia, si Jurisdictio ad certum tempus sit data, Judex, transactô tempore, desinit esse persona publica, & jure privatorum consideratur: ergo, cùm voluntas privatorum nequeat homini privato tribuere Jurisdictionem *l. privatorũ 3. Cod. de Jurisd.* nequit etiam
Prorogationem de tempore ad tempus operari: tum 139
quia *cit. l. consensisse §. 2.* non loquitur de Prorogatione Jurisdictionis, sed prolongatione Notionis in Judice Pedaneo, qui, si datus fuerit, ut intra certum tempus judicet, potest etiam post illud tempus, quod in favorem litigantium determinatum censetur, judicare; non ita Judex Jurisdictionis, qui ad certum tempus quandoque Lege publicâ & ob bonum publicum constituitur, cui renuntiare, non est licitum privatis.

His accedo, si sententiam suam ad Jurisdictio- 140
nem Ordinariam limitent; quoad Delegatam verò Prorogationem cum Panormitano *cit. l.* concedant, propter expressum textum in *cap. de causis 4. d.t.* & ibi Gonzalez in *n. 3.* Ratio est: quia & in Judice Delegato tempus exercendæ Jurisdictionis in favorem partium adjectum præsumitur; cui proinde cedere possunt, si velint.

Tertiò fit prorogatio *de loco ad locum,* quando 141
scilicèt Jurisdictio, certo territorio adstricta, extra illud ex voluntate partium protrahitur. Sed & hanc Prorogationem cum ipsomet Obrecht *d. cap. 14.*

*n.*10. dedignautur Authores in *locis citatis* Boce-
rus *n.*46. Vinnius *n.*8. D. de Bassis *d. th.n.*2. & 3.
Gletle *n.*6. partim quia Magistratus extra suum Ter-
ritorium est instar personæ privatæ per *l. Præses* 3.
142 *ff. de Off. Præs. l. ult. ff. de Off. Præf. urbi* : partim
quia extra Territorium jus dicenti nulla constat au-
thoritas ; nullaque iis, quibus jus dicitur, vis est
parendi *cap.ult. de Constit. in 6.l.ult.ff. de Jurisdict.*

143 Istorum sententiam rursus accepto, si, ut prior,
restringatur ad Jurisdictionem Ordinariam : quòd
enim Jurisdictio Delegata à Summo Principe possit
ubivis locorum consensu partium exerceri, textus
est in *cap. statutum* 11.§. *in nullo de Rescript. in* 6.
Ratio est : quia Delegatus Summi Principis repræ-
sentat Delegantem, qui ubivis locorum Jurisdi-
ctionem exercet. Gonzalez *cit. l. n.*5.

144 Quartò fit Prorogatio *de re ad rem*, seu *de causa
ad causam*, quando Jurisdictio, ad causam determi-
natam limitata, consensu partium ad aliam & distin-
ctam causam ampliatur, veluti si Sempronius, qui
de solis causis pecuniariis, summam 100. imperia-
lium non excedentibus, jus dicere valet, consensu
partium de summa majori jus dicit per text. in *l. de
qua re* 74.§.1.*ff. de Judic.l. inter* 28 *ff.ad Municipal.*
145 Sed & hic notandum est, Prorogationem de causa
ad causam non procedere, nisi utraque causa ma-
neat in eodem genere & ordine. Sutholt *aphor.*
376. Vinnius *d. l. cap.*11. *num.*1. Gletle *d. q.n.*5.
Unde

146 Infertur I. non tantùm Clericos, sed & Laicos
non posse in se prorogare Jurisdictionem Judicis
Laici quoad causas spirituales : quippe quarum dis-
cussio privativè ad solos Judices Ecclesiasticos per-
tinet per *cap. decernimus* 2. 3. & 4. *de Judic.* alios-
que notissimos textus. Bocer. *d.l.n.*29. Obrecht *d.
l. num.* 28.

147 Infertur II. Jurisdictionem, quæ competit ali-
cui de solis causis civilibus, non posse ad crimina-
les prorogari ; nec vicissim Jurisdictionem, quæ
data est circa causas criminales, aut civiles per *l.
solemus* 61. §.1. *ff. de Judic. l. non defensæ* 1. *Cod.
Ubi causa fiscales &c.* Obrecht *d.l.* n.26. & *seqq.*
Neque enim de criminibus cognoscere fas est,
quibus speciali Lege ea potestas non defertur.

148 Infertur III. de causa feudali ad allodialem ; uti
& allodiali ad feudalem, Jurisdictionem non rectè
prorogari. Nam neque Dominus feudi aut Pares Cu-
riæ de causis aliis quàm feudalibus judicare possunt;
neque Judices alii Domino feudi aut Paribus Cu-
riæ in judicatura causarum feudalium præjudi-
cium inferre valent. Sutholt *d.aphor.* 376. Bocer.*d.
l.n.*30. dissentiente D. de Bassis *th.*40. *de Jurisdict.*

§. IV.

Quis effectus sit Jurisdictionis Prorogatæ ?

149 Effectus Jurisdictionis Prorogatæ ex parte pro-
rogantium est, quòd Judicem prorogatum, præ-
stitô semel consensô, non ampliùs recusare valeant,
sed illius judicio & sententiæ teneantur acquiescere.
Rota Rom. in *rec. p.* 16. *dec.*36. n. 43. & *dec.* 10.
150 *n.* 5. Ex parte Judicis est, quòd incompetentem
faciat competentem, tantumque juris illi tribuat in
prorogantes, quantum habuisset, si Jurisdictio Or-
151 dinaria vel Delegata penes ipsum fuisset. Unde Ju-
risdictio Prorogata assumit naturam illius Jurisdi-
ctionis, quæ prorogatur ; ac, si ista non admittat
appellationem, neque illa admittit ; si ista exspiret,
& illa exspirat. Vinn. *d. cap.*11. *n.*12. D. Gletle,
de Bassis *cit. l. th.* 34. n. 3.

152 Quæres : utrùm, quod dictum est in *n.*149. non
ampliùs licere partibus Judicem prorogatum recu-
sare, ubi semel consensum præstiterunt, verifice-
tur, sive pactô nudô sive stipulatione Jurisdictio-
nem illius agnoverint ?

Resp. cum Stryckio in *usu mod. ad tit. de Juris- 153
dict.*§.25. de Jure Romano multùm interesse inter
pactum nudum & stipulationem : nam, ubi pactô
nudô prorogata fuit Jurisdictio, id adeò firmum
non est, ut, si partes, mutatâ voluntate, Judicem
prorogatum, antequàm aditus fuerit, recusare ve-
lint, ad servandum pactum compelli possint per *l. si
conveneris* 18. *ff. d. t.* At, ubi stipulatio intercessit,
suus illi manet effectus, &, si pars una stipulationi
parere nolit, efficaciter ad hoc compelli potest.
Sed, quia moribus hodiernis pacta nuda quoad 154
vim agendi sunt exæquata stipulationibus ; non
magis uni, invitâ alterâ, licebit à pacto, quàm à
stipulatione resilire.

SECTIO III.

De Jurisdictione Conservatoria.

SUMMARIA.

155. *Jurisdictionis Conservatoria nomen.*156. *Definitio.* 157. *Est potestas publica.* 158. & *seq. Quosdam.*160. & *seqq. Ab injuriis & violentiis manifestis.*164. *Sine judiciali cognitione.*165. *Defendendi.* 166. & *seqq. à S. Pontifice concessa.*168. & *seqq. Disquiritur : utrùm hac Jurisdictio sit Ordinaria, vel Delegata ?* 173. & *seq. Si immediatè concedatur à S. Pontifice, conceditur personis, in Dignitate vel Personatu constitutis.*175. *Si concedatur mediatè, etiam Canonicis Cathedralibus indulgeri potest.*176. & *seq. Subditi vel Conservatores inter se non possunt esse Conservatores.* 188. & *seqq. Non admittit Subdelegationem.*180. & *seqq. Confert amplam potestatem.* 182. *Obliga. ad servandas limites causarum manifestarum & certorum locorum.*183. *Nec non ad observantiam Trid. Conc.* sess.14. de ref. cap.5.

§. I.

Quid sit Jurisdictio Conservatoria ?

Jurisdictio Conservatoria dicitur à *conservando*. 155
Conservare verò nil aliud denotat, quàm jus pri-
stinum retinere *arg. l. per procuratorem* 72. *ff. de
Procuratorib.*

Describi potest, quòd sit potestas publica, quos- 156
dam ab injuriis & manifestis violentiis, absque ju-
diciali cognitione, defendendi, à S. Pontifice
concessa.

Dixi I. *potestas publica* : cùm Jurisdictio Con- 157
servatoria non minùs à persona publica, quàm per-
sonæ publicæ ; non propriæ, sed alienæ utilitatis
gratiâ conferatur.

Dixi II. *quosdam* ; nec distinxi personas, sintne 158
plures vel pauciores ; singulares aut universitates ;
Sæculares an Ecclesiasticæ ; veluti nec Joannes An-
dreas, Francus, Sylvester & alii cum Passerino ad
cap. ult. de Off. Jud. Deleg. in 6. *n.*3. distinguen-
dum existimant. Sæpiùs tamen personis Regularibus 159
Judices Conservatores deputari solent, ut specialia,
quibus insignitæ sunt, privilegia tueri & conser-
vare valeant, uti patet ex specialibus Bullis Pon-
tificiis, illustratis ab eodem Passerino *d. l. à n.*59.

Dixi III. *ab injuriis & violentiis manifestis*. Id, 16[0]
quod particulare est Jurisdictioni Conservatoriæ :
cùm aliæ Jurisdictionis species ad quaslibet injurias
aut

aut violentias extendatur; hæc (nisi competat vi
privilegiorum generalium, de quibus idem Passerin.
à n.97.) tantùm ad manifestas sit coarctata in *cap.*
161 *statuimus* 1. *d.t. in* 6. Tunc autem injuria vel vio-
lentia censetur esse manifesta, quando est notoria,
notoreitate Juris aut facti. Clariss. P.Schmalzgrue-
ber ad *cit. tit. X. n.* 51. Dubia si videatur, aut
162 exceptionis oppositione elidatur, non Judex Con-
servator, sed alius cognoscit per *cit. cap. statuimus*
& ibi Passerin. *nu.*10. Azor *Instit. Moral. p.*2. *lib.*
163 4. *cap.*24.*q.*7. Si tamen injuria sit certa, ac dubium
solummodò versetur de notoreitate, super hac ipsa
Judex Conservator poterit cognoscere. P.Wiestner
ad *cit. tit. X. n.* 102. tum quia cujuslibet Judicis
est cognoscere, an Jurisdictio sit fundata *l. si quis*
5.*ff. de Judic.* tum quia, cui Jurisdictio datur,
& ea, sinè quibus explicari nequit, concessa viden-
tur *cap. præterea* 5. *de Off. & pot. Jud. Deleg. l.*
cui Jurisdictio 2. *ff. de Jurisdict.*
164 Dixi IV. *absque judiciali cognitione.* Cùm enim
in notoriis haud opus sit cognitione vel processu
judiciali: sanè Conservatores, qui solùm in notoriis
procedere valent, absque judiciali cognitione pote-
statem suam exserunt *d. cap. statuimus* 1. ubi Passeri-
nus n.10. Azor *Institut. Moral. d. p.* 2. *lib.* 5. *cap.*
34. *quæst.*3.
165 Dixi V. *defendendi.* Et quia defensio non tan-
tùm respicit injurias, jam illatas, sed etiam infe-
rendas: hinc Conservatorum officium est, & inju-
rias, ne fiant, cohibere; &, si factæ supponan-
tur, expiare vel resarcire, justâ satisfactione de-
cretâ. Passerin. *d. l. n.*10.
166 Dixi VI. *à S. Pontifice concessa.* Quamvis enim
Sæcularis Princeps neutiquam prohibeatur, in suo
foro constituere Judices Conservatores; Canonistis
tamen, ad *tit. de Off Jud. Deleg. & cap.*1. & *ult.*
eôd. tit. in 6. commentantibus, non de aliis Con-
servatoribus, quàm à S.Pontifice deputatis, est ser-
mo: siquidem in Ecclesiastico foro memini, quàm S.
Pontifici, licet Jurisdictionem Conservatoriam tri-
buere. Azor *d.l.q.*6. eò quòd contra Juris Commu-
nis regulas Conservator etiam contra Judices &
Prælatos suos, injuriam aut violentiam manifestam
admittentes, procedere valeat. Schmalzgrueber *ubi*
167 *supra n.*51. Interim S.Pontifex non semper immediatè
tribuit hanc Jurisdictionem, sed interdum mediatè,
per privilegium nempe, Regularibus Ordinibus v.
g. concessum, vi cujus Judicem Conservatorem
pro suo libitu possunt eligere. Fagnanus in *cap. si*
Clericus 5. *de Foro Compet. n.*36. P.Reiffenstuel ad
*tit. de Offic. Jud. Deleg. n.*170.
168 Quæres: an Jurisdictio Conservatoria sit Dele-
gata vel Ordinaria?
Resp. I. esse Delegatam, si juxta Commune Jus
specialiter à Pontifice delegetur alicui personæ Ec-
clesiasticæ. Tamburin. de *J.A. tom.*3. *disp.*17. *q.*1.
Barbosa de *Off. & pot. Episc. alleg.*106.*n.*2. Passe-
169 rin. ad *cap. ult. d. t. in* 6. *n.*70. Ratio est: tum
quia textus, de Conservatoribus agentes, ponuntur
sub rubrica *tit. de Offic. Jud. Deleg.* tum quia Juris-
dictio Conservatoria ex beneficio & nomine Pon-
tificis exercetur *arg. cap. ult. d.t. in* 6. tum quia,
instar Delegatæ, cum morte concedentis, re ad-
huc integrâ, expirat *d. cap. §. ut autem in fin.*
170 Resp. II. esse Ordinariam, quando non imme-
diatè conceditur à S. Pontifice, sed vi privilegii
generalis à personis privilegiatis Judices Conser-
vatores, cæteroquin Jurisdictionem non haben-
tes, eliguntur. Passerin. *d. l. n.*68. *& seq.* Ratio
171 est: quia ejusmodi Conservatores non absimiles
sunt Legatis Apostolicis, utpote cùm Jurisdi-
ctionem exerceant quidem nomine & beneficiô S.
Pontificis, sed stabiliter ac perpetuò, sinè metu
cessationis, per mortem Pontificiam inducendæ. 172
Resp. III. esse Extraordinariam, quando vi pri-
vilegii generalis in Conservatorem eligitur aliquis,
jam aliunde Jurisdictione Ecclesiasticâ instructus.
Ratio est: quia tunc non exercetur ex officio,
ad hoc principaliter instituto, sed ex speciali pri-
vilegio, post officium jam institutum & suscep-
tum, indultô.

§. II.

Cuinam Jurisdictio Conservatoria concedi possit aut soleat?

Jurisdictio Conservatoria, si specialiter & imme- 173
diatè concedatur à Sede Apostolica, conceditur
tantummodò personis, in Dignitate Ecclesiastica
vel Personatu constitutis, puta Episcopis, Abbati-
bus, Præpositis &c. Textus in *d.cap.ult. in pr. de*
Offic. Jud. Deleg. in 6. Canonici simplices, tametsi 174
Jurisdictionis Delegatæ non sint incapaces, Jurisdi-
ctionis tamen Conservatoriæ non censentur esse ca-
paces, utpote nec in Dignitate, nec in Personatu
constituti. Passerin. *ibid. n.*10. Fagnanus *ubi supra*
*nu.*55. Barbosa de *Off. & pot. Ep. alleg.*106. *n.*32.
Quòd si tantùm mediatè concedatur, Canonici Ca- 175
thedrales non prohibentur agere Conservatores,
veluti *cit.* Passerin. & Schmalzgrueber *num.*54. ex
Bulla Gregorii XIII. & Pii V. deducunt.
Planè, si quis sub alterius Jurisdictione, dominio, 176
vel districtu, Ecclesiastico vel temporali, sit consti-
tutus, exceptis Regibus & Reginis, non potest à
Domino vel Prælato Jurisdictionali in Conservato-
rem assumi; sicuti Conservatoris sui quis Conserva-
tor esse non permittitur *d. c. ult. in pr.* Periculum 177
enim subesse videtur, ne nimius favor aut reveren-
tia justitiæ tramites intervertat. Passerin. *d. l. n.*
13. *&* 21.
Si petas: utrùm Conservator Jurisdictionem suam 178
alteri delegare, & alium Conservatorem, sibi cæte-
roquin in charactere similem, substituere valeat?
Resp. negativè per expressam decisionem in *d.*
cap. ult. §. vices quoque &c. ibi: *vices quoque suas*
(citationibus, ac sententiarum denuntiationibus ex-
ceptis, quas per alias valeant exercere) nulli commit-
tere possint, nisi hoc eis competierit ex beneficio litera-
rum. Passerin. *ibid.n.*31. *& seq.* Ubi proinde conspi- 179
citur discrimen inter Jurisdictionem Delegatam, &
Conservatoriam, quòd illa, si proveniat à S.Prin-
cipe, subdelegationem non respuat. Nisi dicere ma-
limus, in Judice Conservatore industriam personæ
considerari; quô casu ne quidem Delegatus Summi
Principis ex *n.*47. subdelegare potest. P. Wiestner
ad *tit. de Offic. Deleg. n.*106.

§. III.

Quisnam effectus sit Jurisdictionis Conservatoriæ?

Effectus Jurisdictionis Conservatoriæ spectatur 180
I. in eminentia potestatis, quâ turbatores, inju-
riantes, & vim inferentes, absque differentia com-
pescere valent, etiam sub interminatione censurarum
Ecclesiasticarum, uti cum Glossa in *d. cap. statuimus*
1.*verb.defendere*, Sylvestro, & Barbosa statuit Azor
*Inst. Moral. d.p.*2.*l.*5.*c.*34.*q.*7. *&* 8. P.Wiestner ad
*cit.tit. n.*103. Cum Episcopis tamen singulari cum 181
discretione agendum est juxta terminos *cap. quia*
Pontificali 2. *d.t. in* 6. ut nempe *eis primò ingressus*
ipsius Ecclesiæ vel Sacerdotale interdicatur ministe-
rium; ac deinde ab officio suspendantur, & subse-
quenter aggravetur censura Ecclesiastica contra eos;
nisi fortè aliter fieri suaserit nimia contumaciæ pro-
tervitas sive culpa. Azor *d. l. q.*12.

182 II. in obligatione, quâ tenetur se non tantùm continere intra limites injuriarum aut violentiarum manifestarum, ni velit annalem incurrere suspensionem, & partem, quæ sollicitavit assistentiam in causis aliis, excommunicationi subjicere *d. cap. ult.* §. *in autem &c.* sed etiam intra limites & Diœcesin, pro qua deputatus est, commorari; nec aliquem, ultra dietam unam à Diœcesi remotum, volentibus quoque partibus, citare potest *d. cap. &* §.

183 III. in observantia constitutionis Trident. *sess.* 14. *de ref. cap.* 5. ut nempe, non obstante Jurisdictionis præstatutâ, Conservator in causis propriis, sive sit actor, sive sit reus, ordinarium tribunal, cui cæteroquin se tenebatur subjicere, non subterfugiat. P. Schmalzgrueber ad sæpe *cit. tit. num.* 55.

SUPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. *Mandatâ cognitione causæ, non censetur mandata executio.* 2. *&* 3. *An saltem definitio mandata videatur? Cum distinctione respondetur.* 4. *& seqq. Merum imperium de Jure Civili mandari nequit.* 7. *Explicatur textus in* l. 6. ff. de Offic. Proconf. 8. *&* 9. *An adoptio, emancipatio &c. de Jure Civili quondam mandari potuerint? Textus pro utraque parte.* 10. *& seqq. Declaratio & conciliatio textuum ex commentario D. Gerardi Noodt.* 14. *& seqq. Tacita Jurisdictionis prorogatio ex parte rei oritur ex litis contestatione.* 17. *& seq. Resp.* ad l. 7. ff. de Judic. 19. *& seq. Quis habeat jus exequendi sententiam, latam à Judice prorogata? Sub distinctione resolvitur.*

QUÆSTIO I.

An, si alicui mandetur cognitio causæ, simul etiam definitio & executio mandata censeatur?

1 Executionem non censeri mandatam, tantò certius est, quòd etiam Judex, ad causæ cognitionem datus, notionem habeat, executione tamen careat *l. à D. Pio* 15. *in pr. ff. de Re judicata.* De
2 definitione majus est dubium, cui depoonendo Hubertus ad *tit. ff. de Jurisdict. sub n.* 8. hanc distinctionem adhibet. Refert nimirum, an procedatur in scriptis, nec ne. Si prius, Judex, qui causæ cognitionem alii mandat, id agere videtur, ut molestiâ cognitionis, audiendi partes, examinandi testes, & scribendi informationes, allevetur, non ut omnibus officii partibus, adeóque causæ ulti-
3 matâ definitione seu decisione eruere se voluerit. Si posterius, ac solis audientiis rei disceptatio peragatur; res loquitur, alium quàm qui cognovit causam, non posse eam definire.

QUÆSTIO II.

An Merum Imperium de Jure Civili possit mandari?

4 Negativam asserui, & probavi in hoc *cap. nu.* 68. *ex l. quæcunque* 1. *in princ. ff. &* §. 1. *ff. de eo, cui mand. est Jurisd.* quam pulchrè explicat D. Gerardus Noodt *de Jurisdict. lib.* 1. *cap.* 4. ait enim Papinianus per nomen generale, *quæcunque specialiter Lege vel Senatusconsulto, vel constitutione Principum tribuuntur, mandatâ Jurisdictione non transferuntur*, id est, neque palam mandata transeunt, neque per consequentiam mandatæ Jurisdictionis transferuntur: *& ideò*, pergit, *videntur errare Magistratus, qui, cùm publici judicii habeant exercitionem, Lege, vel Senatusconsulto delegatam, veluti Legis Juliæ de adulteriis, et si qua sunt aliæ similes, Jurisdictionem suam mandant*: etsi enim initio apud Reges, & etiam,
5 post hos exactos, apud Consules, qui tum juri dicundo præerant, fuerit propter vim imperii; attamen mox Valeriâ aliisque insecutis Legibus separatum fuit à Consulum Jurisdictione; cœpitque inde in causis singulis Populi jussu delegari certis personis; Populi verò injussu Consulis aut alterius Magistratûs propter vim imperii nullum esse, probat Pomponius in *l. necessarium* 2. §. 16. *&* 23. *ff. de O. J.* cùm ordo certus, etiam Quæsitor certus ipsis sit positus Legibus, quibus constitutæ sunt, Auctore Quintiliano *declam.* 338. *parte altera*, ibi: *habent ea* (publica judicia) *suam formam, suum judicium, suum numerum, Quæsitorem suum, sua tempora, sua nomina.* Atque, ut rursus Papinianus in *d. l.* arguit: *hujus* 6
rei fortissimum argumentum est, quod Lege Julia de vi nominatim cavetur, ut is, cui obtigerit exercitio, possit eam, si proficiscatur, mandare. Petit nimirum argumentum ab ordine judicii publici, illudque dicit fortissimum: quia est à contrario sensu in clara & certa voluntate Legis: quæ Quæsitori tum, si proficiscatur, permittit merum imperium mandare: sed, si præsens sit, & non proficiscatur, idem mandare non patitur: tantùm quia silet illo in casu; &, ut Seneca ait *de Benefic. lib.* 5. *cap.* 21. non permittendò vetat.

Neque contrarius est Ulpianus in *l. solet etiam* 6. 7
ff. de Offic. Proconf. quamvis enim Proconsul possit custodiarum cognitionem Legatis mandare, non quidem hactenùs, ut eos vel condemnent, vel absolvant, sed saltem, ut eos audiant, & præaudito eos ad se remittant, quò innocentem ipse liberet; attamen ipsemet fatetur, hoc genus mandati extraordinarium esse, id est regulæ Juris adversari: nam cognitionem æquè facere partem meri imperii, ac decretum aut executionem, patet ex superioribus: *nec enim*, ait Ulpianus, *potest quis gladii potestatem, vel cujus alterius coërcitionis ad alium transferre.* Ita ille.

QUÆSTIO III.

An adoptio, emancipatio, & manumissio de Jure Civili mandari olim potuerint?

Quòd non potuerint, inclarescit ex §. *eadem Lege* 8
4. *Inst. Quib. ex caus. manumitt. l. quod* 21. *ff. de Manumiss. vind. l. adoptare* 2. *ff. de Off. Iurid.* Quamobrem etiam Legato Proconsulis ejusmodi actus leguntur vetiti per textum manifestum in *l. omnes* 2. §. 1. *& l. seq. ff. de Offic. Proconf.* ibi: *apud Legatum Proconsulis neminem manumittere posse, quia non habet Iurisdictionem talem; nec adoptare posse: omninò enim non esse apud eum Legis actionem.*

At huic assertioni è diametro contradicit Paulus in *l. apud* 17. *in pr. &* §. 1. *ff. de Manumiss. vind.* ubi dicitur: *apud Proconsulem, postquam urbem egressus est, vindictâ manumittere possumus. Sed & apud Legatum ejus manumittere possumus.* 9

Varias utriusque Legis conciliationes adducit 10
accuratus Legum Interpres D. Gerardus Noodt *d. lib.* 1. *cap.* 7. Tandem, verùm experiamur, inquit, » ne, quod Paulus scribit de Legato Proconsulis, » parvò momentò possit transferri ad Legatum Cæ- » saris: hunc enim manumissionem atque adop- » tionem habuisse, facilè intelligitur ex *l. præses* » 1. *ff. de Off. Præs. l. non est* 7. *ff. de Manumiss.* » *vind.* Porrò mendam Paulo obrepsisse ex affi- 11
» nitate voculæ *ejus*, & sigli *Caes*, non improbabi-
liter

• liter olim ostendit Petrus Burgius vir doctus, *lib.*
12 *1. Elect. cap. 2.* Quamquàm probabilius restituerim, *sed & apud Legatum C. manumittere possumus*: quod, sicut Lagatum Cæsaris indigitabat, ita facilè declinavit in proximum illud. *sed & apud Legatum c. manumittere possumus*, id est, *apud Legatum ejus &c.* solat enim vox ajus, si siglis credimus, notari litarâ c. solet verò *Cæsar* etiam ita *c.* scribi, ut ex iisdem constat Veterum siglis, & prætereà probant inscriptiones *l. 8. Cod. de Pignorat. act. l. 6. Quod cum eo, qui in aliena pot. l. 6. Cod. ad SCt. Macedon. l. 4. 5. 6. & 7. Cod. de Malef. & Mathemat.* &
13 aliis sexcentis locis. Ita Pauli sensus erit, posse manumitti apud Proconsulem, postquàm urbem egressus est: posse etiam apud Lagatum Cæsaris, seu Præsidem, sed jam provinciam ingressum. Hoc anim bene atque observatè addit Halvandrina, & vulgata Accursii editio; argumentoque et, quòd insignia sua non ante accapit Præses, quàm provinciam ingressus; Proconsul verò statim, atque urbem agressus est, sua insignia habuit; ut à Dione Cassio *lib. 53.* & Ulpiano *l. 1. ff. de Off. Proconf. & Leg.* traditum. Hæc & plura *cit.* Noodt; qui etiam in *cap. 8. 9. 10. & 11.* ulteriora discutit de Jurisdictione mandata.

QUÆSTIO IV.

An & quatenùs inducatur tacita Jurisdictionis prorogatio?

14 Declaratum id in *præf. cap. n. 117. & seq.* dictumque, ea parte rei conventi Jurisdictionem alieni Judicis prorogatam censeri, quando is, vocatus
15 ad Judicem, litam ait contestatus. Cujus quidem mentis est etiam Noodt *d. lib. 2. cap. 13.* sed in allegata à nobis *l. nemo 4. de Cod. de Jurisdict.* quæ, *nemo*, ait, *post litem contestatam ordinaria sedis declinet examen*, dispungenda putat verba *post litem contestatam*, quæ loci sensum faciant planè ineptum: vetat enim Constantinus, ne quis, habens Judicem, qui sit Præses provinciæ, adversarium suum ad Præfectum prætorio aut Comitem Orientis, aut ad similem Superiorem Judicem provocet, sed ad Ordinarium, id est, ad Præsidem; usque ad Sacrum auditorium, quod est Præfecti prætorio aut Comitis Orientis, tum demum vaniat, quando
16 à sententia, per Præsidem latâ, appellat. Itaque memoratus JCtus existimat, ad probandum propositum sofficere teatus in *l. ubi 30. l. sed etsi 52. in pr. ff. de Judic. l. ult. Cod. de Exception.* Quibus textibus adjongi posast *l. non videtur 33. ff. d. t. de Judic.* quòd non videatur in *Judicem consensisse, qui edi sibi genus apud eundem Judicem desiderat actionis*: quippa qui, intellectâ formulâ actionis, quâ actor contra eum usurus est, primùm dalibe-
17 rare potest, an cedere vel contendere velit. Quòd autem in contrarium, quasi litis contestatio ad tacitam prorogationem ex persona rei non requiratur, sed sola in jus vocatio sufficiat, objiciatur *l. si quis 7. ff. de Judic.* ubi dicitur, eum, qui, *posteaquàm in jus vocatus est, miles vel alterius fori esse caeperit, jus revocandi forum non habere, quasi præventum*: planè ad nostrum casum non pertinere,
18 rectè scribit *cit.* D. Noodt: agitur enim ibi non de Jurisdictionis prorogatione quoad Judicem, alioqnin incompetentem, sed de conservationa Jurisdictionis ex parte Judicis proprii, quæ jure præventionis in salvo manet, dummodò secuta sit in jus vocatio seu citatio, etiamsi posteà, qui in jus vocatus est, forum mutaverit.

QUÆSTIO V.

Quis habeat jus exsequendi sententiam, latam à Judice prorogato?

Præclarè hìc distinguit D. Huberus ad *tit. ff de* 19
Jurisdict. n. 12. utrùm Judex, cujus Jurisdictio est prorogata, saltem Jurisdictionem mediatam habeat in raum condemnatum, veluti si quis, omissô Judice immediatô, ad Curiam seu Dicasterium citatus, ibidem comparuerit, litemque susceperit; an non. Primô casu vix dubitationi locus est, quin Judex prorogatus, sicuti jus dicendi sententiam, sic & facultatem exsequendi habeat. Se- 20
cundô casu poterit equidam Judex prorogatus exsequi sententiam, quando reus ibidem bona aliqua possidet; at, ubi bona non reperiuntur, erit implorandus Judex alius, qui habet in potestate condemnatum.

CAPUT VIII.

De Jurisdictione Contentiosa & Voluntaria.

NOn postremum locum in serie specierum Jurisdictionalium occupat Jurisdictio Contentiosa & Voluntaria: siquidem utraque tam universalis est, ut actus Jurisdictionis vix unus inveniatur, qui non possit ad Voluntariam aut Contentiosam, per tradita in *cap. 1. num. 93.* reduci.

SECTIO I.

De Jurisdictione Contentiosa.

SUMMARIA.

1. *Etymologia Jurisdictionis Contentiosæ. 2. Definitio. 3. & 4. Explicatio Definitionis. 5. & seqq. Divisio. 8. & seqq. Objectum. 11. & seqq. Effectus.*

§. I.

Quid & quotuplex sit Jurisdictio Contentiosa?

Si nomen Jurisdictionis Contentiosæ perscrutari 1
libeat, illud à contantione, seu oppositione profluxit, quatenùs plerumque is, in quam Jurisdictio Contentiosa exercetur, aut cum altero contendit, aut aliàs, quia invitus est, se supponit.

Jurisdictio Contantiosa definiri solet, quòd sit 2
potestas publica jus in invitos, per se loquendô, dicendi.

Dixi I. *jus in invitos.* Sicque subindicare vo- 3
lui, minùs accuratè illos scriptitare, qui Jurisdictionem Contentiosam ajunt esse, quæ inter litigantes & judicio invicem contendentes exercetur. Neque enim omnis omninò Jurisdictio Contentiosa aut litigantes aut judicium requirit, sed & citra judicium, & in unam solummodò personam quàm frequentissimè exercetur, veluti statim luculentiùs edocebit Brun de *Jurisdict. c. 4. §. 2. n. 1.*

Dixi II. *per se loquendô.* Tametsi enim subinde 4
volentes & consentiantes sint, quibus Jurisdictio Con-

Contentiosa administratur, uti si v. g. aliquis libenter tutelam suscipiat, alius cum voluptate Judicem agat, alius sponte in judicio compareat &c. id tamen est prorsus per accidens, ac non ex natura hujus Jurisdictionis, sed peculiaribus circumstantiis solet accidere. Braun *d.l. n.4.*

5 Dividitur Jurisdictio Contentiosa ab Obrecht de *Jurisdict. lib.1. cap.9. n.29.* in Libellarem & Decretoriam. *Libellaris* est, quæ, supplice libellô propositô, sinè matura causæ cognitione, à Magistratu
6 exercetur. *Decretoria* est, quæ fit cum matura causæ cognitione; eaque vel decretô, vel judiciô. *Decretô* fit, quando absque litis contestatione Magistratus causam cognoscit, & de ea statuit, aut decernit aliquid. *Judiciô* fit, quando Magistratus cum litis contestatione causam cognoscit, deque ea decernit aliquid.

7 Hæcque divisio fundamentum habet in *l. nec quicquam 9. §. 2. ff. de Offic. Proconf.* in quo loco Ulpianus, *ubi decretum*, ait, *necessarium est, per libellum id expedire proconsul non poterit. omnia enim, quacumque causa cognitionem desiderant, per libellum non possunt expediri.* Sensus est, quòd in iis, quæ causæ cognitionem requirunt, Judex contradictorem admittere debeat, nec, indictâ causâ, libello supplicatorio subscribere, ut notat Brunnem. ad *cit. l. n.3.* Concordant *l. omnia 71. & l. ubicumque 105 ff. de R. J.* Conferatur Sutholt *aphor.294. & multis seq.* ubi modum procedendi veterem in actibus Contentiosæ Jurisdictionis eruditè discutit; & Wissenbach in *Comment. ad cit. reg. Jur.*

§. II.

Quænam causæ ad Jurisdictionem Contentiosam referantur?

8 Objectum Jurisdictionis Contentiosæ constituunt omnes causæ, in quibus jus dici potest invitis & repugnantibus.

Tales sunt I. actiones, reales & personales; directæ, utiles, & in factum; persecutoriæ & pœnales: actiones enim nihil aliud sunt, quàm jura, quibus adversùs repugnantes ea, quæ nobis debentur, in judicio persequimur *pr. Inst. de Act.*

9 Tales sunt II. actiones possessoriæ, seu interdicta *arg. l. actionis 37. in pr. ff. de O. & A.* nam, & qui interdictam movet, aliquid fieri aut non fieri petit adversùs eos, qui sponte facere, aut non-facere detrectant.

10 Tales sunt III. citationes, cæterique actus judiciales: item stipulationes Prætoriæ, v. g. damni infecti, legatorum servandorum causâ, & similes *arg. cit. l. actionis 37.* quia in persecutione, seu petitione harum stipulationum, præcedere potest, aut solet actio, quæ judicium, quod redditur in invitum, supponit. Obrecht *d.l.n.22. & seqq.* Vinnius de *Jurisd. c.6.n.5.* D.Braun *d.l.n.3.* D. Ertl in *praxi aurea de Jurisdict. Bassa lib. 3.c.4. obs.2.*

§. III.

Quis effectus sit Jurisdictionis Contentiosæ?

11 Effectus Jurisdictionis Contentiosæ considerari potest in sequentibus. I. requirit & causas & personas, moraliter æquè ac physicè distinctas, quibus & circa quas jus dicatur ex *cap.1. à n 147.* II.
12 desiderat certum locum, in quo rectè, & extra quem nulliter exercetur *l. Præses 3. ff. de Off. Præs. l. ult. ff. de Offic. Præf. Urbi l. ult. ff. de Jurisdict. cap.*
13 *ult. de Const. in 6.* III. exigit certum tempus, hoc est, dies non-feriatos: diebus enim feriatis quiescere jubetur in *cap. omnes 1. cap. ult. de Fer. l. ult. Cod. eod.*

SECTIO II.

De Jurisdictione Voluntaria.

SUMMMARIA.

14. *Etymologia Iurisdictionis Voluntariæ. 15. & seqq. Apud multos coincidit cum actionibus Legis. 18. Quorum opinio neutiquam assumitur. 19. Definitur. 20. & seqq. Definitio exenteratur. 25. Dividitur in Simplicem & Qualificatam. 26. & seqq. Utriusque convenientia. 31. & seqq. Disconvenientia utriusque notatur. 35. & seqq. Enumerantur causæ, ad Iurisdictionem Voluntariam Simplicem pertinentes. 38. Insinuatio testamenti & donationis à quibusdam removetur ab hac specie. 39. & seqq. Sed inani ausu. 42. & seq. Potest etiam huc reduci dispensatio, collatio, concessio privilegii &c. 44. & seqq. Item assistentia Parochi in Matrimonio. 48. & seqq. Adducuntur actus, ad Iurisdictionem Voluntariam Qualificatam spectantes. 54. & seqq. Ponitur utriusque Iurisdictionis effectus.*

§. I.

De Iurisdictione Voluntaria in genere.

Jurisdictio Voluntaria neque à voluntate Magi- 14 stratûs notionem suam emutuavit, quasi eam pro suo arbitrio accommodet; neque à voluntate partium, quasi eam pro suo libitu petant; sed potiùs ab actibus, qui non imperantur per se loquendô, sed à volentibus solùm & consentientibus peraguntur. Sutholt *aphor. 325.* Lauterbach in *disp. de Iurisdict. Volunt.* (quæ inter *Disput. Tubing. Vol.1.* est 29.) *th.2.* D. Ertl in *praxi aurea de Iurisdict. Bassa d. lib.3. cap.6. obs.1.* Braun *d. cap.4. §. 3. n.1.*

Pro Synonymis Jurisdictionis Voluntariæ po- 15 nunt DD. frequentissimè *Actiones Legis*, ubi, ne quem offendat vocabulum, sciendum est, olim *Lege agere* nihil aliud fuisse, quàm aliquid eorum, quæ à Lege continerentur, in jure obire, seu secundùm Legem judiciariè aliquid facere & exequi. Indeque Legis actiones erant quædam formulæ verborum solennium & certorum, à quibus non licebat discedere in petitionibus, persecutionibus, conventionibus &c. *l. necessarium 2.§.6. ff. de O. I.* Postea verò id mutatum, ac nomen hoc *Legis actionis* propriè tributum actibus *Voluntariæ Iurisdictionis* per *l. Magistratum 4 ff. de Adopt. l. nec adoptare 3. ff. de Offic. Proconf. l. adoptare 1. ff. de Offic. Iurid.* Sutholt *aphor. 170. & seq.* Cujus rei rationem Interpretes dant 16 istam: quia adoptio, manumissio, emancipatio (qui actus ad Voluntariam Jurisdictionem pertinent) nihil habent nisi à Lege, cujus solennitate perficiuntur: in litium actionibus contra (hoc est, qui ad Jurisdictionem Contentiosam spectant) minimum est à Lege, pleraque à Jurisdictione. Distinguunt etiam 17 nonnulli Authores *actiones Legis* ab *actibus legitimis* in eo, quòd actus legitimi etiam extra jus & sinè Prætore, vel alio Magistratu expediantur; Legis actiones nunquam nisi apud Magistratum.

Verùm, uti nullus dubito, quosdam actus Vo- 18 luntariæ Jurisdictionis dictos fuisse Legis actiones; ita vehementer ambigo, an omnes actus Jurisdictionis Voluntariæ possint appellari *Legis actiones*: quandoquidem Sutholt *aphor. 330.* ac cum eo Vinnius de *Iurisdict. cap. 6. n.7.* propriè tantùm tres Legis actiones fuisse, asserunt, scilicèt adoptionem, manumissio-

numissionem vindictâ, emancipationem per *l. Magistratum 4. ff. l. hi qui 1. Cod. de Adopt. l. ult. Cod. de Emancipat. lib. l. ult. Cod. de Vind. lib.* eò quòd in iis status & libertatis causa versaretur: cùm tamen multò plures actus supersint, ad Jurisdictionem Voluntariam pertinentes.

19 Definiri potest Jurisdictio Voluntaria, quòd sit potestas publica Jus inter volentes per se loquendô dicendi.

20 Dixi I. *potestas publica*. Sed qualis? an Ordinaria, ut habet Francisc. de Claper. *concl.* 23. an Extraordinaria, ut tenent Vinn. *cit. l. cap.* 8. *num. 9. & seq.* Lauterbach *cit. disp. th.* 16. & alii? Resolvendum est ex *cap. 1. n. 90.* ubi diximus, dari quosdam actus, qui Jurisdictionis Voluntariæ sunt, nec tamen ex speciali Legis indulgentia, sed ex officio & jure ordinariô
21 sunt concessi; uti v.g. est datio bonorum possessionis, quæ, cum mandari possit *l. cognitio 4. §. 1 ff. de Offic. ejus &c.* utique jure Magistratûs competit per *l. quæcunque 1. in pr. ff. eôd.* insinuatio donationis *l. un. Cod. de Offic. Jurid. Alexandr. Nov. 15. cap. 3. in pr.* insinuatio testamentorum *d. Nov. & l. omnium 19. ¥. qui actis cujuscunque Judicis &c. Cod. de Te-*
22 *stam.* Adeoque, cùm & alii sint actus, Jurisdictioni Voluntariæ certò accensendi, veluti adoptio, manumissio &c. iique speciali Lege concessi noscantur, per textus in *num.* 15. & 18. allegatos: Jurisdictio Voluntaria de se nec Ordinaria, nec Extraordinaria est, sed abstrahit ab utraque.

23 Dixi II. *Jus dicendi*. At quomodò, ait, Jus dicitur, ubi nulla actio, nullum judicium? Dicitur hôc modô. Magistratus audit intentionem petentium, præsentiam accommodat, ac verbô vel factô declarat, ea, quæ petita sunt, jure facere licere; quod nihil aliud est, quam dicere, quod Jus est. Obrecht de *Jurisd. cit. cap. 9. n. 14.* Legatur textus in *l. un. Cod. de Offic. Jurid.*

24 Dixi III. *inter volentes per se loquendô*. Igitur invitus nemo adoptare, nemo emancipare, nemo manumittere, nemo testari ad acta cogitur; & si hoc aliquando fiat, per accidens est, Braun *d. l. n.* 10.

§. II.

De Duplici specie Jurisdictionis Voluntariæ.

25 Jurisdictio Voluntaria abit in duas species, Simplicem & Qualificatam, seu Mixtam. *Simplex est,* quæ exercetur à Magistratu sinè speciali causæ cognitione, solâ interpositione authoritatis publicæ circa actum, qui coram se geritur. *Qualificata* est, quæ exercetur cum speciali & solenni causæ cognitione. Braun *d. l. n.* 4.

26 Convenit utraque hæc species I. quia tam in Simplici quàm in Qualificata Jurisdictione partibus volentibus & consentientibus Jus dicitur. II. quòd utraque requirat personalem præsentiam eorum, quibus administrator, nec ministerium procuratoris admittat per *l. neque absens 24. l. post mortem 25. §. 1. ff. de Adopt. l. nec mulierem 3. Cod. de Vind. lib. l. nemo 123. in pr. ff. de* R. J. ibi: *nemo alienô nomine Lege agere potest.* Wisenbach, Ludwel, Bachov. apud & cum D. Braun *d. l. n.* 11.

27 Sed quia *cit.* textus personalem partium præsentiam in solis actionibus Legis requirunt; hæ autem tres tantummodò ex *n.* 18. fuerunt: quia præter hæc
28 de bonorum possessione, quæ à DD. teste Braun *cit. l. num.* 13. communiter inter actus Voluntariæ Jurisdictionis numeratur, in *l. bona 3. §. 7. ff. de Bon. possess.* dicitur, eam *per semet ipsum vel alium* peti
29 posse: quia etiam de insinuatione testamenti Judicialis, quæ itidem est actus Voluntariæ Jurisdictionis, valde probabilis sententia cum Clarissimo D. Franz in *Quæst. ex Univers. Jure q. 15. n. 11.* mecum docet, quòd per procuratorem fieri possit *arg. l. omnium 19. ¥. cùm oblatas preces secundùm voluntatem defuncti &c. Cod. de Testam.* vix persuadere 30
mihi valeo, alios actus Voluntariæ Jurisdictionis, quam emancipationem, adoptionem, manumissionem, à ministerio procuratoris de Jure Romano abhorrere; sicque mecum post Carpzovium *lib. 5. respons. 56. n. 34.* opinatur D. Ertl *cit. l. 3. cap. 4. observ. 3. in fin.* Idemque quoad substantiam docere videtur Lauterb. *d. l. th.* 30.

Differunt autem præcipuè Jurisdictio Voluntaria 31
Simplex & Qualificata in hoc: quia Simplex potest administrari in causa propria; propriæ & conjunctis personis; à Judice competente & incompetente; intra & extra territorium jus dicentis; die feriatô & non feriatô *l. emancipari 36. §. 1. ff. de Adoptionib. l. omnes 2. in pr. ff. de Off. Proconf. l. præses 2. ff. de Offic. Præs. l. actus omnes 8. §. 1. Cod. de Fer. d. l. omnium 19. Cod. de Testam. l. data 27. l. in hac sacratissima 30. Cod. de Donat. Nov. 15. cap. 3. in fin. pr.*
Qualificata verò à solo Judice competente, ac pro 32
tribunali sedente; intra territorium proprium; personis & causis alienis; in diebus juridicis redditur *l. un. §. 2. ff. de Off. Conf. l. magis puto 5. §. 12. ff. de Reb. eor. qui sub tut. l. si prædium 16. Cod. de*
Præd. & aliis reb. min. l. ult. Cod. de Fer. Ratio differen- 33
tiæ est: quia Jurisdictio Voluntaria Simplex, cùm non requirat causæ cognitionem, nec Judicio, nec Judici, nec loco adstricta, solam præsentiam Magistratûs & inscriptionem negotii ad acta desiderat.
Qualificata autem, dum judicialem causæ co- 34
gnitionem desiderat, ac sinè strepitu forensi peragi non potest, & proximè ad Jurisdictionem Contentiosam accedit, certo loco, Judici, & Judicio alligata est, ne vel sinè decore, vel cum confusione peragatur. Vinn. *d. cap. 6. n. 7.* Franzkius ad *tit. ff. de Jurisdict. num.* 26. Braun *d. l. n. 38. & seq.* D. de Bassis *d. disp. thesi* 26.

§. III.

De Causis, ad Jurisdictionem Voluntariam Simplicem pertinentibus.

Ad Jurisdictionem Voluntariam Simplicem quæ- 35
dam causæ ex Juris expressa determinatione pertinent; quædam ex mente & ratione per interpretationẽ Prudentûm illuc trahuntur.

Ex Juris determinatione pertinent ad hanc Juris- 36
dictionis speciem I. adoptio *l. in adoptionibus 5. ff. l. hi qui 1. Cod. de Adopt. l. omnes 2. in pr. ff. de Offic. Proconf.* II. emancipatio *d. l. omnes 2. l. si lex 1. & l. ult. Cod. de Emancipat. lib.* III. manumissio *d. l. omnes 2.*

Ex mente & ratione Juris, ac interpretatione Pru- 37
dentûm ad Jurisdictionem Voluntariam Simplicem adleguntur insinuatio testamenti judicialis, seu ad acta confecti; insinuatio donationis ultra 500. solidos; insinuatio judicialis hypothecæ bonorum immobilium; edictalis bonorum possessio; apertura & publicatio testamentorum. Franciscus de Claper. *conclus.* 23. Gabrielius *commun. concl. lib. 3. concl. 1. n. 54.* Gail. 2. *obs. 25. n. 10. & obs. 39. n. 28.* Vinn. *d. cap. 6. n. 6.* Franzkius *cit. l. n. 9. & seq.* Lauterbach *cit. disp. th. 33. & seq.* Braun *d. §. 3. n. 15. & seq.* D. de Bassis *d. disp. th.* 24. D. Ertl *d. observ.* 2.

Et licèt, quoad insinuationem testamenti & dona- 38
tionis, divortium à nobis faciat Gentilis *lib. 1. de Jurisdict.* 20. eique quoad donationem calamum inclinet Sutholt *aphor.* 334. tam propter *Nov. 15. cap. 3. in fine pr.* ubi insinuatio testamenti & donationis videtur opponi actibus Jurisdictionis; quàm ob ratio-

nem, quòd ista insinuatio, sicut depositio vel oblatio pecuniæ in judicio, nihil habeat de Jurisdictione. His tamen nec quicquam facientibus, immo-
39 ta manet communis interpretatio: non enim est ulla ratio prudens assignabilis, cur emancipatio, adoptio, manumissio &c. dicatur esse Jurisdictionis Voluntariæ; negetur verò illuc pertinere insinuatio testamenti vel donationis: cùm utrobique sola partium voluntas, ac authoritativa Magistratûs præsentia requiratur, & sufficiat.

40 Nec verum est, quòd Imperator in *cit. Nov.* separet donationem & testamentum ad acta ab actibus Jurisdictionis cujuscunque, sed vel ab actibus Jurisdictionis Contentiosæ, vel ab actibus Jurisdictionis Voluntariæ talibus, qui ex speciali Lege non nisi Majoribus competunt, veluti emancipatio, adoptio, manumissio, de quibus in n. 36.

41 Nec etiam paritas est formanda cum depositione pecuniæ: hæc quippe, ad inducendam debiti liberationem, non præcisè requirit Judicem, quà talem, ut illi fiat oblatio, sed & alias personas honestas non respuit: secus ac insinuatio donationis aut testamenti, quæ coram non-Judice facta non subsistit.

42 Quæres I. an dispensatio in votis & juramentis; absolutio à censuris; collatio beneficiorum aut privilegiorum &c. possint ad Jurisdictionem Voluntariam reduci?

Resp. sic à Theologis & Canonistis teneri, prout videre licet apud Laym. *Theol. Moral. l. 1. tr. 4. cap. 5. n. 3. & seq.* Pithing ad *tit. de Offic. Jud. Ord. n. 2.* König *ib. n. 3.* Haunold de *J. & J. tom. 5. tr. 1. num. 92.* Wiestner ad *tit. de Offic. Iud. n. 4.* Ho-
43 rum & aliorum communem opinionem probat Braun *d. l. n. 31.* Nec ego improbare volo, aut valeo, saltem, si Jurisdictio paulò latiùs sumatur, juxta *cap. 1. n.* 38. Nam & in his actibus, præter authoritatem Magistratûs, nil desiderari video; nisi fortè cognitionem causæ, quæ, si specialis & necessaria sit, faciet ad summum, ut ejusmodi actus ad Jurisdictionem Voluntariam Qualificatam remitti debeant, prout insinuavi in *tr. de Iure Leg. cap. 1. num.* 160.

44 Quæres II. an assistentia Parochi in Matrimonio possit actibus Voluntariæ Jurisdictionis accenseri?

Resp. ea opinione Wagnereckii in *exegesi* ad Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. quam subjunxit *tit. de Clandest. despons.* assistentiam hanc potiùs esse actum testimonii, ex officio dati, quàm Jurisdictionis; non
45 item ex sententia D. Braun *sub n. 32. cit.* qui verius esse, scribit, eandem assistentiam ad Jurisdictionem Voluntariam referri posse: cùm non minùs illa in Matrimonio, quàm præsentia Judicis in emancipatione v. g. ita requiratur, ut, si desit, Matrimonium
46 valore destituatur. Quæ ipsa ratio & me in hanc trahit sententiam; hôc unicô adnotatô, quòd illa assistentia, non ut alii actus Jurisdictionis Simplicis, à quocunque Parocho, sed solùm à *proprio*
47 exhiberi debeat per *cit. cap.* 1. Trid. Concil. Et licèt in *cap. 6. n.* 116. Parochis Jurisdictionem in foro externo negaverim; studiosè tamen Jurisdictionis Contentiosæ memini, quæ quòd à Voluntaria separari possit, neminem scio, qui inficietur.

§. IV.

De Causis, ad Iurisdictionem Voluntariam Qualificatam pertinentibus.

48 Ad Jurisdictionem Voluntariam Qualificatam pertinet I. arrogatio & emancipatio impuberis §. *cùm autem 3. Inst. l. si pater familias 15.* §. 2. & 3. *ff. l. adoptio 16. & seq. ff. de Adopt.* II. 49
manumissio servi, si fiat à minore 20. annis §. *eadem 4. & seq. Inst. Quib. ex caus. manumitt.* III. transac- 50
tio super alimentis, testamentô relictis *l. cùm in princ.* §. 1. *& seq. ff. de Transact.* IV. alienatio rerum im- 51
mobilium vel mobilium pretiosarum, ad pupillos vel minores spectantium *l. Imperatoris* 1. §. 2. *ff. de Reb. eor. l. venditio 1. & seq. Cod. de Præd. minor.* V. bonorum possessio decretalis *l. utile 2. §. 1. ff. Quis* 52
ordo in possess. serv. VI. unio prolium, seu parifica- 53
tio liberorum diversi Matrimonii; non quidem ea Jure Communi, cui ignota; sed ex consuetudine, cui longe maximè est nota. Braun *d. §. 3. n.* 35. Lauterbach *d. disp. th.* 40. Vinn. *d. cap. 6. n. 6.* Ertl *l. 3. cap. 4. obs.* 2.

§. V.

De Effectu Iurisdictionis Voluntariæ.

Effectus Jurisdictionis Voluntariæ in genere 54
est, quòd actus, ad eam pertinentes, coram Judice, liberâ partium voluntate exerciti, hôc solô valeant; aliter autem, ac coram privatis personis peracti, non valeant. Lauterb. *d. disp. th.* 53.

Effectus Jurisdictionis Voluntariæ Simplicis est, 55
quòd ubicunque, in quacunque causa, à quocunque Judice, in quoscunque & quandocunque exercita, valorem suis actibus tribuat: Ideóque emancipatio, adoptio, manumissio, testamenti vel donationis aut hypothecæ insinuatio valeat, dummodò coram aliquo Judice, Jurisdictionem habente, facta sit, juxta n. 31.

Neque opponas textum in §. *præterea 6. & §. sed* 56
etsi 8. Inst. Quib. mod. jus patriæ pot. solv. ubi mandat Imperator, ut emancipatio *coram Iudice competente* 57
fiat. Intelligit siquidem per Judicem competentem non eum, qui talis est ratione personarum, quas emancipatio concernit; sed ratione causarum, hoc est, ipsius emancipationis, de qua non omnis Magistratus, sed penes quem Legis erat actio, olim jus statuendi habebat. D. de Bassis *d. l. th.* 26. *num.* 4.

Effectus Jurisdictionis Voluntariæ Qualificatæ 58
is ipse est, qui Jurisdictionis Contentiosæ, de quo supra in *num. 11. & seqq. & num.* 32.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. & 2. *Actiones Legis distinguuntur ab actibus legitimis.* 3. *& seqq. Educetur varietas inter Iurisdictionem contentiosam libellariam & decretalem.* 7. *Describitur tribunal.* 8. *Item cognitio de plano.* 9. *Exponitur.* l. 4. Codic. de Dilation. 10. *Differentia inter inter cognitionem summariam & de plano notatur.*

QUÆSTIO I.

An Actiones Legis distinguantur ab actibus legitimis?

Resp. quòd omnes quidem Legis actiones (qua- 1
rum tres enumeratæ *hoc cap. n.* 18.) sint actus legitimi: eò quòd geri debeant juxta formulam, à Legibus præscriptam; sed non vicissim actus omnes legitimi sint actiones Legis: siquidem acceptilatio, servi optio, hæreditatis aditio sunt actus legitimi *l. actus 77. ff. de R. I.* nec tamen sunt Legis actiones: utpote cùm fieri possint solà privatorum voluntate, absque ulla Magistratûs authoritate, &
interventu Jurisdictionis. Imò, licèt tutoris datio 2
fit

fit actus legitimus, & authoritatem Magistratûs desideret, non tamen est Legis actio: Legatus enim Proconsulis tutorem dare potest; actio autem Legis apud eum institui non potest *l. nec adoptare 3. ff. de Off. Proconf.* Huberus ad *tit. ff. de Jurisdict. num. 6.*

QUÆSTIO II.

Deturne duplex Jurisdictio Contentiosa, libellaris & decretoria?

3 Relata illa in hoc *cap. n. 5. & 6.* ex Obrechto.
Facem accendent, quæ traduntur a D. Gerardo
Noodt de *Jurisdict. lib. 1. c. 10.* Nempe in Jure Ci-
vili Romano libellus & cognitio seu decretum sibi
invicem opponuntur, uti videre est in *l. nec quid-
quam 9. §. 1. ff. de Offic. Proconf.* & *Leg. l. minorum
6. Cod. de Præd. & aliis reb. minor.* Nam, ubi res per li-
4 bellum expediri poterat, is, qui postulare aliquid
volebat, de plano Magistratum adibat, libellum
offerendó, eique Magistratus per subscriptionem
respondebat per *l. libertus 15. ff. de in Jus voc. l. si
quis 29. ff. ad L. Cornel. de Falf.* At, ubi decre-
5 tum & causæ cognitio desiderabatur, per libel-
lum, aut de plano res expediri non poterat, sed pro
tribunali fieri debebat *d. l. nec quidquam 9. §. 1. ff.
de Offic. Proconf. l. bona autem 3. §. 8. ff. de Bonor.
6 possess.* Et quamvis ea, quæ per libellum petita
sunt, etiam pro tribunali expediri & subscribi po-
tuerint; non tamen illa, quæ cognitionem & de-
cretum exposcebant, alibi, quam pro tribunali,
fieri poterant. Erat autem tribunal locus eminen-
7 tior, ferè hemicycli schemate introrsum curvatus,
cui imponebatur sella curulis, in qua sedens Ma-
gistratus jus dicebat, hastâ positâ; sicque pro tribu-
8 nali procedere solebat. Ubi autem Magistratus de tri-
bunali descendebat in planum, aut in via aut domi suæ
detinebatur, dicebatur de plano cognoscere seu pro-
cedere, audiendó postulantium desideria. Quo
9 in sensu capienda *l. à procedente 4. Cod. de Di-
lation.* ibi: *à procedente Judice dilationem non con-
venit postulari, etiamsi utrâque parte præsente tri-
buatur, cùm non aliàs, nisi causâ cognitâ, indulgeri
queat, & cognitio causæ non interpellatione planaria*
(vulgò legitur plenaria) *sed confidente magis Judice
legitimè colligatur.*
10 Neque tamen existimes, de plano & summatim
cognoscere semper in idem recidere: nam ea qui-
dem, quæ de plano fiebant, summatim tantummo-
dò & obiter quasi cognoscebantur; sed & quædam
erant negotia, non aliam quàm summariam co-
gnitionem postulantia, v. g. bonorum possessio ex
edicto Carboniano vel ad exemplum ejus *l. Carbo-
nianum 3. §. 4. ff. de Carbon. Ed. l. sicut liberorum 1.
§. 14. ff. de ventre in possess. mitt.* nec alibi, quàm
pro tribunali, expediebantur *d. l. bona autem 3. §. 8.
ff. de Bonor. possess. l. utile tempus 2. §. 2. ff. Quis ordo in
possession. serv.*

CAPUT IX.

De Imperio.

Ultimò locô considerandum exhibeo *Imperium*, speciem Jurisdictionis non postremam, sed de primatu certantem. Hoc verò, cùm duplex sit, *Merum* & *Mixtum*, secabitur duplici sectione, eritque

SECTIO I.

De Imperio Mero.

SUMMARIA.

1. *Etymologia Meri Imperii.* 2. *& seqq. Synonymia.* 6. *& seqq. Definitio cum explicatione.* 12. *& seq. Divisio in Ecclesiasticum & Sæculare.* 20. *& seqq. Divisio in Perfectum & Imperfectum.* 25. *Subjectum Imperii.* 26. *Mos Germaniæ.* 27. *& seqq. Modus concedendi.* 30. *& seqq. Competit etiam Universitatibus.* 34. *& seqq. Objectum sunt causæ criminales.* 42. *& seqq. Effectus explanantur.*

§. I.

Etymologia & Synonymia Meri Imperii.

Merum Imperium vel inde nominatum est, 1
quòd illius virtus emineat præ aliis Jurisdic-
tionis speciebus in imperando; vel inde, quòd
separatum ac discretum sit à Jurisdictione Simplici;
nec quidquam cum negotiorum civilium discepta-
tione commune habeat, nec Jurisdictionem Sim-
plicem, uti Mixtum Imperium, comitetur. Boce-
rus de *Jurisdict. cap. 5. n. 5.* D. de Bassis *disp. de Ju-
risdict. d. th. 11. n. 1.* D. Braun de *Imperio cap. 1. §. 2.
num. 1.*

Aliter à Jure Nostro, aliter ab hodiernis Practi- 2
cis baptizatur. A Jure sæpiùs Jus gladii *l. illicitas 6.
§. 8. ff. de Offic. Præf.* Potestas gladii *l. solent 6. in pr.
ff. de Offic. Proconf.* Capitis animadversio *l. necessa-
rium 2. §. 18. ff. de O. I.* Major animadversio *l. si
quid 11. ff. de Offic. Proconf.* Coërcitio *d. l. solent 6.
in pr. & l. nemo potest 70. ff. de R. I.* & Jurisdictio Cri-
minalis nuncupatur *arg.* dictorum in *cap. 1. à n. 74.*

A Practicis vocatur Jurisdictio Superior, Juris- 3
dictio Alta, Jurisdictio Centenæ, Bannus Regius,
Judicium sanguinis, Germanicè *die hohe Obrigkeit,
hohe Fraisch, Fraischliche Obrigkeit, Hals-Gericht,
Blut-Gericht, Konigs-Bann, Zent, Zentbarkeit,
Zent-Gerechtigkeit, Zent-Recht, Zent-Gericht, Ma-
lefitzische* Jurisdiction &c. Consil. tert. Besold. *num.
2. & seqq.* Henricus Linckius *in dissert. de Jurisdict.
Centenæ cap. 1. §. 12. & seqq.* Ertl in *praxi aurea de
Jurisdict. Bassa lib. 2. cap. 1. obs. 5.* Lauterbach ad *tit.
ff. cit. § 41.*

Non nescio, eam Georgio Obrecht opinionem 4
de *Jurisd. l. 1. cap. 3.* placuisse, quòd Jurisdictio
Criminalis & Imperium Merum inter se distinguan-
tur, ac illa causæ criminalis cognitione & dijudica-
tione; hoc executione & punitione criminis termi-
netur. Cui placito quoque suffragium suum de-
dicare videtur Lundenspór de *Imp. Orig. cap. 33.
num. 14. & seq.* Melior tamen sententia cum Bocero 5
d. l. cap. 2. à num. 6. Susholt *aphor. 387. & seq.* Vinnio
de *Jurisdict. cap. 1. n. ult.* Linck *d. l. cap. ult. §. 1.*
Lauterbach *d. l. §. 36.* D. de Bassis *d. th. 11. num. 3.
& seqq.* Braun *d. §. n. 4.* non agnoscit distinctionem
inter Jurisdictionem Criminalem & Imperium
Merum: sicut enim Jurisdictio Civilis ex causæ
cognitione, & dijudicatione; sic etiam Criminalis
criminis disquisitione, dijudicatione, & execu-
tione sententiæ, integraliter consistit per textum
in *l. necessarium 2. §. 23. ff. de Orig. Iur. l. solent 6.
in pr. ff. de Offic. Proconf. l. un. Cod. eód. l. un. Cod. de
Offic. Præf. vig.*

§. II.

Definitio Meri Imperii.

6 Merum Imperium aliam definitionem à Lege; aliam à Legumperitis habet. A Lege definitur: quòd sit *potestas gladii ad animadvertendum in facinorosos homines.* Textus in *l. Imperium 3. ff. de Jurisdict.* A Legumperitis tam multifariè definitur, ut tædeat, singulas definitiones, quarum multas sub incudem vocat Obrecht *l. 2. cap. 2. à n.* 47. referre.

7 Dicitur in definitione Legali I. *potestas*; hoc est, publica, veluti de Jurisdictione in genere & speciebus illius repetitis jam vicibus dixi.

8 Dicitur II. *gladii.* Potest autem *gladius* accipi vel materialiter seu naturaliter, vel moraliter seu formaliter. *Materialiter* ac in naturali significatione acceptus, denotat per antonomasiam actum Jurisdictionis Criminalis celebriorem & communiorem, scilicèt pœnam gladii juxta *l. aut damnum* 8. §.
9 1. *ff. de Pæn. Moraliter* acceptus vel significat per synecdochen partem pro toto, seu unum puniendi modum pro omni genere puniendi; vel per metonomiam signum pro re signata, seu gladium, tanquàm insigne, pro exercitio justitiæ vindicativæ juxta D. Paulum ad *Rom.* 13. ℣. 4. ibi: *non enim frustra portat gladium &c. cap. quæsitum* 45. *XXIII. q.* 4. Sutholt *aphor.* 394. Miller ad Struv. *exercit. 4. th.* 37.

10 Dixi III. *ad animadvertendum*: quâ dictione non tantùm jus puniendi sontem, sed etiam jus cognoscendi, judicandi, quin & absolvendi super delicto continetur *arg. cit. l. solent 6. in pr. ff. Offic. Proconf.* Franciscus de Claperiis de *Jurisdict. concl.* 4. *n.* 3. & 4. Longovall. in *repet. l. Imperium p. 3. in fin. n.* 1. D. de Bassis *d. th.* 11. *n.* 1. & a. D. Braun *d. cap.* 1. §. 3. *n.* 4. Stryck *cit. l n.* 12.

11 Dicitur IV. *in facinorosos homines.* Et hinc datur intelligi, Imperium merum exardescere non in bruta, sed in homines, nec qualescunque, sed viventes, delinquentes, ac facinus tale committentes, cui vindicando Jus Commune vel particulare pœnam publicam præstituit; quo de latè D. Braun *d. cap.* 1. §. 6. *à n.* 15. Miller *d. l.*

§. III.

Divisio Meri Imperii.

12 Dividitur Imperium Merum I. in Ecclesiasticum & Sæculare. Per *Ecclesiasticum* non intelligitur illa potestas gladii, quam personæ Ecclesiasticæ vel tanquam Status Imperii, vel ex speciali privilegio exercent in suos subditos temporales, cujus fit mentio in *cap. ult. Ne Clerici vel Monachi in* 6.
13 Sed intelligitur potestas gladii spiritualis, videlicèt censurandi, suspendendi, interdicendi, excommunicandi, quin & pœnis quibusdam temporalibus in ordine ad finem spiritualem delinquentes percellendi juxta *Extrav. unam sanctam de M. & O. inter commun.* Per *Sæculare* denotatur potestas gladii tem-
14 poralis, sæviendi scilicèt in vitam, corpus, & membra hominum.

Hæc divisio, ut ut communiter toleretur à DD.
15 & à Clarissimis nostræ Facultatis Professoribus recepta sit, P. Engel ad *tit. de Offic. Jud. n.* 18. P. König ad *tit. de Offic. Deleg. n.* 23. P. Eberth *select. controv. p. 1. contr. 7. num. 7. & seqq.* D. Braun de *Jurisd. cap.* 5.
16 §. 1. *sub n.* 50. D. Franz in *Quæst. ex Univ. Jure q.* 2. *n.* a. repulsam tamen fert à Zoësio ad *tit. ff. de Jurisdict. num.* 58. & ad *tit. Jur. Can. de Offic. Deleg. n.* 18. partim quia potestas censurandi, excommunicandi, interdicendi &c. non affert cruciatum corporis & animadversionem gladii: partim quia secundùm *cap. inter hæc 6. XXXIII. q.* 2. Ecclesia non habet gladium; nec occidit, sed vivificat.

Verùm, ut nemo non videt, Zoësius majorem 17
vim in vocabulo, quàm in re ponit. Neque enim, ut ipsimet antea fassi sumus, per Imperium Ecclesiasticum intelligitur potestas gladii materialis; sed potiùs potestas gladii moralis & spiritualis; hæcque inter utramque potestatem est differentia, quòd Ecclesiastica magis affligat animam quam corpus; Sæcularis corpus potiùs quàm animam coërceat, veluti pulchrè docetur in *cit. cap. inter hæc XXXIII. q.*
2. Utraque tamen potestas sub Imperio Mero rec- 18
tissimè collocatur: cùm enim omnes confiteantur, pœnas illas, quibus aufertur vita civilis, puta, deportatio, relegatio, damnatio in opus metalli &c. ad Imperium Merum reduci per *l. si quis 6. §. 2. l. 7. & 8. l. capitalium 28. in pr. ff. de Pæn.* nil profectò impedit, quò minus excommunicatio v. g. per quam vita spiritualis adimitur, ad Imperium Merum
reduci debeat. Imò, cùm Jure Ecclesiasticô non- 19
nunquam etiam pœna infamiæ, mulcta pecuniaria, incarceratio, & id generis aliæ pœnæ, Merum Imperium constituentes, aut integrantes, dictentur *cap. cùm Beatus 8. in f. Dist. 45. cap. dilectus 18. de Offic. Ord. cap. postulâsti 14. de Jud. cap. in Archi-Episcopatu 4. de Raptor. cap. vergentis 10. cap. excommunicamus 13. §. credentes de Hæret. cap. quamvis 3. cap. felicis 5. de Pæn. in 6. Clem. multorum 1. §. sanè de Hæreticis.* Trid. *sess. 15. de ref. cap.* 3. & 19. cur Imperium Merum Ecclesiasticum vocetur in dubium?

II. dividitur Merum Imperium in Perfectum & 20
Imperfectum. *Perfectum* (quod Sutholt *aphor.* 390. *Plenum*, & D. Linckius in *cit. dissert. cap.* 1. §. 16. *Universale* vocat) est, quod habet omnes gradus,
seu partes, & actus Imperium integrantes. *Imperfec-* 21
tum (quod *minùs Plenum* Sutholt, & *Particulare* dicit *citat.* Linckius) est, quod non continet omnes gradus, partes, & actus, Imperium integrantes.

Sed quot, ais, sunt partes, & actus, Imperium 22
integrantes? Resp. sequentes I. est inquisitio specialis in crimen & authorem criminis. II. est captura, seu realis apprehensio hominis facinorosi. III. est incarceratio rei in causa criminia. IV. est accusatio criminis, facta per actorem publicum, seu Fiscalem, ab ipso Judice, ex officio procedentem, constitutum. V. est cognitio & disceptatio criminalis. VI. est quæstio seu tortura, saltem si in causa criminali ad eruendam veritatem adhibeatur. VII. est pronuntiatio super crimine. VIII. est animadversio pœnalis, seu coërcitio criminum, seu executio criminalis. D. Braun *cit. cap. 1. de Imperio* §. 4. *n.* 3.

Quot autem (quæris denuò) sunt gradus Meri 23
Imperii?

Resp. ab antiquis DD. diversos gradus fuisse statutos, uti perspicere licet apud Claperium de *Jurisdict. conclus.* 5. & 6. Bocerum *cap. 5. à n.* 7. à recentioribus autem, sicut perhibet D. Braun *cit.* §. *n.* 6. communiter tres statui, tot nimirum, quot sunt gradus pœnarum, ad Imperium Merum spectantium.
Gradus autem pœnarum sunt tres per *l. capitalium* 28. 24
in pr. & §. 1. *ff. de Pæn.* I. est, quò adimitur vita naturalis; estque vel pœna ignis, vel rotæ, vel laquei, vel gladii, vel sectionis &c. II. est, quò adimitur vita civilis, quæ consistit in libertate & civitate; vel spiritualis, quæ consistit in gratia cum Deo, & unione cum fidelibus &c. III. est, quô, salvâ vitâ, naturali, civili, spirituali, vel affligitur corpus, vel minuuntur bona, vel notatur existimatio. Erunt itaque tres gradus Meri Imperii, qui, si cum omnibus partibus concurrant, faciunt Imperium Perfectum.

§. IV.

§. IV.

Subjectum Meri Imperii.

25 Subjectum Meri Imperii passivè consideratum sunt homines facinorosi juxta *n.* 11. Subjectum activè consideratum sunt Judices, Merum Imperium exercentes. Tales Judices apud Romanos erant illi duntaxat, quibus ex speciali Lege, vel Imperatoris concessione Merum Imperium erat tributum juxta *cap.6.num.89.*& Obrechtum *lib.2.cap.* 4.*& 2.seq.*

26 Apud Germanos, post Imperatorem, qui & sceptrô & ense à DEO instructus esse censetur, Merum Imperium obtinent Status ac Nobiles Immediati Imperii, vi Jurisdictionis Territorialis per *cap.* 5. *n.* 84. Suth. *aphor.* 404. & quibus ab Imperatore vel Statibus & Nobilibus Immediatis specialiter est concessum. Linck. *cit. differt. cap.* 2. §. 4. Braun *t. cap.* 1. §. 6. *num.* 3.

27 Dixi: *specialiter est concessum.* Nam Jurisdictione, simpliciter concessâ, Merum Imperium non censetur inclusum. Struv. *Syntagm. Jur. Feud. cap.* 6. quia in tali concessione non comprehenduntur illa, quæ speciali mentione vel expressione sunt digna, præsertim si concedens sæpiùs & plerumque ejusmodi specialia reservare soleat per *cap. qui ad agendum* 4. *cap. procurator ult. de Procurat.in* 6.*cap.ingeneralì* 81. *de R. J. eòd. in* 6. Aliud in facto consultius respondit Wesenbec. *Consil.* 172. *à n.* 29. *& consil.* 95.

28 *à n.* 18. At, Jurisdictione omni, omnimodâ, vel plenissimâ, *sambt allem Gericht, mit aller Obrigkeit &c.* concessâ, Merum Imperium videri concessum, docent Co arruv. *pract. qq. cap.* 1. *fub n.* 10. §. *primùm etenim &c.* Menoch. *de Præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 97. *n.* 34. Wesenbec. *cit. consil.* 172. *num.* 39. Braun *de Imperio cap.* 1. §. 5. n. 13. Stryck de *usu mod. ad tit. ff. Jurisdict.* Bocerus *de Jurisd. cap.* 8. *n.* 11. & 13. dicens, ob hac communi opinione, hôc maximè sæculô, non esse recedendum. Ratio est: quia,

29 licèt alioquin Imperium Merum specialem exigat commemorationem *cap. licet* 2. *de Off. Vic. in* 6. *l. quæcunque* 1. *in pr. &* §. 1. *ff. de Off. ejus, cui mand. est Jurisdict.* non dedignatur tamen æquivalentem & æquipollentem, qualis est, quæ per terminos amplissimos, ante positos, effertur per *Clem. un.* §. *eisdem* ✠. *Jurisdictionem suam omnimodam de Foro compet. l. si in aliam* 7. §. *ult.* ibi: *plenissimam autem Jurisdictionem &c.l.seq.ff. de Offic. Proconf. l.præses* 4. ✠. *majus Imperium ff. de Offic. Præsid.*

30 Quæritur autem: an Universitates Merum Imperium habeant, non vi privilegiorum singularium, ratione quorum certum est, pluribus Universitatibus, ac inter has etiam Nostræ, id competere; sed vi privilegii generalis, existentis in corpore Juris in *Amb. habita sub tit. Cod. Ne filius pro patre.*

31 Et omninò existima quòd sic, motos perspicuis verbis *cit. Authentica*, in qua prohibuit Imperator, ne Studiosi *super aliquô negotiô* (quô nomine etiam causæ criminales veniunt *l.in criminali* 5. *in pr. Cod. de Jurisdict.*) *& propter cujuscunque provinciæ delictum* (hoc est, in quacunque provincia commissum) *ad alium Judicem*, quàm Academicum, trahantur. Ita Lymnæus *Jur. publ. lib.* 9. *cap.* 8. n. 33. *& seqq.* D. Hermes in *Fascic. Juris Publ. cap.* 37.*n.*144. P. Engel ad tit. *de Offic. Jud.n.*29.

32 Oppones cum diffidentibus, è quorum numero est Swederus *Jur. Publ. part.spec. sect.*1.*cap.* 6.*n.*6. & Clariss. D. de Chlogensperg in *profecut. disput. Bassiana de Jurisdict. th.* 58. *n.* 3. quod *cit.* verba *super aliquo negotio* ad causas civiles; & verba *propter cujuscunque provinciæ* ad repressalia sint coarctanda; quasi nempe Studiosus non debeat luere facinus, à suis comprovincialibus contra civem alterius provinciæ commissum, ex ea ratione: quia ibidem Imperator Fridericus illis, qui Studiosos coram alio quàm Academico Judice conveniunt, interminat pœnam amittendæ actionis, ibi: *à tali cognatione cadat.*

33 Resp. verba *Authenticæ*, velut favorabilia, non coarctanda, sed amplianda esse per *cap. cum dilecti* 6. *de Donat.* & *l. pen. ff. de Constit. Princip.* præsertim cùm illa verba *propter cujuscunque provinciæ delictum* prorsus divinatoriè de repressaliis explicentur, utpote quæ Juri Communi, ex communi DD. persuasione, aliunde aut ignotæ aut invisæ sunt per textum in *cap. un. de Injur. & damno dato in* 6.

§. V.

Objectum Meri Imperii.

34 Objectum Meri Imperii sunt causæ criminales; in quibus nempe agitur ad vindictam publicam, seu ad commodum & interesse Reipublicæ juxta §. *in summa* 10. *Inst. de Injur. l. locatio* 9. §. 5. *ff de Publican.& vectigal.l.prætor* ait 3.§.5.*ff.de Sepulchro viol.* Braun *d.l.*§. 7. *n.* 1. Unde

35 Infertur I. quando agitur ad pœnam, quâ vel vita adimitur, vel corpus affligitur, videri causam criminalem esse: utpote cùm certò ad vindictam publicam actio vel accusatio collimet D Ettl.*d.l.* 2. *cap.* 2. *obs.* 4. Lundenspór *d. cap.*33.*n.*77.

36 Infertur II. quando agitur ad pœnam pecuniariam, non parti agenti, sed fisco applicandam, censeri quoque causam criminalem esse: nam & hic actio non ad commodum privatum, sed interesse Reipublicæ tendit. Lundenspór *d. l. n.* 78. *& seq.* D. Braun *d. l. num.* 5.

37 Infertur III. quando agitur partim ad compendium proprium; adhuc dici posse causam criminalem, sive deinde ex diversa causa privatum & publicum interesse simul petatur, sive ex una, fortè quòd speciali Lege tam restitutio damnorum, parti facienda, quam publica coërcitio, à Republica imponenda, statuatur. Braun *d.* §. *n.* 6.

38 Infertur IV. aliquando dubiom esse, an causa sit criminalis vel civilis, v. g. dum agitur ad privationem officii vel beneficii, & nihil applicatur fisco? Et tunc, authore Clarô (à cujus sententia in praxi recedere, vix consultum reputat D. Braun *d.*§.*n.*8.) pro causa civili judicandum est. Quod tamen eidem D. Braun difficile videtur ex eo, quia de conceptu causæ civilis est, ut aliquid applicetur parti offensæ. Unde D. Glerle *Jurisprud.terribus p.* 1.*cap.un.*

39 §. 7. *n.* 2. attendendum esse, vult, utrùm agens ad privationem officii vel beneficii intendat præcisè utilitatem publicam, cui meliùs prospectum censetur per amotionem officialis aut beneficiati; an verò id officium vel beneficium sibi conferri desideret? Priore casu pro causa criminali; posteriore pro civili judicat. Imò, licèt v. g. parochiani contra Parochum agant ad amotionem à Parochia, non ut Parochiam, sed alium Parochum acquirant, adhuc mihi videntur civiliter agere. Vide tamen *cap.tuæ* 5.*de Procur.* & *cap.per tuas* 32. *de Simon.* 40

Planè, cùm hodiernô sæculô quàm plurimæ lites & controversiæ circa causas criminales & civiles subnascantur, quando in uno eodemque loco in plures Jurisdictio divisa est, ac uni Superior seu Criminalis; alteri Inferior seu Civilis, competit: præprimis ad peculiares conventiones & transactiones; dehinc ad consuetudinem, usum, & observantiam locorum respiciendum esse, monet Linck. *cit. dis-* 41

*fert. cap.*3.§.8. D. Ertl *lib.* 2. *obf.* 5. Lauterb. *tit. ff. de Jurifdict.*§.41.

§. VI.

Effectus Imperii Meri.

42 Effectus Imperii Meri confiftit in jure faciendi, fa uitate recipiendi, & obligatione dandi. Jus faciendi importat inquifitionem fpecialem in crimen & authorem criminis, capturam delinquentis, incarcerationem, bonorum abfentis notationem, quæftionem feu torturam, fententiam & executionem. Sed hoc ita, fi Imperium Merum Plenum, Univerfale, & Perfectum fit juxta *num.* 20. 22. *& 23.*

43 Quòd fi minùs Plenum, Particulare, & Imperfectum fit, ab uno actu conceffo non licet argumentari ad actus alios, præterquàm in cafu præfcriptionis juxta diftinctionem 10 *tract. de Præfcript. cap.* 5. *num.* 95. *& feqq.* dilucidatam. Lundenfpór

44 *cit. cap.* 33. *num.* 92. *& feqq.* Sic enim in quibufdam locis uni fola inquifitio vel captura, alteri verò fola criminis difcuffio & dijudicatio, tertio executio

45 refervata eft. Similiter alicubi in folos homicidas animadvertere; alicubi omnes pœnas criminales, exceptâ relegatione, dictare conceffum eft; qua de re videatur *l. un. Cod. de Offic. Proconf.* Obrecht *lib.* 2. *cap.* 5. *per* 101. Stryck. *cit. l. §.* 6. D. Ertl *d. l.* 2. *obf.*7. *&* 8. Lundenfpór fæpe *cit. cap.* 33. *à nu.* 30. Linck. *d. differt. cap.ult.*§.2. D. de Baffis *ib.* 11. *n.* 5. *& feqq.*

46 Facultas recipiendi confiftit in mulctis, pœnis, bonorum confifcatione, aliifque fructibus Jurifdictionis. Linck. *d. cap.* §. 5.

47 Onus importat obligationem, fumptus, in judicium criminale impenfos, exfolvendi, fi ad amiffionem vitæ vel membrorum actum fuerit: tum quia non temerarius litigator, fed pius defenfor cenferi debet, qui, licèt criminis à fe perpetrati confcius, fanguinem fuum quôcunque modô tueri conatur *l. in capitalibus* 1. *ff. de Bon. eorum, qui ante fentent.*

48 tum quia duplici onere gravaretur reus, fi præter amiffionem vitæ vel membrorum jacturam patrimonii fufferre teneretur. Vide Conftit. Crim. Caroli V. *art.*204. & ibi latè agentem nominatiffimum ex Facultate noftra Criminaliftam D. Chriftophorum Blumlacher.

SECTIO II.

De Imperio Mixto.

SUMMARIA.

49. *Etymologia Mixti Imperii.* 50. *Synonymia.* 51. *& feq. Definitio.* 53. *Eft poteftas publica.* 54. *Cum Jurifdictione Simplici conjuncta.* 55. *Confiftens in juffione vel coërcitione.* 56. *Aliorum Definitiones.* 57. *& feqq. Prima divifio Mixti Imperii explicatur & probatur.* 62. *& feq. Impetitur ab aliis.* 64. *Defenditur.* 65. *& feq. Secunda divifio.* 67. *& feqq. Tertia divifio cum fua dilucidatione.* 70. *& feqq. Subjectum Imperii Mixti de Jure Romano.* 72. *& feqq. Item de Jure Moderno.* 75. *Indicantur modi acquirendi.* 76. *Modus probandi oftenditur.* 77. *& feqq. Objectum Imperii Mixti quoad primam fpeciem fubjicitur, ad intelligentiam Juris Communis.* 82. *Objectum fecundæ fpeciei.* 83. *& feq. Objectum utriufque fpeciei de praxi hodierna.* 85. *& feqq. Alicubi delicta leviora referuntur ad Imperium Mixtum.* 89. *& feq. de Jure Communi non deberent referri.* 91. *& feq. Effectus hujus Imperii.* 93. *& feqq. Obligatio reverentiæ erga Dominum Jurifdictionalem inferiorem explicatur.* 96. *Poteft ille fubdito, ab alio gravato, affiftere.* 97. *& feqq. An fubditus Domino refiftere poffit? Per diftinctiones refolvitur.* 104. *Claudiitur materia.*

§. I.

De Nomine Imperii Mixti.

Mixtum Imperium de Jure Romano fic appellatum eft, quia conjunctam & commixtam 49 quafi habet Jurifdictionem Simplicem; vel per cohærentiam cum ea, vel per ejus inexiftentiam, ut loquitur D. Braun de *Imperio cap.*2.§.1.*n.*1. Appellatur etiam Imperium non-Merum in *l. ult.* §. 1. *ff. de Offic. ejus cui mand.* quia Meri appellatio nulli Mixto convenit. Vinn. de *Jurifdict. cap.*7.*n.*1.

Mixtum Imperium de Jure hodiernò alias appellationes nactum eft; diciturque latinè Jurifdictio 50 Baffa feu Inferior; item Jurifdictio Vogteiæ, vel Vogteia fimpliciter; germanicè *die Nider-Gerichtbarkeit, Unter-Gerichtbarkeit, Erb-Gericht, Nider-Gericht, Vogteyliche Gerechtigkeit, Hoffmarchs-Gerechtigkeit, &c.* D. Linck. in *differt. de Jurifdict. Vogteia cap.* 2. §. 1. *& feqq.* Stryck in *mod. ufu Pand. ad tit. ff. de Jurifdict.*§.7. D. Ertl in *praxi aurea de Jurifdict. Baffa lib.*1.*cap.*1.*obf.*2.

§. II.

De Definitione Imperii Mixti.

Definitionem Imperii Mixti taliter adornare, ut 51 neque à Legibus Civilibus abludat, neque Praxi modernæ obloquatur, vel ideò videtur arduum: quia non folùm Practici in affignanda definitione difformes, fed & Theorici longè maximè difcordes funt; quemadmodùm palam erit infpicienti Bocerum de *Jurifdict. cap.*4.

Mihi præ cæteris placet definitio D. Braun *d.* 52 *cap.*2.§.2.*n.*7.jam in *cap.*1.*n.*68. infinuata, quâ Mixtum Imperium defcribit, quòd fit Imperium conjunctum cum Jurifdictione Simplici, confiftens vel in juffione principaliter, vel in coërcitione in caufa civili.

Dixi I. *Imperium.* Ut genus adftruerem, quô 53 Mixtum & Merum Imperium conveniunt. Etfi non errâffe, fed conformiter antecedentibus dixiffe, me crederem, fi dixiffem: *eft poteftas publica Jus dicendi &c.*

Dixi II. *cum Jurifdictione Simplici conjunctum.* 54 Habet enimverò Mixtum Imperium infeparabiliter fibi coadunatam Jurifdictionem Simplicem, vel per modum antecedentis, vel per modum confequentis, pro diverfitate fpeciei, veluti in §. *feq.* dilucidiùs conftabit: ficque diftinguitur ab Imperio Mero, quod à Jurifdictione Simplici feparatum eft.

Dixi III. *confiftens in juffione principaliter, vel in coërcitione in caufa civili.* Ut afferrem aliquod dif- 55 crimen inter Jurifdictionem Simplicem & Imperium Mixtum, in eo præcipuè fitum, quòd Jurifdictio Simplex in fola cognitione & dijudicatione caufarum civilium verfetur; Imperium Mixtum verò quà tale vel principaliter refpiciat juffionem authoritativam Judicis, quâ v. g. jubet, caveri prætoriâ ftipulatione, rem ratam haberi, judicatum folvi, opus non ritè factum deftrui &c. vel coërcitionem, quâ in contumaces & refractarios animadvertit pignorum capione, mulctæ dictione, incarceratione &c. Bocerus *d.cap.*4.*n.*14. *& feqq.*

Cum

56 Cum hac definitione Mixti Imperii propinquita-
tem & affinitatem habere videtur illa, quâ Jurisdi-
ctionem Bassam describit Stryck *ubi supra* §.7. quòd
sit facultas cognoscendi de causis civilibus & delictis
levioribus, & hæc coërcendi; & illa, quam habet
Linck.*cit.differt.cap.2.§.6.circa fin.*quòd sit omnimo-
da Jurisdictio Civilis, quæ, absque Imperio Mero,
& Superioritate Territoriali, habetur; & illa, quam
dat D. Ertl *cit. cap. 1. obs. 1.* quòd sit potestas, vi
cujus causas civiles discutere, & delicta minora, ad
commune bonum, & juxta praxin cujuscunque lo-
ci, coërcere licet. Videatur tamen de minoribus
delictis *n. 85. & seqq.*

§. III.

De Mixti Imperii Divisione.

57 Dividitur Imperium Mixtum I. in id, cui Juris-
dictio inest; & id, quod Jurisdictioni cohæret. Im-
perium prioris generis est potestas publica, in qua
vis Imperii eminet præ Jurisdictione; seu, in qua
principaliter ac primariò cernitur jussus, manda-
tum, & authoritas Magistratûs; Jurisdictio autem
solummodò venit subsidiariè, quatenùs ad rectiùs
expediendum jussum & mandatum, opus est co-
gnitione, veluti in stipulationibus prætoriis, resti-
58 tutione in integrum &c. accidit. Imperium poste-
rioris generis est potestas publica, in qua Jurisdictio
eminet præ Imperio; seu, in qua principaliter ac
primariò consideratur facultas cognoscendi & judi-
candi; Imperium verò tantùm subsidiariè ac mini-
sterialiter venit, quatenùs opus est coërcitione ali-
quâ ad Jurisdictionem tuendam contra contumaces.
Ac de hoc Imperio accipienda sunt, quæ de Im-
perii cohærentia cum Jurisdictione Simplici haben-
tur in *cap.1.n.37. & seqq.*
59 Traditur hæc divisio in *l. Imperium 3. ff. de Juris-
dict.* ubi, dum Mixtum Imperium dicitur, *cui Juris-
dictio inest*, indicatur prima Mixti Imperii species,
in qua Jurisdictio adjungitur in consequentiam Im-
60 perio; & in *l. quæcunque 1. §. 1. ff. de Offic. ejus, cui
mand.* ubi, dum mandatâ Jurisdictione Imperium,
quod Jurisdictioni cohæret, transire dicitur, subminis-
tratur altera Imperii species, in qua Imperium venit
in consequentiam, ad Jurisdictionem efficaciùs expli-
61 candam. Traditur quoque satis communiter à DD.
Menoch. de *arbitr. Jud. 1.q.74.n.20* Bocero *d.cap.4.
n.18.* Besoldo *thes.pract.sub voce* Mittel Obrigkeit,
Diethero *ibid. in addit.* Franzkio ad *tit. ff. de Juris-
dict.n.52.* D.Braun *cit. cap.2. § 3. n.1.& plur. seqq.*
62 Rejicitur tamen hæc divisio, tanquam commenti-
tia, à Sutholt *aphorism.262. & seq.* & Vinnio *cap.7.
n. 12.* ex ea potissimùm ratione, quòd nullô colore
fingi possit Imperium Mixtum, per se subsistens, cui
postmodùm accedat & famuletur Jurisdictio; sed
potiùs omnis Jurisdictio per se subsistat, eique Im-
perium, in modica aliqua coërcitione situm, & Ju-
risdictionis defendendæ ac tuendæ gratiâ compa-
63 ratum, adjungatur. Hinc ea, quæ infra in *n. 77.
& seqq.* referemus ad objectum Imperii Mixti, cui
Jurisdictio inest, isti Authores negant, ad obje-
ctum Imperii Mixti pertinere; &, si qui textus id
innuere videantur, ajunt, Imperium ibi non acci-
pi pro Mixto, sed pro potestate eminentiori, seu
Magistratu Majori, cui Imperium in majori am-
plitudine, quàm Magistratui minori, concessum
64 erat. Sed, quantùm ex studiosa recensitorum Aa.
revolutione potui colligere, plus assertioni quàm
rationi tribuunt: nec enim ullibi probant, actus,
ad Imperium Mixtum quoad primam speciem re-
ferendos, non esse actus Imperii Mixti. Ut ea-
propter à communi divisione, in ratione legali pro-
bè fundatâ, discessum minimè persuadeant.
Dividitur II. Mixtum Imperium in perfectum 65
& imperfectum. *Perfectum* est, quod continet
utramque speciem, mox relatam, ac omnes actus,
ad utramque speciem pertinentes. *Imperfectum* est,
quod vel unam tantùm speciem ex relatis, vel sal-
tem non omnes utriusque speciei actus complectitur.
Hancque divisionem in terminis suggerit D. Braun
d. l. n. 19. & in effectu tradunt complures cum D.
Obrecht *lib. 3. cap.34. à n. 26.* Tradit etiam Sut- 66
holt, priori divisioni contrarius *aphor. 251.* quate-
nùs admittit, non omnes coërcendi modos penes
quemlibet Magistratum, etiam minimum, de Jure
Romano fuisse.
Dividitur III. Imperium Mixtum in superius & 67
inferius. *Superius*, vulgò *die Ober Vogtey*, dici-
tur, quando alicui universalis Jurisdictio civilis cum
omni causa & regalibus est concessa. *Inferius*,
vulgò *die Unter-Vogtey*, dicitur, quando alicui
Jurisdictio Civilis, reservatâ Superioritate & Impe-
riô conceditur. Et ista divisio adstruitur à Weh- 68
nero *pract. observat. lit. V. verbô* Vogtey *pag.646.*
& *pag.658.* Knichen de *Jure Territ. cap. 4. n. 509.
& seqq.* ac *n. 644. & seqq.* Linck. *cit. cap. 2. §. 5.*
Quia tamen primum illius membrum coincidit ferè 69
cum Jurisdictione Territoriali, ut rectè observant
Linck. *cit. loc.* Knichen *cit.l.cit.* Lundenspór de
Imperior. & familiar. orig. cap. 33. num. 12. & seqq.
de illo revidendum erit *cap. 5. per tot.* solumque
membrum secundum ea, quæ hic tractantur, pro-
pria sibi faciet.

§. IV.

De Subjecto Imperii Mixti.

Imperium Mixtum passivè exercetur in solos sub- 70
ditos; activè verò residet in Magistratu; licèt non
in omni eôdem semper modô. Nam prima Mixti
Imperii species, cui inest Jurisdictio, de Jure Ro-
mano competit solis Magistratibus majoribus, qua-
les erant Prætores, Præsides, Proconsules &c. *l. ea
quæ 26. in pr. & §. 1. ff. ad Municipal.* Secunda spe- 71
cies, quæ Jurisdictioni cohæret, fuit æquè majori-
bus ac minoribus Magistratibus, quales erant Duum-
viri & Defensores Civitatum, communis per *l. Ma-
gistratibus 12. ff. de Jurisdiction. l. quemadmodùm 29.
§. 7. ff. ad L. Aquil.* Latè Obrecht *cit. cap. 24.
n. 26.* Bocerus *d. cap. 4. n. 33.* Braun *d. cap. 2.§.4.
n.3. & seqq.*
Idem & hodie contingit, quòd non tota Juris- 72
dictio Bassa æqualiter penes omnes, sed planè inæ-
qualiter existat. Sic enim in Bavaria & plurimis pa-
gis Sueviæ reperitur aliqua Jurisdictio, quam ap-
pellant *das Dorff-Gericht*, vi cujus leviora quædam
delicta circa prata, sepes, agros &c. *mit Ubermähen*,
Uberzaunen, *Uberackeren*, commissa, non majori,
quàm 72. nummorum mulctâ, *nicht höher als umb
72. Pfenning nach der schwähren Münz* coërcere
licet. D. Ertl *d. cap.1. obs.3.* Sic etiam, ut testis 73
est idem Ertl *d. cap. 1. obs. 5. & 6.* in nonnullis lo-
cis alia Jurisdictionis Bassæ species in usu est, vulgò
das Rug Gericht dicta, ratione cujus rustici in pagis
certis anni temporibus conveniunt, causas, quas ad-
versùs se invicem habent, in certo pagi loco propo-
nunt, ac reos juxta suum arbitrium castigant. Sic 74
etiam de Jure Bavarico, ut scribit Lundespór *cit.
l.* in Palatinatu quoque & Ducatu Neoburgensi re-
ceptô, aliqui possunt judicare de causis civilibus,
exceptis causis rerum soli, ac earundem subhasta-
tione.
Quæres I. quomodò Jurisdictio Bassa seu Mix- 75
tum Imperium acquiratur?

Resp. iisdem modis, quibus acquiritur Jurisdictio Ordinaria, quæ rariùs Imperiô Mixtô destituta reperitur. Revidenda itaque dicta in *cap.6. à n.8.*

76 Quæres II. quomodò quis Imperium Mixtum probare valeat aut debeat?

Resp. præter instrumenta, testes, & alios probandi modos superesse tum actus possessorios, ad Imperium Mixtum spectantes, & diu exercitos; tum insignia, quæ lapidibus, portis, mœnis &c. inscribuntur. Conferatur D. Ertl de *Jurisdict. Bassa cap. 28. per tot.*

§. V.

De Objecta Imperii Mixti.

77 Objecta Imperii Mixti sunt causæ civiles; & quidem ad primam speciem, cui Jurisdictio inest, I. re-
vocatur restitutio in integrum per *l. ea quæ 26. in*
pr. & §. 1. ff. ad Municipal. Franciscus de Claperiis
concl. 17. n. 1. Bocer. *cap. 3. n. 9.* Braun *d. cap. 2.*
§. 3. nu. 4. & seqq. contra Longovallium, Vinnium
78 *d. cap. 7. n. 11.* & alios. II. datio honorum posses-
sionis, seu hæreditatis prætoriæ per *l. Imperium 3.*
ff. de Jurisdict. Braun *d. §. n. 6.* contra Vinnium *d.*
79 *cap. 7. n. 5. & seqq.* III. jubere caveri prætoriâ sti-
pulatione de damno infecto, hoc est, de damno re-
sarciendo, si quod ex ædibus vicini ruinosis seque-
80 retur *l. jubere 4. ff. d. t.* IV. jubere possideri bona
ex causa servandæ rei litigiosæ, dotalis, legatæ, aut
ventris nomine, seu partûs, in utero existentis *d. l.*
81 *jubere 4. & l. ea quæ 26. §. 1. ff. ad Municipal.* V.
missio hæredis scripti in bona defuncti testatoris,
ratione testamenti, nullô visibili vitiô laborantis, ex
edicto D. Hadriani per *l. ult. Cod. de Edict. D. Hadriani toll. & d. l. jubere 4. ff. de Jurisdict.*

82 Ad secundam speciem, quæ Jurisdictioni tuendæ cohæret, pertinent mulctæ dictio, seu pœnæ pecuniariæ impositio; pignoris capio; corporis detentio, seu incarceratio in causa civili; datio actionis pœnalis; executio, manu militari facienda; denegatio Jurisdictionis ob contumaciam partis; excommunicatio, quatenùs principaliter tendit ad commodiùs exercendam Jurisdictionem Ecclesiasticam per *cap. præterea 5. de Offic. Jud. Deleg. l. un. in princ. ff. Si quis jus dicenti &c. l. qui restituere 68. ff. de R. V. l. sacrilegi 9. §. ult. ff. ad L. Juliam peculatûs.* Conferantur Longovall. *part. 3. cap. 7. n. 3. & cap 11. n. 8* Gentilis *lib. 1. cap. 7. 11. & 12.* Bocerus *d. cap. 4. n 16.* D. Braun *d. cap. 2. §. 3. n. 18.*

83 Sed hæc ita de Jure Romano. Nam modernô Jure plura longè capita ad primam speciem referri video, videlicèt *Juramentum*, quod subditi Domino, Bassam Jurisdictionem habenti, præstare debent, de servanda fidelitate & obedientia exhibenda, *dasz sie getreu, gehorsam, und Gebathvvärtig seyn, des Gerichts- und Vogts- Herrn Schaden vvenden, und Nutzen beförderen vvollen*; *Inspectionem* ac determinationem ponderum & mensuræ; *Encænia*, eorumque protectionem, permissionem, & emolumenta, *Kirchvveyhe*, *Kirchvveyh-Schutz*, *Stand-und Laden-Geld &c.* *Positionem* & dispectionem *Limitum*, inter privatos controversorum; *Operarum præstationem*, *Robold*, *Frohn-Dienst-Scharvverck*; *Visitationem* molendinorum, hospitiorum, balneorum; Scholarum minorum *Erectionem*; tutorum ac curatorum *Constitutionem*; *Confectionem* inventarii &c. quæ & alia in compendio exhibent Wehner *pract. obs. lit. V. sub voce Vogtey pag. 658.* Knicken de *Jure Territ. d. cap 4. num 647.* Lundenspór de *famil. Orig. cap. 34. à n. 14.* latissimè verò, intermixtis practicis quæstionibus & observationibus, expendit Clariss. D. Ertl *cit. praxi aurea de Jurisdict.* Bassa *lib. 1. & 2. per tot.*

Rursus ad secundam Imperii Mixti speciem plura 84
coërcendi genera revocari video, e.g. *Stock, Hals-*
Händ- oder Fus- Eysen, Geigen-Straff &c. Verùm
in his & similibus pœnarum generibus pro regula
tenendum, ac videndum esse, suadet D. Ertl *d. l. lib.*
2. cap. 19. abs 3. utrùm imponantur ob delictum cri-
minale vel civile: nam pro diversitate delicti modò
ad Merum, modò ad Mixtum Imperium ejusmodi
coërcitiones reducendæ sunt.

Quæres tamen: an ergo reperiantur delicta, ad 85
objectum Imperii Mixti, seu Bassæ Jurisdictionis
spectantia? Et videtur ex *n. 56* deduci posse, quòd
delicta leviora huc pertineant. Sed hoc ipsum est 86
dubium, quænam in præsenti delicta graviora, quæ-
nam sint leviora? Aliqui, à quibus non dissentit
Myler de *Princip. & Stat. Imper. cap. 48. §. 7.* ge-
neraliter scribunt, ad Civilem seu Inferiorem Ju-
risdictionem reduci injurias reales & verbales sinè
vulneratione *Schelt-Wort, Braun- oder Blau Schlä-*
gerey, Stossen, Kratzen, Blut-Runst, Haar-
Rauffen. In Franconia, ut ex Knicken testatur 87
Linck. de *Jurisdict. Vogt. cap. 3. § 6.* ad Jurisdictio-
nem Bassam reducuntur adulteria; fornicationes;
furta parva circa res commestibiles vel bibiles; in-
juriæ reales & verbales; falsa pondera & mensu-
ræ cauponum, laniorum, pistorum, mercatorum,
molitorum, rusticorum; perjuria &c. In Ducatu 88
Brunsvicensi eidem Jurisdictioni subsunt omnia
delicta quibus pœna corporalis aut relegatio non est
præstituta, ut habet Stryck. *mod. citandus.* Alibi
alia est consuetudo; sicque periculosum est, universa-
liter ad quæstionem propositam pro praxi respondere.

Putem nihilominùs, abstrahendò à consuetudi- 89
ne, verius esse, nullum planè delictum ad objectum Imperii Mixti pertinere (nisi ex delicto civiliter, seu ad commodum privatum agi, supponas, quô casu non tam causa criminalis, quàm civilis est *arg.* dictorum *à n. 34.*) prout ex instituto desuper consulta respondit Inclyta Facultas Juridica Francofurtana, sic referente Strykiô in *usu mod pand. ad tit. de Jurisdict. §. 8.* eò quòd jus animadverten- 90
di in facinorosos homines adscribatur Mero Imperio sinè distinctione, quale & quantum fuerit delictum in *l. Imperium 3. ff. de Jurisd.* ipsumque jus mulctandi, incarcerandi, vel aliter puniendi nunquam competat principaliter & per se illis, qui Mixtum Imperium habent, quasi de ipsis delictis, similem pœnam annexam habentibus, possint cognoscere; sed tantùm minùs principaliter, ac in consequentiam, quatenùs ad tuitionem Jurisdictionis Civilis adversùs contumaces, qui sponte se nolunt Imperio submittere, est necessarium. Consentit *cons. 3. n. 18. §. his adde & seq.* quod habetur in *p. 1. Consil. Besol.*

§. VI.

De Effectu Imperii Mixti.

Effectus Imperii Mixti relucet partim ex potesta- 91
te jubendi ac authoritativè præcipiendi; partim ex jure coërcendi, ac mulctas percipiendi, prout ex antecedentibus palam est.

Huic superaddi potest effectus alius, in præsum- 92
ptione Juris consistens, quòd, licèt in Hofmarchiis, ut vocant, Superioritas Territorialis sit penes Principem terræ, Hofmarchiæ Dominos intra suos limites fundatam intentionem Bassæ Jurisdictionis habeat. Lundenspór de *Familiar. Orig. cit. supra cap. 33. post n. 20. pag. m. 174.*

Peres I. an subditi non solùm Domino Territoria- 93
li, sed etiam alteri, Jurisdictionem Bassam aut Imperium Mixtum habenti, specialem reverentiam exhibere teneantur?

Resp. I.

Resp. I. apud omnes indubitatum haberi, quòd subditi teneantur ejusmodi Domino Jurisdictionali specialem exhibere reverentiam, tam in salutando, quàm in prætereundo; proindeque gravissimæ se reos injuriæ facere, si quóvis modo, verbô vel factô, reverentiæ contrarium quidpiam admittant per *cap. dilectus 11. de Pœn.* Ertl de *Jurisdict. Bassa lib. 2. cap. 23. per tot.*

94 Resp. II. reverentiam, Domino Jurisdictionali debitam, non violari, quando subditus, ipsô insciô, recurrit ad Dominum Territorialem, eique gravamen Domini Jurisdictionalis inferioris exponit: utpote cùm nemini non via pateat ad Judicem Superiorem, ubi se gravatum sentit ab Inferiori per text. in *l. appellandi 1. in pr. ff. de Appellat. l. un. Cod. de Sentent. Præf. Prætor. l. universi 6. Cod. de Precib. Imperat. offerend.* Ertl *d. l. cap. 23. observat.* 4.

95 Resp. III. reverentiam istam neque tunc violari, quando unus vel alter ex subditis, in testem requisitus, remissâ prius obligatione subjectionis, testimonium adversùs Dominum deponit: expedit enim Reipublicæ, veritatem à quovis manifestari posse. Ertl *d. l. observat.* 5.

96 Petes II. utrùm Dominus Jurisdictionalis inferior possit assistere subdito, vel pro eodem intervenire, quando vel alibi litem intentavit, aut ab alio in suis juribus aut bonis vexatur?

Resp. affirmativè. Ertl *d. l. cap. 25. per tot.* Ratio est: tum quia interest Domini Jurisdictionalis, suos subditos ab aliis non vexari, premi, vel opprimi: tum quia est mutua obligatio inter Dominum & subditum, ut quilibet, servatâ proportione, alterum juvet, & defendat.

97 Petes III. Num subditi Domino, qui Bassam Jurisdictionem obtinet, aliquando resistere valeant?

Hanc quæstionem prælaudatus D. Ertl *lib. 3. cap. 1. obs. 1. & 2.* funditus examinat, & interpositam oltisariâ distinctione Resp. I. Subditos posse Domino, extrajudicialiter per vim & violentiam ex invidia aut rancore procedenti, eatenùs resistere, quatenùs resistentia contra privatum, simili tenore pro-
98 cedentem, alioquin permissa est. Ratio est: quia Dominus, hâc viâ utens, non ampliùs ut persona publica, cui parere necessum sit, sed ut privata, respectu cujus in casu aggressionis inculpata defensio omni Jure conceditur, consideratur per *cap. comparente 7. de Restitut. spoliat. l. prohibitum 5. Cod. de Iure Fisci.*

99 Resp. II. Subditos quoque Domino resistere posse, quando quidem judicialiter procedit, non tamen servatô Juris ordine, nec præmissâ causæ cognitione. Ratio est: quia idem esse censetur, sive Dominus procedat extrajudicialiter, sive judicialiter, quando Juris ordinem non servat, & processum v. g. incipit ab executione *l. quemadmodum 29. §. 7. ff. ad L. Aquil.*

100 Resp. III. Subditum non posse resistere Domino, servatô Juris ordine procedenti, tametsi de facto mandatum aut sententia illius sit injusta, ac juri partis adversa: quippe cùm talis sententia ipsô Jure valeat, & nisi per appellationem suspendatur, in rem judicatam transeat *cap. cùm inter 13. de Sentent. & re jud. l. illud 1. §. 2. ff. Quæ sent. sine appellat.*

101 Resp. IV. in dubio, an Dominus legitimè processerit nec ne, subdito obtemperandum esse: eò quòd tamdiu præsumatur de justitia Domini, quàmdiu apertè non constat de injustitia *arg. l. sed si unius 15. §. 5. ff. de Injur. l. ait Prætor 7. §. 2. ff. de Minor.*

102 Resp. V. casu quô resistentia permissa est, non debere subditum ad violentam defensionem decurrere, ubi tempus indulget remedia civilia, & recursum ad Superiorem per supplicationem, simplicem querelam, aut actionem injuriarum; & ubi etiam violenta defensio de necessitate adhibetur, atque vis vi repellitur, strictè manendum esse intra limites inculpatæ tutelæ, & potiùs aliquid omittendum, quod alias facere licitum foret per *cap. ad hoc 63. XVI. q. 1.* ne ex una parte subditus impingat in res- 103
pectum, suo Domino debitum; ex altera parte probationem necessitatæ defensionis sibi difficiliorem reddat.

Supereßent adhuc plures Jurisdictionis species, 104
quas tamen præsentibus pagellis annectere nolui: vel quia nec in Jure Communi privato, nec in Jure Communi Publico ullum ferè vestigium posuère; vel quia ex aliis speciebus, per decursum adumbratis, suum quoque colorem, effigiem, & formam emendicare valent. Facio igitur, *quod extremum in Jurisdictione est*, aut esse, apud Christianos, debet; eumque in finem singulos apices, tam in hoc *tract.* quam toto *tom. I. Iurispr. Canon. Civ.* expressos, ordino, ut Jus in utraque Republica Ecclesiastica, & Sæculari, tam justè dicatur, quatenùs in omnibus glorificetur Deus.

SUPPLEMENTUM.

SUMMARIA.

1. An merum imperium Magistratibus competat ut proprium? Ratio ambigendi. 2. Solvitur hæc ratio, & defenditur affirmativa. 3. & seqq. Illustratur & stabilitur. 6. An imperium mixtum de Iure Romano sit penes omnes Magistratus? Refertur opinio negativa. 7. & 8. Iuxta diversitatem imperii deciditur.

QUÆSTIO I.

An Merum Imperium competat Magistratibus ut proprium, vel alienum?

RAtiònem dubitandi movent aliqui ex eo: tum 1
quia Merum Imperium competit non jure ordinariò, sed ex speciali beneficio: tum quia non habetur quoad proprietatem, sed quoad usum duntaxat per *l. quæcunque 1. in princ. verb. ut is cui obtigerit exercitio ff. de Offic. ejus cui mand. est Iurisdict.* Verùm jam in *cap. 1. num.* 87. animadver- 2
sum est, Jurisdictionem extraordinariam, ad quam refertur Imperium Merum de Jure Civili, rectè propriam appellari: hôc ipsô enim, quòd ex Lege habeatur, non habetur ex beneficio hominis, uti mandata & prorogata: consequenter habetur & exercetur jure proprio, in persona habentis radicatô. Certè de Jure Civili nulla Jurisdictio, 3
etiam Ordinaria, fuit habita jure proprietatis in eo sensu, quòd de ea, sicut hodie fit, quasi-hæreditaria & patrimoniali potuerit disponi; sed tantùm jure suo. Id quod insigniter explicat Hu- 4
berus ad *tit. ff. de Iurisdict. in rubr. de Imper. n.* 6. omnis, inquiens, potestas in Republica derivatur à Principe, à quo si immediatè descendat, Juris ratio vult, ut propriam dicamus potestatem his, quibus data est. At à Principe concedi Merum 5
Imperium, idque semper ab eo dependere, fatemur. Ideóque, si quis hanc ob causam jus Principis appellare velit proprietatem, & quòd Magistratus habeat exercitium, potest quidem; sed tunc idem de Jurisdictione omnique potestate dicendum, non de Mero Imperio duntaxat. Ex quibus liquete patet responsio ad *cit. l. quæcunque 1. in pr.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An Imperium Mixtum de Iure Romano competat omnibus Magistratibus?

6 Illi, qui negant, & ad suum intentum adducunt *l. ea quæ 26. in pr. ff. ad Municipal.* ubi, *quæ magis Imperii, quàm Iurisdictionis sunt*, à Magistratibus municipalibus fieri non posse dicuntur; in nostris principiis facilè refelluntur: concessimus enim in *hoc cap. n. 71.* Magistratibus inferioribus alteram spe-
7 cem Mixti Imperii, in qua Imperium subsidiariè, quatenùs opus est coërcitione, mulctæ dictione, pignoris captione ad Jurisdictionem securiùs administrandam; negavimus econtra in *num. 70.* illam speciem, in qua vis Imperii eminet præ Jurisdictione seu causæ cognitione: quò intellectu declaranda est *cit. l. ea quæ 26. in princ.* uti constat 8
ab exemplis, in §. 1. subjunctis ibi: *Magistratibus municipalibus non permittitur in integrum restituere, aut bona rei servandæ causâ jubere possidere, aut dotis servandæ causâ, vel Legatorum servandorum causâ:* cujusmodi exempla in *numer. 77. & seq.* ad hanc speciem redacta sunt.

FINIS LIBRI PRIMI.

QUÆSTIO II.

An Imperium Mixtum de Iure Romano competat omnibus Magistratibus?

6 Illi, qui negant, & ad suum intentum adducunt *l. ea qua 26. in pr. ff. ad Municipal.* ubi, *quæ magis Imperii, quàm Iurisdictionis sunt*, à Magistratibus municipalibus fieri non posse dicuntur; in nostris principiis facilè refelluntur: concessimus enim in *hoc cap. n.* 71. Magistratibus inferioribus alteram spe-
7 cem Mixti Imperii, in qua Imperium subsidiariè, quatenùs opus est coërcitione, mulctæ dictione, pignoris captione ad Jurisdictionem securiùs administrandam; negavimus econtra in *num.* 70. illam speciem, in qua vis Imperii eminet præ Jurisdictione seu causæ cognitione: quò intellectu declaranda est *cit. l. ea qua 26. in princ.* ubi constat 8
ab exemplis, in §. 1. subjunctis ibi: *Magistratibus municipalibus non permittitur in integrum restituere, aut bona rei servandæ causâ jubere possidere, aut dotis servandæ causâ, vel Legatorum servandorum causâ:* cujusmodi exempla in *numer.* 77. *& seq.* ad hanc speciem redacta sunt.

FINIS LIBRI PRIMI.